R. P.

JACOBI LOBBETII LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

OPERA OMNIA

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

HAC SECUNDA EDITIONE RECOGNITA, ET AUCTA
Tomis duobus: & inſuper, in aliis antea impreſſis, ſparſim aucta Quæſtionibus novis quàmplurimis, illuſtrata ſelectis Sanctorum Patrum ſententiis, Antiquorum præclarè dictis, & magnarum Virtutum exemplis, atque Hiſtoriis.

OPUS MAXIMA PARTE NOVUM,
& Concionatoribus, Paſtoribus, ac ſpiritualis vitæ Magiſtris atque Religioſis perutile.

TOMUS QUINTUS.

CONTINENS OPVSCVLA MORALIA AVCTIORA & curis ultimis expolita, quorum ſeries inverſâ paginâ exhibetur. Cum Indicibus neceſſariis.



2
1
104

LEODII,
IN OFFICINA TYPOGRAPH. JOAN. MATHIÆ HOVII,
ſub ſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXVIII.
SVPERIORVM PERMISSV

125

SERIES OPUSCULORUM

HOC QUINTO TOMO CONTENTORUM.

I. *Opus Morale de Peccato: & in eodem Opuſculo, ſub quarta Propoſitione Libri quarti, Flagella peccatoris olim ſeorſim edita.*

II. *Speculum Eccleſiaſticorum ac Religioſorum, & in eo Monumenta veneranda Antiquitatis, opportunaque morum documenta.*

III. *Via Vitæ ac Mortis, tribus Libris explicata.*

IV. *Tractatus duo Aſcetici: unus de ſacra Chriſti Domini Paſſione & Cruce: alter de Religioſo Templorum cultu adverſus petulantem hujus ſæculi licentiam.*

V. *De Fortitudine & Conſtantia Chriſtiana. Libri tres.*

ILLUSTRISSIMO, REVERENDISSIMO
AC NOBILISSIMO

CLERO LEODIENSI

QUEM

SANCTA LEGIA

ROMANÆ ECCLESIÆ FILIA,

ALUMNUM HABET AC FILIUM,

PATRIA DOMINUM AC DEFENSOREM,
URBS IPSA VELUTI TUTELAREM ANGELUM:

A CHRISTO IESV

A VIRGINE MATRE,

A S. LAMBERTO PRÆSULE.

SALVTEM AC FELICITATEM.

IN hoc æſtu rerum publicarum, belliq́ue turbine, quo quatitur Europa, nutantq́ue qui portant Orbem, ſtudioſiùs inquirenti mihi, è quo fonte ea calamitatum eluvies effluxiſſet; occurrit antiquum illud, & omnium ſæculorum experientiâ probatum Ieremiæ vaticinium: *Quia à facie maledictionis luxit terra, afferam ſuper eos mala, annum viſitationis eorum.* Ierem. 23. v. 10. Annus viſitationis, annus eſt pœnæ ac doloris, qui tertis altiùs aſſurgit; quia Sol, ille aſpectabilis orbis oculus, eam faciem maledictionis, hoc eſt, peccati, diutiùs ferre non potuit. Ut eam tegeret, Univerſo propè terræ luctu ac ſqualloꝛe obnubilandam putavit. Valuit apud me ea cogitatio, natusq́ue inde juſti doloris ſenſus, ut aliquam illius maledictionis ac peccati imaginem, tum è Scripturæ fide atque oraculis, tum è ſacratiore Theologia, tum denique è Sanctorum placitis exprimendam luciq́ue dandam exiſtimarem: ut cùm incurriſſet in oculos, etiam in odia incurreret. Vix eam penicillus, calamus, inquam, effinxerat, atque adeò in chartam effuderat; cùm de Patrono ac Mecœnate cogitare cœpi, à cujus nomine, favore, gratia hoc Opuſculum meum audacter magis, non modò ſe prelo committeret, verùm etiam ad Solis hujus aſpectum aſpiraret. Neque verò diu deliberandum mihi fuit, cujus illud nomini honoriq́ue potiſſimùm inſcriberem: in oculos animúmque veniſtis, Illuſtriſſimi, Reverendiſſimi, Nobiliſſimi Domini; vos aſpexit, & patronos amavit, primus ille ſacérque laboris non exigui fœtus. Quos enim potiùs? Si lucem ille ambit & Solem, vos Orbi Legio pro luce ac Sole fuiſtis olim, & etiamnum eſtis, eritisq́ue, uti ſperamus, in ævum. Si majorum ſplendor & dignitas quæritur, ſi majeſtas in oculis & amoribus eſt; eam ab avito Parentum ſanguine unà cum vita accepiſtis; & à Collegis olim veſtris mirum quantum auxiſtis.

Iuvat aureæ illius ætatis meminiſſe, quæ in æde principe, in uno Divi Lamberti Collegio, è quo prima ac nobiliſſima Leodienſis Cleri lumina ex auguſto Regum Cæſarúmque ſanguine filios omninò novem numeravit; quos in eadem Canonicorum ſerie, ſuppari tamen, ſequebantur Ducum filii quatuordecim, Comitum triginta, Baronum ſeptem: Et hinc ab antiquo ſanguine, à purpura ſceptróque petita gloria: major tamen ab Infula Pedóque ſplendor acceſſit.

Dicam enim quod ex vero dici poteſt, quod Annales, Veterúmque monumenta loquuntur, quod ipſa vidit, ſuſpexit, amavit Roma, Urbium princeps, Orbis domina, Petri ſedes; ex uno Canonicorum Leodienſium Collegio fuiſſe quamplurimos, qui inter Eccleſiæ Romanæ Principes, Purpuratos Patres, non tam oſtro & purpurâ, quàm præclaris animi ornamentis inſignes conſederint.

Quamquam quid in illa purpura hæret animus calamusque? aliò flecti debuit, & prima Chriſtiani Orbis columina, ſummosque in tiara Pontifices ſuſpicere, ab iiſque æviternam invidendæ gloriæ lucem mutuari. Et ſanè mutuatur æquiſſimo jure, dum in uno Summorum Pontificum catalogo quinque recenſet qui totius Eccleſiæ gubernacula regere, clavúmque Univerſi tenere potuerunt. Ii porrò fuere:

STEPHANVS hujus nominis nonus, qui à ſingulari morum integritate ac ſanctimonia, vitâ functus Beati nomen famámque inter mortales accepit.

NICOLAVS ſecundus, qui Berenganum damnavit, & in Romano Concilio erroris reum convictúmque palinodiam canere, & hæreſim revocare coëgit.

URBANVS quartus, qui pro eâ, quâ erat in Venerabile Sacramentum pietate, feſtum ejus ſolemne, primùm Leodienſi Diœceſi, dein univerſo Orbi indixit.

GREGORIVS decimus, qui injurias ſacris imaginibus quondam illatas, ſingulari zelo, edictóque publico repreſſit ac vindicavit.

CLEMENS denique ſextus, qui primùm Eccleſiæ Leodienſis alumnus, dein Epiſcopus Rhotomagenſis, denique Pontifex electus.

Et hæc prima Cleri veſtri decora: a quibus ad vos venio, qui ſecundas in eo tenetis, & in aliis ſeptem Canonicorum Collegiis, Deo, Superis, & Eccleſiæ vivitis, in iiſque lucetis

Apocal. c. 1. v. 12.

quaſi *ſeptem candelabra aurea in domo Dei*? in qua primum eminet illud, cui à Divo Petro nomen eſt ac veneratio.

Parentem illud & Architectum agnoſcit D. Hubertum, qui Româ redux & Epiſcopi ſedem Leodium tranſtulit, & ſacram D. Petro ædem inſigni munificentiâ erexit. Ea primis annis è D. Benedicti familia Religioſos & alumnos habuit: tum deinde auctore Richario Præſule Leodienſi in Canonicos erexit, opportunaque ſedes fuit, in qua & multorum Martyrum (quos inſolens & vagus Normannorum furor adverſo ferro meſſuerat) & tandem ipſius etiam D. Huberti Præſulis ſui parentisque ſanctiſſimi oſſa, magnæ mentis exuviæ, benigno ſolo conditæ, molliter quievêre: magno ſanè Dei beneficio, bonoque illius ædis. Si enim, ut doctè Liranus, *Moyſes ſepultus in ſorte Gad ceſſit ad magnum honorem & dignitatem illius tribus*, & eò quidem, ut inde diceretur *habitura principatum*;

Liranus in Deuter. c. 33. v. 21.

Quidni & à D. Huberto, altero Leodienſis Eccleſiæ Moyſe, in æde iſta quondam ſepulto, factum eſſe dixerim, ut inter ſeptem Canonicorum Collegia primum D. Petri cenſeretur, & ipsâ antiquitate, & loci veneratione?

Chapeauville in geſtis Pont. Leod. Tom. 2. c. 11. & 16.

Alterum eſt D. Martini; vel hoc uno terris cœloque illuſtre, quòd ſuadente S. Iulianâ & Evâ, Sanctiſſimis Virginibus; annuente deinde Urbano Quarto Pont. Max. approbantibus è ſede Petri, ſpecula veritatis, Martino Quinto, & Eugenio Quarto Summis Eccleſiæ Præſidibus, primum omnium Feſtum Venerabilis Sacramenti per dies octo continenter ſolemni pompâ cultuque celebrarit, Sacris operante, verbaque è pulpito ad frequentem populum faciente Hugone S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali. Ab illa die, luceque vobis ſacratiore, primùm in alias ejuſdem Diœceſis Eccleſias manavit ea feſtivitas: tum ſeſe ſparſit in Orbem univerſum, qui vobis debet, & debere fatetur hoc tantum bonum.

Geſta Pôt. Leod Tom. 1. c. 48.

Tertium locum obtinet inſigne D. Pauli Collegium, cujus incunabula, templique molitionem illuſtri miraculo probarunt Superi. Cùm enim Eraclius, Leodienſis Antiſtes, magno exſtruendæ ſacræ ædis deſiderio teneretur; non ei è terris quærenda fuit perita Architecti manus, quæ prima ſolo fabricæ lineamenta inſcriberet: è cœlis ea duci labique debuerunt: & verò etiam ducta, lapſaque fuerunt. Nix quippe molli æthere decidua tantum ſoli illibatum intactumque reliquit, quantum ſibi ſuóque cultui circumſcripſerat Paulus notarántque Superi: reliqua verò circumquaque adjacens & vicina tellus

candido

candido illo niveóque ſolutæ nubis amictu tecta atque operta eſt. ita nimirum fieri opor-tuit: non debuit ea templi area frigidâ veſte tegi, nivéque boreali algere, quæ deinde divi-nis officiis, Chriſtiano cultu æſtúque devotionis incalere debuerat. Ab illo cœli prodi-gio, Paulíque nomine, ac ſi voles etiam præcepto, eam locus ille dicitur hauſiſſe ſancti-tatem ac reverentiam, ut nullus in eo ſibi tumulum invenire poſſit. Diceres à nivea, al-gida, triſtique hyemis unius veſte liberum & immune ſolum, etiam frigidos cineres, mœ-ſtáſque ſoluti corporis reliquias reſpuere atque dedignari.

Et hæc faciunt ad prima Collegii veſtri incunabula: à quibus elabor ad vos, quibus à Cruce, fortunato victoriæ ſymbolo & oſtento, fortunatum quoque nomen obtigit, ut audiretis Canonici Sanctæ Crucis.

Tertullianus, ætate ſua nulli ſecundus, & religioſæ Antiquitatis obſervator in paucis accuratus, ſcribit olim Chriſtianos omnes dictos eſſe *Religioſos Crucis*. Nimirum eò loci ac temporis, quo adhuc calebat effuſus Chriſti ſanguis, æſtuabat charitas, Crux amori erat ac venerationi; & eò quidem, ut in fronte Chriſtiani Crucem pingerent, ut in ea ve-luti bonæ mentis janua, legeretur ornamentum illud profeſſionis noſtræ, & illuſtris nota pietatis. Eam appellationem, quæ naſcenti primùm Eccleſiæ communis fuit, & quæ deinde mortalium vitio temporúmque inclinatione jam propè exciderat, felici nomine ominéque inſtauratis, & à Notgero ac Wazone, Sanctiſſimis Præſulibus, accepiſtis ve-luti teſſeram fidei veſtræ, & inſigne Religionis; cui hoc uno ſigno eſtis mancipati. Quo enim meliùs & ſanctiùs?

In arcanis oraculis ſacrorum Præfecti dicebantur à Davide *Filii Core*, hoc eſt, interprete D. Auguſtino, *Filii paſſionis Chriſti, filii Crucis, portantes in fronte, quod inimici in loco* *Auguſt. in* *Calvariæ fixerunt*. Quod illi Synagogæ, ceu novercæ; hoc vos Eccleſiæ, ceu bonæ tit. Pſal. matri eritis: *Filii paſſionis Chriſti, filii Crucis*. præfereris in nomine quod Reges & Cæſa- 41. res oſtentant in Diademate: quod in gloriam decuſque vertetur æviternum.

Proximè ſequitur ſuis etiam prodigiis celebre Canonicorum Collegium, cui D. Ioan-nes Apoſtolus & Evangeliſta nomen famámque in Inſula fecit. Spirabat in terris magnus omninò Præſul, & alter Legiaci orbis inſtaurator Notgerus: regnabat in cœlis Ioannes, Geſta Pōt. IESU diſcipulus, IESU amor ac deliciæ: qui cùm ſibi ſuóque nomini in Urbe Legia lo- Leod en. cum ſedémque jam inde à ſæculis delegiſſet; etiam miraculo, ne dubia fides eſſet, probare Tom. 1. voluit. Non procul à Leodina valle præcelſo difficilíque clivo mons aſſurgebat, vulgò c. 50. dictus Caprinus; in cujus vertice eminebat caſtellum, loci naturâ & arte munitum, mi-næque murorum ingentes, è quibus in ſubjectam vallem excurrebat infeſtus miles, & quotidianas prædas agebat. Ut iis ſeſe ſuóſque liberaret Notgerus, cùm ad filioli recens nati cunas baptiſmíque ſacra vocaretur, advolavit illicò, militémque expeditum ſub cle-ricali veſte texit, eóque probè ſtipatus in ardua montis evaſit; tum verò explicata militaris ſcena, abjectus, qui tum tempori ſerviebat, habitus, & in militem mutatus clerus omnis; qui libero pede volitans circumquaque omnia ferro flammisque pervia conceſſit, vaſtavit, diruit. Erant eò loci tres baſilicæ; una Virgini Matri ſacra: altera D. Ioanni Apoſtolo & Evangeliſtæ dicata: tertia Sanctorum Coſmæ & Damiani Martyrum patrocinio & re-liquiis illuſtris. Ex iis duæ flammis arſêre, & in mœſtos abiêre cineres: at illa quæ D. Ioanni fuerat erecta, nec ferro nec igni cedere potuit. Ita quondam ipſi Divo Tutelari ad Latinam portam innoxia hæſit flamma, & ſtupidus ignis vim ſuam omnem & incendia damnavit. Quod olim illi, hoc ædi ſacræ eò loci datum eſt: diceres in eam Divi ſui Tu-telaris virtutem eſſe transfuſam, ne ullis pateret incendiis: & certè non patuit, donec Epiſcopus concepto Superis voto ſanctè adpromiſit aliam ſe eidem Sancto ſua in civitate ædificaturum, in qua Canonici divinis vacarent officiis. Vix ea vota conceperat animo, vix extremis labris expreſſerat, cùm liber & expeditus ignis ſumma tecta invaſit, latera diſrupit, funditúſque evertit. Adeò Inſulam ſuam adamavit Ioannes, ut ſibi antiquam in monte ſedem perire ſit paſſus, ut nova in valle ſurgeret.

Ad vos deſcendo, qui ſub Divi Dionyſii, vigilantiſſimi Præſulis, invictiſſimi Martyris patrocinio ac tutela, Canonicis vacatis officiis. A Notgero Principe & Epiſcopo ſacram ædem erexiſtis. A Nithardo, Ioanne, Godeſchalco fratribus cenſum locupletem accepiſtis, unde & vobis & Eccleſiæ viveretis. Benè habet; ſunt vobis Heroës magni, Parentes, ac nutritii. Eſt D. Tutelaris à quo in hac mortali peregrinatione baculum petatis, quo inoffenſo pede per lubricas & ancipites hujus ævi ſemitas ad immortalem vitam tranſeatis.

Geſta Pontif. Leodien. Tom. I. c. 53.

Hoc à Gallis Regibus antiquo pióque more legimus uſurpatum; ut peregrinationem in terras exteras non ſuſcipiant, niſi priùs à magno Dionyſio veniâ petitâ, acceptóque poſt ſacra Miſſarum ſolemnia baculo peregrinationis; quo innixi tutiùs certiúſque pedem figant.

Baron. ad annum Chriſti 1147.

Eſt vobis è terris in cœlos via: longa illa quidem; & multis obvia periculis. aberrare, ceſpitare, labi pes, animúſque poteſt, niſi baculo ſuſtineatur firmetúrque. Eum ultrò obtulit pro vobis vigil & piè anxius Dionyſius, ex quo nomen tutelámque ſuam veſtro Collegio inſcripſit. Sub illo ergò ſecuri vivite, & ad cœleſtem patriam contendite.

In vobis finio, qui in ſacra D. Bartholomæi æde Canonico vivitis inſtituto: ut ita viveretis, auctor fuit Godeſchalcus, Eccleſiæ D. Lamberti quondam Præpoſitus; quem ob ſingularia merita, vitæque integritatem Leodienſes Canonici ſibi in Epiſcopum & Principem adlegerunt. Verùm ille, ut erat demiſſionis amans in paucis, ſibíque magis, quàm aliis vivere ſatagebat, id officii ac dignitatis Durando, qui ſibi priùs à domeſtico famulitio fuerat, lubens volénſque ceſſit.

Geſta Pōt. Leodien. tom. I. c. 71.

Ita ab Infula Pedóque recedunt magnæ mentes; in quæ abjectæ in terras animæ interdum perperàm involant: nimirùm altioris eſt animi ac virtutis, Inſulas omnes, aliáque dignitatis inſignia ad pedes abjeciſſe, quàm in caput erexiſſe.

Ideóque benè ſanxit olim Leo Imperator: *Non pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat. Sola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.*

An. 469.

Lib. 31. Cod. de Epiſc. & Cleric.

Sed iſta parciùs. Ad inſtitutum redeo. Godeſchalcus pro ſua in Deum Divóſque pietate, de ſuo ære tantum cenſus attribuit, quantum duodecim Canonicis ad vitam honeſtè ſuſtentandam ſufficeret. Numerum deinde auxêre duo magni Præſules Reginardus & Wazo Leodienſes Epiſcopi. Et hæc quidem è multis pauca: ſunt enim alia, eáque propè innumera, quæ ad dignitatem majeſtatémque Ordinis veſtri dici poſſent, ſeu illuſtria Canonicorum Collegia, tota Diœceſi ſparſa, ſeu nobiles Abbatias, earumque decora commemorare vellem. Sed ea omnia, impoſitâ mihi brevitatis lege ac neceſſitate, tacitus præterire debui, etiam vel invitus, ne in juſtum volumen excreſceret Epiſtola; quod contra illius rationem eſſe videbatur. Viſum in præſentia ſatis prima Illuſtriſſimi Cleri fundamenta calamo notaſſe. Et hoc quidem non tam ut ei decus adderem, quàm ut Operi meo viam facerem ad lucem, quam amabat; nec aſpicere poterat, niſi favore veſtro gratiáque è tenebris fuiſſet evocatum. Ab illo verecundiùs in auras dum emergit, ſinite ut ei nomen veſtrum in fronte ſcribam; & hoc animi benè volentis honorantiſque teſtimonium in manus oculóſque veſtros efferam. Quòd ſi in eo pluſculum aſſumpſiſſe videar; dandum illud humanitati veſtræ. Iam enim ſeptimus annus evolvitur, ex quo mihi è pulpito dicenti, patientes & benevolas aures conceſſiſtis: exinde putavi fore, ut huic Operi meo etiam benignos oculos concederetis. Hac ſpe nixus, finem faciam, & vobis à Chriſto IESU, à Virgine Matre, à S. LAMBERTO Præſule ſalutem ac felicitatem apprecabor.

DOMINATIONVM VESTRARVM

Humillimus in Chriſto ſervus

JACOBUS LOBBETIUS è Societate IESU.

R. P.

JACOBI LOBBETII LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

OPVS MORALE

DE

PECCATO,

EJUSQUE NATURA, PŒNIS,

AC REMEDIIS.

IN QUINQUE LIBROS DIVISUM.

INDEX

CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

LIBER PRIMUS.

Vetus Idea peccati, ſive deſcriptiones illius metaphoricæ. pag. 1

PROPOSITIO I.

Peccatum eſt nubes. *ibid.*

§. 1. Quæ ſimilitudo nubis & peccati? *ibid.*

§. 2. Quæ nubium differentiæ, quæ deinde peccati? 2

§. 3. Quæ nubes malæ? *ibid.*

§. 4. Quæ nubes bonæ? *ibid.*

§. 5. Quæ nubium prognoſtica, quæ etiam peccati? 3

PROP. II. Peccatum eſt nox. 4

§. 1. Quæ noctis inſtitutio, quis finis ex naturâ, ex virtute? *ibid.*

§. 2. Quomodò nocte abutantur filii noctis? 5

§. 3. Quomodò peccatum nox dici & eſſe poſſit? *ibid.*

PROP. III. Peccatum eſt umbra mortis, umbra mali Dæmonis. 6

§. 1. Quid ſit umbra, & quæ vis umbræ? *ibid.*

§. 2. Quæ ſimilitudo umbræ mortis, & peccati? 7

§. 3. Peccatum eſt umbra mali dæmonis. 8

PROP. IV. Peccatum eſt abyſſus. 9

PROP. V. Peccatum eſt nihil. 10

PROP. VI. Peccatum eſt immane pondus. 12

§. 1. Ipſa miſeria & elementa peccati pondus ſentiunt, nec ſuſtinent. *ibid.*

§. 2. Peccati pondus ex Zacharia. 13

PROP. VII. Peccata ſunt funes & vincula. 14

§. 1. Quàm inextricabiles peccati nexus? Quàm gravia vincula? *ibid.*

§. 2. A peccati vinculis tollitur libertas omnis, & miſeranda ſervitus imponitur. 15

§. 3. A peccati vinculis trahitur homo inſtar jumenti ad opera ſervilia. 16

PROP. VIII. Peccata ſunt zizania. 17

PROP. IX. Peccatum eſt vox ſanguinis, & clamor validus. 19

§. 1. Vox peccati. *ibid.*

§. 2. Peccatum eſt clamor. 20

PROP. X. Peccatum eſt infirmitas & morbus animi. *ibid.*

PROP. XI. Peccatum eſt lepra. 22

§. 1. Quid lepra, & quæ potiſſimæ ſpecies lepræ. *ibid.*

§. 2. Quæ ſit animi lepra. *ibid.*

§. 3. Septem lepræ, & ſeptem lotiones Naaman in Jordane. 23

§. 4. Septem lepræ & ſeptem earum remedia ex D. Bernardo. *ibid.*

§. 5. Habitus leproſi & animæ à peccati lepra mundari cupientis. 24

PROP. XII. Peccata ſunt quaſi ciſternæ diſſipatæ. 25

PROP. XIII. Peccatum eſt frigus. 26

PROP. XIIII. Peccatum eſt gutta mellis, & mare fellis. 27

§. 1. Mel ut profanum à Divino ſacrificio arcetur. *ibid.*

§. 2. A mellis favo fuaque inobedientia periclitatur Jonathas. *ibid.*

§. 3. A favo mellis periit adoleſcens, de quo parabola Divi Damaſceni. 28

§. 4. A potu lactis periit Siſara. *ibid.*

PROP. XV. Peccatum eſt ærugo & tinea. 29

§. 1. Peccatum eſt ærugo. *ibid.*

§. 2. Peccatum eſt tinea. *ibid.*

PROP. XVI. Peccatum eſt ſerpens. 30

PROP. XVII. Peccatum eſt mors. 32

§. 1. Quid ſit mors? *ibid.*

§. 2. Mors corporis cum animæ morte comparatur. *ibid.*

PROP. XVIII. Peccatum eſt Chriſticidium, Deicidium. 33

§. 1. Peccatum eſt Chriſticidium. 34

§. 2. Peccatum eſt Deicidium. *ibid.*

LIBER SECUNDUS.

Nova Idea peccati, ſive definitiones illius Theologicæ. 36

PROP. I. Peccatum eſt macula moralis. *ibid.*

PROP. II. Peccatum eſt privatio gratiæ. 37

§. 1. Quid ſit gratia. *ibid.*

§. 2. Unctio gratiæ, ejuſque beneficia. 38

§. 3. Gratiæ lux, & candor lucis æternæ. 39

§. 4. Gratiæ ſigillum, & ejus auctoritas. 41

§. 5. Gratiæ vis & excellentia major eſt dono miraculorum, & gratiis omnibus gratis datis. 42

PROP. III. Peccatum eſt privatio debitæ pulchritudinis. 43

PROP. IV. Peccatum eſt averſio à Deo, & elongatio ab ipſo per diſſimilitudinem. 44

PROP. V. Peccatum eſt reatus pœnæ. 46

§. 1. Quàm grave peccati debitum, & unde petatur ea gravitas. *ibid.*

§. 2. Nulla pœna par eſſe poteſt vel uni peccato mortali. 47

§. 3. Nullum puræ creaturæ meritum par eſſe poteſt uni peccato mortali. *ibid.*

PROP. VI. Peccatum eſt difformitas cum naturâ rationali. *ibid.*

§. 1. A peccato cor in lævam declinat. 48

§. 2. Aures, quæ eſſe debuerãt velut anſæ ad virtutem, fiunt præcipites ad malum viæ. 49

§. 3. Oculus, qui à naturâ animæ vigil & cuſtos eſſe debuit, à peccato fit inſolens illius prædo. 50

§. 4. Lingua quæ Dei organum eſſe debuit, fit inſtrumentum omnium vitiorum. 51

§. 5. Peccato inſcribitur manus, quæ Domino inſcribi debuit. 53

§. 6. A peccato deviat & errat pes hominis 54

PROP. I. Dies inanis & vacua. *ibid.*

PROP. II. Dies anonyma, dies abjecta. 55

PROP. III. Dies caliginis & tenebrarum. 56

PROP. IV. Dies mali dæmonis. 57.

Civitas peccati. *ibid.*

PROP. I. Civitas Caini. *ibid.*

PROP. II. Civitas Babylonis. 58

PROP. III. Civitas vanitatis. 59

PRO. IV. Civitas ſomniorum. 60

PRO. V. Civitas cæcorum. 61

§. 1. Sola corporis cæcitas non eſt in malis reponenda. 62

§. 2. Cæcitas mentis; ejus cauſa, & medela. *ibid.*

LIBER

LIBER TERTIUS.

Affectiones ac veluti quædam peccati proprietates.

Imago nomen, numerus, ſignum, character, ſtatua, dimenſiones, centrum, emblema peccatoris. 65

Imago peccatoris.

PRO. I. A natura & gratia imago Dei. 65
PRO. II. A culpa imago beſtiæ. 66
PRO. III. Potius eſt ponenda vita, quàm deponenda imago Dei, & admittenda imago beſtiæ. 67

Peccatoris nomen. 68

PRO. I. Antiqua nominis imponendi ratio, ejuſque finis. *ibid.*
PRO. II. Pondus, & omen boni malíve nominis. 69
PRO. III. Antichriſti nomen, nomen peccatoris. 70
PRO. IV. Nomen peccatoris, nomen beſtiæ. 72
PRO. V. Nomen peccatoris, Benoni, id eſt, filius doloris. 73
PRO. VI. Nomen peccatoris Saulus. 74
§. 1. Genuina Sauli & peccatoris notio. *ibid.*
§. 2. Genuina Pauli & juſti notio. 75
§. 3. Aliæ Pauli & juſti notiones è varia unius ejuſdemque nominis etymologia petitæ. 76
PRO. VII. Peccatoris nomen anonymum. 78

Numerus peccatoris 78

PRO. I. Numerus juſti eſt binarius. *ibid.*
PRO. II. Numerus injuſti ſeptarius ter repetitus. 79

Peccatoris character & ſignum. 79

PRO. I. Character peccati, nota ſervitutis. 80
PRO. II. Character Antichriſti. 81
PRO. III. Character Caini. *ibid.*

Peccatoris ſtatua, dimenſiones, centrum. 82

PRO. I. Statua ſalis. *ibid.*
PRO. II. Quatuor peccati dimenſiones, altitudo, longitudo, latitudo, profunditas. 83
PRO. III. Peccati centrum. *ibid.*
Emblemata peccati & peccatoris. 84
Primum emblema. *ibid.*
Secundum emblema. *ibid.*
Tertium emblema. 85
Quartum emblema. *ibid.*

LIBER QUARTUS.

Quidam effectus ſeu pœna peccati. 86

PRO. I. Magna cognatio culpæ & pœnæ. *ibid.*
PRO. II. Creaturæ omnes ab uno hominis peccato trahuntur in conſortium pœnæ. 87
PRO. III. Verum illud Dei vindicis pronuntiatum: *Pugnabit cum illo Orbis terrarum contra inſenſatos.* 88
PRO. IV. Antiquum, & longâ ſæculorum experientiâ probatum illud Vatis Regii pronuntiatum: *Multa flagella peccatoris.* 89

Pars prima quartæ Propoſitionis.
Explicantur flagella fortunæ. *ibid.*

Flagellum primum. Paupertas. *ibid.*
Flagellum ſecundum. Nominis oblivio & infamia. 92
Flagellum tertium. Privatio Regni, aliorumque dignitatis inſignium. 93
§. 1. Quæ ſit Regnorum inconſtantia? & unde? *ibid.*
§. 2. Eadem veritas confirmatur aliis teſtimoniis & exemplis. 95

PARS II. *Flagella corporis.* 97

Flagellum primum. Morbus. *ibid.*

Appendix ad primum flagellum.

Licèt morbus pro peccati pœna & flagello ſit; ſuavi tamen Dei providentia etiam eſt pro remedio. 99
Flagellum ſecundum. Peſtis. *ibid.*
Flagellum tertium. Sterilitas. 101
Flagellum quartum Fames. 103
Flagellum quintum. Bellum. 105
Flagellum ſextum. Servitus. 107

Appendix.

Quæ peccati ſervitus, quàm gravis & ignominioſa?
Quæ Dei libertas, quàm ſuavis & auguſta? 108
Flagellum ſeptimum. Vita brevis & contracta. 109
Flagellum octavum. Mors. 110
Flagellum nonum. Fœtor animæ ex peccato proveniens. 112

PARS III. *Animi flagella.* 113

Flagellum primum. conſcientiæ remorſus. *ibid.*
Quid ſit conſcientia. *ibid.*
Flagellum ſecundum. Timor. 115
Flagellum tertium. Horrifica ſpectra, & tetræ ſcelerum patratorum imagines. 116
Flagellum quartum. Dolor. 117
Flagellum quintum. Pudor. 119
Flagellum ſextum. Deordinatio potentiarum animæ, earumque vulnera. 121
Flagellum ſeptimum. Deletur peccator de libro vitæ. 123
§. 1. Sitne liber vitæ ac mortis, & quis ille? *ibid.*
§. 2. Ipſa venerandæ antiquitatis fide atque exemplis probatur Liber Vitæ & Mortis. 124
§. 3. Quàm horrendum ſit deleri de libro vitæ, & libro mortis inſcribi. 125
§. 4. Eadem veritas declaratur opportuna ſimilitudine. 126
Flagellum octavum Privatio divinæ amicitiæ. 127
§. 1. Quid ſit amicitia, & quàm inter homines rara. *ibid.*
§. 2. Admitti ad divinam amicitiam quantum ſit bonum? quantumque malum ab ea excidere? 128
Flagellum nonum. Deperditio gratiæ & virtutum infuſarum. 130
Flagellum decimum. Mortificatio meritorum omnium præcedentium. 232
Flagellum undecimum. Peccatum lethale conſtituit hominem in eo ſtatu in quo mereri non poſſit. 134
Flagellum duodecimum. Peccatum eſt peccati pœna, eaque longè maxima. 135
Flagellum decimum-tertium. Ignorantia, & mentis cæcitas. 137
Flagellum decimum-quartum. Malitia & obduratio. 138
Flagellum decimum-quintum. Impœnitentia finalis. 140
§. 1. Non eſt differenda pœnitentia ob brevitatem & incertitudinem vitæ. *ibid.*
§. 2. Non eſt differenda pœnitentia ob paucitatem eorum qui in fine vitæ convertuntur. 141
§. 3. Finalis impœnitentia exemplis oſtenditur. 142
PRO. V. Verum illud Sapientis: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* 144

PARS I. *Inanimata, quæ ſerviunt culpæ, ſerviunt & pœnæ.*

§. 1. A terra torquetur, qui à terra peccat. *ibid.*
§. 2. Eluit aqua quod aliquando polluit. *ibid.*
§. 3. Purgat ignis quod aliquando infecit. *ibid.*
§. 4. Auro punitur qui auro peccat. 145
§. 5. Exilium patitur, qui alteri injuſtè exilium intentat. *ibid.*
§. 6. Capite minuitur qui alterum per nefas minuere parat. *ibid.*

§. 7. E Tau-

§. 7. E Tauro mugit Taori crudelis artifex. 146
§. 8. Pugio nocceotem fetit, parcit innocenti. *ibid.*
§. 9. Laqueo præfocatur qui alieri laqueum nectit. *ibid.*
§. 10. Qui io altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet. *ibid.*
§. 11. Veneno vitam amittit, qui alteri venenum fundit. *ibid.*
§. 12. Qui loiqoas leges condit, iis ipſis legum vinculis tenetur, & malè perit. 147
§. 13. Sacrilegio ſuo punitur ſacrilegii reus. *ibid.*

PARS II. *Membra, quæ fuerunt olim arma iniquitatis peccato, fiunt arma Divinæ juſtitiæ ad vindictam.* ibid.

§. 1. Dextram amittit, qui dextram perfidus dedit. 148
§. 2. Oculis orbatur, qui in ſuos oculos peccat. *ibid.*
§. 3. Naſo mutilatur, qui naſom alteri abſcidit. *ibid.*
§. 4. In lingua punitur, qui à lingua peccat. *ibid.*
§. 5. A capillorum luxu, ab ambitione, à venere qui peccat, ab iis & punitur. 149
§. 6. Qui per ſcelus, alienum ſanguinem effundit, ſuum effundet. *ibid.*
§. 7. Per animantia qui peccat, per ea & torquetur. 150
§. 8 Filius qoi in patrem peccat, à filiis punitur. *ibid.*
§. 9. Conſilium malum conſulton peſſimum. *ibid.*

LIBER QUINTUS.

Opportuna peccati remedia. 151

PRO. I. Memoria mortis præſens peccati remedium. 151
§. 1. Memoria mortis commendatur auctoritate tum profana, tum ſacra. *ibid.*
§. 2. Eadem mortis memoria commendatur virorum priocipum exemplis. 152.
§. 3. Fructus uberes, qui proveniunt ex perenni mortis memoria. 153
PROP. II. Meditatio æternitatis opportunum animæ periclitanti remedium. 154
§. 1. Quid ſit Æternitas? Æternitatis Symbola, deſcriptiones & definitio. 155
§. 2. Quos humanæ menti fructus inferat meditatio æternitatis. *ibid.*
PRO. III. Conſideratio ultimi Judicii eſt pro peccati remedio. 158
PRO. IV. Timor Dei & pœnarum, peccati medela. 159
§. 1. Quid ſit timor Domini? 160
§. 2. Timor Dei alius filios probat, alius ſervos arguit. 161
PRO. V. Spes præmii & æternæ vitæ à peccati illecebris revocat. 162
PRO. VI. Amor divinæ legis ſcelus omne in odium vocat. *ibid.*
PRO. VII. Turpitudo peccati ad ejus fugam impellit. 163
§. 1. Quantum malum turpitudo, etiam ſolius corporis? *ibid.*
§ 2. Quæ turpitudo meotis, & quantum ea ſit malum? 164
§. 3. Unde tanta turpitudo mentis? *ibid.*
PRO. VIII. Pulchritudo virtutis, ejus amorem conciliat, & ingens peccati odium creat. 166
§. 1. An pulchritudo corporis ſit bonum, & quantum. *ibid.*
§. 2. Quantum bonum pulchritudo virtutis? *ibid.*
PRO. IX. Vigil & apertus Dei omnia contuentis oculus, peccatori frænum eſt. 168
§. 1. Vis & perſpicacia divini oculi. *ibid.*
§. 2. A peccato revocat vel unus Dei conſpectus. 169
§. 3. Deum quaſi cæcum & abſentem fingit peccator, ut liberiùs audeat peccare. 170
§. 4. Non eſt venia dignus, qui peccat in conſpectu Domini. 171
PROP. X. Pœnitentia ſalutaris. *ibid.*
§. 1. Qua ratione ab optimo parente filius prodigus, à Deo diſcedat peccator. *ibid.*
§. 2. Qua via, quibuſve gradibus ad parentem filius Prodigus, ad Deum peccator redeat? 172
§. 3. Quibus viis peccatorem ad pœnitentiam adducat miſericors Deus. 173
§. 4. Quàm periculoſum ſit non ingredi vias illas ſalutaris pœnitentiæ. 174
PRO. XI. Quod ferocienti jumento frænum eſt, hoc animæ peccatrici jejunium. *ibid.*

FINIS.

ARGU-

ARGUMENTUM
ET FINIS
TOTIVS OPERIS.

QUæ his Libris dicturus ſum, ea ferè ad duo capita revocavi. Ad veterem & novam Ideam peccati & peccatoris.

Pro vetere erunt deſcriptiones variæ, quibus olim Scriptura, & Antiqui uſi videntur. Hanc nos veterem Peccati Ideam appellabimus, quia ab Antiquioribus ficta & uſurpata.

Pro nova ſuggeremus definitiones Theologorum, quibus ejus naturam preſſiùs examinant, & ex ſeverioris Philoſophiæ legibus definiunt. Eam dicemus Ideam novam; quia recens inventa & excuſa.

Subjiciemus deinde nonnulla de Imagine, nomine, charactere, ſtatua, dimenſionibus, c utroque Peccatoris.

Denique ad extrema rejiciemus ea, quæ facere videntur ad pondus, pœnam, imò & medelam illius vulneris, quod à peccato in anima relinquitur.

Et hæc de argumento: de fine etiam pauca. Is fuit odium, & fuga peccati. ut eam tibi ſuaderem, Amice Lector, feci hac in palæſtra, quod in ſua ſagittarii ſolent. Ii è divite pharetra alias atque alias ſagittas educunt, ſed quæ omnes in eundem mittuntur ſcopum: neque tamen ideò improbantur (imò probantur magis) ſi aberret, ſi excidat nulla. Ita mihi futurum perſuadeo, non tam meâ, quàm tuâ gratiâ, favoreque. Vbi varias Propoſitiones legeris, & quidem ſibi proximas atque affines, non improbabis: ſed credes tot eſſe veluti germanas ſagittas, quæ in peccatum, ceu ſcopum ferantur: nec eas aliò verti voles, aut teipſum nauſeâ tædióve affici patieris ipſa ejuſdem argumenti ſimilitudine; ubi adverteris parum, aut nihil intereſſe, diverſanè an eadem via petatur ſcopus, modò impetatur. Et iſta quidem de argumento, fineque. De ſtylo: is humilis erit, non elatus: nec enim hîc Oratorem agimus, ſed libellum pium meditamur & cudimus. In eo ſi quid eſt boni, manavit illud è purioribus Scripturæ ſacræ & Sanctorum Patrum fluentis: ſi quid minùs defæcati è calamo noſtro effluxit, huic veniam dabis, & illis aures animoſque benevolos concedes.

PRO-

PROŒMIUM.

DIcitur olim inconſtantia cœlo pulſa, & in hanc terræ molem abjecta, eam omnem levi pede circumluſtraſſe, ſi qua fortè ejus parte ſedem figeret, ſibiq́; legeret domicilium. Dum omnia celeriùs obit, luſtratq́; diligentiùs, in pictoris alicujus officinam incurrit, & ſubſtitit: nimirum amare & mirari cœpit adeò bellè expreſſos quà hominum quà ferarum vultus, ora, formas; quas inter & ſuam appingi voluit. Tum pictor defixis in eam oculis, ubi ſemper variam, & nunquam conſtantem Inconſtantiam vidit, negavit omninò pingi poſſe, quòd alium ſemper atque alium colorem indueret, alios vultus & ſpeciem aſſumeret: modò enim contracto, demiſſo, gibboſo corpore; modò explicato, ſublimi, erecto, modò fuſco, nigroq́; colore; modò albo & candicanti ſeſe viſendam exhiberet, à ſe ipſa ſemper alia. ſemper diverſa. quis eam penicillus expreſſiſſet? quis imbuiſſet color? quis pictor efformaſſet?

Næ ſi Apelles (inquit) hic foret, teipſam tibi redderet, nec arte fingeret. Quare hinc pedem, hinc mentem amove. Abiit illa, & ad eam quæ in propinquo erat temporis officinam deflexit: erat ei quæ ſenis eſſe ſolet ſpecies, gravis, annoſa, vetuſta; multos enim Soles Lunasq́; viderat, longo rerum uſu ſæculorumq́; lapſu peritiſſimus. Ab eo ſe fingi pingiq́; voluit. Dum operosè quæritur tabella, quæ Inconſtantiæ imaginem exciperet; occurrit homo, quo pro tabella dum utitur tempus, ei Inconſtantiæ imaginem impreſſit.

Ex quo factum, ut deinceps audiverit homo imago inconſtantiæ. Hæc eſt fabella, doctumq́; commentum: ex quo tamen ea veritas elici poteſt.

Quod inconſtantiæ, hoc omni culpæ proprium ac ſingulare: verſicolor eſt, varia, mutabilis, & ſua tantùm inconſtantia conſtans; alio ſemper atque alio vultu, forma, figura, colore. ex quo unum illud conſequi neceſſum eſt, ut à quoquam in nativa ſpecie vix pingi poſſit, vix calamo exprimi, vix mente concipi: alienis utendum erit coloribus, & mutuato vultu, ut hac veluti larva tectum atq́; obductum ſcelus in ſcenam prodeat. Prodibit autem, & quam à tempore, quam ab hominis vitio naturam hauſit, efferet in lucem, in conſpectum Solis hujus: quod ubi fecerit, obtinebit illud, ut ſaltem hinc videat homo, hinc norit infelix peccator, cujus ſit & eſſe velit tabella, cujus imago; & qui potuit, debuitq́; eſſe imago Dei, ſit abjecta, deformis, efferaq́; imago peccati.

JACOBI

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI.
OPUS MORALE DE PECCATO.

LIBER PRIMUS.
Vetus Idea peccati.

DIVINA Providentia, quæ humanis rebus & commodis numquam indormit; ut nos à peccati labe noxâque longiùs avocaret, ejus naturam, malignam vim, fœditatem, ac damna depingere, & oculis, animisque ſubjicere voluit. Quod ut molliùs, & accommodatiùs faceret, à rebus inanibus, abjectis, noxiis, atque à natura abhorrentibus colores mutuatos ſumpſit. Eos è Scriptura ſacra petemus, tibique, Lector benevole, proponemus.

PROPOSITIO I.
Peccatum eſt Nubes.

Thren. c. 3. v. 44. *Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio tua.*

Iſai. c. 44. v. 22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.*

LUXIT olim Jeremias, & altùm ingemuit eò cæcitatis, dementiæ ac malorum veniſſe populum, ut ſibi cælum, Solémque communem eriperet. *Oppoſuiſti*, inquit, *nubem tibi, ne tranſeat oratio tua.* Quæ fuit illa nubes objecta ſoli, & orationi impervia? peccatum fuit, quod ex vero nubes fuit.

§. I.
Quæ ſimilitudo Nubis, & peccati?

PHiloſopho nubes eſt addenſatus vapor, qui è locis humentibus ad mediam aëris regionem æſtu Solis & aſtrorum evocatus, circumſtante frigore concreſcrit, atque addenſatur; ab ea hoc malum Univerſo.

Primùm aſpectui noſtro ſubducit amœnum illud phœbi jubar, cœli lucem, orbis oculum: tum deinde horrendo fragore, tonitrúque immugit, & maria ipſa, montiúmque juga concutit; quæ non ſine horrore, gemitúque repercuſſa ſonum reddunt, & quandoque iterum, ac ſæpiùs geminant. Tum denique diſruptis quaſi viſceribus, effractóque aqueo illo carcere liberum ignem evomit, fulgur educit, & immania vibrat fulmina, quæ non ſemel lapidem, cuncúmque vehunt ad animalium hominumque ſtragem. Et hæc Orbi à nube pernicies, quamquam etiam major à peccato.

Educitur illud è paluſtri terra, humenti ſolo, aq eo ſinu humani cordis, & in atrum tetrúmque vaporem effingitur, ac tollitur inſolenti libidinis æſtu. Et hæc prima labes.

Accedit & altera: Solem illum æternum, & bonæ mentis oculum; Dei, inquam, aſpectum, amicam lucem, ſuaves æſtus, divinos influxus adimit, velut objectu denſi corporis, quod cœlum à terra, hominem à Deo dividat. & illud omni culpæ lethali vitium eſt; ſed & aliud quod ad pœnam facit.

Ut enim nubes imbrium, grandinum, tonitruum, fulgurum, fulminúmque eſt fœcunda parens, & ſuo ſinu gremióque parit ignem, quo tota diſſiliat ac diſrumpatur: ita qui peccatum concipit; tonitru parit, fulmina cudit, igneóque flammarum globos ac vortices, quibus implicetur, ac pereat. Eos olim præſenſiſſe videtur, cæteroquin patiens Jobus, ita enim queritur: *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* (Cap. 6. v. 4.) qui tamen eò loci ac temporis umbra tantùm fuit, & typus peccatoris: contra quem mirum quantum acriùs è nube velut arcu cæleſti ſagittas ſuas & fulmina iratum Numen emittet: *Pugnabit* enim *cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* (Sap. c. 5. v. 22.) *Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tamquam à benè curvato arcu nubium exterminabuntur. Et à petroſâ ira plena mittentur grandines.*

Credidit antiquitas iratum Jovem tonare, fulminare, ut vel impios ac perjuros ulciſceretur, vel in ſacrorum violatores juſtè deſæviret: & inde manavit in vulgus ea opinio, ut quæ fulmine tangerentur, nefaſta, & malè ominata haberentur.

Quæ perſuaſio ſi vera eſt, nefaſtus, & malè ominatus fuit Lutherus, qui adhuc adoleſcens fulmine tactus eſt; quo ſi periiſſet, non eam Eccleſiæ Chriſtianiſque mentibus ſtragem attuliſſet: ſed ut ut ſit de Luthero, (Coclæus in geſtis Lutheri.)

Nefaſtus profectò, & ſceleſtus fuit Anaſtaſius Imperator hæreticus, qui & ipſe fulmine percuſſus interiit.

Nefaſti denique & Ægyptii, aliíque, quos ingenti ſaxeáque grandine cœlum ita obruit, ut ſub uno Joſue, plures grandine quàm ferro ceciderint. Nimirum è cœleſti nube tonat, fulminat, grandinat Deus, ubi terrenâ peccator intumeſcit. (Exod. c. 9. v. 18. & c. 10. v. 11.)

Mallet equidem (quæ ſumma ejus bonitas eſt atque indulgentia) pacificam eſſe & innoxiam nubem; qualem eſſe voluit cœleſtem arcum, teſtem pacis, fœderis indicem, de quo ait D. Ambroſius:

Arcum meum ponam in nubibus; idò dicit arcum non ſagittam ponam. Arcus enim inſtrumentum jaculandæ ſagittæ eſt: itaque non ipſe arcus vulnerat, ſed ſagitta.

S. Ambroſ. l. de Noe & Arca, c. 27.

Ideò Dominus in nubibus arcum magis, quàm ſagittam ponit: id eſt, non illud quod vulneret, ſed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non ſoleat.

Quòd ſi adeò duræ cervicis, perditæ mentis es, ut cœlum ipſum in arma provoces; priuſquam eò labaris temeritatis & periculi, ex te quæro: *Numquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparavit* Deus *in tempus hoſtis; in diem pugnæ, & belli?*

Iob. c. 38. v. 22, 23.

Si ingreſſus es & tamen pergis: Perge porrò, & peti; ſin minùs, ingredere primùm; & pedem retroſlectes, nec cum ſuperis pugnare audebis.

§. II.

Quæ nubium differentiæ, quæ deinde peccati?

Divus Chryſoſtomus de hoc nubium inter ſe diſcrimine chriſtianè philoſophatur:

Tom. 2 in c. 7. Matth. Hom. 20. Pſal. 17.

Sunt nubes, inquit, *quæ à Spiritu ſancto excitantur; & ſunt nubes, quæ à ſpiritu poteſtatis aeris, ſicut dicit Propheta: Tenebroſa aqua in nubibus aeris. Nubes enim quæ à Spiritu ſancto excitantur, candidam bajulant aquam; id eſt veram & ſanctam doctrinam, quæ à ſpiritu poteſtatis aeris, tenebroſam bajulant aquam; id eſt falſam & impiam doctrinam, quæ non illuminat, ſed tenebreſcere facit mentes eorum qui ſuſcipiunt eam.*

Hæc aureâ eloquentiâ Chryſoſtomus, cui iſta ore melleo D. Bernardus addit:

Serm. 58. in Cant.

Sicut ſunt & bonæ & malæ arbores, ferentes quæque fructus pro ſui diſſimilitudine; bonæ videlicet bonos, & malæ malos: ita & arbitror nubes & bonas quæ bonos, & malas quæ malos pluunt imbres. Et vide ne fortè innuerit nobis hanc nubium imbriumq; differentiam, qui dicebat: Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper eam. Cur putas adjunxiſſe ſignanter, meis? niſi quia ſunt & malæ nubes, quæ non ſunt ejus; videamus quæ ſint illæ.

Iſai. c. 5.

§. III.

Quæ nubes malæ.

E Nubibus quædam ſunt ſicciores, evanidæ, atque infœcundæ; quæ tametſi pluviis, ventis incitentur, non tamen effundunt imbres, ſed in aëris naturam faceſſunt.

Ita mortales inter plerique ſunt, in quos illud D. Petri quadrat: *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur.*

2. Petr. 2.

In quæ verba D. Auguſtinus: *Petrus fontes ſiccos appellat; fontes videlicet, quòd acceperint agnitionem Domini Chriſti; ſiccos autem, quia non congruenter vivunt. & quod Petrus fontes ſiccos, hoc Iudas nubes ſine aqua, hoc Iacobus fidem mortuam.*

Lib. de Fide & opere, c. 25.

Dicuntur eæ nubes turbinibus agitari, omni vento circumferri, quia leviuſculæ ſunt, quia feruntur quolibet aura doctrinæ, & venæ gloriolæ, quia citiſſimè prætervolant. Ab his nubibus abire nos jubet S. Athanaſius: *Secedamus*, inquiebat, *paululum (ò amici) eſt enim nubecula quæ citò præterit, & evaneſcit.*

D. Iulian. Apoſtata.

Dicuntur deinde ſine aqua, quia ſteriles ſunt, & infœcundæ. De his etiam D. Bernardus: *Philoſophorum* (inquit) *ventoſa loquacitas, non bonus imber eſt, qui ſterilitatem magis intulit terris, quàm fertilitatem: multò magis prava dogmata hæreticorum, mali imbres ſunt, quæ pro fructibus ſpinas producunt & tribulos: mali imbres etiam traditiones Phariſæorum, quos Salvator redarguit, & ipſæ nubes malæ.*

Serm. 58. in Cant.

Venio ad alias nubium differentias, quas perſequitur Plinius.

Nubium, inquit, *aliæ grandinant, aliæ ningunt, tonant aliæ, aliæ fulgurant, fulminant quædam, ventos aliæ, aliæ imbres generant; quædam concipiunt lucem, quædam pariunt tenebras.* Lib. 2. c. 63.

Ejus generis fuit ea peccati nubes, quæ Judæos olim oppreſſit: gravior illa fuit, immanes nimbos admiſit, ignes concepit, fulmina emiſit, & ingenti tonitru immugiit, orbémque univerſum atra nocte tenebriſque texit.

Tolle, inquiebant olim, *tolle, crucifige eum. O nubes violentas, & turbidas* (exclamat Bernardus) *ô imbrem procelloſum, ô torrentem iniquitatis! Nubes* omninò *violentas*, quæ non aquam; ſed ſanguinem pluunt, & divinum quidem, non guttatim, ſed torrentis inſtar effundunt. *Nubes turbidas*, quæ in ſacratiores Dei humeros, reliquúmque corpus omne crudelibus flagellis, loriſque ferreis, ſeu grandine depluunt. *Imbrem procelloſum*, qui è capite, è fronte, è toto corpore, violento, cruentóque ſudore diffuſus eſt. *Imbrem procelloſum*, qui & veſtimenta, & terram ipſam non modico lentóque rore imbuit, ſed torrentis ad modum obruit. Aſtupuit illa & erubuit, ubi cruentum hauſit imbrem, ſéque ipſa ſuóſque culpavit. *Torrentem iniquitatis*, qui non tantùm in terras & maria; ſed in ipſos quoque cœlos evaſit, & Solem ac Lunam, geminos orbis oculos objecta nube texit, tenebriſque damnavit. Eſt ſanè quòd eum ipſe damnes, & horreas. Ibidem.

Sed iſta, inquies, faciunt ad immanem Judæorum perfidiam, ad barbaras illas, & humanis auribus animiſque diſſonas voces:

Tolle, tolle, crucifige. Non ea cuique peccatori tollitur, & cœlo inſurgit nubes, non eæ jactantur in æthera voces.

Ne te adeò pernicioſus deludat error, ne ſpes fallat humanitatis; hominem cauiſti, qui peccas, ſurſúmque ingeminas illud:

Tolle, tolle, crucifige; nec enim alia peccati vox eſt quàm ſanguinis, ut infrà magis eluceſcet.

§. IV.

Quæ Nubes bonæ.

Alia nobis propitio & ſereno cœlo aſſurgit nubes; levior illa, fœcunda, & irriguo humore ſcatens. Ea primùm erit Virgo Mater, cujus umbra typuſque fuit ea columna, *quæ nubis ſpecie quidem præcedebat filios Iſraël, myſterio autem ſignificabat Dominum* Jesum, *in nube venturum levi, hoc eſt in Virgine* Maria, *quæ nubes erat ſecundum hæreditatem Evæ, levis erat ſecundum Virginis integritatem, levis erat, quæ non in iniquitate conceperat, ſed ſpiritu ſuperveniente generabat; nec in delicto, ſed cum gratia parturiebat.* Ita D. Ambroſius. In Pſal. 118. Serm. 5.

Hujuſce nubis, & innoxii partus ſymbolum, pictor in area tabellæ ita expreſſit.

Nubes erat rorida, & inſtar ſpeculi opaci, quæ Solem exhibebat, vel ex eo tantùm quòd eam Sol reſpexiſſet; addita erat tabellæ hæc epigraphe: *Quia reſpexit.* hoc Virginis, hoc Deiparæ, hoc nubis noſtræ ſymbolum eſt. Sol in eâ generavit Solem, *quia reſpexit* Deus *humilitatem ancillæ ſuæ.* Ab eo habuit Chriſtus ut & ipſe nubes eſſet. De quô D. Ambroſius: Sylveſter petra-ſancta in ſymbolis. lib. 1. Luc. c. 1.

Venit in nube Chriſtus in Ægyptum, hoc eſt venit in ſuſceptione corporis in hoc ſæculum. in nube venit, quem nubula corporis obumbrat? ſed levis erat caro, quàm nulla ſua gravabant delicta.

A Virgine, à Chriſto ſortiuntur Sancti, quòd & ipſi nubes ſint: tum quia ſicut nubes volant; tum etiam quia rore gratiæ ſpiritualis humeſcunt: tum denique quia eos virtus ardua, ſupra quidquid eſt mortale, & terrenum, evexit.

Ut enim idem Divus Ambroſius:

Super

Lib. de fuga mundi

Super mundum eſt juſtitia, caſtitas, bonitas, ſapientia. Diſtantem ergo in hoc mundo, ſuper mundum eſſe. & ſi corpus gerimus, volitet in nobis animus volucris.

§. V.

Quæ nubium prognoſtica, quæ etiam peccati?

PLinio variæ ſunt nubium imagines, motus, ſitus, locus, conjunctio, diſperſio etiam varia, alius etiam color, atque alius: in his ater, in illis candor eminet.

Ea porrò ſeu coloris, ſeu figuræ, ſeu etiam motus varietas in illis cernitur, prout admixtus ignis

Plin. l. 18. c. 35.

ſuperat aut vincitur: *Cælo ſereno nubecula quamvis parva ventum procelloſum dabit.*

3. Reg. c. 18 v. 44

Quod ipſum Elias puero ſuo notandum olim exhibuit: *Ecce*, inquiebat, *nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.*

Nubem audiviſti, audi & prognoſticum: vix ſeſe huc atque illuc verterat puer, cùm *Ecce cæli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grãdis.*

Seneca

Quod etiam Poëta bellè expreſſit, dum cecinit:

Exigua nubes ſordido creſcens globo,
Nitidum cadentis inquinat phœbi jubar.

Ex hoc primum à nube prognoſticum: aliud accipe:

Ibid.

Si in cacuminibus montium nubes conſideant, hyemabit; ſi in vallibus ſederint, ſerenitatem promittunt.

Denique ſi nubes Solem circumcludant, quantò minus luminis reliquerint, tantò turbidior erit tempeſtas: ſi in exortu rubeſcant, maxima tempeſtas oſtendetur: ſi Sol in exortu longè radios per nubes porriget, & medius erit manis, pluviam ſignificabit.

Hæc Plinius de nubium varietate, & præſagiis: ex quibus aliquid in rem meam deduco; ſi enim animæ peccatum eſt, quodætheri nubes; eadem huic & illi prognoſtica eſſe neceſſe eſt, è quibus hoc eſto primum. Si ſereno cœlo, id eſt, bonæ & puræ menti, nubecula quamvis parva ſuffundatur, ſi peccatum etiam leviuſculum irrepat; tumeat illa ventos procelloſos, graviores à ſcelere tempeſtates: ut enim derepentè in nubem non cogitur cœlum, ita nec ſubito lapſu fit aliquis peſſimus; ſed pedetentim adrepit peccati nubecula, quaſi veſtigium hominis.

Quòd ſi ea in cacuminibus montium, id eſt; in ſuperbis & elatis mentibus conſederit, dubio procul hyemabit, ſeſe exonerabit in pluvias, in nimbos omnium ſcelerum ac pœnarum.

Sin autem in vallibus quieverit in animo humili & contrito; tum quæ benignæ cœli influentiæ, qui Solis hujus ardor eſt, quæ Dei bonitas & conniventia ſerenitatem prominit, veniam pollicetur.

Quòd ſi tamen ea ſcelerum ſit nubes, ſi adeò denſa, & opaca, ut Solem propè circumcludat, ut lumen omne divinarum inſpirationum extinguat; quantò minus in animo luminis requiritur, tantò vehementior tempeſtas erit expectanda.

Sin denique per ipſa nubium intervalla, & inane rari corporis ſeſe inſinuet aliquis divini Solis radius, ſi nubem ſecet mediámque dividat: tum verò pluviam, & opportunum imbrem ſignificabit.

Quod in nube, hoc & in animo: ſi ille peccatis non adeò ſit obſitus, ut Soli, ut ſuperno lumini invius eſſe videatur; ſed quandoque ſe eo tingi patiatur, ſi effuſam cœlo lucem admittat, laxabit tandem ſeſe, & totum in flumina lacrymarum, & ſalubres pœnitentiæ fontes aperiet.

Ita quondam ſeſe aperuit David: ubi enim de peccati nube tonantem audiit Prophetam Nathan, hanc pœnitentis animi vocem emiſit: *Peccavi Domino.* ab ea vocis potenti tonitru evicta diſruptáque omnis peccati nubes, ſeſe in pluvias, in nimbos lacrymarum effudit.

Quæ Davidem olim, eadem deinde Magdalenam occupavit: ſed ea, quæ Soli, quæ Chriſto pervia foret, quæ imbres daret, & torrentes lacrymarum, quibus omnes anteactæ vitæ maculas elueret.

Ea quoque peccati nubes ipſi Petro incubuit. Erat ille altus ex humili, ex aquis evectus ad montium, imò & cœli culmina: nemo unus ſuſpicari potuiſſet, eò vel leviſſimi peccati nubeculam evadere potuiſſe; evaſit tamen, & ipſam Eccleſiæ petram ejúſque verticem involvit, in eóque dubio procul hyemaſſet, ſeſe in nives, in grandines, in longas & acerbas hyemes explicaſſet: ſed opportunè *reſpexit Dominus Petrum, & egreſſus foras flevit amarè.*

Uno oculorum conjectu, velut emiſſo purioris Solis radio, omnem illam peccati nubem pervaſit, disjecit, diſſipavit, & in pœnitentiæ lacrymarúmque fluenta reſolvit.

Ea denique nubes etiam Auguſtinum invaſit: at ubi primùm illa divinis radiis patuit, in lacrymas, & maturos imbres ſolvi cœpit.

Incurrerat fortè in ea verba D. Pauli: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulemus non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum* JESUM-CHRISTUM, *& carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Ad Rom. 13. v. 12. 13. 14.

Iis commoveri, agitari, percelli cœpit, nec ſeipſe ſuſtinens in pedes.

Ego, inquit, *ſub quadam fici arbore ſtravi me, neſcio quomodo & dimiſi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile ſacrificium tuum. & non quidem his verbis, ſed in hac ſententia multa dixi tibi, & tu Domine uſquequò? uſquequò iraſceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum: ſentiebam enim me ab eis teneri, & jactabam voces miſerabiles, quamdiu, quamdiu cras, & cras? quare non modò? quare non hac hora finis turpitudinis meæ.*

Nimirum è cœlo illapſus erat ignis in Auguſtinum, & animo adhuc peccatis obſeſſo, velut frigida quadam nube incluſus, ejus latera vehementer quatiebat. hinc illæ voces, illud tonitru pœnitentis animi: quod ubi ſatis inſonuit, pluviam dedit, & in denſos lacrymarum imbres ſeipſe explicuit.

Dicebam, inquit, *hæc, & flebam amariſſima contritione cordis mei.*

Ubi lacrymis ſparſa, & effuſa nubes omnis, tum ſua cœlo, id eſt Auguſtino ſerenitas rediit: ait enim: *Statim quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat: ejiciebas enim, vera tu & ſumma ſuavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.*

Hæc ſibi, & ſerenitati redditus Auguſtinus, cui tum uſu venit quod aliàs nubibus ſolet. Suas illæ è mari hauriunt aquas, eáſque ſalſas & amaras; quas deinde non ſine fœnore dulces & ſuaves reddunt, ut proinde illis quàm optimè conveniat ſymbolum illud, quod Academia Romana ſuum eſſe voluit.

Eſt Roma Orbis domina, Urbium princeps, morum magiſtra, fidei ſpecula: in qua ut religio; ita & politiores litteræ florent. in ea audiuntur Humoriſtæ academici, qui hoc ſibi ſymbolum, quaſi litterariæ legionis vexillum erexerunt. Pinxerunt ſublatam è mari nubem, eámque rorantem, ac pluentem; & aquæ, quæ antea fuerat amarior, circumſcripſerunt hoc hemiſtichium: Sylveſter petra ſancta de ſymb. l. 9.

Redit agmine dulci.

Quo ſymbolo indicatum voluerunt, quod ipſi è communi hominum ſorte tamquam è vaſto mari Academiæ beneficio elati, mutarint priorem inſcitiæ

amaritiem,

amaritiem, in ſapientiæ dulcedinem quandam: ex qua liquidò etiam aliorum animi dulceſcant.

Ita pœnitentiæ beneficio accidere ſolet. Quæ è mundi corruptela, ſeu inſulſo mari trahuntur aquæ, inſipidæ, ſalſæ, amaræ, eæ poſtmodum puræ, defæcatæ, ſapidæ, dulcéſque refluunt; eóque fluxu omnis illa peccati nubecula, quæ cœlo inſurrexerat evaneſcit, itáque explicata mente, auréque libera audimus illud:

Iſai. c. 44. v. 22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.*

PROPOSITIO II.
Peccatum eſt nox.

Sap. 5. v. 6. *Erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.*

A Nube aquea noſtris oculis ſubduci ſolet & Solis & lucis aſpectus; non tamen omninò tolli. Major aliqua peccato malignitas, à quo & Sol nobis occidit, & ipſa lux animæ perit, atque extinguitur, denſaque ac tartarea nox ei penitùs incumbit.

§. I.

Quæ noctis inſtitutio, quis finis ex natura, ex virtute?

SI ex naturæ & aſtrorum curſu, ſi ex ipſa dierum noctiúmque viciſſitudine, illarúmque lege viveremus, nox omnis amica, & fortunata foret; eſt enim ea quieti data, & opportuno à laboribus otio, cùm reliquum diei lucisque in curia & negotiis exigatur. Atque hoc primum à nocte eſt boni, & quidem ex ipſa naturæ inſtitutione.

Alterum ex virtute eſt, quòd ideò diem lucémque excipere nox ipſa videatur, ut ſi fortè quis interdiu deſipuit, noctu reſipiſcat; & ſi à Sole diurnóque æſtu contracta ſit aliqua labes & macula, ex beneficio noctis eluatur, prudente ſcilicet conſilio, maturáque providentia, quam noctis ſilentium inferre ſolet.

Inde apud Heſiodum, & Euripidem nox dicitur εὐφρόνη, ἀπὸ τοῦ εὐφρονεῖν: quod eſt benè ſapere, probè ſentire, prudentem eſſe; quòd ſcilicet optima conſilia nocte inſtituantur, cùm animus liber eſt & vacuus à curis, ſibique quodammodo reſtitutus. Ex quo manavit illa paræmia: ἐν νυκτὶ βουλή, *in nocte conſilium*: conſilium dico, & animæ quidem ſalubre, quod uſurpavit ille qui monuit: *Quæ*

Pſal. 4. v. 5. *dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.*

Eſt cor humanum caloris & affectionum omnium officina, ſuos habet æſtus, ſuos ignes & incendia, quæ interdiu plus æquo tolluntur, & inardeſcunt; ea ſopiri, extingui decet concubia nocte, aut ſaltem in jus vocari, & ad conſcientiæ tribunal revocari. Sic vel ipſa natura duce feciſſe legitur Sextius Seneca, qui exacta die cùm ſeſe ad noctem, & ſomnum reciperet, ita ſeipſum compellare ſolebat: *Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? quâ parte melior es?*

Idem cenſuit, idem fecit Pyrrho Elienſis, qui interdiu cum aliis collocutus, noctu ſecum ipſe loquebatur, tacitúſque cogitabat, qua ratione bonum nox faceret, quem dies aliquod malum vidiſſet; hinc rogatus aliquando quid ageret? ſcitè reſpondit: *Meditor ut bonus ſim.* Quod Seneca fecit, quod in

De Senectute. vita expreſſit Pyrrho, hoc docuit orator Romanus: *Quid quaque die dixeris, audiveris, veſperi commemorandum*, inquit.

Ita denique, ut à profanis diſcedam, ſuo exemplo faciendum docuit Propheta Regius, cujus illæ voces omninò dignæ quæ omnium oculis & animis uſurpentur.

Meditatus ſum nocte cùm corde meo. Cur, inquies, cum corde? cur nocte? ſcilicet interdiu ubi Sol altiùs aſſurgit, illuceſcit dies, occupatur animus *Pſ. 76. v. 7.* cum ſenſibus ſui corporis, in oculos evadit, per aures elabitur, & in res externas effunditur totus; nec in ſe, ſed extra ſe quodammodo habitat. At verò nocte ad ſeipſum redit, agit cum ſeipſo, cum corde tacitus, & ſine ſtrepitu meditatur, & loquitur, optimáque conſilia inſtituit; nox enim opportunæque tenebræ iis adſtipulantur, & favent.

Rationem ſi quæras, hanc è naturæ gremio quæſivit, & invenit Clemens Alexandrinus: *Quia anima tunc ceſſans convertitur ad ſeipſam, & eſt magis prudentiæ particeps.* *L. 4. Stromatum.* Quò enim oculus nocturnis tenebris ſit obtuſior, eò animus maturis conſiliis perſpicacior efficitur: ut de nocte verum ſit illud Flacci ſexto Argonautarum,

Conſiliis nox apta movendis.

Deinde fieri quandoque ſolet, ut quem dies malum vidit, aut fecit, nox bonum faciat, regátque: quo vocari poteſt jocus ille Craſſi Tulliani, cùm ad Antonium ex malo oratore, bonum derepentè factum, ait: *Nox te nobis Antoni expolivit, hominemque reddidit.* *2. de Orat.* Quod de moribus dictum magis velim; pleroſque enim nox expolit, hominéſque, id eſt, rationis amantes, ac virtutis ſtudioſos reddit, ita prophetam reddidit vel una tantùm cum corde meditatione, uno exercitio, de quo ſubjicit: *Exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* *Pſ. 76. v. 7.*

Scopebam, inquit, Græcè ἔσκαλλον. quod verbum cùm frequentativum ſit, ſatis ſupérque inſinuat, quia in ea nocte labor, & quoties repetitus; *70. Græcè.* dum iterum, iterúmque pertinaci cura, aſſidua meditatione omnes conſcientiæ latebras rimatur, angulos omnes expurgat, & quaſi ſcopis everrit. Has Regiæ mentis exercitationes aptiùs exprimunt, qui vertunt, *Sarriebam*, metaphora ducta à re ruſtica, *70 in editione Latina.* in qua frequens uſus ſarrituræ, cùm in agro noxiæ & luxuriantes herbæ ſarculo extirpantur. ita omnem herbarum, id eſt, vitiorum luxuriem, quam dies & Solis, id eſt, cupiditatum æſtus attulerat, nocturnis vigiliis reſecabat; nec reſecabat modò, ſed etiam ventilabat; reddunt enim alii, *ventilabam ſpiritum meum.* *Caſſiodorus.* voce petita ab agricultura, in qua ventilabro à paleis purgatur triticum, & illæ ſparguntur in auras, hoc redditur horreo, dominóque reſervatur: ita pœnitens Davidis anima ut paleas à tritico, vitia à virtutibus ſecerneret, laborioſa meditatione, ſeu ventilabro expurgabat animum; vel ſi mavis cum Aquila, ſcalpebat: vertit enim, *ſcalpebam ſpiritum meum*; quaſi ſcalpello, ferríque acie interioſecus rimabar, & aperiebam. Hæc pœnitentis animi, divináque ſapientis induſtria fuit, quam ſi non ſatis exprimunt allatæ voces, lege cum aliis *ſcobebam*, id eſt limabam: ſcobina enim Varrone teſte eſt lima aſperior. ea uſus propheta, ne quid *Nigronius in tract. affect. tract. 6.* eſſet in animo impolitum. Cui verſioni affinis eſt illa Venerabilis Bedæ: *Planabam ſpiritum meum*, quod ab arte lignaria trahitur; liquidóque exponit, qua arte, quo ſtudio, qua nervorum contentione ſi quid in animo eminens, ſi quid elatum eſſet complanaret, ſi quid aſperum ita expoliret, ut nec tenuia ramenta, ne ullæ vitiorum reliquiæ ſupereſſe viderentur. Et hæc omnia accuratum examen probant, qua via (ut dicimus, purgativa) iniri, perficique ſolet.

In ea tamen pedem fixiſſe non videtur, ſed ad aliam, quæ illuminativa dicitur, gradum feciſſe viſus, quod expendit Genebrardus, qui verbum, *ſcopebam*, deducit à ſcopo, vel à Græco σκοπεῖν, id

eſt ſcopum intueor, ad ſcopum dirigo. & hoc ab illa nocte conſecutus eſt boni: primùm enim mentis oculos in conſcientiam tamquam in ſcopum direxit, eóque collineavit, ac direxit meditationes ſuas, ut ſeipſum noſſet, videret quæ cogitatio, quis æſtus amoris à ſcopo, à fine ſibi propoſito, à Deo aberraſſet: tum deinde providit, ut ab animo, ſeu arcu, nulla elaberetur ſagitta, actus omninò nullus, qui non in Deo ut ſcopo figeretur. Hæc ubi aſſecutus eſt, tum altiùs ſeſe extulit, & per arduas magnæ mentis exercitationes cœlo quodammodo, & cœleſtibus ſeſe reddidit.

Ecce quantus ab una nocte bonorum cumulus: tantum intereſt qui eam tranſigas.

Utinam eadem poſteris omnibus cura, mens foret eadem: ſic fluerent noctes omnes hujus vitæ mortalis. Sed ô perverſa hominum ingenia, ô præpoſteræ cogitationes! nox jam pleriſque ideò labi videtur, ut ſua caligine, velut obducto cœlis velo, ſcelera tegat ac foveat, quod ex ſequenti paragrapho fiet apertiùs.

§. II.

Quomodo nocte abutantur filii noctis?

SUnt homines inter veluti noctuæ, lucifugi, tenebriones, quibus adverſa & inimica lux omnis; amica nox, gratæque tenebræ, de quibus præſago ſpiritu cecinit Huſſæus vates:

Iob. c. 24. v. 15. 16. *Oculus adulteri obſervat caliginem, dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum ſuum. Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi, & ignoraverunt lucem. Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant.*

Rationem ſi voles, hanc oraculo primæ Veritatis accipe: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Opera dico tenebrarum, cujuſmodi ſunt ebrietates, commeſſationes, intempeſtivæ Veneres, aliique nocturnæ inſaniæ partus, quos lucro docuit vel ipſum nomen. Dicitur enim *commeſſatio*, à Syrochaldæa voce, *camas*, quod occultare, latitare ſignificat, & Bacchus ipſe *camos* dicitur & κωμῖλος, quod ei noctu ſacra fierent per commeſſationes & effrænes libidines; quas videre & ferre non potuit Sol ille noſter, aſpectabilis orbis oculus; ideóque ea noctu peragi oportuit, & quidem à filiis noctis; qui quia nocte peccant, & nocte puniuntur.

Ioan. 3.

Moveri ſolet à Theologis ea quæſtio: Cur Angeli Sodomæ vindices venerint ſub veſperum, inclinata jam die, & occiduo Sole? Erant illi omninò tres, Dei milites, cœli duces, beati genii: & quidem ſi Toſtato credimus, qui medius ibat, erat Michaël; qui dextram tenebat, Gabriël; qui ſiniſtram occupabat, Raphaël: magni cœleſtis aulæ Principes, divinæ juſtitiæ adminiſtri.

Appellunt illi ad Sodomæ fines, occumbente jam Sole, & cum Abrahamo morantem diem colloquiis frangunt; ſi fortè interea temporis divina conquieſceret ira, vel deprecator Abrahamus accederet.

Sed cur, inquies, ſub veſperum? cur non ſub ortum Solis hujus? cur non alto, & adulto jam die? Volunt aliqui ex eo factum, quòd tarda ad ſui vindictam divina procedat ira, adeóque non niſi ſub veſperum. At Rupertus vir in paucis doctus, & pius, credit ideò veſperi appuliſſe, quòd ea diei portio Sodomitis apprimè conſentiret: erant enim filii noctis; tum quia filii iniquitatis, quæ profunda quædam eſt & tetra nox; tum quia filii diaboli, qui judice D. Bernardo nox eſt, & ſtygia quædam ac tartarea caligo.

Bern. ſer. 10. Cant. *Diabolus*, inquit, *nox eſt, nox eſt angelus ſatana, etſi ſe transfiguret in Angelum lucis.*

Tum denique, quia nonniſi in tenebris, utráque nocte operatur, ſecus omninò ac rerum omnium molitor Deus. Cùm ille orbem hunc aſpectabilem condidit, dixit primùm, *fiat lux*; at contrà ſuis inclamat Diabolus, *fiat nox*, fiat caligo, & addenſentur tenebræ. Eæ nimirum opportunæ ſunt malis ejus artibus, atque inſidiis.

Eſt inimicus homo ſeminator mali conſilii. *Malum ſemen in caligine ſeminatur, bonum amat lucem,* inquit Tertullianus. L. de Anima c. 17.

Fur eſt, & infeſtus animarum prædo, lucem ſopitam, lucernam extinctam eſſe vult.

Inſidiator eſt, de quo Pſaltes: *Inſidiatur in abſcondito, quaſi Leo in ſpelunca ſua.* Venator eſt, retia tendit, & obſcura nocte tegit, ne in oculos incurrant; *narraverunt* (enim) *ut abſconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos?* Pſal. 9. Pſal. 63.

Videbit enimverò, videbit ille, qui erit filius lucis, qui ſicut in die honeſtè ambulabit; retia ille, laméntéſque dolos aperiet, nec in laqueos incidet: at qui noctis filius erit, in laqueos, in prædam veniet, & harum tenebrarum beneficio, vel potiùs maleficio, concipiet dolorem, & pariet iniquitatem; ubi autem pepererit, tum verò bonæ mentis, puræque conſcientiæ fœtus, quos interdiu excluſerat, lactarat, aluerat; noctu ſuffocabit, ſimilis illi fœminæ, quæ filiolum vigilans lactaverat, dormiens oppreſſit. 3. Reg. c. 3.

Sed hactenus ſatis de filiis hujus ſæculi, filiis noctis: ſupereſt modò ut videamus, qui peccatum nox eſſe, & dici poſſit.

§. III.

Quomodo peccatum nox dici, & eſſe poſſit?

FUerunt olim nonnulli diei quidem & lucis amantes; noctis autem & tenebrarum adeò inimici, ut crederent diem opus eſſe Dei ſupremi artificis; noctem autem ab ejus opificio ſegregarent. Verùm qui in prima hujus orbis molitione, *fecit duo luminaria magna* (*luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti*) ipſe & diem, & noctem fecit. Et hoc apud fideles extra controverſiam eſt. Quòd ſi tamen unus aliquis per illam noctem quæ à Dei opere ſeponitur, intelligi velit peccati noctem, & inviſas cœlo tenebras: fateor equidem noctem illam Dei nec fuiſſe umquam, nec eſſe poſſe. Gen. 1.

Auctorem illa habet & agnoſcit vel hominem, vel Angelum, qui pro innata ſibi libertate, à virtutis luce ſerenóque tramite ad vitiorum omnium caliginem & inferni confinia deflectere poteſt; & quod deterius eſt, etiam reipſa deflectit. Ut ab iis ad lucem, ad diem gratiæ revocetur, pauca ſuggeremus de nocte peccati; quàm varia, quàm gravis peccatoris animo ſemper inſiſtat.

Lucis amans fuit Divus Bernardus, & in alta qua erat fidei, gratiæque luce, velut è ſpecula longè poſitas peccati tenebras prævidit, detexit; ex illo audiamus: *Habet*, inquit, *mundus iſte noctes ſuas! & non paucas. quid dico, quia noctes habet mundus, cum penè totus ipſe ſit nox, & totus verſetur in tenebris? nox eſt Iudaica perfidia, nox ignorantia Paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam Catholicorum carnalis, animaliſque converſatio.* Serm. 75. in Cant.

Hactenus mellifluus Doctor, cum quo conſpirat D. Gregorius dum ait:

Poteſt per diem peccati delectatio, per noctem cæcitas mentis intelligi, per quam ſe homo patitur in culpa perpetratione proſterni. Ex quibus id habes, omne peccatum eſſe noctem: jam verò qui ſit perſpiciamus. L. 4. Moral. in c. 3. Iob.

Duo noctem faciunt, abſentia luminis & caloris, à qua obſcura & frigida nox eſſe ſolet, abſceſſu videlicet Solis, qui eſt parens luminis, fons caloris.

Sol animæ & piæ mentis oculus eſt ipſa fides, ea porrò extinguitur vel uno peccato infidelitatis; ut enim iterum D. Bernardus: *Apud hæreticos, vel ſchiſmaticos, quot ſectæ, tot noctes. Fruſtrà per has noctes Iuſtitiæ Solem & lumen quæritis veritatis, quia nulla ſocietas luci ad tenebras.* Sed, inquies, eam fidei Chriſtianæ aciem quolibet etiam lethali peccato non extingui: & illud ipſe tecum ſentio; ſed nihilominus pronuntio, ut non extinguatur, at hebetatur tamen, & quaſi retunditur: quo fit ut arcana cœleſtia, ut opportuna ſalutis ſuæ conſilia non capiat, non admittat. Et hæc altera nox eſt, de qua rurſum D Bernardus: *An non nox, ubi non percipiuntur ea quæ ſunt ſpiritus Dei?*

An non ea nox, ubi quis oculos habet & non videt?

An non ea nox, in qua nec ſeipſe, nec Deum præſentem quis intuetur? Quòd autem non intueatur vel ex eo conſice; dicit enim:

Eccli. 23. v. 26. *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus.* Quiſquis eò cæcitatis, imò & ſtuporis veniſti, ut lucem illam divinæ mentis ſemper vigilem & explicatam, ut oculos illos quibus nuda & aperta ſunt omnia, oculos lucidiores Sole non ſentias, non perhoreſcas; quiſquis inquam is es, Ambroſium audi, & vide: *Ne dixeris*, inquit, *circumfuſus tenebris, quis me videt, & quem vereor ſeptus parietibus, & incluſus? quia vultus Domini ſuper facientes mala: deinde ſi arbitrum non vides, teipſum non vides? tua conſcientia teſtimonium non veretur? neſcis illam caliginem noctis, non opertorium, ſed incentivum eſſe peccati?*

D. Ambroſ. in Pſal. 118. Serm. 1.

Eſſe autem incentivum, quo dum accenditur animus, etiam oculus hebeſcit, vel ex eo probat: *Cùm ſomno & cibo fervent corpora, tunc etiam vigor mentis ſopore laxatur, ſomno reſolvitur; tunc irrepit impuri libido concubitus; tunc perturbatur cor, ſquallorem immunditiæ non veretur, caſtitatis puritas non conſideratur, pudicitia gloria non recenſetur.*

Ecce quæ ab uno peccato tenebræ, quæ ſtygia fuligo, quæ noctis moles inſideat; ut nec corpori ſuus conſtet vigor, nec animo ſua mens & intelligentia. Nimirum ea una nocte clauduntur oculi, ſenſus illigantur, ratio ſepelitur; ut nec fidei lucem, nec caritatis ignes, nec amœnam ſpei viriditatem, nec alia virtutum decora, ſplendorémque pervideat; ſed hæreat ut cæcus inter colores: quamquam nec illud quidem; fortè enim tolerandum foret, ſi ad virtutem malè oculatus, modò etiam ad vitia cæcus eſſet; ſed prorſus aliter accidit: diceres, ad virtutem omni ſeu corporis, ſeu etiam animi lumine deſtitutum; ad ſcelus autem vel maximè oculatum: diceres, inquam, redivivum aliquem ex Inferis Argum, cui pro ſua libidine ſpectanda mille niteant oculi, pro virtute ne unus quidem aperiatur, & eluceſcat. Et hoc primum à peccati nocte malum eſt.

Accedit & alterum, nempe caloris abſentia: ab ea in hoc mundo ſublunari torpent & langueſcunt omnia. Vidiſti aliquando in aperta & effuſa planitie herbeſcentem viriditatem, ridentes & explicatos floſculos; omnem eam ſeu herbarum ſeu florum luxuriem contrahit vel una noctis caligo, adverſumque frigus.

Et ab uno lethali peccato languet, & tota frigeſcit anima, calor omnis excluditur, & in ſtygias auras evaneſcit. Diffuſa erat caritas Dei in cordibus noſtris, & à Spiritu Sancto, qui nobis datus erat, incaluerat animus, imò & arſerat; & hic æſtus divini amoris eum tamdiu fovit & animavit, quamdiu in gratiæ luce diéque vixit: at ubi obdormivit in nocte culpæ, tum verò & gratiam & caritatem (qui divinus ignis eſt) abjecit, diſſipavit, extinxit, quod malum quantum ſit, agnoſcunt & deplorant ex ipſis Inferis damnati manes; ita enim gemunt: *Erravimus à via veritatis*, in qua nos natura Deuſque poſuerat, & longiùs exceſſimus in avia & invia tenebrarum, abrepti neſcio quo libidinis æſtu, quo turbine cæcæ voluptatis, *& juſtitiæ lumen non luxit nobis.* Sap. 5. 6. Signatum erat ſuper nos lumen vultus tui Domine, imò verò etiam vexillatum, inſtar patentis & explicati vexilli altè defixum in arce mentis noſtræ; & tamen ô cæcitas! ô caligo! ô tenebræ, ô duræ, ô inſenſatæ noctes! *non luxit nobis*, quod & ipſis Inferis jam lucet. Nimirum animis noſtris gravior omninò nox, denſior incubuit caligo, quàm ſit ea quæ manes impios, quæ profundam ſilentémque ſtygem obruit: nec adeò mirum videri debet; *Sol* enim *intelligentiæ non eſt ortus nobis*; Sol inquam Chriſtus, qui placidæ mentis, ſerenæ intelligentiæ Sol eſſe debuit, qui circumductam animo noctem meliore radio perfundere, diſſipare, & ſudo cœlo reddere, *non eſt ortus nobis.*

Si cauſam vitiumque quæras? in oculis eſt: objecimus atram, denſam, malignam ſcelerum molem, quam evincere non potuit puriſſimus ille divinæ lucis Soliſque radius. quòd ſi objecimus, & ipſi tollamus, damnemuſque nimium infelices peccati tenebras, longam noctem, & ad veritatis lucem, amoris Solem aſpiremus.

PROPOSITIO III.

Peccatum eſt umbra mortis, umbra mali Dæmonis.

Date Domino Deo veſtro gloriam antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos: expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem. Ierem. c. 13. v. 16.

ALiquid mihi dixiſſe videor, cùm peccatum noctem eſſe dixi; non tamen ſatis, niſi & illud adjecero, umbram eſſe, & mortis quidem: quamquam neque hoc ad horrorem ſceleris addidiſſe ſuffecerit, niſi & illud eidem appendam, quòd ſtygia umbra ſit, & expreſſum aliquod mali Dæmonis ſimulacrum.

Priùs tamen quàm illud pronuntiem, videndum erit quid ſit umbra, & quæ vis umbræ; tum deinde quæ ſimilitudo umbræ mortis, & peccati.

§. I.

Quid ſit umbra, & quæ vis umbræ?

EST umbra ſimulacrum aliquod, & imago corporis: à qua, ſi Plinio credimus, manavit in vulgus ars pictoria, & ſtatuaria: tantum fecit non obſervatio naturæ modò, & corporis; verùm etiam ipſius umbræ. Habet ea vim magnam, multúmque in bonum malúmve intereſt, cujus ea ſit corporis: videntur enim ipſa corpora vim aliquam in ſuas umbras effudiſſe: ut proinde ad ipſa ſata, rémque ruſticam conducat plurimum, jam antè prævidiſſe quid tegat, quid protegat, quid animet, aut perdat umbra; quid benè, maléve afficiat. Plinium audi: L. 17. c. 12.

Umbra juglandium gravis & noxia, etiam capiti humano, omnibuſq; juxta ſata; ficorum levis; ulmorum levis, etiam nutriens; jucunda platano; pinguis alno. Non faſtidienda has ſcientia, atque non in ultimis ponenda, quando quibuſq; ſatis umbra, aut nutrix, aut noverca eſt. Neque tantùm ipſi ſolo & juxtà ſatis amica, vel inimica eſt umbra; verum & animantibus. Umbra

enim

Plin. l. 8. c. 3. enim hyenæ eam vim in canes habet, ut in eam cùm venerint, illicò obmuteſcant. Huic affine eſt illud, quod de S. Remigio Epiſcopo Rhemenſi proferri ſolet. Coëgerat ille Synodum Epiſcoporum, Rhemóſque convocarat, ut inter ſe de fidei controverſiis agerent: hos inter affuit ex Arianis Epiſcopus unus aliquis, uſque ſciolus, ad ſua dogmata diſertus, & qui incautos dialecticæ fallaciis non difficul-
Prov. 1. 2. ter irretiret. *Sed fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum.* Umbrâ Remigii captus eſt qui hæreſeos Arianæ umbram in tanti Concilii lucem intulerat: cùm enim S. Remigio Præſuli, & Hormiſdæ Pontificis vicario aſſurgerent Epiſcopi omnes; unus Arianus nec aſſurgere, nec ulla debitæ venerationis ſigna exhibere: ſed illa ſuperbia malè illi ceſſit; tranſeuntis Remigii umbra ex loquaci mutum, ex malè diſerto benè elinguem fecit: diceres Remigium eſſe Ariano, quod hyena eſt cani: vix ille obmutuerat, vix ſacratioris umbræ vinculis impedita fuerat lingua, cùm & ad ſe ipſe rediit, ſeipſe collegit Arianus, & ad S. Præſulis pedes abjecit, & omnibus hæreſeos vinculis expediit.

Juſſus deinde fidem orthodoxam, quam animo jam conceperat, nutu profiteri, vocem recepit: ita inſignis animi demiſſio vocem reddidit, quam ipſa ſuperbia, faſtúſque inſolens ademerat.

Sed hoc miraculo cenſebis eſſe tribuendum: non
Cap. 5. abnuo; uti & illud, quod de S. Petro Apoſtolorum Principe referunt eorum acta; cujus umbra adeò naſcenti Eccleſiæ medica fuit, ut quiſquis in eam iret, illicò iret in pedes, omnémque depravati corporis affectionem deponeret. De hoc extat luculentum D. Auguſtini teſtimonium.

Serm. 29. de Sanctis. *Si inanis quædam ſpeciei vacua imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis, quantò plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis ferrea pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis.*

Sed illa vis umbræ corpori tantùm adhæſit: demus aliam, quæ etiam ad animum ipſum pervaſe-
Serm. de Paraſc. rit. D. Vincentius Ferrarienſis, illuſtre decus Dominicanæ familiæ, hanc olim è pulpito movit quæſtionem? Cur è duobus, qui Chriſti è Cruce pendentis latera ſtipabant, unus dumtaxat ad ſe, Deúmque rediit? cur ille potiſſimùm, qui à dextris erat? eò maximè, quòd & ipſe proſtitutæ vitæ, ſalutiſque fuiſſet, & in maledicas, ſociáque voces erupiſſet; à quibus fortè via benè conticuerat, via reſpirarat, cùm in alium virum, in ſanctum abiit: cur, inquam, ille unus inter extrema vitæ, mortiſque confinia, cælo Deóque reſtituitur? nimirum eò loci ac temporis in ipſam Chriſti umbram aſcendit; & illa ad delendas animæ maculas, ad gratiam, ad gloriam fuit ſatis.

Ejus videlicet erat umbra, qui & vita eſſet, & auctor vitæ.

Quòd ſi tantùm incidiſſe in umbram vitæ, ad vitam ſalutémque ſufficere potuit, certè neceſſum eſt ut ex adverſo fateamur, ad mortem inferendam plus ſatis eſſe in umbram mortis involaſſe: ea verò peccatum eſt, ut modò paucis oſtendemus.

§. II.

Quæ ſimilitudo umbræ mortis, & peccati?

Cap. 13. v. 16. HÆc olim Judæis alto ſpiritu Jeremias: *Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos: expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem.*

Eo loco prædicit imminentem eis captivitatem, ab eáque ingens pondus calamitatis. Quamdiu illi à virtute, à Deo ſteterunt, ſteterunt etiam in luce gratiæ, auráque amœnæ proſperitatis: at ubi gravia capita ſceleri ſubmiſere, tum verò cœlum ipſum in nubem cogi cœpit, & obtenebreſcere; ipſique pedes dubii, ac nutantes offendere ad montes caliginoſos; Chaldææ inquam montes, ad quos captivi ducebantur.

Erant ii caliginoſi, tum ob vicinas paludes, è quibus vapor nebuloſus expirabat, tum quia ex eorum aſpectu ingens aliqua triſtitiæ mœroriſque moles ſuffundebatur, quæ diem lucémque omnem ſerenæ mentis ita occupabat, ut ne ſuborto quidem ullius ſolatioli radio extenuari poſſe videretur. Hinc ſpes omnis irrita, & expectatio; at enim: *Expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem.*

Si è D. Hieronymo ſciſciteris, qui ſint illi montes tenebroſi, ad quos offendunt pedes noſtri; affectus, inquam, & abjecti animi propenſiones? reſpondebit eſſe montes Babylonicæ confuſionis.

Si rurſum, quæ tenebræ? quæ caligo? quæ umbra mortis? ſubjiciet peccatum eſſe, quod umbra eſt, & quidem mortis.

Primum ejus quòd corpus ab anima dividit, & diſſolvit hanc naturæ noſtræ compagem; tum deinde & alterius; quæ hominem à gratia, à Deo diſjungit, ac ſeparat. De illa grandi, & cothurnato ſtylo Tertullianus: *Publica totius generis humani ſententia mortem naturæ debitum pronuntiamus: hoc ſtipulata eſt Dei vox; hoc ſpopondit omne quod naſcitur: ut jam hinc non Epicuri ſtupor ſuffundatur negantis debitum iſtud ad nos pertinere; ſed hæretici, magi, Menandri, Samaritani furor conſpuatur, dicentis mortem ad ſuos non modò non pertinere, verùm nec pervenire.* Pertinet enimverò, & etiam reipſa pervenit: certum enim illud irati Numinis pronuntiatum: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.*

Ut autem planius illud, & apertius evadat, peccatum cum umbra componemus; in multis enim cum ea conſentit, & quidem

Primùm, umbra eſt privatio lucis, orta ex objectu corporis opaci; & peccatum eſt privatio gratiæ, quæ vera lux eſt, Sol & oculus humanæ mentis.

Alterum eſt, quòd corpus ſine umbra eſſe poſſit; non tamen umbra ſine corpore. Et ſine peccato mors eſſe potuit, & re etiam ipſa in Chriſto, in Virgine fuit: at peccatum ſine morte eſſe nec debuit, nec potuit: quod maximè verum eſt de ea, quæ animum propiùs afficit & perdit; eſt enim inter peccatum & animæ mortem is nexus, id vinculum, ea neceſſitudo, ut ne divinâ quidem potentiâ diſſolvi poſſit, aut fieri ut peccatum cum gratia, quæ animæ vita eſt, componatur.

Ignis aquæ, terra cœlo, ima ſummis, humana divinis, & alia omnia, quæ natura jungi vetat; jungi tamen poſſunt & cohærere: ſi tantùm Deus annuat; parebit illa, & omnia ſúſque déque verti patietur: at peccatum gratiæ nectere, ne ſi velit poſſit ipſe Deus; adeò hæc ab illo diſſidet.

Accedit & alia peccati cum umbra ſimilitudo. Ut enim hæc eſt æmula, imitatrix, & veluti ſimia ſui corporis, ejúſque motus omnes exhibet & reddit; ita peccatum omne, mortis naturam, geniúmque exprimit & effert.

Una mors ſenſum omnem adimit, & rigidum putidúmque cadaver in terras abjicit; tandémque in cineres, & miſerabiles buſti reliquias ſolvit.

Et ea peccati vis eſſe ſolet, ut omnem divinorum ſenſum, omnem inevitabilis judicii timorem eripiat, faciátque ut ad cœleſtia & æterna torpeſcat, rigeſcat animus; & qui cœlo, Deóque tolli debuit, in terras pronus, ac præceps defluat, totuſque à peccati tabe ac putredine diſſolvatur.

Ad extremum illud addi poteſt, quòd corporum umbra quandoque contrahitur, quandoque in

immenſum

immenſum diffunditur, alio, atque alio lucis appulſu: quod eleganti ænigmate Græcis olim propoſuit Theodectus; ſiebat enim, ſibi domi eſſe filiam, quæ magna foret prima ætate, id eſt, infantia; minima in ſecunda, id eſt, adulta; longè quàm maxima in extrema ætate, qualis eſt ſenecta.

Hoc ænigma variè torſit Græcorum ingenia; nec Oedipum invenit: at facilis hoc ævo explicatio; hæc filia, eſt umbra, filia, fœtúſque corporis, quam magnam jacit orto jam Sole, minimam adulto, occiduo quàm maximam; *Cadunt* enim *alta de montibus umbra.*

Hujus ratio partim ex natura umbræque jactu, partim ex Solis inclinatione, ſitúque petenda. Ubi Sol obliqua vibrat lumina, ut in ortu & occaſu fieri ſolet, tum corpora maximas emittunt umbras: at ubi ad perpendiculum ſuos radios dimittit & fundit, tum verò vel umbram minuit, vel omninò tollit.

Quod in naturæ, Soliſque curſu, hoc in vita fieri conſuevit: ubi divinæ lucis radius obliquo tantùm & tranſverſo tramite animam aſperſerit, ubi minor lux & cognitio divinorum; tum majores jactantur ſcelerum umbræ: at ubi Juſtitiæ Sol eminet, ubi divini ſeu timoris, ſeu amoris æſtus attollitur & vertici incumbit; tum verò nullæ videntur ſcelerum umbræ.

Sed perennis lucis ſplendor & amœnitas. Ea fuit in Virgine Matre, quæ nec in ortu, nec in decurſu, nec in occaſu vitæ umbram aliquam etiam leviuſculæ, etiam originalis culpæ admiſit: quam divinæ lucis perennitatem ut aliquo ſymbolo oſtentaret Parthenius Sodalis, Virginis amantior, ei pro ſymbolo pyramidem erexit, cui altius Solis jubar ita imminebat, ut nullam omninò umbram faceret; adjecerat etiam hanc epigraphen,

Umbra neſcia.

Nimirum à luce, à Sole ita lucere uni Virgini datum eſt, negatum cæteris: nec enim ii pyramides fuerunt ſemper in cœlum erectæ; ſed aliquando ſeſe terris inclinarunt, & in culpam aliquam abjecerunt. Hinc æterni Solis radii obliquè incidentes umbram oſtenderunt.

Quòd ſi tantùm ea labes, quam ab origine, alienâ culpâ traximus, cœleſti luci umbram faceret; venia danda foret: at alias umbras facimus, imò & ſtultè perditéque ſectamur, ſimiles Æſopico cani. Hic fortè pontem rivulo impendentem dum incautus decurrit, lumina demittit in lympidas & fluentes aquas: umbram ille corpore majorem reddunt, dentémque ita proritant ut excutiat quod jam apprehenderat, & inanes captet umbras: at miserè deluſus latratu petere cœpit, & in fugaces undas, fallentéſque umbras furere, ac debacchari.

Vita noſtra fugax unda eſt, peccatum umbra: majores unda refert umbras, & vita eam voluptatulam, quæ à ſcelere parva eſſe poteſt, magnam facit & oſtentat.

Næ ille incautior eſt Æſopico cane, ac bruto animante ſtupidior, qui & ſeipſum credit mendacibus undis, & inanibus umbris trahitur; cúmque voluptatem, quæ à virtute, à rebus benè geſtis peti poteſt, fluxo vitæ elemento committit, ac perdit.

§. III.

Peccatum eſt umbra mali dæmonis.

ERIT fortaſſe aliquis, cui ea peccati appellatio nova & inſolens eſſe videbitur, & potiùs ex quadam oratoriæ facultatis licentia, quàm ex veritate conficta.

Ea certè haberi, diciq́ue poſſet, ſi eſſet hujus temporis, ſi è mea mente, calamóque excidiſſet.

Sed alium auctorem habet, eúmque petit ab ipſa Petri ſede, Cathedra veritatis; ut fidem negare non audeas.

Qui primus omnium hoc infami charactere peccatum notavit, fuit ille D. Gregorius Magnus, magnus omninò à recondita doctrina, & eloquentiæ vi; ſed longè maximus à ſanctitate vitæ, diviniſque luminibus; quibus ita illuſtris fuit, ut nec ipſi animus in concipiendo, nec calamus in exprimendo aberrare potuiſſe videatur.

Ex illo igitur accipe, & pro oraculo habe; ex ex ſede non funduntur niſi oracula certæ veritatis: *Umbra mortis*, inquit, *eſt prava operatio, qua de imitatione antiqui hoſtis, quaſi de corporis lineamentis exprimitur.* Ut umbra ducitur è corpore, ejuſque lineamentis exprimitur, quæ deinde ipſa adumbratâ quadam imagine reddit, & exprimit: ita prava operatio petitur ex imitatione antiqui hoſtis, ex eóque velut è corpore trahitur, ut & ipſum & ipſius lineamenta referat ac repræſentet. Gregor. l. 11. Moral. in c. 10. Iob.

Fuit ille quondam in cœlo Lucifer, imò lux fuit, & amœnum jubar empyreæ ſedis, quod in ſua creatione umbram peccati neſciebat: at ubi ſeſe illi inclinavit, ubi ſuperbis tumidus grave caput demiſit, & inflexit; tum verò umbram longiùs jecit, & fudit.

Ea primùm viſa eſt in cœlo, & lucidas illas ætheris oras infecit; ſed ex ad ſplendorem, ad lucem erectæ cùm eſſent, umbræ illius impatientes, præcipiti lapſu, pronóque impetu & umbram, & ejus auctorem ad extrema terræ inferníque detruſerunt.

Illo ſe jactat umbrifer antro, illo ſuas umbras, cœlo exul & extorris coërcet: quamquam non ita coërcet, quin etiam in terras, imò & Paradiſum ipſum emittat.

Erat in eo primus homo, iſque in luce, in gratia totus: in ea viſus ad paucas, id eſt, ad ſex horas ſi ſancto Ephrem credimus; conditus enim ſub horam nonam matutinam, & Paradiſo pulſus ſub tertiam pomeridianam: itaque una eadémque dies felicem & miſerum vidit; hoſpitem amœnæ illius regionis habuit, & exulem luxit.

Si tamen cum aliis ſentire, & loqui malumus, ad ſex octóve dies in ea deliciarum ſede hæſit, non ampliùs: eum enim ſerpentis aſtutia, & adverſa Dæmonis umbra ſtatim occupavit.

Dixerat ille in cœlis aliquando: *Super aſtra conſcendam, elevabo ſolium meum, & ero ſimilis Altiſſimo.*

Ecce opera interrupta, mináſque ſuperbæ mentis ingentes; ut ab illis umbram in terras transfunderet, dixit ad mulierem:

Cur *præcepit vobis* Deus, *ut non comederetis de omni ligno paradiſi?* Gen. 3. v. 1.

Cui ſubjunxit incauta mulier: *Ne fortè moriamur.*

Dubia eſt, & incertæ fidei vocula, *fortè*; quam mendaci lingua, & mente addidit.

Tum verò ita paucis excepit ſerpens: *Nequaquam morte moriemini*, ſed *aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* vers. 4

Hoc fallacis gloriæ fuco, his verborum lenociniis, hac vana pollicitatione capta eſt mulier, & *ex antiqui hoſtis*, hoc eſt Diaboli, *imitatione* elatos, ſuperbos, inſolentes animos quaſi ejus umbram admiſit, & ſeipſam poſterosque omnes in ruinam traxit.

Ne ea te aliquando involvat, vide cujus à natura ſis umbra.

Ubi hunc orbem è nihilo eduxit Deus, ubi terra ſuâ mole ſtetit, fluxere maria, expanſus æther, ſuáque cœlis addita lumina; ad hominem tandem ventum eſt, & auditæ illæ cœlo voces: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Textus Hebræus habet: *Faciamus hominem umbram noſtram.* Gen. 1. v. 6.

Vox enim Hebræa *tſelem*, id eſt, umbra. Eſt igitur homo artifice naturâ, auctore Deo umbra ſui conditoris. Quòd ſi ejus umbra eſt, ad omnes illius motus nutúſque moveri, & nutare debet; eóque flecti quò flexerit, accedere quò acceſſerit, ab eo diſcedere à quo diſceſſerit: umbra quippe corpus

ſequitur,

ſequitur, & Deum homo, ſi tamen eſt homo, ſi à ſeipſo, ſi à natura Deóque degener non receſſit, ſi in ſeipſum non expreſſit illud Prophetæ: *Verumtamen in imagine pertranſit homo.* Hebraicè, *in umbra pertranſit homo.*

Pſal. 38.

Quâ, inquies, umbra? umbra inani, futili, leviſſimæ voluptatis; umbra noxia commiſſi ſceleris. Ampliùs dico, umbra ſtygis, & mali Dæmonis. Eam hauris ab uno peccato, à quo vide quantum naturæ primùm inimicus ſis, qui innatam, inſitam, congenitam ipſius umbram eacuſias, ut extraneam, aſcititiam, adulterinam admittas.

Quantum deinde in teipſum crudelis, barbarus, excors, qui cùm eſſe poſſis umbra Dei, malis tamen eſſe perditi Dæmonis.

Quantum denique Deo tuo inviſus, perfidus, impius, qui illius umbram, vivum ac ſpirans ſimulacrum abjicias, ut æternæ mortis umbrâ obruaris, & pereas.

PROPOSITIO. IV.
Peccatum eſt abyſſus.

Gen. 1. v. 2. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.*

Pſ. 41. v. 8. *Abyſſus abyſſum invocat.*

Prov. c. 8. *Necdum erant abyſſi, & ego jam concepta eram.*

Divina Sapientia, quæ ſe totam Virgini Matri infudit, etiam adjecit multa, eáque auguſta, cœleſtia, divina; propter quæ eam amat ac ſuſpicit omnia ætas.

Prov. c. 8. Hæc inter, longè maximum illud quod ipſa audire, ipſa dicere cum Sapientia poſſit: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Necdum erant abyſſi, & ego jam concepta eram.*

Jam inde ab æternitate teipſam in ideis habuit, & alta, provida, divináque mente talem effinxit Deus, qualem deinde lapſis retrò ſæculis effingeret. Et meritò tanti operis exemplar æternum eſſe debuit, & ipſo longiſſimæ æternitatis lapſu formari, atque expoliri: ſi enim luteæ in terris moles, anguſta tecta, non niſi magno temporis & annorum curſu eriguntur: ſi Noëmi arca, quæ per immenſam aquarum eluviem exiguas generis noſtri reliquias Plin. l. 35. c. 12. vehere debuit, unius ſæculi opus fuit, ſi Coloſſi, & immanes illæ Ægypti pyramides, artis ſtupor, & univerſi miraculum, ad ſui fabricam nonaginta integros annos exegerunt, etſi illi operi inſudarent, ſupra ſexaginta operariorum millia, etiam ter centies mille. Si, inquam, eæ moles, & opera, quæ puſillo homini, quæ tempori tantùm ſervire debuerunt, ac deinde ruere, collabi, interire, tantum tamen hujus ævi ac temporis arrogarunt: quantum ſibi aſcribere debuit Virgo Mater, quæ divinæ Sapientiæ colludere, quæ Deum-hominem capere, & in æternitatem efferre debuit? Ut porrò digniùs efferret, ab æterno ordinata eſt, antequam terra fieret, necdum erant abyſſi, & illa jam concepta erat. in quo uno à cæteris diſſidet, & mirum quantum mortales omnes antevertit.

Ubi primùm nos humiles animæ lucem aſpeximus, terra erat, erant abyſſi, non eæ tantùm, quas tibi fortè fingis, fontium, aquarum & fluentia oceani; ſed abyſſi ſcelerum, abyſſi culpæ originalis: at ubi in divina mente concepta eſt Maria, necdum erant abyſſi, nondum affluxerat illa culpæ eluvies, orbémque invaſerat ac merſerat; Ægyptus omnis, cæteráque mortalium turba ſubmerſa erat in mari Rubro, abyſſi operuerant eos, deſcenderant in profundum quaſi lapis. Maria ſubmergi, operiri, in profundum deſcendere non potuit. qui enim abyſſo mergeretur? qui deſcenderet in profundum peccati, quæ jam inde ab æternitate erat gratia & miraculorum abyſſus? *Abyſſus ſapientia, abyſſus luminis, cujus intuitu vel ipſa Angelorum acies caligabat.*

Damaſcen. Orat. 2. de dormitione. Oratione 1. de Nativ.

Quòd ſi Davide, & Bernardo teſte, *abyſſus abyſſum invocat; abyſſus luminis & miſericordiæ, abyſſum miſeriæ & tenebrarum.*

S. Bernard. Ser. Signum magnum.

Eſt certè bona Mater, quòd filios tuos, à te mirum quantum alienos invoces, imò evoces: quod ut facias, dic amabo quod olim filius tuus, ubi Lazarum ex abyſſo mortis, ac ſepulchri evocavit: *Lazare*, inquiebat, *veni foras, ne in tanto fœtore diutius immoreris. Caro putrida putredini proxima eſt; & qui confunditur vehementiùs, & tabeſcit, propè eſt ut deſperet; propterea Lazare veni foras. Abyſſus abyſſum invocat; abyſſus luminis & miſericordiæ, abyſſum miſeriæ & tenebrarum. Major illius bonitas, quàm iniquitas tua; & ubi peccatum abundat, ſuperabundare gratiam facit. Lazare*, inquit, *veni foras. ac ſi manifeſtius dicat: Quouſque conſcientia tua caligo te detinet? quamdiu in cubiculo tuo gravi corde compungeris? veni foras, procede, reſpira in lucem miſerationum mearum.*

S. Bernard. Serm. 4. in Aſſumpt.

Ut vocante filio, evocante Matre ita reſpires quiſquis es in abyſſo peccati; illud ex vero bonóque tibi perſuade, ſcelus omne abyſſum eſſe.

Auctor non ignobilis docet abyſſum dici ab α privativo, quod eſt, ſine, & byſſo, quod genus lini candidiſſimi; itaque abyſſus idem erit ac ſine byſſo, ſine candore.

Archidiac. in cap. Nonne. diſt. 37.

Eſt gratia candor lucis æternæ; à peccato ita candorem illum abjicis, *ut denigrata ſit ſuper carbones facies tua.*

Thren. 4.

Ecce ut à candore, à luce niveæ & ſinceræ mentis ad peccati ſqualorem, ad immanem abyſſum deſcendiſti.

Sed erit fortaſſè, quòd me ex eo argues, quòd abyſſum dici velim, quaſi ſine byſſo, ſine candore.

Quis non videat illud ex quadam eloquentiæ licentia, potiùs quàm ex germana etymologia & veritate jactari: ita ſi voles, & ipſe volo, ubique in eo aſſentior, magiſque probo abyſſum dici ab α privato, & βυσσὸς, quod pro βυθὸς à nonnullis uſurpatur: itaque abyſſus idem eſt, quod ſine fundo, ex quo hoc ut concedas neceſſe eſt.

Ex nominis etymo abyſſum eſſe profundam, inexhauſtam, immenſam, atram, horrendam voraginem, & eam eſſe quodcumque eſt lethale ſcelus.

Ac ne illud à me temerè dictum putes, auctoritate tecum agam, tecum congrediar, quiſquis ex ea abyſſo hæc leges.

Tertullianus, quem tota Antiquitas ut magiſtrum habuit ac ſuſpexit, peccatum egregiè vocabat *Devoratorium ſalutis*; quaſi malorum eſſet abyſſus & immenſa vorago, qua ſalus & omne bonum animæ exhauritur.

Tertull. de Idol. c. 1.

D. Gregorius Nazianzenus nominabat ἀπύθμενον βυθὸν *exitus voraginem*, & peſtilentiſſimæ luis profundum. Videmus in fluminibus eſſe ſyrtes, in quibus ob depreſſum hiatum, eſt vortex aquarum ſorbentium, quæ res omnes, & natatores quantumvis peritos ita diſtinent, & violenta quadam in orbem agitatione deprimunt, ut elabi nequeant. Ita ruunt in profundum, & miſerrimè ſuffocantur. Sic peccatum, maximè ſi acceſſerit conſuetudo, fit hians circulánſque vorago, quæ vel invitos ac reluctantes in exitium profundúmque rapiat.

Nazianzen. Orat. 20.

Sancti Patres abyſſum illam, profundúmque appellant *barathrum*.

Propheta Regius, *limum profundi*; ita enim exprimit miſerrimum vitioſi animi ſtatum, in quo jacebat: *Infixus ſum*, inquit, *in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Symmachus vertit: *Merſus ſum in interminatas voragines.* Apollinaris, *in fundum cœnoſum*, in quo non ſit ſubſiſtentia, neque pes, neque animus ſubſiſtat.

Pſ. 68. v. 3.

Erat

Erat in Ægypto lacus, in quem Auſtri flatu ea vis arenæ injiciebatur, quæ aquæ ſuperficiem obſcuraret, & terræ ſimilitudinem induceret; ex qua ſiebat, ut magni etiam exercitus in eo abſorberentur, & perirent. Et hic lacus Ægyptius barathrum dicebatur.

Et peccatum lacus eſt, & barathrum: tegitur illud ſparſæ & tenuis arenæ, id eſt, voluptatulæ ſpecie; quam Auſter, hoc eſt, ingens agitatæ mentis paſſio immiſit, ut tibi fucum faceret: in illud incautus ingrederis, & mergeris in limo profundi, in quo non ſit ſubſtantia.

Eo merſus olim Auguſtinus: ut pedem, ut animum expediret, ita vocem (quæ una reliqua erat)
In Soliloq. ad ſuperos, ad Deum expedivit: *Quis ſum ego*, inquit, *qui loquor tecum? Væ mihi Domine, parce mihi Domine; ego cadaver putridum, eſca vermium, vas fœtidum, cibus ignium. Quid ulterius? ego abyſſus tenebroſa, terra miſera, filius iræ, vas aptum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miſeria, moriturus in anguſtia. Heu miſer, quid ſum? heu quid futurus ſum? vas ſterquilinii, concha putredinis, plenus fœtore & horrore, cæcus, pauper, nudus, pluribus neceſſitatibus ſubditus, ignorans introitum & exitum meum.*

Hæc ille de ſua abyſſo: cujus tandem aliquando pertæſus, & impatiens eâ diutiùs retineri; dum ad lucem aſpirat, ait:

Cap. 3. *Veni lux per quam video, appare gloria per quam gaudeo, appare vita in qua vivam. ô Domine Deus meus, lux inviſibilis, cui omnis abyſſus humani cordis eſt viſibilis.*
Cap. 4. *Ecce tenebræ ſunt ſuper faciem abyſſi mentis meæ, tu es lumen; ecce caligo tenebroſa ſuper aquas cordis mei, tu es veritas. O Domine verbum, ô Deus verbum, qui es lux, per quam facta eſt lux, qui es via, veritas, & vita; in quo non ſunt tenebræ, error, vanitas, neque mors.*

Lux ſine qua tenebræ, via ſine qua error, veritas ſine qua vanitas, vita ſine qua mors; dic verbum Domine, fiat lux, ut videam lucem, & vitem tenebras: videam viam, & vitem invium: videam veritatem, & vitem vanitatem: videam vitam, & vitem mortem: illuminare Domine lux mea, illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo: Dominus meus, quem laudabo: Deus meus, quem honorabo: Pater meus, quem amabo: ſponſus meus, cui me ſervabo.

Hæ fuerunt olim Auguſtino voces, quas è profunda ſceleris abyſſo juſtus dolor & amor expreſſit.

Tu in eadem es ſcylla, charybdi, abyſſo; nec tamen ingemis, aut vocem edis ſeu amoris ſeu doloris teſtem.

Ingens nimirum ſopitæ & obrutæ mentis eſt ſtupor; de quo & illud D. Auguſtini:

Ecce Domine quàm magna miſeria hominis, in qua ſum, nec timeo: quàm grandis calamitas quam patior, nec doleo, & ad te non clamo. Clamabo Domine antequàm tranſeam, ſi forte non tranſeam, ſed in te maneam: dicam miſeriam meam, confitebor, nec erubeſcam ante te vilitatem meam; adjuva me fortitudo mea, per quam ſublevor; ſuccurre virtus, per quam ſuſtentor.

PROPOSITIO V.
Peccatum eſt nihil.

Amos 6. v. 13. 14. *Convertiſtis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium, qui lætamini in nihilo.*

Ezech. c. 27. v. 36. *Ad nihilum deducta es, & non eris uſque in perpetuum.*

Pſ. 72. v. 22. *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.*

Eſther c. 14. v. 11. *Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt.*

Dicitur ea res nihili, quæ nullius eſt pretii, nullius momenti ac ponderis, quæ citò labitur & evaneſcit, quæ recto tramite ducit ad nihilum, quæ à primo ente, à ſummo bono revocat, & vocat in non ens & ſummum malum.

Ejus generis eſt omne peccatum, quod lethale dicimus; pretium non habet, niſi fortè pœna tibi ſit in pretio: leviuſculum eſt, quia in momento labitur, atque evolat.

Nihilum eſt, quia à Deo quàm longiſſimè removet. Eſt Deus ens à ſe, ipſum ſolum ens; cætera vel non entia, vel ab illo entia; hinc ei nomen, *Ego* Exod. c. 3.
ſum qui ſum. v. 14.

Deus (inquit Divus Bernardus) *eſt quod eſt, & ſuum ipſius, & omnium aliarum rerum eſſe, ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt; & quidquid in Deo eſt, Deus eſt. Deus enim amat ut charitas, novit ut veritas, ſedet ut æquitas, dominatur ut majeſtas, regit ut principium, tuetur ut ſalus, operatur ut virtus, revelat ut lux, aſſiſtit ut pietas; quæ omnia faciunt & Angeli; facimus & nos, ſed longè inferiori modo, non utique bono quod ſumus, ſed quod participamus; Deus autem hoc ipſe quod eſt; ait enim: Ego ſum qui ſum.*

Ex illa Dei notione, ſacráque Theologia petitum emblema Dei ter Opt. ter Max. quod in templis Ægyptiorum ſcribi ſolitum:

Ego ſum quod fuit, quod eſt, quodq́; futurum eſt; velum meum nemo unquam revelabit. Et hæc de ipſo Dei nomine.

Si quæris ex adverſo quod creaturæ ſit nomen? reſpondebit illa: Non ſum, nihil ſum; nimirum hoc ei à natura eſt nomen, quia & à nihilo venit, & ire poteſt in nihilum.

Utque unicum habeat eſſe, habet tamen infinita non eſſe: teipſum volo, mi Lector, eſt tibi à natura eſſe hominis; at etiam eſt, non eſſe terræ, plantæ, bruti, cœli, Angeli, & aliorum omnium, quæ ſine termino recenſere potes. Ita pro unicò eſſe habes infinita non eſſe; quæ dum agnoſcit magnus ille Baptiſta, hoc ſibi nomen, *non ſum, non ſum.* quòd ſi omni creaturæ ex vero hoc nomen, non ſum, nihil ſum; & peccato erit illud quàm maximè. Id nominis habet à Scriptura, & Sanctorum Patrum teſtimoniis.

Qui primus à Deo per immane ſcelus defecit, is fuit in cœlo Lucifer; qui unà etiam ad nihilum defeciſſe videtur.

Hoc etenim nomine inſcribitur à Baldad Suhite apud Jobum; de impio enim, ejúſque ſocio malo dæmone ait: *Habitent in tabernaculo illius, ſocii ejus:* Job c. 18.
qui non eſt. Hoc eſt interprete D. Gregorio: *Ha-* v. 15.
bitent in mente impii, mali dæmones, ſocii Luciferi; qui Gregor l. 14. Mor. c. 21.
ex quo benè eſſe perdidit, ad non eſſe tetendit. Ita etiam audiit apud Ezechielem, qui priùs induerat magna illa & auguſta nomina: *Tu ſignaculum ſimilitudinis,* Ezech c. 28.
plenus ſapientia, & perfectus decore. Tu Cherub exten- v. 12. 14.
tus in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum: qui, inquam, ea nomina ipſo Dei digito Prophetarum tabulis inſcribenda acceperat, dictus eſt deinde *nihilum*, non ſine terræ cœlique ſtupore, ac miraculo. *Omnes*, inquit Propheta, *qui viderint te in gen-* Verſ. 19.
tibus, obſtupeſcent ſuper te: Nihili factus es, & non eris in perpetuum.

Quod ipſum poſteris deinde ſæculis agnovit & pervidit Jesu Chriſti oculus, & ſcriba Joannes;
ait enim, *Mirabuntur inhabitantes terram, videntes* Apoc. c. 17. v. 8.
beſtiam, quæ erat, & non eſt. Erat à gratia, à peccato eſſe deſiit; & unum illud obtinuit, *non eſt.* Ecce quàm ſubita, quàm inſana metamorphoſis, quam ipſa miratur natura, quam horret ac fugit inanima tellus, ejúſque incolæ omnes deteſtantur.

Quòd ſi Angelis, magnis illis mentibus & cœleſtium orbium intelligentiis, illud ab uno ſcelere relictum eſt nomen; neceſſum eſt, ut idem quoque in omnes peccatores, in omnia peccata derivetur.

Eruamus

Eruamus illud è Scripturæ ſacræ monumentis.

Venerat in templum Anna, magni ſdeinde Samuëlis mater, ut in oculis Dei ſui, gemitus poneret, & ſupplicis animi vota: quæ non ore, non voce expreſſit, ſed alto corde tenuit, & preſſit. *Porrò Anna loquebatur in corde ſuo, tantumq́; labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur. Æſtimavit ergo eam Heli temulentam, dixitq́; ei: Vſquequò ebria eris? digere pauliſper vinum quo mades.*

1 Reg. c. 1 v. 13. 14.

Hæc fuit iniquæ calumniæ labes ejus nomini ac famæ inuſta; quam ut elueret, ita paucis excepit: *Ne reputes ancillam tuam quaſi unam de filiabus Belial.*

Pius Interpretum labor, & induſtria ſudat in hac voce *Belial*. Septuaginta vertunt: *Ne des ancillam tuam in filiam peſtilentem.* vel ut alii: *filiam peſtis.* quòd à temulentia, ut à peſte fugiendum.

Chaldæus Paraphraſtes legit: *Filiam ſine profectu.* Pagninus, & Vatablus ex Hebræo, *filiam impiam*, quòd ab ebrietate facilis ſit caſus ad impietatem. D. Hieronymus pro *Belial*, vertit, *ſine jugo*; ex ipſa nominis etymologia: quia jugum divinæ legis non patitur; ſed excutit ebrius animus, & Bacchi filius: qui ex eo quòd amabilem Dei ſervitutem non ferat, *Liber* appellatur. Et iſta quidem ex voce *Belial*, quæ malorum ferax eſt, dici poſſunt: ſed illud probatur magis, quod ore aureo probavit olim & extulit Divus Chryſoſtomus; qui pro *filia Belial*, exponit *filiam nihili*; hoc eſt, abjectam, vilem, contemptibilem, ad omne dedecus & probrum proſtituram: imò, *filiam nihili*, ut quæ divinis in tabulis è rerum creatarum ſerie deleta quodammodo, & expuncta videatur. Ecce quò rapit vel unicum ſcelus ebrietatis: è natura, ex Univerſo tollit; privátque etiam illo eſſe, quod creaturæ inanimæ à cœlo Deóque relinquitur.

Chryſoſt. Hom. 24. in ep. ad Epheſ.

Quod ipſum malum Dei Spiritu plena agnovit & ſcripſit Eſther Regina, quæ pro Iſraële, pro populo ſuo piè ſollicita Deum orabat, ne pateretur unquam aperiri, & pateſcere ora gentium, ne laudari idolorum fortitudinem, ne prædicari carnalem Regem in ſempiternum; quod ut cœlo propitio aſſequeretur, ita vocem ad ſuperos tollebat: *Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt.* Qui appellantur, inquies, illi, *qui non ſunt?* ex ſenſu, & interpretatione Reginæ mentis, Gentiles, idololatræ, carnales Reges *non ſunt*. ex D. Hieronymi calculo ac ſententia, hæretici *non ſunt*, & hæreſis ipſa *non eſt*; hoc illi nomen ita cenſuit, ita ſcripſit D. Hieronymus: *Tranſlati*, inquit, *eſtis in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, quia omne quod falſum eſt, non ſubſiſtit. Et quod veritati contrarium eſt, non eſt.*

Eſther c. 14. v. 11.

Hieronym. in c. 1. ep. ad Galat.

Quod etiam confirmat ex Iſaia, qui dæmonibus hoc nomen impoſuit, *non ſunt*.

In cap. 65. Iſaiæ.

Cujus appellationis rationem hanc reddit: *Quòd juxta litteram, & juxta ſpiritum nec dæmonia ſubſiſtant, quia jam à Deo, qui verè eſt, exciderunt: nec ſecta hæreticorum, quæ nullam retinent veritatem; ſed in umbrarum ſimilitudinem tranſeunt, atque intereunt. Vnde & Eſther loquitur ad Dominum: Ne tradas hereditatem tuam his, qui non ſunt.*

Hic ego te monerem lubens, qui à Luthero, à Calvino, ab hæreſi tua pertinax hactenus ſtetiſti; ut oculum, ut animum ſacris paginis, ut Reginæ ſanctiſſimæ, ut D. Hieronymo, viro etiam tua confeſſione magno, concederes, legerésque quod pſeudo-evangelio tuo, quod tibi ipſi ſit nomen. Fingas tibi alia nomina, quæ ipſas auras lacerant, & fatigant: at ex vero nomen non habes; nihil tibi, aliiſque hæreticis reliquum, niſi illud cum dæmonibus commune nomen, *non ſunt*.

Quòd ſi illud ſtultè deperis, & perditè tueris, nec *Deus & Sancti ejus* (qui teſte D. Hieronymo, *eſſe memorantur*; & qui te, ſi modò velis, in communionem ſui eſſe, nominiſque vocabunt) ſi, inquam, li non placent; ſi magis arridet Lutherus, Calvinus, aut alius quiſpiam de hæreticorum grege; in hoc rerum turbine, æſtúque bellorum, à quo quatitur & gemit Orbis, dicam cum Eſthere:

Hieronym. in c. Ioel.

Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt; ne rideant ad ruinam noſtram; ſed converte conſilium eorum ſuper eos, & eum, qui in nos cœpit ſævire, diſperde. Memento Domine, & oſtende te nobis in tempore tribulationis noſtræ.

Eſther. c. 14. v. 11. 12.

Sed ne longiùs, alius erit orationi locus; redeo ad inſtitutum, & à D. Hieronymo ad D. Auguſtinum tranſeo. Hic pro ea qua fuit ingenitæ mentis perſpicacia, ubi à peccatis adoleſcentiæ ſuæ, & ſibi & Deo reſtitutus eſt meditata oratione, acutóque ſtylo depinxit infelix & abjectum illud, *non eſſe*, in quo & ipſe aliquando fuerat. Ita loquitur, dum ſibi ſoli vacat, & loquitur:

Nihil eſt mors, nam per ipſam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et juſte quidem hoc Domine; nam digna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus, tamquam aqua decurrens: quia ſine te factum eſt nihil, & nos faciendo nihil, facti ſumus nihil; quia ſine te ſumus nihil. per quem facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil, O Domine Verbum, ô Deus Verbum, per quod facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil. Væ mihi miſero toties obcæcato: quia tu lux, & ego ſine te. Væ mihi miſero toties vulnerato; quia tu ſalus, & ego ſine te. Væ mihi miſero toties infatuato; quia tu es veritas, & ego ſine te. Væ mihi miſero toties oberrato; quia tu via, & ego ſine te. Væ mihi miſero toties mortuo; quia tu vita, & ego ſine te. Væ mihi miſero toties adnihilato; quia tu Verbum per quod facta ſunt omnia, & ego ſine te, ſine quo factum eſt nihil.

Soliloq. c. 4.

Et capite 5. ubi ſe ipſe, & lubricas adoleſcentiæ ſuæ vias deplorat:

Confitear, inquit, *tibi Pater, Domine cœli & terræ, miſeriam meam, ut me venire liceat ad miſericordiam tuam. Miſer quippe factus ſum, & ad nihilum redactus ſum; & neſcivi quia tu es veritas, & ego non eram tecum. Vulneraverunt me iniquitates meæ, & non dolui, quia tu es vita, & ego non eram tecum: ad nihilum deduxerunt me, quia tu es verbum, & ego non eram tecum, per quem facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil, & ideo ſine te factus ſum nihil, quia eſt nihil quod ad nihilum ducit.*

Cap. 5.

Et infrà, ut oſtendat quantum ſit malum, à Deo per peccatum ſeparari, ita proſequitur:

Sed quid eſt ſeparari à verbo? Si hoc quæris ſcire, audi quid eſt verbum. Verbum Dei dicit, Ego ſum via, veritas, & vita. Separari ergo à verbo, eſt eſſe ſine via, ſine veritate, ſine vita; & ideò ſine ipſo nihil; & ideò malum, quia ſeparatur à verbo, per quod facta ſunt omnia valdè bona.

Ioan. c. 14.

Separari autem à verbo, per quod omnia facta ſunt, nihil aliud eſt, quàm deficere, & à facto tranſire in defectum, quia ſine ipſo eſt nihil. Quoties ergo à bono devias, à verbo te ſeparas, quia ipſum eſt bonum; & ideò nihil efficeris, quia ſine verbo es, ſine quo factum eſt nihil.

Nunc igitur Domine illuminaſti me lux, ut viderem te: vidi, & cognovi me: quia toties nihil factus ſum, quoties à te ſeparatus ſum: quia bonum quod tu es, oblitus ſum, & ideò malus effectus ſum.

Væ mihi miſero, ut quid hoc non cognoſcebam? Quia te deſerens nihil fiebam? Sed quid hoc quæro? Si nihil eram, quomodo cognoſcere volebam? Scimus quia nihil nihil eſt: & quod nihil eſt, non eſt: & quod non eſt, bonum non eſt; quia nihil eſt. Si ergo nihil fui, cùm ſine te fui, quaſi nihil fui, & velut idolum quod nihil eſt, quod quidem aures habet & non audit, nares habet & non odorat, oculos habet & non videt, os habet & non loquitur, manus habet & non palpat, pedes habet & non ambulat, & omnia lineamenta habet membrorum ſine ſenſu eorum.

Cap. 5.

Cum igitur fui ſine te, non fui: ſed nihil fui, & ideò tacens eram, fœdus & inſenſibilis; quia nec bonum diſcernebam,

Cap. 6.

uebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum meorum ſentiebam, nec tenebras meas videbam, quia eram ſine te vera luce. Væ mihi! vulneraverunt me, & non dolui; traxerunt me, & non ſenſi, quia nihil eram, quia ſine vita eram.

Hæc ubi dixit, in profundos gemitus, in ſingultus, in lacrymas ſolutus eſt. Et quiſquis oculo & animo legis, vide quàm ab Auguſtino ſis alienus.

A peccato ad nihilum deductus es, & non eris in perpetuum: convertiſti in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium; & tamen adhuc lætaris in nihilo, in nihilo exultas, geſtis, & ſolo cæloque inſultas. A peccato ad nihilum redactus es, & neſciſti. Idolum es: aures enim habes quibus excipias ſyrenum, id eſt, voluptatum cantus; at non habes quibus intelligas Dei fulminantis voces ac tonitrua. Oculos habes quibus uſurpare poſſis quidquid eſt in mundo vanitatis; ſed non habes quibus percipias quantum in una virtute ſit decoris & ornamenti. Nares habes, eáſque patentes & explicatas, ut libidinis tuæ nidorem & graveolentiam admittas; & non habes quibus haurias odorem cœleſtis ſponſi, & bonorum operum ſuaveolentiam, ut Chriſti ſis bonus odor in omni loco. Pedes habes quibus abeas, excurras, evoles quocumque excitatæ libidinis impetus rapit; at non habes quibus venias in ea, quæ Dei, quæ cœli, quæ ſalutis ſunt & æternitatis.

An non illud eſt ſummum malum, an non ſtupor, cæcitas & amentia diræ perditæque mentis? Teipſum judicem & arbitrum facio, mi Lector; oróque cùm in hac vita, imò & in æterna, aliquid eſſe poſſis, ne in perpetuum nihil eſſe velis.

Quòd ſi me audis, & illud ad ſolatium audi, venies in communionem aliquam Divini Nominis, & dices, Ego ſum. *Deus alter eris, dixi enim, Dii eſtis.* & dixit
Auguſtin. tract. 2. in ep. Ioannis. Auguſtinus, *talis eſt quiſque, qualis ejus dilectio: terram diligis, terra es: Deum diligis, quid dicam? Deus es.* Qui Deus eſſe potes, ne peccator, ne nihilum eſſe velis.

PROPOSITIO VI.
Peccatum eſt immane pondus.

Exod. c. 15. v. 5. & 10. *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.*

1. Reg. c. 6. v. 6. *Quare aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ægyptus, & Pharao cor ſuũ?*

Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

Cap. 5. HÆc olim ſtulti apud Sapientem: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.*

Quas enim alias ſequatur & terat peccator, qui ignota graditur via, & relicto virtutis tramite devius errat, eóque labitur, quò vagæ libidinis rapit impetus, quò cæcæ libidinis abducit error? Hinc labor, dolor, & ingens fatiſcentia corporis animique moles; hinc menſes & anni vacui; hinc inſomnes, ludicræ, efferæque noctes; hinc ærumnoſi Soles, quos videt, & patitur, multo ſcelerum ſuorum vel labore pertæſus, vel onere contritus. Sub illo dum gemit Regum fortiſſimus, oneris rationem ut reddat, ex-
Pſal. 37. clamat: *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

Verè grave eſt & immenſum onus peccati, quod eò quoque ſurgit ut caput, id eſt, intelligentiæ ſedem, & rationis arcem ſupergrediatur, ejúſque incumbens ab immenſo pondere ita deprimat, ut ſubſidat penitus, ut fatiſcat.

Petamus illud è ſacris paginis.

§. I.

Ipſa maria & elementa peccati pondus ſentiunt, nec ſuſtinent.

AB arca Dei capta peccarant Philiſtini, & in eo ſcelere longiores quàm par erat trahebant moras. Hinc illæ cœli voces, & minæ:

Quare aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ægyptus & Pharao cor ſuum? Nónne poſtquam percuſſus eſt, tunc dimiſit eos, & abierunt? 1. Reg. c. 6. v. 6.

Ubi gravem Dei manum ſenſit Ægyptus, ubi ſub ea gemuit Pharao, Iſraëlem dimiſit, & ille liber abiit.

Vos verò Philiſtini, & Ægypto, & Pharaone duriores eſtis: experti vindicem Dei manum, *quare aggravatis corda veſtra?*

Hæc illi quondam in Philiſtinos, quæ ego hodie in peccatores. quare, inquam, aggravatis corda veſtra? Si quæritis quod illud gravamen? Quod pondus? Audietis peccatum eſſe, quod animam gravat ac deprimit.

Teſtes volo illos ipſos Ægyptios, de quibus antè paucis: *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis, Submer-* Exod. c. 15.
ſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus; & qui- v. 5. & 10.
dem vivi ac ſpirantes: at verò mortui ex undis emerſere, in ipſum littus prodiere. In quo mirum illud videri potuit, vivos deſcendere ac demergi; mortuos autem aſcendere atque eminere. Quis neſciat viva corpora leviora mortuis? Leviora enimverò ſunt, ſi peccati pondus abſit; at ſi illud impoſitum, graviora.

Et hanc rationem affert D. Hieronymus, cur Ægyptii vivi deſcenderint in profundum quaſi lapis, & quaſi plumbum ſubmerſi ſint in aquis vehementibus; mortui verò viſi ſint in ipſas ripas & littora enatare: quia à mortuis aberat onus peccati, quod vivos depreſſerat, & profundo merſerat.

Eamdem vult eſſe cauſam, cur D. Petrus primò levior ambularit ſuper aquas, ac deinde mergi cœperit. *Petrus*, inquit, *qui antè levis pendulo greſſu calcabat undas, poſtquam infidelitate aggravatus, vorabatur à fluctibus, manu Domini ſublevatur.*

Quamdiu ea noxa vacuus fuit Petrus, ipſa aquæ pondus non ſenſit; & ſi ſenſit, ſaltem æquiùs tulit: at ubi acceſſit pondus infidelitatis; tum illius impatiens elementum premi cœpit, dehiſcere, laxare, ſolvere fatiſcentes undas; à quibus illicò merſus & abſorptus fuiſſet, niſi manus Domini jam mergi labique incipientem ſublevaſſet.

Et hæc una eſt à peccato tempeſtas: aliam accipe longè graviorem.

Cùm è continenti docuiſſet Chriſtus, navim conſcendit, ſolvit è portu, tranquillo & ſedato mari: ſed ut inquietum eſt, varium & inconſtans illud elementum; ecce ſubita in eo tempeſtas ſuboriri cœpit, agitari maria, totóque elemento vagari, furere, bacchari venti, ita ut navicula non tantùm aquam admittere, ſed & eâ operiri, tegi, & quaſi obrui videretur.

Hanc tempeſtatem deſcribit Matthæus his verbis: Cap. 8.
Motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.

Hos inter fluctus ſævóſque turbines, cæteris quà ſtupore, quà horrore attonitis ac fluctuantibus, unus ipſe Chriſtus dormiebat; nimirum ubique liber, ubique ſuus, & inter varios ſe fluctuantes æſtus minimè fluctuans.

Hic primùm tacere & mirari diſcipuli, deinde magis ingraveſcente periculo clamitare: *Domine ſalva nos, perimus.*

Ad has voces excitatus, eos ita increpuit: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Cúmque neque hinc ſibi & animo redderentur, aſſurgens *imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*

Illicò

Illicò enim ſubſedere maria, ſiluere venti, totíque elemento pax addita.

Hîc agitari ſolet una quæſtio: An ea tempeſtas, is motus oceani, naturæ vi ſolitóque ventorum impetu, an miraculo divináque virtute ſit excitatus?

A natura excitari potuiſſe, nemo eſt qui ambigat: at reipſa miraculo concitatum vult Origenes.

Tempeſtas, inquit, *non ex ſe orta; ſed poteſtati paruit imperantis, ejus qui educit ventos de theſauris ſuis.*

Sed hinc altera petitur quæſtio; Cur præter naturæ modum & ordinem turbantur maria, & venti ſuis è carceribus emittuntur? Volunt aliqui ideò commoveri, ut percellantur diſcipuli, cœlum ſuſpiciant, magiſtrum inclament: nimirum ubi ſilent maria, vacátque periculo; tum ſilet devotio, ſibi quiſque vacat, non Deo.

Theophilactus autem eò credit emota maria, ut jam indè Apoſtoli tempeſtatibus aſſueſcerent.

At omnium optimè D. Ambroſius; exiſtimat ortos illos adverſi maris æſtus, & propè demerſam fluctibus naviculam, quòd ea Judam proditorem veheret. verba D. Ambroſii ſunt iſta:

Luc. c. 5. *Non turbatur navis quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Iudam habet; etſi multa illic diſcipulorum merita navigarent, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat: in utraque Petrus, ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis.*

Portabatur eadem navi Petrus, portabantur alii Apoſtoli magnæ illæ leviſſimæque mentes; portabatur & ipſe Chriſtus, ipſa Bonitas ac Sanctitas, & tamen ab unius Judæ ſcelerata mente, velut immani pondere, cymba ſubſidit; nec eam elevant tot Apoſtolorum merita, nec ipſe Chriſtus eam ratus eſt attolli oportere: adeò ingens & portentoſum eſt peccati pondus, ſub quo ipſa laborant maria, turbantur elementa.

Quamquam non adeò mirum videri debet, ſi ipſe oceanus, qui ingentes navium moles, & velut impoſitas arces ſuo dorſo ſuſtinet, & in longè poſitos orbes exportat, ſceleſto oneri par eſſe non poſſit; cùm nec ipſi Angeli, Dæmoneſque ferendo eſſe poſſint.

Non eſſe autem ferendo, ex ipſius maligni Dæmonis confeſſione convincitur; qui ut in aliis mendax, in hoc uno veraciſſimus. Ait ille: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Iob. c. 1.

Hic dubium tangit D. Gregorius, cur ipſe Dæmon, cur malignus genius, qui totus eſt ſpiritus, expers corporeæ molis, non ait ſe percurriſſe terram, imò pervolaſſe; ſed quaſi lento & plumbeo pede perambulaſſe? Ut huic difficultati faciat ſatis, reſpondet: *Cùm ſe non pervolaſſe, ſed perambulaſſe inſinuat; quanto peccati pondere in imo prematur, demonſtrat.*

Quòd ſi ſcelerato oneri & ipſe Dæmon impar eſſe dicitur; quî puſillus & debilis homuncio par eſſe poterit? Si morbi pondus, ſi febrim æſtus, ſi afflicti corpuſculi dolores non pateris; qui onus peccati ejúſque labores ſuſtinebis? Certè animum inter & corpus quantum intereſt, tantum inter corporis & animi dolores ac pondus neceſſum eſt intereſſe. Attende quàm diſertè de hujus illiúſque diſcrimine D. Bernardus philoſophatur: *Quiſquis perfectè ſenſerit onus* Serm. 5 de valetudine cordis. *peccati, & animæ læſionem interiorem; utique aut parum ſentiet, aut ex toto non ſentiet corporis pœnã nec reputabit laborẽ, quo peccata noverit deleri præterita, futura caveri.*

Et qui a te illo onere ſenſúque liberum amo, paucis excipe quæ de illo vaticinatur Zacharias.

§. II.

Peccati pondus ex Zacharia.

HUic Prophetæ affuit olim beatus è cœlo genius, eique in aurem dixit: *Leva oculos tuos, & vide quid eſt hoc quod egreditur.*

Zacharia c. 5. Dum oculos levat, *ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una ſedens in medio amphoræ.*

Hanc dum oculis & animo ſedulus contemplatur, tum ei Angelus:

Hæc eſt impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os ejus.

Hoc ſchemate prodit impietas, hoc ore, vultu, oculis in ſcenam emittitur, tibíque ludit: ne porrò illudat, prudens cave.

Sed erit fortaſſe quod ex me quæras, Cur ea mulieris ſpeciem induere, cur ementiri velit? Cur in amphora conſidere? Cur talentum plumbi circumferre? Ad ea, hæc paucis accipe.

Mulieris ſpecie formáque viſitur impietas; Qua enim potiùs? Eſt mulier ſymbolum concupiſcentiæ; à qua ſeu fonte, ſeu parente, funditur & manat impietas. Eſt mulier in voluptatem facilis, & mollicula; eóque mulier audit, quaſi mollis aër, ut quæ leviore libidinis aurâ quatiatur & diffluat: eſt terra mollis, quæ ſcelerum omnium imagines & quantumvis adulterina ſigna admittat. teſtis erit experientia vel ipſo D. Gregorii Thaumaturgi ore jam inde expreſſa.

Expertus ſum, inquit, *mulierem eſſe quamdam mollem terram: cor enim ipſius quaſi ſagena prætereuntes concludit; quòd ſi manu ſola contingat, tenet: ſi ſin amplectatur, vinculis trahit.* In Eccleſ.

Et hoc ipſum facit voluptas omnis, hoc molitur impietas; ſi te tantùm vel manu vel extremo digito tangit, irretitum diſtinet: ſin autem amplexatur, iis vinculis innectit, è quibus non facilè te expedias: magnæ quippe & inſolentes mulieris illecebræ, pellices manus, lenones oculi, & ingens omninò ac portentoſum malum, de quo illud ſecundi philoſophi pronuntiatum, apud Maximum. rogatus quid eſſet mulier mala, ſcitè reſpondit:

Viri naufragium, domus tempeſtas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum, bellua conviva, ſollicitudo confidens, leæna complectens, exornata ſcylla, animal malitioſum, malum neceſſarium. De quo Serm. 9. ſolitus dicere Cato: *Si abſque fœmina eſſet mundus, converſatio noſtra non eſſet abſque Diis.*

Hæc aliáque mulieri congenita vitia, faciunt ut cùm in ſe ipſa videri non poſſit impietas, in mulieris ore, vultu, oculis, totoque corpore conſpici velit & gaudeat.

Sed cur, inquies, ſedet? Cur non conſiſtit in pedes? Cur ſeſe in viam non expedit? Sedet, enimverò, ſedet; quòd affixa ſit ſuis cupediis, quòd iners & pigra; quòd mœſta, & ad amphoram damnata: à qua ne longiùs abeat, illius ſinu velut paratâ ſupplicii ſede mergitur; & ne emergat aliquando, divina manus, cujus eſt ſceleri modum & finem ponere, & culpæ gravitatem gravitate ſupplicii compenſare, talentum plumbi, ingentis omninò molis ac pondeſis in os immittit.

Hoc tibi impietatis ſchema, hanc tabellam oculis & animis objicit divina miſeratio; ut in ea legas, quæ te peccati gravitas, quod pondus premat & opprimat.

A tua libidine, à voluptatibus, ab impietate levior tibi videris, vix imo pede terram tangis, ſoloque inſultas improbè; & quod malorum omnium caput eſt, ſuo ſceleri indormiſcens animus, & velut admiſſi ponderis expers, neſcit quæ peccati moles inſideat, quod talentum plumbi, quæ pœnæ gravitas impendeat: ſciet aliquando, & è ſupplicii gravitate peccati gravitatem meritò diſcet.

Sed iſta, inquies, ſunt alterius ævi, non hujus: ut ab imminente pœna grave ſit peccatum, levius tamen videtur ab inſita modò voluptate. Falleris equidem, falleris: quæ de ea pronuntiet Auguſtinus, conſidera.

Videte, inquit, *hominem oneratum ſarcinâ avaritiæ; videte illum ſub hac ſarcina ſudantem, anhelantem, ſitientem, & laborando ſarcinam addentem.* Tom. 10. Serm. 22.

Quid expectas ô avare amplectens onus tuum, & ſarcinam ſub humeros tuos. Quid expectas? quid laboras?

 quid

quid inhias? quid concupiſcis? Nempe ſatiare avaritiam: illa te poteſt premere, tu illam non potes ſatiare. An fortè non eſt gravis? Uſque adeò ſub hac ſarcina ſenſū perdidiſti?

Non eſt gravis avaritia? Quare ergo te de ſomno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non ſinit? Et fortaſſe habes cum illa alterum onus pigritiæ: & iſta duo, nequiſſima onera ſunt, ſecumq; pugnantia, premunt te & dilaniant te.

Non enim paria imperant, non enim ſimilia jubent. Pigritia dicit, Dormi; avaritia dicit, Surge; pigritia dicit, Noli pati frigidos dies: Avaritia dicit, Tolera etiam maris etiam tempeſtates. Illa dicit, Quieſce; illa non ſinit quieſcere: jubet non ſolùm, Procede, ſed & naviga trans mare, quære terras quas ignoras.

Hactenus Auguſtinus de onere avaræ mentis: ex quo de reliquis facilis erat conjectura.

Lib. 2. Epiſt. Epiſt. 7. Gravia enim, ut inquit Ambroſius, *delictorum pondera, gravia criminum verbera; ſicut onus gravantur grave, & infligunt animæ cicatrices, & putreſcere faciunt mentis ulcera.*

PROPOSITIO VII.

Peccata ſunt funes, & vincula.

Pſal. 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.*

Iſaiæ 5. v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.*

Divina manus Iſraëlem ſedulò coluerat non ſecus ac vineam ſolet benè providus agricola.

Sed ô vineæ malum, ô nefas Iſraëlia! Expectavit Deus ut faceret uvas, & fecit labruſcas.

A vino charitatis, & divini amoris muſto totus effluere, calere, fervere debuerat; & à vitiis diffluxit totus, & elanguit.

Iſai. c. 5. Ab avaritia primùm laboravit; hinc illæ cœlo minæ: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis uſque ad terminum loci.*

Ab illo terrarum finiúmque nexu, ubi gazas multo preſſit & oppreſſit auro; tum deinde ſeſe in crapulam exoneravit, effudit in Bacchum, & inde aliæ funduntur minæ, ſuperiſque tonat illud: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandam uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris; & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis.*

Ea porrò nimium cupidæ avaræque mentis libido, ea Bacchi vis & inſolentia, quæ & Solem orientem & occidentem videbat, & feras olebat lucernas: ea, inquam, fortaſſe toleranda foret, ſi ſeſe unius diei culpæque termino contineret: at longiùs ſparſit, & veluti connexa peccatorum ſerie funem texuit, eoque ducuntur illæ Vatis minæ:

Væ qui trahetis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.

§. I.

Quàm inextricabiles peccati nexus? quàm gravia vincula?

Componit vates iniquitatem cum funiculis, peccatum cum vinculo plauſtri: nec immeritò. Iniquitas funis eſt, trahitur ille primùm, ducitúrque è filis tenuibus; tam vario nexu gyróque ita implicatur & torquetur, ut funis evadat, iſque validiſſimus, quem diſſolvere, frangere, etſi plurimum velis, non poſſis.

Ita & iniquitas: ea petitur è rebus parvis, è levicula vanáque voluptatula, ſeu tenui filo texitur, & ita intricatur, ut fiat funis, cui diſſolvendo vix eſſe poſſis, quantumvis labores, ſudes, incumbas.

Hos funes olim ſuo malo texuit Auguſtinus, ideóque de iis quàm optimè philoſophatur, multâ doctus experientiâ: *Optimè,* inquit, *dicitur reſtis peccatorum: ut enim torqueatur, reſtis additur; & non adduntur recta fila, ſed torta: pravitas ſibi connexa ducitur in longum, & non cogitat præcidere quod malè texuit; ſed addere, producere in longum, protendere ut habeat in fine unde illi ligentur manus & pedes, & projiciatur in tenebras exteriores.*

Et in Pſalmum 52. tractans hunc locum Iſaiæ, de quo mihi quæſtio:

Væ, inquit, *his qui trahunt peccatum ſuum, ſicut reſtem longam: quid eſt aliud quàm væ his quorum manus connectunt iniquitatem; ſed non vis modò diſrumpi vincula tua, quia non ſentis vincula tua, etiam delectant te, & voluptati ſunt: ſenties in fine cùm dicetur, Ligate illi manus & pedes.*

Sed ex his erit unus aliquis, qui etſi fateatur peccata eſſe vincula, volet tamen ea facilè rumpi & diſrumpi poſſe.

Ligatus olim erat fortiſſimus Sampſon à Dalila, ſed vincula ſic rupit, *quomodo ſi rumpat quis filum de* Iud. 16. v. 9. *ſtuppa tortum putamine.*

Eſt Dalila mollicula & putrida caro; ea vincula nectit, manicas parat invictiſſimo Sampſoni, ſed dormienti, ſed ſopito: credit iis teneri poſſe, ſed fallitur; ubi vigil ſomnum excuſſerit, vincula quoque excutiet, & rumpet ut tenue filum facilè diſſolvi frangivè ſolet.

Quod Sampſoni datum eſt, hoc & nobis dabitur: ſi à carne, à voluptate ſopiti ejus vincula admittamus, ubi primùm a gratia excitati fuerimus, abjiciemus.

Benè habet, tuum illud votum amo, ſpes illas tuas laudo; ſed velim attendas ea vincula, quæ diſſolvit Sampſon, corporis fuiſſe, non animi; illa diſſipare facillimum ei fuit, hæc effringere difficillimum: manus quidem expedire potuit, animum omninò non potuit. hæſit ille vinculis unius Dalilæ implicitus.

Ne te crede fortiorem Sampſone, Auguſtino validiorem: magni illi fuere Heroës, tu abjectus es puſio; & cùm is ex rei veritate ſis, te poſſe exiſtimas quod illi non potuerint? Ut eam quam de te ipſo tuiſque vinculis opinionem concepiſti deponas, Auguſtinum conſule, ejúſque gemitus.

Suſpirabam, ait, *ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat ac conſtrinxerat me.*

Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido: & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas; quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat ut te gratis colerem, fruíq; te vellem Deus ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam: ita duæ voluntates meæ; una vetus, alia nova; una carnalis, alia ſpiritualis confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam.

Nimirum ingens omninò telum eſt, quæ à longa conſuetudine gignitur neceſſitas; de qua & illud Lucii Flori verus & verum pronunciatum: *Antiquiſſimum omnium eſt Deus, maximum locus, velociſſimum mens, fortiſſimum neceſſitas, prudentiſſimum tempus.* Quod ſi fortiſſimum eſt neceſſitas, vide ne à longa peccatorum ſerie, ab inveterata conſuetudine, ea tibi aliquando imponatur.

Quamquam nec in his funibus ac vinculis ſiſtit peccati vis, & miſeranda ſervitus. Ne leviora fortaſſe videri poſſint ea vincula, fit tibi quaſi vinculum plauſtri peccatum, in quo id uſu venit quod equo, quod bovi, quod infelici jumento fieri ſolet.

Ubi primò jugum induit, ubi vincula & habenas præſentit, ubi ad currum raptandum emittitur; reſilit, recalcitrat, & quà dente, quà feroce ungula jugum excutere, vincula diſſolvere, currum evertere molitur: quod ſi emoliri poſſit, liber abit, excurrit, evolat,

evolat, & pulverea nube ſe tegi gaudet: tantum pòteſt etiam in jumento inſitus amor otii ac libertatis, innatumque odium ſervitutis ac laboris.

Quòd ſi tamen aliquando domino ceſſerit, ſi jugum admiſerit, eique jam aſſueverit, tum verò illud etiam ſponte ſubit, & mox ut è præſepio ſolvitur, in illud incurrit & propè involat, etſi ſub eo laborandum ſudandúmque eſſe jam antè didicerit. Ea nimirum eſt vis conſuetudinis, ut illi non humana mens, non ratio tantùm; ſed & ipſaquoque natura, ſenſúſque rationis expers cedere videatur.

In quo te ipſe videbis peccator, in ipſa peccati occaſione, velut primo mali limine: Ubi te infelix genius in ſceleris jugum vocat, ubi in manicas, in compedes, in vinculum plauſtri; tum verò infame peccati jugum, inſolitum onus horres, declinas, averſaris, & quà licet fugis.

At ubi victas manus dediſti, ubi longa peccandi conſuetudine callum obduxiſti; tum in ipſum peccati jugum incurris & involas, factus ſimilis miſerabili jumento.

Velim attendas quid ſuper ea re D. Ambroſius; in illa Prophetæ Regii verba: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*, ita habet: Pſal. 118.

Sicut erabit vitula lorum jugi, quæ etſi non tenetur è proximo, tenetur tamen, nec ſe explicat & abſolvit; ita erabit unuſquiſque peccator indomitis moribus iniquitates, qui putat ſe liberum, quia non eſt jugo ſubditus, ſubjectuſq; judicio, & neſcit quòd non ſit exutus; ſed magis, ut illa vitula, & ipſe ſe implicat ſuorum nexibus peccatorum. Iſi ſunt ergo funes delictorum noſtrorum, quibus involvimur & ligamur, quemadmodum ſunt & vincula delictorum.

Quæ verò ſint ea vincula ita paucis exponit: *Ligat nos vinculis carnis illecebra. Vinculum noſtrum avaritia eſt, vinculum noſtrum ebrietas eſt, vinculum noſtrum concupiſcentia eſt, vinculum noſtrum ſuperbia eſt. ſunt* Luc. c. 13. *& diaboli vincula; ſcriptum eſt enim: Hanc filiam Abrahæ ligavit ſatanas decem & octo annis.*

Ut illam ligavit olim, *ita & ligat nos Diabolus criminum nexu, ligat nos vinculis fornicationis, vinculo adulterii, vinculo perfidiæ, quæ Chriſtus negatur; vinculo invidiæ, quæ frequenter etiam frater appetitur; vinculo crudelitatis, quæ nonnumquam ſocius & conformis occiditur.*

Hæc ſunt vincula, quibus ligatus unuſquiſque inclinatur, ut animam ſuam levare non poſſit, nec obtutus ad cœ- Ibidem. *lum mentis erigere, niſi ei dicat Dominus: Dimiſſus es ab infirmitate tua, & manere eum ſua benedictionis erexerit.*

Hæc ſunt ſceleratorum vincula, quæ duo peccatores ligant, hoc eſt Diabolus, & miniſtri ejus, vel certè Menrath, id eſt amaritudo, vel certè Eſau, hoc eſt terrenus & callidus.

Ut ab iis te ipſe fideliter explices, offert idem Ambroſius alia vincula, quæ induas. *Exi*, inquit, *de vinculis tuis, exi de nexibus peccatorum tuorum: ſolve funes erroris tui, quibus circumdatus & ligatus es.*

Alia vincula ſunt Domini Jesu, *charitatis, ſpei, fidei*, quibus illigemur.

Sequamur illa vincula Chriſti, fugiamus illa vincula venatorum; ne dum incidimus, dum ignoramus laqueos eorum, pes noſtra mentis incurrat, nec anima noſtra cervicem nexibus inſeramus.

Ita quondam monuit è pulpito Ambroſius, & etiamnum è cœlis monet. Ut benè monenti cedas, oſtendam quomodo tibi ab illis peccati vinculis pereat libertas omnis, quàm gravis incumbat ſervitus, & quæ opera, quàm abjecta, quàm immania imponantur.

§. II.

A peccati vinculis tollitur libertas omnis, & miſeranda ſervitus imponitur.

L*iberum & ſui arbitrii & ſuæ poteſtatis invenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem ad ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quàm ejuſmodi ſtatus formam: neque enim facie, & corporalibus lineis tam variis in genere humano ad uniformem Deum* Adverſus Marcionem l. 2. c. 5. *expreſſus eſt, ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt, animæ ad formam Dei reſpondentis, & arbitrii ſui libertate & poteſtate ſignatus eſt.*

Ita Tertullianus. ex quo intelligis libertatem eſſe imaginem, ſimilitudinem, formam & ſignaculum Dei homini impreſſum, adeóque ſummum bonum, quod à natura accepimus, hauſimus: ut proinde nemini mirum videri debeat, ſi pro ea ut pro vita pugnemus, imò & vitæ beneficio anteponamus.

Quo in genere mirum illud quod Joſephus re- De bello Iudaic. c. 28. fert, Eleazarum natione Judæum Caſtellum Maſſadam cùm ſtrenua ſociorum manu adverſus Romanos tueretur, ubi ſe arctiùs obſideri animadvertit, nec ſpem eſſe ſolvendæ aliquando obſidionis, aut victoriæ: gravem ad commilitones ſuos habuiſſe orationem, in qua multa inſeruit de immortalitate animi, multa de glorioſa morte vinculis & ſervituti præferenda.

Ea ratio ſociorum omnium ita commovit animos, ita libertatis amore incendit, odio ſervitutis extulit (erant autem in univerſum 60. viri ſupra nongentos) ut in mutuas cædes corruerint, ſeſéque invicem interemerint.

Ita iis meliùs viſum eſt liberis mori, quàm ſervis vivere, Romanis eo ſpectaculo attonitis, nec ſatis capientibus obſtinatos animos, tam faciles ad mortem, quàm difficiles ad ſervitutem.

Hoc facinus in Duce, in milite, Martióque genere fortaſſe non adeò mirabere; at multò magis ſi in tenero & imbelli puellarum ſexu.

Ejus meminit Philo Hebræus: *Narrant*, inquit, Lib. quod omnis probus ſit liber. *Macedones, Dardanas mulieres, quæ ſervitutem credebant miſeram, turpiſſimam, ſuos pueros, quos in ulnis bajulabant præcipitaſſe in fluminis gurgitem, acclamando: Vos certè non ſervietis. Polyxenam quoque tragicus Euripides inducit contempta morte curam libertatis gerere, dum ſic loquitur: Liceat mori me liberam.*

Ex his concludit, puellulos ac mulierculas, illos ætate, has ſexu fragiles nativo libertatis amore ſic teneri, ut, *ne hanc amittant, ad mortem tamquam ad immortalitatem properent.*

Sed hæc pro libertate geſta ſunt, non ſine nævo, & aliqua peccati labe; ideò tamen à me allata, ut videas quanta ſit vel ipſius naturæ cum libertate neceſſitudo, ut eam quæ cum vita eſt etiam diſſolvat ac peſſumdet; tum deinde ut inde conficias quantum tibi certandum ſit pro libertate, quæ bonæ mentis eſt, quæ filiorum Dei.

Si enim ea, quæ corpus & fortunas afficit; (animo enim vis inferri nulla umquam poteſt, is ubique liber eſt, ubique ſuus) ſi ea inquam, adeò habetur in primis curis; quo loco conſcientiæ fideique libertatem haberi eſt neceſſe?

Attende quo eam habuerit S. Pelagia, & ex ea diſce omnes; ita loquitur ore Ambroſio, & mutuata magni Præſulis eloquentis:

Volens morior, nemo me continget manu, nemo oculo Tom. 2. in *proterva violabit Virginem: mecum feram pudorem, me-* Pſal. 104. *cum incolumem verecundiam: nullum prædones lucrum ſuæ capient inſolentiæ. Pelagia Chriſtum ſequetur, libertatem nemo auferet, nemo captivam videbit liberam fidem inſignemq; pudicitiam, & profapiam prudentiæ. Quod ſervum eſt, hic manebit, nullos in uſus debitum.* Hæc illa. Cui iſta ſubjicit Ambroſius: *Magna igitur piæ Virginis libertas, quæ ſepta agminibus perſecutorum, inter maxima pericula integritatis & vitæ nequaquam inclinata eſt.*

Sed iſta, inquies, Pelagiæ, Agnetis, aut Theclæ libertas fuit, & aliarum, quas ſibi cœlóque Deus ſelegerat; non omnibus ea eſſe poteſt: nos humiles animæ quandoque ita premimur innato concupiſcentiæ

vitio,

vitio, ut, velimus nolimus, miſeræ ſeccumbamus ſervituti.

Imbelles profectò & enerves ſumus, ſi viri cùm ſimus, puellulæ in ea parte concedamus. Verùm ne tibi inde præſidium facias, ne eam libertatem ſupra naturæ vires eſſe putes, ne cogi te clamites, urgerique ut quæ non velis admittas, ex verbis Ambroſii lege quid olim Calanus Alexandro:

Ibidem. *Amici perſuadent tibi manum & neceſſitatem inferre Indorum philoſopho, nec in ſomnis videntes noſtra opera. Corpora enim transferes de loco ad locum, animos non coges facere quod nolunt: non magis quam ſaxa aut ligna vocem emittere. maximum ignis viventibus dolorem movet, & gignit corruptionem; ſuper hunc nos ſumus: viventes enim exurimur. Non eſt Rex, neque Princeps qui extorqueat à nobis facere quod non propoſuimus, nec ſimiles ſumus Græciæ philoſophorum, qui verba pro rebus meditati ſunt ad opinionis celebritatem; nobis res ſocia verbis, & verba rebus; res celeres, & ſermones breves: in virtute nobis libertas beata eſt.* Præclara verba, inquit Ambroſius, *ſed verba: præclara conſtantia, ſed viri: præclara epiſtola, ſed philoſophi.* Cum quo velim teipſum conferas, qui non philoſophus es, ſed Chriſtianus. Cenſuit ille Indorum philoſopho neceſſitatem inferri non poſſe: tu tibi ipſe non tantùm malè agendi neceſſitatem inferre pateris, ſe[...] iva & longa conſuetudine etiam infers.

Corpora ille de loco ad locum transferri poſſe credidit; ſed animum à ſua ſtatione dimoveri poſſe negavit. Tu verò & corpus in ſuas libidines ire, & animum vago & incerto cupiditatum æſtu quaquaverſum ferri & efferri pateris.

Corpori quidem & flammas & ignes injici poſſe putavit; ſed animum ſupra flammas & ignem eſſe pronuntiavit.

Tu verò non corpus modò, ſed animum, non dico reluctantem, ſed annuentem, imò & geſtientem depravatis amoribus, ceu ignibus & flammis tradis; adeò non ſupra ignem & flammas es, ſed in igne & flammis totus.

Sua ille virtute ac conſtantia fretus exiſtimavit, neque Reges, neque Principes umquam extorquere poſſe, quod ſibi priùs animus non perſuaſiſſet. adeò verum illud Poëtæ:

Juſtum, & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Horat. lib. 3. Ode 3. *Non vultus inſtantis tyranni*
Mente quatit ſolida; neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Tu verò Chriſtianus cùm ſis, nec vana Indorum philoſophia malè tinctus, ac libertate donatus; ſed in altiore Chriſti ſchola innutritus, & eam aſſecutus libertatem, quæ eſt filiorum Dei; tamen & à propoſito recedis, nec Principi aut Regi te ſubjicis, ſed impotentium tyrannorum jugum & vincula recipis: quot enim tibi imperant paſſiones, tot etiam tyranni dominantur, & vincula nectunt. Infaudam illam peccatoris ſortem, abjectam ſervitutem, infelicia vincula deplorat D. Ambroſius:

L. 2. Epiſt. Epiſt. 7. *Eſt*, inquit, *qui cùm paucioribus præſit, pluribus dominis & gravioribus ſervit; ſervit enim propriis paſſionibus, ſervit cupiditatibus ſuis, quarum dominatum nec nocte poteſt fugere, nec die; quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſervitium patitur intolerabile.*

Quod ſervitium quàm anceps, quàm varium ſit, ita deinde paucis explicat:

Ibidem. *Servit enim formidini, ſervit etiam cupiditati, ſervit avaritiæ, ſervit libidini, ſervit malitiæ, ſervit iracundiæ: & videtur hujuſmodi ſibi liber; ſed magis ſervit, quam ſi ſub tyrannis poſitus.*

Ubi varias illas ſervitutis leges durámque ſortem, & jugum tot paſſionum, veluti tyrannorum, expoſuit; tum percitus æſtu quodam doloris ac commiſerationis exclamat:

Quàm miſerum igitur eſt, ut qui naſcimur in libertate, moriamur in ſervitute.

Cùm primùm editi ſumus, & ſacro Baptiſmatis fonte eluti, nati ſumus cœlo, & in ſacram aſciti libertatem: felices omninò, ſi ut in ea naſci datum eſt, ita & mori concederetur; ut enim idem Ambroſius alio loco:

Glorioſa libertas quam nulla ſervitus culpa, nulla peccatorum vincula, nulla criminum commercia, degeneris nexus ſervitutis addicunt. *De Iacob c. 3.*

§. III.

A peccati vinculis trahitur homo inſtar jumenti ad opera ſervilia.

DIcitur olim Priami filia, incenſâ & ruente Troiâ, ad æthera manus ſuſtuliſſe, Deóſque immortales precata, ut terra ipſi dehiſceret priuſquam ſervilia ad opera manum admoveret.

Votis puellæ annuere viſi ſunt Superi: ſubitò enim terra diſceſſit, & aperto ingenti hiatu ac voragine abſorpta eſt, atque ex oculis evanuit.

Ita Cointus Smyrneus, penes quem ſit fides: eam certè eſſe ſi voles, fateberis Regios in puella animos, *L. 13. Paralip.* altámque indolem non tuliſſe eas manus, quæ olim annulo gemméque illuſtres, in libertatis luce ac ſplendore fuerant, in ſquallore ſitúque ſervilis operis emareſcere.

Ejuſdem cum hac puella animi fuiſſe legitur puellulus, cujus meminit Philo Judæus, libro quòd omnis probus ſit liber.

Celebratur, inquit, *Laconis pueri mira quadam ingenuitas: captivus enim abductus à quodam Antigoni milite, liberalia quidem non recuſavit miniſteria; ſervilia verò ſe negavit exhibiturum, quòd abhorreret à ſervitio.*

Hæ olim ingenuæ mentes, amicæ libertatis, & ſervitutis inimicæ; à quibus multùm diſſimilis & alienus eſt peccator: trahit ille *iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.*

Similis infelici jumento, quod ubi jugum admiſit, & per ora ſpumantia frænum hauſit, ad abjecta opera rapitur, duriſque laboribus fatigatur: modò enim aratrum ducere, terrámque in ſulcos verſare cogitur; modò incumbentem à tergo currum raptare; modò lutum cinerésque vehere ad ſtercorandos agros; modò molam vertere, & in gyros ſæpiùs repetitos agi, ſelláque torquere; modò ſeſſoris ſui pondus ferre, ſub eóque fatiſcere; modò denique per anhelantes agros effuſo curſu ferri pulverea nube malè ſordidum.

Nec minora à peccato patitur, qui ei paret animus: ubi enim illi incubuerit, uti ſeſſor aliquis jumento, ad opera ſervilia ſtatim abjicit.

An non eſt ſervile opus, ventri, gulæ, & abdomini ſervire?

An non opus ſervile, libidini, Veneri, & impuris amoribus obtemperare, & ad inſtar filii prodigi in cupiditatum ſuarum ſtabulo porcos paſcere? Quid enim aliud cogitas? Quid moliris dum illi cupidini morem geris, niſi ut porcos paſcas ac ſagines?

An non opus ſervile, auro cumulando, congerendis per fas & nefas opibus inſudare, & dies noctéſque incumbentes avaritiæ curas ita ſuſtinere, ut ab illis numquam indormiſcas?

An non opus ſervile, auram popularem ſequi? aliorum nutus obſervare? ad eorum leges vivere? gratiam venari? favores aucupari? & in Principum Regúmque atriis noctes inſomnes ac vigiles agere? Et hoc ideò tantùm, ut aliquis tibi iſque brevi periturus honos obveniat.

An

An non denique opus eſt ſervile, quod vix ferat quantumvis patiens jumentum, continuò agi, rotari in gyrum paſſionum tuarum, dum una alteri ſuccedit, ex altera naſcitur, & nunquam interrupta ſerie te miſerum ita ſequitur atque obruit, ut perpetua vertigine damnet?

Pſal. 11. *Impii* enim, ut ait Propheta, *in circuitu ambulant*, & molam vertunt, à qua non pinguis aliquis farinæ floſculus nitórque effluet; ſed ſteriles, inanes, abjecti furfures, qui vacuum ventrem nunquam impleant. Hæc ſervilia peccatoris opera eleganter deſcribit D. Ambroſius:

L. de Ioſeph. c. 4. *Servile eſt omne peccatum, libera innocentia: quomodo enim non ſervus omnis avarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello ſeipſum auctionatur? quomodo non & ille ſervus, qui ſubditus eſt libidini? Primùm ſuis ardet incendiis, & peccati ſui facibus exuritur, ſuſcipit omnes metus, inſidiatur ſomnis ſingulorum. Ut unius cupiditate potiatur, fit ſervus omnium. Servit igitur, ac miſeram quidem ſervitutem: qui ipſe ſibi dominos facit, ipſe vult habere quos timeat.*

Quòd ſi hæc ita ſint, ſi ex tibi à peccato ſarcina, ea ſervitus, ea ſervitutis opera inducuntur: *Deponamus*, inquit ille ipſe mellifluus Doctor, *tam gravem ſervitutis ſarcinam, renuntiemus luxuriæ ac delictis, quæ nos quibuſdam aſtringunt nexibus cupiditatum, & vinculis ligant.* *Lib. 2. Epiſt. Epiſt. 7.*

Ut benè monenti obſequaris, & quàm citiſſimè morem geras; ne tibi moram inde facias, quòd ea vincula mollia videantur & amœnia.

Sint aurea, ſint byſſina vincula; vincula tamen ſunt, parúmque intereſt quî vinciaris, fertóne, an auro. Si tam hoc quàm illo captivus teneris, benè tibi eſſe non poteſt.

Riſit olim & exploſit Antiquitas factum unius Heliogabali, qui ut in omni vita, ita & in morte fabula fuit.

Audierat ille à Sacerdotibus Syris ſibi violentâ morte eſſe pereundum: igitur ut molliùs periret, ſibi texuit funes ſerico & cocco intortos, quos collo ſtatim injiceret, paratóque hoc illi velut laqueo, ſi neceſſe eſſet, vitam finiret.

Paravit & gladios aureos, quibus ſibi ipſe vim inferret, ſi aliqua ab hoſte pararetur: paravit & in annuli pala, in ſmaragdis, & hyacinthis venena præſentiſſima, quæ ſtatim exſorberet, ſi quid extrinſecus periculi immineret.

Pontanus 2. parte. Quòd ſi neque laqueo, neque enſe, neque toxico ſibi vitam eripere poſſet, eam repetente importunis inſidiis hoſte; extruxerat ſibi altiſſimam turrim, ſubſtratis aureis gemmatiſque tabulis, ut ex iis ſe daret in præceps, & ſubito lapſu cervices effringeret. Has mortis adeundæ vias ſibi ipſe aperuit Heliogabalus non minùs inſolenti quàm ſtulto invento.

Credebat ab iis ſibi fore pretioſam mortem, & ad aliquam luxuriæ ſpeciem compoſitam. plurimúmque ad mulliendum fati dolorem, urgentémque moriendi neceſſitatem conducere, ſi ita occidiſſet, ut nemo alius ſic occidiſſe diceretur.

Dicámne quod res eſt, hoc ævo videri & ſpirare non unum aliquem Heliogabalum, ſed complures, qui ſibi coccinea, ſerica vincula nectunt, qui enſes cudunt aureos, qui venenum gemmatis poculis excipiunt, quibus eſt parum perire, modò pretioſè perire videantur.

Sed amabo te quiſquis is es, ad mortem, ad longam & triſtem æternitatem quid refert quî pereas, ſi modò peris?

Quid reo alicui inde ſolatioli, ſi laqueo coccineo gulam ei præfocas? ſi gladio aureo viſcera rimaris & ſodicas? ſi ab hoc & illo miſeram & reluctantem animam eripias?

Certè hoc mortis genus ei mitius non videbitur; quia totum in ipſa morte malum eſt.

Ita neque tibi ſuavior mors accidet, ſive eam petas à voluptatum tuarum mollitie, ſive ab inſolenti iræ aut aliarum paſſionum impetu accerſendam putes: totum enim in ipſa morte malum eſt.

Quamquam neque adeò faciles ac teneri voluptatum nexus, ut ipſe tibi fingis. Hæres adhuc in primo limine, vix è carcere emiſſus es in apertum illius campum. Ubi tandem vitæ, & cupiditatum tuarum metam attigeris, tum multâ doctus experientiâ ſenties cum Auguſtino, & dices: *Vincula hujus mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidamq́ quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem. Hîs tu inſeras manus & pedes? Niſi cæcus ſis & amens non inſeras.* *Epiſt. 39. ad Licentium.*

PROPOSITIO VIII.

Peccata ſunt zizania.

Cùm dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici. *Matth. c. 13.*

SErvator Optimus, ut exhiberet ſpeciem aliquam naſcentis Eccleſiæ, parabolam propoſuit: *Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit.*

Hic moveri poſſunt & injici multæ quæſtiones. Quod regnum cœlorum, quis homo, quis ager, quod bonum ſemen, quæ zizania?

Regnum cœlorum eſt Eccleſia, quæ ideò dicitur, & audit regnum cœlorum, quia à cœlo regitur, & cœlum ſpectat.

Homo qui ſeminat, eſt ipſe Dei Filius, qui pro ea qua fuit in abjectos homines charitate, eò ſeſe dimiſit ut agricolam, ut hortulanum ageret, verſaret terram, ſemen jaceret, & in agrum, id eſt, ſubactum humani cordis ſinum, immitteret.

Bonum ſemen ſunt filii regni, Eccleſiæ filii; zizania filii nequam, degeneres à bona matre, à patriis legibus alieni.

Et hæc ſumma parabolæ, in qua duo potiſſimùm agitabo: primum, quæ ſint ea zizania; tum deinde, an ea ad meſſem uſque tolerare oporteat, ut tum demum in faſciculos colligantur, & igni tradantur?

Ad unam earum quæſtionum habes ex ipſo primæ Veritatis teſtimonio, zizania eſſe ſervos nequam; non ſunt porrò nequam niſi à peccato: ex quo facilis eſt conjectura, ipſa peccata, ipſam nequitiam magis dici, & eſſe zizania, ex vulgato illo Philoſophorum axiomate: *Propter quod unumquodque eſt tale, & illud magis.*

Sed ecce ſuccurrit alia quæſtio, an ea zizaniorum appellatio omni culpæ communis ſit, an uni ſingularis? Sancti Patres quandoque ita eâ utuntur, ut in omne peccatum transferant.

D. Auguſtinus, *Inter vos ſegetes Dei*, inquit, *ſunt mixta zizania, id eſt, amatores mundi, pecuniæ, amatores deliciarum, conſultores ungarlim, omnes quærentes quæ ſua ſunt, non quæ* Jesu-Christi. *Tom 4. feria 4 quatuor. temp. ſer. 2.*

D. Ambroſius zizania vocat *adulterina ſemina*, ſemina diaboli. *Aliud*, inquit, *eſt ſemen diaboli, aliud ſemen eſt Chriſti; aliud filius hominis, aliud diabolus ſeminat: quod ſeminat Chriſtus, regnum eſt Dei; quod ſeminat diabolus, peccatum eſt.* *L. 3. Hexameron. c. 10.*

Quandoque tamen hanc nuncupationem uni hæreſi propriam ac ſingularem eſſe volunt: & hoc in præſentia magis arridet, ut ſolam hæreſim inficiat, & infami hac appellatione velut ſtigmate notet.

Verùm hîc reclamant hæretici, & Papiſtas (ita enim nos appellare placuit, nomine, ut ipſi quidem autumant,

autumant, dedecoris & ignominiæ pleno; ex veritate autem honoris & gloriæ, qui à Papa totius Eccleſiæ Principe & capite, Papiſtæ dicimur & ſumus) Papiſtas, inquam, in jus vocant, acriter accuſant, acriùs damnant, quòd novo & priſcis ſæculis inuſitato nomine hæreſim deſignare præſumant.

Hæ ſunt eorum querelæ, hæc controverſia, hæ nobiſcum lites, quibus venia danda. Novatores ſunt, novorum amantes, & ſcioli, venerandæ antiquitatis vel penitùs ignari, vel, quod veroſimilius eſt, inimici.

Nemo certè eſt, nemo unus omnium, qui antiquos Patres vel levi oculo, vel per tranſennam viderit, qui non illicò adverterit per zizania hæreſim & hæreticos maximè intelligi oportere. Petamus ex illis nonnulla teſtimonia. primum quidem D. Hieronymi, qui totus in Scripturas incubuit, & germanos verorúque ſenſus eruit. De zizaniis ita loquitur:

Tom. 9. l. 2. in Matth. c. 13.

Inimicus homo ſuperſeminat zizania hoc eſt, hæreticorum dogmata.

D. Hieronymo conſentit D. Auguſtinus, & ipſe in ſacris Literis earúmque intelligentia nemini ſecundus: contra Donatiſtas ita habet: *Illud etiam quod dixi ad multitudinem zizaniorum, ubi intelliguntur omnes hæretici.*

Tom. 1. retract. l. 2. contra Donatiſtas.

D. Cyprian. apud Auguſtin.

Pro qua ſententia etiam citat S. Cyprianum martyrem, cujus hæc ſunt verba: *Etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impedire debet aut fides aut charitas veſtra, ut quoniam zizania in Eccleſia eſſe cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.*

Divis Hieronymo & Auguſtino adjiciam Tertullianum: ſua ille eloquentia fidei Catholicæ antiquitatem commendabit, & hæreſeos novitatem damnabit: *Ab exceſſu,* inquit, *revertar ad principalitatem veritatis, & poſteritatem mendacitati deputandam, ex illius parabolæ patrocinio quæ bonum ſemen frumenti, à Domino ſeminatum, primò conſtituit; avenarum autem ſterilis fœni adulterium, ab inimico Diabolo poſtea ſuperducit: propriè enim doctrinarum diſtinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt.*

Tertullian.

Sed hactenus auctoritate pugnatum eſt ſatis: ratione quod ſupereſt evincendum.

Zizania Græcè, Latinè lolium dicimus: eſt autem infelix lolium, morbus frugum, ſegetis contagium, ac peſtis, utque eleganter Tertullianus ſupra, *ſterilis fœni adulterium.* nec enim ſpontaneo ac legitimo naturæ conceptu partuque prodiit lolium; ſed veluti coacto, fortuito, illegitimo, adulterino. Ita nec è ſponſa naſcitur hæreſis, ſed adultera, ſed ad omnem libidinem proſtituta; eſtque velut meretrix, quæ ſeſe ſub omni fronde, erroris aura ventóque agitata, falſitati fœdè proſtituit; verbo uno eſt lolium, eſt morbus, eſt peſtis, eſt contagium tritici; hoc eſt, electorum.

Et ne iſta putes è verboſa eloquentia, non è natura peti; attende quæ lolii ſit malignitas; tum deinde ex ea, quæ etiam hæreſis.

Lolium dicitur hoc ab origine hauſiſſe vitii, ut acres in cerebrum vapores emittat, & denſa nube velut fuligine compleat; quæ deinde à cerebro in oculos delapſa, eos malè afficit, aciémque debilitat.

Quod oculis lolium, hoc fidei eſt hæreſis. *Fides,* inquit Tertullianus, *eſt oculus. qui non habet oculos, nihil videt, nihil invenit; ſed tantummodo quærit.* Oculos in capite, velut ſpecula natura collocavit, ut longè poſita proſpiciant, ut ſint viæ duces, prodromi, & anteambulones, qui viam aperiant, monſtréntque quæ ſequenda ſemita, quæ declinanda.

Et fides in hac mortali vita, qua ad immortalitatem tendimus, nobis eſt pro duce. *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* inquiebat David. Ea porrò lucerna, is oculus ab una hæreſi non tantùm hebetatur, ſed & penitus extinguitur: idcóque ea curâ ſervanda fides, qua oculi pupilla. de hac Drogo Oſtienſis Epiſcopus:

Pſal. 118.

Drogo Oſtienſis.

Quomodo, inquit, *pupilla oculi eſt ſubtiliſſima, & niſi impigrè & ſollicitè cuſtodiatur à palpebris, leviſſimi & tenuiſſimi pulveris tactu confunditur: ſic & res fides, niſi pervigilem ſemper habeat cuſtodiam, nihil citiùs perturbatur.* Et hæc prima ſimilitudo lolii cum hæreſi. Alteram accipe, quòd ſicut bonam ſementem lolium impedit & ſuffocat; ita & hæreſis ſi mixta tritico diutiùs ſuccreſcat, illud omninò perdit atque extinguit.

Et hinc in alteram quæſtionem pedem immitto, permittendúmne ut uſque ad meſſem, hoc eſt, ultimam perituri Orbis periodum zizania tritico, hæretici Catholicis permixti ſuccreſcant, & durent.

Erit aliquis, qui omninò permittendum clamitabit, vel ipſo primæ Veritatis teſtimonio; qui ſervis præproperè in meſſem ruentibus, jámque in loliorum ſtragem imminentibus, pro ea qua erat patientia dixit: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.*

Hæc Chriſti vox, hoc oraculum fuit, quo jubemur zizania pati cum tritico.

Non jubemur tamen; addidit enim Servator optimus: *Ne ſimul eradicetis & triticum.* Si enim dum evelluntur, extirpantur, colliguntur zizania, periculum ſit ne ſimul eradicetur & triticum; eſto, *ſinite creſcere uſque ad meſſem.* at verò ſi nullo tritici damno ſejungi, abjici poſſunt, ſejungite, abjicite. Ita fieri probant Sancti Patres, ita ratio perſuadet, ita factum amat omnis ætas.

D. Auguſtinus venit aliquando in eam mentem, ut diceret ea zizania eradicari non debere, ſed inſigni patientia ad extrema meſſis tempora igni & flammæ ſervari oportere.

Neminem, inquiebat, *ad unitatem Chriſti eſſe cogendum: verbo agendum eſſe, diſputatione pugnandum, ratione vincendum.*

At poſtea ſeipſum correxit, doctus exemplo ſuæ civitatis, quæ eam vim paſſa fuerat, non ſine commodo, magnoque civium ſuorum emolumento.

Primò, inquit, *opponebatur civitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium converſa eſt.*

Epiſt. 48. ad Vincentium contra Do.

Quod factum eſſe quàm optimè vel ex eo convincit, quòd & ipſe Paulus vas electionis ita à Chriſto quodammodo compulſus ſit ut crederet.

Ubi eſt, ait Auguſtinus, *quod iſti clamare conſueverunt? Liberum eſt credere, vel non credere: cui vim intulit Chriſtus, quem coegit? Ecce habent Paulum Apoſtolum; agnoſcant in eo cogentem Chriſtum, & poſtea docentem; prius ferientem, & poſtea conſolantem.*

Epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem.

Cum D. Auguſtino conſpirat D. Thomas; dum enim quærit, an Infideles cogendi ſint ad fidem? ut eam quæſtionem faciliùs evolvat, homines orbe toto fuſos in duas claſſes ac ſeries dividit. Una eſt eorum, qui numquam fidem ſuſceperunt; cujuſmodi ſunt Judæi & Gentiles: & illi cogi omninò non poſſunt.

2. 2. quæſt. 10. art. 8.

Altera eſt eorum, qui fidem aliquando admiſerunt: & hi cogi poſſunt, ut quod cœlo propitio hauſerunt ac promiſerunt, etiam reipſa expleant.

Rationem à ſimili petit Angelicus Doctor: ſicuti vovere eſt voluntatis, votum reddere neceſſitatis; ita & fidem ſuſcipere libertatis fuit, ſuſceptam Deo reddere neceſſitatis.

Quòd ſi ut reddas, tua te voluntas non inclinet; ipſa neceſſitatis ratio, legum vincula, via aperta cogere poteſt: nec eſt quòd de injuria queri poſſis, dum reddere juberis quod debes; tu teipſum iſtis vinculis implicuiſti, ut ſanctè te expedias eſt neceſſe.

Rationi ſuffragatur omnium propè ſæculorum experientia, & Principum, Regum, Cæſarum auctoritas, ſacráque legum religio, quæ primùm hæreticos

reticos ratione tentandos edocuit, deinde ſi ei recalcitrent apertâ vi cogendos.

Ne omnes conſecter, unus inſtar omnium erit Conſtantinus Magnus, qui latâ lege, edictóque Cæſareo propoſuit pœnam capitis in eos omnes qui Arii codices domi retinerent. Si in ipſos codices, mutos characteres, typos exanimes adeò ſeverè juſta tanti Cæſaris ira deſævit; quàm rigidè in ipſum Arium & Arianos animadvertiſſet?

Hic fuit invicti Cæſaris pro fide orthodoxa animus, hæc pietas & religio; quam utinam excipiant Cæſares omnes, antiqua conſequentes.

In hoc voto, hac in ſpe dum vivis, vive in area Domini, in horreo Romanæ Eccleſiæ; ita vivere docuit D. Auguſtinus, cujus hæc oratio:

in Pſal. 149. *Nemo ſe ſeparet, nemo ſe disjungat; triticum es, ferto paleam, quouſque ventiletur: de area vix excutieris, ſi triticum es: ſi triticum eſſes foris ab area, invenirent te volatilia, & colligerent te. Adde quia eo ipſo, quo diſcedis & volas, paleam te eſſe indicas; ſed quia levis eras, venit ventus, & de ſub pedibus boum ablatus es: qui autem triticum ſunt, ferunt trituram; gaudent quia grana ſunt; gemunt inter paleam; expectant ventilatorem quem cognoſcunt Redemptorem.*

PROPOSITIO IX.

Peccatum eſt vox ſanguinis, & clamor validus.

Geneſis c. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

§. I.

Vox peccati.

VOx eò homini data eſt, ut latentes animi conceptus exprimat, & in aliorum aures animóſque circumferat. Et peccato ſua vox eſt, quæ etiam abditos animi ſcelerati receſſus explicet, & in lucem apertumque proferat; & ita quidem, ut quamvis cætera taceant, peccatum unum altùm loquatur, & clamet.

Et primùm quidem ad animam loquitur, & laceræ conſcientiæ aures ita fatigat importunis clamoribus, ut neque interdiu neque noctu quieſcere patiatur. Reus es. & hæc prima, atque maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe; & velis nolis abſonas, hiulcas, efferas peccati voces audiſſe.

Quòd ſi ea peccati vox contineri poſſet intra mentis adita ſecretúſque receſſus, tolerandum foret; ſed elabitur illa, terris, aëre cœlóque ſonat, & longo tractu ad ipſius Dei aures, mentémque allabitur. Peccarat in Anglia Gilbertus Comes, & B. Thomam Herefordienſem Epiſcopum multis injuriis ad necem uſque & fata ſecutus erat; tamùm ipſe vim non intulerat.

Non tacita nocte, non alto ſilentio premetur ſcelus: ut ſileant omnia, loquetur & inſonabit ipſa peccati vox, vox ſanguinis è terra tolletur, & ſurget; illi ipſi Thomæ cineres, oſſa exſucca & arida in ejus oculis recenti multóque ſtillabunt ſanguine, ſcelúſque prodent: ecce ut terram pulſat adverſa peccati vox, nec illam tantùm, ſed & aëra diverberat.

Peccarat Ibycus poëta nefandæ cædis reus: ſcelus illud dum terra tegit & celat, dum reticet omnis ætas hominum; illud aperiunt garrulæ per aëra grues: ex quibus ad omnem ſcelerati memoriam in poſteros abiit illud adagium: *Ibyci grues.*

Peccarat & Beſſus, patrióque ſanguine per ſummum nefas manus ſuas contaminarat: illud ſcelus obruebat terra, mœſtóque tumulo tegebat: at non diu tegi poteſt quod malè clauditur nefas: ut terra taceat, obmuteſcant homines, vocem expedient & explicabunt ipſæ etiam ſi voles per aëra volucres: ipſæ hirundines, quæ fortè in cœnaculo nidificarant, inter menſam & pocula de nece garriunt, & quod latebat ſcelus inſciæ & innoxiæ produnt. Eos hirundinum garritus ipſe unus capiebat Beſſus; nimirum ejus unius conſcientia aurita & aperta fuit; ſurda & clauſa cæteris; dúmque non capit, non fert importunos illos avium garritus cædis olim paternæ nuntios, arreptâ manibus haſtâ nidum petit, diſturbat, evertit, & amenti ſimilis exclamat, An non auditis? Non capitis quid muſſitent, garriant, clamitent importunæ hoſpiti ſuo hirundines? Me, me paternæ cædis inſimulant, arguunt, damnant. Et verò ita damnarunt; nec adeò mirum, cùm & ipſa jam antè damnaſſet admiſſi peccati teſtis & index conſcientia.

Audiſti ſeu terræ, ſeu aëris indices ſcelerum voces; & alias audi, à quibus cœlum ipſum inſonuit, quod ut omnia tegat, unum peccatum non tegit, nec tegere poteſt.

In ipſis mundi cunis, primáque naſcentis orbis infantia, peccarat invidus Cain, & fraterno ſanguine cruentas manus infecerat. Aſtupuit terra, & erubuit ubi cruentum bibit imbrem, ſanguinémque hauſit; & tam infandæ cædis impatiens in cœlum ipſum vocem extulit. Hinc illud tonantis Dei fulmen: *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad* Chryſoſt.
me de terra. Non homo ſum, inquit, *qui ſolam illam* Hom. 19. in
vocem audiam, quæ per linguam profertur; Deus ſum, qui Gen.
poſſum & per ſanguinem audire clamantem, & alibi proſtratum, & in terra jacentem. Ecce quouſque volat vox ſanguinis hujus, & uſque in cœlum à terra aſcendit, & prætercurrens cœlum cœlíq; ſuperiores virtutes throno aſſiſtit, & tuum deplorat homicidium, ac nefandum hoc ſcelus accuſat: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Benè ait, *Vox ſanguinis fratris tui, non frater clamat: hoc innocentia & gratia germanitatis etiam in ipſa morte ſervat.*

Non accuſat vox ipſius, non anima ejus; ſed vox ſanguinis accuſat quem ipſe fudiſti: tuum te ergo facinus, non frater accuſat: vox ſanguinis fratris tui clamat de terra. Non dixit, de fratris corpore clamat; ſed de terra clamat: & ſi frater parcit, terra non parcit; ſi frater tacet, terra condemnat. Ipſa eſt in te teſtis, & judex: teſtis acrior, quæ parricidii tui ſanguine madet; judex aſperior, quæ tanto ſcelere inquinata eſt, ut aperiret os ſuum, & reciperet ſanguinem fratris tui de manu tua: & illa quidem aperuit os ſuum, quaſi exceptura de fratribus verba pietatis, nihil timens cum fratres videret, quæ ſciret jus germanitatis, amoris incentivum eſſe, non odii.

Nam quomodo poterat parricidium ſuſpectare, quæ adhuc non viderat homicidium? Et quia non viderat, credidit impius latere poſſe; ſed nuſquam latet, nuſquam mergitur ſcelus: emergit illud, & ut cætera taceant, loquitur ſanguis, & vindices à cœlo pœnas expoſcit: vox inquam ſanguinis, id eſt peccati, quod quia ſanguis eſt, etiam aliquando ſeſe ſanguinis ſpecie oſtentat. Quo in genere ſolemne & prodigioſum illud quod refert Thomas Walſingam Hi- Pag. 311.
ſtoricus Anglus in geſtis Richardi Secundi Angliæ Regis.

Agebatur dies menſis Auguſti vigeſimus, iſque ſacer S. Oſwino Regi & Martyri; cujus ſacra ſolemnémque memoriam niſu temerario violare auſi duo nautæ, hoc cœlo vindice prodigium perſenſerunt.

Jacebat in littore ventis ac fluctibus afflicta laceráque navis, quam dum reſarcire parat ex iis unus, lignum dolare incipit, ſecuríque percutit: diceres aridum exſuccúmque lignum non tam ferri pondus & aciem, quàm peccati vim & violatæ diei ſcelus

perſenſiſſe: vix enim ſecuris ipſa lignum attigerat, cùm ex eo, quaſi accepto immani vulnere, copioſus ſanguis effluxit.

Hac prodigii novitate territus infelix nauta, primùm horrore quodam attonitus hæſit: deinde ſeipſe, diémque qui volvebatur excuſſit, deprehenditque Sancto Oſwino dicatum eſſe: denique ſuum ex illo ſanguinis profluvio ſcelus agnovit, damnavit, conceptóque voto ſanctè adpromiſit, nihil ſe umquam eo die ſervilis operis moliturum.

Hæc dum ſpectat auditque ſocius, miraculum parvi pendens, inſolenti riſu, oréque maledico ſpondet & jurat, ſe lignum illud etiam eo die probè improbè dolaturum: & ne vana verba putares, ſecurim arripit, attollit, magnóque niſu in ictum incumbit. Sed ecce iterum antiquum novúmque prodigium: è parte ligni percuſſa multus ſanguis emanat: neque tamen inde à cœpto opere revocatur (adeò ira ſcelere obduruerat animus) ferrum utraque manu prehendit, ſtringit, vibrat, lignúmque quamvis reluctans & invitum à quatuor partibus malè cædit. Crederes in eo mali ſenſum eſſe; & verò fuit: ſanguinem enim omni parte dedit, teſtem peccati, vindicémque violati die feſto Numinis. quod ubi, quamquam ſeriùs, agnoſcit miſer, & ipſe impotentem audaciam ſuam incuſat, vovétque nihil in poſterum eo die facturum unde S. Martyris memoria violari poſſit. Et hoc miraculi genus facit ut peccatum ſanguis eſſe, & dici debeat: Cur enim ſanguine proditur, niſi quia ſanguis? Facit etiam & ipſa ſanguinis natura, atque affectio: eſt enim concupiſcentiæ ſedes, & inſtrumentum; dat materiam & fomitem tum libidini, tum iræ, tum ſuperbiæ, eáſque perverſæ mentis affectiones accendit, atque inflammat. Eſt immundus, & ex lege prohibitus; & qui ſanguinem fundit, animam quoque effundat eſt neceſſe. Ita ſe habet peccatum; pravis animi affectionibus vel materia eſt, vel fomes; eſt libidinum & cupiditatum omnium ſedes, divina humanáque lege prohibitum; & qui illud ab anima fuderit, & animæ vitam, quæ in gratia poſita eſt, etiam effundet: eam verò ubi fuderit, ubi ſparſerit; tantæ jacturæ impatiens terra cœlúmque vindices ſuperni Numinis iras expoſtulabit, non exili, non tenui, non ſuppreſſa voce, ſed ingenti & effuſo clamore; ut enim D. Ambroſius: *Excitatur Deus flagitiorum noſtrorum clamoribus, ut aliquando vindicet qui libenter ignoſcit.* Lib. 1. de Abraham, c. 6.

§. II.

Peccatum eſt clamor.

Gen. c. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt.*

PEccati vocem audiſti; aures erige, & validum ejus clamorem excipies: impudens enim, effrons & pervicax os peccatoris, quod malitiam ſuam animi latebris ac receſſu conſcientiæ non retinet, non ſumma labra premit, non languidula & ſuppreſſa voce quod concipit ſcelus ſubmurmurat; ſed immani clamore effundit, adeò ut & aures fatiget, & auras ipſas etiam ſenſus expertes laceret.

Is fuit clamor Sodomorum & Gomorrhæ, qui multiplicatus eſt, & ſæpiùs reſonuit, ut ſolet echo. Ubi vox, aut ſonus incurrit in corpora dura, levia & ferè concava, qualia ſunt fornices, dolia, fluminum ripæ ob aquæ lævorem; tum iterum iterúmque repercutitur, & vocem reddit quæ Philoſophis dicitur Echo. quòd ſi eadem vox incurrat in corpora mollia & aſpera, ea aërem non repercutiunt, ſed vel ſopiunt vel diſſipant.

Quod aëri vox & echo, hoc cœlo terriſque fuere peccata Sodomorum: terris quidem ea non ita inſonuere, quia terra ſuapte libidine mollis erat, & ſuis ipſa ſceleribus aſpera; at quia cœlum contra peccata & peccatores obduruit, quia leve eſt, terſum, mundum, & explicato fornice concavum, iterum ac ſæpiùs vocem geminavit, ut ſolet fidelis echo; quod ipſum ſatis ſuperque inſinuat Scriptura his verbis: *Clamor Sodomorum & Gomorrha multiplicatus eſt.* Geneſ. c. 18.

Clamorem, inquit Auguſtinus, Scriptura *ſolet ponere pro tanta impudentia & libertate iniquitatis, ut nec verecundia nec timore abſcondatur.* Lib. 1. de Gen.

Is fuit Sodomorum, apud quos, ut idem S. Doctor, *non ſolùm non puniebantur illa flagitia, verùm etiam publicè velut lege frequentabantur.* In Enchiridio ad Laurentium.

Ubi ita invaluit ille clamor, velut è ſua ſede excitus Deus, *Deſcendam*, inquit, & *videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Geneſ. c. 18. v. 21. *Magna*, inquit Ambroſius, *Domini patientia, ut non ſtatim peccatorem puniat, ſed diu differat expectans correctionem; nec commoveatur ad ulciſcendum, niſi peccator menſuram excedat.* De Abraham l. 1. c. 6.

Exceſſit autem ubi eò venit impudentiæ, ut non tantùm vocem terris ediderit, ſed & clamorem in cœlos ipſos extulerit. quod Sodomitæ feciſſe leguntur: quamquam nec illi ſoli; etiam poſteræ ætates ab illo clamore inſonuere.

Dura cervix, obſtinatum caput & ſuperis adverſum fuit immitis Pharao, qui Iſraëlem contra cœli leges & pacta inſolenti ſervitutis jugo oppreſſit. *Et ecce*, inquit Deus, *clamor filiorum Iſraël venit ad me.* Exod. c. 3.

Duri ſunt, & in pauperes parum æqui, qui juſta mercede operarios defraudant; ab illa porrò fraude, *Ecce merces operariorum, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Iacob. c. 5.

Duri denique ſunt, qui ad pupillorum gemitus, viduarum querelas ac lamenta ſurdi ſunt, & ad lacrymas cæci; dúmque ii ſunt, audiant illud Eccleſiaſtici: *Nónne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & a maxilla aſcendunt uſque ad cœlum?* Cap. 35. v. 18.

Hæc nimirum eſt prima peccati vox, hic primus clamor; & ille vindictam expoſcit, celeres iras, præcipites pœnas, incendia, ruinas, cædes, ſtrages.

Sed & alia peccati vox, alius clamor: à Chriſto nato remitti cœpit, miteſcere, & aliud ſonare: neque enim ut olim iras ſpirat, vindicéſque manus; ſed vel maximè miſerationem appellat, veniam inclamat, & eam vocis remiſſionem habet à Chriſto, Chriſtique fuſo ſanguine, quem Paulus ad Hebræos vocat *ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quam Abel*; & certè meliùs loquentem: Abelis enim, vel ſi mavis, terræ hæc vox fuit: Vindica, feri, trucida, macta, perde. At Chriſti cœlique hæc vox: Indulge, parce, miſerere, veniam, vitámque dona. Ad Hebr. 12.

Et huic conſonare debet vox noſtra, ſi quando petamur injuriis; ſi à fortunis, nomine, fama, corpore, & vita ſi voles, patiamur, hæc nobis una vox; Indulge, parce, miſerere. nec enim Abelis ſumus, ſed Chriſti, & ejus ore, vocéque loqui, & ſentire debemus.

PROPOSITIO · X.

Peccatum eſt infirmitas, & morbus animi.

Sana animam meam, quia peccavi tibi. Pſal. 40. v. 5.

Miſerere mei Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Pſal. 6. v. 3.

SUb intemperie corporis & animi fatiſcens Propheta Regius, cum gemitu & lacrymis exclamat: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.*

Infirmus erat, exhauſtus, enervis à morbi vi, quæ ad oſſa pervaſerat. Diceres eſſe aliquam luxationem oſſium,

oſſium, aut ſtuporem, aut ſenſum acuti doloris: quamquam Galeno judice non tam oſſa ſentiunt ac
De locis affectis, c. 7. dolent, quam membranæ iis adjacentes, quarum affectio prava, dicitur oſſium labor dolórque; in his enim partibus, quæ palpitationis aut tremoris capaces ſunt, ingens aliquis doloris ſenſus ineſſe ſolet.

Verùm ut ut ſit, ſeu oſſa laborent, ſeu membranæ iis adhærentes, ſit illa lis inter medicos; extra litem illud: Ubi ingentem aliquem dolorem exprimimus, dicimus ad oſſa uſque penetraſſe: *Gelidusq; per ima cucurrit oſſa tremor.*

Et is Davidi fuit, ad oſſa pervenit, omnéque corporis robur, quod in oſſibus reſidere ſolet, perſumdedit, & abſumpſit.

Si à corpore malè affecto ita ingemuit Regum fortiſſimus; quos ab ægra mente gemitus non dediſſet? Quamquam ſi & huic & illi indoluiſſe dixerimus, à veritate non recedemus.

Infirmus erat David, infirmus etiam quiſquis eſt homo; ut enim D. Chryſologus:

Serm. 45 *Quid infirmius homine, quem ſenſus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa lædit, tempus deſerit, mutat ætas, hebetat infantia, juventus præcipitat, ſenectus frangit.*

Ecce corporis, ecce mentis infirmitas, à qua oſſa, hoc eſt, facultates & virtutes omnes ſatiſcunt, & velut ſub immani pondere ſubſidunt.

Sed ad rem ipſam propiùs accedamus; audio enim, aurem vellicas, & ex me quæris: Quid eſt morbus? Seu illum corporis, ſeu etiam animi eſſe velis.

Corporis quidem eſt ipſa humorum intemperies, & gravior inter ſe pugna & diſſenſio; cùm enim aut exundat ſanguis, aut nimiùm funditur & frigeſcit pituita, aut accenditur & inardeſcit bilis, aut denique nimium ingraveſcit melancholia; tum ut animali, ut corpori malè ſit eſt neceſſe: itaque ab iis humoribus, velut à quatuor fontibus, morbi propè omnes oriuntur & fluunt.

Ut corpori, ita & animo. hujus morbus & infirmitas eſt ipſa intemperies, qua abripi poteſt intellectus aut voluntas; pars ea quæ dicitur iraſcibilis, aut quæ concupiſcibilis, quæ inter ſe plerumque diſſentiunt, ut in corpore humores ſolent.

Si ad ea quæ ſalutis ſunt caligat aut cæcutit mentis oculus, morbus eſt: ſi vigilat ille quidem, & ea voluntati aperit, ſed hæc torpet & languet, & illud etiam morbus eſt: ſi pluſquam natura ratióque velit æſtuet aut excandeſcit iraſcibilis potentia, & hoc rurſum morbus eſt. Si denique concupiſcibilis facultas ſeſe inclinet & abjiciat in illicitos amores, inſana deſideria, & illud ipſum etiam morbus eſt.

Habes pauca, & ſummatim quidem de morbis animi: nec enim minutiùs perſequi, & ſingula iſtarum affectionum genera recenſere umquam fuit animus; ea fuſiùs explicat D. Ambroſius, & oſtendit quos febrium æſtus, Ignéſque ab illo ſeu iraſcibili, ſeu concupiſcibili appetitu animus patiatur.

Luc. 4. 5. c. 5 *Fortaſſis*, inquit, *in typo mulieris illius ſocrus Simonis & Andreæ, variis criminum febribus caro noſtra languebat, & diverſarum cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris; nec minorem febrem amoris eſſe dixeris, quàm caloris.*

Itaque illa animum febris, hæc corpus inflammat. Febris enim noſtra avaritia eſt, febris noſtra libido eſt, eò quòd ignita ſint cupiditates, febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt; quæ licèt corporis vitia ſint, ignem tamen oſſibus implicant, mentem, animum, ſenſumq; pertentant.

Hæc S. Doctor de perverſis affectionibus ſeu animi morbis, quos omnes ſedare is unus poteſt, qui dicit: *Non eſt opus medico ſanis, ſed malè habentibus.*

Eo medico opus habuit humana natura, quæ ab illis paſſionibus quàm peſſimè laborat.

Ecce, inquit D. Bernardus, *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non dicit morbos corporis, non* De adventu serm. 3 *moleſtias carnis, ſed peccatum, quod eſt morbus animæ, & corruptio mentis. Ecce qui tollit peccata mundi. Unde utique? A manu, ab oculis, à collo, demum etiam à carne ipſa, cui altiùs infixum eſt. Tollit peccatum à manibus, commiſſa peccata delens: tollit ab oculis, purgans cordis intentionem: tollit à collo, violentam removens damnationem.*

Optandum nobis ut ita & à manibus, & ab oculis, & à pedibus, & à capite, & à toto corpore tollat. Ita quondam ſuſtuliſſe legitur à Theodoſio Quarto Imperatore Auguſto. Sentiebat ille ſub purpura graves & periculoſos animæ morbos latere & tegi poſſe: ideóque eam ex humeris excuſſit; réque cum Germano Patriarcha & Senatu communicata, tranſtulit in Leonem Iſauricum ejus nominis tertium, ipſéque unà cum filio Clericus factus, vitam egit procul ab aula ſtrepitúque negotiorum, tandémque Epheſi diem ultimum clauſit, miraculis etiam poſt obitum clarus. De quo & illud refertur memorabile, voluiſſe ipſum epitaphii loco tumulum inſcribi hac una voce, *Sanitas.*

Nimirum qui ſibi Deóque vixit, mundóque mortuus eſt, næ ille perfectam ſanitatem eſt conſecutus. Ut eam aſſequaris ita vive, ita morere; tumulóque tuo aſcribetur hæc epigraphe, *Sanitas.*

De ea profectò cuique debet eſſe primus labor, Pontanus in bellariis parte 2. potiórque cura: ſi enim vel una corpuſculi ſanitas, quod paucos poſt annos, imò & fortè dies, in cineres ſolvendum eſt, adeò in votis eſt, primáque cura; quantam neceſſe eſt eſſe animorum, quos natura æternitati & immortalitati reſervavit?

Pyrrhus certè Epirotarum Rex ſolam ſanitatem à Diis precari ſolitus.

Antiochus non aliam militi teſſeram dare, quàm benè valere.

Imò & Imperatoribus dabatur liber expreſſus mandatorum, in quo præceptum primum erat, ſedula cura conſervandæ ſanitatis.

Nimirum inter bona quæ nobis offert relinquitque hæc vita mortalis, longè maximum eſt ſanitas: quæ una ſi deſit aut concidat, vel alia omnia deeſſe eodémque caſu concidere & labefactari, aut certè minùs ſapere neceſſum eſt.

Ex hoc tacitu naturæ ſenſu factum, ut è Philoſophis nonnulli, ubi de beatitudine moveri cœpit quæſtio, eam in ſanitate corporis conſuerint eſſe reponendam.

Malè illi quidem, & præpoſterè: attamen venia danda fuit in eo ſæculorum iſtorum vitio & cœleſtium bonorum ignorantia, à qua ſolo ferè corporis ſenſu ducebantur.

Atque hæc faciunt ut intelligas quo loco tibi eſſe debeat animæ ſanitas, quibus eam votis à cœlo petere, quo ſtudio partam tueri ac conſervare. Ubi ab ea excidit Propheta Regius, affectæ mentis, internéque doloris impatiens, ingeminavit ſæpiùs illud: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*

Sentiebat nimirum, quàm gravis à peccato morbus animæ inſideret. Sed & illud ingens malum, & velut quidam attonitæ mentis ſtupor: Eodem morbo ut laborent plerique, pauci tamen à ſe depellere nituntur; ut iis dici poſſit & debeat quod olim Chriſtus paralytico: *Vis ſanus fieri?* Hic velle Ioan. c. 5. eſt ſanum eſſe. v. 6.

Si ſola voluntate, ſolis votis emi poſſet corporis ſanitas firmáque valetudo, hoc audeo polliceri, neminem unum toto orbe ægrum fore: valerent illicò medici, & vacuæ forent pharmacis officinæ: at animæ ſanitas, ut voluntate comparari poſſit, multi tamen adhuc in ſua illa ægritudine immorari volunt, imò & immori, adeò eos oppreſſit ille ſtupor; quem utinam abjiciant aliquando, ut æternùm ſani ſint.

PROPOSITIO XI.

Peccatum eſt lepra.

Deuteron. c. 24. v. 8. *Obſerva diligenter ne incurras plagam lepræ.*

Iſai. 53. v. 4. *Nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.*

HÆc poſtrema verba cecinit olim Vates, & hac ſpecie Chriſtum vidit, & ingemuit. Et ſanè quis non ingemiſcat, eò labi potuiſſe Deum hominem, ut quaſi turpi leprâ infectus, à Deo vindice percuſſus, abjectus, ac proſtitutus videretur?

Fuit enimverò, fuit ea lepræ ſpecies non Chriſto adnata, non proprio vitio contracta; ſed alieno ſcelere inducta: quo ſe dum tegit, & infami lepra texiſſe viſus. Quòd ſi alterius malo, velut immiſſo peſtilenti halitu afflari potuit hoc lepræ vitium, & Chriſto quaſi viſum eſt adhæreſcere; quanto magis affigetur, & infigetur illud, ubi tuo te ſcelere malè imbueris.

Ut autem intelligas, quæ ſit ea peccati labes, quæ macula tuo velut inuſta nomini; paucis habe, quæ lepræ ſpecies, quæ vitia, quæ monſtra.

§. I.

Quid lepra, & quæ potiſſimæ ſpecies lepræ?

SUnt corpori malè affecto, ſunt medicis tres omninò lepræ.

Prima dicitur *lychea*, vel *impetigo*, vel *lepra volatilis*; quia ſerpit, errat, & involat in cutem pilóſque capitis.

Naſcitur illa è pituita ſalſa, vel ſola, vel mixta cum atra bile.

Altera lepræ ſpecies *recurrens* dicitur; ea ſcilicet quæ ubi remedium admiſit, recurrit tamen, & corpus altiùs inficit.

Arguit ea magnam humorum intemperiem, naturæ vitium, & innatam mali propenſionem; à qua, ut loquuntur medici, morbus in habitum abire ſolet.

Tertia in eo genere, eſt lepra, quæ *molita*, ſeu *elephantia* dicitur: ea non tantùm in cutem & capillos evadit; ſed ipſi carni inſiſtit, altiúſque infigitur.

Originem ea ducit è pituita ſalſa, quæ non ſolùm in cutem aſcendit, ſed etiam ſubjectam carnem invaſit, & in vitioſi ſucci materiam geniúmque mutavit.

Eam medici explorare ſolent fricatione, & acu: ſi enim caro fricata non rubeat, ſi acu puncta non ſanguinem fundat, ſed aqueam lacteámque humiditatem expiret, dicitur & verò eſt *lepra molita*, *lepra elephantia*.

Et iſta hactenus de corporis lepra, quæ transfero ad lepram animi.

§. II.

Quæ ſit animi lepra?

VT corpori, ita & animo alia atque alia eſt lepra. Prima hæret in extrema cute, eámque malè imbuit, & novo induit colore. Quod carni cutis, hoc animo eſt externa quædam agendi ratio: ea a peccato primùm inficitur, & alio atque alio tingitur colore.

Videbis quandoque, & amabis in prima adoleſcentia ingenuum animi candorem, niveámque caſtæ mentis lucem ac colorem, qui vel ipſa corporis ſpecie ſeſe aperiebat.

Thren. c. 4. v. 1. At ubi primos illos adoleſcentiæ limites exceſſerit, alius erit à ſeipſo, alio notabitur colore, *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum? Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?*

Hæc olim multo gemitu, fuſiſque lacrymis Iſraëli accinebat Jeremias; & tibi etiamnum accinit quiſquis à teipſo, à primis moribus abiiſti adoleſcens: in te obſcuratum eſt aurum divini amoris, mutatus eſt color optimus ingenuæ caſtæque mentis, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii, omne robur animi, virtus omnis elanguit, & diſperſa eſt; & qui à bono nomine eras inclytus, & velut amictus auro primo, jam infamis audis, & abjectus: ita aurum optimæ converſationis abiit in vaſa teſtea, opus manuum figuli. Sed ne longiùs.

Ut corpori ſua renaſcitur lepra, ideóque *recurrens* dicitur: ita & animo ſua oritur & repullulat peccati labes. Sunt quos Dei miſeratio ab illa mali contagione liberos & immunes fecit: benè habet, & æternùm benè; audiant illud Chriſti ad paralyticum: *Sanus jam factus es, noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Soſpitantis Domini verba ſunt & docentis, curantis pariter & monentis: Ecce, inquit, ſanus factus es, noli ampliùs peccare. Dat vivendi morem, dat innocentiæ legem poſtquam contulit ſanitatem, nec habenis liberis & ſolutis poſtmodum vagari patitur.* *D. Cyprian. Lib. de diſciplina & habitu virgin.*

Utitur hic D. Cyprianus voce petita ab equis, quos effrænes, liberos, ſolutos eſſe, nec ſeſſor, nec frænum patitur: & meritò eâ metaphorâ ad peccati recidivam uti potuit: ut enim equi, quos lupus inimico dente momordit, ſi ab eo convaleſcant, evadunt generoſiſſimi: at ſi deinde vel leviter tantùm impreſſa lupi veſtigia calcent & terant, fiunt ignaviſſimi. *Pierius lib. 11.* Ita ſe res habet in omni vita; ſi quis mali dæmonis, ſi vel omnis peccati dentem morſúmque ſenſit, ab eo ſi reſpiret, ſi ſanus evadat, evadet etiam fortiſſimus: at ſi deinde lento greſſu vel ipſa tantum peccati veſtigia induat, unà etiam ignaviam & mortem induet.

Id ne fiat, peccatum, ſeu lepram recurrentem, fuge, fuge recidivam, & animo memori fige illud Eccleſiaſtici: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum.* *Cap. 5.*

Sed & aliud ab animi lepra malum eſt, quod non ſiſtit in cute, non hæret in extrinſeca illa corporis ſpecie, non defluit unà cum capillis, puta malis cogitationibus; ſed magis inſidet inhæret, imprimitur animo, omnémque divinorum ſenſum eripit; ex quo leproſæ menti tantus innaſcitur ſtupor, ut neque pudorem admittat, neque vim doloris ſentiat, neque laceræ conſcientiæ ſtimulos extimeſcat.

Sunt quos prima & innoxia ætas tenellos, peccatíque mirum quantum ſentientes habuit.

Sunt qui vel ad ipſam Veneris infandæ vocem multo ſanguine, multo rubore ſuffundi ſoliti.

Sunt qui benè monentes audire, ſunt qui ſentire doloris æſtum, & vim ſuavem pœnitentis animi, & etiam primos conſcientiæ ſtimulantis aculeos formidare, fugere, averſari.

Et ille doloris ſenſus argumento fuit benè affectæ mentis: at ubi eam occupavit, invaſit, & pervaſit peccati lepra; ubi inveterata conſuetudo malam auxit, & profundiùs infixit; tum omnem ademit ſenſum, vias omnes aditúſque interclusit, ne quid illabi & penetrare poſſit. Hoc ingens & immane lepræ vitium eſt, hoc malorum ſummum. Te ipſe quiſquis amas, quiſquis cœlo Deóque ſervatum eſſe vis, cave ne qua parte irrepat hæc peccati lepra, primúmque proſpice ne quid in externum hominem effluat, quod illius latitantis vitium arguat; tum deinde ne evadat in cogitationes, & mentis arcem; tum denique ne longo uſu, & antiqua peccandi conſuetudine ita contabeſcat animus, ut ab omni ſeu amoris ſeu doloris ſenſu diſcedat.

Non diſcederet ille ſi ut in corpus ita & in animum pius eſſes: ſed eſt hujus ſæculi labes, & macula

ſpicula quædam; horrent omnes vulnera luémque corporis; at animi morbum tabémque non perhorteſcunt.

Si corpori malè ſit, evocantur undique medici, évehuntur ex ipſo Oriente extremiſque terræ finibus medicamenta; nec operi, nec ſumptibus parcitur; aurum, gemmáque bibitur, ut corpori ſit quàm optimè; ſed anima plerumque habetur in poſtremis curis. Si poſſet illa queri (& verò quidni poſſet?) hæc tibi diceret in aurem:

Næ miſera, næ infelix ſum anima hoſpes comésque corporis; imò ſi voles, ſi noles, domina, magiſtra, regina corporis, primáque ac nobiliſſima hominis portio; & tamen abjicior ad extremas curas: & corpus hoc, hæc urna pulveris, hæc lutea, & argilloſa moles, hoc ductile ſepulchrum, hoc ſentiens cadaver, quod animâ vacuum mox in terram, in cineres ibit, habetur in amoribus primiſque curis. Næ præpoſteræ, næ inſanæ hominum curæ ac cogitationes, quibus ut medelam facias, illam accipe Divi Ludovici ſententiam; eſt ejuſmodi quam accipere, amare, ſequi debeat omnis ætas. Fuit illi quondam quæſtio cum præfecto Campaniæ, utrùm præſtaret infici leprâ, an peccato? hic cui prima corporis cura, & inſolens amor, ſubjunxit, præſtare peccato: tum hominem graviter excepit, & increpuit Ludovicus.

Toto, inquit, cœlo erras. Ecquæ enim lepra peccato fœdior, quod etiam poſt mortem affligit? Tu itaque ſi me amas, eam mentem mutato. Hæ fuerunt Regiæ voces, hæc oracula digna cedro; quæ utinam audiant & celebrent conſequentes ætates, & poſtera Franciæ ſæcula, ne in ea, uóſque ipſos cadat illud Poëtæ:

Ætas parentum, pejor avis tulit
Nos nequiores; mox daturos Horat. carm. l. 3.
Progeniem vitioſiorem. Ode 6.

Ne fortè & tu ipſe de ea ſis, *obſerva diligenter ne incurras plagam lepræ.* Deuter. 24.

§. III.

Septem lepræ, & ſeptem lotiones Naaman in Iordane.

ERat Naaman militiæ princeps, & Regi Syriæ in paucis carus; ut qui cæteris præſtaret & animi robore, & armorum gloria, à qua ſalutem patriæ pepererat. Verùm ut nihil omni parte liberum nævo; quantum illi ab armis præſidii, quantum ab opibus gaziſque Regiis erat ornamenti, tantum ab adverſa valetudine, ab infami lepræ doloris atque ignominiæ accedebat.

Ejus aliquando miſerta puellula captiva, *quæ erat in obſequio uxoris*, & quam olim latrunculi captivam de terra adduxerant, *ait ad dominam ſuam: Utinam fuiſſet dominus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria: profectò curaſſet eum à lepra, quam habet.* 4. Reg. c. 5.

Hæc arrectis auribus, avidis animis hauſit uxor; & ut erat amans mariti, ac ſanitatis appetens, ei aperuit quæ puellæ vota, quæ conſilia forent; nec ea contemni ac deſpici oportere: quandoquè ab humili mente opportuna ſalutis conſilia ſuggeruntur, quandoque etiam *eſt olitor non importuna locutus.* Placuit puellæ conſilium, celeri pede, leviore quadriga, magnis itineribus itum eſt ad Prophetam Eliſeum: pedibus alas addebat amor doloŕque; hic præſentis morbi, ille futuræ aliquando ſanitatis.

Ubi ad virum Dei ventum eſt, ubi ſignificatum adeſſe Naaman; non è cella prodit, non excepit hoſpitem, non ſalutem dedit, non lepram attigit; ſed abire juſſit ad Jordanem, in eoque ſepties lavari.

Hoc Prophetæ conſilium primùm diſplicere viſum eſt; probatum deinde: venit enim Naaman ad Jordanem, in eoque ſeipſum ſepties lavit, & mundata eſt caro ejus ſicut caro pueri. Hæc eſt ſeries rei geſtæ.

In qua primùm quæri poteſt, cur ad Jordanem emittitur? Tum deinde cur in eo ſepties elui jubetur?

Pro ratione eſſe potuit Prophetæ nutus ac voluntas, cui omninò fuit acquieſcendum; non defuit tamen etiam ipſa ratio.

Erat Jordanis in terra Iſraël, & fortè in propinquo, & obvius; erat deinde turbidus, & ſolutis è Libano nivibus totus intumuerat; ideoque minùs ſaluber & commodus diluendæ lepræ videri poterat, ut qui lutulentas ac ſordidas aquas veheret: & hic Jordanis tumor, hoc lutum Naaman obedientiam debitámque ſubmiſſionem probavit magis atque commendavit.

Sed cur, inquies, ſepties mergitur? Lavatur ſepties? Hîc pleriſque Interpretibus aqua hæret, dubiáque mens aliò atque aliò vertitur. E multis duo magis arrident: unum ad medicinæ principia revocatur, alterum ad mores facit.

Juſſus eſt lavari ſepties, quia ſeptenarius numerus perfectus eſt, & perfecta ſanitas fuit illi conferenda. Toſtatus. ibidem.

Amant medici numeros impares, eóſque ſibi deligunt, ut varias corporis affectiones prodant. Hinc videas criſes perfectas numero diſpari, & ut plurimùm ſeptenario, aut ejus geminatione fieri; quia numerum imparem, & præſertim ſeptenarium diligit, in eo criſes ſuas ac æſtus molitur atque oſtentat, niſi extrinſecus ſit impedita, aut aliunde laceſſita.

Accedit deinde, quòd & ipſe Deus auctor naturæ numero gaudet impari, & maximè ſeptenario. Hinc illud vulgò jactari ſolet: *Numero Deus impare gaudet.*

Ex quo etiam factum eſt ut antiqui, Dei obſervantiores, omnia impare numero, & potiſſimùm ſeptenario Diis ſuis ſacrificarent, ut teſtatur Fabius Paulinus, Petrus Bongus, aliique, qui de numerorum myſteriis ſcripſere.

Quòd ſi natura, Deúſque numero lætatur impare; quidni & eodem lætetur medicina, quæ naturæ eſt æmula, & nobiliſſimum divorum inventum?

His ita ex natura, ex medicorum placitis, & priſcorum recepto more conſtitutis, difficultati propoſitæ facio ſatis. Si ad cognoſcendos, & ex humanis corporibus depellendos morbos numerum illum obſervant medici; & illum obſervare potuit Eliſeus, ut leproſo illi medelam faceret.

Quòd ſi tamen non probes in hoc numero eſſe ſecretum aliquod naturæ conſilium, cauſarúmque naturalium vinculum, & quamdam veluti conſenſionem; aliam cauſam admitte, quæ ad efformandos mores accedit.

Jubetur Naaman, jubetur peccator lavari ſepties in Jordane, quia ſeptem ſunt peccata mortalia, quibus inficitur. Eſt ſingulis ſua lotio, quam ubi per ſacræ confeſſionis lavacrum adhibueris, tum erit caro tua ſicut caro pueri, munda, pura, immaculata. Cui etiam favere videtur ipſa puritas numeri ſeptenarii, qui ſolus inter numeros virgo dicitur, utpote qui nec generet, nec generetur.

Ejus nitoris particeps erit anima, quæ ſeſe ſepties in Jordane merſerit, atque eluerit; ut videri poterit ex iis quæ piè & ſimul ingenioſè edidit Divus Bernardus.

§. IV.

Septem lepræ, & ſeptem earum remedia ex D. Bernardo.

EX communi medicorum ſenſu, & Galeni ſchola, corpori malè affecto tria ſunt leprarum genera, ad quæ cætera facilè revocari poſſunt.

Sed

Sed animo longè plura, quæ D. Bernardus in Chriſti lycæo probè doctus, & medicinæ altioris peritus, ad poſterorum utilitatem aperuit.

Et quia varium ac ingens illud malum videri poterat, ei remedium ab altero Eliſeo (id eſt, Chriſto) petendum eſſe duxit: excipiamus D. Bernardi placita, medicáſque voces:

Septempliciter, inquit, *occupavit nos lepra ſuperbia in proprietate poſſeſſionum, in gloria veſtium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, ſimiliter & eſt in corde. Prima eſt lepra domus, quâ divites eſſe volumus in hoc ſæculo: ſed ab iſta mundamur, ſi immergimur in Iordane, id eſt, in Chriſti deſcenſu. Deſcendit ab inenarrabilibus cæli divitiis, & veniens in mundum, nec iſtas qualeſcunque divitias habere voluit: ſed in tanta paupertate venit, ut natus continuò poneretur in præſepio, quia ei non erat locus in diverſorio: denique quis neſciat quoniam filius hominis non habebat ubi caput ſuum reclinaret? Qui benè mergitur hîc quando quæret divitias hujus mundi? & verè magna abuſio, & magna nimis, ut dives eſſe velit vermiculus vilis, propter quem Deus majeſtatis, & Deus Sabaoth voluit pauper fieri.* Serm. de Resurrectione.

Et hæc de prima lepra; accedit & altera lepra veſtis, *per quam omnem ſæculi hujus pompoſam intellige vanitatem: ab illa in Iordanis merſione mundaberis, ubi invenies Chriſtum Dominus vilibus pannis involutum.*

Tertia eſt lepra corporis, *ab ea mundamur in ipſo Iordane: ſi enim bene cogitamus Dominicam paſſionem, erubeſcimus ſequi corporis voluptatem.*

A lepra veſtium & corporis aſcendit ad eam *quæ in ore ſedet: duplex eſt illa; una in adverſis, altera in proſperis. Cùm adverſi quidquam contigerit murmuramus, & impatiens verbum tamquam lepræ ſanies effluit: ſed ab hac mundamur, ſi illum attendamus, qui tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum. In proſperis quoque nos inquinat altera lepra, verbum jactantiæ: ut mundemur ab illo, mergamur in Iordane, & imitemur eum qui non quærebat gloriam ſuam.*

Ubi expoſuit eo lepræ vitia, quæ & fortunæ, & corporis bona inficiunt, quæ ori & labiis adhærent; tranſit ad eam luem, quæ latet in corde, eamque totius corporis arcem & vitæ ſedem occupat.

In corde, inquit, *duplex eſt lepra; propria voluntas, & proprium conſilium: voluntatem dico propriam, quæ non eſt communis cum Deo & hominibus, ſed noſtra tantùm, quando ſcilicet tantùm volumus ſatisfacere propriis motibus animorum.*

Huic contraria eſt recta fronte charitas, quæ Deus eſt. hanc unam odit ac punit Deus. *Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit: in quem enim ignis ille deſæviet niſi in propriam voluntatem.*

Et ne fortaſſe tibi duriuſculum illud videatur, quòd inferni flamma non tangat, non accendat niſi propriam voluntatem; vide quantum illa ſit malum.

Propria voluntas, Bernardo judice, *eſt crudelis beſtia, fera peſſima, rapaciſſima lupa, & leæna ſæviſſima. hæc eſt immundiſſima lepra animi, propter quam in Iordane mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem ſuam.*

Septima lepra, eáque poſtrema, eſt lepra *proprii conſilii; quæ eò pernicioſior eſt, quò magis occulta: & quantò plus abundat, tantò ſibi quiſque ſanior eſſe videtur. Hæc illorum eſt, qui zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam, ſequentes errorem ſuum, & obſtinati in eo; ita ut nullis velint conſiliis acquieſcere. Hi ſunt unitatis diviſores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, & magni in oculis ſuis, ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere.*

Ut huic malo, & lepræ omnium pernicioſiſſimæ medelam afferat pius Doctor, & medicus, inſtar Eliſei Naaman ſuum, leproſam mentem emittit ad Jordanem: ubi enim hæc lepra mundari poterit, niſi in Jordane?

Ibi inquit mergere quicumque hujuſmodi es, & attende quid fecerit magni conſilii Angelus, quomodo conſilium ſuum poſtpoſuerit conſilio, vel magis voluntate mulieris unius, Beatam Virginem loquor; & fabri pauperis, ipſe eſt Ioſeph. Hæc D. Bernardus; cui nihil exiſtimavi addi oportere.

§. V.

Habitus leproſi, & Animæ à peccati lepra mundari cupientis.

HÆc olim leproſo data lex eſt: *Habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum,* Levit. 13.
contaminatum ac ſordidum ſe clamabit. v. 45.

Ea lege jubetur primùm habere veſtimenta diſſuta more lugentium, qui ea lacerare ſoliti, vel lacera aſſumere; vel dicamus ideò diſſuta, aperta, patentia fuiſſe, ut lepræ vitium pareret; ſecus enim accidiſſet ſi contracta, complicata, & arctè conſuta veſtis corpori adhæſiſſet; texiſſet illa malum, non aperuiſſet: at explicari oportuit, ut medelam admitteret. & hoc primum ab illa lege.

Alterum fuit, ut nudo eſſet capite, vel lugentium, vel certè ſervorum in morem. Eſt ea ſervitutis nota, ut è contrà pileus inſigne libertatis.

Acceſſit deinde & tertium lege impoſitum, ut os veſte tegeret; ne loquendo, inquit Procopius, odor horrendus diffunderetur; ne maligno halitu inquinaret auras, & obvios quoſque inficeret.

Hæc tria erant ſub præcepto, etiam ei qui lepræ remedium quæritabat.

Ut quæ olim divina lex de lepra corporis præſcripſit aptemus animo, ſtatuamus eadem huic & illi remedia convenire. Peccato ſeu turpi lepra infectus es; ne ideò mentem abjice, ne ſalutis conſilia depone; ſed potiùs lepram pone, exue quâ potes & licet: potes enimverò propitio & favente cœlo; à quo has remedii leges exſcribe.

Prima hæc erit: habe veſtimenta diſſuta, laxa, implexos, intricatos conſcientiæ ſinus, animum totum aperi & explica, dic age cum Propheta: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.* Psal. 37.
David non vult v. 19.
latere ſua delicta: nam ut febres in alto ſita non queunt mitigari, cùm foras eruperint, ſpem afferunt deſinendi: ita peccatorum morbus dum tegitur, non deſiſit; ſi confeſſionibus proditur, evaporat.

Hæc D. Ambroſius de peccati morbo, ſeu peſtilenti febre; quæ etiam dicta velim de peccati lepra, In Psal. 36.
quæ dum celatur, augetur magis, atque invaleſcit. Quod quàm verum ſit, ſua ipſe experientia teſtatur idem Regius Vates, & ſilentium ſuum ex eo damnat: *Quoniam tacui*, inquit, *inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Psal. 31. v. 3.
Ad iniquitatem ſceleris jactantiam, ad texendas excuſationes diſertus & loquax; ad humilem confeſſionem elinquis & mutus. Hinc grande malum. *Inveteraverunt oſſa mea;* ſitu quodam, & veterno obſita penitùs elanguerunt, unáque vis omnis & robur elanguit.

Qua verò ratione hinc tacuerit, inde clamaverit David, exponit D. Auguſtinus: *Tacuit unde proficeret,* In Psal. 31.
non tacuit unde deficeret: tacuit confeſſionem, clamavit præſumptionem: tacuit peccata ſua, clamavit merita ſua. ſi clamaret peccata ſua, & taceret merita ſua, innovarentur oſſa ejus: modò autem remanſit in vetuſtate qui noluit confitendo amare novitatem.

Ne te aliquando perdat idem ſilentium, eadem vetuſtas involvat; ad detergenda latentis animi vulnera internúmque lepræ vitium, linguam explica, & in vocem expedi: néve ſemper mutus ſis, ut piſcis, ſubeat animum recordatio illius, quem olim Petrus cepiſſe perhibetur.

Vade, inquiebat ei Chriſtus, *vade ad mare, & mitte* Matth. c. 17.
hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & v. 27.
aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me & te.

Abiit

Abiit Petrus, hamum miſit in undas; & illæ piſcem dederunt, in cujus ore ſtaterem repetit, tributi pretium. Erat piſcis ille mutus, erat ἄφωνος, ſine ſono, ſine voce, alto mari merſus, & aquis obrutus: at ubi venit in auras, ſtaterem ore extulit, quo piſcatorem ſuum dicto pretio redimeret.

Piſcis illius inſtar fuiſti, hactenus mutus & ἄφωνος, undiſque ſcelerum profundè inſepultus: emerge modò, tolle te in ſummas oras, & ſtaterem patenti ore exhibe, eo ſi neſcis te redimes ab importunis exactoribus.

Hoc mihi præſagit ille piſcis, qui venit olim in calamum Petri; & te in eum quoque venturum ſpondet ac pollicetur; ut enim D. Ambroſius: *Didrachma non otiosè in ore piſcis inventum eſt. Ex ore enim tuo juſtificaberis, etenim pretium noſtræ immortalitatis eſt noſtra confeſſio.* *Lib. 4 in Luc. c. 5.*

Hoc pretium tibi ſervatur in æternos annos. Interea temporis, ne hæc mortalis vita ſit ſine pretio, pro eo tibi erit libertas, gaudium, & exultatio explicatæ mentis, quam tibi reddo verbis Auguſtini, non meis.

Triſtis, inquit, *eſto antequam confitearis: confeſſus exulta, jam ſanaberis. Dum confitentis conſcientia ſaniem collegerat, & apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat: confitere, exeat in confeſſione & defluat omnis ſanies, jam exulta, jam lætare.* *In Pſal. 66. v. 45.*

Et hæc prima à cœlo lex, hoc ab illa bonum: alteram accipe tibi cum leproſo communem: os cela & veſte tege: tum ne aliis afſles peſtilentem halitum; tum ne vana jactantia extollaris; tum denique ne ſcelere tuo excuſationem invenias, & petulante linguæ efferas.

Ita vocem olim ſuo malo extulit infelix Adam: *Cùm enim de perpetrata à Domino argueretur inobedientia, non ſe humiliter (ut culpa exigebat) accuſavit, ſed auctorem ſuperbè accuſavit, dicens: Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi fructum, & comedi. Hoc dicendo ſe putavit excuſatum, & ſic creatorem mulieris conditoremque, ad peccandum virum traxerat in culpam: quòd ſi humiliter ſe accuſaſſet, & in auctorem ſuum culpam non retorſiſſet, à paradiſo non exulaſſet.* *Serm. 19. de Sanctis.*

Hæc D. Auguſtinus; qui vel Adami exilium, vel aliquam ſaltem exilii cauſam excuſationi illi aſcribit: adeò primo parenti poſteriſque omnibus nocuit ita malè eſſe diſertum: melius illi nobiſque fuiſſet, ſi admiſſa peccati lepra os veſte tegere, vel foliis arborum, ut corpus reliquum obvelare voluiſſet. quæſivit excuſationes in peccatis, & ab illis ſibi ſuiſque malum accerſivit.

Ejus probè conſcius Propheta David à Deo opt. Max. hoc beneficii loco flagitare ſolitus: *Pone Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* *Pſal. 140. v. 3. & 4.*

Verba malitiæ excuſationes in peccatis appellat, meritò quidem, ait D. Bernardus.

In animam etenim ſuam peccat, qui ſe excuſat, repellens proinde à ſe indulgentiæ medicinam, & ſic vitam ſibi proprio ore intercludens: & quænam major malitia quam propriam armari in ſalutem, & lingua tua teipſum mucrone confodere? *Serm. 16. in Cant.*

Cum D. Bernardo conſpiraſſe videtur olim Divus Chryſoſtomus, qui in illas excuſationes toto, ut ſoles, eloquentiæ torrente incurrit; ita enim habet: *Hæc eſt via præcipua interitus, quando vel ipſa quæ peccavit anima excuſſo timore excogitat excuſationes. hæc ſunt arma diaboli potiſſima.*

Hic prætextus impudens peccatoris, *homicida culpam confert in iram, & fur in paupertatem, & adulter in cupiditatem, & alius in Principem: at tu, ô dilecte, quando peccaveris, dic, Peccavi: nihil eſt hac defenſione juſtius.* *In Pſal. 140.*

Hæc D. Chryſoſtomus, cui addo tertiam legem ad lepræ remedium.

Erat illa hujuſmodi: ſit leproſus capite nudo. Capitis nuditas apud Gentiles ſignum fuit ingentis mœroris & luctus; à quo etiam ipſi non ſolùm nudare caput, ſed & decalvare conſueverant. Fuit deinde etiam nota ſervitutis: habet leproſus, habet abundè peccator unde ſe ipſo lugeat ac deploret, habet unde miſeram ſortem & ſervitutem incuſet: *Omnis enim qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* ut antè fuſiùs explicuimus. *Lib. de Ioſeph. c. 4.* *Ioan. c. 8. v. 3.*

PROPOSITIO XII.

Peccata ſunt quaſi ciſternæ diſſipatæ.

Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. *Ierem. c. 2. v. 13.*

IN alto doloris exceſſu, ubi juſtis querelis indulſit Propheta, ſenſitque eas omnes ſurda aure excipi, nec à terra ullas reddi voces, ſeu doloris, ſeu pœnitentis animi teſtes; cœlos petit, vocátque in partem triſtitiæ ac ſtuporis.

Obſtupeſcite, inquit, *cæli, & portæ ejus deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

Ego populo meo potui, & certè etiam eſſe debui fons aquæ vivæ, è quo puræ, limpidæ & ſuaves emanarent lymphæ; è quo flueret defæcata voluptas omniſque boni ſcaturigo: ſed, ô malum! ô cæcæ mentis error! foderunt ſibi ciſternas in ſterili, arido, exſucco peccatorum ſolo, ut in eo cupiditatum ſuarum fluenta, torrentes effuſæ libidinis colligerent, ſitimque extinguerent. Sed in vacuum abiit omnis ille labor, quia foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas: quæcumque enim à peccato fluit voluptas, citò effluit, & aridam mentem leniter alluit, nihilque reliquum facit præter lutum limúmque elabentis aquæ, ac pondus ſeræ nimium pœnitentiæ.

Lubet hìc audire quid ſentiat, quid loquatur Divus Chryſoſtomus, aureo, ut ſolet, eloquentiæ fonte. Hæc pauca derivat in alveum peccati & voluptatis: *Quæ poſſit illic eſſe voluptas, ubi metus, ubi diſcrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi accuſationes, ubi judicis ira, ubi gladius, ubi carnifex, ubi barathrum.* *Hom. 5. de verbis Iſaiæ.*

Quid ampliùs dici potuit? Nihil enimverò, nihil addi omninò potuit, quod cupidinis fluenta torrentéſque ſiſteret, doceréique non eſſe in mundi hujus ciſternis adeò laborandum: & tamen, ô pudor! ô dolor! ita in iis eruendis inſudatur, ut in nullo alio magis.

Ne porrò conſequens ætas hoc inutili labore teri velit; è primis ſæculis, ex Iſaaco diſcat, quis ſibi fodiendus puteus? Quæ aqua ſit haurienda? Venit ille quondam ad torrentem Geraræ; ibíque quatuor puteos ſibi & pecori ſuo effodit.

Primo puteo nomen fuit *calumnia*; quòd inter paſtores Geraræ & Iſaaci de eo lis orta fuiſſet graviſque contentio; à qua ventum eſſet ad injurias & calumniam: ab ea dum abſcedere ſe poſſe credit,

Secundum puteum fodit, à quo non tam aqua & faciles lymphæ, quàm graves rixæ, animorum diſſenſiones & inimicitiæ profluxerunt: ab illis puteo nomen fecit *inimicitias*; quas ubi declinat, amans pacis,

Tertium puteum fodit, à quo cùm lis nulla, nulla

fluxiſſet

fluxiſſet contentio, ei nomen eſſe voluit *latitudo*; quòd latam, apertam, patentem pecori præberet adaquationem.

Acceſſit & quartus puteus, cui nomen Inditum eſt *abundantia*; quòd ab eo copioſæ haurirentur aquæ.

Ex his ego duo ad rem meam deduci velim. Si in terra Geraræ, extero ſolo, & exule terra tibi puteum fodis; ſi ex eo aquam, id eſt, aridæ menti ſolatium petis, non aliud hauries quàm calumniam & inimicitias, quibus & ab aliis & à te ipſe diſſideas: at ſi à Geraræ, id eſt, à mundi voluptatibus longiùs abis, qui tibi primus in hac vita eruetur puteus, erit illi nomen *latitudo* bonæ mentis, & explicatæ conſcientiæ: à qua deinde aperietur & alius, cui nomen fiet *abundantia*; eam tibi dabit æternitas; in qua hauries aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Inebriaberis ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis potaberis; nam apud eum eſt fons vitæ, & puteus voluptatis. Ex qua alterum pro coronide propono. Quaſcumque aliunde hauriemus aquas, etſi iis benè poti, imò ſi voles etiam merſi fuerimus, ſitiemus tamen.

Ut verum ſit illod Chriſti oraculum: *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum.* Quòd ſi ita eſt, relinquatur unum illud, ut cum Samaritana petamus meliores, puriores, cœleſtes aquas, à quibus nulla ſitis, nullus æſtus: eas porrò fundit ipſe Chriſtus, cujus illud, *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam.* Quòd ſi fiet, dicamus cum Samaritana: *Domine da mihi hanc aquam*, ut non amplius veniam, non ampliùs hauriam arentes, turbidas, fæculentas, ſitientes; ſed potiùs humentes, puras, lympidas, ſatiantes aquas: quas utinam facili, pronoque alveo in nos devolvat divina miſeratio.

PROPOSITIO XIII.

Peccatum eſt frigus.

Pſal 147. v. 17. *Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?*

Jerem. c. 6. v. 7. *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam.*

HÆ quondam cœlo voces, hic in Solymam fragor detonuit: *Cadite lignum ejus, & fundite circa Jeruſalem aggerem; hæc eſt civitas viſitationis.*

Floruerat illa, & prima nobiliſſimæ gentis germina dederat, quæ multo pietatis ſucco madida in amœnos virtutum flores & fructus iverant: at ubi hyemali ſceleris aura ſpirante defecit omnis ille ſuccus, ubi penitus exaruit, hæc data cœlo lex: *Cadite lignum ejus*, & igni cædite. Ut quid enim terram occupet arbor arida, & exſucca? Benigno ſolo decedat illa, & igni tota concedat. Erexerat illa ingentes murorum minas, & longè latéque vaſtiſſimæ civitatis pomeria extenderat cœlis æmula, terris invidenda. & hæc & illa ſtetere quamdiu à virtute, à cœlo Deóque ſtetit Solyma: at ubi ſeſe ſceleri inclinavit, ubi ſeſe abjecit infandæ libidini, tum ſenſit illud divinæ Juſtitiæ fulmen, *Fundite circa Jeruſalem aggerem*, foſſas circumducite, & arctâ ac miſerabili obſidione cingite: hæc eſt enim *civitas viſitationis*; id eſt, punitionis: quam etſi tardo pede viſitat divina ultio, gravi tamen & plumbeo premit atque opprimit. Tantæ cladis cauſam ſi quæris? Hanc ſubjicit: *Omnis calumnia in medio ejus. Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam; ſic frigidam fecit* Jeruſalem *malitiam ſuam.*

Ut ciſterna pluvio cœlo madet, multos imbres ac nimbos excipit, & à nube ſoluta calidis intepeſcit aquis: ita quondam Solyma largos divinæ miſerationis imbres admiſit, & patenti ſinu hauſit, iiſque non intepuit tantùm, ſed incaluit, & propè arſit. Sed ô levitas! ô Solymæ inconſtantia! omnis illa divinæ gratiæ lux, omnis ille divini amoris, ſeu Solis æſtus, ſenſim expiravit: ut enim ciſterna multo imbre fœta, ubi ab eo paululùm incaluit, ubi tepentes bibit aquas, ſenſim eas innato frigori reſtituit: ita Solyma primos illos charitatis ignes, à quibus cœlo propitio arſerat, multo vitiorum frigore, ſeu gelido aquæ elemento expulit. Et hoc primum ab illo malum eſt, quod deinde etiam alia conſequuntur; ut enim Angelicus Doctor: *Peccati frigus primùm extinguit calorem dilectionis, tum deinde congelat humorem devotionis.* Ubi intimo pectore calebat divinus amor, ſolvebantur oculi, & faciles in ora genáſque fluebant lacrymæ, & ad cordis æſtum alterno veluti fluxu currebant, recurrebant aquæ, & pios animi volvebant ſenſus: at ubi occurrit peccatum, obicem poſuit, fluentes ſtitit aquas, concreſcere fecit, arente penitus & exſiccato piæ mentis alveo. Ita pumice ſiccior, ſaxo durior exareſcis.

Tertium malum eſt, de quo etiam D. Thomas: *Retardat*, inquit, *motum bonæ operationis.* Si quando hyemalis aura fuerit inclementior, ſi frigidi regnarint & ſpiraverint Aquilones, ita quandoque rigeſcunt artus, & membra, ut motus omnis expertia ſint: nimirum ad motum corporis ac membrorum calor ipſe plurimùm facit, & à cerebro in nervos effluunt ignei quidam ſpiritus, qui ſi frigore ſolvantur & pereant, illicò ſtupidum hæret & rigeſcit corpus. Quod corpori, hoc & animo: ſuos habet & ille ſpiritus, ſuos amat ignes & calores; qui ſi vel ab unius letalis noxæ frigore conſumpti fuerint, deficit illicò motus omnis, & operatio bonæ mentis: tantum à peccati frigore geluque patitur animus. Illud quà potes excute, & conceptos fove divini amoris ignes: ni facis, ſenties aliquando quàm aſperum & rigidum ſit, quod tibi à Deo immittetur frigus; nam, *ante faciem frigoris ejus quis* Pſalm. 147.
ſuſtinebit?

In quæ verba D. Auguſtinus ait: *In faciem frigoris ejus. cujus? Dei. unde eſt ejus frigus? Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit ſenſum, ecce non infundit gratiam; hoc eſt, frigus illius.*

Quæ ab eo frigore vitia, quæ clades & ſtrages evadere ſoleat etiam in religioſas domos, & animas ſanctiores, pulchrè & disertè explicat D. Bernardus in Cantica. Illum etiamnum è cœlo loquentem, & in ſcriptis ſpirantem audiamus:

Ab Aquilone, inquit, *panditur veſtrum malum: à* Serm. 63.
facie frigoris ejus quis ſuſtinebit? Hoc frigus ſi ſemel animam (anima ut aſſolet incuriâ) ſpiritu dormitante pervaſerit, ac nemine deinde, quod abſit, inhibente, ad interiora ejus pervenerit, deſcenderit in viſcera cordis & ſinum mentis, concuſſerit affectiones, occupaverit conſilii ſemitas, perturbaverit judicii lumen, libertatem addixerit ſpiritus: mox (ut in corpore ſolet evenire febricitantibus) ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis incutitur, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferveſcit novitius fervor, ingraveſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, revocat conſuetudo.

Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur jus, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini.

Datur poſtremò impudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione ſaltus, de excelſo in abyſſum.

abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cælo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum.

Hactenus D. Bernardus de ipſo peccati frigore: ne eo ſopiaris, & pereas, prudens cave.

PROPOSITIO XVI.

Peccatum eſt gutta mellis, & mare fellis.

1. Reg. 14. v. 43. *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis; & ecce ego morior.*

Ierem. c. 8. v. 14. *Dominus Deus ſilere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino.*

§. I.

Mel ut profanum à divino Sacrificio arcetur.

FUit olim apud Hebræos ſacrificium vulgò dictum *Mincham*, id eſt, farreum; à quo fermentum & mel procul abeſſe jubebantur; ita enim ferebant verba legis: *Omnis oblatio, quæ offeretur Domino, abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in ſacrificio Domino.* (Levit. c. 2. v. 11.)

Cujus legis alia atque alia ab Interpretibus ratio afferri ſolet.

Philo libro de victimis, credit ideò mel à ſacris amoveri, quòd apis, quæ vario per prata floſculoſque lapſu mella legit cuditque, ſit animal impurum; utpote natum ex ſolutis ac putribus boum cadaveribus.

Ea ratio iis ingrata videbitur, qui apes in alvearibus, & quidem ſine congreſſu, purè caſtéque gigni contendunt: idcóque fortè veriùs alii in eam ſententiam inclinant, ut velint ab aris Deoque rejici, tum quia & fermenti & mellis una eadémque vis; acrorem enim contrahit, & panem cui miſcetur, fermentat; tum etiam quia mel inimicum eſt ſtomacho, quem immodica bile gravat atque obruit; tum deinde quia Gentiles ſoliti Baccho litare mella, ad quem ritum alludit illud Ovidii:

Lib. 3. Faſt.
Liba Deo fiunt; ſucco quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

tum denique quia plurimus in ſacrificio vini uſus erat; mel autem vino adverſum eſt atque noxium.

Et hæ rationes ad naturam faciunt. ad mores illæ: ut doceamur à ſacris procul abeſſe debere vanam, profuſam peccati voluptatem, quæ ut arceretur à *Phaſe*, comedi debuit cum *lactucis agreſtibus*, vel ut Hebræa vox habet, *amaris*; quia, ut ait Eucherius, *ſemper auſtera eſt diſtrictio veritatis.*

Lib. de victimas offerendis.
Hanc rationem in illius legis myſterio viſus eſt attigiſſe Philo Judæus:

Hæc, inquit, *figura docet profanam ducendam quamcumque voluptatem nimiam; dulcem hauſtu, ſed cruciatus afferentem difficiles, à quibus animam concuſſam labefactari neceſſum eſt.*

Hæc ille de mellis vitio. Cui accedit & aliud, quòd adulationis & ſimulationis ſymbolum ſit, atque illecebras objiciat infandæ voluptatis, quam cum favo mellis compoſuit Sapiens: *Favus diſtillans*, inquit, *labia meretricis*. (Prov. 5. v. 3.) Quàm verò homini noxius, inimicus, fatalis ſit, ex eo diſce, quòd hominem ad inſaniam adigat, quòd mortem inferat: ut proinde meritò videatur eſſe ex eo genere de quo Ælianus.

Lib. 5. c. 42. Lib. 21. c. 13.
Ait enim in Trapezunte Pontica mel eſſe, quod guſtatum ad inſaniam cogit. & Plinius mel legi, quod propinatum mortem affert. Nimirum ea ſuavitas, quæ à peccato petitur, ubi mentem occuparit, ita diſturbat de ſede rationis, ut cæcitate & amentiâ præceps in mortem irruat.

Neque verò ab ea aut illiciis cœleſtium voluptatum, aut vino divini amoris revocari poteſt; quis ut vinum à melle aceſcit ac corrumpitur: ita & à peccati blanditiis, ſeu mellis favo ſic præoccupatur & imbuitur animus, ut neque ad ſuperiores delicias attendat, neque ſua pericula æquâ judicii lance metiatur. Ex uno alteróve caſu, quid de aliis ſentiendum ſit ediſces.

§. II.

A mellis favo, ſuaq; inobedientia periclitatur Ionathas.

VT evincam illud, quòd omnis voluptas, quæ à peccato petitur, ſit gutta mellis, & mare fellis; ad teipſum tuáque tempora redeo, miſerande Princeps, infelix Jonatha. In hoſtes, in arma, in cædes ieras, multoque belli pulvere ſordidus, multo Philiſtinorum ſanguine cruentus, & victor redieras non ſine hoſtium ſtupore, tuorúmque plauſu; Teipſe tuáque prælia ſecutus parens; cùm & illi res quàm optimè cederet, ſe ſuoſque omnes juramento aſtrinxit, ne quid perguſtarent cibi ante Solis aut hoſtis occaſum. Hæc dum feruntur, dum ſparguntur in vulgus, fortè aberas impotenti vel armorum vel adoleſcentiæ abreptus æſtu. Interea in altum, in denſum nemus itur, & quæ illius erat feracitas, in eo *apparuit fluens mel, nullúſq; applicuit manum ad os ſuum; timebat enim populus juramentum.* (1. Reg. c. 14. v. 26.) Unus Jonathas, & paternæ legis & juramenti neſcius, cùm urgeret importuna fames ſitiſque, cùm exareſcerent à pulvere, à calore fauces, cùm vis ipſa corporis propè defeciſſet: *Extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis: & convertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi ejus.* (Ibid. v. 27.)

Nimirum à fame, à ſpirituum inopia caligabat oculus, nutabat acies; & à mellis favo ſibi ſuoque lumini viſus eſt reddi. Sed ô malum, ô nefas, ô gutta mellis, ô mare fellis! Vix extrema virga, vix primis labellis libaras mella, cùm Saulis arma, cùm ipſa victoria, quæ tota in Iſraelem inclinabat, ſiſti quodammodo & hærere cœpit; nec ultrà Numen etiam ſæpiùs & ſtudioſè quæſitum oracula reddere. Ingens ubique dolor & ſtupor. Qui ne vacuus & ſine remedio ſit, conſulitur ſuper eâ re æternum Numen, quæritur impensè cujus culpa vitióque factum? Mittuntur in urnam ſortes, & ecce tibi ſors infelix Jonathas: te reſpicit, te petit, in te tuúmque caput intonat illud Parentis, illud Saülis fulmen: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.*

Quid tibi tum animi? Quid conſilii? Quid vocis fuit, miſerande Princeps? Audio exclamas: *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* Tantúmne ſceleris eſſe potuit in illo ſeu lucis ſeu armorum æſtu guſtaſſe paululum mellis? Ego te ſceleris omnis vacuum & liberum eſſe velim, mi Jonatha: at reum eſſe pronuntiat parens, immaturáque morte damnat.

Excuſare debuit, & ferro impendenti ſubducere vel hoc uno tantùm, quòd ignarus paternæ legis peccaſſes, quòd pluſculum mellis extrema tantùm virga, quòd ſtanti ore, aridis à prælio, à cæde faucibus hauſiſſes, quòd ab hoſte victor multis ſpoliis clarus & illuſtris rediiſſes: at iſta non ſpectat paternus oculus, iſta nec ſurdus audit, & oculos lacrymis, & aures querelis, & animum pietati clauſit; audio enim rurſum ingeminat funeſtum illud ac fatale, *Morte morieris, Ionatha.* Et verò in ipſo adoleſcentiæ limine, victoriæ luce diem clauſiſſes, niſi imminenti vulneri manum ſuſtinuiſſet, imò & (verſ. 45.)

avertiſſet effuſus populi clamor, qui hæc in faventes
Verſ. 4 auras & Saülis aurem emiſit: *Ergóne Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſraël? Hoc nefas eſt. Vivit Dominus, ſi ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus eſt hodie. Liberavit ergo populus Ionatham, ut non moreretur.*

Sed ut Jonatham liberavit; non te liberabit, Infelix anima: dum hoc ævo breviſpiras & vivis, peccati ac voluptatulæ tuæ mella reſpiras & bibis: aderit aliquando ſuprema dies, qua inter vitæ mortiſque anguſtias conſtituta, ebibes & exſorbebis mare fellis, acerbam dico lapſæ vitæ, præteritorum ſcelerum memoriam, & longè quàm acerbiſſimam incumbentis pœnæ & longævæ æternitatis expectationem.

Ea nimirum eſt humanarum rerum viciſſitudo; ut qui in vita mella guſtavit, in morte mare fellis exhauriat; ut veri ſint illi, quamquam ſeri Iſraëlis
Ierem. c. 8. gemitus: *Dominus Deus noſter ſilere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino.*
1 Reg. c. 14. & illud Jonathæ: *Guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce ego morior.*

Ea quippe Dei & naturæ lex eſt, ut mellis illecebræ ac ſuavitas tranſeat in fellis amaritiem: eóque verum illud Poëtæ: *Dulcia ſe in bilem vertunt.* Et naturæ ſponte ac genio fit, ut mel comeſtum vertatur in bilem: tanta mellis felliſque cognatio eſt. Si ſapis, hæc mella fuge, & averſare.

§. III.

A favo mellis periit adoleſcens, de quo parabola D. Damaſceni.

In vitâ Barlaam & Ioſaphat. ERrabat ille per avia & invia ſylvarum loca, cùm ſubitò incurrit inviſum, atrox, efferum animal, cui ab uno cornu unicornis nomen eſt. Eo ſe peti dum videt, celeri fuga elabitur, & in ſubjectam voraginem propè neſcius illabitur: ſed, quod labenti opportunum fuit, in ipſo caſu adnatæ arboris ramus occurrit; eum avidè prenſat, arctè ſtringit, ex eóque pendulus hæret vitam inter & mortem.

Dum eo ſuſtinet dubium ac nutans corporis pondus, oculos abjicit, videtque imis radicibus adhæreſcere mures duos, album unum, nigrum alterum, qui acuto tenacique dente radices depaſcuntur; ac deinde in ima ſpeluncæ voragine draconem horridum, qui ore patulo, hiantibus faucibus, imminentem prædam jam haurire & devorare videbatur.

Quid tibi tum animi eſſe potuit, periture adoleſcens, cùm aliud occurreret nihil, niſi præſentiſſima mortis imago?

Mirum illud, ſed verum tamen; à ſubjecta voragine dum oculos animúmque revocat, videt capiti impendentem favum mellis, à quo ita capitur oculus, ita rapitur animus, ut ſui ſuorúmque periculorum oblitus, in eo ſit & paſcatur totus.

Hic teipſum compello & alloquor, nimium animi vitæque prodige, tantæne in favo ſint illecebræ? Tantæ & tam potentes mellis illiciæ, ut omnem periculorum memoriam, omnem imminentis ruinæ metum, omnem mortis amaritiem diluant? Quamquàm quid iſta in te queror, & gemo?

Antiqua ſunt illa, & longo ſæculorum lapſu detrita: at novum illud & inſolens, in ea qua vivimus fidei luce Soléque etiamnum videri, quos ut eadem verſet urna, ita & eadem teneat oblivio.

Quiſquis hæc audis & legis, audi & lege; unum te petit ferali cornu mors unicornis: eam fallere te credis dum ad modicum hæres arbori vitæ ſubnixus; at illam rodit & corrodit hinc nivea dies, & inde nox atra: ubi penitus corroſerit, te manet miſerabilis caſus, & fauces nil miſerantis orci præſtolantur.

Hæc inter pericula, inter tot rerum vitæque diſcrimina, quæ tibi & ſupernè & infernè impendent, ſecurus agis, & mella incauto ore libas, totúſque frueris levi & fluxa voluptatula: nimium demens es & inſanus adoleſcens; oculos aliò mentémque flecte: meliores habes purioris vitæ favos, virtutum mella, & caſti amoris mamillas. Erunt enim, ſi voles, Reges nutritii tui, & mamillâ Regum lactaberis. Ut eam velis & ames, alieno exemplo diſce quæ à voluptatis melle, à mundi lacte pericula.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

§. IV.

A potu lactis periit Siſara.

BEnè monet Sapiens: *Si te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* ne tibi in noviſſimo malè ſit, ut Prov. c. 1. v. 10.
fuit olim infelici Siſaræ. Hic fortè de via feſſus deflexit in tentorium Jabelis, ab eáque frigidam petiit, ut ſitim extingueret: illa ſeu ſucato comitatis officio, ſeu arte dolóque non aquam, ſed lac dedit, eo conſilio ut profundum indormiſceret, ac ſopiretur; lactis enim natura cùm humidior, craſſior, fumoſior ſit, ſolet vini inſtar caput petere, ſpiritu ac fumo denſiore oppletum ſoporare. Ita Siſaræ factum priſca recenſet ætas.

A lactis potu indormiit ille, & oppreſſum ſomno caput Jaheli dedit: illa trabali clavo per tempora tranſmiſſo terræ tenaciùs affixit, ſecitque ut dum ſomno conniveret, conniveret & morti.

Hæc illius tragœdiæ ſeries, hæc ſcena fuit. Eadem tibi paratur, eadem tibi luditur, dum à carne illuditur. Quod Siſaræ Jahel, hoc tibi eſt molliecula caro ſi neſcis. Ea te lacte potat, blanda ac ſuavi in ſpeciem voluptatula: à qua dum ſaluti tuæ curiſque melioris vitæ indormiſcis, longa conſuetudine, ſeu trabali clavo terræ ita te affigit, ut refigat numquam: ita ſopitam & eluctantem animam cum hujus vitæ ſomno expiras & expuis. Si me, ſi Deum audis, ſi tibi conſultum eſſe via in ævum, mella projice, & lacteos humores: ni projicis, ſenties aliquando, quæ ab illo ſeu lacte, ſeu melle fluat amarities, & quàm fucata boni ſpecie tibi profanus & mendax amor illuſerit.

Dicitur olim Dionyſius Heracleotes cùm ſub Zenonis diſciplina hauſiſſet illud Stoicorum placitum, *Dolorem non eſſe malum*; ac deinde laborare cœpiſſet ex renibus, & calculi equuleo torqueri, inter miſeros ejulatus ac lamenta clamitaſſe falſa eſſe ea omnia, quæ de dolore in ſcholis & lycæo vel didicerat hactenus, vel ſenſerat: alius nimirum eſt naturæ, alius ſcholæ ſenſus; alia doloris, alia diſceptationis jacula: hæc aures inani ſono feriunt, illa corpus & animum pulſans gravi veróque doloris impetu; à quo redditur illa veritati vox, *dolorem eſſe malum.* Ita veritatem, quam futiles & vacuæ diſceptantium inter ſe philoſophorum opiniones vel eripuerant, vel ſaltem involverant, reſtituit & explicat ipſius naturæ doloriſque ſenſus.

Quod illi philoſopho, hoc tibi quondam uſu veniet. In mundi ſchola, in lycæo vanitatis auditur, & altè tonat illud velut ex tripode pronuntiatum, *voluptatem non eſſe malam.* Ita ſentis, ita loqueris malè doctus à malo magiſtro diſcipulus: at ubi voluptatis aculeos ſenſeris, ubi gemueris in equuleo, in catasta, ad quam tua te damnabit voluptas; tum experientia ſenſúque probè doctus, ediſces quàm verum illud in Chriſti palæſtra pronuntiatum, *voluptatem eſſe malum.*

Tum tua ipſe mundique damnabis placita, & mirum quantum mendaces paræmias, unum tamen in iis anguſtiis malum, quòd maligna placita, mendaces ſententias incuſare, improbare, imò & damnare quidem licebit: at dolorem comitem, & pediſſequam voluptati pœnam effugere non licebit. Maturè, ſi ſapis, damna; & pœnam omnem declinabis.

PROPO-

PROPOSITIO XV.

Peccatum eſt ærugo & tinea.

Job. 4. v. 19. *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea.*

Iſa. 50. v. 9. *Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.*

Matth. c. 6. v. 20. DIvus Ambroſius in ea Chriſti verba: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur:* ait, *furem immundum eſſe ſpiritum, qui in bonorum operum luce gradientibus non poſſet obrepere.* Æruginem autem eſſe inſita longo uſu & ſqualore vitia; tineam denique hæreticos.

§. I.

Peccatum eſt ærugo.

Lib. 1. de Off. c. 20. DE ærugine ita ſentit & loquitur D. Ambroſius: *Ærugo noſtra laſcivia eſt, ærugo noſtra libido eſt, ærugo noſtra luxuria eſt; quæ flagitiorum ſordibus aciem mentis obducunt.*

Alia depravatæ mentis vitia in eodem æruginis ſymbolo legit & exhibet procemio in D. Lucam: *Ærugo mentis*, inquit, *eſt rei cupiditas familiaris; ærugo mentis incuria eſt; ærugo mentis eſt appetentia dignitatum, ſi in his ſumma ſpes vitæ præſentis locetur.*

Et meritò peccatum ærugo dicitur: ut enim ea ferro adnaſcitur, & tenaciùs hærens omnem ei ſplendorem ac lucem adimit, ſurdóque morſu ita deterit, ut non tantùm novitatis gratiam amittat, ſed & abſumatur penitus ac pereat; ita peccatum animam, quam occupârit, tacitè, ſenſim ac ſine ſenſu ſic exedit, ut & gratiæ, & virtutum omnium lucem deponat, & inveterata quadam vitiorum rubigine prorſus contabeſcat.

Si quæ enim à cura bonæ mentis inerat novitas; ſi quis à conſcientiæ & accuratæ diſcuſſionis lima nitor emicabat, deſiit ille, & longa, fuſca, maligna pigritiæ rubigine damnatus interiit.

In quo velim attenta memorique mente recondas illud, non ita ferrum ab igne liqueſcere, nec ea ab incude & malleo, cùm medium gemit, damna pati, atque ab ærugine; nam & ab igne purgari ſoles, admixtáque mineralibus vitia ponere; a malleo autem & incude in enſes & arma, in ligones & aratra ad humanos uſus effingi: ex quibus id commodi referre ſoles, quod ſcito duriſſima quæque vincas, atque edomes.

Verùm ut omnia domet ferrum, ut ipſum ab igne malleóque ſit indomitum; ab ærugine tamen furtivo tenacique dente exeditur, vincitur, edomatur.

Sic & pleriſque à peccato uſu venit, quos ſæva tyrannorum vis non flexit, flamma non abſumpſit, ferrum non fregit: flectit, abſumit, frangit libido mollisque luxuria, velut adnata menti rubigo: ita quondam Latina pectora, Martios animos, ipſámque Romam Orbis dominam una voluptatis ærugo ſub jugum miſit; ut de ea meritò canat Juvenalis: *Cui ſævior armis luxuria incubuit.*

Ne tibi aliquando incumbat, vide ut ſæpiùs anteactæ vitæ curſum repetas, antiquas tuas Veneres ſcelerâque deteſteris, & gratiam ames ſanctæ novitatis. Eradet illa omnem peccati rubiginem. ut enim Arnobius: Tract. de 7 verbis Domini. *Multa antiqua peccata illicò abolet gratia, nec proceſſu morâque temporis indulgentia limat corroditque culpæ rubiginem, ſed ubi repentè Spiritus ſanctus illabitur, quidquid immaduerat peccati tabe ſiccatur.*

§. II.

Peccatum eſt tinea.

AB ærugine Ambroſius ad tineam deflectit, & ait: *Tinea noſtra Arius eſt, tinea noſtra Fotinus eſt, qui ſanctum Eccleſiæ veſtimentum impietate ſua ſcindunt, & unitatem divinæ poteſtatis individuam ſeparare cupientes ſacrilego morſu, pretioſum fidei velamen abrodunt.* Lib. 1. de Spir. c. 20.

His affinia repetit procemio in D. Lucam, docétque qui, & quantum ab hac tinea patiamur.

Patitur, inquit, *has tineas ſpiritus fluctuantium, qui non credit quia Pater & Filius divinitate unum ſint: ſcindit quod ſcriptum eſt, Ego & Pater unum ſumus; qui unum per diſcretas ſubſtantias dividit.*

Hactenus ſuavi facundia D. Ambroſius. E cujus opinione, tinea eſt hæreſis. Ex aliorum judicio etiam ſcelus omne: hoc animæ eſſe ſolet, quod tinea veſtimento. Induiſti aliquando meliores ovis reliquias, nobile vellus, & à vellere contextum multo labore pannum; bene habet, eo tegi potuiſti, & aëris cœlique acriores injurias arcere; imò & in eo glorioſus miles exultare, alienis exuviis & inopia dives: at ubi in vellus malè textum, vetuſtate detritum, pulvere ac ſordibus obſitum lento pede tinea irrepſerit; tum ingens panno ſtragea, eóque inviſa magis, quò minus viſa: quòd ſi eam in veſte vix æquis oculis patimur, quî peccatum patiemur, quod inſtar edacis tineæ non veſti incumbit, ſed in interiores mentis aditus irrepit, iiſque vitium ingenerat?

Ut autem quantum ſit illud agnoſcas, videndum nobis erit, quî naſcitur tinea? Quî deinde noceat? Quam ſedem & nidulum amet Plinius ediſſerit.

Pulvis, inquit, *in lanis & veſte tineas creat, præcipuè ſi araneus unà includatur: ſitit enim, & omnem humorem abſorbens, ariditatem ampliat.* Lib. 11. c. 35.

Eſt ergo pulvis illi nativa domus, unaque etiam locus ſepulchri: eodem enim & naſcitur & moritur. Ita miſellus homo, malè providus Adam, ubi peccati pulvere ſordidus, tineam in ſe ipſe genuit, ſtatim à Deo vindice audit: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. v. 19. Ab illa primi parentis tinea, & pulverea ſue, vitium mortalitatis poſteris omnibus inſedit; ex quo illæ patientis Jobi querelæ & luctus: *Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.* Job. c. 13. v. 28.

Nidulus tineæ eſt lana, ſeu lanea veſtis, quæ non nova ſit oportet; ſed longo uſu & vetuſtate ſqualida, ſordibúſque horrida. Quamdiu à perenni virtutis ſtudio, curâque novus eſt animus; quamdiu etiam tenues pulviſculos, leviores culpas excutit, ſordes horret, ſitum & ſqualorem pigræ mentis; tum à tinea, à graviore culpa liber eſt. At ubi torpori, veternóque inſeneſcit, ubi tegitur pulverea nube voluptatum ſuarum; tum verò in ſeipſum tineam parit, quia illi anima eſt quaſi lanea veſtis, quæ lupi dentem ſenſit.

Bartholomæus Anglicus ex Plinio & Ariſtotele memorat, laceræ ovis vellus, laneámque veſtem, quæ aliquando lupi dentem morſúmque paſſa eſt, maximè à tineis pati, iiſque ſcatere. Ita prorſus anima, quæ mali dæmonis, ſeu ſtygii lupi dentem experta eſt, quæ ejus aculeos ſenſu, ſuggeſtiones admiſit, facilè quoque peccati tinea inficietur. At ſi cui linea ſit veſtis, nec tineas noſcet unquam, nec earum vitio contabeſcet. Rem obſcuram, & ſymbolo involutam evolvet D. Auguſtinus. D. Petro Apoſtolorum Principi viſum olim cœlo delabi Act. c. 10. linteum, quo quadrupedia ac ſerpentes contineri videbantur, iique Deo interprete Gentiles ad fidem olim convertendos præſignabant.

Fortaſſe, inquit D. Auguſtinus, *quæratur quare linteum erat in quo erant illa animalia? Non utique ſine*

cauſa: novimus enim quòd linteum tinea non conſumit; qua veſtes alias corrumpit: & ideò qui vult ad myſterium Eccleſiæ Catholicæ pertinere, excludat ex corde ſuo corruptionem malarum concupiſcentiarum; & ita incorruptibiliter firmetur in fide, ut pravis cogitationibus, tamquam tineis non penetretur, ſi vult ad ſacramentum illius lintei pertinere, quo ſignificatur & figuratur Eccleſia.

Hæc D. Auguſtinus. Ex cujus mente ac conſilio ſi à tinea liber eſſe voles, tibi parabis veſtem lineam: quam enim potiùs? Ab illa tibi omnia ſanctioris vitæ præſidia.

Eſt linum ſymbolum munditiei ac nitoris: ipſum enim facilè elui poteſt, imò & alia eluit ac purgat.

Illud maximè, cujus uſus frequens erat in funeribus, buſtiſque Regum. Erat tum temporis ſpecies lini, quod Latinè *linum vivum* appellabant: ex eo texebatur tela, quæ igne non abſumebatur, ſed ſordes ponebat, & albeſcebat magis: hinc Regum cadavera tunicis ex eo lino paratis rogo ignique committebantur: itaque fiebat ut Regii cineres, favillis ingloriolóque cineri non commiſcerentur.

Panciroll. ribus — Pancirollus.

Eſt denique linum argumentum ſimplicitatis: nec enim tincturam, aut coloris fucos admittit ut lana.

Eſt roboris indicium, ſignum patientiæ: licet enim tenue ſit; tamen in funes retiáque contortum, & apros retinet, & immenſa pondera levat ac ſuſtinet, utque rectè Plinius: *Linum ſemper injuriâ fit melius.*

Injurias quas patitur noſſe ſi cupias, eæ ſunt quamplurimæ: *Evelli, ſiccari, macerari flavio, iterum ſiccari, tundi malleo ſtupario, decorticari, ſtrindi ſpatha lignea, pecti ferreo hamo, neri, in filo polire, illidi crebro in ſilice, texi, & tandè clavari.*

Denique linea veſtis olim ſacra, & in ſacrificiis peragendis uſurpata: ex eo enim quòd linum è terra prognatum ſit, inter pura mundáque recenſetur: ſecus autem lanea veſtis impura, profana, quia ex animali decerpitur.

Et hæc ad lini commendationem faciunt; quæ transferri velim ad animum. Sic ille mundus, ſit amans ingenuæ ſimplicitatis ac candoris, ab omni fuco alienus, ſit denique fortis, nervoſus; ne oneri, id eſt, difficultati cedat: ſit etiam laboris & injuriarum patiens, ſit denique uni Deo ſacer & devotus; tum à tinea immunis erit.

Sed iſta hactenus de ſede nidóque tineæ: de damnis illius etiam pauca. ea his verbis amplexus eſt

Iob. c. 4. Huſſæus vates: *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea.*

In quæ verba magnus Pontifex, è Romano pulpito, fidei ſede, & ſpecula veritatis, ita effatur: *Tinea damnum facit, & ſonitum non facit: ita iniquorum mentes; quia damna ſua conſiderare negligunt, integritatem quaſi neſcientes perdunt. Amittunt namque à corde innocentiam, ab ore veritatem, à carne continentiam: & per acceſſum temporis, ab ætate vitam. Quaſi ergo à tinea conſumuntur, quia ſine ſonitu, culpà morſum tolerant, dum quanta detrimenta vitæ patiantur ignorant.* Et hæc Pontificis oraculo ſunt à tinea clades. Accedit altera. Ubi in veſte, panno, aut charta nata fuerit, cáque clanculùm exederit, tandem & ſeipſam conficiet. Ex quo manavit illud ejus ænigma:

Littera me pavit, nec quid ſit littera novi:
In libris vixi, nec ſum ſtudioſior inde:
Exedi muſas, nec adhuc tamen ipſa profeci.

Et hoc tineæ vitium tibi, ô peccator, commune eſt: ex te enim ſi neſcis oritur peccatum, invíſa parenti ſoboles; à qua ſeu pannus tacito, ſed maligno dente ita depaſceris, ut ab eo ſtragem ruináſque patiaris, cui ipſe lucem vitámque dediſti.

I modò, ſcelus ama, & ſtultè deperi; audíque il-

Iſa. 50. v. 9. lud Iſaiæ vaticinium: *Omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.*

PROPOSITIO XVI.

Peccatum eſt Serpens.

Serpens decepit me. Gen. c. 3. v. 13.

Quaſi à facie colubri fuge peccata; & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Eccl. c. 21. v. 2.

SOlet à Theologis ea moveri quæſtio, Cur Evam à ſerpente tentari oportuit? Ac non potiùs ab alio quovis animante? Tum deinde quis ille ſerpens? Cújus naturæ ac ſpeciei fuerit? Si Caietano credimus, non ſerpens fuit, ſed maligna dæmonis ſuggeſtio.

Cyrillo dæmon fuit ementita ſerpentis ſpecie. Lib. 3. contra Iulian.

Sed eæ ſententiæ à communi ſenſu veróque videntur alienæ: fuit enimverò, fuit verus & genuinus ſerpens. Sed quis ille, cújua generis? Lis magna eſt, eáque adhuc ſub judice.

Eugubinus credit fuiſſe baſilicum, qui ſerpentium Rex appellari ſolet. Delrio viperam credit, utque credat eò ducitur ex illo Luc., *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a venturâ irâ?* Luc. c. 3.

Pererius exiſtimat fuiſſe ſcytalem. Serpentis eſt genus maculoſum, verſicolor, & amœna tergi varietate conſpicuum, eóque præ cæteris amabile. Ut ut ſit, parum intereſt, ſerpens fuit quiſquis is fuit.

Sed cur, inquies, ſerpens? Cur ex omni ſeu volucrum, ſeu aliorum animantium genere, unus ille in campum, in pulverem, in hominem emittitur?

Sunt qui velint id factum arte dolóque mali dæmonis. Serpentis ille genium, naturam, affectiones omnes jam inde perviderat, noverátque eſſe callidum, & opportunum fabricandis dolis, texendis fraudibus; eóque uſus eſt, ut hominem malis artibus, occultiſque inſidiis circumveniret: nec enim aperto marte peti potuit, aut debuit.

Acceſſit deinde & altera ratio; quòd ſerpentis ſit adrepere clanculùm, malignè inſidiari, mordere, venena diffundere, interimere, perdere. Hinc eo loco ac tempore ſerpente uſus eſt, & omninò feliciter.

Non deſunt tamen, qui hoc ipſum adſcribant divinæ Providentiæ, credantque id factum eſſe ſuavi & amabili ejus conſilio.

Is dicitur eſſe alicujus ſerpentis genius, & naturæ inclinatio, ut ſi fortè ſibi periculum eſſe videat à venefico carmine ſonóque; ut eum declinet fallátque, aurem unam terræ apprimit, alteram injectâ caudâ occludit.

Hujus affectionis, impetúſque naturæ conſcia eſſe debuit, & quidem etiam fuit Eva, eóque tacitè moneri potuit: ut quod ille contra veneficos cantus & carmina faceret, hoc ipſa contra ſerpentis ſibilos artéſque molliretur; unámque aurem apprimeret, affigeret terræ, non immemor originis, luti que è quo fictus Adam; & alteram occluderet caudâ, id eſt, meditatione finis mortiſque à peccato jam imminentis.

Hæc ſi probè feciſſet Eva, non eò malorum veniſſet, nec in poſteros omnes eam peccati pœnæque labem emiſiſſet: ſed ſeræ nimiùm lacrymæ, ſeríque poſt fata gemitus. Ab iis diſcedamus; & cùm infectum fieri nequeat, facti rationem inquiramus.

Non ſine Divûm Numine, ſuavíque Providentia id dæmoni, id Lucifero conceſſum, ut ſeſe in ſerpentem immitteret, eóque veluti fatali machina hominem impeteret, quateret, ſterneret, profligaret. In quo naturæ rationem haberi potuiſſe non abnuo: mâlo tamen ea ſerpentis ſpecie oſtentare voluiſſe quæ foret peccati ſpecies & imago: ex vero enim dici poteſt, quod peccatum ſit ſerpens, quia hic cum illo in maligna vi, & invicta contagione conſentit:

ſentis: quod ut oſtendam, noxium ſerpentis virus cum immedicabili peccati vulnere componam.

Rectè Sapiens in aureis ſuis monitis illud poſuit; *Quaſi à facie colubri fuge peccata: ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te.* Faciem colubri vocat partem, quæ maximè eminet, & prima occurrit, videlicet caput, ubi veneni eſt præcipua velut apotheca, unde in perniciem mittitur. Etſi enim Phyſici periti venenum ſerpentium eſſe in cauda putent; aiunt tamen iidem à cauda effundi, & penetrare in caput ubi ſit veſicula peſtilentiſſimæ rei loculamentum.

Eccl. c. 21. v. 2

Et hoc peccato convenit quàm optimè, eò maximè, quòd cum aliqua voluptate conjungitur: etſi enim importuna vis ejus, morſusque inſanabilis in caudam, id eſt, finem operis, rejici videatur; præcipuè tamen in caput evadit, & voluptatis frontem occupat, eique maligniùs inſidet: ideoque ſicuti ſerpens corpus omne ferro concedit, dummodo caput ſervet (eſt enim illud præcipua vitæ ſedes, leti & malitiæ diverſorium) quod unum ſi integrum ſervetur, de reliquo parum, aut nihil intereſt: ita ſtygius ſerpens ſedulo cavet ne in prima tentationis aut peccati fronte evitetur aut eludatur vis toxici, & illecebra nefandæ voluptatis; ſatis conſcius in capite, & culpæ initijs malum omne dominari: proinde, qui ſibi benè proſpectum eſſe vult, quaſi à facie colubri fugiat peccata. Si enim acceſſerit ad illa, ſuſcipient eum: ubi verò ſuſceperint, tum in morem aſpidis, tacito illapſu venena diffundent.

Eſt illud in morſu aſpidis, quòd ſint adeò tenuia ejus veſtigia in corpore, ut vix appareant; tam ſubtilis, támque valida veneni vis, ut ſeſe in interiora inſinuet. Quod ſingulari quadam ratione peccati vim naturámque declarat. Sæpè enim nec opinantibus nobis nihilque minùs ſentientibus, ſubit cor ipſum, vitæ ſedem & arcem, tenuique morſu magnum importat malum: & eò quidem majus, quòd furtivè & blandè adrepat ſpecie quadam ementiiæ voluptatis: quæ ut in capite blandiatur & rideat, in cauda ferit ac mordet; ut enim Boëtius:

De Conſol. Philoſ. l. 3. metro 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumq́; par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Sed redeo ad Eccleſiaſtici præceptum: eſt enim in eo quiddam omni conſideratione digniſſimum. Cùm enim ait fugiendum eſſe peccatum quaſi à facie colubri, non vult tantùm feralem illius morſum dentémque eſſe vitandum; ſed quamprimùm aſpidis illa facies ſe dederit in conſpectum, tametſi procul eſſe videatur, fugere oportere. Neque enim tantùm dente morſúque nocere aſpis conſuevit; verùm etiam afflatu, & teterrimi humoris injectione. Hinc rectè aſpides, nominatæ ſunt Ptyades, quaſi dicas ſputantes, quòd venenum in oculos aſtantium expuant, è quo cæcitas miſerrima oriatur. Certè illat ſputo ſuo excæcare lumina Porphyrius auctor eſt. Addunt alii ſomnum infelicem, veternúmque deteſtandum cum ferreo quodam ſopore conjunctum, qui ad aſpidis occurſum aſpectúmque ſtatim conſequatur. Inde Lucanus aſpidem appellat ſomniferam; quòd ſomnum hominibus inferat.

Idem quoque nefandæ voluptati, idem omni peccato vitium eſt; mentis oculos claudit, indomitóque ſopore damnat: ut in iis omnibus, quæ ſalutis, quæ cœli, quæ æternitatis ſunt & cæcutiat & indormiſcat; ad cætera plus æquo vigil atque oculata.

Quòd ſi paucorum eſſet iſta clades, aut ab uno ſcelere ſemel duntaxat petita; magis certè toleranda foret: at minimè ferendum illud, quod inflicto lethali morſu, dentem iterùm in alia vulnara ſtragesque proritet, & acuat; ſecus omnino ac ſerpens facit.

Ælian.

Scriptores quidem eruditi produnt, ſerpentem, qui morſu hominem enecarit, non poſſe deinceps ingredi in latebram ſuam; ſed temerè huc illuc vagari, quaſi maleficii reum, & propter admiſſum ſcelus divina providentia quodammodo puniri. Nos verò peccatum videmus poſt infinitam hominum ſtragem, atque internecionem animorum, tot habere etiamnum latebras in hominum pectoribus, atque ſinus ubi tutiſſimè & molliſſimè delitеſcit. Contrà quàm omnino fieri oportuit: expelli enim exulareque æternùm debuit, ubi vel ſemel tantùm eam labem intuliſſet.

Sed alia eſt peccati macula, alia tyrannia, quæ non uno vulnere, una morte ſatietur; verùm in nova ſupplicia, novas plagas involet. Et iſta quidem ex aſpidis natura tranſlata velim ad unius peccati malitiam, quam etiam à vipera duci augerique poſſe exiſtimo: eſt illi magis effera, crudelis, impia in malum inclinatio: non enim venit in lucem, non emittitur in reluctantes auras, niſi priùs per ſummum malum effoſſo matris utero, ut quæ illi ſit prima dies, eadem progenitrici ſit ultima.

Hæc oculis, hæc animo lege, quiſquis à peccato viperam concipis. Admittitur illa in animi ſinus, & ſi voles uterum: at non emittitur, niſi diſruptâ mentis ſede, & immaturo fato.

Quòd ſi fortè non eò ſtatim veniat concepti ſceleris malignitas, ut animum dira morte a corpore revellat; at ſaltem ita ſollicitat & angit, ut ſupplicium pro ipſa morte eſſe videatur.

Sed & aliud eſt ſerpentis genus, quod Græcis *Dipſas*, Latinis ſitula dicitur, a ſiti; de qua Lucanus:

Stabant in margine ſicca
Aſpides: in mediis ſitiebant Dipſades undis.

Eâ ſiti primùm ſeipſæ torquent: tum deinde eos, quos attigerint, eâdem excruciant. De illis benè cecinit D. Gregorius Nazianzenus:

Iambico 22, in opum amantes.

Eſt viperarum quodpiam Dipſas genus,
Quas ſolitudo Pharia plures alit,
Petit bibenda quiſquis hac ictus fuit,
Aquis repertis totus in eas irruens,
Quouſque nimio turgidus potu crepet;
Vita cadente, ſæva ſic cadit ſitis.

Hoc ſerpentis vitium detorquet in avaros, quos urget ingens auri fames ſitiſque, quam nec ſatiare, nec extinguere poſſent ipſa maria, etſi aureos torrentes evolverent: adeò incaluit avara ſitis diteſcendi. Eam ſedare pellereque ſi voles, à tuis gazis diſcede, abi, & aquas hauri in gaudio de fontibus Salvatoris, de fontibus Euchariſticis. Priùs tamen quàm iis teipſum proluas, ſerpentem ut in cæteris oderis ac fugias, in hoc uno ama, atque imitare.

Mendoza Tom. 2. in lib. Reg.

Dicitur ejus eſſe genii, ut ſi de fonte bibere velit, priùs venenum ſuum evomat, nè aquas eo inficiat: & tu priuſquam prægustes divinos illos latices, pretioſumque ſanguinem, qui multus à Chriſto funditur, & manat ab amoris vulnere; quod animo latebat peccati virus effunde, abjice, & puro ori caſtæque menti calicem admove, & quidquid erit vitii probè dilues: quòd ſi ad detergendum ſceleſtum illud virus non ſatis eſſe videntur affuſi latices, etiam flammas adhibe.

Si quis locus, ſi quæ regio à ſerpentibus infecta ſit, eſt illud pro ſingulari remedio; ſerpentem cape, ſtringe, feri, neca, & flammis eò loci trade: & omnis regio, locus omnis, ad quem exuſti ſerpentis nidor evaſerit, ab eo liber & immunis erit.

In animum tacito lapſu, furtivo pede irrepſit ſerpens & vipera peccati: ne ſpem abjice, eam luem ſi voles excuties: tantùm ignem concipe divini amoris, eo caleſt, ardeat, abſumatur quidquid eſt ſerpentis, quidquid iſtius toxici reliquum eſt: ubi cæleſtis illius ignis nubem hauſerit, ubi flammas acriores ſenſerit, ubi ab incenſo veluti devotionis thure

bonus

bonus odor expiràrit, ejus impatiens ſerpentis, id eſt, peccati genus omne, procul caulabit.

PROPOSITIO XVII.

Peccatum eſt mors.

Iob. c. 18. v. 13. 14. *Conſumat brachia illius primogenita mors; & calcet eum, quaſi Rex, interitus.*

Apoc. c. 2. v. 11. *Qui vicerit non lædetur à morte ſecunda.*

ROmanos olim adeò occuparat vana Deorum religio, ut nullus propè eorum eſſet, qui Romæ locum non inveniſſet: ita quidquid idolorum, quidquid abjectæ ſuperſtitionis Orbe toto ſparſum erat, Roma rerum domina ſibi ſuiſque collegerat.

Hæc inter idola enituit etiam Deus Viduus: quem ita vocari placuit, quòd corpus anima viduaret. Erat ille quaſi feralis & funebris; nec intra muros colebatur, ſed extra urbis pomeria: verebantur nimirum, ne funeſtarentur ſacra civitatis, ne ſanctum jus municipiorum pollueretur ſi intra urbis ſepta Deus Viduus admitteretur.

Non aberrabo ſi dixerim, hoc quo vivimus tempore Deum Viduum pro Numine haberi, colíque. Quis ille ſit ex me ſi quæris? Audies eſſe peccatum, quod non corpus anima (id enim exiguum foret), ſed ipſam animam gratiâ viduam facit, & vitâ meliore privat: in quo magis in Deum impii, in nos crudeles ſumus, quàm olim fuerint Romani: hi enim ideò colebant Deum Viduum, ne corpus animâ orbaret, niſi quàm tardiſſimè, eáque ſenecta: à qua ſi morti, ſi fatali neceſſitati cedendum eſſet aliquando; at ſaltem blandè & feliciter cederetur. Et quia hoc ipſum videri poterat ferale ac funeſtum, Deum Viduum extra urbis ſepta reponi placuit.

Nos ſecus omninò meditamur, & facimus: etſi enim ab uno lethali ſcelere orbam vitâ animam credimus; et tamen nos ipſi vitámque noſtram ſubmittimus: nec extra urbium pomeria Cupidinis aras, & profana ſcelerum fana erigimus; ſed in ipſos lares ac penates, in ipſa domorum adyta admittimus; imò quod horreas, in corporis, in animi ſedem ita vocamus, ut nulla ferè pars corporis, nulla ſit animi potentia, quæ peccato non pateat.

Ita mors intrat per feneſtras, per oculos, per aures, per aliorum ſenſuum adyta ad animam uſque pervadit. Eò nimirum cæcitatis & amentiæ ventum eſt, ut quod odio eſſe debuit, amori eſſe videatur.

Et quia hanc ego labem eluere laboro, da mihi hanc veniam, ut corporis mortem quam fugis, componam cum animi morte quam amas.

§. I.

Quid ſit mors?

FUit olim in ſcholis ventilata illa quæſtio; in qua itum in varias ſententias.

Sophocles ad eam reſpondit: *Mors ultimus eſt morborum medicus.* Et verò rectè; multis enim malis & morbi moleſtiis finem afferre conſuevit: & medendi artem, quam non docuit Galeni aut Hippocratis ſchola, eam reipſa probè edocet una mortis palæſtra.

Sotades aliter cenſuit; dixit enim *Mortem eſſe mortalium omnium portum.* Credidit ille, nos vita, ſeu fœdo mari jactari, adverſiſque procellis ac turbinibus concuti, tempeſtatibus ac naufragiis obrui; à quibus tutus eſſe non liceat, niſi in ipſo vitæ portu, id eſt, morte conſiſtas.

Socrates mortem dixit eſſe *ſomnum, aut longinquam peregrinationem*; in qua animus à corpore liber ac ſolutus peregrinatur. Ab eo vix diſſentit Poëta, cui, *ſomnus frater eſt & gelida mortis imago.*

Docuit alius & benè, quòd mors dicatur, & verò etiam ſit, *Echo vitæ.* Ut enim echo voci; ita mors vitæ reſpondet. Si blandè vox inſonuit, ſi ad artis & muſicæ numeros; & ipſa quoque blanda, & muſica reſonabit Echo.

Sin autem abſona, inſulſa, aſpera, hiulca, horrida vox intonuit; & ipſa quoque abſonum quidpiam, inſulſum, aſperum, horridum reddet Echo.

Quod in voce & echone audis, hoc in vita morteque audies. Si ad virtutis, cœli Deique numeros vita ſonuit; ad eoſdem mors inſonabit. Sin autem horridum aliquid, à bonis moribus abſonum, vitioſum, triſte, funeſtum intonuit; & illud ipſa mors intonabit, & quaſi fidelis echo eandem vitæ vocem, eoſdem ſeu vitii ſeu virtutis numeros ac modulos reddet.

Tertullianus pro ea qua fuit ingenitæ mentis ſolertia, ſtylóque altiore, pronuntiavit mortem eſſe *ultimam quæſtionum omnium.* Digna tanto viro ſententia: exiſtimavit ille vitam hanc mortalem ſcholam eſſe, lycæum, palæſtram, in qua variæ proponi, diſcuti, agitari ſoleant quæſtiones. Has inter, omnium quæſtionum ultima & difficillima eſt mors; quia ejuſmodi, cui ſatisfacere ne unus poteſt quin ſuccumbat, & ſe victum fateatur: adeò valida mortis argumenta, potenſque telum.

Dici etiam fortaſſe poteſt mors omnium quæſtionum ultima; quia in vita quæruntur multa: quæritur enim divéſne quiſquam, & *priſco natus ab Inacho?* Quæritur an multis titulis & imaginibus illuſtris? An multa armorum gloria celebris? An vario disciplinarum genere, doctrinæque ſupellectile probè inſtructus? Et alia ejus generis quæruntur in omni vita: at à morte ſilent omnes illæ quæſtiones; ideóque mors quæſtionum omnium ultima dicitur. Ubi enim contexta totius vitæ ſeries, longiórque curſus, pro coronide, pro concluſione additur illud lemma, *& mortuus eſt*; tum altum fit ſilentium.

Dixit unus alius, & fortè veriùs, *mortem eſſe natura malum, imò ſummum malorum omnium.* Quod Ariſtoteles expreſſit, cùm ait: *Omnium terribilium, terribiliſſimum eſt mors.* Ethic. 3. c. 6.

Contra quem pugnat aurea illa D. Chryſoſtomi ſententia: *Non mori, ſed malè mori malum eſt.* Hom. 36. in Matth.

Quamquam, ut pro philoſopho verbulum proferam, utrique ſententiæ ſua ſtare poſſit veritas. Si ex fidei gratiæque legibus, ex divina voluntate ac decreto loqui velis; non mori malum dixeris, ſed tantùm malè mori: at ſi tantùm naturam audias; mortem omninò malum eſſe fatearis eſt neceſſe. Sed iſtis hactenus datum eſt ſatis.

§. II.

Mors corporis cum animæ morte componitur.

QUæ de morte corporis extulimus, traducamus ad animum. Erit fortaſſe Epicuri de grege qui volet etiam peccatum ultimum eſſe morborum medicum: ut enim corpori, ita & animo ſui morbi: ii ſunt inſolentes paſſionum æſtus, à quibus ægræ menti tamdiu eſt malè, quamdiu iis non eſt factum ſatis: at ubi parere cœperis, ubi libidini ceſſeris; tum æger acquieſcet animus, & ſibi ac valetudini reddetur. Febris tua avaritia eſt, febris tua libido eſt: vis illi medicum? Indulge morbo; & ſi te febrilis adurat calor, ſi Veneris ignes, etiam ignes admove, & flammas extinxeris: ita peccatum habes illius morbi medicum.

Itáne verò nobiſcum agitur? Ita parum ab experientia docti ſumus? Quis neſciat hos impetus animi, hos febris æſtus, eâ ſceleris indulgentiâ accendi potiùs quàm extingui? Certè in morbis animi id

uſu

plerumque tantum accedit doloris maliq́ue, quantum à vitioſa indulgentia videbitur acceſſiſſe. Ex quo illud conficio, ut animi paſſio ſit morbus, medicus tamen non erit ipſa in ſcelus conniventia.

Neque etiam fatebor peccatum eò dici & eſſe animi mortem, quòd à dubia & difficili navigatione ſit portus; niſi fortè eum portum dixeris, in quo certum ſit ſalutis naufragium, jactáque tabula æternitatis.

Ut igitur iſta miſſa faciamus, aſtruamus illud, peccatum eſſe mortem, quia ſomnus eſt, quia longa peregrinatio, quia ſummum naturæ, imò & gratiæ malum eſt.

Somnus Philoſopho dicitur, ligatio omnium ſenſuum externorum: ut is irrepat animali, primùm fieri debet evaporatio quædam alimenti, & ex ea veluti denſa nubes in cerebro cogi, eíque incumbere: tum deinde ea nube veluti ſoluta & decidua obſtrui meatus omnes & oſtia, per quæ ſpiritus animales è cerebro in nervos ſenſorios ipſóſque ſenſus effluunt: quod ubi abundè factum eſt, vacant ab opere ſenſus omnes externi, eáque vacatio ac operis diurni remiſſio, ſomnus eſt & ſopor.

Quod corpori ſomnus, hoc menti peccatum eſt: ille corporis ſenſus omnes illigat, implicat & ſopit affuſa humorum nube; & hoc omnem animæ vim, omnem divinorum ſenſum adimit: quod ut faciat, primùm expirare patitur quod erat ſibi puriora: ſi quis animo inſidebat Dei timor, ſi quis imminentia judicii metus, ſi quæ divina lumina, piúſque de ſalute ſenſus, & cura qua ali poterat animus ac ſuſtentari; eam ita debilitat & extenuat, ut in vaporem, in auras abeat & evaneſcat: tum deinde ſuperinducta, & veluti ſoluta cupiditatum nube ita premit, obruit, & aditus omnes occupat, ut jam nullus è capite, à ratione, à cœlo ſpiritus effluat, nulla ſit cura æternitatis, nullus bonorum operum labor: ita malè feriatur, & vacat à divinis animus, lethaliq́ue ſomno indormiſcit.

De vita ſolitaria. Ne te occupet ille ſopor & ſomnus æternæ mortis frater, audi D. Bernardum excitantem: *Cave in quantum potes, ſerve Dei, ne totus aliquando dormias, ne ſit ſomnus tuus non requies laſſi, ſed ſepultura corporis fatigati; non reparatio, ſed extinctio ſpiritus tui.*

Quòd ſi ne corporis ſomno, qui tamen innoxius eſſe poteſt, pluſculum indulgeri voluit Bernardus; tu animæ ſopori & mortis ſomno te totum concedendum eſſe putabis? Non eſt ille ſopor requies corporis, ſed ſepultura mentis; non eſt reparatio, ſed extinctio divini ſpiritus: & eam tamen ultrò evocas, atque acerſis.

Si magnus ille Arſenius, ubi noctes inſomnes exegerat, ubi ſibi Deóque vacarat totus, vix ac ne vix quidem horulam dabat ſomno, eúmque ita vocitabat: *Veni male ſerve*; tu hunc lethalem ut amicum vocitabis? Et ei non dico horam, ſed annos, & vitam propè totam committes? Non facies certè ſi D. Paulum audias: *Omnes*, inquit, *vos filii lucis eſtis, & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus, & ſobrii ſimus.*

Lib. 5. de vitis Patrum num. 22.

1 ad Theſſal. c. 5.

Quòd ſi Sotades ex ſuo ſenſu dixit, mortem eſſe longinquam peregrinationem: & peccatum mors eſt, & mirum quantum aliena ac longinqua peregrinatio. In eam abiit, exceſſit adoleſcens ille prodigus, de quo D. Chryſoſtomus:

Luc. 15. *Congregavit*, inquit, *bona patris, & longè abiit, plus mente, quam loco.* & Ambroſius: *Peregrè, ait, profectus eſt in regionem longinquam; quid enim longinquius quàm à ſe recedere, nec regionibus, ſed moribus ſeparari; ſtudiis diſcretum eſſe, non terris, & quaſi interfuſa luxuria ſæcularis actus divortia habere Sanctorum? Etenim qui ſe à Chriſto ſeparat, exul eſt patriæ, civis eſt mundi: ſed nos non ſumus advenæ atque peregrini; ſed ſumus cives Sanctorum & domeſtici Dei: qui enim eramus longè, facti ſumus propè in Sanguine Chriſti.*

Hactenus ore melleo D. Ambroſius: quem utinam ita audias, ut nunquam à teipſo, nunquam à Deo longiùs abeas. Quòd ſi adoleſcentiæ impetu, ipſóque juvenilis ætatis æſtu, per peccatum peregrineris à Domino; tum abſumpta prodigè omni paterna ſubſtantia, ubi tibi fuerit facta fames valida in longinqua illa peccati regione, *conſumet brachia tua primogenita mors*, omnes animi vires, robur omne exedet, *& calcabit te, quaſi Rex, interitus*; inſtar efferi & immanis tyranni te ſub pedibus ponet, & fœdè abjectum conculcabit.

Hæc erit meta tuæ peregrinationis, hæc ultima vitæ ſcena, quæ ibit in annos, in ſæcula, in æternitatem. Ne porrò ea te premat, à Deo numquam ſis longè, ſed æternùm propè in Sanguine Chriſti.

Redeo ad ſententiam Tertulliani: dixit ille, mortem eſſe quæſtionum omnium ultimam. & tibi de peccato ultima movebitur quæſtio: non ex te quæretur, fuerìſne opulentus, & multo gravis auro? Nobiliſne, & longa majorum propag ne cerieque ſpectabilis? An multa doctus experientia? Naturæ aſtrorúmque ſpeculator? Quæſtiones illæ non ſunt illius fori, ſed tantùm hujus vitæ ac temporis. E pulpito cathedráque mortis hoc unum exigetur, An peccaſti? Si annuis, æternæ mortis reus teneris; ſi renuis, in immortalem vitam liber exſcendes.

Venio ad extremam de morte ſententiam. Ea cenſuit mortem eſſe naturæ malum, & ſummum quidem: quòd ſi mors ipſa naturæ malum eſt, imò ſummum malorum omnium, quia corporis animæq́ue vinculum ſolvit; & peccatum mors ſit, malum ſit oportet, & ſummum malum: quia gratiæ vinculum, quod Deum inter & hominem interceſſit, penitus diſrumpit, ac diſſipat.

Quod malum quantum ſit, is unus novit, qui jam antè pervidit quantum bonum ſit ipſe Deus, à quo nos avellit peccatum. De hoc & illo extat ea D. Auguſtini ſententia: *Unum eſt ſummum bonum* (ſcilicet Deus) *aliud autem ſummum malum* (ſcilicet peccatum) *illud propter quod appetenda ſunt cætera bona; ipſum autem propter ſeipſum: hoc propter quod declinanda ſunt mala cætera; ipſum autem propter ſeipſum.* In ſententiis ſent. 152.

Quòd ſi vel ipſo naturæ ſenſu malum omne fugis, & peccatum fugias eſt neceſſe: in ea porrò fuga ſtat ſumma victoriæ noſtræ; de qua Joannes in Apocalypſi: *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.* c. 2. v. 11.
id eſt, peccato, ut explicat Albertus & Rupertus: mors prima, eſt corporis; ſecunda mentis. de utraque Chriſtus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. v. 28.

PROPOSITIO XVIII.

Peccatum eſt Chriſticidium, Deicidium.

Si affiget homo Deum? Malachiæ c. 3. v. 8.

Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei. Ad Hebræos c. 6. v. 6.

Ante quorum oculos Ieſus-Chriſtus præſcriptus eſt in vobis crucifixus? Ad Galat. c. 3. v. 1.

HÆc olim bono zelo, piáque impatientia Paulus: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos* JESUS-CHRISTUS *præſcriptus eſt in vobis* (imò & à vobis) *crucifixus?* Tenebantur eorum oculi diuturno, & infelici faſcino: ut illud explicet & tollat, objicit Chriſti è Cruce pendentis imaginem, cui pro tabella Crux fuit, rude &im-

& immane lignum; pro colore, pro purpura & murice, Sanguis; pro penicillo, flagella, quæ per corpus errant, & cruentos ſulcos ducunt; clavi, quibus affixæ manus pedéſque; ſpinæ, quibus altè confixum caput; lancea, qua latus petitum, & hauſtus ſanguis. Hac tabella, hoc colore, hoc penicillo uſus eſt inſolens, crudelis, impius pictor. Quis ille? Ne foris quære quem domi tenes: *Vos ipſi inſenſati Galatæ*; tu ipſe, qui hæc legis, pictor fuiſti, & hanc cœlo judice imaginem efhnxiſti. ubi ea primùm in hujus Orbis aſpectum venit, tota rerum univerſitas hoc uno defixa prodigio hæſit, ſtupuit, ingemuit.

Eam ubi ſpectarunt *Angeli pacis, amarè fleverunt*. Eam ubi præſago ſpiritu, menteque viderunt Prophetæ, exclamarunt: *Conſummatum eſt*. Ut eam Sol aſpexit, celeri curſu in occiduos orbes elapſus ſeſe ſubduxit, & tenebris triſtique nocte merſit, ne tam funeſtæ tragœdiæ teſtis & ſpectator eſſet. *Et hinc tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*. Eam ubi terra tulit ac ſenſit, ſubito juſtóque dolore victa, *mota eſt, petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt*. Ipſi inferi, aliàs ſenſus omnis, ac doloris expertes, ſe hoc uno ſeu doloris, ſeu amoris prodigio victos eſſe confitentur: *Princeps hujus mundi ejicietur foras*

Tot inter ſpectacula & attonitæ naturæ caſus, in communi illo terræ cœlique luctu, ſuperum horrore, ac lacrymis, inferorum metu, fuga, lamentis, unus hæres alto ſtupore fixus, perinde ac ſi tibi non pateret quæ Orbi patet tragœdia, cujus tamen etiam ipſe auctor exiſtis, unóque actu & Chriſtum & Deum tollis.

§. I.

Peccatum eſt Chriſticidium.

SEdulus olim & anxius quæſivit Malachias, poſſétne in hominem aliquem cadere tantum nefas? *Si affiget*, inquit, *homo Deum?* Hebraicè *Kaba*; quæ vox aliam atque aliam patitur etymologiam.

Septuaginta vertunt: *Si ſupplantabit homo Deum ſuum?*

Pagninus: *Si rapiet, fraudabit, extorquebit homo Deum ſuum?*

Vatablus: *Si ſpoliabit homo Deum ſuum?*

Rabbi Abraham: *Si corrumpet, perdet homo Deum ſuum?*

Syrus, & Arabicus: *Numquid opprimet homo Deum?*

D. Bernard. *de Reſurrectione ſerm. 111. p. 45.* Ecce quò ſceleris, amentiæ, furoris progreſſus es: Deum tuum ſupplantaſti, alia longè fraude, aliis artibus & dolis quàm fratrem Eſau Jacobus.

Hic matris imperio, Dei voluntati ceſſit; fratrem ſupplantavit, tulitque primogenita: tu verò reluctante cœlo, gemente terra, fugientibus inferis Deum tuum, qui ab humana natura quam induit, tibi frater eſſe & haberi vellet, frater autem, qui tibi & amore frater eſſet, & pietate pater, tu contra nec frater, imò nec homo es; exuiſti quod fratris erat, quod humanitatis, quod ſanguinis & naturæ communis, & ſaxeum pectus, caucaſeos animos induiſti, & Deum ipſum ſupplantaſti. Ille ſummæ amoris inclinatione ſua quodammodo vendidit, abjecit, proſtituit primogenita, ut in eorum partem aliquam venires; tu verò ea deſpicis, oblatámque ultrò hæreditatem reſpuis; nec reſpuis tantùm, in quo tibi uni eſſet malè, ſed & fratri & Deo vis eſſe quàm peſſimè. Eum mala fraude, malis artibus circumvenis, extorques è ſinu Patris, in quo tota æternitate beatus latuerat, extorques è cœleſtibus orbitis, in quibus habitarat innoxius; & ad extrema ſupplicia abripis, omni veſte ſpolias, corrumpis, perdis, opprimis, & infandæ Cruci per inviſum ſcelus affigis. Ita factum ævo ſuo gemuit Paulus, eſſe Hebræos inter, qui rurſum in ſemetipſis crucifigerent Filium Dei, & oſtentui haberent. Nimirum Judæorum iræ, odio, furori non ſatis fuit ſemel affixiſſe Cruci, niſi iterum iterúmque per nova ſcelera ad Crucem revocarent. Quamquam quid ego Judæos appello? Quid arguo? Chriſtianos appellare, arguere debui.

Admiſſi quondam ſceleris ultrices pœnas ferunt Judæi: quorum parvuli ut plurimum naſci ſolent manu ſanguine plena, adulti verò tam viri quàm fœminæ ipſo die Paraſceves profluvium ſanguinis patiuntur, totique expalleſcunt: abit nimirum, & in poſteras ætates effluit pœna profuſi quondam innoxii ſanguinis. D. Vincent. *ſerm. in die Paraſc.* Hugo Card. *in Pſal. 77.*

Utinam & tibi, ô Chriſtiane, flueret ille ſanguis, & ora pallor occuparet; non eò forte venires amentiæ, ut per nova ſcelera, Chriſti Cruci mortíque cauſam afferres, neque Judæos quos mordaci linguæ vellicas, & immanitatis arguis, ipſe unus iis crudelior, ſuperares: magis enim eſt nocens qui ferro petit, quàm is qui lingua ferit: hi lingua, tu etiam reipſa Deum Cruci affigis dum peccas.

Et hoc primum nefas: alterum eſt, quòd etiam Deum quà potes è medio tollis, ut ex ſequenti paragrapho patebit.

§. II.

Peccatum eſt Deicidium.

Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. *Pſal. 52. v. 1.*

A Peccato in Crucem agi Chriſtum, Deum-hominem è vivis auferri, etſi novum, inſolens, portentoſum ſit, non tamen videtur ἀδύνατον: at Deum ipſum peti, concuti, & quodammodo labefactari, illud eſt ejuſmodi, quod nec admittat natura, nec ſuperi, inferique patiantur: at patiuntur tamen, non ſine ſtupore odióque tantæ ferocitatis. Qui porrò fieri poſſit illud attentiùs mecum conſidera; & re etiam ipſa factum concedes.

Sunt in Deo ter Opt. ter Max. perfectiones infinitæ, in quas peccator incurvit, & ſtygio cornu, crudeli impetu arietat. Eſt Deus ipſamet bonitas, fons & origo omnis bonitatis, qui clarè viſus, non excitat modò ſui amores; ſed rapit, ſed cogit, adeóque tenaciter voluntatem ſibimet implexam tenet, ut tota æternitate ab ea divelli, disjungive non poſſit.

Ab hoc fonte, immenſóque bonitatis oceano, non tantùm averſo curſu refluit peccator, verùm etiam eam abjicit, conculcat, odio habet, &, ſi poſſet quantum odium valet, omninò perderet: in quo ſanè contra naturæ leges, & prima philoſophiæ placita offendit. Ab illa hoc eſt pronuntiatum, Bonum quà bonum amari poteſt, & debet; odio haberi nec debet, nec verò etiam poteſt, niſi in eo ſuccurrat aliqua ratio mali. At in Deo omnis ratio boni, nulla mali apparere poteſt: igitur nec odium humanæ voluntatis pati.

Et illud verum eſt, ſi ex naturæ aut veritatis aut amoris lege ſeſe regeret; ſed exlex, excors eſt, ubi vel ſemel peccati leges admiſit: amat enim & ſequitur quæ odiſſe & averſari debuerat; & contrà, quæ amore proſequi, ea fugit, & procul eſſe vult.

Reſpuit deinde, & profunda nocte, fallacibus tenebris ipſam Dei ſapientiam damnat; & oculum illum æternæ mentis ſemper vigilem, apertum, aut ſopitum, aut clauſum omninò credit. Ait enim *in abſcondito cubiculi ſui: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Ezech. c. 8. v. 12.

Hæc

Hæc in divinum Numen expuit peccatoris impudentia, frons effrons, os durum ac vecors, quod potiſſimos illos Dei ſui oculos inviſo ſcelere fœdè polluit; audérque eo teſte, quod non auderet homine ſpectatore.

Lib. 2. epiſt. 2. *O ſi poſſis*, inquiebat olim D. Cyprianus; *in ſublimi ſpecula conſtitutus oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare, aſpicias ab impudicis geri quod nec aſpicere poſſit frons pudica; videas quod crimen ſit & videre, videas quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant; libidinibus inſani, in vitas ruis proruunt, fiunt quæ nec ipſis, nec iis poſſent placere qui faciunt: iidem in publico accuſatores, in occulto rei, in ſemetipſos cenſores pariter & nocentes: damnant foris quod intus operantur, quorum quò ſecretior culpa, major audacia eſt.*

Hæc D. Cyprianus; qui culpam vel ex eo augeri cenſet, quòd eam non ferat frons pudica, imò nec ſuſtineat quantumvis impudens os peccatoris: quòd ſi vel inde pondus addi poteſt, quantum hinc adjici neceſſum eſt, cùm velis nolis incurrat illa in cenſorem Dei tui oculum: at non incurrit, inquis; audio enim, rurſum ingeminas, & in cœlos ipſos evibras antiquum illud infandæ perfidiæ telum: *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelſo? Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Pſal. 72. Pſal. 93. v. 7.

In quo uno non naturæ tantùm, non tibi, non ſuperis injurius es; ſed etiam (quod cogitare horret animus, lingua proloqui, quod notare calamus) Deicida: quiſquis enim Dei ſcientiam tollit, & Deum ipſum tollat eſt neceſſe. Quamquam nec illam ſolam abjicis; ſed & immenſitatem contrahis, & potentiam deſpicis.

Illam quidem, quia cœli cancellis claudis, & hoc orbe ſublunari relegas; nube involvis, & illi cœleſtes tantùm orbitas aperis, quibus inambulet, hoc
Iob. 22. v. 14 mundo velut exorris: *Nubes*, inquis, *latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat. A Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur?*
Eccleſ. c. 16 v. 16. *In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura?*

Ubi infinitam Dei bonitatem ita proculcavit peccator, ſcientiam irriſit, immenſitatem contraxit, imò & evexit; tum etiam auſu temerario potentiam exſibilat, & quod ampliùs eſt, ipſa etiam Dei actione concurſúque, in ipſius injuriam & contumeliam abutitur.

Eſt ille prima cauſa, primus motor, ſine quo nec agere, nec moveri, nec nutare poteſt homo. Pro ſua in eum conniventia, & infinitæ bonitatis propenſione, offert illi, ultróque etiam exhibet opem & auxilium paratum, illúdque velut in ejus manu ac poteſtate conſtituit; eo utatur ut lubet. Illud tamen unicè ferens in votis, ut eo auxilio concurſúque ſibi viam facilem ſternat ad virtutem, ad gratiam, ad gloriam, ſeſéque maxima meritorum acceſſione locupletet. Sed, ò hominis ſcelus, ò injuriam deteſtandam, ò portentum audaciæ! non tantùm irrita facit illa Dei ſui vota; ſed divino illo auxilio, velut gladio armatus, in auctoris ſui opprobrium inſurgit; & ipſam, ut ita loquar, Dei manum renitentem quodammodo atque reluctantem ad opus, cui implexa eſt peccati malitia, & quod velut umbra ſequitur, ducit, applicat, rapit, & quà licèt ac poteſt trahit in conſortium ſui ſceleris; faceretque, ſi modò illum admitteret infinita bonitas, faceret, inquam, auctorem peccati: quo uno quid communi parenti, id eſt, naturæ gravius? Quid ſuperis acerbius? Quid ipſi ſupremo ſanctiſſimóque Numini ignominioſius accidere, aut etiam excogitari, fingíque poſſit non video.

Dic enim, dic age peccator, Ut teipſum etiam ex humanis, quid humanum inhumanúmve ſit edoceam: Si mortalium omnium maximè inopi, ſi ſtro cuipiam pauperiori, ſi abjectiſſimo mendiculo peculiolam erogares, qua ille ſibi victum quæreret, & labefactatam ac nutantem à fame longáque inedia vitam repararet ac ſuſtineret. Ille contrà, & tuæ beneficentiæ, imò & ſui officii oblitus, ex ea ipſa pecunia venenum emeret, quo tibi perniciem moliretur; quo ferres animo? Quibus oculis aſpiceres? Quibus exciperes verbis? Quo irarum impetu in abjectum, impudens, excors, immane mancipium devolveres? Sat ſcio, nec tibi ſatis animi, nec verborum, irarúmque ſatis eſſet, quo in ingratum illud caput detonares.

Si tu cùm ſis puſillus homuncio, hominis quadrans ac fruſtum, hominis breviarium, ac verius hominis ſomnium, & ſaliſlum infelicis animæ; tamen tuæ illi qualicumque munificentiæ etiam ab homine illudi conquereris? Si oblatam ex commiſeratione peculiolam in malos uſus abſumi, & in tuam ignominiam ſtragémque converti non pateris; quî te patietur Deus immortalis? Quî ferent ſuperi? Quî terra ſuſtinebit? Mendicus es, pauperculus, inops, divinóque nudus ſubſidio, & vitam & animam per ſummas paupertatis anguſtias expueres, nec animæ fovendæ, levandæ fami ori manum admoveres, niſi & manum, & ſtipem Deus admoveret, niſi ſummi beneficii loco concurſum ſuum præberet: & tamen, ò nefas! eo ad injuriam tui creatoris abuteris, & illo inſtructus peccatum aggrederis, ſeu virus præſentiſſimum, quo prima illa ſummáque Mens, quo Numen æternum, quo Deus immortalis, ſi fieri poſſet, à rerum natura, è cœli gremio, è temporum æternitatiſque faſtis eraderetur: & hoc tolerandum putas? Non putabis ſanè, niſi & mentis & ſenſus omnis expers convincaris.

Et hæc de vetere Idea peccati; ad novam propero.

LIBER SECUNDUS.

Nova Idea peccati.

DISPUTANT inter ſe Theologi, & in varias diſcedunt ſcinduntúrque ſententias, ubi preſſiùs ſtatuere, ac definire volunt, quid ſit peccatum.

D. Thomæ Aquinati, eſt privatio nitoris animæ: illius, inquam, nitoris, tum qui à ratione legi divinæ conformi manabat; tum qui à gratia, charitate, aliiſque virtutum ornamentis exurgebat.

D. Bonaventuræ, peccatum eſt averſio à Deo, & elongatio ab ipſo per diſſimilitudinem.

Alexandro Alenſi, eſt privatio debitæ pulchritudinis.

Scoto, peccati macula eſt ipſe reatus ad pœnam: ex quo conficitur, maculari aliquo ſcelere nihil aliud eſſe, quàm ſtatui tamquam objectum & ſcopum aliquem, in quem Divina collimet ira, in quem pœnarum jacula tranſmittat: *Arcum enim* Pſalm. 7. v. 13. 14. *ſuum tetendit, & paravit illum. Et in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.*

His objiceris, ubi te peccato objicis, nimium præceps & infelix anima.

Aliis peccatum dicitur & eſt macula quædam moralis ab eo relicta, & velut inſidens animæ.

Aliis denique tota peccati ratio & eſſentia in eo ſita, quòd ſit deformitas quædam & diſcrepantia cum natura rationali.

Hæc ſunt quæ Theologi fuſiùs diſputant, & ſpargunt de natura peccati. Ea ipſe collegi, ac velut in faſciculum compegi, ut uno oculo legas, quàm variæ ſint pugnanteſque ſententiæ: has ego perſequar liberiùs, non tam ex normâ modóque diſceptandi, qui in ſcholis ſervari ſolet, quàm ex ſtudio virtutis, odióque peccati, quod in Lectoris animum inducere velim.

PROPOSITIO I.

Peccatum eſt macula moralis.

Eccl. c. 47. v. 22. *Dediſti maculam in gloria tua.*

Jerem. c. 2. v. 22. *Maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.*

OVES & Agni dum paſtorem mutant, & de grege in gregem tranſeunt, notam aliquam & maculam in vellere accipiunt, ut cujus gregis, cujus peculii ſint vel ex ea dignoſcantur. Ita dubio procul dum anima miſella de peculio Dei ſui abit in peculium mali dæmonis per aliquod lethale flagitium, novam maculam, novum aliquod inſigne & ſtigma ſuſcipit, quo noveris mutaſſe paſtorem; & à lætioribus Dei ſui paſcuis ad triſtia & infœcunda dæmonis paſcua defeciſſe. Atque illud extra controverſiam & litem eſt; hoc tantùm ſub lite & judice, quid ſit ea macula, & in qua entium ſerie reponenda?

Illyricus finxit peccatum eſſe ſubſtantiam tetram, quaſi multo fumo, atráque fuligine nigreſcentem, à qua tota etiam nigreſceret anima, eúmque poneret nitorem, quem à gratia acceperat. Hoc figmentum eſt à ſaniore Theologia alienum, ſi ex bono veróque peccatum eſſe velis ſubſtantiam. At ſi tantùm contendas hæc Rhetorica quadam dicendi licentia, & alicujus tropi ac figuræ beneficio jactari, ut quæ inhæret à peccato macula, faciliùs ſub ſenſum cadat; non ibo inficias: fatebórque eam maculam à nobis quamdiu hoc corpore tegimur concipi, & exprimi poſſe inſtar atræ & fuliginoſæ cujuſdam ſubſtantiæ, qualis ea foret quæ vel ex Ethnæ faucibus, vel è ſtygiis incendiis in auras erumperet. At ſi planiùs, & ſine tropo loqui velis, dices peccatum eſſe maculam moralem, quæ mores bonámque apud Superos famam inficit, facitque ut ad infamiæ notas adhæreſcat. Itaque animæ id uſu venit, quod in cultu corporis: ut enim huic, ita & illi ſua veſtis, quæ maculas patitur, & horret. Eſt gratia quædam veluti veſtis animæ, quam ubi induit, Deo unicè grata, Superis amabilis, formidanda redditur inferis, & adinſtar cœleſtis alicujus Reginæ aliquid jam divinæ gloriæ participat, atque à Deo ter Opt. ter Max. in regiam regnique communionem admittitur, ut illi conveniat illud Prophetæ: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Pſal. 44.
O veſtem omninò pretioſam, auro, murice, gemmáque digniorem: veſtem, non humana, ſed divina arte manúque contextam: veſtem, cujus ſartor eſt Spiritus Sanctus; materia, virtus omnis, ejúsque

decor;

decor; pretium, Chriſti merita; tinctura & murex, pretioſus Chriſti Sanguis. Ita novo murice oſtróque ongi, novâ purpurâ rubere & nitere te oportuit anima: hoc uno æternùm felia, ſi purpuram illam ita induas, ut exuas, ut macules nunquam.

Agnus erat Chriſtus, & Agnus ſine macula, à meritia, à virtute villoſus totus; de quo cecinit Cap. 53 v. 7. Iſaias: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & coram tondente ſe obmuteſcet.* Detonſus eſt hic Agnus in Paſſione, & in morte corporis vellus depoſuit, unáque nobiles virtutum ac meritorum exuvias. Spiritus ſanctus abjectum vellus lanámque collegit, & textoris inſtar peritiſſimi ea ea tibi veſtem contexuit, & divino murice, effuſi ſanguinis purpurâ probè imbuit, eáque te indui & ornari voluit.

Hinc factum eſt. & factum benè, ut ex ea te filium & amantem filiam agnoſceret, amaret Æternus Pater. Et verò æternùm amaret, admitteretque ad cœleſtes Agni nuptias. Sed, ô factum malè! pretioſam illam Chriſti veſtem, ſeu tunicam innocentis Joſephi, non dico ſanguine hœdi, ſed immergis luto fœdiſſimæ voluptatis. Et tamen poſt illud tam audax, tam inſolens, tam impium & im- Geneſ. c. 37. v. 32. mane facinus, erumpis in perfidas illas voces: *Vide utrùm tunica filii tui ſit, an non?*

Eò loci ac temporis, ſeu malo filiorum dolo, ſeu caligantis oculi vitio tunicam cognovit Jacob, & Joſephi ſanguine tinctam credidit, & luxit.

At non ita Pater Æternus: novit ille, & probè novit quæ filii ſui tunica, quis ejus murex & purpura; nec hœdino ſanguine infici & tabeſcere patietur. Si ſapis, etiam ne patere & ſi amore tui eâ ſe exui paſſus eſt innocuus Joſeph, ut te nudum eâ tegeret; ambo ne illam abjice, ne commacula, ne tinge, ne perde hœdino ſanguine putidiſſimæ voluptatis.

Quòd ſi fortè (quæ eſt naturæ noſtræ in malum conniventia) labem aliquam gravioris noxæ con- Ierem. c. 47. v. 22. traxiſti: *Si dediſti maculam in gloria tua, ablava te nitro, & multiplica tibi herbam borith.*

Ierem. c. 2. v. 22. Eſt nitrum affine ſali, ſordes eradit, & expurgat. Eſt borith herba fullonum, qua pannorum ſordes & maculæ elui ſolent. Pro nitro tibi ſit cor contritum & humiliatum, quod Deus non deſpiciet: pro borith herba; ſalutaris pœnitentia, frequens confeſſio, fluenta lacrymarum: his contractas à peccato maculas deteres & expunges. Ita dolere te docuit, qui non ſine gemitu & ſingultu dixit: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.*

PROPOSITIO II.

Peccatum eſt privatio gratiæ.

Ad Galat. c. 2. v. 21. *Non abjicio gratiam Dei.*

Cap. 5. v. 4. *Evacuati eſtis à Chriſto: à gratiâ excidiſtis.*

INgens omninò vis doloris: ubi gravius aliquod & inexpectatum malum admoverit animo, eum ita ferit ac percellit, ut è corporis ſede ſolvat ac deturbet.

Vaianc. lib. 22. antierpo. Ita quondam Urbano Pontifici quàm optimo capta à Suldano Solyma, vitam cepit, & repentino mœrore ſpiritum intercluſit.

Ita Benedicto I. ab irruentibus Longobardis illata urbi ſtrages ac vaſtitas mortem intulit.

Platina. Ita denique (ut ſexcentos alios taceam) Nicolao V. intercepta à Turcis Conſtantinopolia vitam quoque & ſpiritum omnem intercepit.

Habet nimirum hoc ingens dolor, & magnis animis, boniqúe communis amantibus, præſens rerum publicarum ruina, ut vitæ quoque ruinam afferat; pronúmque ſit viro bono eodem caſu occidere, quo Reſpublica, quo Dei religio, divorúmque cultus occiderit.

Quòd ſi communi malo, & urbium ruinæ, quam aliquando tempus, & ſeneſcens orbis ætas afferre debuit, tantum indolere poteſt humanus animus, ut vitam oderit, ut lucem fugiat: quantum patietur à peccati clade ac ruina, in qua non de mœnibus ac fortunis agitur, non de fluxa ac brevi peritura lucis uſura, non de lutea & argilloſa corporis mole; ſed de ſuperis ædibus, de beatitate, de æterna vita, de immortali animo, de gratia, de gloria cardo vertitur? De quibus omnibus etſi jaciatur alea, peccator tamen vix, ac ne via quidem, cogitat cui ſe fortunæ malóque committat.

Ut ipſe, mi Lector, vel tibi, vel aliis expendas quantum decedat, ubi decedit gratia; videndum paucis quid ea ſit, cujúſve apud ſuperos pretii & æſtimationis; vetus enim illud verúmque pronuntiatum: Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Ita albedo juncta nigredini magis eminet; calor frigori permixtus ampliùs efferveſcit, & tenebræ luci compoſitæ nigreſcunt magis atque offuſcantur. Et peccati umbra ſi cum gratiæ luce conferatur, gravior apparebit.

§. I.

Quid ſit gratia?

DE gratia primùm quæri poteſt, quid nominis? Tum deinde quid rei?

Ipſa vocis etymologia ex eo deſumpta videtur, quòd gratis concedatur. Ita innuit Apoſtolus, dum ad Romanos ita ſcribit: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Cap. 3. v. 24. & ne aliquid huic divinæ munificentiæ ab operibus acceſſiſſe crederes, ſubdit deinde: *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* Cap. 11. v. 6.

Cum Apoſtolo ſentit, & loquitur D. Auguſtinus: Tract. 3. in Ioan. Quærit enim, *quid eſt gratia?* Et reſpondet, *gratis data.* quid eſt gratis? Subjicit, *donata, non reddita.*

Hanc ſupernæ gratiæ etymologiam agnovit, & apta ſimilitudine expreſſit S. Iſidorus, ubi eam cum lacte compoſuit: *Quia lac*, inquit, *& in carne gratuitum, ubi mater non quærit accipere, ſed ſatagit dare: hic mater gratis dat, & contriſtatur ſi deſit qui accipiat.*

Et hæc divinæ gratiæ etymologia mirum quantum Dei amorem commendat atque extollit: ut qui nobis eſſe videatur quod infanti indulgens mater.

Communi naturæ lege pactóque lac virgini negatum eſt; ei contracta, exſucca, arida ſunt ubera: at ſi parturiens eſſe cœperit, ſi uterum geſtare, ſi mater eſſe; tum verò ſuavi quadam lacticáque naturæ providentia diſtenduntur, replentur ubera; magnáque pars alimenti, quæ aliàs benè cocta in ſanguinem abiiſſet, minùs excoquitur, ut tranſeat in lacteos latices, quos infans uberiùs exſugat, atque epotet.

Dicámne Deo factum quod matri; nobis, quod infantibus ſolet? Dicam certè, & ex æquo veróque dicam: nos primùm Deus in utero, hoc eſt in amoribus geſtare, parturire, parere, verbo uno mater D. Hieron. ad Marcellam, ep. 130. videri & eſſe voluit: tum deinde ne quid deeſſet ad piæ matris beneficientiam, etiam de cœlo alere, gratiâ lactare: & inde factum autumo, ut inter decem Dei nomina, quæ Hebræis olim in uſu fuêre, eſſet unum aliquod, quo mammeus diceretur: *Saddai* enim (quod Dei immortalis nomen eſt) & *mammam* & *mammeum* ſignificat.

Ecce quæ divinæ bonitatis inclinatio, quæ ſit indulgentia: mater eſt, & nimium quàm bona, & effuſa mater. Ita nimirum audit à lacte, à gratia, quam gratis ea mero puróque amore nobis propinat; & ita quidem, ut matris inſtar contriſtetur, ſi deſit qui accipiat: quantò magis ſi quis acceptam, impudenti, ingrato, impio ore expuat atque evomat.

 Sed

Sed hæc de nominis etymologia: ad rem ipſam veniamus. Theologus aliquis ex ſcholæ ſenſu, & arctiore diſciplina gratiam ita definiet: *Gratia eſt forma juſtificans.* Vel, ut habet Tridentinum: *Eſt unica formalis cauſa, qua verè juſti nominamur, & ſumus.* In ea uberiùs explicanda, Scriptura & Sancti Patres in varias metaphoras ſeſe liberiùs effundunt, ut illius naturam, vim, energiam, ac dignitatem feliciùs exponant.

Seſſ. 6. c. 7.

D. Joanni, gratia eſt cœleſte ac divinum ſemen, quod in animam velut molle ſubactúmque ſolum Deus immittit. *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet.*

1 Ioan. c. 3. v. 9.

Oecumenio, ſemen illud eſt Chriſtus, ſemen Æterni Patris, ſemen Abrahæ.

S. Auguſtino, eſt Verbum Dei: Lirano, eſt gratia, quæ ſemen dicitur; tum quia ex ea, quaſi divino ſemine, & virtutes cæteræ pullulant, & meritorum ingens excreſcit ſeges: tum quia eſt ſemen gloriæ ac beatitatis: tum denique quia ſemen ut in flores fructúſque ſeſe exoneret, tellure tegi, macerari, imò & emori debet. Ita gratia ut producat uberes virtutum gloriæque proventus, obſcuro demiſſi animi ſinu latere debet, eique ſeminis inſtar mundo humaniſque omnibus emori.

Verſ. 23.

D. Paulo ad Romanos capite ſexto, *Gratia Dei* dicitur *vita æterna.* Quod ipſum jam inde à primo hominis ortu præſenſiſſe videtur Moſes; ait enim: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Cur, inquit Auguſtinus, in animam *viventem?* Quid opus eſt voculâ, *viventem?* Quis neſciat in anima vitam & vitæ fontem eſſe? Eſt enimverò, eſt vita in anima; at ea naturæ vita eſt: aliam inſpiravit Deus, iſtâ longè ſuperiorem; ea fuit vita gratiæ, à qua una homo vivere dicendus fuit.

Gen. c. 1. v. 7.

Quid enim referebat, ſi terris viveret, non cælis; ſi ſibi, non Deo? *Lucerna Domini ſpiraculum hominis*, inquiebat Sapiens; id eſt divinæ gratiæ inſpiratio, à qua ſaluti & æternitati reſpirare cenſebatur.

Prov. 20. v. 27.

Eadem Apoſtolo gratia dicitur ſignaculum Altiſſimi, pignus æternæ hæreditatis, unctio divini Spiritus: de quibus nonnulla ſubjungemus.

Venio ad Sanctos Patres, ex iiſque, apis matinæ more, gratiæ floſculos & fructus lego.

D. Ambroſio, gratia habetur *fons hortorum, puteus aquæ vivæ, & impetus deſcendens à Libano, magnus impetus qui nunquam deficit, bonus impetus qui lædere neſciat, norit implere.*

In Pſal. 118. v. 8. ſer. 8.

D. Auguſtino, *pluvia eſt, noli altum ſapere, ſed time: time, ut impleatur; noli altum ſapere, ne ſiccerís.*

Serm. 2. de verbis Domini.

Pro hac ſententia præſidium peti poteſt ex Joële Propheta, cui gratia præveniens dicitur imber matutinus (quem Rupertus *Cæli rorem* appellat) gratia conſequens, ſerotinus. *Deſcendere*, inquit, *faciet Dominus ad vos imbrem matutinum & ſerotinum. Et implebuntur areæ frumento*, id eſt, annonâ ſpirituali.

Ioël. c. 2.

Redeo ad D. Auguſtinum qui ab una eadémque gratia, tam infirmæ quàm ſanæ menti auxilium pollicetur. Illi quidem, dum ait: *Gratia medicina eſt; qui vult ſemper ægrotare, ingratus eſt medicinæ ingratus eſt gratiæ.* Huic autem, ubi ſubjicit: *Quid tam ſignificat gratiam, quàm lactis copia.* Ubi in Goliam prodiit David, *tulit quinque lapides de torrente, de fluvio, & poſuit in vaſe paſtoris, quo lac mulgere ſolet, ita proceſſit armatus.*

Serm. 13.

Quinque lapides lex erat (continentur enim quinque libris Moyſis.) Ecce invicti pugilis, ecce Davidis arma; lactis, id eſt gratiæ, candor ac ſuavitas; & quinque lapides, hoc eſt, perfecta legis obſervatio: his proceſſit armatus, pugnavit, vicit, triumphavit: nec adeò mirum ſi Goliam ſternit, ſi immanem carnis Coloſſum ſolo æquat, qui de gratia, ceu turri, certat. *Ædificatur*, inquit D. Hieronymus, *Eccleſia à turre gratiæ & donorum Dei: ex ea pendent mille clypei, & omnis armatura fortium.*

Com. in lerb. lib. 6. c. 32.

Finio cum D. Bernardo, qui ferè cum Auguſtino conſentit, ubi gratiam animæ cibum appellat. *Nunquid non cibus animæ gratia Dei? Dulciſſimus ſanè & omnem in ſe habens ſuavitatem & delectamentum ſaporis: non enim modò delectat; ſed & reficit, & medetur. Accedamus ad menſam hanc; fratres mei, & ex ſingulis dapibus vel modicum aliquid degustemus.*

In Annunt. ſerm. 3.

Hæ Sanctorum Patrum ſententiæ, hæc olim fuêre placita: ex quibus liquidò perſpicies, quòd à gratia ſuſtineatur, alatur, foveatur omnis ætas, ævum omne: ſi te moratur infantia, lac propinat; ſi fugiens videt adoleſcentia, cibum offert, ſi occupat afflicta debiliſque ſenectus (quæ ipſa ſibi morbus eſt) medicinam parat: non è Galeni, aut Hippocratis, ſed è Dei cœlique officina. Si denique te ipſum terra vitáque mortalis eadem retinet, ſolatur gratia, quæ gloriæ ſemen eſt ac felicitatis. Si te cœlum beatáque regio civem ſuum aſcripſit, & ibi ornatum ſplendorémque addit gratia, quæ eſt vita æterna. Ita, ubique locorum ac temporum ab illa tibi eſt quàm optimè, ſine illa verò quam peſſimè.

§. II.

Unctio gratiæ ejúſque beneficia.

Vnxit nos Deus & ſignavit nos. *2. ad Cor. 1. v. 21.*

Vos unctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia. *1 Ioan. c. 2. v. 20.*

De illa unctione primævis illis Chriſtianæ Religionis aſſeclis ita gratulatur D. Joannes: *Vos unctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia.*

Quæ fuit, inquies, illa unctio?

D. Hieronymo, Baptiſmus fuit, in quo ungebantur in vertice capitis. *Lib. 2. in c. 3. Habacuc.*

D. Cyrillo, Confirmatio, in qua ungebantur in fronte. *Catech. myſt. 3.*

Emmanueli Sa, fuit Chriſtianiſſimus: ut enim à Chriſto Chriſtianus dicitur unctus, ita & Chriſtianiſmus unctio.

Aliis unctio fides fuit, aliis gratia, aut donum intellectus & ſapientiæ, quod in Baptiſmo & Confirmatione conferri ſolitum: ea quippe fuit illius unctionis vis atque energia, ut ab illa mox in Prophetas evaderent, & arcana Dei Chriſtique myſteria entheo ſpiritu eructarent.

Si Rabbinorum traditionibus credimus, is ritus unctionis primùm à Moyſe inventus eſt, & exhibitus in ſolemni Pontificum ac Regum inauguratione.

Ad cujus uſum ac ſolemnitatem ipſe Moyſes confeciſſe dicitur unguentum, quod religiosè & ſanctè ſervatum eſt in tabernaculo, nec ſine miraculo uſque ad captivitatem Babylonicam, hoc eſt, ad annos omninò nongentos, nulla ſui diminutione perduravit, licèt perennis ejus eſſet uſus tum in Pontificibus, tum in Regibus Deo patriæque conſecrandis; alio tamen atque alio ritu modóque.

Pineda de rebus Salom. c. 6.

Nam Pontifices ungebantur in vertice, in formam decuſſatæ Crucis, quæ etiam tum illis erat præſidio ac venerationi: Reges autem in fronte, maximè obvia, patenti ac nobiliſſima ſede Majeſtatis.

Ab illa porrò unctione primùm ſortiebantur ſpiritus Regios, Sacerdotales, Propheticos.

Reges quidem inſignem in regendo prudentiam; Sacerdotes in obeundis ſacris pietatem; Prophetæ ſapientiam, divináque intellectus lumina, quibus & futura prænoſcerent & prædicerent.

Tum deinde ab eadem unctione ſacrum & inviolabile habebatur illud caput, quod cœlum, ſuperi, Deus ipſe tangi vetabat. *Nolite tangere Chriſtos meos.*

Quod

Quod olim Moyſes, ut hominem aliquem è vulgo; è pulvere in ſedem Pontificiam aut regiam efferret feciſſe perhibetur; hoc in præſentia Deus, hoc provida mater Eccleſia Ea te gratia, ſeu chriſmate ungit ac conſecrat, ut Bellatorem, ut Athletam, ut Sacerdotem, ut Regem faciat. ac probet.

Bellatorem oſtentant illa verba, quibus chriſma conſecrari ſolet; ea ſunt ejuſmodi: *Domine Deus in nomine tuo fiat hæc creatura jam chriſma, & habeatur ut chriſma, forma Crucis, ſignum frontis, ſacti titulus Bellatoris. In hoc chriſmate mulceatur auditus, purificetur viſus; ut talibus ſtipendiis Chriſti milites decorati, atque ambroſio rore maduli, imperanti ſerviant, non ſuadenti; & ſignati chriſmate ſancto, ſigniferi eſſe mereantur cæleſtes.*

Hactenus Eccleſiæ ſupplicis oratio; à qua in vexilliferum cœleſtem erigeris: tum deinde etiam in athletam, cúmque Deo ſacrum.

Lib. 1 de Sacram. c. 2. De quo D. Ambroſius: *Occurrit*, inquit, *Presbyter quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen hujus ſæculi luctaturus: profeſſus es luctaminis tui certamina: qui luctatur, habet quod ſperet: ubi certamen, ibi corona.* Ut hanc conſequaris, præſidium habes à gratia, à chriſmate, ab unctione Spiritus ſancti: à qua & hóc quoque adipiſceris, ut Deo, Sacerdotis inſtar, conſecreris; ut enim Tertullianus: *Caro ungitur, ut anima Deo conſecretur; caro ſignatur, ut & anima muniatur; caro manus impoſitione obumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.*

De Reſurrect. carnis c. 8.

Lib. 2. de Sacram. part. 7. c. 6. Quod lumen quantum ſit, quàm auguſtum & cœleſte, oſtendit Hugo Victorinus, ubi docet unctionem chriſmatis in fronte ſervandam eſſe ſeptem diebus; *Quia*, inquit, *ſeptem ſunt dona Spiritus ſancti: alium diem habet ſapientia, alium intellectus, alium conſilium, alium fortitudo, alium ſapientia, alium pietas, alium timor.* Ecce quæ tibi à chriſmate, ab una ejus gratia dona ſint, quæ ſuperni orbis lumina, quàm vana & amœna dies oriatur.

Ad quæ pro coronide adjicitur & illud, quòd ea gratiæ donorúmque unctione, etiam in Regem evadas, docearis te ipſe regere, ac moderari.

Habeas denique ſacrum Deo caput, ſacrámque mentem, quam inferi tangere vetantur, ſuperi omnes colere, ac venerari jubentur.

§. III.

Gratiæ lux, & candor lucis æternæ.

NObilis Mathematicus, ut uno veluti partu virtutem animæ, generiſque nobilitatem ederet, hoc ſymbolum edidit. Appingit purpuram, quæ eò nitidiùs rubet, quò fuerit ejus concha candidior. aſcripſit hoc lemma: *Dat pretium candor.* cujus ea fuit explicatio. *Regalis conchilii ſuccus, auguſtæ majeſtatis inſigne, flore nobiliore fulget, ubi candida è concha, adnato etiam unione, tamquam pretii nota progignitur. Ejuſce rei fidem faciunt, lecti ſub propinquo Sole murices, in ſinu præſertim Indico.*

In hoc ſymbolo ſeſe explicat ingenioſa naturæ artiſque ſolertia, unáque concha, ſeu natali ſede virtutem cum illuſtri proſapia jungit & maritat. Virtus ab animi candore petitur; nobilitas à purpura, ab avorum ſanguine, quo familiæ datum eſt nomen. Et hoc primum ejus ſymbolum.

Ego tamen eo contineri me non patiar: liberæ enim ſunt hominum cogitationes, liberi ingenii partus: mihi erit pro concha Virgo Mater, ab inſigni caſtimonia nivea & candida; pro purpura, qui ab ea genitus & fuſus eſt Chriſti Sanguis; pro unione, Divinitas, cum eodem lemmate: *Dat pretium candor.*

Quòd ſi hoc ſymbolum eò vocari probes, non improbabis etiam aliò detorqueri.

Pro conchâ quæ hoc mundo, ceu mari, naſcitur, erit humanus animus, iſque à gratia candidus & niveus; à charitate puniceus, à gloria ſeu unione gemmáque cœleſti ſplendidus: cui etiam appendes hanc epigraphen, *Dat pretium candor* Nec enim aut hominis animus eſt in pretio, aut gloria in deliciis, niſi à gratia pretium, ac pondus acceſſerit.

Alterum, eſt amica quædam & divina lucis amœnitas, quæ ab eadem homini ſurgit atque naſcitur. Quæ porrò ſit illius gratiæ dignitas, majeſtas, diſce ex illa luce quam oculis uſurpas. Inter qualitates quæ ſenſibus obviæ, nulla ad mundi decorem & ornatum eſt aptior.

Primùm enim ſupera, inferáque omnia, quaſi aureæ cujuſdam veſtis ſplendore circumfundit. Cùm deinde rerum omnium varietatem colorúmque diſcrimina exhibet, abſconditámque in hoc Orbe (ceu naturæ officina) picturam ita oſtendit, ut ſi abſit illa, jaceant cuncta veluti ſitu & ſqualore obſita, colorísque ac pulchritudinis expertia: ſin autem adſit, appareant illicò & niteant omnia. Unde de ea ſcitè dixit Hugo de S. Victore: *Quid pulchrius luce, quæ cùm in ſe colorem non habeat, omnium tamen rerum colores ipſa quodammodo colorat.*

Amœnam illam lucis faciem in immenſum auget mira quædam illius fœcunditas: nam & in omnes partes ſeſe etiam in momento diffundit, ne qua mora noctatur ejus beneficentiæ: & eſt princeps inſtrumentum, quo cœleſtia corpora in ſublunarem mundum influunt. Ea lucis beneficia, vimque omni propè aliâ ſuperiorem vel hinc agnoſcit D. Ambroſius, quòd prima Dei vox de luce audiri cœpit.

Dixit enim, *fiat lux.* Evaſerat è nihilo terra, ſuáque mole conſiſtebat: circumfluxerunt aquæ: imò & cœlum ipſum, cœleſtéſque orbitæ ſuis ſtabant immotæ cardinibus. *Gen. c. 1.*

Sed *terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Dixitque Deus: *Fiat lux. Unde vox Dei inſonare debuit*, inquit D. Ambroſius, *niſi à lumine? Unde mundi ornatus, niſi à luce exordium ſumere?* Terra, cœlum, abyſſi ſolo nutu prodeunt; at lux ipſa nec viſa eſt, nec hunc Orbem aſpectabilem reddidit, niſi Dei & auctoris ſui voce evocata. *Gen. c. 1. v. 2.* *Lib. 1. Hex. c. 9.*

En prima lucis gratia; altera eſt, quam idem auctor non ſatis demirari poteſt: *Lucis natura*, inquit, *hujuſmodi eſt, ut non in numero, non in menſura, non in pondere ut alia; ſed omnis ejus in aſpectu gratia ſit.* *Ibidem.*

Denique & ipſa animantium corpora pervadit, & benè afficit ipſa virtus lucis; nam & valentibus vigorem addit, ſpiritúſque vitales reficit; & ægris ſolatium adfert, levaménque incumbentis morbi. Ita videmus eos, qui infirmo ſunt corpore, affectáque valetudine, plerumque interdùm meliùs habere; & non paucos appetente Vere, Soléque ad nos redeunte, ex hibernis morbis convaleſcere.

Mitto cætera quæ ad illius commendationem faciunt; plura qui volet, Divum Dionyſium conſulat, & ex eo triginta lucis proprietates excipiet. Ego ad gratiam oculos, animúmque flecto; ab illa lux oritur humanæ menti; ſine illa profunda nox denſæque tenebræ: & has & illam aperit D. Paulus: *Eratis*, inquiebat, *aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* *C. 15 de Cæl. Hierarch.* *Ad Epheſ. c. 5. v. 8.*

Ab idololatria, à peccatis tenebræ; à gratia lux, eáque in Domino: quid ab illa decoris ſit & ornamenti, videamus.

Primùm ut à luce parent colores omnes, qui tenebris teguntur; ita & à gratia habet virtus omnis, quòd divinis oculis appareat. Vidit olim antiquitas heroas magnos, quorum animus præclaráque virtus, ſeu in toga, ſeu in ſago enituit. In lycæo mirata eſt Diogenis patientiam, Socratis æquitatem, Platonis prudentiam, Zenocratis caſtimoniam, aliáque in aliis virtutum præſidia; in Catonum conſtantiam, Atiliorum religionem, Deciorum charitatem, Scævolarum fortitudinem, & his affinia magnarum mentium decora, quæ ſeu in toga, ſeu in martio

pulvere

pulvere ſuſpexit, amavit. Sed hæc omnia, ut humanis oculis fucato virtutum colore aliquando illuſerunt; apud ſuperos tamen obſcura nocte obruta, nec in oculos divinæ illius ſempiternæque mentis, nec in amores ejus umquam incurrerunt; quia naturæ parentis erant opera, non fœtus gratiæ: hujus defectu etiam factum, ut iis nulla cœlo gratia, nulla merces repoſita, nullum pretium additum; adeò verum illud it de gratiâ: *Dat pretium candor.* Neque verò ſolis Ethnicis, & gentilibus tantùm à gratiæ privatione decedit, etiam Chriſtianis ut decedat eſt neceſſe, ſi tantùm iis gratiæ lux deciderit.

Dà mihi hominem aliquem olim ſanctiſſimum, da Paulos, Antonios, Hilariones, & ſi quos eremus vidit, non terræ, ſed cœlo natos: da, inquam, illos, & perennes illorum vigilias, preces, jejunia, extenuati corporis afflictiones, & quævis alia ingentium virtutum opera. Imò da mihi quondam in arena Chriſtiana Martyres fortiſſimos, Stephanos, Laurentios, Ignatios, Agnetes, Cæcilias, & ſi quæ aliæ ſint in purpurato illo agmine præcelſæ mentes: da, inquam, illas; & cum iis profer in medium equuleos, cataſtas, rotas, cruces, ferrum & ignes, aliáque crudelis laniena inſtrumenta, quæ in unum aliquem eorum ſeſe omnia explicent: ſi ille non ſit in gratia, horum omnium facies erit quæ naſcenti Orbi fuit, *Tenebræ erant ſuper faciem* illius *abyſſi*; nihil eorum apud ſuperos videri poterit, nihil eſſe in pretio: nimirum ea dumtaxat opera, quæ gratia colorat, meriti colorem induunt, & cœlo valent emendo; ideò de illa etiam verum: *Dat pretium candor.*

Et hinc venio ad alteram gratiæ cum luce ſimilitudinem: abſcedente Sole lucéque omni, non quidem pereunt colores, ſed perire tamen videntur, & eo naſcente rurſum renaſci ac reviviſcere.

A gratia majus aliquid: ſi ea occidat, ſimul occidunt virtutes omnes morales, quòd ſi pereuntibus illis adhuc ſuperſit fides & ſpes; tamen & fides mortua, & ſpes languida, vacua, & tantùm non exſpes. Excidunt etiam, & uno eodémque caſu tolluntur omnia totius anteactæ vitæ merita, totáque bonorum ſupellex dilapidatur, magno ſanè infelicis animæ diſpendio, cui uno die, imò momento temporis deperit id omne, quod longo plurimorum, imò & totius vitæ curſu labor ingens pepererat.

Quòd ſi tamen favente cœlo, pacatóque Numine ſuper faciem illius abyſſi, tenebroſæ inquam mentis, audiri cœperit ea miſerantis Dei vox: *Fiat lux*; ſi ab eo affulgere etiam primus ac tenuis divinæ gratiæ radius: tum & ſuus color redditur, & vita redit, & omnis virtutum ornatus, decus omne, pretiúmque meritorum reviviſcit. Diceres illi nihil umquam detractum eſſe, tanta eſt illius lucis uſura, tanta vis ac beneficentia: quam etiam hinc agnoſces, quòd gratia in omnes omninò virtutum actus influat.

De luce cum Philoſophis ita cenſuimus, eam eſſe principem inſtrumentum, & quaſi vehiculum cœleſtium influentiarum: & de gratia ita ſentiemus, ita loquemur, ut eam ſtatuamus tamquam principium primum, univerſale, eminens omnium omninò actionum quæ ſupra naturam ſunt. Quod ut clariùs fiat, ex ſcholæ ſenſu & ſaniore Theologia hæc proponemus.

Humanæ facultates ac potentiæ, ut eliciant actiones aliquas naturâ ſuperiores, ſupra ſe ipſæ quodammodo evehi & elevari debent, ut quod inſitâ vi negatum eſt, aſcititiâ concedatur. Ita intellectui inhæret fides, quæ ad Deum ducit altiori quadam cognitione; in voluntate ſpes & charitas: illa ad Deum trahit; hæc illi arctiſſimo amoris nexu vinculóque conjungit.

Verùm, quia non ſolùm potentiæ inſtructæ virtutibus illis, ſeu habitibus ſupernaturalibus, prodire debent in actus; ſed anima quoque, quæ omnium potentiarum eſt radix ac principium, vim ſuam in eos exerere debet: nec tamen poteſt, niſi & ipſa ſupra ſeipſam quodammodo attollatur: placuit ei infundi gratiam, quæ cum virtutibus cæteris compoſita, iis eſſet quod anima potentiis; nempe principium primum, prima radix, fons & origo omnium actionum.

Ex quo primùm illud conficiendum puto: ut anima potentiis omnibus præſtat; ita gratia virtutibus omnibus antecellit, adeóque ſuperior eſt fide, ſpe, imò & charitate; quia ad eas ſe habet, ut eſſentia ad ſuas proprietates, quas illi cedere in confeſſo eſt apud omnes.

Tum deinde etiam ſuperior eſt ipſo lumine gloriæ, viſionéque beatificâ, quia etiam ad illas comparatur ut eſſentia ad potentiam & operationem.

Neque mihi dixeris, à lumine gloriæ, clarâ & apertâ Dei viſione hominem beatum eſſe, & hoc eſſe longè præſtantiſſimum: non inficior; ſed tantùm nego hinc benè concludi, gratiam illis inferiorem. Eſto illa beatum faciant: at gratia & ipſius luminis & viſionis eſt principium, ſine quo nec lumen gloriæ conſiſteret, nec ſeſe in amœnam illam viſionis beatificæ diem explicaret: explicat autem, quia gratiæ ut nativo illius principio debebatur.

Ex quibus rurſum conſequens eſt illud, gratiæ perfectionem ac dignitatem eam eſſe, quâ ne à Deo quidem ſuperior aliqua fieri poſſe videatur: dat enim eſſe quoddam divinum, & creaturam, cui inſederit, trahit in aliquam cum divina natura communionem; quam his verbis expreſſit Apoſtolorum Princeps: *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* [2 Pet. c. 1. v. 4.] Quo uno quid illuſtrius, auguſtius, divinius excogitari poſſit non video.

Ex quadam facundæ mentis indulgentia dixit Ambroſius, vocem Dei primùm inſonare debuiſſe à lumine, mundi ornatum à luce exordium ſumpſiſſe: imò non ſine tropo & hyperbole adjecit, lucem non in numero, non in menſura, non in pondere factam eſſe.

At ego ſine auxeſi, ſine figura tropóque facilè dixero, gratiam lucem eſſe, quæ non prodiit, niſi divina voce cœlo devocata, à qua totius mundi ornatus, & omnis virtutum apparatus initium ſumere debuit; imò eam eſſe, ut non in numero, non in menſura, non in pondere facta videatur. Qui enim numerum, menſuram & pondus admittat, quæ quamdam ſortitur infinitatem? Certè infinitum, nec ullo numero finiri, nec menſurâ capi, nec pondere aliquo diſtribui poteſt & exhauriri: at gratia habet aliquam infinitatem. Si enim de lumine gloriæ dixit Angelicus Doctor eſſe illud quodammodo infinitum, vel ex eo quòd creaturam efferat in apertam & explicatam divinæ eſſentiæ viſionem; quidni potiori jure & gratiam ſuos intra limites infinitam aſſeramus? Tum ex eo quòd abjectum hominem è luto & pulvere erigat, transferátque ad divinam amicitiam; amicitiam dico non æqualitatis (quæ judice Philoſopho tantùm eſt inter æquales) [Eth. l. 8. c. 8.] ſed excellentiæ, quæ in amicitiâ eſt facilè Princeps; tum verò quàm maximè ex hoc uno, quòd tribuat eſſe quoddam divinum, & (ut Suarez loquitur) *Deum faciat per participationem.* [De gratia tom. 2. l. 6. c. 13. n. 8.]

Ex quibus omnibus, ſi Philoſophus es, ſi in Logicâ probè doctus, hanc elicies concluſionem; Gratiam multis partibus, & divitiis, & regnis, & imperiis, & ipſi animæ, & rebus omnibus anteponendam. Animæ certè præpoſuit S. Auguſtinus: *Melius eſt*, inquit, *te juſtum eſſe quam te hominem: ſi hominem te fecit Deus, & juſtum tu te facis, melius aliquid facis quàm fecit Deus.* [Serm. 15. de verb. Apoſt. c. 5.]

Cum Auguſtino conſpirat D. Gregorius Nazianzenus oratione in S. Baptiſma, in qua gratiam naturæ judicat

judicat longè anteferendam: *Quemadmodum nos Deus primum creavit, ita creatos nos reſtauravit ac refinxit, & quidem pigmento diviniori, primumque figmentum multis partibus ſuperante.* quo loco gratiam appellat, *figmentum divinum.* à quo etiam Sapiens præpoſuit illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxit in comparatione illius, nec comparavit illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in illius comparatione, arena eſt exigua.

Sapient. c. 7.

Denique rebus omnibus eam præfecit D. Thomas, cujus illud oraculum, quod & ſtylo ferreo, & tabulæ adamantinæ inſcribi velim, ad perennem omnium ſæculorum memoriam. *Bonum gratiæ unius majus eſt, quàm bonum naturæ totius Univerſi.* Ita magnificè de gratia locutus S. Doctor: & quidem ex ipſis naturæ principiis, rationum pondere, Theologiæ ſenſu, Doctorúmque omnium placitis: à quibus velim ad te ipſe redeas, mi Lector, animumque fortè curis aliis ſparſum & vagum, ad ſuum forum revoces; ſemotiſque arbitris tecum agas, tecum loquaris, tecum diſputes, & inquiras, quæ tandem ex his omnibus eruatur peccati definitio, quàm illi ignominioſa, & tibi noxia; ea eſt ejuſmodi: *Peccatum eſt privatio gratiæ.*

Quid deinde? Paucula verba, duæ tantùm voculæ, ſed quibus plurimum ſubſit mali. Dum enim ais eſſe privationem gratiæ, unà etiam pronuntias eſſe privationem quamdam divinæ lucis, virtutum propè omnium ſtragem, meritorum ruinam, animæ mortem, vitæ exterminium, debitæ gloriæ ac beatitatis jacturam, denique profuſionem eorum omnium, quæ vel in terris magna, vel in cœlis ardua contemplaris. Adeóque privari gratiâ majus aliquid eſt, quàm privari luce, virtutibus, meritis, animâ, vitâ, lumine gloriæ, beatitate, bonis omnibus, imò etiam & ſeipſo. Quod quantum ſit, collige ex eo quòd homines in damnis reponere ſolent. Fingant illi unum aliquem, in cujus arca ſint omnes Regum omnium gazæ, & opes Univerſi; in cujus manu ſceptra omnia, in cujus capite omnia Cæſarum diademata, in cujus corpore robur omne, & vis lacertorum, in cujus anima omnes omnium ſcientiarum theſauri reconditi, & ſi quæ ſint alia ſeu corporis, ſeu etiam animi decora, in eum unum ſint collecta. Tum deinde patiantur & illud effingi: ludat ille, & uno jactu aleæ omnes illas opes effundat, ſceptra abjiciat, diademata ponat, robur exuat, ſcientias excutiat, fiátque è ditiſſimo pauperculus, è Rege, è Cæſare Irus aliquis, è fortiſſimo imbecillus, è ſapientiſſimo ignarus & amens quàm maximè. Hæc omnia ubi videris, ubi ſenſeris, Deus bone! quantum ab uno jactu aleæ, quantum illatum eſſe damnum clamitabis?

Majus certè à peccato tibi illatum eſt, & adhuc taces, nec vocem expedis ad pœnitentiam, nec animum aperis, ut eam bonorum ſtragem conſideres.

Nimirum facis quod hîc pueri ſolent: ſi tibi eripiantur crepundia, ſi diſturbentur luteæ caſæ, quas inſano molimine exſtruis, doles, ingemiſcis, ploras: ſi gratia, ſi gloria, ſi cœlum, ſi Deus ipſe tibi pereat, non perſentiſcis. Senties aliquando, ubi ſtuporem illum mors excuſſerit; ſed ſummo tuo malo, commodo nullo: modò etiam cum fructu ſentire licet; imò & deponere. ut ſentias, ut deponas auctor tibi ſum non importunus.

§. IV.

Gratiæ ſigillum, & ejus auctoritas.

Divus Paulus ad Epheſios ſcribens, ut gratiæ pondus addat, conciliet venerationem, aſſerit eam eſſe veluti ſigillum Altiſſimi, ſignaculum Spiritus ſancti: *Credentes*, inquit, *ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ.*

Ad Epheſ. c. 1. v. 13.

Sigillum eſt parvum rei ſignum ac ſimulacrum, ejus maximè, quam in oculis, in amoribus ac cultu præcipuo habeas.

Ita quondam Ethnici in ſigillia Deos ſuos cælare ſoliti: ex quo factum ut Tertullianus eorum ſigillaria, vocitarit *parva idola, & veterum fictiles Deos*; quorum morem ritúmque ex eo ridet Arnobius, quòd ſigillaria ſua crederent Deos eſſe, putaréntque in minimis ſigilliolis Deos contrahi, atque arctari; extendi verò in vaſtis ſimulacris.

Lib. 6. contra gentes.

Ego cum Arnobio, vanam illam ac futilem gentium ſuperſtitionem rideri patiar & explodi. Verùm ut ea ludibrio ſit, ita prodigium unum illud, eò ſeſe demiſiſſe Deum immortalem, ut in homine velut in tabella ceráque molli exprimeret parvum aliquod ſui ſignum ac ſimulacrum, in quo immenſitatem omnem contraheret ſuam; & majeſtatem quodammodo coarctaret.

Factum olim arte, humanáque induſtriâ, ut in anguſtias unius gemmæ ſigillíque, vel plurima vel grandia corpora, ut Coloſſi ac gigantes, cogerentur: quò ſpectavit morionis alicujus dicterium, qui Principes bonos aiebat ſculpi poſſe in annuli unius aut ſigilli palâ: tam pauci ſimul Principes & boni eâ fuiſſe videbantur.

Sed iſta iſtius momi dicteria, iſta artis & induſtriæ miracula ſeponamus, & Coloſſos immanes & gigantæas moles uno ſigillo coërceri poſſe fateamur; erit illud & Orbis hujus, & artis opus: hoc cœli, hoc amoris miraculum eſt, Numen immenſum uno gratiæ ſigillo ac ſimulacro ita exprimi, ut homo eâ præditus, Deum ipſum apprimè referat, Deum exprimat, quantum exprimi, & referri poteſt.

Se ipſe coloribus delineare potuit Apelles aliquis, ære fuſo ducere Policletus, Pyrgoteles cælamine ſtylóque excudere: at non ita bellè ut ſe ipſe per gratiam effinxit, duxit, excudit Deus.

Quòd ſi in anima tua veluti ſupremi pictoris, ſculptoris, cælatoris tabella, effictum, ductum, excuſum Deum agnoſcis; eſt ſanè quod concedas & illud, etiam gratiæ (quæ imago, ſtatua, cælatura Dei eſt) ea omnia deberi, quæ olim ſigillis; imò & jure meritiſſimo ampliora.

Ab antiquis tria deferri ſigillis ſolita: Primum ſuus illis fuit honos, ſua religio; tum deinde fides & auctoritas; tum denique ſuus ad rem domeſticam uſus.

Reverentiam teſtatur illud, quòd ſomno gravatis ac morientibus, annuli ſignatorii detraherentur; ne vel à ſomno, vel à morte nutante ac labante manu exciderent; quod erat mali ominis.

Plin. lib. 33. c. 1.

Eâdem annuli ſigillive reverentiâ ductus Tiberius, etiam propoſito extremi ſupplicii metu vetuit, ne quis annulus ſignatos icone non vulgaris argumenti in lupanaria, latrinas, & alia obſcœna loca inferret: ad quam legem narrat Seneca de Paulo viro Prætorio, qui accuſatus fuerat, quoniam in convivio matulâ indigens manum cum annulo & imagine Tiberii, eminente gemmâ, obſcœno vaſculo admoviſſet: quem tamen liberavit ſervus, annulum ebrio extrahens, ne crimen heri probari poſſet.

Lib. 3. de benef. c. 26.

Alterum quod ſigillo decus adfert, eſt privata publicáque fides, quæ apud priſcos illos adeò ſancta fuit, ut ſervulo heri ſigillum promenti, perinde ac hero crederetur.

Imò queſtus olim dicitur Seneca, ſigillis pluſquam animis interdum credi: quia ut animo ſuæ latebræ, ſui ad dolos receſſus; ita ſua quoque fraus ineſſe potuit: ſigillo nec debuit, nec potuit ſine injuriâ juris communis, quod apud omnes nationes inviolatum.

Tertium denique quod ſigilli venerationem auget, eſt uſus ad res domeſticas: eo enim obſignari armaria, horrea, penuaria; non tam ex avaritiæ nota, quàm ſtudio œconomiæ; maximè verò ſacculos multo ære autóque turgidos ſigillo munire mos fuit, ne pecunia dolo immutaretur, & nummi adulterini exemptis optimis, & probatis ingererentur.

Quæ de ſigillis ex antiquo ritu dixeris, eadem omninò de gratia velim pronunties. Sua illi debet eſſe reverentia, ſua religio pietaſque, vel ex eo tantùm, quòd Dei ter Opt. ter Max. ſigillum ſit, & expreſſa quædam imago. Si enim adeò ſacra haberi ſolent ſigilla Regum, Cæſarum, Pontificum, ut ea auſu temerario violare crimen ſit læſæ majeſtatis nonniſi ferro flammáque expiandum; cujus erit temeritatis & impudentiæ, ipſius auctoris Deique ſui ſignum, ac ſimulacrum, non dico violare, ſed & polluere, & penitus diſſipare?

Si Tiberius unus aliquis magis ex accuſandi ſtudio, quàm ex juſtæ ſeveritatis lege, ſigillum ſuum nummóſque ſuâ imagine ſignatos, in lupanaria, in ſordida, in lutea tecta importari vetat, etiam decreto mortis ſupplicio; quid tibi futurum aliquando putas, qui Dei gratiam, & in ea velut in ſigillo expreſſam imaginem & in lupanaria, & in ipſas Veneris ædes, obſcœnáque penetralia inſolente pede, manúque inducis?

Certè quantum inter unius Tiberii, Cæſarúmque ſigilla & ipſum Dei ſimulacrum intereſt; tantum neceſſe eſt etiam inter hujus illiúſque leges, culpæ pondus, ac ſupplicii momentum intereſſe. Illorum ſigilla ad extraneos, nulláque ſanguinis communione junctos ſi mittebantur, erant plumbeis bullis impreſſa; ſin autem ad amicos, & aliquo ſanguinis naturæque vinculo connexos deſtinabantur, molli teneræque ceræ committebantur; quòd in illos mollis, tener, cereus eſſet animus; in alios durior, ac plumbeus.

De Officiis Eccl. Conſtantinop. c. 5, v. 27. Ita factum olim notavit Codinus Conſtantinopoli, Præfectum ſigillo cerâ tantùm eas litteras obſignaſſe, quas Imperator ad matrem, ad conjugem, ad liberos dabat; cùm eæ quæ ad Deſpotas, ad Patriarchas, ad magnates alios ſcribebantur, plumbeâ bullâ ſignarentur: nimirum illud amori & indulgentiori amicitiæ datum eſt; hoc ſeveræ majeſtati.

Et iſtud quoque confert plurimum ad pietatem, quam gratiæ, ceu divino ſigillo, deberi contendo; quòd ea non fluxæ, molliqúe ceræ (quod amicitiæ credi poterat) non plumbeæ laminæ (quod tribui dignitati) ſed ipſi animæ mentique, ceu altiori tabellæ inſcribi debuit: fuit nimirum in Deo ſummæ pietatis, ac indulgentiæ; in te verò qui ſigillum illud à peccato deteris, eradis, impietatis, ſummæque ferociæ.

Sed venio ad ſecundum, tertiúmve caput ſimilitudinis. Sigillò jure gentium, communique omnium nationum conſenſu fides adhibita, auctoritas conciliata, præſtita ſecuritas; & ea etiam gratiæ longè maxima.

De annulo ſignatorio ſcripſit Orator Romanus Quinto fratri ſuo: *Sit annulus tuus non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ.* *Lib. 1. ep. 1.* Vis teſtem affectæ divinæ in te voluntatis, propenſi amoris, effuſæ liberalitatis? Gratiam habes, qua credens ſignatus es Spiritu promiſſionis ſancto: gratiam habes, quæ eſt pignus hæreditatis æternæ, cui ea cœlo fides, & apud ſuperos eſt auctoritas, ut quiſquis illam exhibuerit, hoc ipſo habeatur cœli civis, Dei filius, certúſque de adeunda æterna hæreditate.

Si enim (ut ferunt Poëtarum fabulæ) is cui olim obtigit imago, ſigillum Palladis, Deorum immortalium manu efformatum, de capiendâ Troiâ certus fuit; non erit de ſua gloria, de cœleſti Jeruſalem ſecurus ille, cujus animo divinæ gratiæ ſignum adhæſerit?

Erit enimverò; ea quippe illius ſigni fides & auctoritas, cui ſuperi Deúſque ut pareat eſt neceſſe: ſi enim Regum, Cæſarum, Pontificum diplomata, quòd appenſas exhibeant bullas, aut impreſſa virgineæ ceræ ſigilla, eam vim ſortiuntur, ut nec vulgus ignarum, nec ipſi Reges, Cæſares, Pontifices fidem negent iis, quæ aliquando ipſi ita obſignarint; Deus ipſe ſummè verax, ſummè bonus negare poterit ſuum illud eſſe diploma, ſuam dico mentem & animam, quam gratia velut indito Spiritus ſancti ſigillo muniverit?

Si penuaria, ſi cellæ vinariæ, ſi gazæ, theſaurique etiam ii, quos avara capit arca, retinétque tenaciùs, à furto, rapinis, expilationibus libera ſunt, non armorum præſidio, non ferri robore, non valida militum manu; ſed objectâ ſolùm unius ſigilli ſpecie: non erit ille liber & immunis à tartareo prædone, cujus opes, collectáque virtutum omnium ſupellex unius gratiæ, ſeu ſigni cœleſtis beneficio communitur? Erit ille omni metu, periculóque vacuus, & quos in terra collegit theſauros patentibus cœlis immittet.

Dixi, patentibus: fatendum enim ipſa Divorum atria, cœleſteſque valvas, hoc gratiæ ſigillo, ceu potenti clave aperiri.

Refert Juſtus Lipſius apud Batavos inventos eſſe annulos ſignatorios, cum adjuncta clavi ad uſum ſignandi & aperiendi: & is quoque gratiæ uſus eſt; quamdiu illa tenaci fidáque manu retinetur, primùm partas opes ſignat, ac tuetur; cùm deinde etiam eſt pro clavi, qua tibi cœleſtes portæ recludantur. Næ fortunatus eſt ille, qui *habet* illam *clavem David; qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* *Apoc. c. 3. v. 7.*

§. V.

Gratiæ vis & excellentia major eſt dono miraculorum, & gratiis omnibus gratis datis.

EA vis eſt, ea præſtantia gratiæ, ut nihil terrâ cœlóve cum ea conferri poſſit, ſi Deum exceperis. Da mihi hominem aliquem, etiam qualis cogitatione fingi poteſt: ſit ille & corporis robore, & oris dignitate, & ea ingenii vi ac præſtantiâ, ut omnes magnis poſt ſe relinquat intervallis: terris ille & regnis omnibus dominetur, maria temperet, & æſtus tegat quamvis inſolentes; imò ſi voles in æthera, cœleſtéſque machinas potentiam efferat: demus illi jus in magnos ſuperiorum orbium motus, motricéſque Intelligentias; demus illi in manum & fulmina, & fulgura, & tonitrua, & omnem ſi voles hujus mundi dominatum.

Quem huic in terris parem, quem ſecundum in terris dabis? Erit fortaſſe qui credet, neminem unum omnium dari poſſe præſtantiorem: quiſquis ille eſt, ne nimium præceps calculum abjiciat, dabo illi præſtantiorem: quiſquis Angelorum, imò hominum, vel unicâ gratiæ ſtillâ eſt aſperſus, quiſquis vel uno gradu pollet, illi quali quali terræ, cœlíque dominatori multis partibus antecellit: ut enim verè D. Bonaventura, *bonum gratiæ majus eſt, quàm bonum naturæ totius Univerſi.* *Cap. 113.* Quòd ſi magnum illud tibi videtur, & hoc majus; gradum unicum gratiæ anteire donis omnibus, quæ Theologorum ſchola gratias appellat gratis datas, cujus generis ſunt longa futurorum præſagitio, linguarum omnium peritia, rerum patratio mirabilium, morborum reſtauratio, exſuſcitatio mortuorum, aliáque affinia, quæ homines inter famam conciliant & admirationem.

Cauſam ejus ſi voles, hæc in aperto eſt, quòd gratia gratum faciens hominem, Deo conjungat &

copulet

copulet eo divinæ amicitiæ nexu, qui poteſt eſſe maximus.

At verò cætera dona, quantumvis in hominum oculis & luce ſint, viam tantùm ſternunt & molliunt ad altiora divinæ amicitiæ jura; nec eò aſſurgunt umquam, ut ex iis veniat homo in communionem divini amoris, & quamdam increatæ naturæ participationem: quod poſtremum quantum ſit ex primo metieris.

Si tibi in foribus, in penetralibus eſſet Taumaturgus alter, qui altiori lumine illuſtris futura jam inde prænoſceret, & prænuntiaret, qui levi manus attactu è tabido corpore, tamquam ex hoſpitio, morbos pelleret, qui vel ſolâ corporis umbrâ omnem morbi contagionem elueret, qui paludes & maria ſiccaret, qui montes ſolo transferret imperio, qui mortis convelleret repagula, vitâque functos & vitæ, & luci redderet; quantum ille tibi foret in amoribus, quantum in oculis, in ore omnium? Ut de eo terra taceret; at certè inferi ſuperíque loquerentur, & tota Taumaturgum natura clamitaret.

Quòd ſi hæc inter magna reponi poſſe cenſes; quo loco gratiam, quæ iis omnibus longè ſuperior eſt, putabis eſſe reponendam? Ut eo tibi ſit quo eſſe debuit, ſuccurrit & aliud, ex quo facile pronumque erit de gratiæ dignitate judicium. Finge tibi hominem aliquem, in cujus animam, quaſi in publicam ſentinam confluxerit quidquid uſquam temporum, uſquam locorum ſceleris fuit: in eum incumbant omnia flagitia, parricidia, matricidia, fratricidia, cædes, furta, rapinæ, blaſphemiæ, ſacrilegia, & ſi quæ in terris vel in inferis ſint ſcelerum portenta, quæ vel hominibus, vel ipſis dæmonibus aliquando adhæſerint, in eum unum facto velut agmine concurrant. quod, inquies, erit illud monſtrum? Non hominem, imò nec dæmonem dices; ſed ſi quid dæmone nigrius, tetrius, immanius eſſe poteſt, id eſſe diceris. Et tamen ut ita ſit; ſi, annuente cœlo, connivente Dei miſericordiâ, in eam animam tot flagitiis obrutam illabatur vel unica gratiæ ſtilla, eluetur illa vitiorum contagio, luéſque omnis detergetur, ſuuſque redibit animæ nitor, ſua lux orietur, & ea quidem quam nec Angelica cogitatio, nedum humana capere poſſit; tantum à gratiâ ſplendoris ac dignitatis addi poteſt etiam in animula ad omnem turpitudinem abjectâ, ac proſtituta.

Et tamen, quæ hominis eſt in ſemetipſum inclementia, quæ captæ mentis cæcitas & inſana libido, quæ ſtupenda peccati vis, atque malitia, vel momentaneo in rem turpem conſenſu, vel inſolente ſuperbiâ, vel alia quavis peccati macula, omnis ille decor abſcedit, atque abjicitur. Et ecce tibi confeſtim omni luce, ornamentis omnibus ſpoliatur anima, & in eam præceps datur turpitudinem, ut eâ portentum fœdius, monſtrum horribilius ne cogitari, ne fingi quidem poſſit. Quanta eſt illa, & quàm repentina mutatio, quàm ſtupenda cataſtrophe, quàm vecors infelixque ſaltus, ob minimam voluptatulam tranſilire de luce in tenebras, de cœlo in cœnum, de violario in ſterquilinium, de Regali ſolio in cloacam fœdiſſimam, de amicitia Dei in ſummum ejus odium, de ente in nihilum, de nobiliſſimo habitu ſummóque ferè bono in omnia boni privationem? Eam quà licet fuge, hac unâ futurus miſer, cætera beatus.

PROPOSITIO III.

Peccatum eſt privatio debitæ pulchritudinis.

Cant. c. 7. *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis.*

Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, opprobrium illius non delebitur. Prov. c. 6. v. 33.

DE Pulchritudine humanæ mentis, multi multa jactitant.

Platoni viſa fuit particula quædam divinæ auræ, & æternæ illius ſubſtantiæ delibata quaſi portiuncula.

Priſcilliano ejuſdem fuit cum divina Natura ſubſtantiæ, miſſáque de cœlo, ut ſe certando cum vitiis probaret. Hæc illi; quos à fide & veritate devius error abduxit, nimiáque humanæ pulchritudinis admiratio: de qua ſi mihi foret quæſtio, eam è divinæ gratiæ lege ac nitore definire malim; parumque, aut omninò nihil à natura mutuari. Quod enim ab hac peti poteſt decoris & ornamenti, exiguum & abjectum eſt; quod ab illa, magnum, cœleſte, divinum.

Eſt enim gratia participatio quædam ſuperioris naturæ, quæ humanam mentem ad divinam quamdam pulchritudinem evehit: eſt candor lucis æternæ, qui mentem etiam fœdiſſimam emundat, dealbat, illuſtrat; ac veluti Solis radius, ubi in ſpeculum inciderit, ita reſilit, refringitur, oculoſque intuentium ſuo ſplendore percellit, ut quamdam Solis ipſius imaginem in ſpeculo exhibere videatur.

Ita divinæ gratiæ ſplendor, ubi in humanos animos, velut objectum Divinitati ſpeculum, incurrerit, ejus imaginem ita reddit atque exprimit, ut Dei quædam effigies non luci adnata, non adumbrata, ſed accurato divinóque penicillo elaborata videatur.

Ex illa divinæ gratiæ luce, nitore, miraculo, conſequitur amabilis ille cœleſtis Sponſi ſtupor, caſtæ voces, & amoris illecebræ: *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in deliciis.* Hebræi paulò blandiùs: *Quantoperè pulchruiſti, quantoperè dulcuiſti amor in deliciis.* Aquila: *Amor filia deliciarum.* Septuaginta: *Quàm pulchra es, & quàm ſuavis facta es, charitas in deliciis.* Cant. c. 7.

Si è ſponſo quæras: Unde illa ſponſæ pulchritudo? Unde dulcedo tanta, ut ipſa ſit amor, ſit charitas in deliciis, imò ſit amor ipſe, filia deliciarum? Eam omnem à gratia audies derivari.

Hinc magnus ille de anima ſenſus, illa admiratio, & ſtupor amabilis, quo S. Catharina Senenſis percelli ſolita, ſi quando annuente & propitio cœlo, præſtantiam unius animæ Deo gratæ, mentis oculis excepiſſet; tum enim quaſi novo quodam ſeu amoris, ſeu ſtuporis æſtu perculſa, ita ſentiebat, ita loquebatur, ut ſi cuiquam alteri in oculos ea pulchritudo veniſſet, non dubitaret ille pro ejus animæ ſalute mortem ſæpiùs oppetere.

Quamquam quid mirum illud, ſi una virgo ejuſdem nobiſcum conſors & particeps naturæ eam adeò adamarit ac ſuſpexerit, cùm & ipſi Angeli, magnæ illæ mentes, ſummæque cœlorum intelligentiæ eam laudent, ac venerentur?

Quæ eſt iſta, inquiunt, *quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol?* Lucifer mane naſcens pulcher eſt; Luna veſpere rubeſcens pulchrior; Sol, oculus ille mundi, cœli gratia, ſoli vita, adultâ jam die irradians pulcherrimus: at ſi cum gratiæ luce diéque componas, & ipſe Sol erubeſcit totus, & ipſa tota expalleſcit Luna, uníque animæ lucis ac diei palmam concedit. Adeò nihil eſt in terris cœliſve, nihil intra omnes naturæ cancellos, quod cum una gratiæ dignitate conferatur.

Ea porrò gratia, jam inde à prima hujus Orbis molitione, mundique cunis, cuivis homini ex quodam Dei pacto debitóque conceſſa.

Erat illa, ut Theologis dicitur, *Juſtitia Originalis*: quam mirum quantum ornabant additæ virtutes, velut adſcititiæ quædam gemmæ, divináque decora.

Hinc elucebat ardua quædam altiſſimarum divinarúmque rerum cognitio, quam fidem dicimus. Inde affulgebat amœna ſpei viriditas, cui gratiam decorémque conciliabat eximia quædam divinæ charitatis lux, amoris ignes & incendia. Accedebant & alia humanæ mentis ornamenta, virtutes aliæ, quas vulgò morales dicimus: harum aliquæ in intellectu, aliæ in voluntate reſidebant. Intellectui quidem inerat ſapientia, quæ inter virtutes intellectuales principatum tenet, Deúmque ſpectat altiſſimè.

Cui proximè nectebatur prudentia, quæ humana omnia moderaretur, ac regeret, docerétque quid in unaquaque re agendum, quid ſequendum eſſet, quid fugiendum.

In voluntate autem erat æquitatis amans rectíque tenax Juſtitia: erat temperantia, appetituum domina, paſſionum magiſtra; erat in arduis fortitudo, quæ quantumvis dura & difficilia vel molliret, vel frangeret. Erat in Deum & ſuperos religio, erat in adverſis patientia, in dubiis conſtantia, humanitas, caſtimonia, aliæque virtutes, quaſi totidem cœleſtes Nymphæ, quæ unà cum gratia, tamquam illius pediſſequæ, in animum immigrarent.

Sed ô malum! ô pudor! ô cæcitas! ô inſolentia humanæ mentis! ab uno peccato ita à ſeipſa deficit, *Thren. c. 4.* ut quæ priùs candidior nive, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, ſapphiro pulchrior dici poterat; jam denigrata ſit ſuper carbones, nec omninò agnoſci poſſit: tantum mutata eſt ab illa quæ antè fuit.

Ut autem in aliena ſpecie tuam illam turpitudinem & inamœnam deformitatem, horroriſque pleniſſimam agnoſcas; tibi ob oculos ponam, quod olim cum Hebræis diviná Providentiá factum.

Poſtquam illi vecordiâ ſingulari perfidáque mente vitulum aureum adorarunt, tam nigros & luridos vultus induerunt, ac ſi nati in media Æthiopia, & verſi omnes in dæmones fuiſſent. Quod egregiè in epithalamium Salomonis Chaldæus Paraphraſtes in *In 1. Cant.* hunc modum exponit: *Quando fecerunt domus Iſraël vitulum, denigratæ ſunt facies eorum ſicut filiorum Æthiopiæ qui morantur in tabernaculis Cedar: & quando egerunt pœnitentiam, & dimiſſum eis fuit peccatum, multiplicatus fuit ſplendor gloriæ vultus eorum, ſicut vultus Angelorum.*

Ea nimirum corporis animæque neceſſitudo eſt, ea hujus illiúsque ſympathia, ut in ipſum corpus evadat illa ſpecies quæ priùs animum invaſerit. In quo non poſſum ſatis demirari hominum inſaniam, qui ultrò ſe peccato indigniſſimè violantes, ut Circeo poculo in aliam effigiem mutati, pro ſplendore gratiæ & formoſitate illa inexplicabili quam Dei Numen juſtis communicat, fiunt ſubitò horribilia monſtra, larvæ ſtercoreæ, olidum ludibrium, catharma mundi, peripſema dæmonum, beatarum mentium terriculamentum. Et hoc unum à peccato malum eſt: accedit & alterum. Ad hanc enim immanem infandámque peccatricis animæ turpitudinem, ſuum quoque pondus addit extrema illius paupertas, & bonorum omnium, quæ antè poſſedit, expilatio: non enim ſolummodò priſtinam illam formæ ſpeciem ac dignitatem exuit; ſed & omnem propè virtutum ſupellectilem; omne præſidium amittit, abjicit, fœdéque proſtituit: imò verò, quod magis ſtupeas ac deplores, *turpitudinem & ignominiam congregat ſibi,* *Prov. c. 6. v. 33.* *ut opprobrium illius non deleatur.* *Diligit* enim *maledictionem, & veniet ei, induit maledictionem ſicut veſti-* *Pſal. 108. v. 18.* *mentum, & intrat ſicut aqua in interiora ejus.*

Ubi verò ſubintrârit illa maledictio, tum omnis gratia, charitas, pulcherrimúſque virtutum comitatus abit, & ſicut aqua effunditur.

Apud Iſraëlitas olim invaluit ille mos, ubi quis animam efflarat, ultimúmque vitæ ſpiritum effuderat, omnis aqua quæ domi in vaſis erat, extra ipſarum ædium limina effundebatur. Cujus ritus apud Rabbinos ea ratio fuit, quòd eam immundam eſſe crederent: contrahebat autem eam luem & immunditiem vel ex eo quòd anima recèns elapſa è corpore ſeſe illi immergeret & elueret, itáque eam inficeret; vel, ut alii opinantur, quòd Angelus mortis, ferrum & enſem, in quo animum à corpore diviſerat, iis aquis intingeret.

Ritus omninò bonus; ſed cauſæ & rationes à Rabbinis afferri ſolitæ, commenta ſunt & aniles fabulæ: illa vero propior, quòd omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur atque effundimur. Quod maximè verum eſt, ubi à lethali peccato morimur: tum enim omnia gratiarum flumina, omnes propè virtutum fontes effunduntur, & ſicco ſceleris alveo deſtitutus animus uſque ad injuriam miſerandæ ſterilitatis exareſcit.

Si fortè quis noſtrûm in voluptates ſuas nimium effuſus, eos divinæ gratiæ torrentes effudit; ſi acceptam à cœlo Deóque veſtem exuit, caveat modò veterem hominem, & novum induat, qui ſecundùm Deum creatus eſt: diſcindat, abjiciat, diſſipet veſtimenta mortis & iniquitatis; ſumat autem, & ſe ipſe induat veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdet. Hoc monet, huc urget, hoc inclamat D. Bernardus melleâ, ut ſolet, eloquentiâ: *Studeamus*, inquit, *veſtimenta, noſtra, dilectiſſimi, quatenus integra proinde veſtimenta ſervemus: veſtes* *Serm. 2. in Quadrageſima.* *enim noſtræ virtutes ſunt. Bona veſtis charitas, bona veſtis obedientia eſt; beatus qui cuſtodit veſtimenta hæc, ut non ambulet nudus.*

Quòd ſi ea veſtimenta ſervemus, vel ſaltem amiſſa per pœnitentiam recuperemus, nobis eveniet quod olim Iſraëlitis eveniſſe teſtatur Chaldæus Paraphraſtes: augebitur in immenſum lux gratiæ, ſplendor gloriæ; vultuſque noſtri erunt ſicut vultus Angelorum: & omnis ille gratiæ virtutúmque torrens, qui alieno peccati alveo à nobis adverſus defluxit, ſecundo ſinu refluet: atque refluat tibi opto vovéoque, ſi quis es qui hæc, à gratia Deóque averſus, legas.

PROPOSITIO IV.

Peccatum eſt averſio à Deo, & elongatio ab ipſo per diſſimilitudinem.

Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo. *Sapient. c. 1. v. 3.*

Qui elongant ſe à te, peribunt. *Pſalm. 72. v. 27.*

Concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea. *Iob. c. 38. v. 13.*

Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum. *Iſaia c. 59. v. 2.*

HEbræi ſapientes, ut objicerent oculis figuram aliquam divinæ illius ſempiternæque mentis, eam circulari deſcribendam eſſe cenſuerunt; quòd ea nihil pulchrius, nihil perfectius, nihil abſolutius eſſe poſſit: ea quippe ſola figuras omnes alias complexa continet, nihilque habet aſperitatis, nihil offenſionis, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum.

Hebræis conſenſit cognominatus ille Triſmegiſtus: rogatus enim quid eſſet Deus? Ubi ſe ipſe diu torſit, & omnem ingenii vim & aciem explicuit, ut Dei *Cic. lib. 2. de Natura Deorum.* ſui terminum ac definitionem inveniret, tandem eam extulit: *Deus eſt circulus, cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam.* In quo ab Hebræis diſſentit, quòd hi bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo poſuerint: ille autem & hanc & illam in centro; & circumferentiam nuſquam eſſe voluerit.

Si ab Hebræis illis ad inſtitutum meum aliquid mutuari liceat, dicam Dei ter Opt. ter Max. bonita-

teto

tem in centro eſſe; pulchritudinem autem, quæ ab illa bonitate in omnem circumferentiam ducitur, eſſe in circulo.

Ab hac & illa quàm longiſſimè abeſt peccator, nec Deo ut centro ſuo redditur, nec illius divinæ pulchritudinis circulo continetur: ſed elabitur *ad extrema terræ*. adeòque extra Deum, extra cœleſtem ſphæram ac circulum, in quo nulla ſunt aut eſſe poſſunt extrema.

Quòd extra Deum quodammodo feratur, docet D. Hieronymus epiſtolâ ad Damaſium: *Peccatores*, inquit, *recedunt à Deo, affectuum, non locorum ſpatiis.*

Quòd etiam à centro longiùs abſit vel ex eo videris, quòd quiſquis peccat, neceſſum eſt abeat à medio.

Recta ratio & prudentia its vivendum eſſe dictant, ut ſemper teneas medium, in quo uno virtus conſiſtit: ſed extrema potiùs ſequitur peccator, & ad ipſa vitii confinia declinat.

Aut enim avarus eſt, aut prodigus; aut timidus nimium, & animo remiſſus; aut temerarius, & audaciæ nimium præcipitis: medium tenere neſcit; adeóque nec virtutis modum ac normam, ut quæ medium amet ac teneat.

Ariſtot. 2. Ethic. c. 6. Quòd ſi a virtutis medio diſcedit, & à Deo longiùs ut diſcedat neceſſe eſt: ut enim virtus medium; ita Deus centrum occupat. Imò centrum eſt ipſa Dei bonitas, à qua in omnem vitæ circumferentiam trahi debent virtutum lineæ, & ad eamdem ut centrum relabi. Sed, ô vagus! ô devius error peccatoris! nec centrum habet, à quo veniat, & ad quod redeat; nec ullam circumferentiam, quâ claudi & contineri poſſit.

Si naturam & gratiam audiſſet, ei pro centro Deus erat, pro circumferentia virtus; ſed extrema ſectari maluit, & ſine lege, modo, menſura, termino devius errare & vagari, quàm ſeſe Deo ſuo, id eſt, centro, ſiſtere, & virtutis curriculo cohibere.

Ex quo dubiæ & incertæ mentis errore ac vitio ſequitur & aliud grande malum, quòd quantum à propoſito ſibi centro, deſcriptáque circumferentia,

Pſal. 118. tantum etiam à ſalute recedat: *Longè enim à peccatoribus ſalus.* Tuos audio, teſtórque gemitus, infelix epulo. Ab inſolente gula, a ſeris lucernis, à multo Baccho, à menſis madidis, ab ebria mente longiùs exiſti à Deo tuo; *& ad extrema terræ*, imò extremos inferni fines exceſſiſti; unáque longiùs à tua ſalute; cujus olim malè prodigus pœnas luis, & audis illud effatum parentis Abrahæ: *Inter nos &*

Luc. c. 16. v. 26. *vos chaos magnum firmatum eſt: ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.*

Sapient. 5. 1. *Perverſæ cogitationes tuæ ſeparant te à Deo* & quæ multo vino incaluerat arſeratque libido, te ad extrema, centrumque terræ ac ſtygis emiſerat.

Ex illis tormentorum finibus animo tibi, imò fortè & oculis uſurpare licuit quieſcentem in ſinu Abrahæ Lazarum, cùm ipſe ſecus omninò quieſceres ſepultus in inferno; à cujus flammis & perenni incendio fauces ita exarſerant, ut ferendæ ſiti ampliùs non eſſes. Ut tanto malo remedium ſolaménque faceres, imploras Abrahæ fidem, & Lazari pietatem obteſtaris, ut ſi quæ vel ab hac vel ab illa aquæ guttula depluat, hianti linguæ & aridis faucibus impluat: *Pater Abraham*, inquis, *miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Ita qui liberali mero benè potus, probè dilutus olim madueras, imò te ipſe Baccho merſeras; jam areſcente gulâ vel aquæ guttam expoſcis: nec illa tamen ex Abrahæ ſinu in extrema terræ ſtygiſque delabi poterit: te enim inter & Lazarum, magnum omninò chaos firmatum eſt; ut etſi velit Lazarus ad

Iſaiæ c. 59. v. 2. te tranſire, non poſſit, nec tu ut velis, poſſis: *Iniquitates enim veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum* & ita quidem diviſerunt, ut arente divinæ gratiæ alveo, ne illius quidem ſtilla derivari poſſe videatur.

Spectavit olim Anglia portentum ingens, & à Moyſe, quod ſciam, terris inviſum. Ipſo Circumciſionis die non procul Betfordiâ, fluvius ingens, qui prono & continenti defluebat alveo, derepentè ſubſtitit, & ſeſe ita diviſit, ut ad tria omninò milliaris ſiccus alveus iter ingredientibus præberet. Thomas Walſingam in Ypodigmate Neuſtriæ.

De hoc prodigio primùm ſtupor, &, ut in re nova fieri ſolet, admiratio; deinde conjecturæ variæ, varius ſenſus: qui meliùs ſapere viſi ſunt, inde hoc omen hauſere, quòd ea aquarum ab aquis diſcretio, portenderet futuram populi diviſionem, & à Rege defectionem. Nec vanum omen, vanáque oſtento fides: eo quippe anno populus a ſuo capite, ſuo Rege diſceſſit atque defecit. Quod illis, hoc olim tibi miſer epulo, hoc deinde vobis peccatores: à Deo veſtro defectionem dum paratis, dividuntur ab aquis aquæ, ſiccóque hæretis alveo.

In prima Univerſi molitione auctor naturæ Deus diviſit aquas ab aquis, ſuperas ab inferis; & ne qua earum eſſet communio, firmamentum interjecit, quod eas à ſe invicem diſcerneret. Dixit enim: *Fiat firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diviſitq́; aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum*, ne quid illis commune intercederet. Quod Gen. c. 1. v. 6. 7. aquis illis, hoc tibi.

Cùm à virtute, à gratia Dei proximus eſſes, ſolutis & patentibus cœli cataractis in te illabi & implere poterant cœleſtes aquæ, & gratiarum fluctus: at ubi interceſſit peccatum, ab aquis diviſæ ſunt aquæ, & interpoſitum eſt veluti firmamentum aliquod ære fuſum, & murus aheneus, ut à ſuperis aquis nihil omninò ad inferas derivari poſſit. Quod illud firmamentum? Quod chaos? Et cœleſtibus aquis & ipſi Lazaro, Abrahæque impervium? Ne quære; tuum eſt ſcelus, tuum nefas, tua gula & libido: illa, illa firmamentum eſt, chaos eſt; & quidem immenſum, quod ſtygem inter & cœlum, epulonem & Lazarum, Deum & peccatorem interjicitur: ideóque querelis iſtis modum pone, nec ſtygias auras importunis vocibus fatiga; qui Lazaro deciduam panis micam negaſti, aquæ guttam non accipies. Ab igne, à ſiti totus exareſces, totus peribis, & meritò. *Qui enim elongant ſe à te*, ô Deus, ô ſumma & æterna bonitas! *peribunt.*

Sed iſta epuloni dixiſſe olim plus ſatis; tibi modò eadem canuntur: ut ſi fortè inter te & Deum magnum peccati chaos firmatum ſit, illud dum vita cæliúmque patitur abrumpas, Deo propiorem te facias, illi ut centro te reſtituas, & per omnem hujus ævi mortalis circumferentiam virtutum lineas circulúmque ducas. Hoc ſi feceris, Deus noſter qui pro ſuæ bonitatis inclinatione eſſe voluit in medio juſtorum, erit in medio tui; imò ſi voles tuum medium, tuum centrum, in quo ſuaviter blandéque dormias, & conquieſcas.

Ita dormivit, ita conquievit Propheta Regius, qui de ſeipſo, juſtiſque omnibus olim cecinit: *Quantum diſtat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.* Pſal. 102. v. 12. Ex illius calculo ſenſúque viſitur Deus in Oriente, peccator in Occidente deliteſcit. Ideóque quàm longiſſimè à Deo, ſeu Sole ſuo disjungitur. Et quia longè eſt à Sole, ideò frigidus; quia longè à ſumma bonitate, ideò malus, quia longè ab infinita puritate, ideò impurus; quia longè à vita, ideò mortuus. Tu ne is ſis, age, elabora, enitere ut quàm longè diſtat Ortus ab Occidente, tam longè facias à te eſſe iniquitates tuas. *Avertere*, inquiebat olim D. Auguſtinus, *avertere ab Occidente, convertere ad Orientem. Occidunt ibi peccata; oritur inde juſtitia. In Occidente vetus, in Oriente novus. In Occidente Saulus, in Oriente Paulus.* Hom. 14. inter 50.

Hinc elucebat ardua quædam altiſſimarum divinarúmque rerum cognitio, quam fidem dicimus. Inde affulgebat amœna ſpei viriditas, cui gratiam decorémque conciliabat eximia quædam divinæ charitatis lux amoris ignes & incendia. Accedebant & alia humanæ mentis ornamenta, virtutes aliæ, quas vulgò morales dicimus: harum aliquæ in intellectu, aliæ in voluntate reſidebant. Intellectui quidem inerat ſapientia, quæ inter virtutes intellectuales principatum tenet, Deúmque ſpectat altiſſimè.

Cui proximè nectebatur prudentia, quæ humana omnia moderaretur, ac regeret, doceretque quid in unaquaque re agendum, quid ſequendum eſſet, quid fugiendum.

In voluntate autem erat æquitatis amans rectique tenax Juſtitia: erat temperantia, appetituum domina, paſſionum magiſtra: erat in arduis fortitudo, quæ quantumvis dura & difficilia vel molliret, vel frangeret. Erat in Deum & ſuperos religio, erat in adverſis patientia, in dubiis conſtantia, humanitas, caſtimonia, aliæque virtutes, quaſi totidem cœleſtes Nymphæ, quæ unà cum gratia, tamquam illius pediſſequæ, in animum immigrarent.

Sed ô malum! ô pudor! ô cæcitas! ô inſolentia
Thren. c. 4. humanæ mentis! ab uno peccato ita à ſeipſa deficit, ut quæ priùs candidior nive, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, ſapphiro pulchrior dici poterat; jam denigrata ſit ſuper carbones, nec omninò agnoſci poſſit: tantum mutata eſt ab illa quæ antè fuit.

Ut autem in aliena ſpecie tuam illam turpitudinem & inamœnam deformitatem, horroriſque pleniſſimam agnoſcas; tibi ob oculos ponam, quod olim cum Hebræis divinâ Providentiâ factum.

Poſtquam illi vecordiâ ſingulari perfidáque mente vitulum aureum adorarunt, tam nigros & luridos vultus induerunt, ac ſi nati in media Æthiopia, & verſi omnes in dæmones fuiſſent. Quod egregiè in epithalamium Salomonis Chaldæus Paraphraſtes in
In 2. Cant. hunc modum exponit: *Quando fecerunt domus Iſraël vitulum, denigratæ ſunt facies eorum ſicut filiorum Æthiopiæ qui morantur in tabernaculis Cedar: & quando egerunt pœnitentiam, & dimiſſum eis fuit peccatum, multiplicatus fuit ſplendor gloriæ vultus eorum, ſicut vultus Angelorum.*

Ea nimirum corporis animæque neceſſitudo eſt, ea hujus illiúſque ſympathia, ut in ipſum corpus evadat illa ſpecies quæ priùs animum invaſerat. In quo non poſſum ſatis demirari hominum inſaniam, qui ultrò ſe peccato indigniſſimè violantes, ut Circeo poculo in aliam effigiem mutati, pro ſplendore gratiæ & formoſitate illa inexplicabili quam Dei Numen juſtis communicat, fiunt ſubitò horribilia monſtra, larvæ ſtercoreæ, olidum ludibrium, catharma mundi, peripſema dæmonum, beatarum mentium terriculamentum. Et hoc unum à peccato malum eſt: accedit & alterum. Ad hanc enim immanem infandámque peccatricis animæ turpitudinem, ſuum quoque pondus addit extrema illius paupertas, & bonorum omnium, quæ antè poſſedit, expilatio: non enim ſolummodò priſtinam illam formæ ſpeciem ac dignitatem exuit; ſed & omnem propè virtutum ſupellectilem; omne præſidium amittit, abjicit, fœdéque proſtituit: imò verò, quod magis ſtupeas ac deplores, *turpitudinem & ignominiam congregat ſibi,*
Prov. c. 6. v. 33. *ut opprobrium illius non deleatur.* Diligit enim *male-*
Pſal. 108. v. 18. *dictionem, & venit ei. induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intrat ſicut aqua in interiora ejus.*

Ubi verò ſubintrârit illa maledictio, tum omnis gratia, charitas, pulcherrimúſque virtutum comitatus abit, & ſicut aqua effunditur.

Apud Iſraëlitas olim invaluit ille mos, ubi quis animam efflarat, ultimúmque vitæ ſpiritum effuderat, omnis aqua quæ domi in vaſis erat, extra ipſarum ædium limina effundebatur. Cujus ritus apud Rabbinos ea ratio fuit, quòd eam immundam eſſe crederent: contrahebat autem eam luem & immunditiem vel ex eo quòd anima recèns elapſa è corpore ſeſe illi immergeret & elueret, itáque eam inficeret; vel, ut alii opinantur, quòd Angelus mortis, ferrum & coſem, in quo animum à corpore diviſerat, iis aquis intingeret.

Ritus omninò bonus; ſed cauſæ & rationes à Rabbinis afferri ſolitæ, commenta ſunt & aniles fabulæ: illa vero propior, quòd omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur atque effundimur. Quod maximè verum eſt, ubi à lethali peccato morimur: tum enim omnia gratiarum fluenta, omnes propè virtutum fontes effunduntur, & ſicco ſceleris alveo deſtitutus animus uſque ad injuriam miſerandæ ſterilitatis exareſcit.

Si forte quis noſtrûm in voluptates ſuas nimium effuſus, eos divinæ gratiæ torrentes effudit; ſi acceptam à cœlo Deóque veſtem exuit, caveat modò veterem hominem, & novum induat, qui ſecundùm Deum creatus eſt: diſcindat, abjiciat, diſſipet veſtimenta mortis & iniquitatis; ſumat autem, & ſe ipſe induat veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdet. Hoc monet, hoc urget, huc inclamat D. Bernardus melleâ, ut ſolet, eloquentiâ: *Scindamus*, inquit, *veſtimenta, noſtra, dilectiſſimi,*
quatenus integra proinde veſtimenta ſervemus: veſtes Serm. 2. in Quadrageſima.
enim noſtra virtutes ſunt. Bona veſtis charitas, bona veſtis obedientia eſt; beatus qui cuſtodit veſtimenta hæc, ut non ambulet nudus.

Quòd ſi ea veſtimenta ſervemus vel ſaltem amiſſa per pœnitentiam recuperemus, nobis eveniet quod olim Iſraëlitis eveniſſe teſtatur Chaldæus Paraphraſtes: augebitur in immenſum lux gratiæ, ſplendor gloriæ; vultuſque noſtri erunt ſicut vultus Angelorum: & omnis ille gratiæ virtutumque torrens, qui alieno peccati alveo à nobis adverſus defluxit, fecundo ſinu refluet: utque refluat tibi opto voveóque, ſi quis ea qui hæc, à gratia Deóque averſus, legas.

PROPOSITIO IV.

Peccatum eſt averſio à Deo, & elongatio ab ipſo per diſſimilitudinem.

Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo. Sapient. c. 1. v. 3.
Qui elongant ſe à te, peribunt. Pſalm. 72. v. 27.
Concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea. Iob. c. 38. v. 13.
Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum. Iſaiæ c. 59. v. 2.

HEbræi ſapientes, ut objicerent oculis figuram aliquam divinæ illius ſempiternæque mentis, eam circulari deſcribendam eſſe cenſuerunt; quòd ea nihil pulchrius, nihil perfectius, nihil abſolutius eſſe poſſit: ea quippe ſola figuras omnes alias complexa continet, nihilque habet aſperitatis, nihil offenſionis, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum.

Hebræis conſenſit cognominatus ille Triſmegiſtus: rogatus enim quid eſſet Deus? Ubi ſe ipſe diu torſit, & omnem ingenii vim & aciem explicuit, ut Dei Cic. lib. 2. de Natura Deorum. ſui terminum ac definitionem inveniret, tandem eam extulit: *Deus eſt circulus, cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam.* In quo ab Hebræis diſſentit, quòd hi bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo poſuerint: ille autem & hanc & illam in centro; & circumferentiam nuſquam eſſe voluerit.

Si ab Hebræis illis ad inſtitutum meum aliquid mutuari liceat, dicam Dei ter Opt. ter Max. bonitatem

tem in centro eſſe; pulchritudinem autem, quæ ab illa bonitate in omnem circumferentiam ducitur, eſſe in circulo.

Ab hac & illa quàm longiſſimè abeſt peccator, nec Deo ut centro ſuo redditur, nec illius divinæ pulchritudinis circulo continetur: ſed elabitur *ad extrema terræ*. adeóque extra Deum, extra cœleſtem ſphæram ac circulum, in quo nulla ſunt aut eſſe poſſunt extrema.

Quòd extra Deum quodammodo feratur, docet D. Hieronymus epiſtolâ ad Damaſium: *Peccatores*, inquit, *recedunt à Deo, affectuum, non locorum ſpatiis.*

Quòd etiam à centro longiùs abſit vel ex eo videris, quòd quiſquis peccat, neceſſum eſt abeat à medio.

Recta ratio & prudentia ita vivendum eſſe dictant, ut ſemper teneas medium, in quo uno virtus conſiſtit: ſed extrema potiùs ſequitur peccator, & ad ipſa vitii confinia declinat.

Aut enim avarus eſt, aut prodigus; aut timidus nimium, & animo remiſſus; aut temerarius, & audaciæ nimium præcipitis: medium tenere neſcit; adeóque nec virtutis modum ac normam, ut quæ medium amet ac teneat.

Ariſtot. 2. Ethic. c. 6.

Quòd ſi a virtutis medio diſcedit, & à Deo longiùs ut diſcedat neceſſe eſt: ut enim virtus medium; ita Deus centrum occupat. Imò centrum eſt ipſa Dei bonitas, à qua in omnem vitæ circumferentiam trahi debent virtutum lineæ, & ad eamdem ut centrum relabi. Sed, ô vagus! ô devius error peccatoris! nec centrum habet, à quo veniat, & ad quod redeat; nec ullam circumferentiam, quâ claudi & contineri poſſit.

Si naturam & gratiam audiſſet, ei pro centro Deus erat, pro circumferentia virtus; ſed extrema ſectari maluit, & ſine lege, modo, menſura, termino devius errare & vagari, quàm ſeſe Deo ſuo, id eſt, centro, ſiſtere, & virtutis curriculo cohibere.

Ex quo dubiæ & incertæ mentis errore ac vitio ſequitur & aliud grande malum, quòd quantum à propoſito ſibi centro, deſcriptáque circumferentia, tantum etiam à ſalute recedat: *Longè enim à peccatoribus ſalus.* Tuos audio, teſtórque gemitus, Infelis epulo. Ab inſolente gula, a feris lucernis, à multo Baccho, à menſis madidis, ab ebria mente longiùs exiſti à Deo tuo; *& ad extrema terræ*, imò extremos inferni fines exceſſiſti; unáque longiùs à tua ſalute; cujus olim malè prodigus pœnas luis, & audis illud effatum parentis Abrahæ: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.* *Perverſæ cogitationes tuæ ſeparant te à Deo* & quæ multo vino incaluerat arſeratque libido, te ad extrema, centrúmque terræ ac ſtygis emiſerat.

Pſal. 118.

Luc. c. 16. v. 26.

Sapient. 5.1.

Ex illis tormentorum ſinibus animo tibi, imò fortè & oculis uſurpare licuit quieſcentem in ſinu Abrahæ Lazarum; cùm ipſe ſecus omninò quieſceres ſepultus in inferno; à cujus flammis & perenni incendio fauces ita exaruerant, ut ferendæ ſiti ampliùs non eſſes. Ut tanto malo remedium ſolaménque faceres, imploras Abrahæ fidem, & Lazari pietatem obteſtaris, ut ſi quæ vel ab hac vel ab illa aquæ guttula depluat, hianti linguæ & aridis faucibus impluat: *Pater Abraham*, inquis, *miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

Ita qui liberali mero benè potus, probè dilutus olim madueras, imò te ipſe Baccho merſeras; jam areſcente gulâ vel aquæ guttam expoſcis: nec illa tamen ex Abrahæ ſinu in extrema terræ ſtygisque delabi poterit: te enim inter & Lazarum, magnum omninò chaos firmatum eſt; ut etſi velit Lazarus ad te tranſire, non poſſit, nec tu ut velis, poſſis: *Iniquitates* enim *veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum.* & ita quidem diviſerunt, ut arente divinæ gratiæ alveo, ne illius quidem ſtilla derivari poſſe videatur.

Iſaiæ c. 59. v. 2.

Spectavit olim Anglia portentum ingens, & à Moyſe, quod ſciam, terris inviſum. Ipſo Circumciſionis die non procul Betfordiâ, fluvius ingens, qui prono & continenti defluebat alveo, derepentè ſubſtitit, & ſeſe ita diviſit, ut ad tria omninò milliaria ſiccus alveus iter ingredientibus præberet.

Thomas Walſingam in Ypodigmate Neuſtriæ.

De hoc prodigio primùm ſtupor, &, ut in re nova fieri ſolet, admiratio; deinde conjecturæ variæ, varius ſenſus: qui meliùs ſapere viſi ſunt, inde hoc omen hauſere, quòd ea aquarum ab aquis diſcretio, portenderet futuram populi diviſionem, & à Rege defectionem. Nec vanum omen, vanáque oſtenti fides: eo quippe anno populus a ſuo capite, ſuo Rege diſceſſit atque defecit. Quod illis, hoc olim tibi miſer epulo, hoc deinde vobis peccatores: à Deo veſtro defectionem dum paratis, dividuntur ab aquis aquæ, ſiccúque hæretis alveo.

In prima Univerſi molitione auctor naturæ Deus diviſit aquas ab aquis, ſuperas ab inferis; & ne qua earum eſſet communio, firmamentum interjecit, quod eas à ſe invicem diſcerneret. Dixit enim: *Fiat firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diviſitq; aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum*, ne quid illis commune intercederet. Quod aquis illis, hoc tibi.

Gen. c. 1. v. 6. 7.

Cùm à virtute, à gratia Dei proximus eſſes, ſolutis & patentibus cœli cataractis in te illabi & implucre poterant cœleſtes aquæ, & gratiarum flumina: at ubi interceſſit peccatum, ab aquis diviſæ ſunt aquæ, & interpoſitum eſt veluti firmamentum aliquod ære fuſum, & murus aheneus, ut à ſuperis aquis nihil omninò ad inferas derivari poſſit. Quod illud firmamentum? Quod chaos? Et cœleſtibus aquis & ipſi Lazaro, Abrahæque impervium? Ne quære; tuum eſt ſcelus, tuum nefas, tua gula & libido: illa, illa firmamentum eſt, chaos eſt; & quidem immenſum, quod ſtygem inter & cœlum, epulonem & Lazarum, Deum & peccatorem interjicitur: ideóque querelis iſtis modum pone, nec ſtygias auras importunis vocibus fatiga; qui Lazaro deciduam panis micam negaſti, aquæ guttam non accipies. Ab igne, à ſiti totus exareſces, totus peribis, & meritò. *Qui* enim *elongant ſe a te*, ô Deus, ô ſumma & æterna bonitas! *peribunt.*

Sed iſta epuloni dixiſſe olim plus ſatis; tibi modò eadem canuntur: ut ſi fortè inter te & Deum magnum peccati chaos firmatum ſit, illud dum vita cælúmque patitur abrumpas, Deo propiorem te facias, illi ut centro te reſtituas, & per omnem hujus ævi mortalis circumferentiam virtutum lineas circulúmque ducas. Hoc ſi feceris, Deus noſter qui pro ſuæ bonitatis inclinatione eſſe voluit in medio juſtorum, erit in medio tui; imò ſi voles tuum medium, tuum centrum, in quo ſuaviter blandéque dormias, & conquieſcas.

Ita dormivit, ita conquievit Propheta Regius, qui de ſeipſo, juſtiſque omnibus olim cecinit: *Quantum diſtat Ortus ab Occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras.* Ex illius calculo ſenſuque viſitur Deus in Oriente, peccator in Occidente delitéſcit. Ideóque quàm longiſſimè à Deo, ſeu Sole ſuo disjungitur. Et quia longè eſt à Sole, ideò frigidus; quia longè à ſumma bonitate, ideò malus, quia longè ab infinita puritate, ideò impurus; quia longè à vita, ideò mortuus. Tu ne is ſis, age, elabora, enitere ut quàm longè diſtat Ortus ab Occidente, tam longè facias à te eſſe iniquitates tuas. *Avertere*, inquiebat olim D. Auguſtinus, *avertere ab Occidente, convertere ad Orientem. Occidunt ibi peccata; oritur inde juſtitia. In Occidente vetus, in Oriente novus. In Occidente Saulus, in Oriente Paulus.*

Pſal. 102. v. 12.

Hom. 14. inter 50.

Vides, Auguſtino interprete & judice, Saulum inter & Chriſtum quantum eſſet intervallum, quamque neceſſe fuerit iterum, iterúmque geminari illas voces, *Saule, Saule.* quia nimirum clamabat Chriſtus in Oriente, ut Saulus audiret in Occidente; ideóque validum & ingentem clamorem eſſe oportuit. Tu eum hodie ſi audis, noli obdurare cor tuum, noli aures occludere: ſed potiùs & cordis, & aurium
Act. 9. ſinus aperi, dicque cum Paulo: *Domine, quid me vis facere?* Bona verba, aurea verba pœnitentis animi,
Serm. 24 de Sanctis. ſéque totum Deo committentis. *Iam*, inquit Auguſtinus, *parat ſe ad obediendum, qui priùs ſerviebat ad perſequendum. Iam formatur ex perſecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoſte miles. Ovis audiat, quid facere debeat.*

PROPOSITIO V.

Peccatum eſt reatus pœnæ.

Matth. 18. *Oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.*

INcreata Patris Æterni Sapientia, ut inveteratis hominum odiis modum poneret, docerétque miteſcere tandem oportere efferata quantumvis ingenia: parabolam exhibet, in qua Superum indulgentiam legant, & cum ſua feritate componant.

Aſſimilatum eſt, inquit, *regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet unde*
Matth. 18. v. 25. *redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.*

Quid hîc ageret infelix homo? Quæ tantis in malis præſidia peteret? Ad preces, lacrymas, gemitus confugit; quæ reliqua ſunt miſerorum præſidia: in nudam humum ſeſe abjicit, prenſat, ſtringit, amplexatur domini pedes, & voce ſingultibus interruptâ exclamat: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Rex, ut erat facilis ad miſericordiam, non tantùm aliquid temporis indulget; ſed omne debitum remittit: &, ut pronum eſt credere, abjectum levat, ſolatur, cominérque dimittit. Sed agnoſce perverſum hominis ingenium: vix à Regis oculis abierat, vix pedem extulerat domo, cùm incurrit in conſervum ſuum, *qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes.*

Communis miſeria, communem fecerat orationem: ſed eâ exorari non potuit crudelis ſervus; verùm impatiens omnis moræ, conſervum in vincula carcerémque miſit.

Inſolens illud facinus, inviſa crudelitas, omnium animos, adeóque Regem ipſum perculit, & in alia conſilia vertit. Ingratum & immemorem ſui revocat, graviùs excipit, objurgat, & obſcuro mandat carceri, uſque dum reddat univerſum debitum.

Hæc eſt parabolæ ſeries, quæ doceat ut homo homini parcat, ſi velit Superos ſibi ſuiſque miſeriis indulgeri. Hîc multa quæri poſſent: ego unum illud attingam, quódnam ſit ingens & immenſum debitum, cui pauperculus homo ſolvendo non fuit?

§. I.

Quàm grave peccati debitum, & unde petatur ea gravitas.

1. parte q. 1. art. 1. MOvent Theologi hanc quæſtionem: Fuéritne neceſſaria Divini Verbi Incarnatio?

Reſpondent omninò fuiſſe, ut irato Numini, ejúſque juſtitiæ fieret ſatis.

Ex quo manat & altera quæſtio: An non ergo purus aliquis homo, vel etiam Angelus ſi voles, divinæ Juſtitiæ ex æquo ſatisfacere potuerit?

Suarez cenſet aliquâ ratione potuiſſe, etiam ex juſtitia, & de condigno (ut loquuntur Theologi.) Aſſertionem probat ratione à ſimili petitâ: ſicut Deus conſtituit Adamum caput omnium hominum in eſſe naturæ, omniúmque poſterorum voluntates in ejus voluntate atque arbitrio ita poſuit, ut ubi peccaret ille, & cæteri omnes peccare cenſerentur; ideóque Originalis macula in poſteros omnes effuſa fuerit. Ita, inquit, potuit hominem aliquem à ſanctitate, à gratia planè ſingularem, ſibique longè graviſſimum ſtatuere, veluti caput omnium hominum in eſſe gratiæ; & aliorum voluntates ita in eo reponere, ut dum mereretur ille, dum faceret ſatis, & alii omnes in eo benè de Deo mereri, & ejus Juſtitiæ ſatisfacere cenſerentur.

Hæc Suarez, ex D. Thoma. Agnoſcit tamen eam ſatisfactionem, qualis qualis ab homine eſſe poteſt, non omninò offenſæ æqualem eſſe poſſe.

Rationem è naturâ, è Theologiæ principiis hanc eruit: quia ad æqualitatem perfectam & numeris omnibus abſolutam, neceſſe eſt ut tanta ſit dignitas perſonæ ſatisfacientis, quanta eſt offenſæ.

Hic autem tanta eſſe nunquam poteſt, ut in aperto & in confeſſo eſt apud omnes. Ex hac ratione ducitur communis ille Theologorum ſenſus; purum putum hominem, id eſt, qui etiam Deus non ſit, ex juſtitiæ æquitate, pro peccato ſeu originali, ſeu actuali mortali ſatisfacere nunquam potuiſſe.

In eam ſententiam conſpirant SS. Patres, qui ab unius ſcelere, hanc cœlo Deóque legem ac neceſſitatem impoſitam volunt, ut Deus homo fieret, ſi modò Juſtitiæ ſuæ vellet aliquando factum eſſe ſatis. *Non homo nudus, ſed homo Deus* JESUS-CHRISTUS, *quia nullus alius poterat condignum afferre pretium*, inquit D. Baſilius. In Pſal. 48. Cui conſentit S. Leo Sermone primo de Nativitate: *Niſi eſſet verus Deus, non afferret remedium.*

Quod ipſum natura ratióque ſatis perſuadet. Peccatum enim cùm ſit injuria divinæ & infinitæ Majeſtatis, ab illa ſortitur trahitque malitiam infinitam; cui æqua eſſe non poteſt quæcumque ſatisfactio, quæ à puro homine fluxerit, atque emanarit: hæc enim finita ſit oportet, ideóque nec æqua: finiti enim ad infinitum nulla proportio, inquit Philoſophus.

Eſſe autem peccati malitiam infinitam, vel ex eo cognoſcas, quòd in humanis etiam uſu venire ſolet, ut ex perſonæ dignitate creſcat & augeatur injuriæ gravitas. Ut enim docent vel ipſæ humanæ leges, infligere colaphum æquali, contumelia eſt; ſuperiori, flagitium; magiſtratui, ſcelus; Principi, Regi, perduellionis crimen, & culpa læſæ majeſtatis.

Imò, quod magis mirere, ipſas Regum imagines, muta ſimulacra, ſignáve Regia inſano auſu temerare, luto aſpergere, ſacrilegis manibus deformare, effringere, crimen eſt perduellionis, non eluendum niſi multo ſanguine, vitáque ſuppliciis atrocibus extortâ.

Quòd ſi homines inter, quos ex communi luto, & eadem argilla natura formavit, adeóque in prima origine pares eſſe voluit, diſpares tantùm à fortunæ bonis, ab externis illis opum, dignitatumque phaleris; ſi tamen ea habetur dignitatis & perſonæ ratio, ut in immenſum propè excreſcat, atque augeatur injuria: quid dicemus de immenſa illa, æterna divináque Majeſtate? Certè quæcumque eſt illa dignitas, gratia, majeſtas, quam Regibus aſperſit fortuna, ea futilis eſt, ludrica, ſcenica, umbratilis; & tamen humano ſenſu ab ea tantum momenti ac ponderis accedit: quantum porrò adjicietur ab incomprehenſibili, intermina, infinita majeſtate? Tantum nimirum quantus eſt Deus ipſe, adeoque immenſum, infinitum. quod ut magis in lucem, apertumque evadat, videamus an ei meritum ullum, ulla pœna par eſſe poſſit?

§. II.

§. II.

Nulla pœna par eſſe poteſt vel uni peccato mortali.

FIngite vobis animo (liberæ enim ſunt cogitatiónes noſtræ) unum tantùm in mundo peccatum; delete è memoria peccatum Angelorum, quod in ipſa cœli regia, in Superûm domo, in ipſo quaſi Dei ſino patratum eſt: extirpate peccatum primi Parentis, quod in paradiſo deliciarum ſede perſectum eſt: denique ſcelerum omnium colluviem, quæ ab illo in poſteras omnes ætates effuſa eſt, ſeponite: unum tantùm ſuperſit lethale ſcelus, & illud quidem admiſſum à pauperculo, viliſſimo homuncione, in vaſta & ſecreta ſolitudine, in alta ſpelunca, in denſis tenebris, adulta nocte, ſic ut nullus vel mortalium, vel immortalium ejus conſcius ſit; Deus tantùm & rei conſcientia ſit teſtis. In illud unum oculos animoſque intendite; dico tantam eſſe illius gravitatem, ut nulla pœna ei tollendo par eſſe poſſit. Quòd ſi Deus in illius pœnam diſturbaret cœlum, demoliretur aſtra, effunderet maria, terras diſrumperet, confunderet elementa, omnia ſúſque déque volveret, imò ſi voles, in nihilum verteret omnia; non tamen eſſet par iſti ſceleri ſupplicium.

Dicamus ampliùs: ſi homines Orbe toto vagos, flammâ, ferro, cædibus, ruinis, fulminibus quateret, ſi ipſos Angelos, magnas illas mentes, cœleſtéſque Intelligentias pelleret, exturbaret ſuis ſedibus, denique totum Univerſum confunderet, perderet: tali tamen, tántque miſerabili exitu, & rerum omnium internecione, ſatis ſe ipſe ulciſci non poſſet.

Et ne quis putet hæc potiùs ex elatione quadam orationis, quàm ex veritate dicta eſſe; rationem audiat.

Omnis illa pœna, cædes, ſtrages & ruina Univerſi, finita eſt: at illius vel unici peccati malitia & injuria Deo Opt. Max. illata, infinita. *Finiti autem ad infinitum nulla proportio:* igitur & nulla totius illius pœnæ ad culpam eſſe potuit.

Et hæc una ratio, cur ſentiat Angelicus Doctor, etiam in inferno, in æternis illis cruciatibus ac incendiis elucere aliquid divinæ miſerationis, quæ etſi infelices illas animas æternùm cruciet, cruciat tamen citra meritum, citra condignum: quamvis enim pœna ſit infinita ſecundùm quid, fluxu ſcilicet temporis, & æternitatis infinitæ: eſt tamen (ut loquuntur) ſimpliciter, & in ſe finita. At peccatum lethale quodcumque, in ſe infinitum eſt ſimpliciter; ideóque non tantum punitur, quantum ejus gravitas ac momentum poſtulare videntur: imò, quod mireris, neque ſic puniri poteſt; etiamſi daremus illud, quòd ipſa Dei vindicis potentia ſe totam in ſupplicia & pœnas explicaret: ut enim ita ſeſe aperiat atque diffundat, tamen gehennæ pondus quod ſimpliciter infinitum ſit, irrogare non poteſt.

§. III.

Nullum puræ creaturæ meritum par eſſe poteſt uni peccato mortali.

FAciamus homines orbe Chriſtiano diffuſos, in unum illud facto impetu conſpirare, ut per bona opera huic ſceleri ſatisfaciant.

Ubique locorum indicantur preces, ſolemni pompâ ſupplicationes educantur, jejunia, publicæque flagellationes uſurpentur; ſacrificia antiquo, novo ritu, ſacris aris, Deoque immortali offerantur; in cinere & cilicio dormiat, jaceat ſqualidus & ſepultus Orbis: ne his quidem omnibus divina conquieſcet ira, ſibique factum ſatis Juſtitia fatebitur.

Demus aliquid ampliùs: demus, inquam, Sanctos omnes qui modò vivunt & ſpirant in cœlis, ævo beatiore, in Juſtitiæ lancem ſúmmque, omnem meritorum ſuorum cumulum, pondus omne inferre, immittere, & prodigâ liberalitate effundere.

Demus nobiles illos Martyrum cuneos, invicta Tyrannis agmina, equuleos, cataſtas, rotas, cruces, aliáque patientiæ ſuæ & ſuppliciorum inſtrumenta Superis exhibere; unáque per mille cruciatus, mortes mille, vitam, vitæque pretium, ſanguinem exprimere.

Demus Pontifices ac Præſules (quos id infulâ pedoque claros umquam habuit & vidit Orbis) ſapientiæ ſuæ oſtentare lumina, & gratiæ flumina, quà cœli & univerſi patet area, diffundere.

Demus Confeſſores longævæ patientiæ fructus huic uni ſceleri eluendo prodigere. Demus Virgines caſtitatis ſuæ flores, & innoxia lilia pandere.

Demus denique etiam viduarum lacrymas, profundoſque gemitus, ceu viduatæ turturis murmura, cantúmque cœlis audiri, gratóque concentu reſonare. Ubi hæc omnia in æqui Judicis aures, oculos, mentémque poſuerimus, imparia tamen vel uni peccato eſſe fatebimur; adeò importunum, immane, immenſum eſt peccati pondus, & inſolens gravitas, quâ divinæ Juſtitiæ lancem inclinari & aggravari neceſſum eſt.

Sed agedum, ſi quid amplius ſeu terris ſeu cœlis habes, depromc. Ad eos omnes quos natura homines, gratia Sanctos fecit, accedat tota militia cæleſtis, beata agmina, cœtus Angelici, puriſſimæ illæ ſanctiſſimæque mentes, quos cœlum incolas habet, & ut cives ſuus amat, ac ſuſcipit.

Accedat denique & lucem addat ipſa Dei Mater, auguſta illa ſuperarum ædium Præſes, ſapientiæ thronus, ſanctitatis ſedes, increati Verbi domicilium, & divinorum judiciorum moderatrix & arbitra: accedat, inquam, illa, unáque cum cæleſtibus geniis ſeſe imminenti Juſtitiæ ſiſtat; deponat quidquid actuum, quidquid virtutum, quidquid meritorum fuit à primo vitæ limine ad occaſum uſque, imò & quidquid horum ibit aliquando in totam æternitatem. Hoc omne in unum veluti acervum cogat, détque pro lytro, pretióque vel unius tantùm ſceleris, eritne putas id acceptum æquo Judici? Eritne par illatæ quondam injuriæ? Si ex æquitatis & juſtitiæ lege metiri velis, impar eſſe ut fatearis eſt neceſſe. Atque utinam fatereris; alia ubi mens, alia prorſus conſilia, alia judiciorum tuorum ratio, aliud eſſet conſcientiæ forum: appenderes in ſtatera cordis tui peccati pondus, nec illud adeò leviter & properè in animum admitteres. Sed nimirum hoc ævo verum illud Vatis Regii: Mendaces filii hominum in ſtateris ſuis: alia metiuntur, alia ponderant, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.

PROPOSITIO VI.

Peccatum eſt difformitas cum natura rationali.

MOnſtrum Philoſopho dicitur, & eſt *peccatum naturæ*. Fit illud decrrantis materiæ vitio, ubi ea vel deficit, vel abundat. Ut corpori, ita & animo ſuum eſt monſtrum: fit illud errore lapſúque mentis, à quo in monſtrum deficiunt omnia. Quod paucis dum expono, oculos & animos mihi commoda, & ſenties illud quod antè ſenſit ex antiquis nonnemo: *Peccatum eſſe monſtrum naturæ rationalis.* ab illo patiuntur & errant omnia membra, cor in primis, ac deinde auris, oculus, lingua, manus, pes, reliquúmque corpus omne.

§. I.

§. I.

A peccato cor in lævam declinat.

Eccleſ. c. 10. v. 2. *Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.*

DE ſitu humani cordis, inter ſe diſputant & diſſident Medici ac Philoſophi.

3 De part. animal. c. 4. Ariſtoteles docet cor cæteris animantibus in medio pectore eſſe; homini autem paululùm vergere ad ſiniſtram: redditque ejus rei cauſam, quia homo inter omnia animalis lævam habet frigidiorem: unde neceſſe fuit, ut ei ſubveniretur inclinatione cordis, quod calidiſſimum eſt.

Lib. de part. hum. corp. c. 7. Quam ſententiam amplectitur Fernelius, aitque cor cedere hepati, ne ſi hepatis & cordis calor eòdem conſpiraſſent, dextrum latus plus nimio incaleſceret: pro qua opinione facit & illud, quòd pulſatio cordis infra lævam papillam deprehendatur; quod certè argumento eſt illuc cordis ſubſtantiam propendere.

Lib. 6. de uſu part. c. 7. Contra tamen pugnat Galenus, contenditque cor in medio thoracis ſinu ſecundùm omnes dimenſiones ad æquilibrium ſedem habere; idque anatomicæ artis obſervatione compertum eſſe teſtatur: quod ſi ita eſt, venia danda Ariſtoteli, aliiſque medicis.

Verùm quidni Ariſtoteli & medicis veniam demus, & Sapientem in abdita naturæ divinâ manu & conſilio admiſſum ſequamur, ipſiúſque verba nudè & planè ut ſonant accipiamus? Quid ille? *Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* Quaſi velit è vario cordis ſitu, adverſâque inclinatione, de cujuſque ſapientia vel ſtultitia judicari poſſe. Habet enim natura ſigna quædam Phyſiognomica, quæ variis corporis partibus impreſſit, in quibus cujuſque inclinationem, virtutes, vitiáque inſita legas.

Ita, teſte Philoſopho, animoſi cenſentur, quibus frons magna, terſa, lævis, & facies ſomnolentior, neque intenſo, neque remiſſo obtutu.

Ingenioſi, quibus caro humidior & mollior, neque nimium pinguis; color albus modico rubore ſuffuſus, cutis ſubtilis, capilli non admodum duri, nec valdè nigri.

Moderati & manſueti, qui in motibus & voce aliquantulum tardi, qui oculos habent hilares, neque valdè apertos, neque omninò clauſos, lentè palpebras moventes.

Miſericordes, qui colore albo ſunt & puro, oculis pinguioribus, naribus patulis.

Avari, qui tetricam & rugoſam frontem præ ſe ferunt, & quæ circa faciem ſunt, veluti abraſa habent.

Quòd ſi in omnibus propè partibus, amabili & ingenioſâ varietate natura luſit, abditáſque animi affectiones expreſſit: quidni & in corde, membro principe, vitæ fonte, affectionúmque omnium officina idem quoque feciſſe dicenda ſit? Certè id feciſſe veroſimile credit P. Joannes Pineda in Eccleſiaſten: illum ſi lubet audiamus:

Mihi, inquit, *veroſimillimum fit, quibus cor ſit minùs inclinatum ad lævam, callidiores evadere, magnique ſpiritus, & ad ſubtiliorem contemplationem attentiores: ſed rem ſine gravi auctoritate, quamvis non ſine ratione indicaſſe ſufficiat.*

Hæc ille, modeſtè ut ſolet: ita tamen, ut nec omninò annuere, nec etiam penitus renuere videatur; utrimque ex controverſia eſt alterius fori: interim quamdiu ſub judice lis erit, dicamus quod extra litem eſt, quod in oculis omnium, in orbis luce ac Sole: *Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.*

Eccl. c. 10.

Quî autem id fiat, ab aliis audire te malo, quàm à me ipſo.

Chaldæus de eo ita ſentit: *Cor ſapientum incumbit ad acquirendam legem, quæ data eſt manu dexterâ Dei; & cor ſtulti ad acquirendas facultates auri & argenti.*

Dixit olim Moyſes, & benè: *In dextera ejus ignea lex.* Deuter. 33. v. 2. Eſt dextra ſymbolum amoris, honoris oſtentum & gloriæ: ad eam ſe flectit ſapiens: legem è Dei dextra excipit, in deliciis habet & honoribus. At ſtultus declinat ad ſiniſtram, deviat à lege: neque tamen hîc ſiſtit hæretque cor ſtulti, aberrat longiùs. Hoc enim ſapientem inter & ſtultum diſcrimen eſt, inquit D. Hieronymus, quòd *qui ſapiens eſt ſemper de futuro ſæculo cogitat, quod ducit ad dextram; qui verò inſipiens eſt de præſenti, quod poſitum eſt in ſiniſtrâ.* Et hoc ingens malum; de quo & illud D. Gregorii Taumaturgi pronuntiatum: *Sapiens ad res dexteras & honeſtas ſibi dux eſt: ſtultus autem ad lævas propendet, nec unquam ad res præclaras duce ſtultitiâ utitur.*

Quî enim utatur? Cæcus ſi cæco ducem ſe præſtiterit, ambo in foveam cadunt. Et verò cadit cor duce ſtultitiâ; ut enim Caietanus: *Cor ſapientis tendit ad ea quæ honorabilia ſunt, & vitâ digna; cor autem ſtultorum ad vilia & turpia.*

Ecce devius error, ecce caſus ſtulti, id eſt, peccatoris. Si naturam, ſi Deum audiſſet, ejus animus, mens, ratio, intelligentia, æternitatem bonáque cœleſtia, quæ Deus in dextra locat, proſpicere debuiſſet, iiſque totus incumbere. At aliò vela mentémque flectit, devio pronóque affectu, tempori ſeſe inclinat, præſentibus gaudet, iiſque curas omnes malè fallit: cùm tamen ea Deus ad ſiniſtram abjecerit. An non illud difforme rectæ rationi? An non aliquod monſtri genus, ita à bono, vero, imò & genuino naturæ ſinu cor deflexiſſe? Cor, inquam, quod primum in homine membrum, quod vitæ ſedes, & puriorum ſpirituum officina; à quibus attolli potiùs, & ad dextram erigi debuit, ut non peccati, non mundi, ſed gratiæ Deíque habitaculum eſſet. Et certè etiamnum erit, ſi modò facti pœniteat, ſi ad ſe, Deúmque ſuum revertatur.

Otho quondam Auguſtus & Cæſar in ampliſſimo dominatu lævam dum tenet, Eccleſiæ judicio deponitur: ad dextram ubi rediit, córque in vitia aliquando nimis pronum erexit, cœlo propitio viſus eſt erigi, donarique gratia poſt homines natos inaudita: illam tibi reddo eadem fide, qua accipio à Thoma Walſingham Angliæ Hiſtorico; ita habet: Tho. Walſingham in Ypodigmate Neuſtriæ, p. 461. Miles Anglus, nomine Philippus de Bona-villa, qui ſub Othone multis annis militârat, hæc ſummo animi ſenſu referre ſolitus: Cùm inſtaret Othoni dies ultima, morsque propè in oculis eſſet; unicè petiit ſacro viatico refici: cui voto dum obſtat importuna morbi vis, ſtomachi nauſea, & eructatio; id unum, quod ſupereſſe videbatur, expetiit, ut ſaltem in conclave inferretur ſacrum Chriſti Corpus, quod uſurpare oculis & humili animo, ſi non corpore haurire poſſet. Ita porrò factum ex ejus voto, imò ſupra ſpem & votum: cùm enim ex quodam amoris impetu brachia diduceret, Chriſtum, Simeonis inſtar, amplexaturus, pars ea pectoris, quæ cor obtegit, diduci & aperiri viſa, Hoſtiáque è Sacerdotis manibus elabi, & in apertum patenſque cor, tamquam in paratam ſibi ſedem, involare; ac deinde rurſum abſque ullo cicatricis veſtigio recludi pectus, ut præter Deum ſuum nihil omninò caperet.

Quod amoris divini prodigium ſi verum eſt: facit enim ea miraculi novitas & inſolentia, ut mihi certè vix tuta ſit fides; ſi tamen tuta, animo pœnitenti, cordique ad dextram, id eſt, ad virtutem Deúmque redeunti tribui debet: optarique ut ita ad dextram revolvatur, qui ad ſiniſtram malè deflexit. Sed à corde tranſeamus ad alia membra: nam & ipſa quoque aberrant, atque deficiunt.

§. II.

§. II.

Aures, quæ eſſe debuerant velut anſæ ad virtutem, fiunt præcipites ad malum viæ.

Pſal. 39. v. 7.

Aures perfeciſti mihi.

DE auribus multa dixère ſapientes. Ariſtoteles aiebat, eas eſſe partes in humano corpore longè cariſſimas; ut quæ nobis pulcherrimæ rei (hoc eſt Philoſophiæ) adipiſcendæ inſervirent.

Plutarchus pronuntiabat eas eſſe veluti opportunas anſas ad virtutem capiendam: nimirum per alios ſenſus, ut per aditus patefactos & pervios, vitia ingrediuntur; per aures, quaſi regia & triumphali porta, virtus una ſubit, & in animi conclave delabitur.

Theophraſtus & Xenocrates docebant, auditum & viſum inter omnes ſenſus maximè facere ad ciendos animi motus.

Hujus ea ratio è natura duci poteſt, quòd inter illos ſenſus & humanos animos major aliqua ſit affinitas & conſenſio, quàm cum cæteris: hi enim magis ſunt immerſi corpori, magis abjecti in ſua objecta, quæ ferè non percipiunt niſi propiùs admoveantur: ita tactus, & guſtus in objectum non fertur, niſi illud ipſi ſenſui ſuppoſueris: & ſimilis ferè ratio de odoratu. At verò oculus remotiſſima quæque objecta percipit, & auditus ſonos quantumvis diſtantes excipit, & animo immittit.

Ex illa porrò agendi ac ſentiendi vi, efficacia, celeritate, fit ut auditus & viſus propiùs ad animum accedant: quò autem ſenſus aliquis magis ad animum acceſſerit, eò magis commovet, ac ferit.

Adjici poteſt & alia quædam cognatio ac ſimilitudo aurium cum corde, membro principe, & affectionum maximarum officina: tradit enim Galenus cor humanum habere hinc inde aures, ut verba ſonúſque in intimum penetrale cordis poſſint ſuccedere. Quò pertinet magnifica illa Numinis pollicitatio: *Dabo eis cor, & intelligent, aures, & audient.* Neque enim ab homine quæritur ea vis audiendi quæ cum belluis eſt communis, quæ ſonos excipit: ea quippe aurium tantùm eſt. Alia cordis ut ſit oportet, quæ ad ſalutem virtutémque pertineat.

Baruch c. 2. v. 31.

De ea ſibi gratulatus olim Meſſias apud Regium Vatem: *Aures*, inquiebat, *perfeciſti mihi.*

Pſal. 39. v. 7.

Sed quas, amabo, aures? Capitiſne? An cordis? Non equidem illas intelligi credo, quæ tenui pellicula, duriore cartilagine hinc inde caput exornant, & flexibilibus mæandris ſummo artificio compoſitis bombos ad tympanum cerebrúmque vehunt; non eas inquam intelligo: nec verò intelligi voluit ipſe Meſſias; ſed eas maximè quæ cordis eſſent, & ad quas divinæ voces ſoníque pervenirent.

Ad hujus rei illuſtrationem longè ſignificantiùs in Hebræo dicitur, *Aures fodiſti mihi.* Excavaſti, ô magne genitor, meas aures ad excipiendam vocem tuam, ad legem, monitúſque ſalutares audiendos. Patent mihi tuo beneficio promptæ mentis illi aditus, quibus ad animum cana veritas, obedientiáque delabitur.

D. Hieron. in verſ.

Altè omninò fodiſti, perforaſti tornata illa aurium vaſa, quæ ad intimum cordis ſinum pertinent, ubi *legem tuam* poſui. Ita nimirum cum Meſſia factum olim, & ita nobiſcum fieri oportuit. Perfectæ, imò & perforatæ aures eſſe debuerant, ut effluerct quidquid lubricum, impurum, noxium erat; influeret autem quidquid ad ſalutem utile, purum, cœleſte foret. Ad hoc certè fictæ & efformatæ videntur aures, quarum fabrica etiam muta voce docet, quid ab illis primùm emitti, quid deinde immitti debeat.

Hippocrates libro de Aëre & aqua, & Nyſſenus libro de viribus animæ, ſcribunt auribus aſperſas eſſe venulas aliquas, quæ ſi ſecentur ſterileſcit homo, & inſolentis libidinis impetus aut valdè coërcetur, aut etiam penitùs extinguitur. Quod naturæ, hoc virtuti puto concedendum: admovenda eſt auribus medica manus, reſecanda, reſcindenda colloquia quæ Venerem ſonant, & aliud quidvis à bona mente, à Chriſtiano homine diſſonum: adhibenda verò, ut ait Tertullianus, *vera ornamenta aurium, Dei voces.* quæ ſi non ſufficiant ut ab iis arceatur omnis mali contagio, adjicienda ſunt opportuna aurium munimenta, quæ ſonos impudicos, ſeu hoſtem appellentem ad animæ portas, amoveant.

Cap. 4.
Cap. 19.
Tertull. in ſcorpiac. c. 8.

Benè olim cavit, benè juvenili teneræque ætati proſpexit Xenocrates, ubi ſtatuit, ut pueris, ut adoleſcentibus ſua eſſent aurium munimenta, quæ Græci vocabunt, ἀμφωτίδας.

Meliùs Sapiens, qui contra ea omnia, quæ perperàm dicuntur, quæ ſtultè, impiè, obſcœnè, flagitiosè jactantur, objiciendam eſſe cenſuit *Aurem zeli*, quæ ea velut indignabunda reſpueret.

Denique optimè omnium Eccleſiaſticus, qui monuit, *aures ſepiendas eſſe ſpinis.* Per quas innuere mihi videtur, morum ſeveritatem, & magnam animi conſtantiam, bonam cuſtodem honeſtatis.

Cap. 28. v. 19.

Sed, proh dolor! ea qua jactamur ætate, & abjecta aurium ornamenta, & diruta penitus munimenta, ſepes extirpatæ, ut liberior hoſti pateat ingreſſus.

Pars hominum novarum rerum appetentior intenta eſt ad rumuſculos excipiendos; diceres animum curioſum avidúmque ſciendi jam in auribus domicilium poſuiſſe: & hi tamen etſi non boni, non tamen etiam omnino mali.

Pejores alii, per quorum ora in alienas aures mendacia volitant, jactantur convitia, quæ bonam aliorum famam nomenque lacerent. Magna eſt hujus mali libido, & quædam veluti maledicentiæ prurigo, quæ ita hominum mentes invaſit, ut etiam qui ab aliis vitiis receſſerint, in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidant: non inciderent autem, ſi non reperirentur qui aures rerum infandarum narratiunculis commodarent.

Plutarchus eleganter ait, eos eſſe conſimiles portis urbium, quæ nefaſtæ & abominandæ vulgò habebantur, quòd per eas educerentur qui à carnifice necandi erant, aut ad piacula inducendi. Ita nefaſtæ & abominandæ aures illæ, per quas intrat calumnia, ut carnifex alienæ vitæ, honoris inquam & famæ, quæ vita ipſa potior eſt. Nefaſtæ iterum portæ, per quas eunt redeúntque plauſtra obſcœna inverecundæ mentis, & linguæ impudoratæ ſcurrilia verba, quæ maligna perditáque ſordium colluvione & loquentium, & audientium animos inficiant: non inficerent porrò, neque contaminarent, niſi ea eſſet aurium impunita licentia, ea libido audiendi, quæ proloqui magnum & immane eſt nefas.

Plutarch. de curioſitate.

Inter ritus ſacráſque cæremonias, quibus olim ſummus Sacerdos inaugurari ſolitus erat, ſeverè obſervatum illud, ut extrema ejus auricula ſanguine tingeretur.

Levit. c. 8. v. 23.

Cujus ritus alia atque alia ratio ab Auctoribus afferri ſolet; hæc ad inſtitutum noſtrum. Peccati ſymbolum erat ſanguis: eo dum ſummi Pontificis illinuntur aures, jubentur ad omnia populi peccata undique colligenda eſſe promptiſſimæ, ſempérque patentes & arrectæ: quod Sacerdotalis officii fuit ac miſerationis: dum enim nullum latet & fugit ſcelus, nulla quoque ei diluendo deeſſe poteſt medicina; quod, ut dixi, paternæ curæ eſt ac ſollicitudinis. At illud profligatæ mentis, & in omne vitium abjectæ,

abjectæ, quòd etiamnum mortalium aures noxio inficiantur ſanguine, quòd in eas admittant, & colligant genus omne ſcelerum, non ut illa emendent ac diluant, verùm ut iis ſeſe in dies magis ac magis polluant atque contaminent.

Ex natura tamen, & ex virtute ſecus omninò fieri oportuit; ideò enim homini datus eſt ille ſenſus aurium, ut accommodatus eſſet ad percipienda in primis illa, quæ ad ſalutem & vitam ſempiternam facerent; ut ad cœli ſonitum intentus eſſet, & Dei loquentis oracula cupidiſſimè exciperet. Ut finem illum, à quo ſuo vitio deflexit, aſſequatur, rogandus eſt potens ille ab Evangelio medicus, ut rurſum magna voce inclamet, ingeminet fortunatum illud *Ephphetha, Adaperire.* quòd ſi ad illam vocem, divinum tonitru necdum recludantur pateantque aures; opus erit ut indulgens ægro medicus, ut miſericors JESUS in eas digitum immittat, ut per divinum Verbi contactum vis audiendi ab omni ſorde, omni obice libera, & expedita reddatur.

§. III.

Oculus, qui à natura animæ vigil & cuſtos eſſe debuit, à peccato fit inſolens illius prædo.

Thren. c. 3. v. 51.

Oculus meus deprædatus eſt animam meam.

IN oculis ingenioſa videri potuit naturæ ſolertia: eos abdidit in oſſea cranii cavitate, fronte exporrecta, procurrente naſo, prominentibus genis, velut quatuor propugnaculis defendit: eos vallavit ciliis ac ſuperciliis, & palpebris velut duplici porta clauſit: loco commodo, & eminentiori corporis parte velut arce, & ſpecula erexit, ut eſſent fideles internuntii, & quaſi ſpeculatores, qui hoſtem advententem etiam de longè proſpicerent; monerentque ut tutum eſſet animus quod in ſua ſtatione miles. At ſecus omninò accidit: illi ipſi oculi, aberrantis non dico naturæ, ſed culpæ vitio, facti ſunt tamquam prædones, primique hoſtem admiſerunt; quem excludere, imò & propulſare debuiſſent.

Propert. *Si neſcis oculi ſunt in amore duces.*

Senec. *Irritamenta ſunt, ducesq; ſcelerum.*

lib. de Remediis fort. maximè verò libidinis. ut indubitatum ſit illud Virgilii:

Eclog. 8. *Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!*

Vidiſſe, multis erraſſe fuit, imò & periiſſe. Exempla ſi voles, ea tibi ſuggeret omnis ætas & ſexus omnis.

Animo recurre ad ipſas naſcentis Univerſi cunas: eæ tibi dabunt Evam generis noſtri parentem. Quid in illa potuit liberior oculorum conjectus? Vidit illa pomum vetitum, *quòd eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile* Quid deinde? Tulit, comedit, periit, & ab uno orbe oculorum, Orbem hunc univerſum in ruinam traxit. Cum ea dialogum inſtituit è filiis unus, iſque melleus Bernardus, juſtáſque generis ſui querelas, quamquam ſeriùs, deponit: illum audiamus:

Quid Eva, inquit, *quid tuam mortem tam intenti intueris? Quid ſpectare libet quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum: non eſt interdictum ne videam, ſed ne comedam* Verum illud quidem: ſed cave: *etſi enim culpa non eſt, culpa tamen occaſio eſt. Latenter in cor tuum ſerpens illabitur: auget curam, dum incitas gulam. acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem: offert prohibitum, & aufert conceſſum. Porrigit pomum, & ſurripit paradiſum.*

Bernard. de grad. humilit.

Hactenus cum Eva Bernardus, cum matre filius; ex quo intelligis, quàm facilis à ſenſu ad conſenſum vis, quàm præceps lapſus: ex quo poſteros rectè monet Divus Hieronymus:

Hieronym. in cap. 6. Thren.

Hinc, inquit, *penſandum eſt, quanto debemus moderamine erga illicita viſum reſtringere nos, qui mortaliter vivimus, ſi & mater viventium per oculos ad mortem venit.* Nec enim illa ſola venit; ſed & eoſdem oculorum laqueos in poſteras ætates emiſit. Unius adhuc fœminæ periculum è Scripturis peto.

Geneſ. 34. v. 1.

Dina filia Liæ puellari ducta curioſitate, *egreſſa eſt, ut videret mulieres regionis illius.* Vidit, & periit: rapta enim eſt, & ſtuprum paſſa: ita verum illud Tertulliani: *Publicatio virginis, ſtupri paſſio eſt.*

Eam ſeverè perſtringit D. Bernardus.

Bernard. ſuprà.

O Dina, inquit, *quid neceſſe eſt, ut videas mulieres alienigenas? Qua neceſſitate? Qua utilitate? An ſola curioſitate? Etſi tu otioſè vides, ſed non otioſè videris. Tu curioſè ſpectas, ſed curioſius ſpectaris. Quis crederet tunc illam tuam curioſam otioſitatem, vel otioſam curioſitatem, fore poſt ſic non otioſam, ſed tibi, tuis hoſtibusq; tam pernicioſam?*

Fuit enimverò pernicioſa. Tibi primùm, quæ vitium paſſa. Tuis, quorum nomini ea inuſta labes. Hoſtibus, qui fratrum tuorum ferro perierunt. Ecce quæ ab oculo malo, quæ ſtrages, quæ funera.

Sed iſta, inquies, fœminarum pericula ſunt: imbelle & fœmineum genus oculis capi, ac teneri poteſt; virilis & martia propago his ſeſe jaculis facilius expedit. Ne illud tibi nimiùm credulus perſuade; ſed Ambroſium audi: exhibebit ille Heroas magnos, de quibus tamen prædas egit oculus curioſus & nequam.

Apolog. 2. Dav. c. 6.

Sampſon, inquit, *validus & fortis leonem ſuffocavit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit: vincula ſolvit hoſtium, ſed ſuarum non ſolvit nexus cupiditatum. Meſſes incendit alienas, & unius ipſe mulieris accenſus igniculo meſſem ſua virtutis amiſit. Salomon templum Deo condidit: ſed utinam corporis ſui templum ipſe ſervaſſet.*

Hactenus Ambroſius, qui funeſtos eorum caſus nervoſa, ut ſolet, oratione perſequitur: quibus ex Auguſtino adde & Davidem, diſceque quomodo oculi etiam eminus jaculentur, & feriant: ita de illo habet: *De longè vidit David illam, in qua captus eſt. Mulier longe, libido propè. Alibi erat, quod videret, in illo, unde caderet.*

In tit. Pſal. 50.

Ab hujus exemplo caſúque benè doctus exclamat è pulpito Chryſoſtomus: *Audiant curioſi, audiant qui ſpectaculis inſaniunt theatralibus. David talis ac tantus læſus eſt: & tu te putas non poſſe lædi? Et ille quidem non vidit meretricem, ſed honeſtam fœminam in ſolario domus ſuæ: tu autem in theatro, ubi tanta ſunt corruptela, tanta præcipitia. Quomodo poſſum tibi credere, quòd a talibus beſtiis vulneratus non ſis? Numquid lapideus es, aut ferreus? Igni collocaris, & non ardebis?* Hæc aureo torrente evolvit Chryſoſtomus, ut oſtendat quanta vis ſit in oculis etiam ad convellendos Heroum animos. Ejus roboris probè conſcius Propheta Job, ſe vel ex eo tantùm omnis criminis ſuſpicione liberat, quòd cor oculos ſecutum non eſſet, ut ferè aliàs ſolet. *Si ſecutum eſt*, inquiebat, *oculos meos cor meum.* Septuaginta vertunt: *Si oculo obſecutum eſt cor meum.* Hebræi, *Si abiit cor meum poſt oculos.* Sequitur ergo, obſequitur, & abit cor poſt oculos; contra omninò ac fieri debuit: cor enim cùm ſit in homine princeps membrum, primum vivens, & ultimum moriens, non debet ſequi nec abire poſt oculos; ſed ex adverſo ipſe oculus ſequi debet, obſequi, & abire poſt cordis motus ac nictationes: & hoc quidem ſi ſanus eſſet animus, ſi ratio domina; at ubi ſenſus, ubi libido regnat & dominatur, ſurſque deque vertuntur omnia: & hoc eſt primum malum, quòd abit cor hominis poſt oculos.

Job. c. 31. v. 7.

Accedit

Accedit & alterum, quòd unà cum oculo cordéque abeat omne robur animi, vis omnis, & virtutum nervus emarceſcat. teſtem habeo ſponſam in Canticis: *Averte*, inquit, *oculos tuas à me, quia ipſi me avolare fecerunt.* Hebræi vertunt, *quia ipſi abſtulerunt robur meum.* nec adeò mirum, cùm ipſos oculos abſtulerint, & in oculis ſit omne robur. (Cant. c. 5.)

Si Plinio credimus, leoni animalium fortiſſimo vis omnis, omne robur eſt in oculis: quòd ſi obnubantur vel eruantur, remittuntur vires, labat omne robur, penitúſque frangitur. Hinc natura duce, & occulto quodam ſenſu, ſi leoni pugnandum ſit, ſi in hoſtem, in ferrum, in denſa agmina ruendum, oculos terræ defigit, & pronus apprimit, ne ſi fortè tollantur in altum, aliquod in eos telum incurrat. (Plin. l. 8. c. 16)

Si ab animantibus in hominem aliquid derivare liceat, facilè dixero hominis robur, caſtitatis nervos & ſpiritus in oculis reſidere; idróque leonis inſtar oculus ſervet, & communi omnium matri, id eſt, terræ affigat, qui caſtus eſſe volet.

Ita quondam doctus eſt S. Ephrem. Ex eremo pergebat in urbem, ea mente ac conſilio, ut ſibi de via occurreret unus aliquis, à quo bonæ mentis præcepta diſceret. Occurrit autem meretricula; quæ dum explicata fronte, fixíſque oculis eum intuetur, vir ſanctus ſtupenti & ſubirato ſimilis: Quid me, inquit, intueris? Cui meretricula: Quid mirum ſi ego te intuear, cùm mulier ex viro facta ſit; tu verò in matrem tuam, id eſt, terram, ex qua plaſmatus es, oculos defige. Hæc tamquam oraculum è cœlo miſſum excepit vir ſanctus: eúmque deinceps oculis legem impoſuit, ne liberiùs effluerent, ne in fœminæ cujuſquam vultus & ora deflecterent.

Ita ſibi ab oculis cavit pius Eremita, & caverunt alii, quòd audiſſent illud Chriſti: *Mors intrat per feneſtras.* Feneſtræ mentis ſunt oculi, per quos furtivè ſubingrediuntur latrunculi, ipſáque mors malorum meta.

Hinc eos vel à natura, vel ab aliquo morbi vitio ſibi ereptos gratulantur è Sanctis quamplurimi. Ne omnes conſecter, unus erit inſtar omnium, iſque Beatus Petrus Abbas Clarevallenſis; qui cùm ex morbo alterum oculorum amiſiſſet, rogatus an iniquo ferret animo? Reſpondit: Unum de inimicis evaſi, & plus à reſiduo, quàm à perdito formido. Quídni enim formidaret, qui ex Prophetæ oraculo didicerat illud: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Hebraicè *alel*, *vindemiavit*. Ut vineam prædo ita diripit, vaſtat, abſumit, ut ne racemum, ne uvæ reliquias ſupereſſe patiatur: ſic oculus meus apertæ & patentis animæ malus prædo, omnem ejus ſuccum, ſpiritum omnem, vires omnes abſumpſit: nec abſumpſit tantùm; ſed, ut Symmachus vertit: *Oculus meus demerſit animam meam.* (Thren. c. 3.)

A natura, à virtute, ab aura cœleſti emergebat illa, ſuperóſque ſpectabat: at ubi ſceleris ideas admiſit, ubi cupidinis imaginem oculis hauſit: tum immenſa peccati mole obruta & demerſa. quia, ut ait Divus Gregorius, *concupiſcendo viſibilia, inviſibiles virtutes amiſit; interiorem fructum per exteriorem uſum perdidit, & per oculos corporis pertulit prædam cordis.* (D. Gregor. lib. 21. Mor. c. 2.)

Ne & tu eamdem prædam patiaris, vide ſis ſublimi & erecto animo: non terris adrepas, aut iis amores implices: ſed liber in cœlum evola, cœlos ſuſpice, téque ipſe laqueis omnibus expedi. Et verò expedies: *Fruſtrà* enim *jacitur rete ante oculos pennatorum.*

Quòd ſi fortè hactenus minùs pennatus fuiſti, ſi oculo malè captus; unde vulnus accepiſti, inde medelam pete: da oculis tuis fontem lacrymarum, ut unde mors fluxit, refluat & vita.

Et certè natura Deúſque oculos humentes, & multo fonte lacrymiſque perennes eſſe voluit; ut ſi quæ ab illis labes, ſi quæ macula manaſſet ad animum, ea lacrymarum imbre ac fluentis elui detergíque poſſet: quod ipſum agnovit Seneca. *Ingenti*, ait, *prudentia poſuit Deus in oculis viſum, & fletum; ut qui delictum committunt videndo, pœnas exalvant plorando.*

Ubi porrò exolverint, tum iis ita proſpice, ut ſint vigiles & fidi cuſtodes animæ: ſint (ut inquiebat olim Pythagoras) *portæ Solis*, quæ non admittant niſi lucem ignémque divini amoris. Non ſint *oculi ſtultorum*, qui, ut ait Sapiens, ſunt *in finibus terræ*: hoc eſt, vagi, & qui vix umquam ſint apud ſe, ſoria ſemper, huc & illuc ſeſe temerè & inconſideratè conjicientes; contrà quàm exigit natura, & pretioſum illius artificium, de quo S. Chryſologus aureâ ſandi copiâ: *Dei eſt*, inquit, *quòd oculus in orbem ſic apertus arctatur anguſtiſſimus in pupillam, quatenus moderatè viſum videat, non invideat; proſpiciat, non deſpiciat. Oculus ſit animæ feneſtra, ſpeculum ſit mentis, ſit lumen corporis, membrorum dux ſit, non introitus vitiorum.* (Laert. lib. 8.) (Prov. 17. v. 24.) (Chryſol. Ser. 119.)

§. IV.

Lingua, quæ Deï organum eſſe debuit, fit inſtrumentum omnium vitiorum.

Factus eſt homo in animam viventem. Gen. c. 2. v. 7.
Lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis. Iacob. Epiſt. c. 3 v. 6.

OS in vultu, & totius corporis ſcena, pars eſt una omnium maximè conſpicua, & in hominibus veneranda, quæ nuntia eſt animi, & arcanæ voluntatis interpres. Quid enim aliud eſt os hominis, inquit Ambroſius, *niſi quoddam ſermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis?* (L. 6 Hexamer. c. 9.)

Adytum eſt, & velut auguſtum quoddam delubrum, in quo lingua, ut illuſtre Numinis donarium conſecrata eſt; adytum, inquam, è quo procedant voces, imò & tonitrua: hæc ad terrendos impios, incumbentium pœnarum gravitate; illæ ad pios inflammandos vehementi quadam cœleſtium bonorum cupiditate: adytum dico, è quo divina promantur oracula, altúmque reſonent Dei ſuperûmque laudes, ac præconia. *Per os* enim, ut bellè, ac ſapienter dixit Philo Hebræus ex Platone, *mortalia intrant, exeunt immortalia.* Quod verum eſt quàm maximè, ſi os & lingua ex naturæ gratiæque lege duci ſe, ac regi patiatur. A natura enim *factus eſt homo in animam viventem*; ſeu potiùs, ut Chaldæus habet, *in ſpiritum loquentem.* Nec enim vita hominem à bellua diſcernit, ſed locutio: illa quippe communis eſt, hæc propria ac ſingularis. Quod ipſum obſervavit Tertullianus: *Accepiſti*, inquit, *homo os ad vorandum, atque potandum; cur non potiùs ad loquendum, ut à cæteris animalibus diſtes? Cur non potiùs ad prædicandum Deum, ut etiam hominibus antiſtes?* (Philo de Opif. mundi.) (Lib. de Reſurrect. carnis, c. 61.)

Ut autem probet Tertullianus hominem inter & belluam illud eſſe diſcrimen, exemplum petit ab Adamo, qui priùs in vocem os aperuit, linguam expedivit, quam in paſtum abjecit. *Adam*, inquit, *antè nomina animalibus enuntiavit, quàm de arbore decerpſit: antè etiam prophetavit, quàm voravit:* priùs enim erupit in illud oraculum: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, quàm os audax & impudens vetitæ arbori admovit: hoc belluinum fuit; humanum illud, imò propè divinum. Os quippe & lingua, ſi gratiæ ductum ſequatur, *organum eſt canorum, & ſuaviſſimum*, inquit Iſidorus Peluſiota. (Gen. 2. v. 23.)

Lib 1. epiſt. ſu8. *Organum eſt divinum, quod à præclaro artifice, hoc eſt, à Spiritu ſancto, ad cæleſtem harmoniam accommodetur & pulſatur*, ut ait D. Gregorius Nazianzenus. Orat 2. p. 146 *Fiſtula* eſt *aqua viva, & vena fontis æterni*, ut teſtatur D. Paulinus. Epiſt ad S Auguſt. *Calamus* eſt Spiritus ſancti *velociter ſcribentis*, ut canit Regius Vates: quia, ut rectè explicat D. Baſilius, *lingua juſti cordibus credentium verba inſcribit vitæ æternæ; tincta quidem non atramento, ſed Spiritu Dei viventis.*

Ea fuit lingua parvuli Samuëlis de quo hoc Scripturæ elogium: 1. Reg. c. 3 v. 19. *Crevit Samuël, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* nec enim de terra, terrenisve rebus loquebatur Samuël; ſed quæ de cœlo hauſerat, ex ore, tamquam è cella penuaria, depromebat. Itaque verba nulla cadebant in terram, ſed omnia in cœlum ſuperóſque orbes aſſurgebant.

Ea fuit lingua magni Joannis Baptiſtæ, in quem Iſa. 49. v. 2 illud Iſaiæ: *Poſuit os meum quaſi gladium acutum, poſuit me ſicut ſagittam electam.* Sagitta planè electa, & divinior quædam haſta Pelias, cujus vulnus amor eſt, ſalus & medicina.

Ea quoque fuit lingua D. Auguſtini, de qua illud S. Paulin. ep. ad Aug. D. Paulini teſtimonium: *Vere tuum fiſtulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni, mer tò dixerim.*

Ea etiam fuit S. Honorati Epiſcopi, de quo Hilarius Arelatenſis in funebri oratione protulit illud dignum infulâ pedóque paſtorali: *Numquam in tuo ore niſi pax, niſi caſtitas, niſi pietas, niſi caritas: numquam in corde, niſi horum omnium fons Chriſtus habitavit.*

D Hieron. epiſt. 99. Ea denique debet eſſe lingua devotæ mentis; *Canticum*, ut inquit D. Hieronymus, *canticum Pſalmi, ſermo Evangelium, deliciæ continentia.*

Sed, ô grande hominis malum! ô præpoſteræ cogitationes! ô auſus impudentes! lingua quæ divinioris ſapientiæ nuntia, amoris interpres, virtutum promptuarium, Spiritus ſancti organum eſſe debuit; in ignem, in flammas evadit, quibus omnis virtutum ſeges quantumvis magno labore parta conſumatur: fit lrunculus, fit ſerpens, qui alienam famam maledico dente carpat: fit lena & conciliatrix peccatorum; fit ſepulchrum patens, quod non evomat niſi ex infami cloaca vitiorum omnium fœtorem & graveolentiam: fit (ut uno verbo complectar omnia) univerſitas iniquitatis.

Prov. 16. v. 27. Linguam ignem eſſe probat Sapiens: *Vir impius*, inquit, *fodit malum, & in labiis ejus ignis ardeſcit.* Quod clariùs expreſſit D. Jacobus, ubi verbo uno Cap 3. v. 6. dixit, *Lingua ignis eſt*; qui niſi extinguatur, ſenſim adlambendo Orbem univerſum corripere poteſt, ac perdere; & verò propè perdidit Arii lingua, de qua Hieronym. in c. 3 ad Galat. D. Hieronymus: *Arius in Alexandria parva ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſus eſt, totum Orbem flamma ejus eſt populata.* Ita Lutheri Calviníque lingua ſcintilla fuit: Ab hac Gallia, ab illa Germania tota exarſit, ardétque modò inteſtinis diſcordiis: quidni enim ardeat ab illo, cui mavors eſt, non dico ventoſa in lingua, ſed hæretica, ſed maledica.

Prov. 30. v. 14. *Eſt generatio*, inquit Sapiens, *quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.*

Quæ ſit illa generatio ſi quæris? Ea hæreticorum eſt, ea ſi voles omnium maledicentium; qui dente & lingua pugnant, rodunt, lamant: ut non immeritò Hebræis lingua dicatur *Laſcon*, id eſt, leunculus: ut enim leo animalium fortiſſimus; ita ſævus eſt quàm maximè: ſic linguæ morſus & acutiſſimus eſt & ſæviſſimus: ideóque appoſitè cenſuit & pronuntiavit D. Jacobus, Jacob. Epiſt. c. 3 v. 7. 8. *quòd omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt. eſt enim inquietum malum, & plena veneno mortifero.* quo enim alio ſucco plena ſit?

Eſt lingua veneni ſedes, & mali toxici mala apotheca. Dicuntur animalia venenoſa in veſica ſubtus linguam omne venenum abdidiſſe, quæ veſica diſrumpitur cùm mordent, & mordendo venenum effundunt: quò alluſiſſe videtur naturæ peritus indagator Vates, cùm dixit: *Linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Pſal. 13. v. 3.

Appoſitè Propheta, doloſæ mordacisque linguæ vitium componit cum veneno aſpidum: tum quia magna vis in aſpide, magnáque veneni ſubtilitas; tum quia vulnus immedicabile, quod ab eo corpori Lib 9. de Animal. cap. 20. infigitur: tradit enim Ælianus, ejus animalis veſtigia & indicia morſus tam obſcura ignotáque eſſe, ut vix acri oculorum acie deprehendantur, eò quòd venenum ejus peracutum ſit, & mira quadam celeritate ad interiora pervadat.

Et hoc à maledicâ lingua vitium eſt: tacito primùm furtivóque lapſu ſeſe in audientium aures animóſque inſinuat; tum deinde noxia verba, maledicas voces & bono nomini adverſas ſpargit, vulnúſque infert immedicabile: vix enim quod bonæ famæ aliquando abſtuleris reddere potes: tantum ab illa damni illatum eſt, ut meritò dixerit D. Bernardus: Serm. de cuſtodia linguæ. *Lingua modicum eſt membrum; ſed niſi caveas, magnum malum.* Quantum porrò ſit illud, quàm varium, quàm lubricum & exitiabile, facili, ut ſolet, dicendi copiâ explicat idem Bernardus, ratione petita ab ipſa nominis etymologia, cujus vim inſignémque malitiam in eo ponit, quòd lingat & liget. De interiori domo. c. 30. *Lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo. Ligat, & ligari non poteſt: labilis eſt, & teneri non poteſt; ſed labitur, & fallitur: labitur ut anguilla, penetrat ut ſagitta: tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, ſeminat diſcordias, uno ictu multos percutit & interficit: blanda eſt & ſubdola, lata & parata ad exhauriendа bona, & miſcenda mala.*

Hactenus Bernardus de innumeris linguæ vitiis, à quibus meritò audiit *Univerſitas iniquitatis*: tum quia D. Jacob. ep. c. 3. v. 8. & iniquitates omnes complectitur, iiſque replet Univerſum; tum quia ex vero dici poteſt Univerſitas, id eſt, Academia iniquitatis, in qua & à qua de ſingulis vitiis ſua lectio habeatur, ut in Academiis ſua de ſingulis artibus ac ſcientiis prælegi ſolet.

Verùm ut ita ſit, à lingua proponi genus omne vitiorum, duo tamen ſunt, quæ in ejus ſchola magiſterium, & palmam obtinent, videlicet maledicentia, & gula: de illa hactenus mihi dixiſſe videor: de hac etiam ſubjiciamus pauca, videamúſque qui in Epicuri, in linguæ & gulæ ſchola primas veluti ſedes occupârint.

Non abibo à Lutheri Calviníque diſciplina, ſed ab ea diſcipulos, imò magiſtros in hac arte mutuabor; & primum Lutherum ipſum producam, ut maledicentiæ, ita gulæ anteſignanum: tum deinde è Calvini diſcipulis unum notabo.

Lutherus epoto poculo catechiſtico, quod mirum quantum capax erat, diſtenta jam cute, humente lingua, nutante cerebro; ad vinum non dico diſertus & loquax, ſed impudenter maledicus; ita linguam explicare in Doctores Catholicos, ita eos petulanti ſcommate impetere: Auguſtinus, inquiebat, floriduli ingenii, ſed minimè ſolidi; Hieronymus ſtupidi: Gregorius pinguis monachus; Ambroſius hiſtrio; Thomas Aquinas craſſum & ſtolidum caput. Ubi hos Eccleſiæ Doctores ita per ſummam injuriam fœdè depinxit, tum altiore cothurno, magiſque effræni lingua etiam Sapientis nomen ſcriptáque dilacerat: Salomon, inquit, in Eccleſiaſte, & Proverbiis infans eſt equitans in arundine longa ſine ocreis & calcaribus, ſicut ego cùm eram in monaſterio.

Hæc audi, lege, perpende, tecúmque diſcute, quiſquis illius eſſe vis aſſecla, & malè doctus in ejus ſchola diſcipulus: in qua prima lectio erit maledi-

centiæ;

Graſſus in lo doctrina curioſo, l. 2. ſeit. 2. centiæ; gulæ erit altera: hanc tibi præter Lutherum explicabit Buchananus in Calvini lycæo creatus Doctor.

Jacebat ille gravi oppreſſus morbo, in extremis labris propè errabat anima, caligabant oculi, vox tantùm non defecerat; eam tamen ut potuit collegit, & in amicorum aures hæc ſparſit: Agite, amici, & vini modium ad lectuli caput deponite; ut ſi haurire non liceat, liceat ſaltem ejus odore recreari: obſtructæ quidem fauces vinum non capiunt, non tranſmittunt; at patentes narium meatus, illius ſaltem odorem ad cerebrum deferent. Hæc ferè ille; cui non abſimilia dixit & fecit Caſtalion, & ipſe Calvini diſcipulus, malique corvi malum ovum.

Hic inter menſas & pocula Scripturis impiè abuti ſolitus: priùs enim quàm vinum guſtaret, rogabat: *Tu quis es?* Quaſi vino ſua vox, ſua lingua foret: non erat tamen, niſi eam eſſe diaeria Caſtalionis. Ubi guſtarat; ſi tenue vinum eſſet, ſi parum ſaperet, reſpondebat ipſe: *Ego ſum qui ſum.* ſin autem generoſum & optimum, tum addebat: *Hic eſt filius Dei*; neſcio ridiculéne magis, an impiè.

Eum ipſe morem non ſolus & ſine arbitris tenuit; ſed & cum aliis ſuæ farinæ hominibus uſurpavit. Cum iis ad ſex omninò horas menſis incumbebat; & ne blaſphemis vocibus vacuum eſſet epulum, alia Scripturæ verba in menſam & fercula inferre, imò & contorquere ſolebat. Aiebat enim: *In principio* (ſcilicet prandii) *non erat verbum*; quia cujuſque mens, animus & lingua ita guſtando vertendóque cibo diſtenta, ut vel uni verbo non ſufficeret.

At in medio epulo ingerebat illud: *Exiit ſermo inter fratres.* Ubi enim à vino jam occeperat madere ac rubere lingua, & omnem ingenuæ mentis ruborem excutiebat, & in ſermones inſulſos, inſanos, impios exibat.

Denique in extremo convivio, cùm jam uda mens in vini ſtagno natabat, cùm in eo abſorbebatur lingua; tum effari blaſphemum illud, ſpiritu non apoſtolico, ſed apoſtatico. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* tantus enim, & tam effuſus erat clamor, ut ab illo reſonaret gemerétque & ipſum terræ elementum, imò & Orbis univerſus: adeò illi inaudita, & gravis accidit vox hæretica, vox impia, vox, quæ ex vero ignis fuit, & univerſitas iniquitatis: quam nec ſine ſtomacho audire potuit ipſe Beza, qui in præfatione ſua novi Teſtamenti eum ſacrilegum appellat. Quidni enim ſacrilegum, imò & atheum appellet, cui pro Deo venter & Bacchus fuit?

Certè Bacchum variis orationibus interpellare conſueverat, eáſque uno metro claudere. Audierat Eccleſiam preces omnes ſuas his finire vocibus: *Per omnia ſæcula ſæculorum*; cujus moris impiè æmulus, ſuas ad Bacchum orationes hac precandi formula concludebat: *Per omnia pocula poculorum.* Amabat nimirum infamis belluo per omnia vagari pocula, delibare omnia, vacuare omnia; credo & moriens iis mergi: ut olim Georgius Clarentiæ Comes, qui ob ſuſpicionem affectati regni ab Eduardo quarto Angliæ Rege juſſus mori, optione facta de genere mortis, vino malvarico ſeu cretenſi ſuffocari elegit. quid enim potiùs? Cui bonum fuit in Baccho vivere, & bonum erit in Baccho mori, imò & ſepeliri; ut quondam illa vetula, de qua Ariſtophanes, quæ vini potúſque amantior, ultimis tabulis ſtatuit, ut corpus ſuum humaretur in cella vinaria, ſub vaſis epiſtomio, ut vino inde defluente oſſa arida & exſucca rigarentur. Ei Poëta nobilis hoc epitaphium appendit:

Hæc mea, quicunque es qui tranſis, buſta viator,
Buſta precor fuſis humida redde cadis.
Sparge merum cineri, lateantur ut oſſa ſepultæ;
Ipſa etiam urgetur (quis putet?) umbra ſiti.

Eâdem urgeri potuit & umbra Caſtalionis, qui & ab immodico vino mergi, & in eo ſepeliri, & ab eo etiam exanime cadaver madere, & irrigari voluiſſet; maximè areſcentem linguam, cui juſto Dei judicio in æternis illis ignibus negabitur vel una aquæ gutta, ut olim Epuloni negata.

Verùm abeamus ab his naturæ prodigiis & vitiorum monſtris: ſunt Epicuri de grege porci, quibus anima eſt pro ſale ne putreſcant. Alia certè eſſe debuerat & anima & lingua: illa divinas laudes concipere; hæc exprimere. Sed eſt illud ingens à peccato malum, quo non ſolùm à Deo, ſed etiam ab ipſa natura deficiunt atque degenerant alia corporis membra, ut etiam ex ſequentibus oſtendetur.

§. V.

Peccato inſcribitur manus, quæ Domino inſcribi debuit.

In corde iniquitates operamini: in terra injuſtitias manus veſtræ concinnant. Pſalm. 57. v. 3.

QUod in oculis vitium fuit, hoc & in manibus. Si ſponſo benè monenti ſponſa parere voluiſſet, fuiſſent illi *manus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*, quos liberali & explicatâ effunderet manu; non avarâ & contractâ retineret: fuiſſent illi manus *plenæ tharſis*, id eſt, paupertate, quæ dum nihil retinet, dum omnia in pauperes erogat, ſibi theſauros facit in cœlo; & faceret, ſi rationem audiret: at ita per fas nefáſque auro cumulando, & opibus incubat, ut & aliena rapiat, & arcas ſuas injuſto pondere fatiget; adeò verum illud Davidis: *In corde iniquitates operamini: in terra injuſtitias manus veſtra concinnant.* Pſal. 57. v. 3.

Neque tantùm injuſtitias concinnant & nectunt pertinaci & perenni peccatorum ſerie; ſed & ſanguinem fundunt, vitámque ferro exprimunt; *Manus veſtra*, inquiebat Iſaias, *polluta ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate.* Cap. 59 v. 3. Illæ, inquam, manus, quæ puræ & innoxiæ in cœlum tolli debuerant, *quæ ſcribi Domino*, & antiquo pióque ritu, quo ſacro Dei nomine notari, ſignari ſolitæ manus; per ſummam Dei Creatoris injuriam alienas à ſcelere notas admittunt, & adulterina ſigna: quod quàm grave, quàm diſſonum & difforme rectæ rationi, quàm portentoſum ſit, ſentient aliquando, ubi eos tetigerit & oppreſſerit Dei manus. Juvat audire, quid è luto, è pulvere, è ſterquilinio ſuo, ceu doloris ſede ac pulpito, loquatur patientiſſimus Jobus. Amicos ille languidulâ & ſemimortuâ voce compellat: *Miſeremini*, inquit, *mei*, *miſeremini mei*, *ſaltem vos amici mei*, *quia manus Domini tetigit me.* Cap. 19 v. 21. Si Domini manu vel ſolùm tangi adeò durum & acerbum fuit; quàm atrox erit & immane eâ percuti & opprimi? Certè ille ipſe dum eâ percutitur, & vapulat, quaſi dolore victus ingeminat illud, quod bonis auribus duriuſculè accidere potuit: *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tua adverſaris mihi.* Cap. 30 v. 21.

Si Jobo crudelis, immiſericors, dura, adverſa videri potuit Dei manus; quæ tandem ea peccatori videbitur? Erat Jobus umbra tantùm, ſimulacrum inane, & velut typus aliquis peccatoris; & quia is erat, in eum divina deſævit ira; eum tangere, percutere, ei adverſari potuit Deus in duritia manus ſuæ: adeò ei inviſum eſt peccatum, ut ne illius quidem umbram ferre poſſit. Et qui ſcelus ipſum feret? Qui ſceleſta capita? Enimverò non feret niſi ad pœnam & immane ſupplicium. Tua volo tempora, tuas clades, infelix & ſacrilege Baltazar: cùm auſu impio in templum involaſſes, cùm ſacrilegâ manu vaſa diripuiſſes, intuliſſes in menſas, profanóque vino meruiſſes: *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie* Daniel c. 5.

parietis

parietis aulæ Regiæ : & Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis.

Ab illa manu, illo Dei vindicis oſtento, quis ſibi animus? Quod conſilium fuit? Audio, pergit, & eloquitur vates: *Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem colliſdebantur.*

Eos in animo Regio motus, eos æſtus cogitationum, eos horroris ac doloris impetus excitare potuit vel una manus, quæ tres tantùm voculas parieti inſcripſit: *Mane, Thecel, Phares.*

Verſ 26. *Mane: numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud.*

Verſ 27. *Thecel: appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.*

Verſ 28. *Phares: diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.*

Quæ olim impio Baltazari ſcripſit, quos typos excudit manus; eoſdem tibi excudet aliquando ni reſipis. Non eſt illi data longa dies, longum & ſerum pœnitentiæ tempus: *Eadem* quippe *nocte interfectus eſt.* (Verſ 30.) Tibi benignius cœlum, indulgentior Deus longa dat pœnitendi tempora; illis benè utere, & alios typos tibi notabit miſericors Dei manus.

§. VI.

A peccato deviat & errat pes hominis.

Pſal 35. v. 12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.*

QUòd ſi à manibus delabar ad pedes, ſi veſtigia peccatoris & greſſum errantem ſequar; pes ejus, qui ſtare debuit in via recta, hæret, ceſpitat, labitur in obliquis peccati ſemitis: ad libidinem, ad cædes, ad ſcelus omne velox, & Euro pernicior decurrit. Ea nimirum eſt humani pedis, id eſt, affectus in malum inclinatio; quam ut ſuis limitibus ſiſteret Sapiens benè monuit: *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram: averte pedem tuum à malo. Vias enim, quæ à dextris ſunt, novit Dominus: perverſa verò ſunt quæ à ſiniſtris ſunt.* (Prov. c. 4. v. 27.)

Eſt virtus in medio ſita: medio tutiſſimus ibis; ſi declinaveris, errabis. Ut enim D. Gregorius Nazianzenus: *Eſt quod dextri ſpeciem habeat, cùm reverà dextrum non ſit. Ne magnoperè juſtus ſis, nec ſupra modum ſapiens. Par enim juſtitia & ſapientia affert detrimentum; ac is hac circa actionem animi affectio, virtutis nomen per exceſſum amittens: hanc enim defectus, & exceſſus peræquè labefactat: non ſecus ac regulam additio aliqua, aut ſubſtractio. Nemo igitur ſapientior ſit quàm conveniat, nec lege exactior, nec luce ſplendidior, nec amuſſi rectior, neque præcepto divino ſublimior.*

Hæc D. Gregorius: ut doceret anxias, difficiles, lubricas eſſe hujus vitæ vias, cautéque in iis figendum pedem, ne vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram declinet. Ad hanc declinat pes ſuperbiæ, quem à ſe removeri multis precibus enixè poſtulabat Propheta: (Pſal 35.) *Non veniat*, inquit, ô Deus! non veniat *mihi pes ſuperbiæ.* Benè ait, *pes ſuperbiæ*; non pedes: ſuperbo enim pes unicus. Ideóque ſicut diu conſiſtere non poteſt qui unico tantùm ſtat pede, eóque totam incumbentis corporis molem ſuſtinet; ita etiam nec diu ſtare poteſt ſuperbus peccator: nutabit ille, dubiúmque librabit corpus, ac tandem præceps in ruinam dabit. Et hoc quidem errore vel unius noxæ mortalis, à qua in monſtrum degenerant omnia propè membra, dum ab ipſo naturæ ſenſu, & rationis inclinatione recedunt. Ne ita degenerent, ne ita recedant, animos Sapienti concede; te non ut diſcipulum ſeverè, ſed ut filium amicè compellat, ut à peccatoribus avertat: (Prov. 1. v. 15.) *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum currunt ad malum, & feſtinant ut effundant ſanguinem*, non alienum tantùm; ſed, quod mireris, etiam ſuum. *Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas.* (Verſ. 18.) Ecce quæ malorum monſtra, quæ portenta pariat peccatum, quod eſt monſtrum naturæ rationalis.

Dies & civitas peccati.

EX innumeris, quæ produci poterant de Idea ſeu imagine peccati tum vetere, tum etiam nova, nonnulla in lucem eduxi: pergo paucis oſtendere, quis illi oriatur & ſurgat dies, & cujus accola ſit civitatis. Dies ipſa lucem dabit, è qua peccatum accuratiùs noſſe poteris: & ex civitate genium ejus, & innatam quaſi indolem agnoſces.

Ex cœli enim aſpectu, & ſoli naturâ, neſcio quid ad indolem & animum affundi ſolet. Ita, quia Thebis craſſum & pingue cœlum, craſſi & pingues Thebani: & quia Athenis tenue, acuti Athenienſes; teſte Martiali:

Tibi cor limante Minervâ
Acrius: & tenues finxerunt pectus Athenæ.

Ex hoc Poëtæ, & aliis Philoſophorum placitis, tacitóque naturæ ſenſu, etiam in Leges ipſas & Codicem effluxit illud quod Ulpianus habet: Eos qui mancipia vendunt, nationem cujuſque in venditione pronuntiare debere: præſumi enim quoſdam ſervos frugi eſſe & modeſtos, quòd nationis ſint, ut ipſe ait, non infamatæ: quoſdam malos & improbos, quòd ab ea natione veniant quæ ſit infamis; nec immeritò: ut enim luculenter in Digeſtis ponitur: *Eſt præceptum juris gentium, ut patriæ pareamus.* Ex quo Bartolus ſuum illud pronuntiatum hauſit: *De jure præſumi quemque ejus eſſe affectionis, cujus eſt patria.* (D. de Ædil. L. Quod ſi. § qui mancipia.) (D. de Juſtit. & Jure. L. ut vim.)

Quibus addo Hippocratis ſuper ea re judicium: *Formas*, inquit, *hominum atque mores ſimillimos eſſe, pererq; naturæ regionis comperies.* Cùm ergò ex me audieris, quæ ſit peccati regio, quæ civitas; de ejus genio tibi facilis erit conjectura: præſumes enim cum Ulpiano, peccati ſervum non eſſe frugi, non eſſe bonæ famæ, cùm ejus regio ſit infamata, ſit malæ famæ, mali nominis.

Dies peccati.

DIem amas, infelix anima, & noctem fugis: declinas occiduos Soles, & auroram aſpectas. At nec diem nec Solem orientem amabis, ſi modò noveris quis tibi, quàm infauſtus & malè ominatus exurgat dies.

PROPOSITIO I.

Dies inanis & vacua.

Duobus annis regnavit ſuper Iſraël. 1. Reg. c. 13. v. 1.

Notum fac mihi Domine finem meum. Et numerum dierum meorum quis eſt. Pſ. 38. v. 5.

Cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Pſ. 89. v. 5.

Non invenio opera tua plena coram Deo meo. Apoc. 3. v. 2.

DIcitur olim Philoſophus aliquis de natura queri ſolitus, quòd animantibus brutis longum feciſſet ævum, vitámque produxiſſet in ſæcula; homini verò, animantium principi, adeò brevem vitæ terminum metámque poſuiſſet.

Ego tamen neque de natura queri, neque eam incuſare velim: longa vita fuit, quæ bona fuit; & diu vixit, qui benè vixit. Sapientem appello: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa*: quoniam *ætas ſenectutis eſt vita immaculata.* Sapient. c. 4.

Non

Non eſt illa dicenda ſenectus, quæ menſibus, annis, & ſæculo ſi voles adrepit; ſed illa quæ virtute, quæ rebus benè geſtis comparatur. Senectus eſt maturitas ætatis, animi, virtutis: eam qui aſſequitur, etſi uno die tantùm vixerit, ſenex moritur: ſecus autem qui à virtute aberrat, qui vitam omnem in vitiis agit, etſi centum, & mille numeret annos, non ideò tamen ſenex eſt: ſed ut puer vixit, ita & morietur: puer, inquam, non ex humana, ſed ex
Cap. 65. divina ſupputandi ratione. Audi Iſaiam de hoc ipſo vaticinantem: *Puer*, inquit, *centum annorum morietur.* Quomodo, inquies, puer, ſi centum annorum? Ex Solis Lunæque curſu, centum exegit annos, eóque ſenex eſt: at quia brevis, anguſtus vitæ curſus, quia meritis vacuus, quia pueriles amores moréſque non exuit, quia reculis capitur, in iiſque tenitur totus; puer eſt, & puer centum annorum moritur.

Ita mortuus infelix Saül in purpura ſceptróque, de quo illud Scripturæ pronuntiatum: *Duobus annis regnavit ſuper Iſrael.* Si ex vitæ annorúmque lapſu Saülis regnum æſtimare & metiri velis, viginti regnavit annis; at ſi ex virtute & merito, duobus tantùm. In hominum faſtis legiſſes annos viginti; at in Dei tabulis duos tantùm vidiſſes.

Ex quo primùm illud conficio, in cœlo non ſcribi, non numerari impiorum annos, ſed juſtorum tantùm: quod inſinuant ſacræ Paginæ: Ubi de horum vita & annis mentio incidit, eos accuratè re-
Pſalm. 36. cenſet: *Novit* quippe *Dominus dies immaculatorum.* Ita novit, ita cenſuit, Adami, Abelis, Sethi, Abrahami, Iſaaci, Jacobi: ſed impiorum annos, ut Caini, Lamechi, Iſmaelis, Eſau, Abſalonis, & aliorum dies & annos non ſupputavit; quia ut longævi fuerint, inanes fuerunt & vani; ideóque perinde ha-
Pſal. 89. v. 1. bentur ac ſi non fuiſſent: ſicut ea *quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

Et hinc factum credo, ut viri ſancti non putarint ineundam eſſe rationem iſtorum annorum quos aliquando in ſæculo & peccatis exegiſſent.

Annoſus & pius ſenex Barlaam adierat Principem Joſaphat, ut cum eo de ſalute, de Religione, de Deo ageret. Quæſivit ex eo Princeps, quot eſſet annorum? Reſpondit ſenex: Quinque ſupra quadraginta.

Hic primùm ſubridere & mirari adoleſcens; tum deinde. Aliud, inquit, loquitur veneranda illa canities, & ſparſæ capiti niveæ: aliud clamat rugoſa facies, frons contracta, quæ & animi ſeneſcentis & annorum janua eſſe ſolet: illam ſi aſpecto, ſeptuagenario major es; vel certè me fallunt rugæ, frons, oculi, vultus ipſe mentitur.

Tum Principi Barlaam: Nec falleris, inquit, animoſe Princeps, nec mea te fallit ætas: ſeptuaginta annos exceſſi, ſed ex iis quadraginta quinque, quibus Deo vixi, cenſeo; alios omninò non computo: quos enim mundo dediſti, non ſunt anni vitæ, ſed mortis; non ii ſunt pleni dies, ſed vacui.

Ii fuerunt olim Epiſcopi Sardicenſis, ad quem D.
Apoc. c. 3. Joannes: *Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es; Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.*

Ii fuerunt dies Baltazaris: dum ille diem mero frangit, dum menſis incubat, dum multo ſe Baccho diluit & mergit, hanc cœlo Judice ſententiam legit:
Daniel c. 5. v. 27. *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.* Nimirum ille dies, qui in luxu, poculis, & ſacrilega manu totus effluxit, non fuit plenus, ſed inanis & vacuus; eóque appenſus in ſtatera, inventus eſt minus habens.

Et dies annique noſtri aliquando appendentur in eadem divinæ Juſtitiæ ſtatera: ſi pleni fuerint, benè
Geneſ. c. 25. habet, moriemur ut Abraham, ut juſti omnes, *in ſenectute bona, plenúſque dierum.*

Hoc fuit votum Prophetæ Regii, ut non excederet hac mortali vitâ, niſi plenus dierum: *Ne revoces me*, inquit, *in dimidio dierum meorum.*

Hoc votum, hæ preces, & mixtæ lacrymis querelæ Ezechiæ Regis: *Ego dixi. In dimidio dierum meo-* Iſaiæ c. 38. *rum vadam ad portas inferi.*

Et hoc debet eſſe votum noſtrum, hæc cura, hic unus labor, ut non excedamus in dimidio dierum noſtrorum; ſed in fine, ſed pleni dierum, ut in nos cadat illud Pſalmiſtæ: *Dies pleni invenientur in eis.* Pſal. 72.
Plenus dierum moritur, inquit D. Gregorius, *qui per* Gregor.
hæc tranſeuntia tempora, id quod non tranſit operatur. in Pſal 72.

Quantum bonæ menti ſolatium, in extrema brevis ævi periodo, inter vitæ mortiſque confinia, relegere poſſe omnes anteactæ vitæ dies, & eos à virtute, meritis gratiáque plenos emetiri? Quantum dico ſolatium, ſi nulla vitæ dies inanis fluxit & vacua.

Jactat Antiquitas illud Imperatoris Titi, qui ſub cœnam cùm memor eſſet, ſe nemini eo die feciſſe benè, amicam illam, auream omnique memoriâ dignam edebat vocem: *Amici diem perdidi.* Amicos ille ſibi parabat in terris, nos in cœlis.

Quòd ſi vel una dies abeat, nec amicum nobis faciamus è ſuperis unum aliquem, diem perdidimus.

Venditat ætas avita & illud Apellis: *Hodie lineam non duxi.* Cùm fortè propter incurrentes curas, & importunas amicorum ſalutationes, adeò ab officina & tabella fuiſſet avulſus, ut lineam non duxiſſet; diem ſibi periiſſe credebat: & ne periret omninò, ab amicis & curis ſeſe expediebat vel hac unâ tantùm voculâ, *Hodie lineam non duxi.*

Hinc in vulgus, in parœmiam tranſiit illud:

Nulla dies abeat quin linea ducta ſuperſit.

Pingebat Apelles tempori; nos æternitati. Pingebat fallacibus ſeu hominum, ſeu avium ocellulis: nos perſpicaci divinæ mentis oculo pingimus. Pingebat ille in levi tabella, colore labili & fluxo, rudi & indocto penicillo, operámque omnem perituro tandem operi credebat: nos aliâ tabellâ ludimus, alium ducimus colorem & penicillum. Vita nobis eſt tabella, color virtus aut vitium, penicillus eſt ipſa mens & cogitatio: eo colore vitam omnem imbuamus, qui longè perſtet æternitati.

Ita pinxit ille qui cecinit: *Notum fac mihi Domine* Pſal 38.
finem meum. Et numerum dierum meorum qui eſt. Numerum, inquit Auguſtinus, *qui eſt: quid ergo? Iſte numerus in quo tu es non eſt? Planè ſi attendam benè, non eſt: ſi hæream, quaſi eſt: ſi tranſiliam, non eſt. quæro numerum dierum, qui eſt: non iſtum, qui non eſt. Eſt illud ſimplex quæro, eſt verum quæro, eſt germanum quæro, eſt quod eſt in illa Ieruſalem ſponſa Domini mei, ubi non erit mors, non erit defectus, non erit dies tranſiens, ſed manens. Hunc, inquam, numerum dierum meorum qui eſt, notum mihi fac, ut ſciam quid deſit mihi: hoc enim mihi deeſt, hic laboranti; & quamdiu mihi deeſt, non me dico perfectum.*

Ut aliquando perfecti ſimus, quæramus & ipſi numerum dierum, qui eſt. Numerus dierum hujus ævi vitæque mortalis non eſt. Numerus dierum peccati non eſt: ſuus uni virtuti numerus, ſuus beatæ Æternitati. Ita ſubducamus calculos, ita à nobis ipſi rationem exigamus, ut & finem noſtrum, & numerum dierum, qui eſt, aſſequamur.

PROPOSITIO II.
Dies anonyma, dies abjecta.

Accidit autem quadam die. Geneſ. c. 39. v. 11.

Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. Iob. c. 3. v. 2.

INnocens Joſeph fratrum invidiâ venditus in ſervum ceſſerat Eunucho Pharaonis, in cujus oculis & ani-

& animo eam invenerat gratiam, ut omnis ei domus crederetur. Sed, ô grande malum procax fœmina! dum rei domeſticæ vacat, venit ſæpiùs in oculos dominæ ſuæ; nec in oculos tantùm, ſed etiam in amores cæcámque libidinem, à qua præceps in tori conſortium, in cupidinis æſtum vocatur.

Renuit Joſeph, nefáſque dicit hoc malum facere, & peccare in Deum ſuum. Non tamen hic acquieſcit mulier, non hîc ſopitur malum, aut extinguitur impuri amoris æſtus; ſed accenditur & exardeſcit magis, atque in dies ſingulos fomitem libidinis, meretricit illecebras verbáque admovet, & ingeminat pudendum illud, *Dormi mecum*. Prima adulteræ (Ambroſ. l. de Joſe. c. 5.) oculorum tela ſunt; ſecunda verborum.

Adulterinus ſermo juvenculæ, nodus adoleſcentium eſt: verba adoleſcentis vincula ſunt amoris: vidit hunc ignem Joſeph, quando illum adulteriis cupida mulier allocuta eſt: voluit eam capere ſermone, miſit laqueos labiorum ſuorum, ſed pudicum virum ligare non potuit: ſolvit enim (Ambroſ. de pœnit. l. 1. c. 13.) *vincula mulieris vox pudoris, ſermo gravitatis, habena cautelæ, fides cuſtodiæ, caſtimoniæ diſciplina. Capere eum igitur retibus ſuis impudica non potuit: miſit manum & apprehendit veſtem ejus, ut nodum ſtringeret. Verba petulantis mulieris retia ſunt: manus ejus amoris nodus eſt: ſed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo: excuſſa veſtis, ſolutus eſt nodus.* Hactenus D. Ambroſius de Joſephi fuga & caſtitate; quam ut tueretur adverſus efferatam unius mulieris impudentiam, (Ambroſ. lib. 1 epiſt. ep. 44.) veſtem exuit, *ut exueret amictum humanitatis, indumentum pudoris.*

Accidit autem illud, *quadam die*. Quæ ſit illa quæris? Dies peccati, dies abjecta, anonyma; cui in toto Solis æviterni curſu non erit nomen: hoc enim ſonat dies quædam. Ubi hominem aliquem abjectæ ac proſtitutæ ſortis dicimus, communi appellatione hominem quemdam vocitamus, id eſt, hominem leviculum, hominem nihili, quem Roma- (Lib. 1.) nus Orator nugas vocat ad Quintum fratrem, *Nugas*, inquit, *maximas omni mea comitate ſum com-* (Lib. 6.) *plexus.* Et ad Atticum, *Nugas meras amicos habet*, id eſt, meros nugatores, & nullius momenti homines. Ita, ut diſcedam à profanis, Sophonias Propheta peccatores nugas vocat, quia homines terunii & ni- (Cap. 3. v. 18.) hili: *Nugas*, ait, *qui à lege receſſerant, congregabo.* Quòd ſi peccatores ea vero appellantur nugæ, hoc eſt, vani, leves, abjecti; & peccati dies dici poteſt ac debet dies nugarum, dies quædam, id eſt, anonyma, abjecta è dierum numero, è cœli Soliſque orbita, è faſtis æternitatis eradenda. Ut eam feriat (Cap. 3.) illa Jobi maledictio: *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.*

(Hom. 9. ad monachos.) *Solemus*, inquiebat Euſebius, *annos noſtros & temporum ſpatia, quibus vivimus, ſupputare. Non te fallat, quicumque ille eſt numerus dierum quos hic relicto corporaliter ſæculo conſumpſiſti: illum tantùm diem vixiſſe te computa, in quo voluntates tuas abnegaſti, in quo malis deſideriis reſtitiſti, quem ſine ulla regulæ tranſgreſſione duxiſti. Illum diem vixiſſe te computa, quem non malitia, non invidia, non ſuperbia commaculavit; qui peccato non ceſſit, qui diabolo repugnavit. Illum diem vixiſſe te computa, qui pietatis & ſanctæ meditationis habet lucem: illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cujus uſus pervenit ad animam.* Hæc ille.

Ex quo habes diem illum, qui corpori, qui vitæ mortali luſit, qui ſceleri ſervit, in dierum numero reponendum non eſſe, niſi & ille bonæ menti luxerit ac æternitati.

Unde plurimum errant mortalium plerique, qui fugacis ævi vitæque amantiores, omne lucis hujus ſpatium ex Solis Lunæque curſu metiuntur; non ex virtute & rebus benè geſtis: quod tamen ex vero bonóque oportuit.

PROPOSITIO III.

Dies caliginis & tenebrarum.

Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine. Obſcurent eum tenebræ & umbra mortis; occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat. (Iob. c. 3. v. 4.)

HÆc olim in diem ſibi natalem jactavit Propheta, excitatus inſolito doloris æſtu; cui venia danda: erat enim acerba & damnanda dies, quæ è primo vitæ carcere, in eam ærumnarum ac dolorum metam emiſerat.

Sed quid amabo congeſſiſſet in illam diem, quæ concepit dolorem, & peperit iniquitatem? Quo doloris impetu, quo irarum æſtu, quo turbine, quo fulmine orationis in eam incurriſſet? En certè, quem aures, quem animus ipſe non caperet: alius enim eſt, & longè quàm alius naturæ, alius peccati fœtus. Si ab aliqua calamitate corporiſque pœna incuſatur, damnatur natura, eique perit illa dies: incuſari, damnari, perire debuit & iſta, cujus fœtus erit vel unica peccati labes. In eam hoc primum à Jobo telum emittitur: *Dies ille vertatur in tenebras.*

Jam inde à mundi cunis alterna fuit gratáque dierum ac noctium viciſſitudo; & quam Orbi caliginem nox affudit, effundit ac diſſipat Sol oriens, & primos amœnæ lucis radios. Ea nimirum eſt poſita naturæ lex, ea dici noctiſque vices; ſed aliæ peccati leges, alia pacta. Ei nulla erit divinæ lucis uſura, amœnitas nulla, nulla diei gratiæque viciſſitudo, nullæ Solis, id eſt, amoris æterni vices alterníque ortus; ſed conſtans & æternus occaſus, atra caligo, funeſtæ tenebræ, triſtis umbra, & fœdæ noctis horror. Nempe peccati diem *obſcurant tenebræ, & umbra mortis: occupat eum caligo, & involvitur amaritudine*, immenſáque triſtitiæ nube obruitur: eam parit & affert lacera à peccato conſcientia, irati judicis horror, pœnæque imminentes. Ab his inviſa lux omnis, dies omnis amara: quod enim oculo, hoc & animis evenire ſolet.

Si quis amaro ſit corde, ei lux omnis injucunda, infeſta, adverſa; cujus è Phyſicæ placitis, è naturæ hæc ratio: Quòd in triſtitiæ & mœrentis animi nube, è cordis afflicti officina emittantur ſpiritus quidam craſſi, tetri, obſcuri ad cerebrum; qui deinde dum in oculos defluunt, eos ita debilitant & offuſcant, ut obtenebrari, nigreſcere, nocteſcere, imò turbari, & ſuſque deque verti videantur omnia. Sic ubi in mentis ſinum evaſerint craſſiuſculi, pingues, terrei, luteique ſpiritus; carnis, inquam, illecebræ, mundi lenocinia; tum oculos occupat una ſceleris caligo, involvit ſalutis oblivio, & fatiſcentis animi amarities: quam miris modis augent turbines, venti, tempeſtates, fulmina, faceſque irati Numinis: ut illi nocti ad ſtuporem, metum, horrorem deeſſe videatur nihil.

In terris certè marive nihil horribilius quàm ubi ad obſcuram noctis faciem graveſque tenebras acceſſerit vis ingens tempeſtatis, & emiſſi de nube flammarum globi: ut enim canit Poëta:

Tum ſubitò Luna conditur, ſtellæ cadunt,
In aſtra pontus tollitur, & cœlum perit,
Nec una nox eſt, denſa tenebras obruit
Caligo, & omni luce ſubductâ, fretum,
Cœlumq; miſcet.

Si hac naturæ caligine noctéque tegi te fortè contigerit, ſi audire mugientes euros, & tonantes diſrupto æthere cœlos; expalleſcis totus: & tamen (qui ſtupor eſt inſenſatæ mentis) peccati caliginem, noctem,

noctem, umbram æternæ mortis non perhorreſcis. Nimirum plus corpori timetur, quàm animo; & in illius periculis oculatus, auritus, timidus & benè providus eſt quiſque: at huic cæcus, ſurdus, audax, temerarius, prodigus: ſcilicet animo parum proſpicitur, parum timetur; cùm tamen ei quàm maximè conſulere, timere oporteat: quid enim intereſt, terráne an mari, turbine an flammâ pereat, ſi tandem aliquando pereundum eſt? At animo multum intereſt: ei enim periiſſe æternum eſt.

PROPOSITIO IV.
Dies mali Dæmonis.

Geneſ. c. 39. v. 11. *Accidit autem quadam die.*

QUæcumque ſceleri ſervit, in ſcelere teritur & fluit dies: non eſt ea Solis hujus, aut Dei; ſed infernæ ſtygis & mali dæmonis.

Ea fuit, quæ caſtos Joſephi oculos animoſque vidit, probavit, amavit; luxit autem, damnavit, odio habuit lenones oculos & impuros heræ amores: quibus quàm citiſſimè potuit, occidere geſtiit, ne tantæ perfidiæ videretur illuxiſſe.

Quæ ſit illa noſſe ſi voles? Audies è Scripturis: *Accidit autem quadam die.* Dies fuit quædam, atra fuit, nigróque ſignanda lapillo: fuit malo dæmoni mancipata. De ea D. Baſilius Seleuc. oratione 8. ita habet: *Mulieris inſidias adjuvans diabolus, ſolitudinem hominum per dæmonis feſtivitatem invexit: accidit, inquit, quadam die.*

Erant in Ægypto dies aliqui malo genio devoti, ii ſcilicet qui idolis feſtivi, & impio ritu coli ſoliti: ad eos confluebat Ægyptus omnis: hinc in plateis, in ædibus minor frequentia, & propè ſolitudo.

Eam ſceleri ſuo ac libidini ſervire poſſe credidit impura mulier, diem ab arbitris vacuam, diem malo dæmoni mancipatam. Nimirum eam eſſe oportuit, quæ peccato, quæ inſanâ illâ libidine notari, & infici debuit: quia verò ejuſmodi fuit ea dies, ſuavi Dei providentiâ factum credo, ut eam Scriptura tacuerit, & involverit hac loquendi formâ, *Dies quadam.*

Nec enim ipſe Sol, aſpectabilis orbis oculus, diei parens & temporum arbiter, eam ſibi aſcribi, aut à ſe nominari voluit; nec ipſa Luna, Solis amans, præſeſque noctis, eam inter ſuos menſes faſtoſque referri voluit: nec demùm ipſe Deus, qui dixit

Geneſ. c. 1. olim, *Fiat Lux, Et facta eſt. Et vidit lucem quòd eſſet bona: & diviſit lucem à tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem* Deus, inquam, cui bona lux, bonus olim arriſit dies, nomenque in prima orbis molitione accepit, peccati diem innominatum eſſe voluit; ideoque dixit, *Die quadam.* Nimirum maligna, fuſca, lurida, averſa omnino peccati lux, nec à cœlo Soleque, nec à Deo, nec ab hominum faſtis nomen inveniet. Illud, ſi voles, ab inferis, ab infami ſtyge, à malo dæmone mutuabitur; imò nec ab illo mutuabitur, ſed ſemper audiet, *Dies quadam.* Adeò eam omnes fugiunt, horrent, execrantur, ut nemo unus vel è ſuperis vel ex inferis ſit, qui ei nomen famamque faciat. Etſi enim reipſa ſuam eſſe velit, faciatque malus genius; eam tamen ſuo nomine ſignari, & in poſteros efferri non patitur: ſed communi quadam, tritâ & abjectâ appellatione, ut ſit & dicatur, dies quædam.

Nemo illi proprium nomen faciet, niſi tu ipſe peccator feceris: à te uno nomen accipiet, & proferet in æternitatem.

Vide an ei nomen indere velis, cui nec volunt inferi ipſique ſtygii tenebriones?

Civitas peccati.

AUdiſti, quis tibi, & quàm adverſa luce conſurgat dies: modò primùm accipe, quæ ſit peccati ſedes, quæ civitas; tum deinde jurène, an injuſtâ ejus incola & civis eſſe velis.

PROPOSITIO I.
Civitas Caini.

Ædificavit civitatem, vocavitque nomen Geneſ. 4.
ejus ex nomine filii ſui Henoch. v. 17.

AFuſo innòxii Abelis ſanguine, *egreſſus Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra.* Hebraicè legitur, in terra *Nod*, id eſt, fluctuante, contremiſcente: ſi enim Rabbinis credimus, quamcumque inviſus Cain calcaret terram, ea ſub pedibus moveri; fluctuare, contremiſcere videbatur. Diceres imparem eſſe tanto ponderi, nec impoſitam peccati molem ſuſtinere poſſe, ſed ſub ea gemere, ac fatiſcere. verſ. 16.

Quamquam, ut ingenuè dicam quod ſentio, non is terræ ſenſus fuit ac motus; at ſceleratæ perditæque mentis, cui ſolum omne concuti ac ſubſidere videbatur.

Nimirum impiæ mentis oculo id uſu venire ſolet, quod oculo corporis. Ubi ille de navi proſpectat litora, conſitaſque in iis arbores; eas moveri ac defluere credit: errat tamen, & nimium quantum errat: ſua ſede figitur littus, & adjacentes ſylvæ ſuis hærent affixæ radicibus: unus ipſe movetur oculus, & perenni aquæ navisque fluxu axem mutat: & hinc oculi luminiſque error eſt. Neque porrò minor eſt animi: ubi fertur ille ſeu adverſo, ſeu etiam ſecundo, ſi voles, paſſionum flumine; axem continuò mutat & centrum: & hinc omnia mutari, nutare, commoveri videntur. Hoc vitium eſt impiæ mentis, quæ ubi à Deo, ceu axe, ceu centro ſuo ſemel abiit, vagâ quâdam libidine, perenni fluxu, & ſibi conſtante ſemper inconſtantiâ labitur, & per omnia nutat.

Ita nutavit infelix Cain: ab illâ vagæ & ſceleratæ mentis inconſtantiâ factum, ut nullibi locorum conſiſteret; ſed dubius & profugus continuò mutaret ſedes, familiámque totam circumduceret. Et hæc incerta vivendi ratio tenuit annos centum, eóque ampliùs. Cùm tandem anno orbis conditi 150. viſum eſt aliquo loco conſiſtere: quod ut conſequeretur, ædificavit Cain civitatem, quam ex nomine filii ſui Henoch Henochiam vocavit: eſt autem Henoch Hebraicè, dedicatio, à quo Henochia dicta, id eſt, ſedes dedicationis. Fuit autem ea condita in Aſſyria, ut Genebrardus; in Libano monte, ut Joannes Annius.

Ratio conditæ civitatis, alia atque alia fuit.

Prima, quòd ipſe Cain totáque ejus progenies, Adamo parenti exoſa foret, & ſeverè interdictum aliis Adæ filiis ne cum Caino ejúſque poſteris vel conſilia miſcerent, vel haberent commercia, vel matrimonia necterent: quæ ſecreta vivendi ratio tenuit ferè uſque ad tempora diluvii; cùm tandem poſteri Seth, boni parentis immemores, à prima vitæ diſciplina & morum ſanctitate longiùs elapſi in ſcelera, cœperunt inire conjugia cum filiabus Cain: & inde prima mali labes. Cùm enim filiæ Cain à virtute, à Deo ſuo defeciſſent, & in omnia ſcelera vagámque libidinem præcipites irent, etiam maritos ſuos eò deduxerunt: tantum intereſt quis cui jungatur; & ſi qua voles aptè nubere, nube pari: non genere tantùm, ſed animo, ſed virtute.

Alia cauſa moliendæ civitatis hæc fuit, ut eò cogerent quæ ipſi per vim & latrocinia coëgiſſent.

Primis annis omnia communia: & hinc orbi erat alta pax. A Caino ejúſque filiis diviſus Orbis in partes & hæreditates venit. Cain enim omnium primus, limites agris poſuit, excogitavit pondera, menſuras, & Orbe induxit duas illas voculas, *meum*, & *tuum*: à quibus illicò ſublata pax omnis, inductæ litea, contentiones, bella, cædes, ſtrages Univerſi: ſub qua etiam hodie gemimus.

Mirum certè, hæc terra tanta quanta eſt, ſi cum immenſa illa cœli vaſtitate componatur, punctum eſt, & in illo puncto inerrant puſilli mortales, illi puncto incumbunt, illud armis & ferro dividunt. Pro illo certatur acriter, pugnatur fortiter, funditur prodigè humanus ſanguis. Et pro cœlo, pro immenſo illo orbium ambitu, nec arma nec bella, imò nec ipſe pes à terra movetur: mortalium certè commune vitium illud eſt. Nos ſaltem pro cœlo Deóque pugnemus.

Tertia extruendæ civitatis ratio hæc fuit, ut ſibi Cain aſylum faceret, ut eò loci tutus eſſe & latere poſſet.

Sed errat infelix homo: nuſquam tutus, nuſquam ſecurus erit animus ſibi ſceleris admiſſi conſcius; nuſquam ſecurus erit, qui ſibi cœlum infeſtum, iratum Numen eſſe noverit: nuſquam ſecurus erit, cui diſtrictus enſis ſuper impia cervice pendet.

Neque verò in ſua illa civitate tutus ipſe Cain eſſe potuit urgente metu, ſtimulante conſcientiâ. Ex Henochia ſua transfugit in vicina nemora denſáſque ſylvas, ibique ſe altè condidit: ſed nec ibi tutè, & ſecurè eſſe licuit; poſt equitem ſedet atra cura, & poſt profugum divina juſtitia, quæ ſontea ſequitur. Sed hactenus ſatis.

Ex his conficio quod mei eſt inſtituti, peccati ſedem ac civitatem à bonis omnibus ſecretam, & ſejunctam eſſe oportere; nec huic cum illis communia debere eſſe commercia.

Alterum, in peccatoris urbe domóque, potenti tyrannide regnare eas voculas, *meum*, *tuum*, à quibus omnis mali fons & ſcaturigo.

Denique, peccatoris civitatem, non aſylum eſſe locúmque perfugii, ſed iræ, ſed vindictæ, ſed divinæ ultioni patentem ſemper & apertum. Licèt enim ea civitas primùm audiat Henochia, id eſt, Dedicatio & ſedes Dedicationis, quia primo limine læta omnia, mollia, amœna polliceatur; tamen aliquando tandem feſtivum illud dedicationis nomen ſerali carmine mutat, & amœnam civitatis illius faciem, triſti exitu funeſtare ſolet: eóque qui ſapis fuge perditas ædes, ſcelerata tecta, téque Deo cœlóque penitus reſtitue.

PROPOSITIO II.

Civitas Babylonis.

Geneſ. c. 11. v. 4. *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen noſtrum.*

CUm hominum genus excreſceret in immenſum, nec illud caperent anguſti Armeniæ fines; divinâ miſeratio, quæ humanis rebus numquam indormit, hanc Noëmo mentem immiſit, ut filios, nepotes, pronepotes ſuos in varia mundi loca & orbis ſedes emitteret. Acquievit ille divinis conſiliis, ſortémque miſit, quis quæ loca caperet.

Sors Aſiam Semo dedit, Chamo Africam, Japheto Europam. Itaque totus Orbis in tres partes abiit; & hinc factum credit Arias Montanus, ut Geographi omnes antiqui terram tripartitò diviſerint; ut eſſet quaſi monumentum antiquæ primæque diviſionis: cui deinde acceſſit America, ſeu novus Orbis, in quem labentibus annis elapſi mortales.

Ea inferioris orbis partitio providentiæ divinæ fuit, hoc vanitatis ac ſuperbiæ.

Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen noſtrum.

Vertebatur à diluvio annus 170. cùm jacta civitatis turriſque fundamenta: hujus erigendæ molis auctor fuit Nemrod, aliique; quos etſi ſpectavit Noë, non juvit tamen, nec promovit audax illud & temerarium opus: ſed tempori, & multitudini cedere debuit.

Locus, terra Sennaar, id eſt, excuſſio dentium: quòd eo loco excuſſi quodammodo dentes, excuſſæ & diviſæ mortalium linguæ.

Finis & ſcopus extruendæ turris, vanitas fuit, inſolens ſuperbia, & affectata nominis immortalitas, quam inſanâ illâ ſubſtructione efferre in altum, in ſæcula, in ævum omne putaverunt.

Evaſit autem ea turris ad altitudinem quatuor millium paſſuum, qui efficiunt milliare magnum, ſeu Germanicum, id eſt, tria noſtratia.

Immanem illam molem, ingentes motorum minas, ſtultóſque conatus ſpectabat è cœlo Deus, ut eis modum terminúmque poneret. Et verò etiam poſuit.

Si Divo Epiphanio, & Euſebio credimus, auras immiſit, validóſque aquilones, qui facto impetu terram quaterent, everterent, æquarent ſolo, ſuóque caſu ac ruinâ ſubjectos mortales involverent, atque opprimerent. *Lib. 9. de præpar. Evang. c. ultimo.* Quamquam, quid aura & ventis opus? Non erat tantæ molis, ac laboris, impios illos conatus diſſipare. *Venite*, inquit Deus, *deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* *Gen. c. 11. v. 7.*

Erat tum homo, erat terra unilinguis; quam Theodoretus putat fuiſſe Syriacam; Goropius Becanus, Flandricam, ex ſuo ſenſu magis quàm ex veritate: Hieronymus, aliique, Hebræam, quæ Adamo primùm infuſa manarat in poſteros, & manaſſet in omnes ſi peccatum abfuiſſet: ſed à peccato, ſicuti confuſa ratio, everſa mens; ita confuſæ linguæ, ut alter alterum non caperet: ea nimirum tanto ſceleri pœna debebatur. *Abuſi ſunt vocis unitate, caſtigantur diverſitate*; inquit D. Chryſoſtomus. *Chryſoſt. homil. 30. in Geneſ.*

Fuerunt autem tum temporis 72. linguæ principes; tot ſcilicet, quot familiæ, quot capita familiarum: ſed eæ quoque lapſu temporis in alias atque alias dialectos & idiomata degenerarunt.

Sed hactenus hiſtoriæ datum eſt ſatis. Primæ ætati civitatem peperit Abelis cædes, & cruenta Caini manus: ſecundæ extulit inſanus hominum faſtus, & ſuperbæ mentis error; quem Philo Judæus in tribus maximè arguendum putat. *Lib. de conf. linguarum.*

Primum, quia invenerunt campum in terra *Sennaar*, id eſt, ut ipſe quidem interpretatur, in terra impia, iniqua, à qua excuſſum germen omne virtutis: eam invenerunt non fortuitò, non caſu; ſed deſtinato conſilio: *& deſpexerunt*, inquit, *ubinam eſſet locus, ad inſaniam commodiſſimus. ita eſt profectò, inſipiens non aliunde accipit; ſed ipſe ſibi quærendo mala invenit.* & quod gravius eſt, ea non tranſit levi pede, ſed hæret, & immoratur: ſimilis illis qui *habitarunt in terra Sennaar, tamquam in patria, non tamquam inquilini regionis exteræ; quibus levius malum fuiſſet, ſi poſtquam in peccata inciderant, pro alienis ea peregriníſque habuiſſent, non pro cognatis ac domeſticis.*

Alterum,

Alterum, in quo pervicaces eorum animas, & obſtinatam in ſcelere mentem odit ac deteſtatur, eſt illud: *Celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras.* (Geneſ. c. 11. verſ. 4.)

Scitis fore (inquit Philo) *ne diſſipemini: cur igitur peccatis? Sed fortaſſe morem inſipientium Scriptura proponit, qui etiam maximis pœnis non obſcurè, ſed manifeſtè impendentibus, ab injuriis non temperant.*

Tertium, in quo vel maximè rei fuiſſe convincuntur, fuit obſtinatum animi propoſitum; quod innuitur his verbis: (Verſ. 6.) *Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Et certè jam animo compleverant. Hinc Septuaginta vertunt: (Verſ. 5.) *Deſcendit Dominus ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam.* non quidem reipſa, ſed in ſuis Ideis, pertinaci mente, & contra Superos obfirmata.

Sed ne diutiùs his inſiſtamus: ætas iſta, ipſæque civitates, temporis & longo ſæculorum lapſu detritæ; ab iis ſupereſt omnino nihil, præter infandam illius facti memoriam, & miſerabilis buſti reliquias, quas in præſentia relinquamus. Fruſtrà de aliis ætatibus queritur, cui ſuppetit in ſua quod queratur & gemat.

Surgit etiamnum & aſſurgit ſolo turris Babel, erigitur nova Babylon; ut enim Divus Auguſtinus: (In ſententiis.) *Duas in toto mundo civitates faciunt Duo amores: Jeruſalem facit amor Dei; Babyloniam facit amor ſæculi. Interroget ergo ſe quiſque, & inveniet unde ſit civis.*

Jeruſalem eſt viſio pacis: hanc facit, hanc extruit amor Dei.

Babylonia, id eſt confuſio: hanc parit amor ſæculi. Interroget ergo ſe quiſque, & inveniet unde ſit civis.

Si Deum amat, civis eſt beatæ ſupernæque Jeruſalem; & civium jure, æternâ, inquam, pace potietur.

Sin autem hoc ſæculum ſtultè deperit, civis eſt Babyloniæ, & illorum civium labe pœnâque involvetur: erit illi à denſa caligine, à nube, à morte confuſio, & chaos æviternum.

(Iſaiæ, c. 21. v. 4.) Hoc portendit ipſe Babylon, quæ Hebraicè dicitur Neſeph, id eſt, caligo, & obſcuritas: tum quia in ea caliginoſa & obſcura rerum omnium, & (D. Hieron.) cordium confuſio: tum quia ſumma & portentoſa calamitas, cujus ſymbolum eſt caligo, & tenebræ: (Sanchez.) tum denique quia nocte concubiâ, omnibus à vino ſomnóque ſepultis eſt intercepta.

Ita *Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta, ſuperbia Chaldæorum, quæ poſita erat in miraculum*, audiit & (Iſaiæ c. 47. v. 1.) ingemuit: *Deſcende, ſede in pulvere, virgo filia Babylon, ſede in terra: non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia ultrà non vocaberis mollis & tenera. Tolle molam, & mole farinam*

Quod illi quondam, hoc tibi modò, infelix anima, cui à Deo vindice dicitur: *Deſcende, ſede in pulvere, virgo filia Babylon, ſede in terra.* in quæ verba (Expoſ. mor. lib. 6. c. 11.) D. Gregor. *Hoc loco humana mens, virgo non incorrupta dicitur, ſed infœcunda: & quia Babylon confuſio interpretatur, rectè infœcunda mens, Babylonis filia vocatur; quia in eo quòd nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine recta vita componitur, quaſi confuſione matre generatur. Cui aptè dicitur divinâ voce, Deſcende: in alto quippe humanus animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat: ſed ab hoc ſtatu deſcendit, cùm turpiter victus, ſeſe defluentibus mundi deliciis ſubjicit. Cui benè mox additur, Sede in pulvere: deſcendens enim in pulvere reſidet, quia cæleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus in infimis viteſcit. Ubi adhuc ingeminando ſubjungitur, Sede in terra, ac ſi apertè exprobrans dicat, Qui à cæleſti converſatione noluiſti te erigere, ſub temetipſo proſtratus, in terrenis actibus humiliare. Unde & neceſſariò protinus additur, Non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia mens quæ ad amorem mundi ex pravis deſideriis naſcitur, in eo quòd ſe terrenis concupiſcentiis ſubjicit, ſedem judicii amittit: nullóque apud ſe ſolio præſidet, quia examine diſcretionis caret, & quia intus conſilii ſedem perdiderit, foras ſe per deſideria inenarrabiliter ſpargit.*

Et hinc aliud ingens malum: *Ultrà non vocaberis mollis & tenera. Conſtat nimirum, quòd teneræ ſuæ filiæ parentes parcunt, nec duris atque ſervilibus hanc operibus affligunt. Sed Chaldæorum filia mollis & tenera non vocatur, quia mens pravis deſideriis dedita, in eo, quòd ſe anxiè appetit, hujus ſæculi labori relinquitur, ut foris mundo velut ancilla ſerviat, quæ intus Deum ut filia nequaquam amat. Unde & molam tollere, & molere farinam jubetur.* Hactenus D. Gregorius. cum quo jam antè ſenſit D. Ambroſius: (D. Ambroſ. de pœnitentia l. 2. c. 11.) *Filia Babylonis miſera*, inquit; *miſera utique quæ Babylonis filia eſt, quæ Dei filia eſſe deſinit. Cui tamen medicum invitat, dicens: Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram, hoc eſt, qui infirmas & lubricas cogitationes elidet ad Chriſtum.*

PROPOSITIO III.

Civitas vanitatis.

Attrita eſt civitas vanitatis. (Iſaiæ c. 24. v. 10.)

Quæ ſit illa civitas vanitatis, quam eo loci perſequitur Iſaias, & cui feroces intentat è cœlo minas, ferrum, ignes, excidium, & invîſam Orbis ſtragem: quæ, inquam, ſit illa? Adhuc eſt ſub dubio.

D. Hieron. & D. Thom. eſt ipſa Roma, orbis caput, & cæterarum urbium princeps ac Domina, quæ ſeneſcente mundo, & ipſa conſeneſcet, ac vanitati ſcelerique grave caput inclinabit, eóque audiet, & atteretur ut civitas vanitatis. Ab ea quiſquis abierit, & à periculo ſibi videbitur abiiſſe. Si enim B. Petrus Damianus, poſitâ purpurâ, abjectóque pedo & infulâ Oſtienſi, à Nicolao II. Pontifice Max. Miſſionem petiit, quòd jam inde ſibi malè metueret; quis ab ea ſibi non caveat in ultima perituri Orbis periodo, ubi illius vertici, ſuperisque tectis viderit imminere vindicem manum irati Numinis? Si verè dixit & ſcripſit ille: *Cur ego non deſeram pro cavendis tot animæ vulneribus Romam?* Romam dico à Petri ſede, à religione etiam tum erectam, ac florentem; quis eam non deſeret à Divino cultu vacuam, à libidine, à luxu vitiisque jacentem, ac proſtratam? Deſeret enimverò, deſeret qui à ſalute, à cœlo Deóque diſcedere non volet.

Eſt tamen, qui velit civitatem illam vanitatis, (Sanchez.) non Romam eſſe, ſed Tyrum, quæ primis illis ſæculis imago fuit expreſſa vanitatis.

Alii, & fortè meliùs, hunc mundum tantus quantus eſt, civitatem eſſe volunt, eámque prodigæ vanitatis. Quam latè & doctè explicat D. Nazianzenus in carmine de vitæ itineribus; in quibus omnes hujus vitæ vias proſequitur, & vanas ac futiles eſſe probat.

Pulchritudo, inquit, *brevis gratia, fulgetro ſimilis; juventus nihil aliud eſt, quàm temporis fervor; canities, triſtis vitæ occaſus; gloria, aër; nobilitas, vetus ſanguis; robur cum apris commune; ſatietas petulans; matrimonium vinculum; liberorum copia, cura neceſſaria mater; orbitas, morbus; forum, vitiorum ſchola; artes, abjectorum hominum anguſtus & alienus panis: omnia denique humana metus ſunt, riſus ſunt, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, inſomnium, fluctus, navis, veſtigium, aura.* Hanc tibi exſpirat mundus, & hanc tantùm ipſe reſpiras quiſquis es mundi incola, & accola vanitatis.

Ego tamen bonâ Lectoris veniâ dicam illam eſſe peccatoris civitatem: nec enim ipſe mundus à natura aut ſeipſo vanus eſt; ſed quidquid habet in eo genere vitii, illud à peccato & peccatore hauſit:

Ideóque ſi verum eſt illud Philoſophorum pronunciatum: *Propter quod unumquodque eſt tale, & illud magis*; ſi mundus à peccato vanus eſt, & ipſe peccator magis vanus ſit oportet, imò ſedes & civitas vanitatis.

Si enim Soloni legum latori ſapientiſſimo dicere licuit, *Civitates non eſſe aliud, quàm habitaculum miſerorum, imò miſeriarum ac infortuniorum*; & mihi licebit effari, peccatoris ſedem ac civitatem non aliam eſſe; quàm habitacula miſerorum, imò miſeriarum.

Animo, ſi voles, & cogitatione recurre ad primam Univerſi civitatem (de qua antè paucis) ea Caini fratricidæ invidi peccatoris fuit.

D. Gregor. lib. 16. Mor. c. 5. *Primum in terra Cain civitatem conſtruxiſſe deſcribitur, qui videlicet peregrinus apertè monſtratur. quia ipſe in terra fundamentum poſuit, qui à ſoliditate æternæ patriæ alienus fuit. Peregrinus quippe a ſummis, fundamentum in infimis poſuit, qui ſtationem cordis in terrenâ delectatione collocavit.*

Ex hoc effato & oraculo magni Pontificis habes primam Orbis & Caini civitatem in tribus vitium paſſam eſſe. Primum in eo, quòd vitæ ſecurioris fundamentum in terras, & infima abjecerit, quod potiùs in cœlós ipſos, & ſumma erigere debuit.

Alterum, quòd non in petra duriore conſtiterit; ſed in luto & arenâ leviore, quam aura ſpargit, & diſſipat.

Tertium, quòd primus ejus incola, mundi quidem ex ea civis fuerit, ſed exul & peregrinus cœli; de quo illud D. Auguſt. Abel primus mundi peregrinus, ſed cœli civis; Cain primus mundi civis, & exul cœli. Elige utrum mavis, an cum Abele eſſe peregrinus mundi, & cœli civis; an cum tremulo ac infelice Caino eſſe civis mundi, & exul cæli.

Exul eris, ſi ſpes omnes fortunáſque tuas in terris reponas, ſi ſuperbas & ingentes erigas murorum minas, multum anxius quantum in terris ædifices, parum ſollicitus quantum extruas in cœlis; quod magna vanitas.

Exul eris, ſi totius vitæ molem arenæ commiſeris, ſi non ſteteris in ſolidiore virtutum petra divinoque præſidio, ſi tuâ virtute te ipſe non involvas; ſed adſcititio hominum favore augere te velis, ac tueri: quod ipſum magna vanitas.

Exul eris, timidus, & numquam non tremulus, ſi in alio, quàm in bona mente pacatáque conſcientia præſidium ponas.

Sed ne longiùs; ſiſtamus in noſtra hac ætate: neque enim occidente Caino, civitas vanitatis occidiſſe viſa: locus omnis, ætas omnis videbit, & gemet alias atque alias erigi ejus genii civitates.

De Civit. l. 14. c. 28. *Fecerunt*, inquit Auguſtinus (& certè etiam in ævum omne facient) *civitates duas, amores duo: terrenam ſcilicet amor ſui, uſque ad contemptum Dei; cœleſtem verò amor Dei, uſque ad contemptum ſui.*

Hic optimus, ille quàm peſſimus artifex, qui cò aſſurgit vanitatis, imò cæcitatis atque amentiæ, ut ipſi Deo inſultare audeat, eúmque impotenti auſu contemnere. Eò nimirum hominem inclinavit & abjecit ſui amor: terrenam, luteam, argilloſam civitatem ſibi inſano molimine parat: auguſtam verò, cœleſtem, divinam ſibi à Deo jam paratam deſpicit: totus eſt in ſeculis, in quiſquiliis, ſuis in litibus ac mercimoniis teritur, ipſáque elementa importunus fatigat. Hinc avitæ illæ querelæ & exanimea oceani gemitus, qui incolarum iſtius civitatis, & tam avaræ cupidinis impatiens mutuata Iſaiæ

Cap. 23. v. 4. voce exclamat: *Erubeſce Sidon, ait mare. Tamquam fatigati elementi vox iſta dicentis eſt, Erubeſce Sidon;*

D. Ambroſ. *hoc eſt, fluctus meos negotiator arguis, cùm ſis ipſe fluctibus inquietior: & erubeſce velut pudore, quoniam periculo non moveris. Verecundiores venti ſunt, quam veſtra cupiditates. Illi habeant otia ſua, numquam veſtra quærendi ſtudia feriantur. Et cùm otioſa tempeſtas eſt, numquam veſtra ſunt otioſa navigia. Verſatur unda ſub remige, quando quieſcit à flamine.*

Quòd ſi nec remis findatur unda, nec Euro quatiatur: ſubſidit illa, pacatóque elemento conquieſcit: at tu qui mundi es incola & vanitatis, nulla vel cœli vel maris tempeſtate conquieſcis. Quòd ſi ab inſano illo labore ampla accederet merces, venia fortaſſe danda foret: ſed omninò ſecus accidit; ut enim eodem loco D. Ambroſius: *Horum mercatorum ſemen in aqua, merces in fluctibus eſt. In aqua enim labores ſuos ſeminant, ut pericula metant.*

Ecce quæ ab illa ſemente meſſis, quæ merces operæ ac labori: & hoc non putabis eſſe perditæ vanitatis? Ni putes, ipſe perditæ mentis & ſalutis eſſe convincêris.

Sed quia enim eſſe te nec credo, nec etiam auguror; auctor ſum, ut ſi fortè vel pedem tuum in eam civitatem immiſiſti, quamprimùm recipias. Recipere te docuit D. Hieronymus, qui etiam Romam ipſam valere juſſit, ne ab ea ſpiritus aliquis appelleret vanitatis. Ita enim ſcripſit olim ad Marcellam, quod te hodie ſcribere, & dicere velim: *Habeat Roma ſuos tumultus, arena ſæviat, circus inſaniat, theatra luxurient: nobis adhærere Domino bonum eſt, & ponere in Domino ſpem noſtram; ut cùm tanta repertamus in cœlo, parva & caduca quæſiſſe nos doleamus in terrâ.* D. Hieron.

PROPOSITIO IV.
Civitas ſomniorum.

Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Pſalm. 72. v. 20.

FInxit olim Lucianus Inſulam eſſe & civitatem ſomniorum, cujus incolæ Reges, imò & Dii: viſebatur in ea civitate erectum Nocti fanum, in quo ſomni varius error, & ludicræ ſomniorum imagines ac ſimulacra incolarum oculis & animis oberrabant.

Eadem ſomni & noctis imago Trœzenos occupavit, apud quos Ardali erat ara, in qua ſomno ſolemni ritu immolabatur. Hoc excæcatæ antiquitatis vitium fuit, & illud docta fabula, ingenioſúmque commentum; è quo tamen ea veritas elici poteſt.

Hic mundus tantus quantus eſt, Inſula eſt, & civitas ſomniorum: ejus incolæ ſunt ii, qui perenni ſomno indormiſcunt ſimiles Endymioni: dicitur is Lunæ carus in paucis ab ea impetraſſe ut fieret quidquid optaſſet: datâ & acceptâ fide, id unum optavit, ut perpetuum dormiret ſomnum: ex quo natum eſt adagium; *Endymionis ſomnum dormis*, in eos torqueri ſolitum, qui ſe immodico ſomno ſaginantes, mollem ac feriatam à negotiis vitam exigunt. Ii ſunt plerique mortalium Lunæ amantes & noctis: à Luna ſortiuntur leves, varios, inconſtantes ſpiritus; à nocte vanas ſomniorum imagines: non abſimiles iis, quas olim habuiſſe legitur Thraſylla ille Athenienſis; qui eò ſtultitiæ atque amentiæ progreſſus eſt, ut naves omnes, quæ ſive in portum Athenienſem appellebant, ſive inde in altum ſolvebant mare, ſuas crederet, ſuas ſomniaret, gauderétque perinde, ac ſi reipſa eſſent ſuæ.

Epictetus Philoſophus in eum, ejúſque farinæ homines ita invehitur: *Si equus tuus benè phaleratus, de phaleris ſuis gloriaretur, tolerabile foret in beſtia: ſed ſi tu de bonis glorieris, quæ per ſolam imaginationem, aut ſomnum poſſides, hoc vero intolerabile videtur, & pluſquam beſtialis ſtupiditas.* Cap. 11. Enchiridii.

Et tamen quot ſunt iſtius generis ac categoriæ homines? Ita enim tecum ipſe ratiocinor, qui ſomnians tua credis, quæ vigil aliena deplorabis. Credis te poſſidere domos, vineas, hortos, jugera, quot nec milvus oberret; ab iis nomen famámque

ibi

tibi inter mortales facis. Jubes te vocari Dominum à ſylva, Baronem à valle, Comitem à monte, Marchionem à rupe: & tamen ſylvas, valles, montes, rupes ipſe non poſſides; niſi fortè per ſomniantis animi ludum, & avaritiæ delicia. Certè ſi agris, ſylvis, vallibus, montibus ac rupibus ſua vox eſſet, ſuus ſenſus, ſua mens; clamitarent illicò ſe nec Dominum te agnoſcere, nec etiam velle; imò & ingeminarent illud ridiculum videri, & alienum ab hominis forma ac dignitate, ut ab agris, hortis, rupibus, & animâ vacuis corporibus nomen accipiat ac mutuetur. Nec injuſta vox foret, iniquæ querelæ: potiùs enim ab uno homine orbis & ſui domino nomen ipſa petere debuiſſent: non contrà, homo ab illis emendicare. Et certè fuit olim tempus, cùm homo agris & terris nomina daret; non acciperet: ſed erat vigilantium ætas, non ſomniantium: abiit illa, hæc ſucceſſit, & fallacibus ſomniorum ideis illuſit, fecítque ut ſua falsò opinarentur mortales, quæ re tamen ipsâ ſua non eſſent.

Lib. 1 Epiſt. In quo rurſum ſimiles ei quem ſugillat Horatius:

Qui ſe credebat miros audire tragœdos;
In vacuo latus ſeſſor plauſorq́ue theatro:
Cætera qui vitæ ſervaret munia recto
More: bonus ſanè vicinus, amabilis hoſpes,
Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis.
Hic ubi cognatorum opibus curiſq́ue refectus,
Expulit elleboro morbum bilemq́ue meracis,
Et redit ad ſeſe: Pol me occidiſtis, amici,
Non ſervaſtis, ait; cui ſic extorta voluptas;
Et demtus per vim mentis gratiſſimus error.

Eleganter juxtà & ſignificanter dictum, *mentis gratiſſimus error,*

Quo mea me delectant mala: vel denique fallunt, ut idem ſit. Quid facias iis hominibus? Qui mederi poſſis? Audiant ſi poſſunt, &, ſi medico non credunt, credant Vati Regio, ex eóque diſcant quis tandem exitus ſomniorum; ita quondam ille:

Pſal. 72. *Velut ſomnium ſurgentium Domine, in civitate tuâ imaginem ipſorum ad nihilum rediges.*

Benè ait, *ſomnium ſurgentium*, non dormientium, quia dormientes ſua capiunt ac delectant ſomnia, ſurgentes autem decipiunt, & cruciant. Ubi enim nocte concubiâ, ſolutis aliò ſenſibus, aberravit phantaſia, ſibique finxit imperia, ſceptra, coronas, opes, gazas regias, menſas opiparas, & vanæ gloriæ fumos: ubi, inquam, ad noctis unius imaginem, & vana ſomniorum deliria ita luſit animus, ſibique illuſit; orto jam Sole, excuſſo ſopore, vigili ſenſu ac mente vides inanes fuiſſe ſopitæ mentis typos, ſpes vanas, ludicra commenta, inſana deliria; eáque ridet ac deſpicit. Ita cùm aliquando tandem vitæ ſomnum mors excuſſerit, cùm à nocte hujus ævi mortalis altiori ſurges æternitati; tum verò, quamquam ſeriùs, videbis tamen & ingemiſces, quæ tibi ſopitis à peccato ſenſibus, imò obrutâ & ſepultâ mente obvenerint ſomniorum imagines, quàm inanes & vacuæ, quàm abjecta, futilia, voluptatum ſimulacra, quæ dies, imò quàm infeſta nox ſomniorum; tum agnoſces, quàm verum illud: *Mille anni*

Pſal. 89. v. 4. *ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit. Et cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

Verè cuſtodia in nocte, Hieronymo vigilia, Ambroſio hora, eáque ſomnii, in qua quidquid tibi finxeris evaneſcet: *& velut ſomnium avolans non invenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna.* Ex qua conſequetur & illud malum, quòd vana erit ſpes, & mendacium viro inſenſato: & licèt ſomnia extollant imprudentes; ii tamen ſunt *ſicut qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum: ſic & qui attendit ad viſa mendacia.*

An opes & aurum, cui cogendo totus incumbis, an imperia, ſceptra, aulæque faſtum quem aucupa-ris, non credis eſſe viſa mendacia? Ex hoc etiam nolens crede. Voluit olim divina miſeratio inſolenti ac ſuperbo Regi Nabuchodonoſor objicere quatuor Orbis imperia, ea objecit in ſomniis, & vana noctis unius imagine: ſtatua fuit ſtupendæ & portentoſæ molis, cujus caput aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora ærea, tibiæ ferreæ, pedum pars ferrea, pars fictilis. Dan. c. 2. v. 32.

Fuit illa regnorum ſpecies & imago impreſſa menti ſomniantis: obtulit illa auri fulgorem & pretium, argenti nitorem ac lucem, æris ac ferri robur: ſed hæc unius inani tantùm & vacuâ ſomni unius Imagine; ut ex eâ diſceres, quid elato ſtultóque faſtu venêris, ubi ſceptra gloriámque captas. Quòd ſi in purpura ſceptróque ſomniant ſuperbi Reges, *Et viri divitiarum cùm dormiverint ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* In ipſo vitæ mortalis occaſu, ortu autem Æternitatis, vacuas manus mirari, damnare, lugere incipient; ſed nimium ſeri gemitus, & inutiles poſt fata lacrymæ: ne eas aliquando non profuturis ignibus infundas, *audiens illa quaſi in ſomnis vide, & vigilabis.* Eccl. c. 13. v. 17.

Oculos clauſit & oppreſſit lethalis peccati ſopor, & vanæ gloriæ ſpe, velut infusâ nube obruit ac fefellit ſomniorum imaginibus. Soporem exue, nubem excute, ſomnia damna: uſque damnes, edormi, ocellos aperi quos ferreus ſopor pervicaci glutine obtexit; & vel ſaltem connivendo aſpice te, qui ſis, & ubi ſis, vide, & evigilabis ubi te videris eſſe in civitate vanitatis & ſomniorum.

Sed fortè ſurdo, & ſomno nimium quantum inſepulto canimus: neque pes, neque brachia, neque caput, ac ne oculorum quidem orbiculos moves: ita totus ſtupidus jaces, & iterum iterúmque ſomnias.

Excitabit te gallus ille, qui apud Lucianum, Mycillum nullius momenti hominem divitias ſomniantem excitavit.

Quis enim teipſum potiùs excitet? Eſt gallus vigiliæ ſymbolum: ſopitam enim noctem evigilat, & mortalibus ſomnum adimit, eóque Græcis dicitur ἀλέκτωρ.

Eſt gallus avis Solaris, lucis amans & Solis; quem ubi ab occiduo orbe ad ſe primùm regredi ſenſerit, excitato alarum plauſu, & ſe ipſe, & alios ſomno liberat, ac vigiliæ reddit.

Excitavit ille Petrum Apoſtolorum Principem, & totius Eccleſiæ caput, qui ſomno jam peccati connivere cœperat, imò profundiùs indormierat, & eum quem ſemper in oculis, in amoribus habere debuerat, neſciſſe ſe etiam juratus dixerat: erat ille gravis & timendus ſopor, inimicæ tenebræ, nox adverſa; à qua tamen & ſibi & luci reſtitutus. Ubi iterum iterúmque pœnitentis auribus & animæ gallus accinere cœpit, peccati tenebras diſſipavit, noctem evicit, ſomnia deſeruit, ſuóque ſceleri ita condolere fecit, ut totus ſolveretur in lacrymas, & ſingultus melioris animi. Et ille utinam te ipſe excitet, ut gratiæ lucem ames, peccati noctem fugias, & vanas ſomniorum, id eſt, mundi, & vanitatis imagines deponas.

PROPOSITIO V.

Civitas cæcorum.

PRiuſquam ingrediar civitatem illam cæcorum, primùm id ſtatuendum eſſe duxi, cæcitatem aliam eſſe corporis, aliam mentis: hæc in malis recenſeri ſolet; illa plerumque etiam in bonis: hæc triſtitiæ ac mœroris præbet argumentum; illa ſæpius lætitiæ & gaudii materiam affert: hæc offendiculo eſſe ſolet; illa ſi velis etiam pro duce. Hinc factum ut cæcitatem corporis nemo ſapiens oderit, cùm ab illa mentis oculus excitetur magis atque eluceſcat; quod exemplis manifeſtiùs evadet quàm verbis.

Debueras à cœlo & in cœlo jacere fundamenta; ea in terras abjeciſti.

Debueras erigere cœleſtem Jeruſalem, amœnam Sion, quæ tibi pacis locus eſſet, & quietis æternæ domicilium; ſed contrà Babylonem fundaſti, extuliſti, à qua tibi confuſio & chaos æviternum.

Debueras ea tentare & moliri, quæ non tempori ſervirent, ſed aſſurgerent æternitati: ſecus tamen omninò feciſti: magno niſu, labore magno & inſano humiles & abjectas caſas ſolo eruiſti, quæ vix hyemem ferent & fœdam hujus auræ mortalis tempeſtatem. Factum illud cæcitate vitioque mentis.

A quo hoc eſt malum, ubi oculos cœlo clauſerit peccator, & terræ aperuerit; fit ut cœleſtia non videat, non contempletur, non ſuſpiciat, non amet; ideóque neque ab iis ſibi expoſcat fluenta gratiæ derivari. Habet nimirum ſuos in terra latices, fœculentos illos & ſordidos, quos hauriat, & quibus imbuatur; in hoc ſimilis Ægypto & Ægyptiis, de quibus Philo ita ſcribit: *Nilus fluvius celeberrimus cœlum eſt Ægypti. Quemadmodum enim cœli aqua reliquas regiones, ita Nili aqua Ægyptum irrigat. Itaque quod reliquis regionibus eſt cœlum, id Ægypto eſt Nilus: nam illud ſupernè terram compluit; hic infernè pluens arva irrigat.*

Lib. de profugo.

Eadem ferè de Ægypto notavit Plinius: *Ægyptus,* inquit, *nihil imbribus cœleſ. debet proprio ſemper amne perfuſa, nec alio genere aquarum ſolita pingueſcere.* Ex quo in Ægyptiorum animis innaſcitur quidam cœli aſtrorúmque contemptus & oblivio; de qua Seneca: *In Ægypto,* ait, *nemo aratorum aſpicit cœlum.* Ita in præſentia ſeſe res habet. Ægyptus hic mundus eſt, peccator Ægyptius, qui non cœli rorem, pluvias, & imbres ambit, ſed unius Nili fluenta & palanti amne mergi petit. Nubila non optat Ægyptus, nec in Ægypto quiſquam aratorum cœlum ſuſpicit: Ita & in mundo. Nemo mundi amatorum ad res cœleſtes aſpirat, nemo puras & in Deo diviniſque poſitas voluptates perſequitur. Et hoc primum ab illa cæcitate damnum eſt: adjiciamus alterum, & illud quidem longè pernicioſiſſimum.

Lib. 4. nat. quæſt.

Cæcus ut ſit peccator, cæcum tamen eſſe ſe neſcit: in quo uſu venit illud, quod de fatua ſua ad Lucilium ſibi familiarem ſcribit Seneca: *Harpaſtem uxoris meæ fatuam ſcis hereditarium onus in domo remanſiſſe: hæc fatua ſubitò deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. Neſcit eſſe ſe cæcam; ſubinde pædagogum ſuum rogat ut migret. Ait domum tenebroſam eſſe: hoc quod in illa videmus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo ſe avarum eſſe intelligit, nemo cupidum.* Hactenus Seneca; ex quo deduco, multos hoc ævo illi fatuæ ſimiles videri. Cæci ſunt, & tamen eſſe ſe cæcos neſciunt, imò videntes ac benè oculatos ſe credunt: avari ſunt, & ſe parcos volunt; honorum plus æquo amantes, & ambitioſi ſunt; & hoc ingenuæ, altæque indolis eſſe jactitant. Iracundi ſunt, & ſuprà quàm dici poteſt moroſi, & dentem & unguem alienis ulceribus immittunt; ad ſua vitia talpæ, ad aliena lynceis oculis: & hoc zelum putant, hoc juſtitiæ & æquitatis argumentum; cùm tamen ſumma ſit iniquitas, ſumma injuſtitia, in aliis imprimere velle, quod in te ipſe non exprimas. Sed enimverò quid facias? Cæci ſunt, & duces cæcorum, nec facilè morbum illum excutient; ut enim Seneca: *Ad ſanitatem ideò difficiliter pervenimus, quia nos ægrotare neſcimus.*

Epiſt. 51.

Ita oculos viſúmque vix ille recipiet, qui ſibi eos excidiſſe non noverit.

Et hinc ſequetur aliud malum, & æternum quidem: hærebit in tenebris, in longa nocte; nec diem & lucem æternitatis aſpiciet umquam, nec divinis aris ſe ipſe ſiſtet.

Si quis olim ad ſacrificia immortali Deo offerenda admitti debuit, debuit is omni carere macula; alioqui procul eſſe jubebatur: procul enim profani, procul maculoſi, hæc fuêre verba legis: *Homo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus: ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo vel grandi vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo.*

Levit. c. 21. v. 17. 18. 19.

Si adeò gravis, & ſuperis inviſa macula corporis; quantò magis animi? Imò dicamus non tam corporia, quàm animi nævos ac vitia ſuperis exoſa fuiſſe: ita certè dixit magnus ille Pontifex Gregorius, qui hæc corporis vitia ad animum traducit. *Cæcus eſt,* inquit, *qui tenebris præſentis vitæ preſſus, quò greſſum operis porrigat, neſcit. Claudus qui videt quidem, ſed per infirmitatem mentis quæ videt, perfectè implere non valet. Naſo eſt parvo, cui parva eſt diſcretio: eſt fracto pede vel manu, qui bonorum operum exors vacat.*

Gregor. 1. part. paſtor. c. ult.

Alia vitia perſequitur D. Cyrillus; ait: *Gibboſus eſt, quem terrena ſollicitudo deprimit, ne umquam ſuperna reſpiciat. Lippus eſt, cujus ſenſum & mentem natura exacuit, ſed converſationis pravitas confundit: albuginem habet, qui candorem juſtitiæ, vel ſapientiæ ſibi tribuens, à luce ſuperna cognitionis ſe per arrogantiam excludit.*

Lib. 12. de adoratione.

Quiſquis is eſt, arcetur à ſacris, ab altari procul removetur: & quiſquis etiam is erit, à cœlo procul ut abſit eſt neceſſe. Si enim adeò nitoris amans, adeò ſuæ gloriæ tenax fuit Deus, ut nævos illos corporis, qui tamen ſine culpa ex aliquo tantùm naturæ deerrantis vitio contrahi poſſunt, in ſuâ æde ſuiſque ſacris non tulerit: qui te in cœlis & beatitatis ſede patietur? Non patietur certè: nemo enim ejus eſt incola, niſi benè oculatus.

Sed hactenus illi vitio datum eſt ſatis: demus aliquid remedio, demus & cauſæ. Pars magna potiſſimáque medici eſt, mali cauſam pervidiſſe: non erit difficile eam invenire; in oculis, in manibus eſt.

Una cæcitatis cauſa peccatum eſt: ab illo tenentur, imò & eruuntur oculi, lumenque omne extinguitur. Ita jam inde viſum omnibus Chriſti Diſcipulis, quorum ea fuit olim quæſtio: Magiſter, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Cenſebant nimirum in Chriſti ſchola probè doctæ mentes, etiam à peccato caligare, imò deficere lumen omne oculorum. Et meritò pœna ab oculis ſumit exordium, unde prima mali initia duxit.

Sunt oculi in amore duces, ſunt prodromi nefandæ libidinis, ſunt primipili temeritatis & amentiæ; ideóque omnium primi pœnam ſentiunt culpæ parem.

Oculus in animali ultimus oritur, & primus moritur, inquit Philoſophus: quod ipſum aliqui ſuavi divinæ providentiæ conſilio, naturæque conniventiâ factum credunt, ut primò caligaret, periret oculus, à quo ſaluti animæque periculum imminebat; ultimò verò cor viveret, à quo eidem periclitanti remedium, & optima pœnitentia.

Ego verò ut in eo opportunam naturæ legem, Deique beneficium agnoſcam, & amem; malim tamen ideò primùm obſcurari ac deficere lumen oculorum, quòd ii primi in culpam venerint, peccatique venenum, quo interirent, exhauſerint: & inde æquum videri potuit, ut etiam primi omnium pœnam ſentirent, & mortem oppeterent. Veniſſe autem oculos primùm in culpam, diſce ex Eva prima generis noſtri parente, de qua illud: *Vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq́; delectabile.* quid deinde? *Et tulit de fructu illius, & comedit: deditq́; viro ſuo, qui comedit.* Vidiſſe ſi non fuit peccatum, at certè fuit illecebra peccati, contra quam diſertè & piè Bernardus hæc ad Evam:

Geneſ. 3. v. 6.

Serva, ô Eva, commiſſum, exſpecta promiſſum, cave prohibitum, ne perdas conceſſum. Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illò tam crebrò vagantia

D. Bernard. de gradibus humilitatis.

lumina

LIBER TERTIUS.

Imago, nomen, numerus, ſignum, character, ſtatua, dimenſiones, centrum, emblema peccatoris.

EX Idea peccati, ſeu vetere, ſeu etiam nova pronum erit cuique conjicere, quæ ab illa eſſe poſſit imago peccatoris: ut ea tamen clariùs in conſpectum veniat, ex Scripturæ fide, & Sanctorum Patrum teſtimoniis adjiciam nonnulla de imagine, charactere, ſtatua, centróque peccatoris. Et hoc quidem eâ mente, eo fine, ut peccatum omne in odium vocem; hic enim ſcopus mihi ab initio propoſitus fuit.

Imago peccatoris.

PROPOSITIO I.

A natura & gratia imago Dei.

Geneſ. c. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Ezech. c. 28. v. 12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis.*

DE hominis indole, ejúsque dignitate multi multa diſputant ex natura, arte, induſtria, hiſtoria, omnique penu eruditionis: ego è multis pauca.

Ciceroni homo dicitur animal providum, multiplex, memor, plenum conſilii & rationis. Platoni, quoddam totum; Græcis μικρόκοσμος, id eſt, parvus mundus.

Mercurio Triſmegiſto, naturæ miraculum magnum. Platoni, genua divinum. Pythagoræ, Deus mortalis.

Philoſopho, rerum omnium finis. Theologo, dicitur imago Dei: & hoc poſtremum hominis dignitatem mirum quantum commendet & ſupra omnes creaturas efferat: quæcumque enim hoc Orbe aſpectabili, ſive cœlo, ſive etiam ſolo ſparſæ ſunt; eæ omnes tantùm exhibent veſtigium aliquod divinæ illius ſempiternæque mentis: unus homo ejus imago quædam, & veluti expreſſa ſimilitudo; cujus ea ratio, quòd aliis omnibus aliquid ſui impreſſerit Deus: at verò in homine ſeipſum expreſſit, quod imaginis proprium, ac ſingulare. Quidquid in Deo eſt, ad hæc tria capita reduci ſolet; eſſe, vivere, intelligere: & hæc in aliis ſparſit, in homine collegit.

Habet Deus eſſe: & illius veſtigium aliquod impreſſit rebus inanimis; cœlo, elementis.

Habet Deus vivere vita prima, vita perfectiſſima: & illius vitæ ſemina plantis & brutis inſeruit.

Habet Deus intelligere: & illud Angelicæ naturæ commune eſſe voluit; ideóque à Philoſophis Angelus Intelligentia dicitur: At hæc omnia in uno homine collegit Deus; habet enim homo eſſe cum inanimis, vivere cum plantis, ſentire cum brutis, intelligere cum Angelis, cum ipſo Deo, primâ perfectiſſimáque mente: adeò illi omnia cum omnibus communia. Et hæc fortè ratio cur à Platone dicatur homo eſſe *horiſon Univerſi*, quia terminat, & in ſe jungit utrumque hemiſphærium; ſuperius, id eſt, cœlum & Angelos; inferius, id eſt, terram & bruta: habet enim aliquid & his & illis commune: atque in eo creaturarum omnium nexu ac complexione, maximè verò quadam ipſius Dei communione, ponunt Theologi rationem divinæ imaginis. Ea primùm Orbi innotuit, ubi inſonuit illa vox ſanctiſſimæ Triadis: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Tantæ molis erat hominem unum condere, eam imaginem effingere, ut cogi debuerit conſilium ſanctiſſimæ Triadis. Cœleſtes Orbes, terra, maria, totáque Univerſi moles vel unica vocula evocata prodiit è nihilo: dixit enim, & facta ſunt. Sed homo non prodit niſi deſtinato conſilio, maturâ deliberatione, collectâ vi: & hoc ex eo quidem, quòd auctoris ſui ac conditoris eſſe debuerit imago, & exemplar longè perfectiſſimum; in quo ſcilicet ſe ipſe impreſſit, & expreſſit Deus velut in cera molli, nuda tabella, pretioſo numiſmate, ſignaculo ſimilitudinis. Geneſ. c. 1.

Es enim, ô anima, ut teipſam compellem, & iterùm iterúmque alloquar, es cera mollis, & facilis. Rupertum audi lib. 2 in Gen. c. 21. *Tamquam cera ſigilli teſtatoris imagine ſignata; ſic imagine Dei ſignatus eſt homo.* Sed ô malum! ô nefas! cui ingemuit & illacrymatur Propheta Regius: *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* id eſt, ut explicat Novarinus in electis, à facie ignis, à Sole, ab æſtu concupiſcentiæ: ſic perit in eis & effluit imago Dei, ut fluit cera à facie ignis: ut illa tota liqueſcit, & ſolvitur; ſic totus à facie peccati liqueſcis & ſolveris, nimirum cerea, mollisque animula: alio certè igne calere debueras, alio ab æſtu Soleque ſolvi & diſſolvi; igne nimirum & æſtu divini caſtique amoris. Es pulchra nobilisque tabella, in qua dum amica manu, doctóque penicillo ludit divinus amor, ſe ipſe Deúmque in ea pinxit: teſtem habes D. Ambroſium l. 6. Hexameron c. 8. ubi ſuavi melleóque, ut aliàs ſolet, eloquentiæ fonte hæc pauca in aurem & animum immittit, ut tibi tuæque picturæ benè cautum ſit in annos, & æternos quidem. Rupert. Pſalm. 67.

Pictus es, ô homo, & pictus à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem, atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco, ſed veritate fulgentem; non cera impreſſam, ſed gratia. Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis aſſumere. Grave eſt enim crimen ut puteò, quòd melius te homo, quàm Deus pingat. Grave eſt ut dicat de te Deus: Non agnoſco colores meos; non agnoſco imaginem meam, non agnoſco vultum quem ipſe formavi.

Alludere videtur eò loci ad receptum illum inter antiquos morem, quo poſteri majorum ſuorum imagines cerâ expreſſas ſervare ſoliti, eo conſilio, ut quoties eæ in oculos incurriſſent, toties animo recurreret virtutum, rerúmque ab eis benè geſtæ memoria. Quod illis in more, in oculis fuit; hoc tibi ſit in animo, & amoribus. Tecum habes & circumfers Dei tui Auctoriſque imaginem, non arte, non cerâ expreſſam, ſed naturâ, ſed gratiâ. Vide amabo, ne quis ei nævus incidat, ne qua macula contaminet, ne qua aſpergatur labes, ne aliena & adulterina ſigna admittat, prudens & ſedulus cave; ne alio tergatur penicillo, alio colore imbuatur, aliam denique imaginem admittat ab ea quam à natura Deóque accepit. Durum enimverò, acerbúmque & Superis & tibi foret, ſi deletâ & expunctâ penitus Dei tui imagine, oſtentares aliam: id certè ſi faceres, næ tu diræ mortis reus eſſes. Dicitur olim Alexander, ut imago ipſius certiùs poſteris traderetur, univerſo Orbi edixiſſe, ne quis eam ære, colore, cælamine temerè aſſimularet. Solus eam Polycletus ære duceret, ſolus Apelles coloribus delinearet, ſolus Pyrgoteles cælamine excuderet: ſi quis alius, in eum ut ſacrilegum animadverſurum. Quomodo ergo in te animadvertet Deus, qui non tantùm ipſius imaginem temerè expreſſiſti, ſed etiam polluiſti, fœdaſti, violaſti; imò & penitùs expunxiſti, ut aliam induceres. Si totius antiquitatis calculo, is cruentâ morte damnandus fuit, qui vel tantùm domi primiſque àditis tyranni alicujus imaginem extuliſſet: quantò magis tu æternæ damnationi obnoxius eris, qui abjectâ Dei tui imagine, mali dæmonis inferique tyranni erexiſti. Lubet ſuper ea re audire quid

Ambroſius. ſentiat Ambroſius lib. 1. Offic. cap 49. *Si tyranni aliquis imaginem habeat, nónne obnoxius eſt damnationi? Tu depone imaginem æterni Imperatoris, & erigis in te imaginem mortis: ejice magis de civitate animæ tuæ imaginem diaboli, & attolle imaginem Chriſti.* Hæc Ambroſius; quem ut audias, & illud audi. Numiſma es, & quidem illuſtre, pretioſum, quod unâ ſui facie oſtendit Dei Omnipotentis imaginem, alterâ exhibet hanc epigrapheo: *Reddite quæ ſunt Dei Deo.* & meritò. Si enim numiſma, quia Cæſaris aurum eſt, Cæſari redditur: quidni Deo reddatur anima, quæ tota eſt Dei? *Reddite*, inquiebat olim Auguſtinus, *Cæſari nummos, Deo vos ipſos. Nummos*

Tract. 40. in Ioan. *Regibus reddimus: Deo etiam nummos reddimus, cum nos ipſos reddimus. Eſt enim homo nummus Dei. Quærit Deus nummum ſuum, ſicut Cæſar ſuum. Nummus Cæſaris eſt argentum habens imaginem Cæſaris: nummus Dei homo eſt imaginem habens Dei.* Sed fortè eò non reddis quòd non ampliùs ſis Dei; ſed Cæſaris, ſed tyranni, ſed dæmonis. ut enim Sanctus Ignatius ad Magneſianos: *Homo pius numiſma eſt à Deo cuſum: impius numiſma ementitum, incertum, adulterinum, carens ſigno debito; non à Deo effictum, ſed à diabolo.* Ecce ad cujus typum & imaginem effictus ſis infelix homo; qui cùm eſſes in gratia cœlique deliciis, eras veluti ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, perfectus decore, in deliciis

Ezech. c. 28. paradiſi. Compellat hic Propheta & arguit arrogantiam Tiri Regis, qui hominem ſe oblitus Deus eſſe voluerat. Quibus ergo te verbis impeteret, qui nec eſſe vis qui es homo, nec eſſe qui potes imago Dei & ſignaculum ſimilitudinis? Quod in annulo gemma, ſigillúmque ſignatorium eſſe ſolet; hoc es, ſi neſcis, homo: Deo quàm ſimillimus, & veluti expreſſum exemplar, imagóque abſolutiſſima; de qua magnus ille Triſmegiſtus in Pimandro c. 11. *Imago Dei eſt ævum, ævi mundus, mundi Sol, Solis autem homo;* non illius utique Solis, qui lucet oculis, ſed qui animo ſurgit, ſeſéque in illo, ut ſpeculo, exprimit. Stetit illud in homine quamdiu ipſe intra naturæ ſuæ limites & gratiæ terminos ſtetit: at ubi iis exceſſit, amabilem illam, auguſtam, divinam Dei ſui imaginem exuit, & belluinam induit: in quo ſanè ſe ipſe admodum abjecit atque proſtituit: quod dum iniquo mœrentíque animo videt S. Chryſologus, ita eum compellat: *Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretioſus es Deo? Quare ſic honoratus à Deo teipſum taliter inhonoras.*

PROPOSITIO II.

A culpa imago beſtiæ.

Vſquequò judicatis iniquitatem: & facies peccatorum ſumitis? Pſalm. 81. v. 2.

Faciant, homines, *imaginem beſtiæ.* Apoc. c. 13. v. 14.

HÆc olim Divus Hieronymus ad Marcellam: *Cùm ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditi ſimus, ex vitiis noſtris perſonas nobis plurimas superinducimus: & quomodo in theatralibus ſcenis unus atque idem hiſtrio nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem; ita & nos tot habemus perſonarum ſimilitudines, quot peccata.* Epiſt. 18. Nimirum hic Orbis magnum & effuſum theatrum eſt, in quo humana ludunt ingenia. Scena brevis eſt mortalis vita, quam decurrunt, & in qua varias facies & formas induunt, & modò hanc, modò illam perſonam ſuſtinent atque exhibent: miſeræ certè & infelices animæ, quæ in hoc cœli terræque theatro, in hac vitæ ſcenâ facies peccatorum aſſumunt. Græveus Cancellarius Pariſienſis demonſtrat quas peccator facies, quas peccatorum Serm. 177. larvas accipiat. *Leonis*, inquit, *per ſuperbiam, lupi per voracitatem, aſini per ſtoliditatem, vituli per laſciviam, tauri per entollentiam, pardi per hypocriſim, ſimia per geſticulationem, hyenæ per crudelitatem, erici per aſperitatem, oryctu per pigritiam, aſpidis per inobedientiam, hirci per infamia fœtorem, apri per iram, porci per immunditiam, canis per invidiam, camæ-leonis per ſimulationem, leporis per timiditatem, ſerpentis per calliditatem, vulpis per hæreſim, cameli per gibboſitatem, id eſt, divitiarum & avaritiæ ſarcinam.* Ecce quæ peccatorum facies, quæ larvæ, quæ monſtra: nimirum hominem exuit; nec hominem tantùm, ſed etiam, quod malorum omnium caput eſt, amabilem, ac divinam Dei ſui imaginem abjicit, ut infames illas brutorum formas aſſumat, & in hoc Orbis theatro ludat inſanus: ſed ſuo malo ludet, ac tragico funeſtóque actu vitæ ſcenam claudet. Juſto nimirum Dei judicio fieri ſolet, ut qui auctoris ſui imaginem exuit, mali dæmonis induat. Divo Joanni hæc olim objecta ſpecies, ſignum in cœlo: *Et ecce draco magnus, habens capita ſeptem, & cornua decem.* Apoc. c. 12. In quæ verba Alcazar, per capita ſeptem intelligi credit ſeptem nefarios ſpiritus. ſeptem peccâta, quæ vulgò capitalia dicimus; ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ, gulæ, invidiæ, acediæ: quæ ut malus genius in lucem efferret & conſpectum Solis hujus; ab animantibus, quod incultum, aſperum, horridum, infame fuit, mutuari voluit. Erat infamis hydra, informe draconis monſtrum, è cujus collo eminebant capita ſeptem; leonis, tigridis, urſi, viperæ, lupi, ſerpentis, aſini: hæc erat mali dæmonis facies & imago, quam ipſe non tam ſibi, quàm aliis accipit: dum enim in hominem incurrit,

cum

cum ſtravit, obruit, ac peccato perdit, has veluti animantium ſpecies ejus animo altiùs imprimit, & collo appendit; nunc caput & vultum ſuperbi leonis, nunc ſerpentis invidi, nunc viperæ iratæ, nunc aſini ignavi, nunc lupi guloſi, nunc tigridis avaræ, nunc urſi luxurioſi. Ecce quæ peccantis ora, quî vultus, quæ capita. I modò quiſquis es, hominem ſi voles externa ſpecie mentire: at intrinſecus non es homo, ſed infamis bellua, informe monſtrum, & è multis malè compacta, malè coagmentata brutorum colluvies: tui certè dum licet pudeat tædeátque. Puderet enimverò, tæderétque illius formæ, ſi ea in corpus ipſum elabi, ſi in oculos incurrere poſſet: ſed quia ſeſe animo continet, quia aſpectum fugit, te tui ipſius nec pudet, nec miſeret; cùm tamen vel maximè pudere debuiſſet: quantum enim corpus ab animo diſtat, tantum inter utriuſque damna diſtare neceſſum eſt. Sed quia quâ vivimus ætate, eò malorum, eò cæcitatis & amentiæ ventum eſt, ut nihil ferè moveat niſi quod oculos ferit, & malè corpus afficit. Aliquas habe à peccato metamorphoſes, ex quibus intelliges aſcititias illas belluarum imagines, non animo tantùm adhæreſcere, ſed in ipſum quoque corpus effundi.

Terras infami, & cœlos ipſos inſolenti faſtu læſerat ac fatigarat Rex Nabuchodonoſor, ſuique penitus immemor, hominem abjecerat. Non tulit Deus impotentes animos, terrâ cœlóque majores; ut eos abjiceret, ad belluas abjecit: ſi enim Divo Epiphanio, & Dorotheo credimus, Nabuchodonoſor non externâ tantùm ſpecie, ac moribus belluam finxit; ſed omninò depoſitâ hominis naturâ ferinam, belluinam admiſit, quæ capite & ventre bovem, pedibus leonem referret; ut ipſa exterior forma, totius vitæ anteactæ ſcelera proderet; ut in bove ventris ingluviem ac libidinem, in leone ferociam agnoſceres. In hanc ſententiam inclinat Divus Auguſtinus epiſt. 187. ad Bonifacium, & D. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 6. Quamquam alii malunt intrinſecus quidem hominem fuiſſe: at extrinſecus in belluam degeneraſſe, & quidem ex ſententiâ Divi Juſtini Martyris, quadriformem habuiſſe ſpeciem, nempe ex homine, leone, aquila & vitulo compoſitam. cui ſententiæ favet primùm ipſe textus
Daniel. 4. Scripturæ ſacræ, quæ ita habet: *Ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſq; erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes.* & infrà v. 33. ipſe Nabuchodonoſor agnoſcens beneficam in ſe Dei manum, quæ tantis malis modum finémque poſuit, ita loquitur: *Figura mea reverſa eſt ad me.* aberat ergo illa, & in aliam defecerat.

Habes & alios complures, qui vindice Dei manu, externâ ſaltem ſpecie in belluas abiêre, ut iret in ipſum corpus, quod jam in animum ierat. Tiridates Armeniæ Princeps, Gregorium Magnum per ſummam injuriam captivum abduxerat, & in porcorum ſtabulum abjecerat. Non tulit è cœlo Deus tam inviſum nefas: ut pari pœnâ ſcelus elueret, ipſe cum aliquot conſiliariis in porcum eſt mutatus. cui divinæ Juſtitiæ prodigio aliud non abſimile ſubjicio, ut noveris quàm rarò antecedentem ſceleſtum de-
Cap. 10. ſeruit pede pœna claudo. Silveſter Giraldus Cambrenſis in topographia Hiberniæ, narrat in eadem Hibernia familiam fuiſſe Offyrienſium, in qua poſt ſeptimum quemque annum, per imprecationem Sancti cujuſdam Natalis Abbatis, duo, videlicet mas & fœmina in lupos vertuntur, & à patria procul extorres in ſylvis ac nemoribus vitam belluino more ducunt; donec tandem elapſo ſeptennio ad priſtinum hominis ingenium redeant, ſuáque tecta repetant: verùm vix ad ſe & ſuos illi rediêre, cùm eadem inſania duos alios (marem ſcilicet & fœminam) ex illa ipſa familia invadit, & luporum in morem in ſaltus & vaſta nemora abripit. Hæc adeò nova & inſolens metamorphoſis, illatæ quondam Sancto Abbati injuriæ pœna fuit, quæ non in ſolis auctoribus ſtetit, ſed in eorum quoque poſteros omnes emanavit: adeò fœcunda, & in pœnas protenſa Dei manus, in annos plurimos, imò & ſæcula, poſteráſque ætates excurrit.

PROPOSITIO III.

Potiùs eſt ponenda vita, quàm deponenda imago Dei, & admittenda imago beſtiæ.

TEipſum ad Judæos revoco, qui Chriſtianus eſſe & haberi vis, eſque tantùm nomine tenus, re verò ipsâ atheus: ab iis diſcere te volo, quâ curâ, quo niſu, quâ corporis animique contentione eniti debeas, ne tibi illa imago beſtiæ aliquando imponatur.

Refert Joſephus rerum Judaicarum ſcriptor illu-
ſtris, Pilatum olim nocte intempeſtâ opertas Cæſaris Lib. 2. de
imagines Hieroſolymam intuliſſe; imò & in tem- bello c. 8.
plum, in ſacra adyta, ſacras aras extuliſſe credidit D. Hieronymus, idque facinus à Servatore præſago ſpiritu dictum eſſe, *abominationem deſolationis:* Matth. 24.
quamvis alii aliò vocent illa Chriſti verba; quæ excutere non eſt hujus loci: id enim hic tantùm agimus, ut poſteritati pateat, quo animo Cæſaris imagines intra urbis ſuæ ſepta importari tulerit. Ubi toto triduo jactari cœpit & increbreſcere ea fama, illatas à Pilato Cæſaris imagines; primùm alto ſtupore mœroréque defixit; tum deinde in querelas, in lamenta excivit; tum denique ad tumultum, & apertam ſeditionem vertit; undique enim accurrere, affluere, advolare Judæi, Pilati ædes cingere, & omnia mœſtis clamoribus, querelíſque complere: ad extremum unâ voce, uno ſenſu rogare, atque obteſtari, ut eæ imagines illicò tollerentur. Cúmque id renuiſſet Pilatus: votorum ſuorum tenaces Judæi, velut victi fractíque immenſo doloris pondere, omnes proni in terram corruere, eodémque veſtigio totis quinque diebus & noctibus hærere. Diſplicuêre Pilato tenaces animi, & in ſuſcepto ſemel propoſito nimium, ut videbatur, obfirmati: à quo ut revocaret, ad verba minas & ferrum addidit; ut quos reverentia Præſidis non inflexerat, flecteret aut frangeret nudatus enſis.

Itaque ſtatâ die horáque concionem evocat, quaſi ad eam verba habiturus: ſed tacente Judice ſonant arma, & horrendum inſonant: dato quippe ſigno expediti milites evolant in conſertum populum, enſem nudant, & validis lacertis attollunt, totique in vulnera, in afflicti populi cædes imminere videntur: tantùm Judicis ſui vocem, nutúmve præſtolari. Quibus oculis? Quâ fronte? Quo animo Judæos credis, & ferrum propè cervicibus incumbens, & mortem obviam excepiſſe? Oculis certè irretortis, fronte exporrectâ, animo interrito vulnera cædémque omnes admiſiſſe noveris.

Vis enim nuda ferri acies, ſtrictíque enſis fulgor oculos percuſſerat, vix elatus militum clamor ad aures appulerat; cùm omnes vitæ, ſanguiníſque prodigi in ferrum accidere, in genua prolabi, cervicem nudare, aptare in vulnus & ferrum, mortémque votis omnibus haurire.

Terruit ea res perculitque invicti Judicis animum, & magno religionis ſenſu commovit: cui ut pareret, imagines omnes Cæſaris procul juſſit amoveri.

Hæc dum audis, dum legis, ô Chriſtiane; quæ te Judæorum invadit opinio? Quæ exiſtimatio pietatis? Voles fortaſſe nimium obſervantes ſuæ legis fuiſſe? Nimium tenaces datæ ſuperis fidei?

Quid enim reipublicæ Judaicæ, urbíque Solymæ tantum intereſſe potuit, ſi in ea, una alteráſe imago Cæſaris videretur? Aliquid fortaſſe detractum primæ libertati, aliquid religioni fuiſſet, præſertim ſi ea ſtatua loco ſacro erigeretur.

At tibi multò amplius detrahitur, & gravior omninò irrogatur injuria, ſi peccati ; ſi beſtiæ imaginem in animum admittas. Compone, ſi lubet, unius Pilati facinus cum tuo.

Ille Cæſaris imagines immiſit contra leges & pacta Solymæ: tu verò contra ipſius naturæ leges, rationis placita, & ſanctiſſima superûm cœlique decreta, non dico Cæſaris, non Auguſti alicujus auguſtam imaginem; ſed abjectum & infame beſtiæ caput ac monſtrum importas.

Ille intra urbem tantùm, & ampliſſimæ civitatis mœnia invexit ; non locavit in domorum adytis, in intimis penetralibus : tu verò ad ſecretos animi receſſus, ad ipſa cordis penetralia, abditóſque ſinus educis ; facíſque ut ipſa mens, quæ Dei ſuperûmque domicilium eſſe debuit, ſit receptaculum tot ſerarum, quot ſcelerum. Ille ut aris templóque parceret, imagines Cæſaris profano quidem loco haberi voluit; ſacro autem videri & eminere noluit: tu autem & in ipſas divorum ædes, & in aras immittis: *Templum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos.*

Denique Pilatus Judaicæ tandem legi ceſſit, & importunis populi clamoribus indulſit, ſtatuas illas & imagines procul eſſe juſſit, ne quid contra reipublicæ ac religionis jura peccaſſe videretur: tu verò & ſurdus, & durus magis & impius es, qui nec Deo blandè ac ſuaviter monenti obtemperas, nec acerbiùs cœleſtes iras ſuppliciáque intentanti concedis.

Hujus ſtuporis atque immanitatis teipſum arguet Pilatus, arguent & Judæi, qui obvium ferro pectus dedêre, capita objecêre morti, ne quid contra legem fieret : tu autem delicatulus, molliculus Chriſti miles, non ferro, non morti cervicem inclinas. Vide quo animo, qua mente ſis futurus, ubi tuam illam ignaviam, imò & perfidiam, cum inſigni Judæorum conſtantia ac pietate ſuperi Judices component.

Peccatoris Nomen.

QUorumdam nomina ſervis imponi prohibita comperimus, ne ſervili contagio pollerentur. De Harmonio & Ariſtogitone, qui libertatem tyranni internecione attulerant, ita ſcribit Herodes Anicus apud Agellium:

Lib. 4. Noct. Atticar. c. 2. *Majores noſtri Athenienſes nomina juvenum fortiſſimorum Harmonii & Ariſtogitonis, qui libertatis recuperandæ gratiâ Hippiam tyrannum interficere adorſi erant, ne umquam ſervis indere liceret, decreto publico ſanxerunt: quoniam nefas ducerent nomina libertati patriæ devota, ſervili contagio pollui. Cur ergo nos patimur nomen Philoſophiæ illuſtriſſimum in hominibus teterrimis exſordeſcere?*

Hæc ille ; cui Philoſophia libertáſque adeò in amoribus fuit, ſervitus in odio, ut nullo modo ſit paſſus liberum & benè auſpicatum nomen iis imponi, quos vel natura ſervos edidiſſet, vel caſus aliquis, adverſáque fortuna abjectis ac ſervilibus officiis mancipaſſet.

Quòd ſi vel ipſo Antiquitatis ſenſu, judicióque ſapientum id ex æquo bonóque fieri potuit; neceſſum eſt fateamur, idem quoque in præſentia caveri oportere, ne peccatori, utpote ſervo, viliſque ſuarum cupiditatum mancipio, aliquando cedat liberum, auguſtum & benè ominatum nomen, quod vel ipſo tam miſerandæ ſervitutis contagio inficiatur.

Cavendum deinde & alterum, ne ſub ementito nomine, aut vana nominis umbra prodeat, & oculis illudat. Ea quippe ſolet eſſe fraus, is dolus mali dæmonis, ut perverſos animos, infandáque ſcelera, honeſto ſpecioſóque nomine, ceu veſte, tegat : quod oſtendit Apologus non inelegans.

Dicuntur olim ex obſcura ſtyge tres dæmonis erupiſſe filiæ ; divites illæ quidem, ſed invenuſtæ : quæ ob formæ turpitudinem amaſium non invenêre. Uni nomen erat Simonia: alteri Uſura : tertiæ Furtum: Mala omninò nomina ; quæ dum aures & oculos feriunt, etiam mortalium animos avertunt. Ne porrò æternùm averterent, provido, ſed inſano conſilio nomina in melius mutari placuit : parum enim ſtygio animarum prædoni intererat, ut aliud eſſet, aut certè diceretur eſſe nomen, modò res eadem, idem omninò malum ; quod certè factum eſt : Simonia enim dicta eſt *Penſio*: Uſura, *Intereſſe*: Furtum Gallicâ appellatione, *Le tour du baſton.* Ita aliter apud peritos, & ex rei veritate, aliter apud imperitum vulgus, & ex mendacio audierunt tres illæ Erebi Furiæ ; à quibus cum novo nomine, nova in Orbem univerſum clades emanavit. Vix enim hominum auribus animiſque inſonuêre blanda illa nomina, cùm in ſe & oculos, & amores convertêre : tantum refert, non qui ſis, ſed etiam qui dicaris eſſe.

Simonia antiquum nomen : ſed quod jam inde ab ipſis cunis Eccleſia horret ac fugit. Penſio novum nomen, nec omninò malum : ſed ejuſmodi tamen quod plerumque ſimoniæ vitium celet. Uſura ſordidum & avarum nomen, quod odit excelſus animus. Intereſſe parſimoniam ſonat ; & uſuræ ſordes ſi non eluit, at eluere certè creditur. Furtum, infame & patibularium nomen, quod non inſcribes niſi furcæ & malæ cruci : at illud quod vulgò dicitur *Le tour du baſton*, ingenium arguit & ſolertiam: eóque etiam in aulas, in viros principes evadit, eorúmque frontem occupat. Ita vitium virtutis nomen mentitur & induit, cæcóſque mortales in culpam vocat.

Id ne in poſterum fiat, noſtræ curæ & laboris erit in lucem efferre proprium ac genuinum nomen peccatoris, illudque cubitalibus literis ejus fronti animóque imprimere. Priùs tamen quàm eo notetur, præmittenda erunt nonnulla, de varia apud Antiquos nominis imponendi ratione, de bono malove omine quod ex ea capi poteſt.

PROPOSITIO I.

Antiqua nominis imponendi ratio, ejuſq́ finis.

VIdeo apud Antiquos aliam atque aliam fuiſſe nominis imponendi rationem.

Prima Orbis ætas, utpote magis innoxia, prolibus nomen fecit vel ab inſigni aliquo Dei beneficio, quòd eâ appellatione in poſteros deferretur ; vel ab aliquo eventu, caſúve, qui tacitâ Numinis Providentiâ intercurrerat, vel à bono omine præſagióque futurorum.

Ne omnia perſequar, quod ab inſtituto meo foret alienum, ubi Agar ancillæ Abrahæ, natus eſt puer, Geneſ. c. 16. v. 11.
dictus eſt *Iſmaël*, id eſt, *exauditio Dei*; quòd Deus, qui afflictis ſemper invigilat ut eis in opem praſtò ſit, ejus orationem exaudiſſet.

Ita deinde poſt longa ſæcula Magnus ille Moyſes è filiis unum appellavit *Eliezer*, hoc eſt, *Dei adjutorium*; à ſingulari illo Dei vindicis beneficio, quo de Exod. c. 2. v. 22.
dura Ægypti ſervitute, de manu jugóque Pharaonis in libertatem vindicatus.

Ita Anna poſt ſeros annos, quibus uſque ad injuriam ſterilitatis exarſerat, cùm ſibi præter ætatis naturæque leges natum videret filiolum, appellavit 1. Reg. c. 1. v. 20.
Samuëlem, id eſt, à Deo Opt. Max. impensè poſtulatum, & feliciter impetratum : ut quoties ille in parentis oculos incurreret, toties etiam animo grata

accepti

In c.2 Exod. accepti beneficii memoria recurreret. *Sancti*, inquit Lippomanus, *beneficiorum Dei memoriam perennem inſtituunt ſibi nominibus filiorum: ut quandocumque liberos aſpicerent vel vocarent, divinarum beneficiorum recordarentur ex nomine.*

Lib. 2. de præparat. Evangel. c. 4. Aliam hujuſce avitæ conſuetudinis rationem reddit Euſebius Cæſarienſis: *Ut ipſa*, inquit, *gentis appellatione, à terrenis ad cæleſtia tranſire, & à viſibilibus iſtis ad inviſibilia, cognitionemq́; Creatoris migrare admonerentur.* Ita nimirum priſcis illis ſæculis & cælum in oculis fuit ac amoribus, & grata perennisque beneficiorum memoria, quæ vel in ipſo nomine legeretur.

Sed & alia nominum imponendorum ratio fuit, ſcilicet ab eventu caſúque, qui tum temporis incidiſſet cùm aut naſceretur puer, aut de ejus ortu nuntius deferretur.

Sic olim qui Saræ natus eſt filius, dictus eſt Iſaac, id eſt, riſus; ab effuſa lætitia riſúque quo labia diſſolvit Abraham: cùm enim cœlo propitio excepiſſet illud Dei oraculum: *Uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi*
Geneſ. c. 17. v. 15. 16. 17. *filium cui benedicturus ſum, eritq́; in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem ſuam; & riſit, dicens in corde ſuo: Putáſne centenario naſcetur filius, Et Sara nonagenaria pariet?* Jam in longum proceſſerat ætas, nec fœtum ſpondere poſſe videbatur: ideóque ſubriſit Abraham ubi de filio promiſſio incidit: Natura quippe ſeſe facilis & prona in riſum aperit, ubi aliquid præter ſpem & expectationem, non tamen præter votum excipit: ita riſiſſe fertur Abraham, & à riſu filio nomen feciſſe.

Iſaaco Parenti addo filium Jacob, cui etiam à caſu, naſcentiſque prodigio inditum eſt nomen. Exegerat Rebecca viginti integros annos ſterilis, effœta, nec prolem ullam ſuſceperat: bonus Iſaac ut ſibi conjugíque liberos faceret, multis votis oraverat Superos, & tandem aliquando exorarat; ſolvebatur uterus, & ſeſe in gemellos fœtus diſtendebat: qui prior in auras evaſit, dictus eſt Eſau; quia rufus, & totus in pellis morem hiſpidus: qui ſecundus ex utero elapſus eſt, audiit Jacob, id eſt, ſupplantator; quia fratris plantam manu apprehenderat, ſtrinxeratque: ita illi aſpera & hirſuta corporis ſpecies; huic autem caſus nomen dedit.

Hic ſtylum ſiſtam, nec ducam longiùs in argumento ſatis ſuperque obvio: ab omine & futurorum præſagiis petita nomina proximè ſequens Propoſitio ſuppeditabit: interim propero ad poſteras ætates, quibus non tam omen futurorum caſúſque præſens, quàm avorum & parentum amor nomen indidit; fortè non ſine nævo labéque depravatæ jam naturæ, quæ in avos proavoſque magis quàm in virtutem inclinaret. Ut ut ſit, ea ratio tum uſurpata, ut proli recèns editæ nomen famáque inter mortales fieret ab aliquo qui fuiſſet ex avita progenie. Ea porrò conſuetudo videtur ab Hebræis introducta, &
Tolet. Maldon. paſſim uſurpari ſolita. Cùm in lucem venit Vox Verbi, Meſſiæ nuntius & præcurſor Joannes, cui cùm mater Eliſabeth, à Spiritu ſancto probè edocta, nomen eſſe vellet Joannes; illicò reclamarunt conſanguinei omnes, vel eo tantùm evicti argumento, quòd nemo eſſet in tota cognatione, qui eo nomine vocaretur; adeò eo loci ac temporis novum & inſolens videbatur, ut deforis peteretur nomen, quod domi, & à cognatione haberi poterat. Et hæc altera nominis faciendi ratio; cui ad extremum etiam aliam ſubjicio, in qua ut aliqua ineſſe potuit ſuperſtitioſa & anilis obſervatio; ita religionis aliquid, & in ſuperos pietatis notari. Nimia quædam in liberos indulgentia, & vitæ protrahendæ amor effecit, ut in quærendo nomine, etiam vitam longiorem ipſi proli quærere viderentur: cereis enim accenſis appendebant varia nomina, ea lege, ut nomen ejus cerei qui diutiùs flammam ſuſtinuiſſet, vitæ producendæ ſpe votóque, Infanti cederet.

Meminit hujus antiqui ritus Divus Chryſoſtomus: In c. 2. ep. 1. ad Corinth.
Nomen, inquit, *Sancti alicujus impoſituri, cereos complures accendebant, ſuum cuique nomen aſſignantes; atque ejus demum, qui cæteris extinctis ſupervixerat nomen, quaſi longioris ævi accipientes, puero imponebant.*

Ita nimirum à cereo, qui diutiùs ignem extuliſſet, lucémque velut animam extraxiſſet, omen vitæ longioris aucupari videbatur.

Hujus antiqui moris amans & retinens Petrus Aragonum Rex, cùm ex Maria conjuge natus eſſet filius, dubiúmque ſuboriri cœpiſſet, quod ei nomen in Baptiſmo imponeretur, illud ſolvit, non minùs pio quàm ingenioſo invento. Expediri juſſit, & ſimul accendi faces omninò duodecim è cera virgine, ejuſdem molis ac ponderis, quarum ſingulæ Marineus Siculus l. 10 de rebus Hiſp. c. 23.
unius Apoſtoli nomen aſcriptum præferebant; ea lege, ut nomen appenſum faci, quæ omnium ultima defeciſſet, recèns edito infanti cederet. Evenit autem non tam caſu, quàm divinâ Providentiâ, quæ ſortes moderatur & verſat, ut ultima ſolveretur ac deficeret illa, quæ D. Jacobi nomen exhibebat. Ita puero factum nomen Jacobus.

De peccatore dum volvitur quæſtio; mihi hæret aqua, dubiáque mens, inſcia, quâ ei ratione nomen concedat. Optaſſem illud mutuari à ſingulari quodam Dei Opt. Max. beneficio, grataque memoria; vel ab eventu felici, vel à bono omine, præſagióque futuræ aliquando ſalutis ac felicitatis; vel ab aliqua ſimili cum antiquis ſorte. Fuiſſet illa felix & fortunata ſors, quæ accenſa divini amoris face Apoſtoli alicujus, terræ cœlique Principis, auguſtum nomen intuliſſet. Sed ex nullo horum omnium deſumi poteſt: multa enim peccatori Dei ſui divinorúmque beneficiorum oblivio, caſus infelices, adverſa omina, aliæque faces, quæ ei incenduntur, & ardent; faces impuri amoris, faces libidinis, Antichriſti, erebique faces; quibus ſingulis appenſum hæret infame nomen, quod ei non tam ſorte accidit, quàm inſano conſilio devocatur. Cedendum eſt tempori, cedendum malitiæ: ſortiatur illa quod volet nomen, quo volet jam ardeat igne; æterno certè eùm nolet ardebit. Quamquam & inde, cùm liceat, revocare noſtræ curæ eſt ac laboris; ideóque ſtatuamus hic primò, quod omen, quod pondus in bono malóve nomine; tum deinde ſcribamus illud, quo peccator inſcribi debet, digito monſtrari, & ocier, hic eſt: fortè cùm illud audierit, excutiet; & aliud à cœlo Superiſque ſibi derivari poſtulabit.

PROPOSITIO II.

Pondus, & omen boni maliVe nominis.

Divus Chryſoſtomus de ſua ætate poſteriſque queſtus olim eſt, quòd prolibus ſuis parentes nomina facerent, non tam ex certo conſilio, deſtinatoque virtutis alicujus ſcopo, quàm ex fortuna, & avorum atque atavorum appellatione: Non ita veteres illi Patriarchæ, quibus ea cura fuit ut filiis obveniret non fortuitum, ſed benè fortunatum nomen, quod fauſta omnia ac felicia portenderet, ac polliceretur. *A principio*, inquit, *erudiebant pue-* Chryſoſt.
ros, qui ipſis naſcebantur; admonentes appellationibus, Hom. 21.
quas ipſi impoſuerant, ut virtutem exercerent. Et non in Geneſ.
ſicut nunc fortuitò, & abſque cauſa nomina fiunt juxta nomen avi, vel abavi. Ita quondam juſtus Seth, qui pro Abele cæſo datus erat, filio ſuo nomen indidit,
Enos; bono ſanè & felici omine, quia ipſe *cœpit invo-* Geneſ. c. 4.
care nomen Domini. ideóque dictus eſt *Enos*, id eſt, v. 26.
Vir invocator Dei. de quo idem Chryſoſtomus: *Vi-* Chryſoſt.
diſti, inquit, *appellationem diademate clariorem, pur-* ſuprà.
purá meliorem? Quid fuerit illo beatius, qui invocatione Dei ornatur, idq́; pro nomine poſſidet?

Sethum deinde imitatus Lamech, qui filium appellavit *Noe*, id eſt, requiem, *dicens: Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum.* [Gen. 5. v. 9.]

Ita deinde horum morem, modúmque ſecuti poſteri, Cùm puerulum ex aquis ſumpſiſſet Pharaonis filia Moyſem appellavit, dicens: *Quia de aqua tuli eum.* Hæc illa, ominis quidem bellè conſcia, inſcia verò ominis quod in eo latebat: nec enim vacuum & inane fuit nomen, quod jam inde Pharaoni vindices aquas ac ſubmerſionem portendebat; ut enim D. Auguſtinus: *A fluctibus myſticâ linguâ Moyſes nomen accepit; & Pharaonis necem, quam præparaverat in nomine, in flumine maris implevit.* [Exod. c. 2. v. 10.] [Serm 79. de tempore.]

Sic in uno Moyſis nomine luſiſſe videtur divina Providentia, & Pharaoni acerbam necem, Iſraeli libertatem vitámque præſagire voluiſſe. Sic deinde & ipſe Moyſes à Deo ludere doctus, unum filiorum vocavit *Gerſam*, id eſt; *advenam*, *dicens: Advena fui in terra aliena.* Alterum *Eliezer*, hoc eſt, *Dei adjutorium*, dicens: *Deus patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* [Exod. c. 2. v. 22.]

Joſeph appellavit primogenitum ſuum *Manaſſes*, id eſt, *oblivionem*, addens: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.* Alterum *Ephraim*, id eſt, *frugiferum*, ſeu *creſcentem*, rationem hanc adjiciens; *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* [Geneſ. 41. v. 51. 52.]

Ita denique, ne omnes conſecter, Jeroham filium ſuum vocavit *Elcana*, id eſt; *Dei poſſeſſio*: quòd & Deum poſſidere, & à Deo poſſideri debuit; quod ſummæ beatitatis fuit: ut enim D. Ambroſius: *Quid magnificentius hoſpite cœleſti? Quid beatius poſſeſſione divinâ? Multi queruntur de ſui terris anguſtiis: in te Deo, eſt ampliſſima poſſeſſio: in qua deambulare ſe dixit, laxa ſpatia habitationis inveniens, qui terram includit manu: cui mundus anguſtus eſt, tu ei ampla es domus.* Et hæc boni ominis ac portenti fuêre nomina: iſta malum aliquod portenderunt. [Ambroſ. ſerm. 8.]

Primogenitus Evæ filius ab ea dictus eſt Cain, id eſt, *invidia*: ut ipſo ſuo nomine portenderet invidos, acerbos, cruentos animos; à quibus Abel prima cœlo victima concedit. [Euſebius.]

Rebecca uno partu gemellos edidit; ex iis alter audit *Eſau*, id eſt, piloſus: ut vel ipſum nomen agreſte ingenium, barbarum & ferocem animum argueret.

Ita habes ipſa nomina, eſſe etiam omina futurorum, & ipſos mores, geniúmque prodere.

Abigail certè, cùm pro viro ſuo Nabal apud Davidem intercederet, non aliam excuſationem ſceleri minuendo prætexuit, quàm eam, quæ ipſo nomine præferebatur; ſic enim inquiebat: *Ne ponat dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo.* Hebræi legunt: *Sicut nomen ejus, ſic ipſe.* Nabal ſtultum ſignificabat, & ſtultam inſanámque mentem oſtendebat: illud enim à natura ipſa hominúmque inſtituto comparatum eſt, ut nomina ſuis rebus conveniant, eáſque quà licet exprimant: ideóque cùm ex me audieris, imò cùm ex ipſa Scripturæ fide intellexeris, Antichriſti imaginem noménque in peccatorem transfuſum eſſe; ſtatim hoc ipſo conficies depravatam ejus indolem, perditum ingenium, profligatos mores, vitiáque omnia etiam eſſicio cum transfuſa: & hinc deinde etiam alterum; peccatorem Antichriſti filium, diſcipulum, imò ſervum eſſe, & infame mancipium. Filium quidem; quia nomen indere ad parentem pertinebat, ſive matrem eſſe volueris, ſive patrem fuiſſe contenderis, pro matre enim multa faciunt argumenta, ductáque vel ab ipſa Eva, matrum longæva ſerie. [Cap 15. v. 25.]

Eva certè generis noſtri parens primogenitum ſuum vocavit Cain, id eſt, poſſeſſio, ut plerique volunt, quòd filius ſit optima parentum poſſeſſio. Secundò genitum vocavit Abel, hoc eſt, vanitas, aut vapor: dictum fortè præſago ſpiritu, quòd à fratris invidia mortéque immaturâ brevi deberet evaneſcere. Ita deinde filiæ Loth etiam filiis ſuis, Moab & Ammon nomina fecêre.

Tum etiam filii Jacob & ipſi à matribus nomen accepêre; ut & poſteris ſæculis Sampſon, Samuel Salômon, aliique ſexcenti quos prætereo. Quòd ſi tamen id paterni officii eſſe probaveris, non ibo inficias: nec enim pro patre ſua deſunt exempla, ſua venerandæ antiquitatis fides & auctoritas; nam & Enos Setho parenti, & Noë Lamecho, & Iſmaël Iſaacque Abrahamo, & Manaſſes ac Ephraim Joſepho, Gerſan & Eliezer Moyſi, &, quod recentioris eſt memoriæ, Meſſiæ præcurſor Joannes Zachariæ patri nomen acceptum debet, refertque.

Verùm, ut ut ſit, maneat ea quæſtio ſub lite, maneat ſub Judice: extra dubium erit illud, aut alterius, aut utriuſque parentis id munus fuiſſe: ex quo hoc concludi velim; Qui ab Antichriſto nomen ſumpſerit, ejus ſe quaſi filium ut fateatur eſt neceſſe. Et hæc prima eſt infamiæ nota, quæ peccatorem inficit. Altera, quòd etiam hinc ſe ejus diſcipulum agnoſcat, ſub ferula gemat, ejúſque nomine, velut ſtigmate notetur ex antiquo receptóque diſcipulorum more, qui magiſtri ſui nomen etiam in fronte admittere ſoliti. De iis ita diſſerit Seneca, ut evincat ſe nulli Philoſophorum ſectæ addictum, ait: *Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero.* Sed Antichriſto ſe mancipavit, illius nomen fert peccator; & inde ejus eſſe diſcipulus comprobatur: & hæc altera ejus nomini inuſta labes ac macula, cui ad ignominiæ cumulum adjicietur & iſtud, quòd ejus ſervus etiam ſit, imò vile mancipium. Ecce quàm immane pondus, quàm inſauſtum omen in uno nomine. [Epiſt. 52.]

De ſervis certè ita loquitur Plinius, ut & illis vinctos pedes, & damnatas manus, & inſcriptos vultus probet. Ab illa inſcriptione, litteriſque frontibus eorum impreſſis, prodiit trita & vulgaris appellatio, quâ ſervi, teſte Rhodigino, *litterati* dicebantur, quaſi domini ſui litteris, nomineque inſigniti. Neque nomen illud deterere, & inciſas fronti notas delere licuit, niſi cùm libertate donarentur: tum enim & herilis ſtigmata eradere, & nomina mutare conſueverant. [Lib. 18. c. 3.] [Lib. 7. c. 38.]

Ex eo antiquitatis ritu moréque fortè manavit in religioſas domos, ut cùm aliquis à ſæculo, velut adnatâ ſervitute, ad religioſam vitæ libertatem tranſit, deponat antiquum nomen, & novum aſſumat, quaſi de ſervo factus liber. Optandum ut Antichriſti nomen (quod ſuâ malitiâ hauſit peccator) modò poneret, abjectáque illius ſervitute ſe ipſe in libertatem vindicaret; vel certè à Deo ipſo vindicaretur: ut olim Paulus, qui dum à ſynagoga ad Eccleſiam, hoc eſt, ab antiqua ſervitute ad novam libertatem tranſiit; novum etiam à Domino nomen accepit, de quo Divus Chryſoſtomus: *Quemadmodum*, inquit, *dominus qui ſervum mercatus eſt, oſtendere volens ſe dominum ſervi, nomen illius mutat: ita & Spiritus ſanctus facit: ubi Paulum captivum accepit, vocabulum ejus mutavit, ut etiam inde diſceret Paulus, ſe habere Dominum.* Ut & ipſe cum Paulo eundem Dominum habere diſcas, ut nomen mutes; ob oculos ponam Antichriſti nomen, ut ejus pudeat, tædeátque. [Hom. de converſione S. Pauli Tom. 3.]

PROPOSITIO III.

Antichriſti nomen, nomen peccatoris.

Habet characterem, aut nomen beſtiæ. [Apoc. c. 13. v. 17.]

INcarnatæ Sapientiæ vates & amor Joannes, in alto mentis exceſſu, vidit è mari aſcendentem Antichriſtum ſpecie immanis beſtiæ; cui uſque eò in mortale genus imperium fuit, ut in illud & imaginem

imaginem & nomen ſuum emiſerit. De nomine multa & implexa Theologis quæſtio, ex eo orta, quòd D. Joannes non apertè, non explicatè illud prodiderit, ſed obſcuris quibuſdam verborum & numerorum involucris obtexerit: dixit enim ejuſmodi futurum ei nomen, cujus litteræ ſi pro notis numerorum aſſumantur, conficient numerum ſexcentorum ſexaginta ſex. *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* His numeris, hoc ænigmate involvit Antichriſti nomen: ex quo, ut in obſcuris & dubiis fieri ſolet, variæ ſententiæ dimanarunt. Cùm enim is numerus in aliud atque aliud nomen incidere poſſit, innumeris conjecturis viam aperuit: ex iis nonnullas referemus, & peccatori (qui Antichriſti filius, diſcipulus, imò mancipium eſt) aſcribemus.

Apoc. c. 13. v. 18.

Primum nomen, quod Antichriſto dedit aliquorum opinio, eſt λαμπέτης, id eſt, illuſtris. Secundum, νικητής, id eſt, victor. Tertium, κακὸς ὁδηγός, id eſt, malus dux. Quartum, ἀληθὴς βλαβερός, hoc eſt, verus nocens. Quintum, πάλαι βάσκανος, hoc eſt, olim invidus. Sextum, ἀμνὸς ἄδικος, id eſt, agnus nocens. Septimum, ἀρνοῦμαι, id eſt, nego. Octavum, ἀντεμος, id eſt, contrarius. Nonum, γενσήρικος: Genſericus, Gothicum nomen. Decimum, *Dic lux*: in quo continetur prædictus Antichriſti numerus. Undecimum, εὐάνθας. Duodecimum, λατεῖνος. quod hæretici noſtri temporis perperàm detorquent ad Pontificem Romanum, ex inveterato ſanctæ illius Sedis odio magis, quàm ex veritate. Decimum tertium, τειτάν, id eſt, Dæmon ſubterraneus; vel ut alii: Solis nomen & epithetum; vel denique, ut nonnulli interpretantur, gigas: τιτᾶνες enim priſcis dicebantur terræ & cœli filii. Decimum quartum, βενέδικτος, benedictus.

Viegas in Apoc. c. 13. com. 2 ſect. 2.

In hæc nomina ſparguntur auctores ex variis conjecturis, inſitóque iis omnibus numero ſexcentorum ſexaginta ſex, quo Antichriſti nomen diximus deſignari.

Ut ex iis aliquid, quod ad inſtitutum noſtrum faciat, deducamus. Primum id ſtatuo, ea nomina, quæ præ ſe ferunt aliquid dignitatis ac majeſtatis, oſtentare ſuperbiam & inſolens ingenium Antichriſti; qui ut homo ſit, & abjectus quidem, ac perditus, alta tamen & auguſta nomina affectabit.

Alterum deinde quod aliis nominibus importari velim, eſt, ut in illis legantur inſita perditæ indolis vitia, mores efferi, truculenti, ad omnem libidinem, ſcelus omne deſtinati.

Sed diſcedamus ab Antichriſto; ad teipſum peccator veniamus: Ut omittam ſplendida & auguſta nomina, quæ nec illi nec tibi conveniunt.

Primum nomen quo ſignaberis, tamquam à patre filius, à magiſtro diſcipulus, ab hero ſervus, erit κακὸς ὁδηγός, malus dux: utpote qui ſceleratæ vitæ exemplis facem aliis præfers, quâ non tantùm accendaris & pereas, ſed etiam cæteros inflammes ac perdas. Malus omninò dux, quia cæcus: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, nónne ambo in foveam cadunt? Cadunt certè, & hoc quidem vel maximè ducis vitio, qui ex eo dicitur ἀληθὴς βλαβερός, verus nocens: quia non tantùm verbo, quod ipſum ſolum grave eſt, ſed etiam exemplo nocet, quod longè graviſſimum: ut enim D. Cyprianus tam in bonum, quàm in malum: *Efficacius vita, quàm lingua teſtimonium eſt. habent enim opera ſuam linguam, habent ſuam facundiam tacente linguâ.* Lingua cominus auditores ferit, opera etiam eminus vulnerant ſpectatores: ideóque D. Cyrillo mali ducis, veri nocentis, id eſt, peccatoris lingua gladius eſt, quæ non tangit, non lædit, niſi ſingulari propè certamine pes pedi componatur: at verò opera & exempla ſunt veluti ſagittæ, quæ diſtento & nervoſo arcu emittuntur, & etiam quàm longiſſimè diſtantes petunt atque transfodiunt. Et inde tibi appenderur illud Antichriſti nomen, *verus nocens.* verè enim nocet qui & verbo, & exemplo nocet: quamquam & ille noxius magis, qui fucatâ & ementitâ boni ſpecie humanis oculis illudit, ut Antichriſtus, qui dici volet agnus: ſed *nocens* dicetur & erit. Agnus quidem, quia extrinſecus innoxius videri volet, & humanitatem manſuetudinemque exhibere; intrinſecus autem *nocens erit*, quia lupinos animos ſub ovina pelle teget.

Et tibi cum Antichriſto hoc erit commune nomen, ἀμνὸς ἄδικος, agnus nocens: etſi enim innoxium agni candorem præ te feras; in teipſo tamen circumfers nocentes, lupinos, cruentos, efferos animos: foris enim es Cato, intus Nero; foris agnus, intus lupus, malitiámque tuam peregrinâ veſte celas: in eam aliquando graviùs animadvertet juſtus ſcelerum vindex Deus; ita enim per Sophoniam edixit: *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrinâ.* Cap. 1. v. 8.

Ruperto veſtis peregrina eſt hypocriſis: veſtis patria virtus eſt fuci neſcia. Væ illis qui patriam veſtem deponent, ut aſſumant peregrinam: væ illis qui animum ut veſtem mutant, quò alii à ſeipſis videantur.

Veſtem mutavit Achab, & mutato habitu ſeſe immiſit in acies, ſagittáque ictus interiit. 3. Reg. c. 22. v. 30.

Uxor Jeroboam alienâ veſte adiit Prophetam Ahiam, ab eóque filii ſui mortem præcognovit. 3. Reg. c. 14.

Saul mentito habitu Pythoniſſam conſuluit, & vicinum ſibi interitum imminere accepit. 1. Reg. c. 28.

Thamar mutatâ veſte in bivio ſeipſam expoſuit, & infamiæ pœnam incurrit: habita enim eſt tamquam meretrix ac proſtituta muliercula. Geneſ. c. 38. v. 15.

Denique in ipſo naſcentis Orbis exordio Diabolus ſerpentis effigiem mentitus eſt, & gravi à Deo vindice percuſſus eſt maledicto. Gen. c. 3. v. 14.

In illud etiam venies, illud incurres, qui ex diaboli, ex Antichriſti ingenio veſtem mutas: videri vis agnus; & tamen es nocens, es lupus, es tibi ipſi contrarius. & hoc quartum tibi cum Antichriſto nomen eſt, ἀντεμος, id eſt, *contrarius*: primùm tibi ipſi; deinde proximo: cujus bono dum invides, etiam audis βάσκανος, id eſt, *invidus.*

Denique & ipſi ſummo ſupremóque Numini contrarius es, ubi cum Antichriſto ſortiris nefandam illam appellationem, audax, temerarium, perfidum nomen, ἀρνοῦμαι, id eſt, nego: hoc enim faciet os impudens, effrænis, effræta lingua, quæ ſeipſam effundet in illas voces, Nego Chriſtum, nego baptiſma: & hoc tibi, ſi neſcis à peccato jam reipsâ factum eſt nomen, infidæ duræque mentis nota: vix enim animo conceptum eſt illud, cùm in frontem evadit infandum cœlis terriſque nomen, ἀρνοῦμαι, quo perfidè Deum negas & abjicis: ſi minùs ore votéque (quod ipſum ſolum acerbum foret) at re certè ipsâ (quod longè acerbiſſimum.) Scio equidem, ſi ſo non eò veniſti dementiæ, non adeò frontem exuiſti, ut ad primas mulliculæ carnis voculas, ac titillationes, exclames illicò, *Deum nego.* Sceleſtæ nimiùm & horrendæ ſunt iſtæ voces: ſed ut lingua taceat, cor ipſum loquitur, & altùm inclamat funeſtum illud & iniquum, Nego: *Dixit enim inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* Ecce negativam & fatalem voculam, *Non eſt Deus.* Eſt tamen, ut ut loquaris & velis, eſt qui tibi tuóque ſceleri pœnam cudat, niſi reſipiſcas, niſi infames illas notas, & adulterina nomina deponas: at depones, ut ſpero, & congenitum à Deo tuo nomen admittes, frontique imprimes, imò & glorioſus Chriſti miles oſtentabis.

Ita te docuère in terris quondam bonæ mentes & modò in cœlis docent felices animæ. Ex illis fuit

fuit Paulus, de quo hoc primæ Veritatis teſtimo-
Act. 9. v. 15. nium: *Vas electionis eſt mihi iſte ut portet nomen meum.* Portavit autem, imò & corpori & animo impreſſit;
Ad Galat. 6. v. 17. ita enim exultabundus inquit: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto.* Quæ verba expendens Chryſoſtomus ait: *Non dixit*, Habeo ſtigmata; *ſed*, Porto; *tamquam aliquis glorians de trophæis, ſignisq; regalibus.* De quibus etiamnum inter ſuperos glorientur candidata Virginum agmina. Agnum illæ ſequuntur quocumque ierit, & habent *nomen ejus, & nomen Patris ejus*
Apoc. c. 14. *ſcriptum in frontibus ſuis.* Cujus hæc gloriæ eſt ac beatitatis? Secus autem cujus ignominiæ ac calamitatis erit illud, cùm amabile, auguſtum, divinum Dei tui nomen portare poſſis, malle præferre nomen Antichriſti?

2. Paral. 36. v. 8. Vidit olim Judæa natio, luxitque *abominationes* Joachimi Regis, qui eò lapſus eſt amentiæ ut Deorum ſuorum nomina & ſtigmata corpori ſuo inuſſerit: & certè in demortuo corpore inventa fuiſſe teſtatur Liranus ad perennem infamiæ notam! Etiam poſt funera ſatùmque potuit ille, imò & debuit Regio vertici ac diademati inſcribere Dei ſui nomen; ſed, ô abjectum, ſervilem, ſceleſtum animum, qui elato, libero, ſacróque capiti eas notas, ea nomina impreſſerit, quæ ne viliſſimum quidem mancipium admitteret!

Hæc dum audis, dum legis peccator, ad teipſum redeas, teipſum inſpicias, & conſulas num fortè vel corpori, vel animo aliquod ejus generis nomen, aliqua nota adhæſerit: ſi enim libidini ſervis, ſi impuris amoribus obſequeris; eſt animo impreſſa Venus: ſi pocula depetis, ebriáſque menſas; ab illis inſitum Bacchi nomen relinquetur. Vide num hæc aliáque nomina, ſuperis omnibus inviſa, aduſque mortem, uſque tumulum deferre velis. Si ita velis; ut Veneris, ut Bacchi, ut vitiorum omnium mancipium vixiſti, ita & æternùm morieris.

PROPOSITIO IV.

Nomen peccatoris, nomen beſtiæ.

SI hominem beſtiam appello, ne me damnes, amice Lector, néve communi naturæ injuriam proclames: Scripturæ ſacræ & Sanctis Patribus morem gero.

Matth. c. 3. v. 7. Peccatores viperas appellat Joannes Baptiſta, Præcurſor Domini, vox Verbi.

Cap. 5. Equos Jeremias, non ſine luctu, lacrymis, triſtique nænia.

Cantic. c. 2. Vulpeculas Salomon, hauſta divinitùs ſapientia.

Pſalm. 48. Jumenta David, Vir ſecundùm cor Dei.

Luc. c. 10. Lupos ipſe Chriſtus, ipſa Veritas. *Neque enim* (ut
Hom. 23. in Gen. doctè Chryſoſtomus) *ſpeciem habere hominis, & oculos, & nares, & os, & genas, & cætera membra hominem eſſe oſtendunt: ſed & virtutibus eſſe deditum, & vitia fugere, & illicitis affectionibus imperare, & mandatis Dominicis obtemperare; iſta demum hominem oſtendunt, & probant.*

Quod ipſum explicat D. Ambroſius, ponitque in eo diſcrimen juſtum inter & impium; quòd iſte ho-
Serm. 10. in Pſal. 118. mo, hic bellua dicatur. *Scriptura*, inquit, *eum hominem dicit, qui eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Peccantem autem non hominem; ſed ſerpentem, aut equum aut vulpeculam, aut jumentum vocare conſuevit.* Tum deinde ſubjicit, & opportunè monet: *Vide ne quod Deus tribuit, amittas: poſtquam enim peccaſti aliud eſſe cœpiſti, & illud quod eras eſſe deſiiſti. Condemnaris autem in eo, quod ipſe mutatus es ut fieres ex homine ſerpens, mulus, equus, vulpecula: his enim nominibus jam nos Scriptura damnavit, qui exuti cœleſtis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis non tenemus.* Hæc S. Ambroſius. Cum quo conſpirat Euſebius ex ipſo totius Antiquitatis & communi Hebræorum ſenſu, ne hanc appellationem neotericam putes. *Apud Hebræos*, inquit, *Lib. 7. de præpar. Evang. c. 4.*
Enos verus homo interpretatur. Neminem enim putant eſſe verum hominem præter eum, qui verum Deum agnoſcit, & piè colit: alios verò nihil à pecoribus differre arbitrantur, quia veluti beſtiæ ad terram proni, ventri & Veneri obediunt, quorum alios lupos, alios canes, alios porcos, alios ſerpentes variâ quadam vitiorum ſimilitudine Scriptura Iudæorum appellare conſuevit.

Ac ne putes viros illos à ſanctitate morúmque innocentiâ illuſtres ea dicere ex quadam eloquentiæ vi, ac vóque devotæ mentis; è profanis unum accipe, & ex eo diſce quid loquantur omnes.

Philo Hebræus non tam nominatus à moribus & *Lib. de legibus non ſcriptis.*
vita, quàm à calamo ſcriptiſque, ita de hoc argumento philoſophatur: *Nemo injuſtus eſt homo, ſed potiùs beſtia, humanâ formâ prædita: in ſolum enim juſtitiæ ſectatorem nomen hoc competit.* Rationem hujus appellationis ſi inquiras, invenies in eo eſſe; quòd ſolo vitiis, inſanáque libidine abjectas brutorum affectiones apprime referat homo, exprimátque.

Canibus ſua ſedet impudentia, & ea quoque pec- *Cap. 56.*
catoribus inſidet: ideóque ab Iſaia dicuntur *canes muti non valentes latrare.* Muti ſunt ad Dei laudes; ad alia benè loquaces & ſonori: ad officii ſui rationes, gregémque à lupis ſervandum elingues; ad cætera impudentiore linguâ latrantes.

Equis ſua eſt libido, eáque effrænis & indomita: ſua quoque peccatoribus eſt, in quos illud Jeremiæ
effatum: *Equi amatores, & emiſſarii facti ſunt; unuſ-* *Cap. 5. v. 8.*
quiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.

Porcis ſua placet voluptas, eáque luto merſa & ſordida: & ſuæ peccatoribus deliciæ; ſed luteæ & fœculentæ. Hanc ob cauſam benè monet Chriſtus:
Nolite mittere margaritas veſtras ante porcos. *Matth. 7.*

Aſinum occupat & perdit bardum ingenium, innatus ſtupor, & inſita ſtoliditas, quæ etiam peccatorem invadit; comparatus eſt enim jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Serpentem inficit, & hominum generi noxium, inimicum, exoſum facit latens veneni lues; quam quiſquis hauſerit, malè peribit. Et ſua peccatores
venena ſpargunt: *Venenum* enim *aſpidum ſub labiis* *Pſalm. 13.*
eorum, quod adeò fugit oditque Propheta Regius, ut cœlo Deóque ſupplex inclamârit ſæpiùs: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Hebræa vox exprimit, *oleum amaritudinis, oleum veneni, oleum toxici.* Habet nimirum illud peccatoris lingua, dum ungit, pungit; & unà cum oleo venena diffundit.

Vulpem ſua tuetur aſtutia, malæ artes, doli ferax, & artifex ingenium execrabilem reddit. Ita Herodem ſuperis inferiſque exoſum fecit doloſus animus, & vulpinâ pelle tectum ingenium. De quo extat illud Chriſti: *Dicite vulpi illi.* Et ſuus eſt peccatori vulpinus animus, malorum artium dolique officina.

Ab hac vitiorum omnium colluvie, quæ peccatorem tegit & obruit, evenire ſolet, ut ubi de eo quæſtio ſermóque inciderit, vix ſcias quo illum nomine appellare velis, aut poſſis. Et verò neſcivit ipſe Chryſoſtomus, cui ut aurea foret eloquentia, doctáque ſati de quolibet; ubi tamen peccatoris nomen incurrit, dubius hæret, quò verba ſtylúmque vertat. ita porrò vertit: *Unde fidelem te eſſe potero cognoſcere, cùm omnia contrariam de te ferant ſententiam, teq; apertiſſimè infidelem eſſe convincant? Et quid dicam? Verùm fidelis? Nec ſi homo verè ſis, poſſim evidenter agnoſcere: quando enim ut aſinus calcitras, ut taurus ſuperbis, libidine incenſus hinnis ut equus; quando in epulis aſinorum voracitatis vitatum, & pinguedine corpus mulorum more diſtendis; cùm execrandâ ſimultate camelum, lupum imiteris rapinâ; cùm iraſceris ut ſerpens, & atrocitate ſcorpionum percutias; cùm ſubdolè inſidieris ut vulpes; cúmque venena malignitatis armeris ut coluber, & vipera; tùm quaſi diabolus ipſe adverſus*

fratres

fratres crudelia bella ſuſcipias: quâ ratione in hominum te poſſum numero collocare? Nullâ in te cernens humanæ ſigna naturæ? O rem plenam doloris atque lacrymarum! Fidelis & catechumeni diſcrimen reperire cupiebam; ſed nec inter homines & feras quod ſit diſcrimen invenio: quid enim te appellare debeo? Feram? Sed illæ uno aliquo horum vitio tenentur: tu verò ſimul in te omnia colligendo, longè ferarum irrationabile ſtultumq́; genus transgrederis. An diabolum te potiùs appellem? Sed ille nec pecunias concupiſcit, nec tyrannidi ventris obſequitur. Cùm igitur plura in te vitia ſint, quàm in beſtiis atque dæmonib; reſponde obſecro unde te poſſim jure hominem nuncupare? Si verò te hominem appellare nequeo, quo tandem modo te fidelem vocare? Hactenus Chryſoſtomus. Ex quo habes peccatorem, nec hominem, nec feram, nec dæmonem, nec aliud quidvis appellari poſſe: ſupereſt ergo ut dicatur & ſit anonymus; ut infrà etiam oſtendemus.

PROPOSITIO V.

Nomen peccatoris, Benoni, id eſt, filius doloris.

SOlet aliquando improviſus afflictæ matris dolor naſcenti proli nomen facere. Ita quintò-genitus S. Ludovici filius à Parente invicta Heroina, Margareta, Galliarum Regina, dictus eſt Joannes Triſtans; quòd natus eſſet in ſummo matris luctu ac triſtitia; cùm ſcilicet in Terra Sancta captivus teneretur Pater. Ita multis antè ſæculis à matre Rachele, Benjaminus dictus fuit Benoni, filius doloris.

Quòd ſi ex hac illáve appellatione aliquid in rem meam derivare liceat; dicam in præſentia, Eccleſiæ matri id eſſe peccatorem, quod hic aut ille Genitrici fuit. Si enim captivo Patre Triſtantis ille nomen accepit; & peccator ſceleratæ conſuetudinis quodammodo vinculis impeditus, ab illis Triſtantis nuncupationem mutuari poteſt. Et quia ea triſtitia non in eo ſiſtit, ſed ad ipſam quoque matrem Eccleſiam derivatur; ab ea dici poteſt Benoni, filius doloris mei. Cùm eſſet Rachel inter partus
Gen. c. 35. v. 18. mortiſque anguſtias, *vocavit nomen filii ſui Benoni, id eſt, filius doloris mei.* quòd is fœtus non tam emiſſæ prolis, quàm immiſſi doloris eſſe videretur: dum enim illi vitam daret, ab eo mortem accepit; ſicque à matre vixit ſpiravitque filius, & à filio expiravit, & mortua eſt infelix mater.

Quod Racheli Benjamin, hoc Eccleſiæ Peccator eſt. Ubi primùm hic fidem accepit, viſus eſt concipi, & communis matris utero geſtari: ubi deinde ad gratiæ diem lucemque venit, viſus eſt edi. Felicem putares ac fortunatam hac prole matrem Eccleſiam. Quis enim credat matri à prole ſua non fore quàm optimè? Etſi enim aliquis ſit in ipſo partu dolor, aliquæ ſint anguſtiæ; eas tamen omnes detergere & eluere ſolet vel unus ipſe prolis aſpectus. Ita experientiâ didicimus, ita accepimus ipſo primæ
Joan. c. 16. v. 21. Veritatis oraculo: *Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Natus enimverò eſt: at ita natus Peccator, ut matris dolori lacrymiſque natus videatur.

Si grave peccatum eſt, inquit Ambroſius, *quod pœnitentiæ lacrymis ipſe lavare non poſſis; fleat pro te mater Eccleſia, quæ pro ſingulis tamquam pro unicis filiis vidua mater intervenit. Compatitur enim quodam ſpiritali dolore naturæ, cùm filios ſuos lethalibus vitiis ad mortem cernit urgeri.*

Ab illo dolore ſenſúque piæ matris non ipſa tantùm ingemit & illacrymatur; ſed etiam ad ſocios gemitus, lacrymáſque, ſuos miniſtros, evocat, mutuſta voce Joëlis Prophetæ; qui jam inde à primis ſæculis hanc Sacerdotibus legem ſcripſit: *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Joël c. 2.

Jubet Propheta ut inter templi veſtibulum & altare holocauſtorum, id eſt, in atrio ſuo ſupplices orent ac plorent; tum ut populus eos ſpectare poſſit, & ad communes lacrymas commoveri, ut vult Divus Hieronymus: tum quia inter cætera, hoc vel maximè miniſtris Eccleſiæ incumbit, ut peccata populi profuſis lacrymis eluant.

Hac de cauſa priſci Sacerdotes, & etiam modò noſtri, ſudario utebantur; de quo Amalarius libro de Eccleſiaſticis officiis ita ſcribit: *Propter effuſionem* Lib. 3. c. 24. *lacrymarum tergendam fertur ſudarium, ut in Martyrologio Beda legitur, quòd Pater noſter Arſenius, propter redundationem lacrymarum tergendam, ſemper ſudarium in ſinu vel in manu habuerit. In manu ſiniſtra portatur, ut oſtendatur in temporali vita tædium nos pati ſuperflui humoris, hoc eſt, carnalis delectationis.*

Hoc ſudarium Beda vocat *mappulam*: nos *manipulum* dicimus; quem ubi Sacerdos induit, ita precatur: *Merear, Domine, portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.*

Ex quibus habes, manipulum ſervire primùm ut excipiat lacrymas, quas devotio piúſque animi ſenſus elicit; deinde ut exprimat, ut educat uberes & amaros pœnitentiæ fontes, quibus omnis peccati lues, omnis ſcelerum contagio detergi poſſit.

Videat Sacerdos, qui manipulum brachio inſerit, an etiam animo inſerat eos ſenſus motúſque pietatis: ſi ita ſecum agi ſenſerit, benè habet; aſcendat ad aras, Deóque immortali ſacrificet: ſin autem ſecus, altari ſacriſque abſtineat, ne vel ipſa veſtis accuſet, & indignum aris arguat. Sed ne à propoſito ſcopo longiùs deflectamus; concludamus illud. Si in Sacerdote, ut membro principe, dolet, luget, lacrymatur Eccleſia; neceſſum eſt ut peccator, cui funditur ille dolor, luctus, lacrymæ, ſit Benoni, ſit filius doloris, luctus, lacrymarum.

Is olim fuit Auguſtinus, qui Monicæ matri tot gemituum, ſingultuum, lacrymarum cauſa fuit, ut de iis pronuntiarit Ambroſius: impoſſibile eſſe ut filius tot lacrymarum periret.

Is etiam naſcenti Eccleſiæ fuit Saulus, verè filius doloris: quos enim in ejus partu dolores, quos cruciatus, quas anguſtias non tulit, in quibus penè expiravit? Et ſanè expiraſſet, niſi affuiſſet in terris Proto-martyr aliquis, qui ex Saulo Paulum, ex Benoni filio doloris, Benjaminum filium dexteræ feciſſet. Fecit autem quà precibus, quà lacrymis, quà fuſo per ſaxa ſanguine.

Quamquam nec unus ille id fecit; majoris enim erat molis ex Saulo Paulum, ex perſecutore Apoſtolum reddere, quàm ut hoc uni Stephano concederetur: adeſſe debuit è cœlo Jacobus alter, aſpirare debuit JESUS, & quà fulmine, quà tonitru divinæ vocis aliud inſonare nomen; nomen dico Benjamini, à quo Saulus diceretur filius dexteræ, hoc eſt, amabilis, felix, fortunatus, validus, fortis.

Is plerumque eſſe ſolet maximè omnium amabilis, & parenti longè cariſſimus, quem ultimò genuerit laſſa jam & quaſi effœta natura. Is Jacobo Benjamin, & Chriſto Saulus fuit: Apoſtolos enim alióſque & ſibi, & Eccleſiæ peperit cùm adhuc ſuperſtes eſſet, cùm ſpiraret in vivis: at ubi mortuus eſt, ubi terris exceſſit, Paulum genuit natu minimum, & Parenti ſuo poſthumum; ideóque filium dexteræ, hoc eſt, præ cæteris amabilem; nec amabilem modò, ſed & felicem ac fortunatum.

Ex hoc uno fortunam ejus ac felicitatem emetire, quòd jam inde cùm adhuc implexus eſſet & impeditus corporis vinculis, evaſerit tamen, & in ſuperos ipſúmque cœlum evolarit, ibíque aperto & paterni

patenti mentis oculo Deum ipſum divinamque eſſentiam ſit contemplatus: quod Apoſtolorum, quod mortalium fortè conceſſum eſt nemini. Hoc nimirum eſt quod ſtupet & jactat D. Chryſoſtomus, ubi de Paulo ait: *Tricubitalis eſt, & cœlos ſideraq; tranſcendit.*

Ad hanc felicitatem indulgentemque cœlo fortunam acceſſit robur arduæ præcelſæque mentis, quod ipſo Benjamini nomine portenditur. Vis illud noſſe? Loquuntur & clamant exantlati labores, ærumnæ, flagella, mortes: eos jactant & deſpumant irata maria, feri fluctus, adverſæ procellæ, quibus mergi potuit, non immergi: eos teſtatur & gemit inſana tyrannorum vis & Orbis ipſe, qui Paulo penè totus incubuit, & cui ferendo par, imò & ſuperior fuit: eos denique in omnium aures & animos inferunt illæ voces teſtes invicti roboris:

Ad Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro.*

Hæ Benjamini, hæ Pauli, hæ juſti voces: quas utinam audiat peccator, quem hodie Benoni, filiumque doloris inſcribo: certè ſi audiat, ſi admittat in animum erit aliquando afflictæ matri Benjaminus, filius dexteræ, hoc eſt, amabilis, felix, fortunatus.

PROPOSITIO VI.

Nomen Peccatoris Saulus.

QUod in ſcena tragœdus aut Comœdus aliquis, hoc plerumque mortales in vita: iſti nomen mutant, ubi perſonam mutarint; & hi quoque alio atque alio dicuntur nomine, ubi vel à vitio, vel à virtute, à ſeipſis alii atque alii fuerint. Exemplo erit Apoſtolus, qui dum Eccleſiæ perſecutor eſſet, audiit Saulus: cùm deinde in ejus gremium admiſſus, eſt Paulus nominatus. In illo peccatorem agnoſces; in hoc juſtum videbis.

§. I.

Genuina Sauli & Peccatoris notio.

SUnt qui credant eamdem eſſe Sauli & Pauli notionem, hoc uno diſcrimine, quòd Saulus ſit Hebræum nomen, Paulus autem Latinum. Ex Hebræo in Latinum vertit vel in baptiſmo, ut opinatur S. Damaſus; vel, ut alii, cùm primùm Latinis fidem è pulpito explanare cœpit: eo nimirum conſilio, ut illa Latini nominis communione veniret etiam in communionem amoris: fit enim neſcio quo naturæ genio nexuque, ut ipſa linguæ nominíſque cognatio plurimum faciat ad cognationem animorum.

Ex horum Auctorum ſenſu ac judicio Saulus & Paulus, id eſt, poſtulatus, vocatus.

Poſtulatus à Synagoga Saulus, ut Chriſtum perſequeretur: poſtulatus à Stephano Paulus, ut ſequeretur.

Vocatus à Synagoga Saulus, ut veram fidem, religionem, cultum diſturbaret, everteret, penituſque extingueret: vocatus à Chriſto Paulus, ut eam jacentem erigeret, afflictam excitaret, ſopitam accenderet.

Vocatus à malo dæmone Saulus, ut inveteratam Judæorum perfidiam, durámque cervicem ſuſtineret: vocatus à bono genio Paulus, ut eam vel molliret, vel frangeret. Ecce ut uno eodémque nomine hinc & inde luditur: hoc quidem ex eorum ſententia qui exiſtimant Sauli Paulique ſignificationem eamdem eſſe: aliter tamen cum aliis puto ſentiendum.

Sit Saulus perſecutoris, ſit infandum peccatoris nomen; ſit Paulus Juſti, ſit Apoſtoli: certè ejuſmodi eſſe, ex Hebræo Græcóque fonte deduco.

Vox Saulus petitur ab Hebræo *Scheol*, id eſt, infernus: ut enim infernus ſemper aperitur, pateſcit, & hiat in prædam; ita ſurgentis Eccleſiæ damnis, Chriſtianorum prædæ totus aperiri, pateſcere, inhiare Saulus; ut ei quàm optimè conveniret illud Jacobi de Benjamino vaticinium: *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia.* Geneſ. 49.

Fuit enimverò, fuit Eccleſiæ Saulus lupus rapax; *manè*, id eſt, in primo efferveſcentis ætatis æſtu inſtar lupi rapacis prædas egit, comedit, voravit. At veſpere, id eſt, inclinata in melius ætate, diviſit ingentia virtutum, gratiarum, animarum ſpolia: imò ſeipſum ſpolium fecit, & inſtar ovis manſuetæ & corporis vellus, & omnes animi nervos Deo reddidit.

Ad hoc benè doctus ab *Anania*. à quo enim potiùs? *Ananias*, Hebraicè, id eſt, *ovis*: ab illo Saulus, qui lupus fuit, ut deinde ovis eſſet, accepit. *Adductus eſt*, inquit Auguſt. *ad Ananiam; & Ananias interpretatur ovis. Ecce lupus rapax adducitur ad ovem ſequendam, non rapiendam: & ne rapientem ovis expaveſceret lupum, ipſe Paſtor de cœlo, qui omnia faciebat, nuntiavit lupum venturum ovi, ſed non ſaviturum: & tamen tam immanis fama lupum illum præceſſerat, ut non poſſet ovis, audito ejus nomine, non conturbari. Sed lupo ſævitia interdicitur. Lupus ad ovem captivus ducitur. Ab agno pro ovibus mortuo, fit ovis ſecura de lupo.* Hæc D. Auguſtinus de Saulo, cui olim & lupi dentes, & inferni fauces fuêre. Ex quoque tibi ſunt quiſquis lethali noxæ obnoxius teneris: Saulus es, infernus es. Ut enim infernus impleri poteſt; expleri omninò non poteſt: ita libido tua inſanæque cupiditates ali quidem ac foveri poſſunt; ſatiari verò extinguive non poſſunt. Ideóque benè Vates Habacuc avarum, ſuperbum eum inferno, cum ipſa morte compoſuit: *Vir ſuperbus*, inquit, *non decorabitur: qui dilatavit quaſi infernus animam ſuam: & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.* Jam inde ab Orbe condito patet infernus, & prædas haurit; & tamen ſemper in alias atque alias inhiat: nec umquam dicit, Sufficit; ſed quò oppletur magis, hoc magis & magis oppleri obruique ſatagit: ut non immeritò infernus dicatur Orcus, ab urgendo, quòd in interitum omnia urgeat ac præcipitet: quod & facit ipſa mors, quæ licèt omnium qui hactenus fuerint ſanguinem vitámque exhauſerit, omnium funera viderit; iis tamen non eſt ſatiata. adeò hominum fatis funeribúſque paſcitur. Cap. 2. v. 5. Feſtus.

Neque verò mitior tua fames ſitiſque, ô peccator! inſatiabilem cupiditatem eleganti ſimilitudine exprimit Sapiens: *Tria*, inquit, *ſunt inſaturabilia, & quartum, quod numquam dicit, Sufficit. Infernum, & os vulvæ, & terra, quæ non ſatiatur aqua: ignis verò numquam dicit, Sufficit.* quibus verbis veluti ſtylo digitóque notat quatuor hominum vitia, quibus obruitur & fatiſcit omnis ætas. Prov. c. 30. v. 15. & 16.

Avaritia infernus eſt, de quo vetus illud pronuntiatum: *Avarus vir inferno eſt ſimilis: infernus enim quantoſcumque devoraverit, numquam dicit, Satis eſt. Sic etſi omnes theſauri confluxerint in avarum, numquam ſatiabitur.* Pſeudo-Auguſt. in lib. de ſalutaribus docum. c. 30.

Hanc auri famem pluſquam caninam etiam aperit & damnat hoc D. Chryſoſtomi effatum: *Avarus in omnes ut mors inſiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis humani hoſtis; quippe qui nullum hominem eſſe vellet, ut omnia poſſideret.* Ita generi noſtro noxia eſt avaritia, ut ei pro morte, pro inferno, pro gehenna ſit: quamquam & ipſa primùm Hom. 29. in Matth.

ſibi

ſibi mors, infernus, gehenna eſt: ut enim alia vitia expiet inferni cruciatus, avaritiam tamen & inſanam oculorum concupiſcentiam extinguere non poteſt: inferos illa pervadit, & ſibi pœna eſt tormentumque longè graviſſimum. Te revoco, mi Lector, ad ipſa Epulonis tempora, infandóſque cruciatus. *Elevans oculos ſuos, cum eſſet in tormentis vidit Abraham. In tormentis erat*, inquit Chryſoſtomus, *& oculos ſolos liberos habebat ut alterius divitias poſſet aſpicere: propterea dimittuntur oculi liberi, ut magis torqueatur qui non habebat quod alius tenebat: aliorum divitiæ, eorum qui in paupertate ſunt, tormenta ſunt.*

Alterum ſcelus, à quo laborat homo eadem fame ſitique, eſt veſana libido, aut etiam gula, quibus nunquam fit ſatis: aut ſi mavis tam hæc quàm illa: vicinæ quippe ſunt Venus & gula, nec ab invicem facilè divelli poſſunt. Ut enim D. Hieronymus: *Semper ſaturitati vicina eſt laſcivia: vicina igitur ſunt, venter & genitalia; pro membrorum ordine etiam vitiorum.* utque ſuus illis ordo, ita ſua inexplebilis cupiditas.

Aliud vitium quod cum inferno in ſua voragine conſpirat, eſt ira præceps, odiúmque inveteratum, quod Sapiens componit cum terra, quæ aquæ bibula eſt; aquam appetit; nec ea tamen ſatiari poteſt. De ea eleganter & ſcitè Plutarchus: *Sicut ſiccitas terram ſcindit, & laxiores quaſdam rimas, & ora indecorè aperit; ſic ira hominem corripiens os laxat, & in maledicta, probra, & contumelias inhoneſtè ſolvit.*

Quartum peccati genus, eſt inſolens ambitio, & inſana quædam gloriæ appetentia: ea ubi hominem invaſerit, ſui impotem, mirè cupidum & inſatiabilem reddit; idcóque à Salomone cum igne comparari ſolet: ut enim hic objectam ſibi materiam occupat, incendit, depaſcitur, ſuóque pabulo magis ac magis augetur, & in immenſum evadit incendium: ita cupido gloriæ, obvios quoſque dignitatum honorúmque gradus inſcendit: nec tamen in eorum aliquo ſiſtit, ſed altiùs aſſurgit, eminet, acriuſque inflammatur: diceres illi tantum addi fomitis, quantum famæ honoriſque acceſſerit. De eo pulchrè Seneca: *Numquam*, inquit, *improba ſpei,*

In lib. 2. de benef. *quod datur, ſatis eſt; omnia meruiſſe ſe exiſtimat, nec ſatis pretio æſtimatam putat. Majora enim cupimus, quò majora venerint, intentióque concitatior eſt: ambitio enim ſive cupiditas, ut flamma infinita vis, acrior eſt, quò ex majori incendio emicuit.*

Et hæc paucis dicta velim de malo genio horum vitiorum; ad quæ me duxit notio Sauli, & peccatoris.

Ab hac aliam accipe, & quæ huic & illi communis ſit. Sauli nomen alii ex Græco mutuantur à voce σαλὸς, id eſt, inquies, commotio, fluctus & æſtus quidam irati maris. Is fuit Saulus, cùm adhuc antiquæ legis & ſynagogæ ſalo jactaretur: volvebat ille inſanos irarum fluctus, & fœdas tempeſtates in Eccleſiæ littora portúſque devolvebat; idcóque benè tum audiit Saulus, quia fluctuum inſtar inquietus, animi elatione tumidus, & Eccleſiæ matri peramarus. Ejuſmodi ſunt peccatores, de qui-

Cap. 57. verſ. 20. bus illud Iſaiæ vaticinium: *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.* Cum Iſaia deinde conſenſit Judas Apoſtolus, qui gravia, ærumnoſa, horrenda nomina congerit in faciem & ignominiam peccatorum. Appellat enim eos *in epulis ſuis maculas,*

Epiſt. Iudæ v. 12. *nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſas, bis mortuas, eradicatas, fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia; quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.*

Et meritò, ut omittam cætera, dicuntur *fluctus feri maris.*

Primùm quia ut varium, inconſtans, turbidum eſt illud elementum, in quo

Seneca. *Vento reſiſtit æſtus, & ventus retro.*
Æſtum revolvit, nec capit ſeſe mare.

Ita nec ſeſe capiunt ac continent impii, dum tot patiuntur æſtus adverſóſque turbines, quot in animo paſſiones rotant.

Tum deinde, quia ut fluctus efferi navim pulſant & quatiunt; ita impii ſuis ſceleribus veluti quibuſdam procellis Eccleſiam petunt atque agitant. Verùm ut tumentes iratique fluctus ad littora ſcopulóſque alliſi diſſiliunt, in ſe ipſi revolvuntur, & arietant, tandémque in ſpumas evaneſcunt: ſic impii, ſic hæretici in Eccleſiæ petram incurrentes, in ſuam ipſi perniciem jugulúmque reflectuntur, ſéque invicem obruunt & conficiunt. Sed hæc Sauli notio petita è metaphora, & concitati maris ſimilitudine: aliam malo, quæ magis genuina videtur, & affinis peccatori, in qua nihil alienum eſt, nihil è tropis figuriſque mutuatum; ſed ex ipſis cauſæ viſceribus, naturáque depravatæ mentis: quam bellè exprimit Sauli appellatio, deducta à Græca voce σαλὸς, id eſt, vitioſus, fluxus, delicatus, leviuſculus: talis audiit Saulus Eccleſiæ Chriſtique perſecutor. Et ipſe talis etiam audies; niſi tuis ſceleribus Eccleſiam matrem, & Chriſtum patrem perſequi deſtiteris. Ut porrò deſiſtas, tibi ſubjicio nomen aliud, quod induas, ut ex Saulo Paulus evadas.

§. II.

Genuina Pauli & Iuſti notio.

VBi divina Providentia unum aliquem ſibi & cœlo altiùs aſcribere voluerit, ſolet in ejus nomine ludere, illudque mutare in melius; imò quandoque & ſæpiùs facere ut in aliquam divini nominis veniat communionem. Ita primis ſæculis in nomine ſervi ſui Job luſiſſe videtur. Erat ille futurus oſtentum fortitudinis, patientiæ miraculum; ei præluſit Deus in nomine: cùm enim anteà diceretur *Ob*, id eſt, Propheta; divinus amor ingenioſus artifex ex ineffabili Dei nomine *Iehova* primam litteram addidit, ut pro *Ob* Propheta, diceretur *Iob* Propheta Dei.

Ita deinde poſt ſeros annos & ſæcula, cùm Abrahamo longam poſterorum ſeriem in divinis ideis deſcripſiſſet; ut eam vel ipſo ſolo nomine portenderet, nomen mutavit, & pro *Abram*, id eſt, excelſo Patre, appellavit *Abraham*, hoc eſt, Patrem multarum gentium. Et quod in eo mireris & ames, è ſacroſancto ſuo nomine *Iehova* detraxit litteram *He*, ut eam insereret nomini Abraham: nimirum is ſolet eſſe ludus divini amoris, ea bonitatis ejus inclinatio. de qua Divus Hieronymus ait: *Quam litteram de ſuo nomine communicari voluit Deus cum nomine Abraham, ut oſtenderet non modò ſe bona ſua impertiturum ei, verùm etiam ſeipſum.*

Quantum autem ab una littera divini nominis ſortitus ſit boni, vel hinc intellige, quòd ex ea audierit pater multarum gentium, ſenſeritque futuram ſibi eam progeniem, quæ & cœli ſtellas & arenas maris æquaret.

Quod Jobo, Abrahamo, aliiſque paucis: hoc & Paulo factum amo, ac demiror. Cùm ille Chriſtum perſequeretur, dicebatur Saulus: at ubi primùm ſequi cœpit, mutato nomine appellatus eſt Paulus, veniſque in communionem aliquam divini nominis Meſſiæ; Meſſias enim Hebraicè dicitur *Pele*: primam ejus litteram induit, ut ex Saulo Paulus fieret, ex perſecutore Apoſtolus, & quaſi Meſſias alter.

Cecinit olim Poëta non tam veritatis, quàm aſſentationis ſtudio:

Diviſum imperium cum Iove Cæſar habet.

Ego ex vero dicam, & ſine aſſentationis nota; Divinum imperium cum Chriſto, cum Meſſia Paulus habet.

Abierat Orbis in duas omninò ſectas; Hebræorum erat altera, altera Gentilium: illa Chriſto & Meſſiæ data; at Paulo ceſſit altera. Hebræos intra anguſta Judææ ſpatia cancellóſque habuit tenuitque Chriſtus: at Paulus Gentiles Orbe toto fuſos ſpectavit, vocavit, & Eccleſiæ adjunxit: ea nimirum eſt Pauli gloria, ea laus, quæ in annos & ſæcula, ipſámque æternitatem excurret. Duxit illa principium ab inſita nomini littera divini nominis: tantum intereſt ad ſalutem decúſque æviternum, quo apud ſuperos audias nomine.

Quæ Paulo fortunata ſors obtigit, eadem ferè & Juſtis omnibus; quos vel ex eo extulit Vates Regius, quòd in aliquam Dei ſortem eſſent admiſſi: Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi*, inquiebat, *Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Nomen illud, & lucem adnatam illi nomini mirè commendat D. Joannes, & in omnium oculis eſſe verſaríque vult: *Videte*, ait, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.*

Conſultò jungit hæc duo, *nominemur*, & *ſimus*: quia, ut pulchrè D. Auguſtinus, *Qui vocantur, & non ſunt, quid illis prodeſt nomen, ubi res non eſt? Quàm multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quàm multi vocantur vigiles, qui totâ nocte dormiunt? Sic multi vocantur Chriſtiani, & in rebus non inveniuntur; quia hoc quod vocantur non ſunt, id eſt, in vita, in moribus, in fide, in ſpe, in charitate. Hic autem quid audiſtis fratres? Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur, & ſimus.*

Ab illo Dei nomine, quod accipit Juſtus; primùm enaſcitur illud boni, ut ſe ipſe ſupra ſe, ſupra quidquid Deo inferius eſt, erigat; ut aliis amori ſit ac venerationi: quod ipſum ſuſpexerunt Gentiles, qui ſe Deorum filios dici credíque voluerunt, ut falsâ illâ perſuaſione ſibi nomen famámque inter homines conciliarent. Ita Alexander Macedo ſe Jove prognatum, Romulus Marte, Julius Cæſar Venere, Scipio Africanus divino ſemine ortum ſe vulgavit: quòd crederent ad res benè feliciterque gerendas plurimum conferre auguſtum illud & divinum nomen. Ut enim Varro apud Auguſtinum: Lib. 4. de Civit. c. 4. *Utile erat Civitatibus, ut ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex Diis genitos eſſe credant: ut eo modo animus humanus velut divinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audaciùs, agat vehementiùs; & ob hoc impleat ipsâ ſecuritate feliciùs.*

Si error ille ſuperbæ mentis, & falsâ Deitatis affectatione malè hauſta opinio, tantum in Ethnicorum animis potuit, ut eâ freti quidlibet aggredi tentaréque auderent; quid in Juſtorum animis non poterit mutuatum à divina charitate nomen, & expreſſum, imò impreſſum ipſo oraculo primæ Veritatis? Multum enimverò, multum omninò poterit; nec ei difficile quidquam, aut etiam adynaton erit, qui ſe Dei filium nominari, & verò etiam eſſe animadverterit. Hoc igitur primum ab illo nomine præſidium eſt. Addo & alia ex D. Cypriano.

Libro de Spectaculis ita de iis diſcurrit: *Nunquam humana opera mirabitur quiſquis ſe cognoverit filium Dei: dejicit ſe de culmine generoſitatis, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt.*

Et hoc conducit ad excelſos animos & rebus omnibus ſuperiores; quæ conſequuntur, conferunt ut vis omnis hominis adverſa vel eludatur feliciter, vel frangatur fortiter.

Cùm igitur blanda titillatione, mollíque voluptatum ſuarum illecebra te ipſa caro ſollicitabit; pro ſcuto objicies illud: *Filius Dei ſum. Ad majora natus ſum, quàm ut me ventris mancipium efficiam.*

Cùm ex adverſo ſtabit mundus, & auri fulgor pretiúmque, quo etiam arces arduas, & loca munitiſſima expugnare ſolet: cùm, inquam, aurea tela, quibus etiam ferrum & armatæ acies pervix concedunt, oſtentabit; pro umbone erit & illud: *Dei ſum filius, cœleſtibus opibus deſtinatus: indignum ergo ut terra alba aut rubea punctum conſectet.*

Cùm denique è ſuo carcere erebíque faucibus, in auras, in campum evadet malus dæmon; cùm ignea torquebit, vibrabitque jacula; honoris, inquam, & vanæ gloriolæ tela; & illa ſic falles ac declinabis: *Vade Sathana in gehennam: abſit ut filium me efficiam diaboli, qui filius & hæres ſum Dei. Regno æterno natus, omnem terræ honorem pompamq́ue velut fumum calco, & pedibus premo.* Ita vel uno Dei tui nomine velut umbone tectus, omnia hoſtium tela retundes & franges.

§. III.

Aliæ Pauli & Iuſti notiones, è varia unius ejuſdemq́ue nominis etymologia petitæ.

INter ea nomina, quæ vel homo vel Deus homini imponit, hoc intereſſe ſolet; quod iſta plerumque inania, plerumque falſa ſint, & vacua ejus boni quod ſignificant: hæc autem bonum omen, quod piæ ſe ferunt ſemper exhibent, & augent in melius. Appello primam Orbis infantiam, ejúſque fidem: ea duos habuit Adami filios: Primogenito mater nomen dedit Cain, id eſt, poſſeſſio; dicebat enim; *Poſſedi hominem per Deum.* Erravit Gen. c. 4. v. 1. tamen, & in eo mirum quantum deſipuit: nec enim hominem & filium poſſedit: fuit enim Cain *vagus* vers. 12. *& profugus ſuper terram.* Secundogenitum appellavit Abel, hoc eſt, vanitas: & in hoc errore cæcæ mentis malè capta: nec enim vanitatis ſtudioſus fuit Abel, ſed veritatis & ſanctimoniæ. Fuit Evæ venia danda: ſubivit illa communem hominum aleam, qui plerumque in affingendis nominibus falluntur, & errant. Non ſic Deus: facit ille animos nomini pares; & quidquid in nomine portendit, hoc deinde in reipſa ſolet exhibere. Teſtor ipſas Eccleſiæ cunas, primámque infantiam: ea, ut cæteros taceam, duos Orbi Chriſtiano dedit filios, duos Apoſtolos: hinc Petrum veluti primogenitum, inde Paulum ultimò genitum, imò Parenti Chriſto poſthumum: utrique nomen mutavit in melius. Ille Cephas dictus, hoc eſt, petra, & firmum Eccleſiæ fundamentum; hic Paulus nominatus. De hoc mihi in præſentia quæſtio, quid portendat? Bonum enimverò, & immenſum quidem: tum quia à Deo inditum, tum quia ex ipſo Dei nomine aliqua ſui parte derivatum: tum denique quia felicem ſortitur etymologiam, ſive eam è Græco, ſive ex Hebræo fonte petieris: ſunt enim qui hanc ament, ſunt qui illam velint & ſequantur.

Qui è Græco derivant Pauli nomen, mutuantur ἀπὸ τοῦ παύειν, id eſt, quieſcere: ex quo Paulus quies dicetur, & erit.

Ab illo agitatæ Petri naviculæ ſua quies, ſua Eccleſiæ pax reddita: nam & efferatos Judæorum animos pacare cœpit; & Latinos, qui mitioris erant ingenii, Chriſto adjungere: ab illa quiete meliùs excoli novellus ager, & in bonam ſementem excreſcere, in fructus abundare: utque creſceret atque abundaret magis, ipſe Paulus in laboris operæque partem venit, quod & ipſum nomen portendebat.

Pauli quippe notio ab Hebræo *Paal* derivari poteſt: opportunâ ſanè etymologiâ: *Paal* enim, id eſt, operatus; ex quo Paulus dicetur operarius: quod nomen illi convenit quàm optimè.

Fuit olim, eritque in ævum Eccleſia Chriſti vinea: in eam evocati qui excolerent, & primùm quidem Apoſtoli: hi ſummo manè vocati ſunt, cùm adhuc in terris ſurgeret, cùm luceret Chriſtus. Paulus autem vocatus ſub veſperam, poſtquam Eccleſiæ Sol Chriſtus occidit, hoc eſt, duobus annis ab occaſu mortéque Chriſti; cùm ipſe jam eſſet annorum triginta quatuor. In ea Domini vinea laboravit, ſudavit, incubuit annis etiam triginta quatuor,

tuor, ut quantum ingratæ novercæ, ſynagogæ inquam, dederat æſtis, tantum deinde benignæ matri, putà Eccleſiæ, concederet. Ex certè conceſſis ſedulus in vinea Domini cultor & operarius.

Fidelem ejus operam exantlatóſque labores audire qui volet; ex eo diſcat.

2. ad Corint. c. 11. v. 23. De ſe ipſe ita ſentit, ita loquitur: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* Hæc aliáque fusè jactat Paulus, quæ Chriſti & Eccleſiæ causâ, aliorum invidiâ & malevolentiâ tulit.

Quæ deinde & ipſe bono zelo aſſumpſit, ex eo

Verſ. 27. etiam accipe: *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in famè & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.*

Ecce labores ſponte ſuſceptos: ecce infractos ſeduli cultoris animos, à quibus Orbe toto Chriſti nomen inſonabit: hoc enim etiam pollicetur ipſum Pauli nomen, quod nonnulli ex Hebræo Græcóque componunt; ſcilicet ex Hebræo *Pe*, id eſt, os, αὐλὸς, hoc eſt, tuba: itaque Paulus idem erit atque os tubæ. Quid eo nomine aptius? Quid convenientius dici potuit? Fuit enimverò, fuit Paulus Evangelica tuba, cujus clangor Univerſo Orbi inſonuit, & etiamnum inſonat: quot enim in ejus Epiſtolis ſententiæ, quot voculæ, quot ſyllabæ; tot ſunt veluti tubæ, quæ mortalium auribus ſalubriter obſtrepunt, & mirum quantos excitant animorum motus.

Te tuáque vota teſtor Auguſtine: tria tibi cœlo propitio optaſſes olim; Chriſtum in carne converſantem, Romam in flore triumphantem, Paulum in ſede pulpitóque fulminantem. Non eſt illud datum tuis votis, ut è cathedra tonantem audires, & vivæ vocis ſeu oracula ſeu fulmina vibrantem exciperes: at hoc conceſſum, ut in Epiſtolis, in ſcriptis etiamnum ſpirantem videres, & legeres. Lubet illius temporis dieique meminiſſe.

Hærebas anceps cœlum inter & terram, virtutem inter & vitium, inter antiquas illas Venereas & caſtas divini amoris illicias, inter implexa dudum inveteratæ conſuetudinis vincula compedéſque, à quibus vix teipſe expediebas: agitabaris inſano cogitationum æſtu, cùm fortè animi levandi causâ ſub arbore ſedere & morari licuit, ibíque longùm gemere & lacrymari. Cùm totus effluereas in lacrymas, funderéris in gemitus, & ſingultus animæ fatiſcentis; Ecce inſonuit auribus Dei tui vox: *Tolle lege, tolle lege.*

Tollis porrò, volumen explicas, & incurris in

Ad Rom. 13. illa Pauli verba: *Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum* JESUM CHRISTUM.

Hæ Pauli voces, hæc oracula, hæc fulmina, hic tubæ clangor: quem dum audis, quid tibi tum animi Auguſtine, quid conſilii fuit? Video ſolveris iterum in lacrymas, abis in gemitus & lamenta, abis in virum alium, Auguſtine; abis à Venere, à tuis illis impudicitiis: abis ab hæreſi, à Manichæis, & tibi, Eccleſiæ Deóque redderis.

Nimirum ad aures, ad animum appulit illa Pauli tuba: & ſatis illa fuit ad uberes lacrymas, ad pia ſuſpiria, vitámque meliorem.

Si hæc una Pauli ſententia potuit, ſi mutæ illæ voces chartis leviter aſperſæ, ſi expertes animi ſenſuſque typi eos in Auguſtino motus excitarunt, eos pœnitentiæ typos & characteres impreſſerunt; quos non excitaſſet, non impreſſiſſet ipſa Pauli vox, & qui in voce ſpirabat oculus & animus?

Sed ne iſtis diutiùs quàm par eſt immoremur; à Paulo ad Juſtum veniamus; ſunt enim & hic & ille cognomines.

Quiſquis eſt Juſtus, ex vero Paulus eſt, in ſe ipſe quietis amans & pacis: nulli in eo paſſionum æſtus, nulli impetus cupiditatum, nulla lis corpus inter & animam: nec enim caro concupiſcit adverſus ſpiritum, nec ſpiritus adverſus carnem; ſed hæc cum illo in votis ſuis conſpirat atque conſentit: quamquam, ut dicamus quod res eſt, ea lis, ea pugna non tam ſit corporis cum anima, quàm ipſiuſmet animæ cum ſeipſa. Ut enim D. Cyprianus: *Sola* In prologo tract. de Cardin. Operibus Chriſti. *anima in iſta eſt, quæ ſecum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat. Corpore autem ſic utitur, ſicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, & fabricatur quælibet quarumcumque voluptatum ſimulacra.* quæ quia ſecum ipſa pugnant, etiam cum pace & quiete bonæ mentis pugnare convincuntur. Secus autem ſi anima ſui juris fuerit, ſi paſſionum domina, ſi magiſtra cupiditatum: tum enim ei alta pax, & jucunda quies; à qua ducitur & aliud generi noſtro perutile nomen. Pauli, inquam, & operarii, non ad meſſem, non ad vindemiam; ſed ad labores in vineam à patrefamilias immiſſi: ita enim de ſe ipſe, de aliis teſtatur Paulus: *Si quis*, ait, *Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* 1. ad Tim. 3. *Videte*, inquit D. Hieronymus, *quid dixerit* In Sophon. *Apoſtolus: Bonum opus deſiderat, non dignitatem. Si autem deſpecto opere, ſolam aſpexerit dignitatem; citò corruit turris in Silva, & excelſa Cedri fulmine feriuntur, & erecta cervix frangitur. Non enim dignitas, & nomina dignitatum; ſed opus dignitatis & Principes & Iudices, & Prophetas & Sacerdotes ſalvare conſuevit. Si ergo vult Epiſcopus vel Prælatus ſalvari, & denarium æternum aſſequi; operetur, ſudet in vinea, laboret, errantes oves etiam per dumeta vepreſq; quærat ſanguine cruentatus.* Sic Juſtus, ſic Paulus, ſic Epiſcopus, ſic Sacerdos ex merito audiet. Sed proh dolor! hoc quo jactamur ævo nimium veræ ſunt antiquæ illæ magni Pontificis querelæ: *Ecce mundus Sacerdo-* Gregorii. *tibus plenus eſt: & tamen in meſſe Dei rarus valdè invenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officii non implemus.* Ne nos petant ex Pontificis & cœli querelæ; ii reipſa ſimus, qui ſumus nomine.

Erimus autem ſi in hac vitæ militia inter medios peccatorum cuneos bellicum inſonemus; ſi Evangelicâ clangamus tubâ, imò ſi ipſi cum Paulo tubæ ſimus. De hac elatè & magnificè loquitur D. Hie- In Apolog. ad Pammachium. ronymus: *Paulus, inquit, vas electionis, tuba Evangelii, rugitus leonis noſtri, flumen eloquentiæ Chriſtianæ, quem quotieſcumque lego, videor mihi non verba, ſed audire tonitrua.*

Nimirum quod cœlum Orbi, quod cœlo tonitru eſt; hoc Paulus, hoc divini Verbi præco, hoc juſtus omnis Eccleſiæ eſſe debet. *Multi*, inquiebat In Pſal. 138. v. 3. idem Hieronymus, *de terra cæli ſunt, & multi de cælo terra. Infelix Iudas cælum fuit, & factus eſt terra. Paulus Apoſtolus eo tempore, quo perſequebatur Eccleſiam, terra erat; confeſſus eſt, & cælum factus eſt.* Cœlum, inquam, è quo mugire tonitrua, evibrari fulmina: tonitrua vocis tubæque Evangelicæ: fulmina vitæ ſanctioris, & miraculorum: illa aures feriunt, hæc oculos perſtringunt, & tam hæc, quàm illa ingentes faciunt animorum motus. Ita quondam Paulo Actor. c. 24. v. 25. apud Præſidem Felicem *diſputante de juſtitia & caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix*, & quaſi ingenti tonitru percuſſus cætera audire renuit: ut de eo, déque impiis verum ſit illud Prophetæ Regii: *Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt.* Pſal. 103. v. 7.

Fuit illa naſcentis Eccleſiæ fortunata ſors, quæ Paulos Orbi peperit, quæ tubas cœleſtes inflavit; ut ex iis audiret peccator, ſibi à Deo ſuperiſque bellum indici. Sed habet etiamnum, inquit Bernardus, *habet Eccleſia cælos ſuos, homines ſpirituales, vitâ* Serm. 27. in Cant. *& opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos caritate, contemplatione ſuſpenſos. Et hi pluentes pluviam verbi ſalutarem, tonant increpationibus, coruſcant miraculis.* Concedant ſuperi, concedat & ille, *qui fecit*

Pſal. 135. v. 5. *cœlos in intellectu.* ut etiam ipſi cœli ſimus, *non modò cœleſtem propter originem; ſed etiam cœlum propter imitationem.* *Bernard.* *Cœli enarrant gloriam Dei*, cœli altùm loquuntur, & tonant: & nos quà lingua & voce, quà opere & exemplis vitæ arctioris de Deo magnificè & excelsè loquamur, ſacræque orationis ſeu fulgure ſeu tonitru omnia feliciter miſceamus. Si enim Veſpaſiano datum eſt illud laudi, quòd de eo Plinius: *In Præfat.* *Quanta tu ore Patris laudes tonas.* Si Pericli oratori gloriæ hoc fuit, quòd de eo Quintilianus, *Lib. 6. c. 16.* *Non loqui, non orare; ſed fulgurare, & tonare videbatur:* quantò magis oratori Chriſtiano erit illud honori & gloriæ, ſi alto ſemper ſpiritu, contentâ voce, Patris Æterni laudes non tam è pulpito loqui, quàm è cœlo tonare videretur.

PROPOSITIO VII.

Peccatoris nomen anonymum.

ERit fortaſſe qui volet hic eſſe pugnam verborum, neque convenire & conciliari poſſe hæc duo, *nomen anonymum.* Si enim nomen eſt, quomodo anonymum? Sit certè pugna verborum, ſit diſſidium vocularum: non abnuo; rerum tamen non erit: ſtabit enim ea veritas, peccatori apud bonos, *Lib. 4.* apud ſuperos non eſſe nomen. Atlantes Africæ populi, teſte Herodoto, nullis inter ſe nominibus propriis diſtinguebantur: cùm enim ferarum more in montibus, in ſylvis & ſaltibus ſine lege, ſine religione, ſine Deo viverent, anonymi eſſe debuerunt, nec ullis in ſe nominibus uti; ut nec ipſæ pecudes utuntur. Quamquam nec illi ſoli; ſed etiam antiquorum uſu ritúque, ipſáque Scripturæ phraſi nomine carent ii, qui innocentiâ, qui gratiâ, qui virtute caruerint.

Filiorum Saul Scriptura meminit, ex iiſque tres propriis diſtinctos nominibus ad omnem poſterorum memoriam emittit, unum autem reiicit, & obſcuro ſilentio premit.

1. Reg. c. 14. v. 49. *Fuerunt*, inquit, *filii Saul Ionathas, & Ieſſui, & Melchiſua.* Præteritur unus Iſboſeth; qui tamen & ipſe Saulis filius fuit. quæ cauſa? Eam reddit Liranus his verbis: *Non nominatur Iſboſeth propter defectum magnanimitatis, quia fuit puſillanimis, & ineptus ad prælium.* Alio loco dicit, *ad regnum parum aptum fuiſſe*; ideóque nomen ejus ſupprimi: nimirum magnanimitas eſt virtus Regia, Regem nominat & facit: eâ qui deſtituitur, indignus eſt qui vel in Regum albo, vel in Regiæ prolis numero cenſeatur. Si ſuit ille tacitus Scripturæ ſenſus, ut nec inter Regias proles, nec inter homines is referretur, quem ſuam infra ſortem ſtirpémque abjiciebat puſillanimitas: qui inter Chriſtianos, inter Dei filios cœleſtiſque regni hæredes ſcribetur ille, qui & omnibus virtutum ornamentis orbus eſt, & ſuis ipſe ſceleribus infamis?

Certè communi & Judæorum (quibus olim ferè ſolis Deus agnitus) & modò Chriſtianorum (apud quos veri Numinis cultus eſt) lege receptum illud, ut proles recèns in lucem edita nomen non accipiat, niſi priùs aut circumciſionis notâ, aut baptiſmi charactere inſignita.

Hujus autem legis rationem affert Theophilactus. *Quia priùs ſuſcipiendum eſt ſignaculum Dei, & tunc hu-* *In c. 1. Luc.* *manum nomen. Seu quia nullus, niſi priùs abjiciat carnalia, dignus eſt ut nominetur miles Dei, & in libro cœlorum ſcribatur nomen ejus.* Si proles, ſi infans unius horulæ ſit anonymus, ſit terris cœliſque innominatus, ſit profanus, ſit nefaſtus, ſit abjectus à ſuperis, ipſíque ſupremo Numini inviſus vel ex eo tantùm, quòd infelici propagine ab utero trahat illam labem originalis maculæ, non ſuo vitio aſcitam, ſed alieno impreſſam: qui nominatus eſſe poteris, qui tuâ culpâ teipſum in dies & horas polluis atque commaculas? Quî, inquam, nominatus eſſe poteris, qui ipſum filii Dei nomen, auguſtum illud & amabile, quod ex ipſo baptiſmi fonte hauſeras, per ſummum ſcelus effudiſti? Non eris certè, non eris terrâ cœlóve nominatus: eſto apud inferos ſtvoles.

Numerus peccatoris.

DIxit olim è Philoſophis unus aliquis, Deum Opt. Max. numerorum calculis oblectari. Quod ipſum multis retrò ſæculis agnoverat, & amarat Sapiens, ubi ſuaves ac miras divinæ providentiæ leges & vias demiratus ait: *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* *Sapient. 11.* Quæ menſura, quis numerus, quod pondus rerum omnium?

Auguſtino Deus eſt menſura ſine menſura, numerus ſine numero, pondus ſine pondere: menſura Patri, numerus Filio, pondus Spiritui Sancto tribuitur. Menſura eſt vis divinæ potentiæ, numerus increatæ Sapientiæ ratio, pondus eſt æterni amoris ac bonitatis inclinatio. His tribus omnia Deus conſtituit.

Alii tamen hæc tria non in ipſo Numine ponunt, ſed in rebus creatis, quas in menſura, numero, pondere fecit Deus: ita appendit fundamenta terræ, & libravit fontes aquarum. *Proverb. 8.*

Quòd ſi hæc corpora mentis & rationis expertia in menſura, numero, pondere fecit Deus; multò magis hominem, quem animæ & rationis compotem eſſe voluit. Fecit enimverò, fecit Deus hominem in menſura, numero, pondere; & ut fecit, ita judicabit.

Appello divinam illam manum, quæ Balthaſſari in epulis & ſcelere luxurianti vinóque madido tres voculas inſcripſit: *Mane, Thecel, Phares.*

Mane: numeravit Deus regnum tuum. Ecce numerus.

Thecel: appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Hebraicè *ſakal*, id eſt, appendit, ponderavit. Ecce pondus.

Phares: diviſum eſt regnum tuum, & datum Medis & Perſis. Ecce regni vitæque Regiæ menſura.

Ea nimirum eſt divinæ Providentiæ ratio, ut quæ hominem naſci & vivere voluit in numero, pondere, menſura; ita & in iis mori ac judicari.

Sed quis, inquies, erit ille numerus? Erit alius atque alius, prout alia atque alia fuerit initæ vitæ ratio: eſt enim qui Juſtis ſcribatur numerus, eſt etiam qui Injuſtis; eſt qui cœlis, eſt qui & inferis. Felices porrò beatæque mentes, quibus albus in fronte calculorum numerus: infelices nimium miſeræque, quas turpi notâ calculus ater deformarit. Ac ne diutiùs conceptam tibi ſpem metúmve ſuſtineam, ex Sanctis Patribus, ex ipſa Scripturæ fide & auctoritate diſce quis his & illis numerus præfigatur.

PROPOSITIO I.

Numerus Iuſti eſt binarius.

LEgi ex Antiquis pleroſque omnes, maximè verò Sanctos Patres numerorum obſervantiores fuiſſe; quòd crederent iis occulta quædam & altiora myſteria tegi prodíque poſſe. Certè, ut alios omittam, D. Auguſtinus in eo præ cæteris religioſus fuiſſe, multáque in ſuis operibus ſparſiſſe videtur, quæ vel ad illorum intelligentiam, vel commendationem faciunt. Cenſebat enim *numeros in Scripturis eſſe ſacratiſſimos, & myſteriorum pleniſſimos;* *Quæſtionũ ſuper Geneſ. liber 2.* dicebátque: *Aliis atque aliis numerorum formis quædam ſimilitudinum in libris ſanctis ſecreta promuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clauſa ſunt.* *De doctrina Chriſtiana lib. 2.*

His ita præfari volui, non quòd ſit animus de numerorum myſteriis, occultáque vi proferre multa; ſed ne quis miretur me in hoc argumento, quo peccati naturam & affectiones explico, aliquid de

peccatoris

peccatoris numero intuliſſe: ideò certè feci, ut etiam in eo legas, quæ à peccato infirmitas animum invadat, atque occupet: eſt enim aliquis numerus index Juſti & injuſti, ſanitatis & languoris. Vadem habeo D. Auguſtinum; is de languido illo qui octo & triginta annos habebat in infirmitate ſua, ait: *Languebat, quia ad quadraginta, duo minus habebat.* Habebat nimirum octo & triginta annos in infirmitate. *Numerus autem trigeſimus octavus languoris potiùs eſt, quàm ſanitatis.* Ut decederet ille, & hæc accederet, neceſſum fuit addere duo, ut haberetur numerus Juſti, & ſanitatis: variè probat D. Auguſtinus: *Binario numero*, inquit, *aliquid boni ſignificatur, & bipartita charitas deſignatur.*

In Evang. Joannis tract. 17.

Ut animæ benè ſit, neceſſum eſt ad amuſſim ſervet præcepta charitatis: ea porrò duo ſunt. Unum, Deum ſpectat: alterum, proximo ſeſe inclinat: *In his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ.* Et hoc primum ab eo numero ſanitatis beneficium eſt.

Alterum, ut ſana ſit & incolumis anima, ut cœlo vivat, ſua ſuperis dona litet, & offerat; eáque etiam duo: hunc enim numerum Deus amat: & verò amavit, inquit Auguſtinus, *in illa vidua, quæ omnes facultates ſuas duo minuta miſit in dona Dei.* Et hoc eſt ſecundum confirmatæ jam valetudinis beneficium.

Vis & aliud ab hoc ipſo numero? Si fortè in hac via mortali, dum deſcendis ab Jeruſalem in Jericho, hoc eſt, à pace & quiete bonæ mentis, in confuſionem, in abyſſum, in chaos ſceleratæ conſcientiæ; ſi, inquam, incidis in latrones, ſi ab illis malè ſaucius & cruentus jaces; *meritò pro te languido, à latronibus ſauciato ſtabularius duos nummos accipiet*, unde & tu ſanaris, ut olim ſanatus eſt ille: accipiet autem à Samaritano, à Chriſto compatiente, duos illos nummos; corpus ejus & animam, quæ tibi erunt pro pretio, pro remedio, ut ſalvus fias.

Si denique adhuc nutas, & in Dei timore ac charitate, quæ perfecta ſanitas eſt, necdum omninò confirmatus es, ſicuti olim; *meritò apud Samaritanos biduum fecit IESVS, ut eos charitate firmaret.* Sic etiam enitere, ut apud te biduo maneat JESUS, & ab illo charitate firmatus eris; & hoc poſtremum ſummúmque à binario numero tibi beneficium impendetur. Sed audio multis incaſsùm ſcribimus, ſurdis canimus, in malo obſtinatis loquimur, & oleum operámque perdimus: alios ſibi numeros deſcribit peccator; eos etiam ſtylo notemus, ne juſtus aliquis eo ſe aliquando malè ſignari patiatur.

PROPOSITIO II.

Numerus Injuſti ſenarius ter repetitus.

PRæter antè dictum binarii numerum tres alii ſunt, in quorum alterum venit homo.

Eſt primùm numerus ſenarius: & is numerus hominis eſt, quia ſexto die creatus eſt homo, eúmque à natura numerum accepit.

Eſt deinde ſeptenarius: & hic Deo ſoli ceſſit in prima hujus Orbis molitione, in qua ſeptimo die requievit ab omni opere quod patrarat. Hic numerus nobis concedetur in Sabbatho & quiete æternitatis.

Eſt etiam octonarius: & is Chriſto, Deo homini ſcribitur. Hunc olim notavit Sibylla lib. 1. Orac. 1. Prædixit enim nomen Chriſti litteris ſuis expreſſurum numerum 888. Hunc numerum exprimit ſacrum nomen *ἰησοῦς*. *ι* enim notat 10. *η* 8. *σ*. 200. *ο*. 70. *υ*. 400. *σ*. 200. quæ omnia ſimul juncta faciunt 888.

Hic Chriſti, hic JESU numerus, eſt ſymbolum & arrha æternæ felicitatis: ut enim doctè notat Petrus Bongus, tractatu de myſteriis numerorum, Octonarius numerus, ſymbolum eſt perfectionis, conſummationis, beatitatis. Si hoc numero ſignaris, anima benè habet, & æternùm benè; agnoſcet Æternus Pater, agnoſcet cœlum, & amabit hunc numerum: at ſi alio noteris, in lacrymas ibis, in luctus, in profundam noctem, inferóſque domos: ut enim cœlo, ita & inferis ſuus eſt numerus, iſque non Chriſti, ſed Antichriſti: eſt ille, ſi noſcis, numerus beſtiæ, eſt ſenarius tertiò repetitus 666. Dum licet illum ad animi calculos revoca.

Hic ſapientia eſt: qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ; ſe ipſe excutiat, exploret num fronti, num animo legatur iſte numerus? Num ex eo fortè ſit Antichriſtus? Ejus generis fuit infelix illud cœlo ſolóque inviſum Mahometi nomen, cujus litteræ arithmeticè acceptæ, & quaſi numerorum indices fecerunt numerum 666.

Zonaras lib. 3. annal.

Ea fuêre portentoſa illa, ſeu Martini Lutheri, ſeu Joannis Calvini nomina; quorum illud Saxonicè, hoc expreſſum Hebraicè reddidit hunc numerum 666. Quod divinâ providentiâ factum credo, ad perpetuam infamiæ notam; ut qui malignâ indole, profligatis moribus, & proſtituto ad omnem libidinem & furorem ingenio, cum Antichriſto jam antè convenerant, etiam in numero, ſymbolóque ſui ominis convenirent.

Bellarmin. l. 3. de Pont. cap. 10.

Sed quid iſta compello omnia? Quid iſtis invitas aures fatigo? Quid alienos calculos evolvo, ac non potiùs tuos infelix anima? Vix unicam peccati lethalis maculam contraxiſti, cùm illicò in frontem aſcendit, & obviam illam impuræ mentis januam ac ſedem obſidet, infeſtat, deturpat ille Antichriſti, ille peccati numerus. Ab illo deſiit & penitus expunctus eſt ſenarius ille numerus, numerus hominis, quem à natura aſſumpſeras; deſiiſti enim & eſſe, & inter homines numerari, & in brutum animal mutúmque pecus degeneraſti; comparatus es jumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis.

Ab illo periit, & obliteratus eſt amabilis ille ſeptenarius, qui Dei fuit olim tuíque numerus, pacis index ac quietis, & æterni nota Sabbathiſmi: ubi enim mentis arcem invaſit & occupavit peccatum, ab animo pax omnis & quies exceſſit, diceres adverſa, infeſta, turbulenta bellorum agmina involaſſe, & pacem omnem diſturbaſſe. Quamdiu intra Dei tui numeros & æquitatis calculos ſtetiſti, pax alta fuit domi, foriſque optata quies: at ubi hunc numerum, hos calculos diſſipaſti, tum illicò ſonnêre tubæ, mœſtúſque turbatæ mentis clangor obſtrepuit; tum in aciem, in campum erupêre inimica paſſionum agmina, inſolentes vitiorum turbæ, & velut æſtus quidam irati maris, à quibus nulla remiſſio, pax omninò nulla; non enim eſt pax impiis, dicit Dominus.

Ut blandus, ut ſuavis auribus accidat vocum concentus, neceſſum eſt muſicæ ſervare numeros: eos ſi turbes, aures animóſque feriet inſulſa quædam & ingrata vocum diſcrepantia. Ita ſe res habet in animo: ubi ille canit ad Dei ſui numeros, ubi ſeptenis vel octonis modulis inſonat, tum amica ſuperis Deóque vox appellit; ſecus, ingrata penitus & diſſonans allabitur: tantum intereſt, ne vel modicum abiiſſe à Dei ſui numeris. Ab illis certè ſi diſcedis, & illicò etiam cadit, qui tibi ſcriptus erat amabilis & auguſtus JESU numerus, numerus octonarius, magnæ nota perfectionis, arrha beatitatis, quam à peccato perdidiſti.

Peccatoris character & ſignum.

AVitas ætates ea invaſit & occupavit opinio, diſcipulos, ſervos, milites, victimas omnes ſignari oportere.

Ita Carpocratiani diſcipulorum ſuorum aures dexteras ſignabant; & Propheta Regius in Dei ſui diſciplinam altè admiſſus, ſibi gaudet & gratulatur, notatas & apertas aures: *Sacrificium*, inquit, *& oblationem*

S. Irenæus, lib. 1. c. 24.

Pſal. 39. v. 7. *tionem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.* Hieronymus, *fodiſti*; Chaldæus, *perforaſti.* eo fortè conſilio factum, ut diſcipulorum aures ad magiſtri voces aperiri magis & pateſcere, atque ita in aures primùm, ac deinde in animos illabi & influere poſſent melioris diſciplinæ placita.

Quod diſcipulis, hoc ſervis crebiò factitatum. Syracuſani ſervis inurebant equi notam: Samii noctuæ: Athenienſes ſavenæ; erat ea navis genus, lato ventre, à prora ſuilli ſpeciem efferens & oſtentans: & hac ipsâ quâ vivimus ætate, ſervi Chriſtiani in Indiis notantur literâ C. ut teſtis eſt Joannes Metellus.

Imò verò fuere qui non notas tantùm nudóſque characteres ſervis impreſſere; ſed etiam integras duxere inſcriptiones. Hinc illud Petronii in Satyris: *Implevit Eumolpus frontem utriuſque ingentibus litteris, & notum fugitivorum Epigramma per totam faciem liberali manu duxit.*

Nec ſervis tantùm, ſed etiam militi ſua fuêre ſtigmata, ſuæ notæ militiæ, ducisque teſtes & indices, ut videre eſt ex codice Juſtiniani; ubi ſolemni Imperatoris edicto cavetur, ne quis manu ſignatus ante expletam militiam in monaſterium recipiatur. Et Vegetius lib. 1. cap. 8. *Puncturis in cute punctis ſcribuntur milites.* Eam porrò ſcriptionis notam non fronti, ſed manibus induci placuit; quòd miles manu pugnet, & duci ſuo vincat; eóque trahitur illud
Cap. 44 v. 5. Iſaiæ: *Hic ſcribet manu ſuâ Domino.* Quæ porrò fuerint illæ notæ, ut ſolet, doctè fuséque diſputat Ju-
De Militia Rom. Dialogo 9. ſtus Lipſius, illudque ex ſua opinione, & probabili conjecturâ ſtatuit, fuiſſe nomen Imperatoris cui ſtipendia merebat miles. Huic opinioni annuit & fa-
Orat. de obitu Valentiniani Imp. vet D. Ambroſius dum ait: *Charactere domini inſcribuntur & ſervuli, & nomine Imperatoris ſignantur milites.* Denique & victimas ita ſignari placuit, prinſquam aris diviſque caderent: teſtis eſt Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride; qui eas ſigillo ait obſignatas à ſacerdotibus, quibus ex eo munere ſigillatorum nomen adhæſit. Quæ verò fuerit ſigilli ſpecies, hanc ex eodem auctore accipe: homo fuit qui flexo poplite pronus & præceps in terram rueret, cui ſupplices & vinctæ poſt terga manus, cui nudus enſis jugulo immineret, eam hominis imaginem exprimebat ſigillum, & victimarum frontibus imprimebat.

Neque tantùm victimæ notas illas acceperunt; ſed etiam Deorum quiſquis erat cultor, is Dei ſui notam induebat. Ita quondam per ſummum nefas ac ſcelus, Judæorum corporibus inuſtum fuit folium hederaceum; quòd ut hedera, ita illi Baccho dicarentur. Sed ne longiùs, ad rem meam venio. Suos habuit habétque diſcipulos Antichriſtus; ſuos habet inſelix dæmon ſervos, milites, &, ſi voles, etiam victimas; quas ut ſibi erebóque ſervet, etiam eas ſignari neceſſum eſt. Videndum in præſentia, quo ſigno, quo ſtigmate?

PROPOSITIO I.

Character peccati, nota ſervitutis.

Rom. c. 6. v. 17. *Fuiſtis ſervi peccati.*

QUiſquis à peccato Deum exuiſti, diſcipulus es, ſervus, miles & victima nil miſerantis Orci: eóque in vellere notam accipis, & infame ſtigma peccatoris: primùm in aurem illud evadit; tum deinde frontem, manum, totumque hominem occupat; ut ille ſit totus mali dæmonis, qui peccati jam antè fuit.

Sunt aures veluti patentes & aperti corporis aditus, per quos ad animum allabitur bonus malúſve nuntius: ut hunc admittat, excludat illum, ſedulus cavet infelix dæmon; ideóque aures obſidet, ſignat, perfodit, ut ſi quæ à cœlo cœleſtique genio mittatur vox, vel omninò non admittatur, vel quamprimùm emittatur; nec in ima mentis adyta penetret ac pervadat: ſecus autem, ſi quæ molliculæ carnis vocula, ſi qui ſirenum, id eſt, voluptatum, cantus inſonent, eos avidè haurit, excipit, ducit in animum, intimóſque receſſus: & hinc notatæ, perforatæ aures, ut totæ pateſcerent ſuſurris & ſuggeſtionibus mali dæmonis, qui te ut diſcipulum ſub ferula habet gravique diſciplina: cui via aures dediſti, cùm etiam & frontem & manum invadit durus magiſter; frontem notat, & inurit abjecto ſervi ſtigmate, ſeu illud eſſe velis equi notam, ſeu noctuæ, ſeu etiam ſavenæ: has enim vel omnes, vel ſingulas in fronte accipis, ubi peccato ſervis. Ubi jugi frænique impatiens equus utrumque excuſſit, & ſeſſorem exuit; vagatur ille aperto patentique campo, & feroce ungulâ pulveream nubem excitat, furitque indomitus. Ita ſeſe habet volvitque peccator, ubi Deum veluti ſeſſorem excuſſit; rationis jugum abjecit, divini timoris fræna diſſolvit; tum libero vagóque pede per obvios ſcelerum calles abit indomitus, eoque rapitur quò inſolentis animi trahit impetus æſtusque voluptatis: ideoque benè monuit, qui cecinit olim: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Pſal. 31. v. 9.
Verè nec equo furenti, nec ſtupenti mulo eſt intellectus; nec ratio, nec ſenſus peccatori: ſed ut jam non ſit, erit aliquando cùm fuerit verum illud: *Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium.* Prov. c. 26.
Sed abeo longiùs; ab equo ad noctuam evolo: ea ubi in fronte legitur peccator. Eſt noctua lucis Soliſque fugiens, & diei prorſus inimica, amica cæcæ noctis & tenebrarum: in iis ſeſe volvit, librátque inſano impetu, gyriſque in ſeipſos recurrentibus. Lucem Solémque fugis, & averſaris, qui peccas; noctem ambis, triſtes tenebras, cæcámque caliginem; in ea volitas, & teipſum agis in gyros, uſque dum vel tuo vel alieno turbine captus excidas, & noctuæ ſimilis trabali clavo divinæ juſtitiæ poſtibus affigaris, ibique in Erebi fauribus infelicem animam evomas. Ecquid enim aliud ſperes ab illa peccati ſervitute? Ab illa dæmonis militia, cui jam inde inſcriptus es, & manu notatus? Eſt qui Regum, qui Principum arma & militiam vel ex eo damnet, quòd venales habeat militum animas, quòd eas ferro flammarúmque globis objiciat, & immittat in ferales acies: quæ omnia ut dura ſint & acerba vel ipſo naturæ ſenſu; at fiunt tamen mitiora ab ea, quæ manet prædæ ac ſpoliorum ſpe, expectatione gloriæ, & opimæ ſtipendiorum mercede. Tibi verò ab una peccati militia nec ulla ſpirat honoris aura, nec ullus fulget auri opúmque nitor, nec ulla ſtipendiorum ratio ſurgit; imò verò, quod mireris, quod fugias, quod exhorreſcas, *ſtipendia peccati mors.*

Ecquis ergo hanc militiam amet? Quis ambiat? Quis ſequatur? Niſi qui ſit abjectæ & profligatæ mentis ac ſalutis, velitque omninò eſſe dæmonis Orcique victima. Eam tibi exhibet etiam in hac aura mortali, quæ impiis aris cadit victima. Eam ſignat ſacerdos, & certè morti deſignat, ubi in terram abjicit, manus vincit, enſem nudat, jugulo ſupponit: hæc eſt victimæ ſpecies, in qua teipſe intueberis: vix enim te peccati ſtigmate notavit funeſtus erebi deſignator, cùm ſtatim terræ affigit, apprimit, facitque ut animus, qui in cœleſtia eniti & aſſurgere debuerat, in luteos amores deſcendat, eáſque totus in abjecta hujus ævi mortalis.

Et hinc alterum incurrit malum; vincula, manicæ, compedéſque; quibus ita tenetur arctè, ita conſtringitur, ut evadat numquam: quî enim evadat ille, cui diſtrictus enſis ſuper impia cervice pendet? Cui in dies, in horas, in momenta ſingula imminet & incumbit vindex Dei manus? Eam dum licet declina, peccati vincula compedéſque diſrumpe, téque periculo eripe.

PROPO-

PROPOSITIO II.
Character Antichriſti.

Apocal. c. 13. v. 17.

Habet characterem beſtiæ.

ANtichriſti nota eſt character. Eſt autem character certa nota fronti aut manui, vel cultro inciſa, vel ferro inuſta, vel aliâ quavis ratione impreſſa: ut in pecudibus fieri ſolet; ſignantur enim certo ſtigmate, ut ex eo noveris cujum ſit pecus, Egonis an Melibœi: ita militiæ ſuæ, malitiæ veriùs dixero, errorúmque ſequaces ſignabit Antichriſtus, diſcipulorum, militum, ſervorum, victimarum, vel ſi mavis, pecudum in morem inuſto infami ſtigmate, ex quo legas cujum pecus, ſcilicet Antichriſti.

Quod autem hoc ſtigma? Quis character? Sua inter Theologos lis fuit, eáque adhuc eſt ſub judice.

Viegas cenſet tres fore Antichriſti characteres; Primus, erit imago ipſius ad vivum expreſſa; Secundus, ejus nomen; Tertius, numerus nominis: ex his alteruter fronti vel manui dexteræ infigetur.

Sanctus Hyppolytus lib. de conſummatione ſæculi, docet & nomen & characterem Antichriſti futurum ἀρνοῦμαι, id eſt, nego, nego baptiſma, nego Chriſtum.

Ribera putat Antichriſtum pro charactere habiturum formam draconis, ut ea repræſentet malum dæmonem, draconem illum tartareum, à quo emiſſus eſt, & à quo agetur ac regetur totus: ſed illud meâ quidem ſententiâ non conſonat inſolenti & ſuperbo Antichriſti genio, quo Deus dici & haberi volet.

Primaſius & Anſbertus cenſent characterem Antichriſti fore tres primas litteras nominis χριστός, in certum figuræ modum expreſſas; eâ ferè ratione qua Conſtantinus Magnus in labaro ſuo olim expreſſit & prætulit. Cùm enim Antichriſtus ſe Chriſtum & Meſſiam mentiatur, etiam ejus ſigna fingere & mentiri volet; & verò finget ac mentietur: nec enim putam, puram, & genuinam Chriſti Crucem aſſumet impius, ſed adulterabit, ſed evertet; ita quippe litteras illas tres initiales χριστὸς, videlicet χρι, diſponet, ut prima & initialis ſit ρ, quod altè aſſurget: ſecunda ſit χ, quod tranſverſim ponetur: tertia ſit ι, quod litteram χ interſecabit, quod non ſine Numine & ſuavi Dei providentia factum credo, ut ex prima characteris littera ſatis intelligeres, quàm alienus à Chriſto ſit Antichriſtus, & quàm aliena, quàm inter ſe pugnantia ſint ſigna Chriſti & Antichriſti. Hujus character eſt ρ, id eſt, ῥόδον, ſive roſa & voluptas: illius autem eſt χ, puta & germana Crux.

Is debet eſſe character electorum, ea inſcriptio bonæ mentis, ea corona Chriſtiani militis, inquit Tertullianus. Roſa, lauro, myrto coronari Paganum, Atheum, impium eſt: at cruce, & ſpinis redimiri, Chriſtianum, cœleſte, divinum eſt.

Lauro, roſa, myrto coronantur idola, diique gentium; vanæ Deorum umbræ, & inania ſimulacra: Deus unus verúſque in ſpinis hæret, ſpinas amat, eáſque & ſibi & electorum frontibus imprimit. Vide, amabo, quo charactere, quo ſtigmate notari & inſigniri velis? Si roſam in vellere accipis, ſi roſam in fronte, id eſt, voluptatem in animo, amoribus ac deliciis habes, & ex me quæris cujum ſis pecus; audies Antichriſti: ſin autem Crucem arripis, ſi fronti, ſi manui, ſi cordi apprimis, & ames noſſe, cujus ſis peculium; audies Chriſti Deique: nec enim aberrat fallitque boni paſtoris nota; cœlo illa ſuperiſque probè nota, & quiſquis eam exhibet, ibit in ovile, ibit in paſcua, ibit ad vitæ fontes, ad torrentes voluptatum, & beatas æternitates.

PROPOSITIO III.
Character Caini.

Poſuit Dominus in Cain ſignum. Geneſ. c. 4. v. 15.

SOlebant Abel & Cain ex Adami monitis & inſtituto annis ſingulis offerre Deo ſolemne ſacrificium: Abel opima gregis; Cain terræ fructus libabat. Placuit Abelis victima, non placuit Caini: & hinc prima mali labes, & invidiæ fomes; à quo deinde paratæ Abeli inſidiæ, deſtinata cædes; quam ut perficeret, in campum evocat, educit incautum, ac primùm de eo ſuperiſque queritur, tum inſurgit altiùs, & fœdè mactat ac trucidat. Quo cædis inſtrumento? Dubium. Pictores Caini manum armant mandibulâ, ex ſuo genio magis artiſque licentia, quàm ex veritate. Hebræi morſibus ac dente fœdè laniatum volunt; fortè ut invidiæ plus indulgeant. Chryſoſtomus gladio, Irenæus falce; Iſidorus furcâ, Toſtatus lapidibus obrutum Abelem credit. Ut ut ſit, parum intereſt. Occidit Abel, prima cœlo Deóque victima; ſed non inultus occidit: hæc enim cœlo teſte, Deo Judice vox excidit: *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Poſuitq; Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum.* Gen. c. 4. v. 10. Verſ. 15.

Signari debuit infamis fratricida, ut quiſquis in eum incurriſſet, noſſet infandum ſcelus, & à ſceleſto oculos & manus averteret; itáque unà cum longa & miſerabili vita ad omne dedecus, infamiam, labores, dolores, metúſque damnata longas lueret admiſſi ſceleris pœnas.

Quod autem fuerit illud ſignum, multis inter ſe diſputant Theologi; ego hìc paucis, ſi tamen primùm illud monuero: Quodcumque fuit Caini ſignum, quæcumque vel corpori, vel animo inuſta nota; eamdem tibi à peccato inuſtam eſſe noveris.

E Rabbinis nonnulli ſignum illud, canem fuiſſe credunt, qui quocumque locorum pergeret, pergebat ipſe; & infelici domino viam aperiebat, ſuóque latratu prodebat infandum ſcelus. In hanc ſententiam venerunt, vel ex eo quòd nomen canis Caini nomini cognatum & affine foret, vel quòd canis invidiæ ſymbolum haberi poſſit, vel denique ex eo quòd divinâ voce audiat illud: *Si benè egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit.* Gen. c. 4. Hebraicè, *Robets, peccatum accubabit*, id eſt, peccati pœna quaſi canis, & moloſſus aliquis accubabit; ita nimirum & Caino factum, & tibi fiet. Ad peccati tui fores adeſt illicò & accubat peccati pœna, eas obſidet, infeſtat, allatrat, mordet, lancinat, ut inſolenti latratu, tenacique dente canis ſolet.

Ex Hebræis alii hoc ſignum fuiſſe volunt, eminens in fronte cornu: quæ ſententia ſi vera fuit, addi potuiſſet hæc epigraphe: *Cornu ferit ille caveto.*

Liranus cenſuit fuiſſe notam faciei altè impreſſam, & veluti infame ſtigma divinæ ultionis.

Genebrardus exiſtimavit hoc ſignum fuiſſe primam litteram nominis Abel; ſcilicet, *aleph*; quam in fronte impreſſam præferebat, ut ſpectantibus exhiberet indicem admiſſi fratricidii characterem, legerétque viator omnis in ejus fronte; cujus cædis & criminis reus teneretur. Ea characteris fama nomóque manavit in poſteros; eóque lege lata benè cautum eſt, ut calumniatorum fronti inureretur littera fraudis nota, teſtis, & index. Unde & illi minus integræ frontis dicebantur. Si fuit quiſque ſceleris, & ejus quem à ſcelere ſeu manu, ſeu lingua maledica ſuſtulit, indices notas exhiberet; næ profectò L. Remmia. l. 15 quæſtionum ff de teſtibus.

fectò multi Caino ſimiles, næ fratricidæ multi, næ parum integræ frontis: ſed abeamus ab illis; ad noſtra redeamus.

Voluerunt alii fuiſſe unam è litteris divini nominis *Iehova*, ſcilicet litteram *He*; quæ littera & tutelæ & infamiæ nota fuit: tutelæ quidem, ne quis eum attingeret, ubi videret inciſum fronti divinum nomen veluti teſſeram. Solent viri Principes, ubi locum aliquem ab omni injuria & vi liberum volunt, ei affigere ſua ſcuta, ſua nomina; ut quiſquis ea legerit, ſciat ſub Principis tutela eſſe, & ab omni injuria vindicanda. Volebat Deus ad pœnam & poſterorum exemplum ſervatum Cain feros in annos, ut conſcientiæ pœna tangeretur eò graviùs, quò diuturniùs: quod ut fieret, ei nominis ſui litteram pro ſcuto eſſe voluit; ne, quod facile & pronum erat, ab aliquo cæderetur.

Ita factum eſſe credit D. Hieronymus, qui Cainum tandem in ſeptima generatione à filiolo ſuo Lamech interfectum fuiſſe cenſet. Fuit autem hic Lamech primus polygamus, & ſecundus homicida, quia ex libidine & Venere facilis in rixas & cædes eſt lapſus. Hanc Caini notam pleriſque inultam crederes: etſi enim peccatis obruti pœnæque imminentes videantur, vivunt tamen & perennant longos in annos, nec eos quis manu ferróque tangit, etſi à manu ferróque rei & cruenti: diceres eſſe ſub præſidio divini nominis, & tutela ſacratiore: verùm ut eſſe videantur, non ſunt tamen; niſi fortè ut pœna eò graviùs fluat, quò longiùs: fit enim illud amabili Dei providentiâ, ut tarda quidem ad pœnas & ſupplicia veniat; ſed tarditatem gravitate ſupplicii compenſet: ſed de his aliàs uberiùs: inſtitutum proſequamur.

Putarunt alii hoc Caini ſignum fuiſſe ſanguineam & volubilem oculorum aciem, aſpectum torvum, ferum, truculentum; nimirum in oculos evadit ipſa animi feritas, & in iis velut inſito quodam naturæ ſpeculo elucet quæ perturbatæ mentis & efferatæ conſcientiæ ſit imago. Sed etiam de ea alibi opportuniùs.

Finio cum Saliano, Cornelio, & aliis; ſentióque ſignum illud, fuiſſe timorem, tremorem capitis ac membrorum: manavit ille ab anima in corpus ipſum, à conſcientia teſte ſui ſceleris in cætera membra profluxit; caput petiit rationis ac judicii ſedem, eámque

Auguſtin. lib. 1. Conf. c. 12. diſturbavit. *Iuſſiſti Domine, & verè ſic eſt, ut pœna ſibi ſit inordinatus animus.* Nec ſibi tantùm, ſed & corpori, cui ab anima peſſimè affecta etiam eſt peſſimè; nec umquam benè eſſe poteſt; ut enim verè idem Divus Auguſtinus: *Qui malus eſt, malè ſecum eſt; benè cum malo eſſe non poteſt.*

Si à commiſſo ſcelere turbatur animus, ſi horret, ſi contremiſcit, ſi volvitur æſtu cogitationum ſuarum; & hunc quoque in corpus velut hoſpitem evolvit & perturbat: ideóque in hoc primùm labora, ut animo ſua ſit pax, ſua ſecuritas; & tum ea omnis in corpus ipſum emanabit.

Peccatoris ſtatua, dimenſiones, centrum.

PROPOSITIO I.

Statua ſalis.

Geneſ. c. 19. v. 17 & 26. *Salva animam tuam: noli reſpicere poſt tergum.*

Reſpiciensq; uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.

AD peccati pœnam non eſt illud ſatis, quòd homo in belluam animæ & rationis expertem abeat: accedit & aliud gravius malum, quòd vertatur in ſtatuam ab anima ſenſúque alienam. Ne diſcedam à divinis litteris; exhibent illæ ſtatuam ſalis, in quam uxor Loth à peccato ſuo degeneravit. Acceperat illa in mandatis ne retrò aſpiceret, ne lumina reflecteret ad malignum ſolum è quo exceſſerat. Sed, ô grande malum fœmina! ubi cœlum inſonuit, ubi auditus everſarum urbium fragor, retrò lumina flexit, & inobedientiæ ac temeritatis ſuæ pœnam tulit; poſteræque ætati dedit ſtatuam ſalis, non ejus qui aquâ liquari & ſolvi poſſit, ſed qui lapideſcat omninò, & in ſaxi marmorisque morem dureſcat. Ea ſtatua uxori Loth pœna fuit; poſteris autem exemplo, ne & ipſi contra datas à Deo leges lumina pedémque flecterent.

Is enim eſt divinæ juſtitiæ amoríſque ludus, ut dum unum aliquem punit, ne alii labantur caveat; quod ut faceret, in ſalem vertit: poſteros quippe monet ipſa natura ſalis, ne & ipſi à Deo longiùs excedant.

Sal ſuâ ſiccitate memoriæ prodeſt, & corpora quæ eo aſperguntur, à corruptione liberat. Et ea uxoris Loth, ea peccatoris ſtatua omni poſterorum memoriæ ſervire debuit, eóſque à ſceleris & inobedientiæ labe ac contagione ſervare, ne & ipſi aſpicerent retrò, & à cœpto virtutis tramite lumina reflecterent; ideóque (inquit S. Proſper) *uxor Loth ſtatua ſalis effecta, ſuo exemplo fatuos condivit in propoſito ſancto, quò eœdunt proficientes, noxiâ curioſitate retrò non debere reſpicere.* Lib. 1. de prædict. & promiſſ. cap. 18.

Deinde ſal antiquis ſapientiæ ſymbolum fuit: ideoque eſſe debuit ſalis ſtatua, quæ poſteros ſapere, id eſt, Deo ſuperíſque obedire doceret. Accedit & altera ratio è ſapientiæ lycæo & Philoſophorum placitis petita. Ex iis Pythagoras cenſuit ſalem æquitatis & juſtitiæ ſymbolum fuiſſe; ideóque eſſe debuit ſtatua ſalis, ut diſcerent juſtitiam moniti, & non temnere divos. Addi poteſt & altera cauſa à ſacris Paginis deſumpta, quæ probat ſalem amicitiæ ſymbolum fuiſſe. Levitici enim capite 2. dicitur ſal fœderis, & pactum ſalis, pactum firmum, æternum. Inde factum autumo, ut priſcis illis in more fuerit, primùm in menſam inferre ſalem; quo amicitiæ firmitas & æternitas ſignaretur. Ex quo natum illud adagium: *Non oportet tranſgredi menſam & ſalem*; id eſt, jura amicitiæ tranſgredi & violare non licet. Et hæc omnia in ſtatuam noſtram conveniunt quàm optimè: illa ſuâ levitate, inconſtantiâ, inobedientiâ, divinæ amicitiæ jura, fœderis pacta legéſque violavit; ideóque verti debuit in ſtatuam ſalis, ut ea poſteris oſtenderet, non eſſe diſcedendum à divinis legibus, & amicitiæ pactis, etiamſi fractus illaberetur Orbis.

Poſtremum quod in hoc argumento ſuccurrit, eſt illud Homeri, qui ſalem divinum; & Platonis, qui ſacroſanctum appellat. Ex qua antiquitatis opinione fortè manavit illud, quod, teſte Epiphanio, ſanxerunt olim Apoſtoli, ut Chriſtiani feriâ quartâ & Sabbato non niſi pane, aquâ & ſale veſcerentur; ut accederet animo quod decedebat corpori, meminiſſéntque, quàm ſanctum & divinum eſſe debeat pactum, quod hominem inter Deúmque intercedit.

Ubi pactum illud effregit ſolvitque infelix mulier, verſa eſt in ſtatuam ſalis; non ejus qui liquari ſolvíque poſſit, qui humanis uſibus ſit accommodus, & condiendis aliis ſerviat: ſed illius potiùs, qui lapideſcat, qui abjectus ſit & proſtitutus.

Debueras, ô anima, eſſe ſal terræ, & ſalis inſtar ſervire tenaci memoriæ Dei tui divinorúmque beneficiorum: debueras abjectam vulgi turbam, corrumpi & putreſcere facilem, ab omni labe & corruptela ſervare: eras enim ſal terræ, ideóque in ea eſſe debueras veluti ſymbolum, typus, exemplar aliquod ſapientiæ, juſtitiæ, æquitatis & amici-

tiæ

tiæ divinæ jura legéſque tueri, & in aliis propagare: ſed ubi à ſcelere tuo ſal evanuit, ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Inferri debuerat ad Agni nuptias, & in ultima beatitatis Cœna divinæ menſæ epuliſque ſiſti: at quia evanuit, quia infatuatum eſt, mittetur foras, abjicietur in ſterquilinium, conculcabitur ab hominibus, qui ab Angelis, ab ipſo divino Numine & nomen, & laudem, & gloriam expectare potuit, & verò etiam debuit. Ea nimirum eſt peccati labes & macula quædam, ut terræ inferiſque abjiciat, quæ cœlis ipſis attolli oportuit. Ne factum aliquando ſeriùs gemas; vide, amabo, ne tibi ſal, id eſt, animus, qui corpori pro ſale eſſe debuit, ne à vitio putreſcat: vide, inquam, & cave, ne vano faſtu, & gloriolæ aurâ ſubvectus evaneſcat; ne à luxu, Baccho, Venere diſſolvatur totus; ne divinorum judiciorum, ſalutiſque ſenſum abjiciat, penitúſque lapideſcat: id enim ſi fiat unquam, eris quod fuit ſtatua illa uxoris Loth; tibi pœnæ, poſteris exemplo & documento.

PROPOSITIO II.

Quatuor peccati dimenſiones, altitudo, longitudo, latitudo, profunditas.

Pſal. 128. v. 3. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem ſuam.*

PHiloſopho naturæ quantæ trinæ ſunt dimenſiones: peccati plures, eæque omninò quatuor; altitudo, longitudo, latitudo, profunditas.

Altitudo eſt inanis jactantia, & inſolentis animi elatio; cùm ex ipſo ſcelere, unde deprimi dejicíque debuerat, aſſurgit magis atque extollitur.

Latitudo eſt vacua & futilis præſumptio de indulgentia Dei: frontem illa exporrigit, dilatat animum, & in alia atque alia ſcelera extendit: & quamquam juſtus impendentis vindictæ timor contrahere velit, & in anguſtias cogere; ſinus tamen ſuos aperit & laxat infelix peccator.

Longitudo eſt continuata peccandi ſeries, quæ in longum abit, in dies, menſes, annos, totámque vitam excurrit, & filum ducit ad ipſa vitæ mortiſque confinia, imò in ipſam quoque æternitatem; quæ etſi tanta ſit, extrema tamen hujus longitudinis non aſſequetur.

I modò quiſquis es, quem inſana peccandi libido, inveterata malorum conſuetudo, ſeráque nimis pœnitentia in longum trahit; longitudinem illam tuam, pœnarum æternitate metire, nec emetire. Meliùs certè, meliùs tibi fuerat, filum maturè præſcidiſſe, & audiſſe querulas illas Dei tui voces gemitúſque: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores; prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Gravis profectò & immanis peccati fabrica; immenſa, & prodigioſa hujus ſtatuæ moles, quæ Deo ipſi incumbit, eúmque premit ac fatigat, vel eò maximè quòd ducatur in longum.

Profunditas eſt ipſa ſalutis aſſequendæ deſperatio: hoc barathro mergeris infelix anima, & ita quidem, ut emergas nunquam. Ex his te ipſe tuáque metire ſcelera qui legis; & ſi ſapis, alias tibi finge dimenſiones.

Altitudo tibi ſit depreſſa humilitas, quæ te cœlo, te tibi aliiſque ita ſubjiciat, ut omnium pedibus teri & calcari poſſis, atque etiam velis.

Latitudo ſint anguſtiæ arctatæ mentis, & ad omnia Dei judicia nutúſque contremiſcentis.

Longitudo ſit bonorum operum non interrupta ſeries, quæ à primo vitæ & rationis limine ad mortem, ad æternitatem excurrat.

Profunditas ſit abyſſus divinorum judiciorum, quæ faciat ut Deum ſuſpicias, & timeas: *Sicut tumentes ſuper te fluctus.*

Hæ ſunt bonæ mentis, & Chriſtianæ Philoſophiæ dimenſiones; quas ſi in terra ducis, ſtabis in cœlo velut erecta virtutis ſtatua, & nobile monumentum.

PROPOSITIO III.

Peccati centrum.

Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. c. 18. v. 3.

EA naturæ lex, ea corporum inclinatio, ut centrum ament, petant, aſſequantur; nec umquam, niſi eo obtento, conquieſcant.

Eſt porrò centrum aliud atque aliud, pro alia, atque alia corporum natura & propenſione. Quæ levia ſunt, inſito quodam impetu ſeſe ab infimis eripiunt, in ſumma tollunt, centróque reddunt altiori: ita cæteris elementis ignis unus levior, ſi fortè terræ gremio carceréque ſit clauſus, ſi vapore denſo nubéque cinctus, ſeu terrâ, ſeu etiam aquâ contineri neſcius, omninóque impatiens, & latera frigidæ nubis, & obſcuros terræ ſinus quatere, convellere, effringere, diſſipare ſolet, & qua data porta viáque ferri atque in centrum ruere ac evolare.

Secus autem corpora ſi gravia fuerint, amant illa naturæ vi & impulſu in ima volvi, ſubmitti cæteris, nec illi umquam eminere. Ita terra illa quâ ferimur, ſi alienâ vi mittatur in altum, ubi laſſa jam & ipſo aëris, ſpatiique lapſu refracta fuerit impreſſa qualitas; tum ſibi relicta, ſuóque ponderi, cæco quodam impetu; & naturæ nutu motúque ad ima rapitur; eóque fertur impenſiùs ac celeriùs, quò centro ſuo terræque agnatæ ſit propior ac vicinior. Diceres eſſe qui à tergo premat & urgeat: verùm ut nihil omninò promoveat impellátque; ſe tamen ipſa promovet, atque impellit, dum pars parti ſedulò incumbit & apprimit.

Quod elementis illis, quod igni, terræque ex naturæ nutu ac genio; hoc ipſi homini uſu venire ſolet. Qui naturam audit & ſequitur, qui connivet gratiæ, eáque ſe duci patitur; in altum ille fertur, ad cœleſtia divináque ſublimis rapitur, inſita quadam ſeu naturæ noſtræ, ſeu etiam divinæ gratiæ levitate: at qui ſe ipſe ſceleri committit, qui pondus ejus accipit, eóque premitur, næ ille ad ima devolvitur, & inſano culpæ lapſu infra omnia depellitur, omnibúſque ſubjacere cogitur: & tamen illud ipſum quantum quantum eſt malum contemnit ac deſpuit: ea nimirum peccati lex, & impoſita quædam à ſcelere fatalis neceſſitas, quæ ipſum patiendi ſenſum adimit, callum obducit: *Impius enim cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* vel ut habet vox Græca, εἰς βάθος κακῶν, in profunditatem, abyſſum, centrum malorum.

Hinc non incongruè reddiderunt alii, Impius cùm in centrum peccatorum venerit, contemnit. Ut enim ſuus peccato circulus, ſua ducitur circumferentia: *Impii* quippe *in circuitu ambulant*: ita ſuum illi circulo centrum eſt, in quod omnes ducuntur, conveniunt, & conſpirant peccati lineæ. Si ex me quæras quod illud centrum? Video à Sanctis Patribus aliud atque aliud ſtatui; nec adeò mirum: cùm enim vaga ſit peccandi licentia, incertæ, inſtabiles, curvæque lineæ, & devii impiorum circuli, qui nullâ ſeu naturæ, ſeu artis circinique lege ſe duci patiantur: ita quoque neceſſum eſt ut varium, incertum, vagum ſit peccati centrum, quod nullo puncto conſiſtat: & inde factum exiſtimo, ut Sanctis illis aliud, atque aliud viſum fuerit. Prov. c. 18.

Serm. 4. contra Arianos. Athanaſio centrum illud, eſt cæcitas, & profunda quædam caligo mentis.

De gradibus humilitatis. Bernardo eſt ipſe Dei contemptus; audax omninò, impium, & inſolens centrum.

In cap. 1. Ezechielis. Hieronymo eſt propenſio quædam, & lubrica, pronáque peccandi proclivitas.

Hom. 22. in Gen. Chryſoſtomo eſt longa, annoſa, inveterata peccandi conſuetudo.

Ad hæc omnia peccator infami pondere preſſus & oppreſſus tendit ac labitur tamquam ad centrum ſuum; in eóque hæc ſibi fingit, hæc aſſequi videtur, quæ gravia in centro obtinere ſolent. Gaudent illa & fruuntur tribus; quiete, conſervatione, unione: & his ſibi frui videtur peccator, cùm in centrum peccatorum venerit. Diceres primùm quiete potiri: peccata enim peccatis cumulando, ita conſcientiam ſuam obruit, ita ſtimulos omnes extinxit, ita recurrentes animo morſus ſopivit, ut nullus ampliùs ſit domi monitor qui interpellet, nullus cenſor qui arguat, nullus magiſter qui interturbet: pacata, quieta, ſopita videntur omnia: ſed pax illa bellum eſt, quies inquies, & fatalis funeſtúſque ſopor; à quo duræ æternitati indormiſcea. Videris tibi in hoc tuo peccati centro conſervatione gaudere, quia in longum eunt, & conſervantur peccata, & ad obitum uſque perdurant. Videris unione lætari, quia repetita ſæpiùs ſcelera cohærere quodammodo & coire videntur: ac malè conſervantur ea quæ te ipſum perdunt; malè cohærent quæ te diſſipant, & eam quæ tibi cum Deo tuo eſſe debuit quietem, conſervationem, unionem omninò tollunt atque evertunt.

Emblemata peccati & peccatoris.

Epiſt. ad Fauſtinum Papam. Sidonius Apollinaris ſcribit olim in palæſtra & lycæo appingi ſolitas imagines, & emblemata Philoſophorum, eo conſilio, ut diſcipulis injiceretur amor & ſtudium ardens Philoſophiæ, hoc eſt, veræ ſapientiæ.

Ita in gymnaſiis Areopagicis pingebatur Ariſtoteles exerto brachio; Zeno fronte contractâ; Epicurus cute diſtentâ; Diogenes barbâ comante; Socrates comâ candente; Xenocrates crure collecto; Heraclitus à fletu, clauſis oculis; Democritus contrà ab effuſo riſu, labris apertis & hiantibus; Chryſippus propter numerorum indicia, digitis conſtrictis; Euclides propter ingentia menſurarum ſpatia, laxatis; Cleantes propter utrumque, corroſis. Hæ fuerunt Philoſophorum imagines, & expreſſa ſimulacra: in quibus cujuſque artem & ingenium legere ac imitari poſſes, aut ſi quid occurriſſet vitii, etiam fugere & averſari.

Ut virtutis amorem ſtudiúmque in te ipſo, mi Lector, magis accendam, unáque peccati odium ac horrorem immittam; ad extrema hujus libri, quaſi pro coronide, adjeci aliqua peccati emblemata, mutas imagines, quibus feriantur primùm & percellantur oculi, deinde & animus ipſe, qui ubi ab illis rerum turpium ſimulacra ſpeciéſque hauſit, etiam commoveri ſolet.

Primum Emblema.

IN Emblematibus Cæſaris Ripæ pingitur peccatum quaſi fœmina veſtita igne & flammis, quæ concito curſu elabitur & fugit.

Meritò fœminæ ſpecies & forma peccato affingitur: tum quia & in fœmina, & à fœmina primò natum eſt peccatum; tum quia omnia ejus mala in eam conſpiraſſe videntur: ut enim canit è Poëtis unus aliquis:

Mulier melle mollior,
Et quò nitentior, eò nocentior:
Quæ dum te fovet, ſibi favet;
Et dum videt, rodit ac radit:
Quæ corpus carpit, & animum haurit;
Idq; latenter, atque laſtenter:
Non virgo, nec virago; ſed vorago,
Quæ viros vorat, & amando mandit.

Eſt illi ignea veſtis, imò pro veſte eſt purus putus ignis, & nocens flamma: quia iniquitas ubi animam invaſit, eam urit, & miris cupiditatum incendiis excruciat, vaſtat, perdit; ut lignum aridum, aut exſuccas ſegetes populari ſolet flamma.

Fugit deinde; quia, ut ſapienter Maximus: *Voluptas cani ſimilis eſt: ſi perſequaris, fugit; ſi nutrias, manet.*

Fugit etiam, & euro ignéque citiùs evolat: quia mens ſibi malè conſcia & omnia tuta timet, & inſanos pavores concipit, & umbras etiam inanes expaveſcens fugit: nec fugit tamen; quia ut alia omnia fugiat, ſeipſam fugere & excutere non poteſt.

Secundum Emblema.

ALiud Emblema peccati mihi ſuggerit idem auctor; pingit enim impietatem quaſi fœminam, formâ corporis abjectâ, vili, turpiſſimâ, ore patenti, oculis clauſis, auribus aſininis, dextrâ tenentem gallum, ſiniſtrâ ramum pungentis rubi: ad ejus pedes abjicit hippopotamum.

Cur impietas, cur ſcelus omne aſſumptâ fœminæ formâ prodeat jam paucis inſinuavi: cur fœda turpique corporis ſpecie? Ut in ſui odium ſpectatores vertat, vertat in fugam. Cur ore patenti, exertâ linguâ? Quia adeò loquax eſt & garrula, ut Plautus auſus fuerit dicere, Nullo umquam ſæculo repertam mulierem mutam: & nullo ſæculo muta impietas, elinguis hæreſis, quæ primogenita eſt impietatis filia. linguam illa petulantem exerit, & maledico dente mordet. Cur autem illi additæ & erectæ aures aſininæ? Quia ut aſinus ad lyram; ita ad ſuaves virtutis modos divinóſque concentus inepta eſt anima, cujus aures ideò tantùm apertæ videntur, ut inſulsè rudentem aſinum, & mundum obſtrepentem audiant.

Cur deinde velatis, imò & profundâ cæcitatis nocte damnatis oculis viſatur impietas? Hæc ex communi fœminarum vitio cauſa proferri poteſt.

Ad ſpeculum curioſiùs ſeipſas dum inſpiciunt fœminæ, oculorum aciem debilitant & frangunt: ita planè impietas, ita hæreſis, ubi ſuperiora fidei myſteria, quæ modò videmus in ænigmate, in ſpeculo curioſiùs quàm ferat humana & debilis acies perſcrutantur, hebetantur, penitúſque cæcutiunt: ſicque ii, quibus aperta ferri vis, & tyrannorum impotens ferocia, fidei oculum non extinxit, non eruit; damnoſa curioſitas extinguit & eruit.

Dicitur olim Bernardus Caroli Magni nepos, Italiæ Rex, propter inſolens ingenium & excitatas turbas, ex ſententia Procerum damnatus ut oculis orbaretur. *Pontanus in bellonis.* Ita porrò orbatus eſt: Aliis ejuſdem conjurationis conſciis effoſſa lumina, & expreſſa ſtylo ferreo; at Bernardo oculos perdidit aureus fulgor pelvis unius objectæ Solis radiis: dum enim in eam jubetur aciem figere, nec retorquere; diuturno radiorum igne lucéque inſolenti viſum amiſit. Sic etiam ad clypeum nitidiſſimum Soli oppoſitum, ſeipſum dicitur excæcaſſe Democritus. Teſte Apoſtolo fides eſt ſcutum, quod excipit & reddit puriores divinæ ſapientiæ radios: verùm ubi mentis humanæ acies nimis vana in illud incurrit hæréſque, & omnia ſuo ſenſu, ſuo pede metiri vult; ab illius luce fulgoréque perit: ſic perit impietas, ſic hæreſis excæcatur.

Sed cur ea gallum dextrâ oſtendit ac ſuſtinet? Cur hippopotamum ad pedes jacentem ac proſtratum habet? In promptu eſt ratio. Gallus ferus, ſævus, imò & impius eſt, quia & matrem turpiter violat, & patrem petulanter invadit: eadem, imò & major hippopotami ferocia; qui, teſte Plinio, adeò effe- *Lib. 8. c. 25.*

rus

rus & impotens eſt, ut matrem fœdet, & patrem occidat.

Hoc molitur peccator, hoc impietas & hæreſis; quæ & matrem Eccleſiam invadit, perſequitur, lacerat, fœdat; & Deum quà poteſt è medio tollit: quod ſummæ impietatis genus eſt, atque ferociæ: ſi enim in humanis damnatur impietatis ille, qui matrem, qui patrem polluit, aut necat; certè ut in ſacris diviniſque damnetur magis eſt neceſſe.

Beaochius. Jactat Gallia, & meritò, factum illuſtre Regiúmque Sancti Ludovici, quem & parentem amavit, & Regem ſuſpexit.

Inter Comitem Flandriæ matrémque ortum erat diſſidium, mota lis; cujus arbiter factus Ludovicus: eam portò diremit ac ſopivit non minùs Regiè, quàm piè. Pro ea qua pollebat auctoritate Comiti Flandriæ injunxit, ut pro ſcuto & inſignibus geſtaret Leonem ſine lingua & unguibus: ut oſtenderet, filio neque linguam eſſe debere, quâ verbo matrem lædat; neque ungues, quibus ejus bona ſurripiat. Hæc eadem inſignia in cordis tui ſcuto appingerem lubens, ut nec tibi lingua eſſet, quâ impudenter Eccleſiam impeteres; neque ungues, quibus Eccleſiæ parentis bona & clanculùm & apertè diriperes. Sed, ut video, hæretico in corde, ceu ſcuto, leonem erexiſti, qui ad innatam à natura ferociam, & linguæ jacula adderet, & unguium manuúmque rapacitatem.

Tertium Emblema.

Pictor aliquis doctâ manu, facili penicillo in aperta effuſáque planitie effinxerat adoleſcentem in primo ætatis flore. Jacebat ille alto ſopitus ſomno, & veterno inſepultus: quódque mireris, pro lectulo non erat aut herba lenis, aut mollis aſſer, & pluma; ſed hirſuti vepres, cruentæ ſpinæ. Jacebat tamen, & profundùm dormiebat: ne tamen dormiret omninò, aderant à lateribus tubicines duo, qui pleno ſpiritu, patentibus buccis inflarent tubas, eáſque dormientis auribus admoverent: ac ne quid ad excutiendum illum ſoporem (veriùs dixero Lethargum) ne quid, inquam, deeſſe videretur, imminebat vertici Sol altus, radióſque in ipſos oculos ad perpendiculum demittebat. Hæc inter omnia dormiebat miſer, & patenti narium oriſque meatu ſomnum eructabat, ducebat ronchos, raucóſque ſopitæ mentis ſpiritus evomebat. Hæc erat Emblematis ſpecies.

Quis ille adoleſcens quæris? Peccator eſt, iſque in primo ætatulæ vere: quod enim ſæpè lugere poſſis, ſunt qui teneram ætatem, primos ævi ſui floſculos, amœnos puróſque Soles ſceleri ac libidinibus concedunt, ſui Deíque immemores.

Stratus è ſpinis tribuliſque lectulus, exhibet conſcientiæ aculeos, quibus ut continuò pungatur, lancinetur, confodiatur infelix anima; dormit tamen corpori ſceleríque inſepulta.

Qui tubas inflant, ſunt boni genii, cuſtodes Angeli, qui de judicio multa, multa de imminente Dei vindicta diſputant, multa ingerunt in aures & animum: ſed ad tubas illas ſurdus, ad cætera probè auritus adoleſcens, ad molliculæ carnis lenocinia, ſirenum, id eſt, voluptatum cantus & amores omninò vigil & excitatus; ad ea quæ animæ, quæ ſalutis, quæ Dei ſunt, penitùs ſopitus, ſenſus omnis & mentis expers.

Qui vertici Sol imminet, radióſque in ipſos oculos evibrat, ſunt divina lumina, bonæ inſpirationes, quibus Deus in oculos mentis illabitur: ſed ad eas quoque cæcus: adeò ſenſus omnes animumque illigavit funeſtus ille peccatori ſopor: adeò durum, ſaxeum, adamantinum eſt peccatoris pectus, ut illud nihil omninò quatiat, inflectat nihil. verùm ut in hoc ævo mortali ſurdus ſit & cæcus; in altero quantum inde malum ſibi fecerit ingemiſcet. Sed nimium ſeri poſt fata gemitus, nimium ſeræ lacrymæ: tu dum vivis & ſpiras, tibi conſule & longæ æternitati.

Quartum Emblema.

Finio tandem hunc librum quarto Emblemate, quod tertio affine eſt. Pictor aliquis non imperitus peccatum eo habitu in Orbis ſcenam immiſit: Adoleſcens erat cæcus, nudus, niger, ambulans per avia & invia, jámque imminens immani præcipitio, ſerpente cinctus erat, & lateri ſiniſtro tenaciùs adhærebat vermis, qui tacito & perenni morſu cor attereret rodere tque.

Hæc peccati ſpecies, hoc emblema pictori placuit.

Cæcus eſt, quia immiſſos cœli radios, & inſpirationes non videt.

Nudus eſt, quia & gratiâ orbus & virtute; quæ ſumma paupertas, ſumma nuditas.

Niger eſt, quia à ſuo ſcelere deformis, & infernâ fuligine tectus.

Errat per avia & invia, quia ſine lege, ſine duce vivit, & præcipitio æternæ damnationis propinquus eſt.

Serpentem habet, quo totus cingitur; quia totus venit in poteſtatem mali dæmonis; à quo, ut olim à ſerpente Eva, boni ſpecie decipitur.

Qui latus ipſúmque cor maligno dente fodicat vermis, eſt conſcientiæ remorſus, qui dies noctéſque miſerum pectus, infelicem animam lancinat.

Quòd ſi fortè adeò tibi obduruiſſe videris, ut illius dentis aculeos non ſentias; ex vero bonóque te omninò mortuum ſcias. Ait Plutarchus obſervatum olim novacularum aciem in ſecandis mortuorum corporibus hebetari; cujus cauſam hanc eſſe volt, quòd in corpore mortuo immenſum & ſtupidum ſit frigus: alii, quòd humores viſcoſi ferri aciem obtundant. Quod cadaveri novacula, quod corvorum dentes morſúſque patibulariis; hoc, ſi tibi eſt, conſcientiæ aculeus. Audi, & exhorreſce: mortuus es, infernóque frigore ſtupidus; à quo te manet longa & dura æternitas: illi conſule, & vale.

Hæc calamo rudi tibi pinxi, oculis objeci: tu, ſi ſapis, in animo memoríque mente recondе.

LIBER QUARTUS.

Pœna peccati.

QUæ hactenus propoſui de peccati, & peccatoris Idea, ingenuæ, bonæque menti ſatis eſſe poſſunt, ut peccatum oderit ac deteſtetur. Sed quia peccator, ſervorum in morem, magis pœnâ & flagris, quàm vel ipsâ virtutis ſpecie, vel peccati turpitudine ducitur; nonnulla ſubdam de peccati pœna: quæ ſenſus feriunt, magis movent, quàm ea quæ animo tantùm allabuntur.

PROPOSITIO I.

Magna cognatio culpæ & pœnæ.

IAM inde ab Orbe condito id ſibi perſuaſit omnis ætas, quòd pœna culpæ ſit pediſſequa; quòd *raro antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.* Ex communi illo ſeu ipſius naturæ, ſeu etiam hominum ſenſu factum credo ut Hebræi ſapientes unâ eademque voculâ & peccatum, & peccati pœnam cenſuerint exprimendam. Petamus illud è variis Scripturæ locis. Et primùm quidem è Geneſi. Ubi ſecunda peccati labes in Orbem erupit, ubi invidus & crudelis Cain fraterno ſanguine manus ſuas infecit, affuit illi vindex ſcelerum Deus,
Geneſ. c. 4. v. 7. & ait: *Cur concidit facies tua? Nónne ſi benè egeris, recipies? Sin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?*

Hebraicè legitur, *robets*, id eſt, peccatum accubabit, ſive peccati pœna, quæ inſtar canis, moloſſi, Cerberi accubat ad peccati fores, eas obſidet, infeſtat, allatrat: & hæc pœna ab immani fratricidio: eadem ibit in ſequentes ætates, quæ ſe aliquo ſcelere polluerint.

Cùm imminerent ultrices flammæ, & Sodomæ
Geneſ. c. 19. v. 15. triſtis occaſus; ita ad Loth Angeli vindices, *Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere civitatis*, id eſt, pœna, quæ ei tum incumbebat: Hebraicè enim habetur, *havon*; quæ vox non tam ſcelus, quàm ſceleris pœnam ſignificat & exprimit.

Secundò genitus Judæ filius à maligna indole, à
Geneſ. c. 38. ſuo ſcelere & inſana libidine dictus eſt *Onan*, id eſt, iniquitas & dolor: eadem enim vox & iniquitatem & dolorem ſignificat, ut ex ea noveris, quæ culpæ, quæ pœnæ & doloris cognatio. A Geneſi venio ad Exodum: Ubi data cœlo lex, ne quis eam temerario auſu violaret, hæc ſive ad reverentiam, ſive ad
Exod. c. 20. v. 5. terrorem adjecit Deus: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Iniquitas ipſa trahi non poteſt à patribus in filios; neque perenni propagine derivari in ætates longè conſequentes: at iniquitatis pœna ſic duci poteſt, cœlo vindice.

Ut Hebræis benè precetur Balaam, ut eos à religione conſtantiáque in divino cultu commendet, ait:
Num. c. 23. v. 21. *Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulacrum in Iſraël.* Septuaginta vertunt, *Non eſt labor in Iacob, neque apparebit dolor in Iſraël.* Cui conſonant Hebrææ voces, *Aven & amal*, id eſt, dolor & labor, vel iniquitas & labor: ut inde noveris, quàm parum abſit iniquitas, labor, dolórque: quod ipſum deduci poteſt ex libris Regum.

Cùm ab arca Dei intercepta Philiſtinis gravior immineret turbo, & timendæ de cœlo minæ, hoc ab Iſraële conſilium acceperunt: *Si remittitis arcam* 1. Reg. c. 6. v. 3.
Dei Iſraël, nolite dimittere eam vacuam: ſed quod debetis, reddite ei pro peccato. Septuaginta in Bibliis Sixtianis vertunt: *Reddentes reddite ei pro cruciatu*; quòd peccatum ſit ipſe cruciatus; cui ingemuit vel ipſe patiens Jobus: has enim è pulvere, è ſterquilinio ſuo voces in cœlum emiſit: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; & calamitas,* Iob. c. 6. v. 2.
quam patior in ſtatera. Ex Hebræo nonnulli ita legunt: *Vtinam appendendo appenderetur ira*; Dei ſcilicet vindicis: ea nimirum eſt neceſſitudo iniquitatis & divinæ iræ, ut iniquitas vel ira Dei dicatur, vel ejus objectum ſit & ſcopus, in quem collimet, in quem ſua tela dimittat: eſſe autem irato Numini, concitatæque Juſtitiæ pro ſcopo ſumma miſeria, ſumma infelicitas; quam etiam eidem ſervo ſuo inſinuavit Deus; addidit enim, quod ei olim pro ſolatio fuit: *Et ſcies quòd pacem habeat tabernaculum tuum,* Iob. c. 5.
& viſitans ſpeciem tuam, non peccabis. Videbis domui tuæ ac familiæ altam eſſe pacem; & viſitans ſpeciem, id eſt, uxorem, quæ potiſſima familiæ ſpecies, forma, pulchritudo eſt, *non peccabis.* Symmachus vertit, *non eris infelix*; quòd idem omnind ſit peccare, & infelicem eſſe. v. 24.

A Propheta Jobo ad Pſalmiſtam venio, qui ſibi aliiſque dum canit, iniquitatem pro pœna debita, labore, dolore promiſcuè uſurpat: quòd apud eum idem eſſet pœna & iniquitas.

Primùm enim de peccatore ita loquitur: *Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem.* Malus omninò Pſal. 7. v. 15.
fœtus injuſtitia; quam non parturis, niſi & ipſos parturientis dolores, id eſt, longè graviſſimos concipiſs. ut enim Divus Chryſoſtomus: *Nemo eſt,* Chryſoſt.
qui vivit in ſcelere, qui non innumerabiles dolores ſuſtineat, & de malis conſultans, & conſilium exequens. in Pſal. 7.
quod ab uno ſcelere, & irati animi motibus probat. *Si voluerit quis ulciſci quempiam, vel prior injuriam facere; vide quot mala patitur: furore repletur, ab ira diſcerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur, invadit timor ac tremor, quomodo offendet, quomodo eum perficiet; & ante eum quem eſt injuria affecturus, ſeipſum perdit.* Adeò verum eſt, quod alio loco protulit idem Chryſoſtomus: *Deus* In Pſal. 124.
ante ſupplicium, ſupplicium infligit: peccatum enim in ſe continet pœnam antequam puniatur. Quod ipſum ex Greco fonte derivat: improbitas, inquit, dicta eſt πονηρία, à πόνῳ labore, quòd occulto cruciatu, & immen-

Seneca Epiſt. 97.

& immenſis animum doloribus compleat. Quò etiam ſpectat illud Senecæ: *Prima & maxima pœna peccantium, eſt peccaſſe: nec ullum ſcelus impunitum eſt; quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.* quod ipſum ex impetu animi, zeloque ferventiore augeri

Pſal. 68. v. 28.

petiit Vates Regius: *Appone*, inquiebat, *iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*; id eſt, pœnæ pœnam adjice, & ſupplicium ſupplicio cumulare noo deſine: qoia ſcelera ſceleribua addere & cumulare non deſinunt.

Eumdem culpæ & pœnæ nexum aliis locis inſinuat idem Vatea. De Idololatria ita ſentit: *Servie-*

Pſal. 105. v. 36.

runt ſculptilibus eorum. in Græco eſt, *Servierunt doloribus eorum.* Dolores vocat miſeram illam ſervitutem, quæ Idolis exhibetur; quòd neceſſe ſit eum dolere, qui ita peccat; imò quòd Idololatria ſit ipſa ſervitus, dolórque; cujus abquando miſertus exclamabat: *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Hebræi legunt, *qui manducatis panem Idolorum.* ita nimirum ſe res habet.

Videris tibi infelix anima, ubi te Idolia turpiter inclinaſti, ubi in voluptatibua tuia conſediſti, manducaſſe panem, & aliquid ſolatioli mendicaſſe: ſed mihi, imò Davidi crede; manducaſti panem doloris, à quo non corpori, non ſtomacho; ſed & animo erit quàm peſſimè.

Neque ab aliia vitiis tibi melius erit: ne enim omnia perſequar, quod longum foret; ab uno linguæ vitio quantum mali ſit attende; de eo ita loquitur

Pſal. 139. v. 10.

idem Propheta: *Labor labiorum ipſorum operiet eos.*

Profana illa verba, laſciva, Venerem olentia, noxia bonæ famæ, labor ſunt labiorum, quo totus operieris. ut enim D. Chryſoſtomus in ea verba, *Laborem vocat improbitatem: Res enim eſt hujuſmodi improbitas; affert ei, qui illam poſſidet, exitium, & ut obruatur efficit.*

A Davide ad alios Prophetas venio; & illis idem eſt de peccato ſenſus.

Jeremias lugubri, ut ſolet, mœſtáque nænia conqueritur ſuos olim majores peccaſſe, & in poſteros omnes effuſam eſſe peccati pœnam. *Patres noſtri peccaverunt, & nos iniquitates eorum*, id eſt, pœnas *portavimus.*

Jeremiæ conſonat Habacuc. deplorat ille inſignem Judææ gentis pravitatem, à qua nullus juri, nullus rationi relictus erat locus. *Quare*, inquit, *oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem?* Vatab'us, & Pagninus pro, *laborem*, vertunt *perverſitatem* Cui favet Hebræa vox, *amal*; quæ laborem & peccatum ſignificat.

Hoc enim celebre & pervulgatum in Lingua ſancta, quæ quot habet apices, tot myſteria claudit: hoc, inquam, in ea commune eſt, ut eadem vox ſola diſtinctione vel unius puncti, aut litterarum inverſione, laborem & peccatum exprimat: ita vox, *ghamal*, *laborare* ſignificat; *maghal* autem, prævaricari & peccare. ut inde noveria à prævaricatione, à peccato facilem eſſe & obviam converſionem ad immenſos labores, parúmque omninò culpam inter & pœnam intereſſe; cùm hæc ab illa uno tantùm puncto diſtet.

Quod ipſum ſenſit Oſeas Propheta. Effuſus ille

Cap. 14.

in juſtas iras, Samariæ excidium ita portendit: *Pereat*, inquit, *Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum ſuum.* Hebraicè, *teſcam.* quæ vox & perire & peccare ſignificat; quòd idem omninò ſit peccare & perire.

Hic fuit totius antiquitatis ſenſus, nec illius tantùm, ſed etiam noſtri temporis, & naſcentis Eccleſiæ.

Ipſe Petrus; primum Chriſtiani Orbis lumen, Apoſtolorum caput, ut probet atque extollat im-

1. Pet. c. 2. v. 24.

menſam Chriſti in nos charitatem: *Peccata*, inquit, *noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Alludit eo loco ad hircum emiſſorium, cui Hebræi omnia ſua peccata imponere ſoliti, ac deinde in deſerta emittere gravem immenſo illo iniquitatum pondere. Ita omninò Servatori optimo factum videtur: *Peccata noſtra ipſe pertulit*, hoc eſt, peccati pœnam in corpore ſuo admiſit & exſolvit: quò pertinere videtur etiam illud Divi Pauli, dum ait: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id eſt, peccati victimam & ſcopum, in quem concitatæ Juſtitiæ tela deferrentur. 2. ad Corinth. c. 5. v. 21.

Et hæc quidem ex innumeris, quæ de hoc argumento proferri poſſent, pauca collegi: primùm, ut ex iis liquidò perſpicias, quòd peccatum omne ſit labor, dolor, cruciatua, periculum, infelicitas; &, ſi quid his acerbius, triſtius, immanius effingi poteſt. Tum deinde, ut horum aliquando pertæſus convertaris in ærumna tua. *Converſus ſum in ærumna mea,* Pſal. 31. v. 4.

dum configitur ſpina, inquiebat olim David. *Spinam*, interprete Theodoreto, peccatum nominavit, *tanquam inutile germen, & ad pungendum natum.* Tibi infixa eſt, & profundè quidem, ſpina peccati; convertere ad Dominum Deum tuum, & ſtatim refigetur illa, & animum omni dolore malóque vacuum ſibi Deóque reddet.

PROPOSITIO II.

Creaturæ omnes ab uno hominis peccato trahuntur in conſortium pœnæ.

QUod in humano jure, foróque civili fieri ſolet, hoc divino judicio factum. Ubi quis Paterfamilias venit in crimen læſæ majeſtatis, ab ejus culpa, non ipſe tantùm, ſed ipſi pueri ac puellulæ innocentes animulæ luunt; imò & ſupellex omnis ac ditio illi ſubjecta luget, pœnámque patitur. Habent nimirum hoc jura, ut etiam longiùs evadat pœna, quàm culpa.

Eras, ô homo, eras olim Univerſi dominus & magnæ hujus familiæ pater: veniſti in ſcelus, in crimen læſæ divinæ majeſtatis; & tecum unà traxiſti quidquid tuum erat, quidquid erat Univerſi.

Terras appello & maria, & fuſa illa ſuperi Orbis ſpatia, in quæ etiam tranſiit peccati pœna.

A primo ſcelere hæc audiit infelix Eva: *Multipli-* Eva. Gen. 3. v. 16.

cabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios. Is porrò dolor in ea tantus fuit, ut dixiſſe feratur; malle ſe decies vitâ cedere, quàm vel ſemel parere. Rabbini. Non fuiſſet ille dolor, ſi peccatum abfuiſſet: excidiſſet ex utero fœtus, ut maturus ex arbore fructus elabitur ſpontéque defluit.

Nec Adamus à pœna liber & vacuus fuit: ei ſudor, labor, ſoli malignitas, abjectio, ingens morborum cohors, mors denique ipſa malorum ſummum incubuit; audiit enim à Deo Judice: *Maledicta* Adamus. Geneſ. 3. v. 17.

terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea. In ſudore vultus tui veſcêris pane: ecce laboris pondus, & ſudoris eluvies. *Spinas & tribulos germinabit tibi*: ecce malignitas ſoli, ſterilitas terræ. *Comedes herbas terræ*: ecce abjectio; à paradiſi deliciis ad herbas inertes, ad pecudum pabulum abjicitur: *quia cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Pulvis es, & in pulverem reverteris*: ecce infanda mors, ultima vitæ meta, & centrum malorum omnium.

Neque verò ipſa arbor, à qua peccavit Adam, Gretzer. lib. 1 de Cruce, c. 4.

pœnâ caruit: fuit illa nudata cortice, frondium veſte, florum gratiâ, fructuum honore, & perpetuâ ſterilitate damnata: nec immeritò; æquum enim videbatur, ut quæ culpæ quodammodo conſors fuerat, foret & pœnæ. Arbor ſcientiæ boni & mali.

Hæc gravia videri poſſunt, &, ſi humano pede metiri velis, æqua tanto ſceleri; at ſi divino, ſecus accidet: pœna major exigetur. In elementa, cœlos, Solem, Lunam, ſparſáq; ætheri ſidera deſæviet.

Néve

Néve iſta putes à me dici ex licentia quadam & elatione orationis, potiùs quàm ex veritate; memoriâ repete, quæ ſingulis à culpa pœnæ lues adhæſerit.

Terra. Erat olim terra amœnula, bellula, floridula, in herbas, in flores, in fructus ibat uberrimos: erat in aperto patentique ſinu herbeſcentis agri viriditas, mites areolæ, violæ molles, albentia lilia, innoxiæ roſulæ, omniſque florum ſupellex exundabat: non illic viſebantur infelices tribuli, non ſuccreſcebant infeſta tritico lolia, non triſtes erant cardui, non cruentæ roſis adnaſcebantur ſpinæ: nihil erat quod oculis horridum, quod aſperum manibus, quod incultum animo occurreret: læta omnia, mollia, amantia: ipſa ſibi ſatis erat humus, nullóque cultore dabat quod exundantia naturæ gratiâ prodigebat. At ubi aſperſa terræ labes, ubi ſceleris affecere contagia; tum verò primæva illa terræ bonitas, ſoli clementia, fructuum ubertas, in ſterile & effœtum ſolum, in amaros inſulſóſque fructus, in ſpinas & tribulos degeneravit; ipſáque terræ moles, tanta quanta eſt, uſque ad injuriam ſterilitatis exaruit.

Ambroſius lib. 3. Hexamer. c. 11.

Adeò longè latéque funditur peccati pœna, ut ipſum quoque rude & ignarum elementum inficere, perdere videatur. Neque tua minùs odi diſpendia, tua damna deploro, facilis olim ac fœcunde

Mare. piſcium Oceane: tibi quondam lympidæ, pacatæ, & ſuaves fluxerunt aquæ. cùm eſſet homo in paradiſo voluptatis, cùm Dei, cùm ſuus eſſet; levi molliique fluxu dulces & potabiles vehebas aquas: at ubi

Delrio in Cant. hominem infecit una peccati lues, teipſum tuáſque infecit undas, & malignâ ſalſedine damnavit. Ea nimirum eſt peccati pœna, quam vel ipſa bibunt hauriúntque elementa.

Aer. Quid aëra dicam, & effuſa illa liquidi Orbis ſpatia? Et illa ſenſerunt peccati pœnam. Erat olim purus, defœcatus, lenis, ſaluberrimus aër; quem non ſine voluptatis ſenſu haurires: ludebant in eo auræ molles; faciles, benigni, clementes euri; ſalubres ſavonii ſibilabant. Sed à peccato gravis, impurus, noxius aër; quem dum attrahis, ſæpè mortem unà trahis. Venti quippe inſolentes, aſperi, frigidi, lethales, tot catharros, tot morbos vehunt, quot rotant turbines.

Ignis. De igne verò quid dicam? Erat ille inter elementa leviſſimus, omniúmque puriſſimus: at modò putri materiæ innatus, & velut adhæreſcens in hominis, imò & Orbis excidium deſtinatus. Duræ nimirum peccati leges, immania pacta, & fatalia quædam patiendi neceſſitas, ubi unum in caput, unum in ſcelus omnia conjurant elementa.

Cœlum. Grave quidem illud, & acerbum: at tolerandum fortaſſe, ſi ea peccati labes terris ſolùm & elementis adreperet; ſed evadit ſuperos in Orbes, ſtellatas arces, ſiderea tecta, ipſámque cœli regiam invadit, & gravi damnat nativi luminis defectione.

Vos amo quotquot ſurgitis infixa cœlo ſidera, téque in primis aſtrorum princeps, fons luminis, Orbis ocule, temporum arbiter, naturæ gratia, cœli gemma, ſoli vita, Dei ſpeculum ac ſimulacrum. Te, inquam, amo, tuáque lumina quiſquis Univerſo Sol illuceſcis.

Dic age, fare, quæ tibi quondam congenita lux? Quæ primi luminis copia, ſplendor, gratia, majeſtas? Quæ prima dies Orbi emerſerit? Quàm amœna, pura, radioſa riſerit?

Sol. Nimirum eò loci ac temporis tibi lux erat auguſtior, & ſeptuplò clarior emicabat: tanta lucis à natura Deóque facta fuerat acceſſio: eáque tenuit dies omninò ſeptem, non ampliùs. Octavo die peccavit Adam, & ab illius peccato tantùm ferè tibi lucis deceſſit, quantum priùs acceſſerat. Hanc tui

Cap. 30. v. 26. luminis defectionem peto ex Iſaia: *Erit*, inquit, *lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.*

Quæ verba ita explicat Gloſſa: Poſt diem judicii lux Lunæ erit ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, hoc eſt, ſeptuplò clarior: ſicut fuit lux ſeptem primorum dierum mundi, antequam peccaret Adam.

Hujus Gloſſæ ſenſum amat & ſequitur Hieronymus, Haymo, & alii: ex quibus id habes; peccatum Adæ in cœlum Solémque umbram evibraſſe.

Ab hac una Solis defectione defecerunt quotquot Orbe cœleſti fixa lucebant ſidera; ipſa Luna magis expalluit, peccatúmque damnavit. Et illud damna, ſi diem amœnum, ſi lucem amas æviternam. Luna, Aſtra omnia.

PROPOSITIO III.

Verum illud Dei vindicis pronuntiatum:

Pugnabit cum illo Orbis terrarum contra inſenſatos.

Sap. 5. v. 21.

BEnè cenſuit, benè ſcripſit olim Auguſtinus: *Quare patimur multa mala à creaturis, quas fecit Deus, niſi quia offendimus Deum? De pœna tua peccatum tuum accuſa, non Iudicem.* Hic enim ad ſupplicia tardus; tu ad ſcelera velox: hic æquâ lance pœnarum pondus metitur, imò & ſuſtinet; tu iniquâ mente deprimis, & in tuum caput evocas, cogiſque tandem ut decernat quod poteſt ac debet iratum Numen; à quo creaturæ omnes in ſupplicii cumulum ſortémque devocantur. Tom. 9. tract. 1. in Ioan. c. 1.

Hinc illæ cœli terræque minæ, iræ vindices, & æqua tumultuantis Orbis commotio: eam è Divo Joanne petamus. Is alto mentis exceſſu vidit aperiri liquidum æthera, explicari cœleſtes valvas, & pateſcere immenſa Divorum atria; deinde ex iis deſcendere ſeptem Angelos, tubicines omnes. Apoc. 8. v. 7.

Primus Angelus tubâ cecinit, & facta eſt grando, & ignis, mista in ſanguine, & miſſum eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt. Terra.

Adcò verum eſt illud Prophetæ Regii: *Ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Ea tempeſtas omnis, pars tantùm eſt calicis & pœnæ peccatorum: in qua proinde non ſiſtit vindex Dei manus, nam & Pſal. 10. v. 6.

Secundus Angelus tubâ cecinit: & tamquam mons magnus igne ardens miſſum eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis Apoc. 8. v. 8. Maria.

Ecce ut ingens Oceanus, ut immenſa maria ipſam hauriunt & effundunt peccati pœnam; quæ tamen divinæ juſtitiæ non eſt ſatis.

Tertius quippe *Angelus tubâ cecinit: & cecidit de cœlo ſtella magna, ardens tamquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum: & nomen ſtellæ dicitur abſinthium, & facta eſt tertia pars aquarum abſinthium: & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt.* Apoc. c. 8. v. 10. Flumina. fontes.

Ita lympidi fontes, innoxiæ ac ſuaves lymphæ ipſam exſorbent peccati pœnam & amaritiem, quam deinde ſpargant, & in noxium caput evolvant. neque tamen illa peccato par eſſe poteſt;

Quartus enim *Angelus tubâ cecinit: & percuſſa eſt tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita ut obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.* Apoc. c. 8. v. 12. Sol. Luna, Stellæ.

Sic peccati pœna in cœlos ipſos aſcendit, Solem, Lunam, cæleſtes illos oculos, & Orbis lumina, offuſcat, & malignâ nube noctéque tegit: neque tamen ea caligine, cœlíque luctu divina conquieſcit ira; alia molitur, & canis ales Dei nuntius.

Et vidi, inquit Apoſtolus, *& audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magnâ: Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Ab illa voce miniſque iratı Numinis evolavit.

Quintus Angelus tubâ cecinit: & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clavis putei abyſſi. Et Cap. 9. Abyſſus & infern.

aperuit

aperuit puteum abyſſi : & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ.

En ut ipſa peccati pœna in ima delabitur, ipſóſque inferos petit, & puteum abyſſi magnæ, ut nullus in Orbe locus à pœna vacuus exiſtat. Hactenus in elementa, cœlos, Solem, ſidera, ipſóſque inferos peccati pœna deſævit : ſupereſt ut noſtrum caput petat, & hominem, à quo manavit illa mali colluvies, obruat, ac perdat. Et verò obruet atque perdet, ubi ſextus Angelus tubam inflârit, bellicum intonuerit. audi de pœna impendente vaticinium :

Cap. 9. v. 13. *Et ſextus Angelus tubâ cecinit : & audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, dicentem ſexto Angelo : Solve quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate. Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & menſem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia.*

Ecce altera peccati plaga ; arma, ferrum, cædes, & ſtrages hominum, quæ ſequuntur vindicem Dei manum & vocem.

Vox illa ſonat è cornibus altaris aurei : quæcumque enim peccatori pœna venit, à Deo venit : ſolvit ille quatuor Angelos ; ſeu eos bonos eſſe voles ; Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, Uriëlem ; ſeu, ut verius videtur, etiam malos : hi enim alligantur ; non boni. alligantur porrò in Euphrate, qui Babylonem alluit. Ubi enim potiùs? Babylon confuſio, in qua proinde regnant & alligantur mali dæmones : qui ubi divino nutu ſoluti fuerint, ſeditiones movent, arma cudunt, & ingentes cient bellorum motus, ac longè latéque diffuſis copiis terras tegunt atque obruunt.

Neque his ulla ſtatuetur meta, niſi peccato ſtatuatur, niſi tubâ clangat ſeptimus Angelus.

Is erit Chriſtus, quem Joannes vidit deſcendentem de Cœlo, *amictum nube, & Iris in capite ejus.*

Eſt Iris pacis & miſericordiæ ſymbolum : arcus enim eſt ; ſed innoxius, ſed vacuus ſagittis, quibus feriat : illum ſuſpice, illum ama ; téque, dum vita Deúſque patitur, gratiæ ac paci redona. ni facis, Pſal. 7. *arcum ſuum tetendit, & paravit illum. Et in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.*

PROPOSITIO IV.

Antiquum, & longâ ſæculorum experientiâ probatum illud Vatis Regii pronuntiatum : *Multa flagella peccatoris.* Pſal. 31. v. 13.

NOn eſt hujus exigui Operis capere flagella omnia, quibus à Deo vindice vapulat peccator : ea volumen integrum requirunt ; quod fortaſſis aliquando dabitur. Interim in præſentia Lectori benevolo ſatis erit, aliqua propoſuiſſe ; eáque quotidiana & magis obvia. Et quidem primò quæ fortunas invadunt ; tum etiam quæ corpus ipſum feriunt ; tum denique illa, quæ ad animum uſque pervadunt : Ut enim nulla hominis pars peccato libera, ita nulla à flagello immunis.

Pars prima quartæ Propoſitionis.

Explicantur flagella fortunæ.

ANtiquiores Philoſophi, bona omnia, quæ homini, dum in vivis agit, obvenire ſolent, diviſêre in bona fortunæ, corporis & animi. In iis omnibus peccatorem à cœlo vindice graviſſimè puniri fuſius oſtendam. & jure quidem meritiſſimo : ut qui à Deo, ſummo bono, & omnis boni fonte, ſuo vitio deflexit ; bonorum omnium fontes ac torrentes, ſibi quoque ſentiat exaruiſſe, penitúſque defeciſſe.

Flagellum primum.

Paupertas.

Divites eguerunt & eſurierunt. Pſal. 33. v. 11.
Nutantes transferantur filii ejus & mendicent. Pſal. 108. v. 10.

MOveri ſolet ea quæſtio, cur Deus ter Optimus ter Max. in cujus manu divitiæ & paupertas, modò hanc, modò illas alterna quadam viciſſitudine mortalibus impertiatur : & ita quidem, ut neque hæc, neque illæ ſibi ſuiſque dominis perpetuò conſtent ; ſed perenni quadam inconſtantiâ, fluxúque ferantur. Diceres illa fortunæ bona à Deo ut pilas agi, & huic primùm, deinde alteri in manus dari. Quæ cauſa ? Ne crede id fato quodam fieri, cæcóque impetu, aut rerum humanarum lapſu caſúve : etſi enim puſillis infirmiſque mortalibus ſuus ſit caſus, & ut vulgus loquitur fortuna ; Authori tamen ac moderatori univerſorum nihil eſt inopinatum, nihil fortuitum ; ſed certa providentia, altioréque conſilio vertuntur omnia. Cur igitur his affluunt opes, & ab illis refluunt ?

Sunt qui velint id accidere, ut eorum inconſtantia ac volubilitas in aperto ſit ; cùm nullo pede fixa ſtet hæreatque fortuna, ſed nutante, dubio incertóque ſemper vagetur pede. Alii divitiarum vilitatem in eo prodi autumant, utpote quæ æquè juſtis atque iniquis, ſapientibus ac inſipientibus, bonis ac malis obvenire ſoleant.

Quidam alio divinæ ſapientiæ vela flectunt, credúntque id fieri ex quadam Juſtitiæ lege, quæ probos iis bonis ſpoliando plectit ; improbos autem eorum ubertate atque abundantiâ ſolatur. Quanquam & nonnulli ſecus omninò exiſtimant, cenſentque etiam perditiſſimos quoſque affluente cœlo ditari ac paſci inſtar pecorum, quæ cùm æternæ cædi ac macello deſtinentur, saginantur in terris, ut pinguior ſit majorque in inferis laniena : contrà verò à moribus & vitâ probatos omni opum auxilio, favore, gratia deſtitui, ut hîc à paupertate & inopiâ exercitati, ſerventur divitiis nunquam perituris.

D. Gregorius Nazianzenus aliud in rerum humanarum opumque viciſſitudine contemplatur, creditque omnia authore Deo ita dirigi, ut copia & inopia, proſperitas & adverſitas perpetuò alternent vices. *Ne*, inquit, *vel adverſitas ſolatio vel proſperitas præmiis careat.* Orat. 7. Si enim ſemper ſæviret aſpera adverſáque fortuna ; nullum animo labanti afforet ſolatium : neque, ſi perpetuò mulceret proſperitas, & ridentis ævi gratia favorque, frænum eſſet, quo inſolens ſpiritus atque efferveſcens cohiberi retrahique poſſet.

Dum autem unum alteri continenter ſuccedit ; & in proſperis ſua eſt temperantia, & in adverſis patientia : Hæc eſt Doctorum inter ſe pugna, dum ratio cum ratione certat ac vincit : ego in præſentiâ illam amo & ſequor quæ paupertiem peccati pœnam ac flagellum deſcribit, & divitias ut virtutis fructum aliquem explicat ac proponit.

Pro hac aſſertione exempla ſuggeret omnis ætas, ipſæque Orbis cunæ jam ediderunt : vix à fraternâ cæde manus commacularat invidus Cain, cùm excepit illud Divinæ Juſtitiæ telum : *Maledictus eris ſuper terram ; cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos.* Gen. 4. v. 11.

Ecce à ſterili ſolo miſeranda pauperies atque egeſtas, qua invertatur ſceleſtum caput, quia hæc ei pœna erat longè graviſſima ; ait enim : *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tua.* Quod primùm ſentit lugétque impius Cain, eſt ejici *a facie terræ*,

quæ illi carior erat ipſâ Dei ſui facie: quam ſcelerati mentem notavit Philo ubi Cainum ſic loquentem inducit. *Si non præbes mihi bona terræ, nec cœleſtia quidem accipio: ſi non datur frui voluptatibus, nec virtutem quidem deſidero: ſi non impertiris humana bona, divina quoque tibi habeto.* Hæ ſunt præproperæ & impiæ Caini voces, hæc vota: & illa quidem divitum hujus ſæculi, quibus ſæpè duriùs accidit ejici *à facie terræ*; à divite ſolo & opulentis poſſeſſionibus, quàm à facie gratiáque conditoris ſui: & quia peccant quàm maximè inſano illo divitiarum amore, ideò juſtâ cœli vindictâ, etiam in ipſis puniuntur.

Quod Caino flagellum incubuit, idem deinde & Joſephi fratribus, quos rei frumentariæ inopis, ſterile ſolum, exſuccus & aridus æther oppreſſit, & miseræ etiam addixit ſervituti, ut eſſet pœna malè quondam venditi fratris, & immitis avariq́ue animi.

Gen. c. 47. Quod illis, hoc poſtea Ægyptiis: qui dum ab immodicâ ſoli fœlicitate, opúmque abundantiâ nimio luxu diffluunt, mutato quaſi ſolo cœlóque, malignâ terræ ſterilitate damnantur, & libertatem, quæ vita potior eſt, paupertatis angoſtiis oppreſſi, miſerè & infœliciter prodigunt. Quod malum deinde ſenſêre & ipſi Hebræi, Dei populus, & ille quidem electus, de quo David: *Miſit ſaturitatem in animas eorum*: vel, ut non ſine myſterio vertunt Septuaginta, *Miſit maciem in animas eorum.* Videtur eadem vocula Hebræo idiomate, & *ſaturitatem*, & *maciem* ſignificare, ut vel inde noveris quàm affinis & proxima ſit ſaturitas & macies; imò ſaturitas ipſa macies eſſe videatur. Et hoc eſt flagellum quod evibrat Deus; ubi enim ſic ad electos: *Timete Dominum omnes ſancti ejus, quoniam non eſt inopia timentibus eum.* Tum ſubjicit quod reprobos malè afficit: *Divites eguerunt, & eſurierunt.* D. Hieronymus ex Hebræo legit, *Leones eguerunt, & eſurierunt.* Eſt Leo efferum animal, & prædæ natum, quod tamen & ipſum quandoque fame premitur ac perit: Sic divites (qui Hebræa voce *Cephir'im*, hoc eſt Leones dicuntur, quia ſunt pauperibus quod animantibus eſt Leo) & ipſi in pœnam ſuæ rapacitatis atque avaritiæ, qua egenos rodunt, lacerant, opprimunt, cœlo vindice egeſtatem famémque tolerant. Exemplo rurſum ſint Judæi, eorúmque filii; in quos ea Davidis imprecatio. *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus ſuis.*

Pſal. 105.

Pſal 33. v. 10.

Verſ. 11.

Pſal. 108.

Ab immani illo Chriſticidio multa in eos pœna tranſiit. Hæc ad inſtitutum meum. Præterquam, quod ſub alieno cœlo, exuléque terra vitam deſpicabilem agere cogantur alieni potiùs juris quàm ſui, ne lacrymas quidem ac gemitus ut ſuos habent; ſed eos pretio emere coguntur, quod ſummum miſeriæ ac paupertatis eſt genus: nemo enim eſt, ut deploratiſſimæ ſit fortunæ, qui ſaltem lacrymas & gemitus ſibi reliquos non habeat, iiſq́ue quaſi ſuis fruatur: Non ſic tamen Judæus, de quo Divus Hieronymus oculatus teſtis: *Videas*, inquit, *in die quo capta eſt à Romanis, & domita Jeruſalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis & annis obſitos, & in corporibus & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes. Congregatur turba miſerorum, & patibulo Domini coruſcante, & radiante ἀναστάσει ejus: de Oliveti monte quoque Crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi ſui populum miſerum, & tamen non eſſe miſerabilem. Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & ſparſi crines, & miles mercedem poſtulat, ut illis flere plus liceat.* Hæc de infelici Judæorum pauperie Sanctus Doctor, ſtylo ut ſolet gravi & aculeato. Digna nimirum patrato ſcelere miſeria egeſtáſque, ut qui quondam per ſummum ſcelus, & immanitatem

In Sophon. cap. 1.

Chriſti ſanguinem emerant, ſuas & ipſi lacrymas emere cogerentur.

Et hæc quidem concitatæ ſupremi Judicis iræ ſunt flagella, eáque antiquæ memoriæ: demus jam aliqua quæ ſint recentioris. Omitto Beliſarium notum Orbi nomen ab utraque fortuna, qui olim ita Juſtiniano charus fuit, ut in excuſis nummis unâ parte viſeretur Juſtinianus, alterâ Beliſarius: crederes in Orbe duos æquo Marte Cæſares, Juſtinianum, & Beliſarium. Is cùm omnibus fortunæ bonis abundaſſet, vel aulæ invidiâ, vel inconſtanti Cæſarum gratiâ, vel ſuo, quod certius eſt, ſcelere, atque ſuperbiâ, de ſummo honorum culmine eò miſeriarum & paupertatis redactus eſt, ut orbus utroque lumine, manus ad ſtipem extendere ſit coactus: adjecta hac lugubri voce: date ſtipem Beliſario, quem fortuna extulit, excæcavit invidia. Taceo & Eutropium Arcadio Imperatori longè gratiſſimum, & ejuſdem cum Beliſario fortunæ: primùm ſecundæ, dein adverſæ, in quem aureo calamo Chryſoſtomus: *Ubi nunc*, inquit, *inclytus ille conſulatus ſplendor? Ubi illuſtres illi faſces? Ubi applauſus illi, & choreæ epulæq́, & feſti conventus? Ubi corona & alea? Ubi ſtrepitus Urbis, & illæ Circenſium ſpectatorum fauſtæ acclamationes atque adulationes? Omnia illa perierunt: procella vehemens folia dejecit, arborem ſpoliatam reddidit jam radicitus vacillantem. Ubi nunc fucati illi amici? Ubi compotationes & cœnæ? Ubi paraſitorum examen? Ubi illi potentatus cultores ad gratiam omnia dicere ac facere aſſueti? Omnia illa nihil niſi nocturnum ſomnium appetente die evaneſcens. Flores fuerunt verni: Vere exacto emarcuerunt omnia; umbra erant, & prætererunt. Fumus erant, & ſoluta ſunt: bullæ erant, & diſrupta ſunt; araneæ erant, & lacerata ſunt*: eo ferè modo quo leves aranearum telæ ab ancilla diſcuti, diſſipari, ac confringi ſolent: Nimirum juſto Judici ſcelerúmque vindici Deo ancillantur omnia, & de impiorum manibus excutiunt floſculos & fructus luxuriantis fortunæ. Serm. quodam in 3. Tom.

His addam alios ex Auguſta ſeu Regum, ſeu Imperatorum ſerie, quos ſua ſcelera, ſua libido, & impotens avaritia, & in Eccleſiam Matrem quàm optimam inſana malevolentia, ad extremas mendicitatis ſordes compulêre. Primus erit Henricus IV. Imperator, qui à Gregorio hujus nominis ſeptimo Pontifice Maximo excommunicationis fulmine percuſſus, primùm à Germaniæ Principibus deſertus: dein purpurâ, ſceptro, & Imperio exutus: eò denique paupertatis ac miſeriarum eſt delapſus, ut Spiræ ad valvas ædis noſtræ Dominæ, magnæq́ue Matris, quam olim ipſe auguſta munificentia extruxerat, panem mendicatò petierit ab Epiſcopo Spirenſi, à quo & repulſam paſſus jure quàm optimo, ut qui in Eccleſiam Matrem impius extiterat, ejus Filios in ſe pios non haberet. Neque in eo divina vindicta ſtetit; brevi enim quà fame, quà miſeriis conſumptus diem ſuum obiit; & quinque totis annis jacuit inſepultus. Et licèt in ejus locum ſuffectus eſſet filius, ſummáque cum authoritate Imperium regeret: paſſus eſt tamen parentis cadaver inhumatum abjici & jacere, ut & Eccleſiæ cenſuris ſua ſtaret authoritas ac reverentia, & poſteris exemplum daretur, non eſſe violandum Numen, in cujus manu gloria, & divitiæ: quas in eos effundit, qui ſe timent ac colunt; retrahit autem illis qui averſo à ſe vultu, animóque ad vitia & cupidines ſuas deflexerunt. Sigon. l. 9. de regno Italiæ.

Exemplo eſſe poterunt etiam in eadem purpurâ, ſceptróque duo alii Cæſares, Caligula, & Nero, ſui ævi portenta, & monſtra quà crudelitatis, quà effuſæ prodigalitatis: à quâ etſi ad manticam non venerint; at ſeipſi infami mendicitate, ſordidis, ac portentoſis tributis abjecerunt. Caligula certè paucis annis, quibus Imperii clavum tenuit, in ſuas Rib. in Princ. Chriſt. l. 2. c. 10.

libidines

libidines ſupra ſexaginta ſeptem auri milliones abſumpſiſſe dicitur. Nero autem, quatuordecim annorum ſpatio in ſuarum cupiditatum & immanitatis atque amentiæ adminiſtros, ac lenones, quinque ſupra quingentos milliones fertur abligurivisſe: tantum auri prodigere potuit barbara manus, quæ deinde ſeſe ad vectigalia, & ad ſtipem è rebus viliſſimis petendam inclinavit.

Gal. Reg p. 88. Remonſtrance au Roy.

Ac ne antiqua tantùm iſta commemorem. de Henrico Tertio Galliarum Rege narrant hujuſce temporis Hiſtorici, eum anno duntaxat uno (qui fuit milleſimus quingenteſimus, octogeſimus quartus) ſuis Hiſtrionibus, atque Paraſitis plena prodigáque manu infudiſſe ſex auri milliones, à quibus exhauſtus, eò ſeu paupertatis, ſeu avaritiæ venit, ut nihil ei ſeu profanum, ſeu ſacrum à tributo liberum & immune eſſet.

Richard. ſuprà.

Imò quod ſentire odit vita, quod pati mors exhorruit, quiſquis ei in regno naſcebatur infans, non naſcebatur niſi ſub præcoce tributo: neque quiſquam à vitâ, ſepulchro, terræque, ceu communi omnium matri, reddi poterat, niſi regio Fiſco vectigal, ceu Charonti naulum penderet. Et tamen ab illâ inſolenti avaritiâ rapináque potiùs exhauſtæ quàm expletæ gazæ regiæ: adeò certum illud, neminem unquam malis artibus diteſcere: quod vel maximè patuit in Henrico Octavo Angliæ Rege, quem Eccleſia Romana deſertorem luxit, Anglia propè tyrannum exhorruit: de eo fusè Nicolaus Sanderus, nobilis author, & inter Hiſtoricos ſui temporis paucis ſecundus: ſi rerum variarum ordinem ac lucem (quæ hiſtoriæ oculus eſt & anima) ſpectare velis: ejus hoc loco verbis utar bonâ Lectoris veniâ; major quippe illi fides erit, ſi etiamnum ipſe ſcribere, & loqui videatur. Ad innumerabilem ſacrarum ædium ſtragem, ruinámque templorum ac Monaſteriorum, quam Vir doctus, illiúſque ævi Vates his duobus verſiculis expreſſit:

Millia dena unius templorum ſuſtulit annus,
Quàm timeo in pœnas vix ſatis unus erit.

Ad illa, inquam, cœnobiorum templorúmque incendia & expilationes, tributa adjunxit ſub quibus univerſa gemuit Anglia: de his & illis ita author ſuprà nominatus.

De Schiſ. Anglic. l. 1.

Subſecutus eſt annus Domini quadrageſimus quartus, ſupra milleſimum, & quingenteſimum, & trigeſimus ſextus Henrici regni; quo oſtendere voluit miſericors & juſtus Deus quàm inviſæ ſibi fuerint, & quàm ipſi Regi in hoc etiam mundo inutiles, omnes illæ rapinæ, quas de Eccleſia Chriſti fecerat. Cum enim tot ac tanti Monaſteriorum in Angliâ theſauri eſſent, ut eorum vel decima pars etiam avariſſimi Regis mentem explere potuiſſet: tamen Henricus cùm theſauros ubique omnes, cùm cruces argenteas, aureas, omniáque ſacra vaſa; cùm altarium ornamenta, cùm omnem ſupellectilem penè mille Monaſteriorum, tùm omnia prædia, fundos, fructus, jura & actiones in ſuam poteſtatem redegiſſet; cùm præterea decimas, & annatas omnium beneficiorum per univerſam Angliam exigeret; & adeò cùm ipſum plumbum, ligna, atque lapides Monaſteriorum ubique venderet, ex eoq; debuiſſet in æternum omnia civibus ſuis tributa & vectigalia remiſiſſe (id quod ſe facturum ſimulabat, ut cives eò libentius in Monaſteriis evertendis ipſius libidini aſſenſum præberent) unò cùm debuerit quocumque Chriſtiani Orbis Rege, argenti præſertim & auri ditior extitiſſe: tamen adeò in contrarium ea res ex Dei juſtiſſimâ voluntate ceſſit; ut multò pauperior intra paucos annos poſt expilationem iſtam fuerit, quàm unquam ante, aut ipſe, aut majores ejus fuerunt.

Theſauri ex Monaſteriis.

Tributa impoſita ab Henrico [illegible]

Quin ille ſolus, ut ex iis quæ in hac Hiſtoriâ narrantur, ex veteris Regum Angliæ annalibuſq; conſtat, plura tributa & vectigalia civibus ſuis impoſuit, quàm omnes ſimul Reges per quingentos ante annos fecerant. Cùmque ſtantibus adhuc Monaſteriis, vulgò Pſeudo-evangelici, & impii adulatores, jactitarent neminem in Angliâ pauperem deinceps fore, ſi ſemel Clauſtra ſacra diſrumperentur, & theſauri quibus Abbates incubarent, prædiáque & agri quibus pauci jam Monachi alerentur, in manus plurium devenirent; adeò nihil eorum reipſa extitit, ut pro ſingulis qui antea oſtiatim victum quæritabant, nunc viginti ad minimùm non modò idem vitæ genus ſequantur, ſed etiam quod miſerrimè quæritant, vix, & ne vix inveniant. Quid? quòd cum pecunia numerata ex tam puro argento eatenus in Anglia conſtitiſſet, ut nonniſi undecima ferè pars ex cupro ferè, & ſtanno adderetur, idq; moderandi & commiſcendi cauſa, quò faciliùs characterem impreſſum ſuſciperet: poſt illum diem per gradus quoſdam ab Henrico inchoatos, eò res demum redacta eſt, ut tandem vix duæ argenti unciæ cum undecim cupri & ſtanni commixtæ reperirentur.

Pecunia adulterata.

Ut autem res univerſa meliùs intelligatur, conſideret Lector, quot modis & artificiis uſus ſit Henricus, poſt Eccleſiaſticorum bonorum rapinas ac ſacrilegia, ut egeſtatem ſuam reficeret, populumq; expilaret; illis ipſis (inquam) ſex aut ſeptem miſerrimis annis, quibus poſt everſionem Cœnobiorum vixit. Primò enim (ut anteà annotatum eſt) eo ipſo anno quo Monaſteria invaſit, tributum graviſſimum & inauditum populo impoſuit, quo unuſquiſque bonorum, quæ poſſidebat, pluſquam tertiam partem Fiſco Regio ſolveret: quod genus expilationis non rarò poſtea exercuit. Deinde anno Regni trigeſimo quarto aliam formam excogitavit, quâ æſtimatis bonis, quæ habere dicerentur, egregiam quandam pecuniæ ſummam pro facultatum magnitudine Regiæ Majeſtati dare mutuò cogerentur. Anno verò ſequente tertium genus inventum eſt, ut omnes nimirum ad ſtudium animumq; benevolum erga Regiam Majeſtatem teſtificandum, pro ratâ bonorum portione, ſponte pecunias contribuerent, unde & benevolentiæ nomine hoc tributum appellabatur. Exactores tamen ſeveriſſimi huic benevolentiæ colligendæ aſſignabantur, qui non ſolùm quod dabatur acciperent, verùm etiam unicuique quantum eſſet ſolvendum præſcriberent, quorum ſi quis fortè eorum poſtulatis non ſtatim acquieſceret, eum, ut malevolum, & regiæ cauſæ minimè faventem caſtigabant. Londini verò Richardum Redum Senatorem Civitatis, hominem à rebus bellicis alieniſſimum, ad bellum Scoticum proficiſci coëgerunt (ubi brevi poſt ab hoſtibus eſt captus) ea ſola de cauſa; quòd ſummam pecuniæ ab exactoribus conſtitutam, iniquam ſibi videri dixiſſet: quo etiam de crimine Gulielmum Roſbum equitem auratum, ex eodem Senatu Londinenſi in carcerem conjecerunt.

Variæ artes Henrici ad expilandum populum. — *Tributum.* — *Mutuum.* — *Benevolentia.*

Sed quartum expilationis genus, quod modò dicemus, cætera omnia, cùm utilitate, tùm iniquitate etiam ſuperavit: Primò enim Rex Henricus cùm in Gallias ad obſidendam Boloniam expeditionem ſuſciperet, tamq; ingentem pecuniæ vim in theſauris haberet; tam auri, quam argenti pretium non parum auxit, ut ſic pecuniæ ſuæ magnitudo creſceret. Deinde verò cùm partim per tributa indicta, partim per Feudorum annuos cenſus, partim per eorum quæ in portus invehuntur vectigalia, partim per commiſſa, & caduca, quantam maximam potuit pecuniæ ſummam in ſuas manus redegiſſet; tum iterum novam cudit monetam, multo minùs puram & ſinceram, quàm priorem, adeò ut cùm adhuc minùs adulterata eſſet, tamen quarta parte ab illa priori bonitate deficeret, nihilominùs poſtea multò depravatior facta. Iam verò ut priorem monetam probatam de ſingulorum manibus quoad poterat, auferret, & in ſuas transferret; plus aliquanto in ſingulas uncias, quàm vulgò eam æſtimaſſent, ei daturum ſe obtulit, qui eam ad ærarium, argenteámve officinam attuliſſet. Solvit autem non modò Magiſtratibus, miniſtris, militibuſq; ſed etiam illis ipſis qui veterem monetam ei vendebant, nova illa minus probata moneta. Quâ fraude effecit, ut à ſingulis, quibuſcum ei pecuniarium negotium erat, non decimum, non quintum, ſed quartum quemlibet denarium velut tributi nomine caperet. Cumq; hic dolus benè

Monetæ auctio. — *Henrici fraus & dolus.*

ei ſuccedere videretur, magis & magis pecuniam ſemper commiſcuit & corrupit, donec impleſſet menſuram dierum ſuarum. Porrò cùm hæ omnia latrocinii furtique genera Henrici luxui non ſufficerent, indicto ad octavum calendas Decembris Comitiis publicis, impoſuit univerſis authoritate publica, tam decimam, quam undecimam ſibi ſolvendam ex omnibus cenſibus annuis Angliæ; ex bonis verò mobilibus, duas integras decimas. Eorumdem etiam Comitiorum aſſenſu & authoritate (cùm nemo ei reſiſtere auderet) poteſtatem ſummam accepit in Procotrophia, & Xenodochia: in omnia etiam Noſocomia, Seminaria, & Studioſorum collegia; in omnes denique Miſſarum fundationes, ſacráſque oblationes, quas fideles, ut ſibi ſuiſq; defunctis ritu Chriſtiano parentaretur, feciſſent, aut ſtatuiſſent: ut dum viveret, de his omnibus eorúmque bonis, Baſilicis, ædificiis, ac annuis cenſibus pro ſuo arbitratu ſtatueret ac diſponeret; adeò, ut jam nihil ei ſupereſſe ampliùs in univerſo regno videretur, ex quo pecuniam conflare poſſet, niſi aut viventium capita, aut mortuorum ſepulcra vendere cogitaret.

Spectaſti monſtrum hominis, & inſatiabilis avaritiæ prodigium: à qua ſuas gazas eo auri, argentique pondere onerare debuit, ut nemo in Orbe magis. Et ita quidem factum oportuit, niſi aliter apertus & vindex Supremi Judicis oculus deſignaſſet, juſtúmque cœli judicium, à quo & in vita pauperrimus, & in morte extitit abjectiſſimus; ut enim diſertè notat idem Author: *Cùm tres ejus liberi annuo ordine regnaſſent, tamen nullus eorum memoriam Patris aliquo monumento cohoneſtavit.* Quod non caſu factum crede, aut etiam prolium in Patrem malevolentia: ſed manifeſta Dei vindicta, ut qui ſacras ædes expilaſſet, Sanctorum cineres diſſipaſſet, & eximia Martyrum ſepulcra diripuiſſet, ipſe omni ſepulcri honore careret, etiam poſt fata mortémque pauperrimus.

Flagellum ſecundum.

Nominis oblivio & infamia.

Prov. c.10. v.6. *Memoria Iuſti cum laudibus: & nomen impiorum putreſcet.*

BOnum nomen, famámque intactam comparant Sacræ paginæ cum unguento quo illinuntur, mulcentur, & à putredine ſervantur corpora, *Melius eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa*, inquit Ecclesiaſtes. Cap. 1. v. 2. Prov. c. 22. v. 1.

Et verò magnam habent unguenta cum bono nomine famáque conſenſionem. Primum enim nihil eſt quod ita putredini reſiſtat ac corruptioni atque unguenta pretioſa. Teſtantur Ægyptiorum cadavera (Mumias appellant) quæ non pauca etiamnum viſuntur, quæ bis mille & ampliùs tulerunt annos.

Deinde unguentum ſuavi temperamento morbis reſiſtit, & ad ſanitatem plurimùm conducit: ita & bonum nomen confert ad immortalitatem, & optimus virtutum eſt cuſtos. Ideóque cavet ſedulò vir probus, ne quam æſtimationi ſuæ maculam aſpergat: conſcius illius pronuntiati, Doctoris mellei Bernardi: *Proximo famam, nobis debemus & providemus conſcientiam.* Et hujus Hieronymi: *Etſi conſcientia criminis vulnus non habeat; habet tamen fama ignominiam:* quam adeò timent, horréntque claræ mentes, ut, teſte Chryſoſtomo, *Multi ad laqueum convolarint famæ opprobria non ferentes*: quod etſi ex diſciplina Chriſti ſit improbandum; attamen probandus amor famæ, ſtudiúmque boni nominis quod à virtute peti deberet: huic enim ſoli debetur, & contingit ea fœlicitas; ideóque aberrant quàm longiſſimè, qui æreis marmoreiſque ſtatuis nomen ſuum poſteritati conſecrant, qui pyramides, mauſoleáve excitant, ut ſcribant nomina ſua in terris ſuis, qui doctam papyrum, veteréſque membranas cedro illinunt, ut eas à tineis vindicent, unáque & ſui nominis umbram: errant, inquam; quia & ipſa mauſolea in rudera convertuntur, & potiùs vanitatis, quàm virtutis extant monumenta. Stat enim, ſtabitque æternùm intaminata hujus pronuntiati veritas: *Nomen impiorum putreſcet*; vel ut vertunt Septuaginta, *extinguetur*. Prov. c. 10. Incendit olim neſcio quis Erebi filius, & orbis monſtrum, Dianæ Epheſinæ templum, ut ſibi, eo incendio ædis omnium quæ tum erant nominatiſſimæ, immortalitatem compararet. A virtute rebúſque præclarè geſtis eam ducere ſe poſſe deſperabat; quia profligatæ jam erat vitæ morúmque, ad ſceleris immanitatem & audaciam deſcivit magni nominis malos venator, quod tamen non eſt aſſecutus: ſeverè enim latâ lege, publicóque edicto cautum, ne quis ſacrilegi illius nomen in ullâ re adhiberet, & ſi quibus in locis tabuliſve ſcriptum jam eſſet, illicò deleretur: nec enim decebat per malas artes ab oblivione & inferis id nomen vindicari. Quod illi, hoc & impiis juſto Dei judicio, & interprete teſtéque Davide. *Increpaſti gentes, & periit impius, nomen eorum deleviſti in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Pſal. 9. v. 6. Dum vegeta eſt virétque ſuperba laurus, texitur in ſerta & coronas, Regum ac Cæſarum vertices ornat: at exuſta, nihil ſui reliquum facit, ne cineres quidem, quos tamen poſt ſe relinquunt arbores omninò cæteræ. Et ea quoque ſuperbos atque impios pœna tangit: dum ab ætate virent ac florent, dum elato tolluntur ſupercilio, & meliore gaudent fortunâ, ab illa ſibi nomen inter mortales conciliare videntur: at ubi à morte terræ redditi, & ſepulcro clauſi; ſolvuntur in cineres, evaneſcunt in auras, nec ulla eorum ſupereſt memoria, ne nominis quidem famæque priſtinæ veſtigium: quod alta mente prævidit ſtylóque notavit Eccleſiaſticus: *Areſecit*, inquit Dominus, *& diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum de terra.* Cap. 10. v. 20. Imò nec in ea aliquando eſſe voluit.

Ante immiſſam cœlo vindice aquarum eluviem, præceſſerat immenſa & luculenta ſcelerum illuvies, à quâ Deo ſuperiſque inviſi mortales facti, decretúmque Univerſo excidium. *Corrupta eſt*, inquit Moſes, *terra coram Deo.* Gen. c. 6. v. 11. Cur inquies terra? Ea à peccato, & incolarum ſuorum malevolentia nec pati potuit, nec inſici, nec corrumpi: iniquitatis enim labés & macula animis adhæret, nec elemento affigitur: notatur tamen Moyſis calamo *terra*, eáque ſola nominatur: *Quia*, ut acutè advertit Divus Chryſoſtomus, *Peccatum facit ut homines ſuo nomine vocari non ſint digni.* Hom. 20.

Ita deinde poſt longa ſæcula multóſque ſoles, ex eadem Scripturæ phraſi ac genio ſupprimitur nomen illius, quæ & Davidi conjux, & Salomonis mater fuit. Dicitur enim David *genuiſſe Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ*: Matth. c. 1. v. 6. nec nomen additur, quia Soli & luci inviſum, ob contractam inſignem adulterii labem ac maculam.

Sic & ipſum Magdalenæ nomen reticuit ſacer Hiſtoriographus eâ uſus periphraſi: *Mulier quæ erat in Civitate peccatrix.* Luc. c. 7. v. 6. Quæ ſit illa, ne quære; plus ſatis eſt dixiſſe, *Peccatrix* eſt, adeóque anonyma. Verùm fortaſſe levius illud videbitur non nominari, quàm malè nominari & audire quàm peſſimè; uti audit peccator: cujus nomen, ut ait Sapiens, *Putreſcit*: Hebraicè *Iirkab*, id eſt, *cariem contrahit.* Cedrum, aliáque ligna imputribilia, tinea non arrodit, non debilitat caries; tum quia durior eſt eorum materies, quàm ut tineæ morſum patiatur; tum verò maximè, quia auſterum ſaporem exhibet arrodenti: at ligna mollia & dulcia depaſcitur terebrátque caries: Sic fortes animos partamque à virtute famam non impetit, non carpit; aut ſi carpit, ſaltem non dejicit maledico dente detractor: quia ut dura & auſtera virtus; ita dura eſt & auſtera gloria,

quæ

quæ ex illa promanat, adeóque manet illæſa. Contrà verò, improborum gloria etſi aliquando nitere videatur & inclareſcere; quia tamen mollior eſt ac dulcior, quia per vitiorum illecebras & lenocinia quæſita, ideò ex ſeipsâ tineas creat, indéque etiam aliud ſceleſtæ menti periculum.

Sicuti trabs aliqua, quam ſurdo dente tacitáque lima exedit caries, ſi fortè gravetur impari onere, illicò diffringitur, & grandem ſecum ruinam trahit: ita ſi quid impio, à bono nomine mentitáque fama imponatur oneris aut honoris, ſi ad magiſtratus & faſces evocetur, impatiens tantæ fortunæ ac dignitatis, ſubſidit, & immani ruina vitium quod latebat aperit. Et hæc quidem à peccatorum tinea ſtrages accidere ſolet. Ad eam porrò ſenſim etiam, & tacitè ducit contaminatæ conſcientiæ vermis, qui qualem qualem impiorum famam abſumit, & tenaci perennique morſu ſceleratam mentem arrodit, pungit, ſtimulátque; & ut apud alios benè audiat, facit tamen ut apud ipſam audiat quàm peſſimè: hinc etſi deforis appellat ſuaviùs aura bonæ famæ & exiſtimationis; ea tamen non blanditur animo, non eum demulcet ac recreat; quia domi ſpirat aſper & frigidus Aquilo, nymboſique vagantur ac tumultuantur Euri: fluctus intellige ac turbas conſcientiæ à peccato lethali malè affectæ & inquietæ mentis, quæ omnem boni nominis & famæ pacem evertunt ac perfundant.

De Civit. Dei l. 22. c. 8. Quod ipſum ſua experientia doctus edocuit Auguſtinus: ait enim *Eum, qui laudari cupit ab hominibus, ſpreto teſtimonio conſcientiæ, nihil ſolida gloria in ſe obtinere; quia mala conſcientia radicem bonæ exiſtimationis corrumpit. Quam radicem? Virtutem, quam homines exiſtimant adeſſe: ſed animus malè ſibi conſcius novit ſe non habere, quod alii ignorantes illi tribuunt.*

Ubi radix arboris vitium & tabem eſt paſſa, illam ſubitò in truncum & ramos ſpargit atque effundit. Sic ubi conſcientia, quæ integræ exiſtimationis eſt radix, à peccato vitium aliquod peſtémque contraxerit; eam quoque paulò poſt in ramos, hoc eſt, in aliorum hominum mentes emittit, & enatam in iis exiſtimationem inficit aura peſtilenti, ac præfocat: & ea ratione verum illud Sapientis: *Nomen impiorum putreſcet.* Primùm domi & in ipſo depravatæ mentis ſinu ac penetralibus; deinde foris in aliorum opinione atque ſententia.

Sed etiam aliunde putreſcit impiorum fama; quia eam ipſi in rebus infimis ponunt, non in virtute, quæ ardua ſpectat & ambit. Sicuti autem lignum humili & aquoſo infixum ſolo tabeſcit ac diſſolvitur, cùm è contrà in editiore locatum hyemes toleret, & ſæcula vincat: Ita juſtorum memoria noménque, quia in faſtigio honeſtatis & altiſſimarum virtutum collocatum eſt, aut nunquam, aut nonniſi tardiſſimè interit; cùm injuſto parta laus, inſtar ligni computreſcat, quia ea vel abjecto ſolo adhæret, vel fluxis ac labentibus humanarum rerum opinionibus evolvitur.

Vel certè cum Plutarcho, dic brevi perire ſceleſtum nomen: quia dum à ſcelere rimas agit, non illicò reparatur, ideóque damna majora incurrit; non ſecus ac navigia, quæ in vago jactantur aquæ elemento, admiſſo altè humore putreſcunt, niſi & ſentinam crebriùs exhaurias, & ſolutas tabularum compages reficias probéque compingas: Ac ne putes hoc eſſe recens inventum, & hujus ævi ſimilitudinem, eam mihi in manus dedit idem Plutarchus, dum ait: *Delicatum navigium dum ſubinde ſarcitur & reconcinnatur, perpetuum in multa ſæcula redditur: ſic famæ ſemper aliquid addendum eſt, ne collabatur & putreſcat.*

Et quia nihil addit peccator unde reſtaurari poſſit, ideò neceſſum eſt, ut deficiat aliquando penitus atque extinguatur. Quam famæ inclinationem ac ruinam etiam expreſſit Sapiens, ex ſenſu, calamóque Septuaginta Interpretum, qui locum à nobis hactenus expoſitum ita reddunt: *Et nomen impiorum extinguetur.*

Recta fama, probúmque inter mortales nomen flammæ ſplendicanti non abſimile; ab illa micat, & irradiat juſtus omnis, ceu à ſole mundus: at ille nitor, illa lux, ille radius boni nominis, ab impietate non offuſcatur modò, ſed & extinguitur: & quidem, judice Chryſoſtomo, quatuor modis, ut lucerna extingui ſolet: videlicet ſuperinfuſo aquæ elemento, ablato oleo, immiſſo flatu, & præfocatione. Hom. 11. in Ep. ad Theſſalon. Oleo fovetur, alitur, perennátque flamma; & virtus bonæ famæ alimento eſt, eam ſi ſubtrahas, & exhaurias ad frigidum uſque aquæ elementum, illicò flamma, id eſt fama, eo nutriri neſcia, deficit, & in tenues auras reſolvitur.

Sed & altiore procella vehementiſque turbine atque afflatu lucerna extinguitur, tum maximè cùm modicum alit ignem; ſi enim ingenti flamma arſerit, à vento potiùs vires animóſque ſumit, & in immenſum evadit incendium.

Quæcumque injuſtis naſcitur & ſurgit fama, ea potiùs ſcintilla eſt, quàm fama, in quam hominum ora vocéſque dum incurrunt, velut ab aura ventóque validiore diſſipatur.

Denique ſuffocatione perditur peritque flamma cùm perangusto ſpatio clauditur, cùm iis arctatur anguſtiis ut expirare non poſſit.

Si impio relinquitur fama noménque; illud perbrevi, peranguſtóque ſpatio tenetur, nec vitæ hujus limites evadit, nec in æternitatem extenditur, ſed exiguo fine clauſum præfocatur. da illi quinquaginta annos, da ſæculum ſi voles, quantulum illud eſt; eo certè dum premitur, interit: ita præſago ſpiritu altéque mente prævidit cecinitque Vates: *Impius*, inquit, *cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus. Quòd* ſi fortè (qui curſus eſt rerum humanarum) *dives factus fuerit homo, ſi multiplicata fuerit gloria domus ejus: ne timueris, quia introibit uſque ad progenies patrum ſuorum, & uſque in æternum non videbit lumen.* Hæc eſt impii pœna, hoc cœlo vindice flagellum dum famam ambit & aucupatur quæ ſæculi hujus cancellis arctatur, nec in aliam vitam erumpit & æternitatem, ſed velut expirando, ſtatim præfocatur atque extinguitur.

Flagellum tertium.

Privatio Regni, aliorúmque dignitatis inſignium.

Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos. Eccl. c. 10. v. 8.

§. I.

Quæ ſit Regnorum inconſtantia? & unde?

VT Regnorum omnium volubilitatem, atque inconſtantiam ſupponerent oculis ſacræ paginæ, modò eam cum mari & fluxo aquæ elemento, modò cum quadrigis, quæ celeri curſu prætervehuntur, compoſuêre. Cum illis Philo Judæus ſolita ſua eloquentia: *Nihil*, inquit, *eſt in humanis rebus ac negotiis præter umbram, auráinque leviſſimam ſine mora prætervolantem. Eunt enim ultrò citróq; tanquam æſtuaria. Nam & marini æſtus nunc cum magno impetu, ſonitúque accedunt, & longè latéq; per littora diffunduntur undis ſtagnantibus; nunc reſtaunt retrò, magnamq; maris partem in formam continentis redigunt.* Lib. quod Deus ſit immut.

Simile quiddam accidit, quando fortuna populoſam aliquam gentem mundavit magnis fœlicitatibus; fluxu averſo ne guttam quidem ſinit reliquam, deletis etiam veſtigiis opulentia priſtina.

Ut autem ea veritas exemplo clarior eluceſcat, florentiſſimorum Regnorum caſus, alternáſque fluentis ac refluentis imperii viciſſitudines exponit. *Si non libet,* inquit, *ſingulorum fortunam perquirere, vide regionum integrarum & gentium mutationes in melius ac deterius. Floruit quondam Gracia, ſed Macedones abſtulerunt potentiam. Poſtea Macedonia viguit optime, ſed diviſa in plures portiones debilitata eſt, donec omninò interiit. Ante res Macedonum fuerat Perſarum fœlicitas, ſed una dies tam ingentis regna finem attulit. Et nunc Perſa, penes quos antè fuerat imperium, ſunt Parthorum Provincia. Fuit & Ægypti olim potentia magnificáq; potentia, ſed nobis in morem praterit ejus fœlicitas. Quid Æthiopes? Quid Carthago in Africa? Quid Pontici Reges? Quid Europa, Aſiaq;? Et, ut compendio dicam, totus Orbis habitabilis: nónne mare navis ſimq; deq; jactata marinis fluctibus, nunc ſecundis ventis, nunc diverſis utitur?*

Non latuit ea veritas vagáque rerum humanarum inconſtantia ſtrenuiſſimum juxta ac piiſſimum ducem Simonem Machabæum, *qui ædificavit ſuper ſepulchrum Patris ſui, & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, & circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam, & juxta arma naves ſculptas, qua viderentur ab omnibus navigantibus mare.* [1. Machab. c. 13 v. 27. & 29.]

Cur inquies ad arma & Regia Majeſtatis inſignia naves addidit? Non alio ſanè conſilio quàm ut humanæ vitæ & dominationis fugacitatem oſtenderet, quam etiam prodidit ille ritus, quo probatum olim ut Imperatores pictis navibus pro regiis coronis uterentur, ut ſumma illa majeſtas non continenti affixa, non firmo ſolo ſtabilita, ſed fluctuante ſalo agitata oſtenderetur; imò & alterum præberet humanæ vanitatis documentum. [Strabo l. 7.] Vidiſti aliquando non ſine ſtupore, artiſque & audaciæ miraculo ingentes navium moles, velut Oceano impoſitas arces, enatare, & efferri in altum; crederes ſub illis gemere maria, & undas latiſcere, vincíque quantumvis ferocientes æſtus: adeò valido impetu, vel illos ſalluunt, vel ſecant navigia, quæ tamen ubi prælerlapſa fuerunt, nulla ſui toto elemento relinquunt veſtigia: Ita ſe res habet in Regibus, ac regnis, quæ dum vigent florentque, ipſi terræ & Univerſo imperitare atque inſultare videntur; mox verò, aut reflante fortuna, aut morte collapſa via ullum in terris veſtigium habent tam timendæ Majeſtatis. Ad eandem Regnorum inconſtantiam ac volubilitatem referri poteſt, quod Zachariæ oraculo ac fide, quatuor florentiſſima Orbis imperia cum quadrigis quatuor componantur. [Zachar. c. 6. verſ. 2. 3.] *Et converſus ſum,* inquit, *& levavi oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei. In quadriga prima equi rufi, & in quadriga ſecunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varii & fortes.*

Hæc ſunt olim exhibita ſpecies Zachariæ in profundo mentis exceſſu, de quo Sancti Patres & Interpretes aliter atque aliter philoſophantur. Theodoretus, ex ſuo ſenſu indicat haſce quadrigas quatuor, eſſe quadripartitas acies Angelorum ad Iſraëlis cuſtodiam & libertatem; imò & de hoſtibus ultionem à Domino exercituum emiſſas.

Verùm ab eo recedit communis Interpretum & Patrum ſententia, quæ quatuor illis quadrigis oſtendi vult, velut in Emblemate typóque, quatuor maxima Univerſi Imperia.

Prima quadriga, quam trahunt equi rufi, eſt Monarchia Chaldæorum; ſecunda, quam vehunt nigri, eſt Perſarum; tertia, quam ducunt equi albi, eſt Græcorum; quarta denique, quam raptant fortes, varii & amœno colorum diſcrimine maculoſi, exhibet inſignem Romanorum Monarchiam.

Sed cur, inquies, in quadrigis illis imperia? Hic quæſtionis eſt nervus.

Sunt qui velint, quia & quadrigis utebantur, & ex iis depugnabant acriter.

Meliùs alii, & ad mores efformandos aptiùs, Ut ea ſpecies portenderet quis eſſet Regnorum curſus, & quæ volubilitas: ſed unde inquies etiam illa? Hic cardo vertitur propoſitæ difficultatis, quem aperiet objecta ſpecies, & viſionis ſimulacrum; pro quo ſcitè & peracutè notat Sanchez, eas quadrigas Monarchiarum illarum typos, non ab hominibus, ſed à belluis agi; belluino ſcilicet more ac ferocis: & hinc malum, hinc earum inconſtantia, perennis volubilitas, ac tandem occaſus: nec enim diu conſiſtere poteſt regnum, quod homines ferino more ætatem agentes, rapinis, cædibus, injuſtitiis, voluptate, libidine, avaritiâ, aliiſque ſceleribus inficiunt atque contaminant. *Juſtitiâ firmatur ſolium,* [Prov. c. 16.] inquit Sapiens, & regnorum ac civitatum fulcrum quoddam eſt. Ut rectè Plato, ſecundo de legibus, Juſtitiam appellarit, ἔρεισμα πόλεων, *Fulcrum Civitatum,* quo dum deſtituuntur, neceſſum eſt ut nutent, vacillent, ruinam minentur, tandémque etiam patiantur. Ita quondam Nabuchodonoſor ſuperbum, inſolens & intolerandum Superis caput (qui etiam audiit *Malleus univerſa terra*) confractus & contritus eſt.

Gemebat Hebræus ſub immani illius imperio, & impotenti ſuperbia, quaſi malleum inter & incudem. *Propterea hac dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, ecce ego viſitabo Regem Babylonis, & terram ejus.* [Ierem. c. 50.] Non fuit amica viſitatio: ſed, ut Prophetæ verbis explicat, *Vox belli, & contritio magna:* à qua etiam obrutus periit infelix Balthazar mali corvi malum ovum, cui divina manus três ſcripſit voculas imminentis fati, pœnæque indices. *Mane: numeravit Dominus regnum tuum, & complevit illud. Thecel. Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Phares: Diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Fuit hæc a Deo vindice ſtatuta pœna impotenti ſuperbiæ, à qua & regno & vita cautus. Ita nimirum ferunt Superûm decreta: qui altiora ſe ſpectat, ad ima deprimitur; & quod animi demiſſio ſceptrum dederit, eripit & aliò transfert ſuperbia: Exemplo erit Saül, poſteriſque etiam documento, cui olim fatidica voce Samuel: *Pro eo, quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex.* [1. Reg. c. 15. v. 23.] Ac ne voce tantùm tonaret Propheta, manum admovit, *& apprehendit ſummitatem pallii ejus, qua & ſciſſa eſt: & ait ad eum Samuel, Sciſſit Dominus regnum Iſraël a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* [Verſ. 27.]

Uſus eſt Propheta ſciſſione veſtium, veluti ſymbolo quodam impendentis cladis: ſolent enim ex antiquo more ritúque tum veſtes exſcindere, ac dividere, cùm regni diviſionem portendunt, innuuntque: jam ſcriptum illud in cœli tabulis, & ideis divinis, ut in aliud caput corona transferatur. Sic deinde Achias Silonites Propheta in agro Jeroboam pallium ſuum in duodecim partes diſſecuit, ea tiſque decem ipſi Jeroboam tradidit; ut eo ſigno oſtenderet fore ut è duodecim tribubus omninò decem ad illum eſſent tranſitutæ.

Hoc ſymbolum amavit Antiquitas, nec myſterio vacuum eſſe voluit: plerumque enim evenire ſolet ut ipſæ Regum purpuræ magis egenorum ſanguine rubeſcant, quàm Concharum murice: quod ipſum non ſine triſti nænia luctúque cecinit Jeremias, ubi de Iſraële Regibúſque Juda queſtus ait: *Et in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum.* [Cap. 2. v. 34.] Hebræi exponunt. *Et in oris veſtimentorum tuorum inventi ſunt ſanguines animarum:* quos ſcilicet

ſeu

ſeu immani tyrannide, ſeu injuſtis tributis quaſi è torculari quodam expreſſerunt: Et hinc illa de cœlo pœna; è ſolio in cœnum, è purpura ad lacernam, è gloria divitiarúmque culmine ad egeſtatis ſordes, & inglorios dies abierunt: adeò verum illud Eccleſiaſtici oraculum: *Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Primum ſcelus, à cujus incurſu concutiuntur, nutant, concidúntque Regna, eſt injuſtitia, quæ in nocentem ferrum retorquet, ſi fortè (quæ Principis fuit iniquitas) in caput innocentis fuerit nudatum: quod tum verbo, tum exemplo ſuo docere voluit Traianus Imperator. Cùm enim Romanæ Urbis Præſidi gladium committeret poteſtatis ac juſtitiæ ſuæ indicem, adjecit illicò: *Hoc pro me utere, ſi tamen juſta ſtatuam; hoc contra me, ſi injuſta.* Sic ex æquo bonóque ſtatutum voluit Cæſar: & niſi ita voluiſſet, ipſi Superi Deuſque In arcano Cælitum concilio decreviſſent: Sunt enim eæ Cœli leges & pacta; quæ altiore ſpiritu & mentis oculo legiſſe viſus eſt Salomon: cùm enim Banaiæ dediſſet in mandatis ut Joab è medio tolleret, latæ ſententiæ cauſam addidit. *Amovebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt à Ioab, à me, & à domo patris mei.* Injuſtas crudeleſque manus infecerat Joab ſanguine Abner & Amaſa innocentium: eum ultrice ferro exigit æquus Judex, ſatis conſcius, ni feciſſet, non ſolùm in caput ſuum, ſed & in domum patris, & in totam progeniem, ſeróſque nepotes longiùs effundendum: Uti deinde Regi Achabo Prophetæ calamo uréque denuntiatum: *Hæc dicit Dominus. Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Tantum ſupplicii trahere potuit nimia in ſceleſtum caput Indulgentia: à qua ſi hebeſcat qui Regi, qui Reipublicæ conceditur ad nocentium vindictam gladius; acuitur certè in eorum perniciem, qui Divinæ Juſtitiæ ſtringitur & paret enſis. Quod etiam vel ipſa duce natura Pagani agnovêre: Plutarchum audiamus.

Eccl. 10. v. 8.

Plutar. in Apophth.

3 Reg. c. 2. v. 32.

3 Reg. c. 20. v. 42.

Erat olim homo pauperculus Scedaſus nomine, tenuioris quidem fortunæ; ſed multæ vir comitatis atque urbanitatis: ei natura torúſque maritalis duas ediderat filias, & forma, & ingenuo quodam pudore caſtæque mentis elegantia amabiles. Degebant illæ paterna in caſa & ruſtico tuguriolo, ad quod de via dum deflectunt Juvenes duo, illecti cà virginum formâ, & oculis malè capti, iterum iterúmque nota tecta repetunt ſi fortè libidinis explendæ daretur occaſio. Et verò data eſt à parentis abſentia: qua uſi impuri ganeones, in virgines illas involant, & quod latebat animo virus aperiunt, primúmque blandis verborum illecebris, fucatáque amoris ſpecie caſtas illas animas ad ſcelus ſollicitant: deinde, cùm iis lenociniis nec capi, nec flecti poſſent, admotâ vi & lacertorum robore frangunt, & congreſſum extorquent. Hîc Infelices puellæ, quaſi trepidantes ſub accipitre columbæ, gemere, illacrymari, lamenta edere & virgineos ejulatus: ſed fruſtrà: iis aura, ſylvæ, nemora, valles reſonare, mœſtúmque carmen reddere potuerunt; at moveri non potuerunt obdurata dudum & inceſto igne malè cocta Adoleſcentium capita. In libidinem illi vetitóſque concubitus irruunt, & caſtis corporibus vim inferunt; non tamen animis. Fuerunt illi & venere, & ferro, & ipſa morte ſuperiores, caſtáſque mentes aduſque fata ſepulcrúmque detulêre: quod enim intellectus concipere, quod ſtylo notare calamus horret: Ubi impuris amoribus à voce puellari, quæ una erat reliqua, negata eſt via; ſui impotens libido alio igne exarſit, & mollia cupidinis tela in crudele barbarumque ferrum, in vulnus, in mortem aptavit, & altè in virginum pectora ſpiculum immiſit, à quo exhauſtus ſangus, erepta vita; non tamen ereptus animo pudor: ſtetit enim ille, ſtabitque in ævum, & vos, ô virgineæ mentes caſtæque animulæ, poſteris omnibus in exemplum dabit, & præclarum ſervatæ caſtitatis monumentum: & eò quidem maximè, quòd in profundâ Idololatriæ nocte datum quod à multis in amœnâ veræ fidei luce impetrari vix poteſt. Ubi noxia manu virgines illas caſtáque capita demiſêre neci, cadavera jam ſuo merſa ſanguine, vitáque ac ſpiritu vacua, in putei latebras trahere mergeréque viſum eſt, ne tantum ſcelus aut terra tegeret, aut Sol Orbis oculus aſpiceret. At aſpexit è cœlo Deus, & in lucem apertúmque dedit. Scedaſus enim jam redux, ubi nec audiri nec uſquam videri filias conſpexit; inops mentis ac conſilii, ad ſe accurrere ſenſit domeſticum canem, cuſtodem ædium, teſtem patrati ſceleris, imò & accuſatorem. Hic ad Domini pedes accidere, extremámque veſtis oram mordere, trahere, ire, redire ad puteum ſæpiùs, & inconditо latratu ſcelus prodere, Herumque torpentem ad putei latebras explorandas incitare. Fecit ille, benè monenti caniculæ paruit, & exanime cariſſimorum pignorum cadaver aquis demerſum invenit, & Soli reddidit. Hîc primùm datum aliquid juſto dolori lacrymiſque vidui parentis; deinde itum ad explorandum facinus, quod è variis indiciis patuit, authoréſque prodidit; denique à Spartanis æqua tanto ſceleri ultio petita, nec tamen impetrata. Quid hîc ageret infelix parens, quæ conſilia caperet, ad quos à Judice malè deſtitutus confugeret? Fecit quod miſeri ſolent; ad lamentabiles voces, ad clamores confugit, & per ampliſſimæ Urbis compita, portus, angiportus vociferari non deſtitit, & deſperabundo ſimilis, à cœlo Diíſque ultionem expetiit quam à mortalibus impetrare non poterat. Non defuêre Superi vel juſtis orbi ſenis precibus ac votis, vel impiorum Judicum injuſtitiæ atque immanitati. Poſt modicum temporis intervallum, ingens ac cruentum bellum exarſit Spartanos inter & Thebanos: dum hi vindictam impiæ cædis expoſcunt; illi negant. Ac ne dubites id fieri exigente cœlo juſtáque Supremi Numinis vindicta, Scedaſus ſeſe viſendum objecit Pelopidæ Thebanorum Duci fortiſſimo, eumque acriter hortatus ut fidens cauſæ Deoque, fortiter in hoſtem irrueret, effunderet acies, arma ſtringeret, & hoſtium jugulo immineret; non defore pro juſtitia pugnanti Superos omnes & paratam Deorum manum. Et certè ea non defuit: vix enim manus manui, pes pedi admotus; cùm ecce fuſæ, fugatæ, penituſque profligatæ Spartanorum acies hoſti ferróque ceſsêre; & quidem (ne dubia foret oſtento fides ac Superûm ultio) eo ipſo loco, quo virginum cadavera jacuerant inſepulta, & aquis obruta. Ita Thebanis ceſſit Sparta, urbs nobiliſſima, totáque circumjacens regio Dominos mutavit: Deo Judice, cœlóque vindice, quod regnum à gente in gentem transferre conſuevit propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.

§. II.

Eadem veritas confirmatur aliis teſtimoniis & exemplis.

PLura in hoc argumentum vocari poſſent exempla; è multis pauca producam, & primùm quidem unum, quod ſpectavit & annis quamplurimis luxit Hiſpania. Et Rex contigerat Vitiza; de quo proſpera quæque ſibi promiſêre regni Proceres: verùm ut in purpurâ magnæ ſunt vitiorum illecebræ, magna omninò peccandi licentia; ea uſus quàm peſſimè: primùm ſibi ad omnem libidinem habenas laxare, deinde & ſuis; totíque regno, quod ſoluto

in

in omne ſcelus capite, & ipſum diſſolvi cœpit: Fit enim neſcio quo depravatæ naturæ vitio, nexúque Regum ac ſubditorum, ut hi in eorum mores facilè concedant, ſeu illi pravi fuerint, ſeu recti: Nimirum, ut Solon dicere ſolitus, *Vulgus eſt umbra Principis*: utque umbra corporis figuram atque inclinationem imitatur ac reddit; ita ſubditi Principum mores in ſeipſis exprimunt: & hinc infelicis Hiſpaniæ malum.

Ubi ad omne flagitium ſeſe abjecit Vitiza, purpurámque Veneri ac libidini proſtituit; etiam in Eccleſiam matrem rebellis, & in Superos Deúmque impius eſſe ac videri voluit. Verùm ut nemo adeò duræ ac perverſæ mentis eſt, quem non quandoque excitet pungátque conſcientia; ejus ſtimulis agitari cœpit Rex impius, & veteri ne ſubditi tanti oneris impatientes imperium jugúmque ſuum aliquando tandem excuterent: id ne fieret, non ad vitam meliorem, non ad bonas artes; ſed ad malos dolos confugit. Urbes toto regno munitiſſimas muris exui, vallum oppleri, aliáque opera, firmandis contra hoſtium incurſus oppidis, æquari ſolo juſſit, ut ſuis imperiis ac tyrannidi obvia ac patentia eſſent omnia, nihil clauſum, nihil obfirmatum. Et quia hoc contra ampliſſimi regni decus, nervum ac robur eſſe & videri poterat; illi ſuæ libidini & impotenti dominationi altam, qua tum fruebatur, pacem ac quietem prætexuit. Verùm eam diu retinere non potuit: *Non enim eſt pax impia*, dicit Dominus; nec dolo, ſed virtute firmantur imperia. Divina Juſtitia, quæ nocentes à tergo ſequitur & premit, eum primò purpura ſceptróque privavit, dein orbavit oculis; ut qui meliorem fidei oculum jam ſibi eruerat, lucémque religionis propè extinxerat, an cœnum Solis hujus jubar non aſpiceret: tum etiam miſerabili exitu vitam longè miſeriorem extorſit; denique regnum à luxu, libidine, aliiſque vitiis debilitatum, Maurorum incurſioni obvium & apertum fecit, quod ipſa religio, pietas, Deique cultus ac reverentia multis ſæculis occluſerat: Tantum intereſt, quis ſceptrum teneat ac moderetur, quibúſque legibus aut ſtabiliantur, aut concutiantur imperia. Si enim illæ Juſtitiæ & æquitati conſentaneæ fuerint, firmabunt; ſin autem iniquæ, perturbabunt ac penitùs everten t.

Rodriguez. Archiep. Tolet. l. 3. c. 16.

Mariana l. 6. c. 19. Hiſt. Hiſpan.

Cap. 10. v. 1.

Judex ſapiens, inquit Eccleſiaſticus, *judicabit populum ſuum; & principatus ſenſati ſtabilis erit.*

Judex, id eſt, Princeps, cui primùm incumbit cura in judicio & æquitate populum regere, ſtabilis erit, nec ulla hoſtium vi ullóve armorum incurſu commoveri poterit: quia à Juſtitia *Stabilis*: imò ut legunt Complutenſes, *Protenſus* erit, dum in ſæcula ſeróſque nepotes ſceptrum emittet; & à Deo, per quem Reges regnant, ſapientiam aſſequetur; quam diſertè & piè explicat Ferrandus Diaconus in Paræneſico ad Reginum militiæ ducem, à quo Principes ac Reges præclara morum documenta poterunt derivare: ita ille Ducem ſuum inſtruit, & ad Spiritus ſancti dona propitio Numine obtinenda, provocat.

Si gratiam, inquit, *confitearis, requieſcet ſuper te Spiritus timoris Domini. Si vita tua ſpeculum ſit ubi milites videant quid agere debeant, requieſcet ſuper te Spiritus pietatis. Si non præeſſe deſideres vel appetas, ſed prodeſſe, requieſcet ſuper te Spiritus ſcientiæ: ille enim ſcit præeſſe, qui valet prodeſſe. Si diligas Rempublicam ſicut teipſum, requieſcet ſuper te Spiritus fortitudinis. Si humanis divina proponas, requieſcet ſuper te Spiritus conſilii. Si libenter audias, Noli eſſe multum juſtus, requieſcet ſuper te Spiritus intellectus. Si memineris te eſſe Chriſtianum, requieſcet ſuper te Spiritus ſapientiæ.* Hæc eſt enim vera ſapientia, Chriſtianum Ducem ac Regem eſſe: non nomine; ſed re etiam ipſa in ampliſſimo dominatu exprimendo quod in vita Chriſtus Servator Optimus, qui cùm eſſet cœli terræque dominus, præferréique hanc in femore epigraphem indicem majeſtatis, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* non tamen vel uni præeſſe ſtuduit, ſed omnibus prodeſſe laboravit; quà verbo, quà exemplo vitæ ſanctioris. Sic in purpura ſceptróque Rex præſit, ut proſit; ſciátque ſibi dictum illud Sapientis:

Si delectamini ſedibus & ſceptris, ô Reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis. Sap. c. 6. v. 22.

Hoc altioris Sapientiæ placitum Clodovico Regi in paucis commendatum voluit S. Remigius, Galliæ ſalus ac deliciæ: cùm enim eum jam doctrinâ ſacrâ probè imbuiſſet, laviſſétque Baptiſmatis fonte, multa ut fit è Magiſtro quæſivit diſcipulus: inter quæ frequens illud, Quamdiu ſtaret, ac floreret Galliæ Regnum? Hæc inquam à Remigio ſæpiùs petiit Clodovicus; cui Vir ſanctus hoc reddidit oraculum: Quamdiu in eo ſtabit Juſtitia, florebítque Religio. Nimirum hæ virtutes Regni firmamenta & Regum præſidia ſunt, quas ſi ſuſtuleris, unà etiam illa videberis ſuſtuliſſe. Ut enim rectè Syneſius: Εὐσέβεια κρηπὶς ἀσφαλὴς τῆς βασιλείας, Pietas certa baſis regni eſt, ac fundamentum, quod ſi vel tantùm concuſſeris; unà etiam imperia quantumvis elata concuti, & immanem ruinam trahere neceſſum eſt: ita enim habent cœli leges & Superûm placita: ad quæ non minùs piè quàm acutè alluſiſſe viſus olim nobilis Anglus. Lib. de Regno.

Carolus ſextus Galliæ Rex non ſine Numine & amabili Dei Providentia Anglos expulerat, excuſſerátque impoſitum tot annis jugum; cùm fortè ex Anglicâ nobilitate illuſtrior unus aliquis navim conſcendit ut alienis finibus exiret, & ſuis tandem aliquando redderetur. Eum, ut erat in procinctu, vidit notavítque Gallus, & ait: Ecquando tandem Angli rurſum in Gallias revertemur? Cui ſcitè reſpondit Anglus: Quando peccata veſtra majora noſtris.

Sapienter profectò, & peracutè: erit nimirum, erit in annos, erit in ſæcula nationibus exteris clauſum omninò Regnum, niſi facilem ac planam viam faciant illa ipſa peccata, quæ eas olim admiſerunt.

Neque verò mihi in præſentiâ velim objicias Gallicos animos, & martem ſpirantes, neque lectiſſimam pubem, florémque nobilitatis quæ Galliæ eſt pro muro, neque arces & objectum hoſtibus vallum; nihil inquam horum opponas velim: etſi enim acies toto campo effuderis quales olim Xerxes, quales Alexander, quales Auguſtus, & Cæſares omnes longè conſequentes; hoſtem tamen non excludes, niſi priùs injuſtitias & malas artes excluſeris: Illæ, illæ ſunt, quæ etiam ab extremo orbe, & alteſâ ſolia domo barbaras nationes proritant, evocántque in medios Chriſtianorum ſinus, ut eos malè perdant quos iniquitas & ſua ſcelera jam antè perdiderant. Ac ne meis tantùm verbis ſit fides, unum hujuſce meæ propoſitionis teſtem volo.

Is erit Phocas Imperator Conſtantinopolitanus, homo ad omnem injuſtitiam ac libidinem abjectus: is palatium ſedémque regiam inſano muniebat molimine, firmabat vallo objectiſque turribus, & ingentes efferebat murorum minas, ſatus iis arceri poſſe hoſtem: ſed arceri non potuit qui jam intus erat: Et in ipſis quoque penetralibus fuiſſe verè prodiderunt illæ ipſæ voces, quas ei ex remoto Oceani tractu per leves auras emiſit Deus denſa jam & concubia nocte: hæ porò fuêre.

O Imperator, erigis muros! & tametſi vel ad cœlos eos educas, intus rùm ſit malum, Urbs capta facilis eſt. Baron. Anno Chriſti 964. n. 17.

Oraculo reſpondit eventus, cùm enim immanis illa ſubſtructio ad culmen eſſet educta, & jam ab Architecto Imperatori clavis illius reddita, infelix Phocas ex ipſa die confoſſus miſerabilem animam expuit: neque à ſuo jugulo ſeſſum & incumbentem Divinæ Juſtitiæ vim arcere potuit. Nimirum ferro,

cædi,

ædi, fatóque is omnis patet, qui antè ſceleri patuit: & quiſquis peccatum admiſit locus, admittet & vindicem illius pœnam. Neque eſt quod quiſquam ſeipſum fallat, ſibique illudat improbè; quaſi in tuto, & extra teli jactum eſſet Regia, quaſi pro muro ac præſidio eſſet Urbs probè munita: verum eſt enimverò illud Regii Vatis oraculum.

Pſal. 126. v. 1. 2. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.*

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.

Non cuſtodiet portò Dominus domum aut civitatem, quæ Juſtitiæ, Religionis, virtutúmque cuſtos optima non fuerit.

PARS SECUNDA.

Flagella corporis.

DE corpore, quod hominis eſt pars altera, multi multa graviter & ſapienter ſcripſêre.

De Reſurr. carn. c. 16. Tertulliano corpus *limus eſt titulo hominis inciſus.*

Orat. 3. de Beat. D. Gregorio Nyſſeno *lutea ſtatua.*

Iob c. 4. v. 19. Jobo patienti *lutea domus.*

Lib. 2. contra gentes. Arnobio *carcer* obſcurus, inglorius, malis omnibus fœcundus. *Anima*, inquit, *corporum induta carceribus ſub procellis agunt tempeſtat·bnſq; fortuna.*

Seneca epiſt. 65. Empedocli corpus *antrum* dicitur; Academiæ principi *ſpelæum*; Senecæ *vinculum.* Sic enim magno ore de illo pronuntiat: *Corpus non aliter aſpicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum.*

Serm. 3. in Pſal. Qui habitat. D. Bernardo *laqueus eſt*, quo verſuti & improbiſſimi Erebi venatores utuntur, ut animam intercipiant, eámque crudeliſſimè lacerent. *Ipſum corpus*, inquit, *laqueus quidam eſt. Minimè ergo decet eſſe ſecurum hominem qui ſecum portat laqueum ſuum.*

Ad Theod. p. 649. D. Chryſoſtomo *ſepulchrum gypſo incruſtatum.* Cui conſonat etymon corporis, quod Græcè dicitur σῶμα, quaſi σῆμα, hoc eſt, ſepulchrum.

Ad Rom. 7. v. 24. Denique ne omnia ſtudioſiùs conſecter, Divo Paulo dicitur & eſt *corpus mortis*, à quo quàm citiſſimè cupit liberari, ut à noxio cadavere unde lues in animam importetur. Et quia ejuſmodi *corpus* De Anima, c. 53. eſt, quod *animam conſeptu ſuo obſtruit & obſcurat, & concretione carnis infuſcat*, ut Heroico ſtylo ſcribit Tertullianus: quia, inquam, ejuſmodi eſt, ideò in illud primum animadvertit Deus, & concitatæ juſtitiæ ſuæ tela contorquet; ut in ſequentibus docebimus.

Flagellum primum.

Morbus.

Eccl. c. 38. v. 15. *Qui delinquit in conſpectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici.*

INter cætera Dei beneficia Summo Sacerdoti olim cœlo propitio conceſſa, fuit illud non infimæ notæ; quòd à ſuſcepto munere vitam exigeret omni morbo & ægritudine liberam, nec eâ excederet, niſi ſubita morte præoccupatus. Ut Aaroni D. Aug. quæſt. 82. & 83. in Levit. contigiſſe legimus. Hanc opinionem extulit Auguſtinus, & luci dedit, quæ etſi ſingularis eſſe videatur, non tamen caret ſua probabilitate.

Ratio quæ nititur, ea eſt: Quòd ex præcepto, divinæque legis inſtitutione, bis in ſingulos dies (manè ſcilicet & veſpere) offerri deberet incenſum Cap. 30. in altari thymiamatis; ut videre eſt lege latâ in Exodo. Ut ea lex porrò ſarta tecta ſervaretur, nec ullo die intermitteretur iſtud officium pietatis divinique cultus, neceſſum erat ut Summo Sacerdoti, cui uni licebat ingredi in Sancta Sanctorum, thúſque adolere in altari thymiamatis, omni die ſua conſtaret valetudo; ne ea malè affecta vacaret altare, & interrumperetur ſacrificium quod ab aliquo inferioris ordinis Sacerdote exhiberi non poterat. Ex quâ divinæ pietatis indulgentiâ ſequi debuit & alterum, ut quando ſummo Sacerdoti è vivis erat exeundum, exiret ille ſubitò, & inopinato fato abreptus, ut ſtatim eo mortuo ſuccederet alius qui debitum ſacrificii munus exequeretur.

Potuit fortè & illud firmæ perennisque valetudinis beneficium concedi ei ſanctimoniæ, quâ cæteris præſtare debuit qui dignitate antecellebat. Et ne cui hoc privilegium inſolens & alienum videatur ab hac naturæ fragilis compage mortalique conditione, audiat quid in ſe non abſimili Ruffinus in Vitis Patrum, Palladius, aliique de Abbate Iſidoro, ejúſque Monachis memoriæ prodiderint. Lib. 2. c. 17. Lib. 8. c. 71.

Erat magnus ille Præſul, erant boni Præſulis æmulatores filii ea vitæ morúmque innocentia ac ſanctitate, cui aliquid ſupra vulgus, communémque naturæ legem concedi potuit; & certè etiam ex eorum Auctorum fide conceſſum eſt.

Fuit autem illud ejuſmodi, ut numquam ægrotarent; ſed vitam omnem etiam in longævam ſenectam extraherent omnibus morbi contagiis immunem & vacuam. Ad quod acceſſit & alterum cœlo judice privilegium, & hoc quidem ſingulare; ut, ſi aliquando tandem immineret dies ultima, & ſanctioris ævi meta, ea pateret illicò, divináque revelatione noſceretur quæ foret obeundæ morti decreta dies, quæ hora. Quod in ſummis bonis reponi potuit: tum enim imminentis fati certiores, quàm ſanctiſſimè diſpenſare reliqua perituræ vitæ momenta, ſe ipſi ſalutare, ſibique invicem ultimum vale benè & feliciter apprecari, & ad extremam luctam omnibus Eccleſiæ Sacramentis invicti Athletæ communiri, ac tandem ſeſe lectulo paupere componere, & ſuaviter exſpirare atque emori; ſi tamen ea mors dici debuit, ac non potiùs ſuavis & amicus ſopor.

Quòd ſi hoc ſanctitati datum eſt beneficium: fateamur non ſine luctu triſtique nænia ægritudinem omnem morbúmque malè affecti corporis unius peccati vitium eſſe, gravéque flagellum, quo vel invitus vapulat peccator; eo liber futurus, ſi modò peccatum omne abfuiſſet.

Sunt morbi veluti prodromi, & prænuntii quidam ſecututæ mortis, quæ genus noſtrum nunquam invaſiſſet, niſi illud priùs peccatum lethale occupaſſet.

Dicam ampliùs, & verè quidem: ſunt morbi velut accuſatores importuni, velut luculenti peccatorum teſtes, qui in hujus vitæ forum involant, litem moveant, nec contra ſtare ceſſant donec peccati reum hominem ad extrema quæque mortémque ipſam evocarint.

Ac ne mihi fidem hac in parte neges, vadem habeo Prophetam Jobum: is cum bona, cum mala fortuna compoſitus, & utriuſque à ſua patientia victor, de Deo tamen piè queri auditus. *Inſtauras*, inquiebat olim cum lacrymis multóque ſingultu, *teſtes tuos contra me, & pœnæ militant in me.* Cap. 10. v. 17.

Qui, inquies, ſunt illi teſtes? Philippo commentatori, ſunt mali dæmones, qui facto cuneo, è ſuis antris ſtygiáque ſpecu in mortales auras evaſerunt, ut teſtes eſſent ejus maledicentiæ, in quam ventorum aliquando opinabantur: ſed ſua opinione malè deluſi, fractique invictâ Jobi patientiâ, ſuos priùs ibunt in carceres, quàm ipſe Jobus vel in unam impatientis animi vocem elabatur. Ideóque melius viſum D. Thomæ & Lirano teſtes alios, fuiſſe Jobi amicos & ſanguine junctos, qui opportunè importunè ſeſe in calamitatis ſortem ingerere, per alienas vices ſuccedere, & unà omnium voce teſtari, damnaréque improbitatis etiam innocentem.

Et hæc ſententia ut bonis nitatur rationibus, magis tamen probatur ea quæ olim fuit Divi Auguſtini, ut teſtes illi ſint dolores, tormenta, & ingens morborum cohors, ſub quâ gemeret & propè fatiſceret mortalium fortiſſimus; à quo ducuntur amicæ illæ de Deo vindice querelæ: *Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam adverſum me, & pœnæ militant in me.*

Si ab illis teſtibus malè audiit Jobus, vel eò tantùm quòd eſſet typus & umbra quædam peccatoris; qui ab illis benè audies, qui totus peccatis obſitus & obrutus es? Erunt illi accuſatores tui, & erunt teſtes, imò & vindices admiſſi quondam ſceleris; ſeu illud tuum eſſe fatearis, ſeu etiam ſolius parentis; parum enim intereſt; contra te & illum inſtaurantur illi teſtes, & ſociæ pœnæ militant: non militarent autem niſi à ſcelere contra te ſcripti, & in campum fuiſſent evocati: nec enim funeſta illa morborum cohors cogitur adverſus innocentem; quod duobus exemplis oſtendo.

Hanc olim in ſcholas ſacrúmque lycæum quæſtionem immiſit Angelicus Doctor, An Christus humani corporis defectus contraxerit? In ea ſapere qui volet, medium tenebit, nec ad extrema dilabetur. *3 parte q. 14. art. 3 & 4.*

Ab his peccarunt ex antiquis nonnulli, qui omnes omninò defectus, à Chriſti corpore abeſſe voluerunt, etiam eos, quos ipſa natura, ſine vitio, admittit & patitur.

Ex horum ſententia nec in Chriſti corpore fames aut ſitis enaſci, nec ullus omninò dolor, ullum malum aut intrinſecus pullulare, aut etiam extrinſecus appellere potuit. Eò quippe feruntur Auctores illi, ut aſſerant Chriſti corpus à nullo agente pati potuiſſe, nec ab igne quantumvis vicino calefieri, nec ab effuſo gelidæ aquæ elemento frigefieri, ſine novo & inſolenti miraculo, potuiſſe.

In eam opinionem à ſuo ingenio præceps deſcendit Julianus Halicarnaſſæus, Caianus, Nicephorus: imò & Juſtinianus Imperator huic errori dicitur aliquando conſenſiſſe, non tam obfirmato in malum animo, quàm ignoratione quadam, & citra ſcientiam nimium piâ in Chriſtum Servatorem optimum propenſione.

Has hæreſes è veterum monumentis eruit & damnat D. Damaſcenus, damnat & D. Thomas, univerſáque Theologorum ſchola, cum qua id ſtatuo: Qui in humano corpore viſuntur defectus, ii ad duas claſſes poſſunt revocari. *Hæreſ. 24.*

Alii habent aliquam cum ipſa natura conſenſionem, nec tam ejus vitium arguunt, quàm intimam & nativam ipſius conſtitutionem, cum qua cum habent nexum, eam neceſſitudinem, ut eos tollere omninò non poſſis, niſi unà etiam naturam ipſam mortaléque corpus ſuſtuleris. Ejus generis eſt fames, ſitis, aliáque his affinia, quæ ipſi corpori quodammodo innaſcuntur, & in natura ſedem habent: & ii defectus quales quales ſunt, in ſacro Chriſti Corpore eſſe potuerunt, & re etiam ipſa fuerunt.

Alii ſunt qui naturæ jam corruptæ vitium incuſant & damnant; ut febris, calculus, & quævis ægritudo: ea in Chriſto nec fuit, nec etiam eſſe potuit.

Ut enim doctè Suarez, morbus omnis ex una aliqua harum cauſarum oritur: Vel ex parentum vitio, praváque complexione, quæ etiam in fœtum emanat, & in prolem derivari conſuevit: Vel ex quadam intemperie pugnáque quatuor humorum inter ſe diſſidentium: Vel ex intemperantia victus, inſolentia laboris ac ſtudiorum: Vel ex aëris ipſius imminentiſque cœli injuriâ, malignis influentiis, à quibus pati poteſt humanum corpus & malè affici: Vel denique (quæ princeps eſt morbi cauſa, & prima origo mali) ex ipſo peccato; quod quia à Chriſto quàm longiſſimè ſejunctum fuit, ideò & morbus, & omnis ægritudo depulſa, & in noxium caput emiſſa.

Alterum è quo conficimus illud quod in controverſia eſt, omnem morborum colluviem ab uno peccato in omne genus hominum emanaſſe, fuit amœna illa aurea & fortunata Orbis facies, quæ Adamum in felici innocentiæ ſtatu vidit, ſuſpexit, amavit.

Prima illa & innoxia hominis ætas, morbum, ne de nomine quidem noverat; neſciebat quid febris, quid calculus, quid podagra aut chiragra, quid aqua intercus eſſet, multóque minùs modò ab illius æſtu ſudare & ſolvi, modò ab inſolenti frigore rigere & totis artubus contremiſcere didicerat; neſciebat quod quantúmve tormenti genus eſſet, innato intimis viſceribus ſaxo calculóve, ceu equuleo, torqueri, aut lentam chiragræ, podagræque alluviem pati, aut aquâ intercute craſſeſcere ac diſtendi: hæc, inquam, aliáque morborum genera non ſenſerat, imò ne ſciebat quidem ea è ſuo corpore, ceu officina, peti poſſe.

At ubi peccatum, ceu mali fontem, admiſit, illicò ſcivit ac ſenſit ab eo & febrem, & calculum, & hydropem, & podagram, & chiragram, & morbos omnes tanquam ab una totius mali ſcaturigine fluere atque derivari.

Nimirum omni ævo fuit verum illud Eccleſiaſtici: *Qui delinquit in conſpectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici.* *Cap. 38. v. 15.*

Ipſa Orbis infantia primæque cunæ medicum non viderant; atque utinam vidiſſent numquam: fuiſſent certè vel hoc uno feliciores, quia, ut canit è Poëtis unus aliquis.

Res miſera medicum eſt, cui numquam benè, niſi malè ſit quàm plurimis.

Ut meritò ſibi gratulatus videatur inter Lacedæmones aliquis ſenex de longæva ſenecta, quam in ſeros annos eduxerat, vel eo tantùm quòd (ut aiebat) nec medicum, nec medicinam vidiſſet: tantum illi ad longam ætatem prodeſſe potuit nec medicum oculis, nec ſtomacho medicinam uſurpaſſe. Ut è contrà Andragoræ nocuit medicum etiam in ſomno tantùm vidiſſe; dicitur enim mortuus ex eo, quòd in atra triſtíque ſomni imagine Hermocratem medicum vidiſſet; adeò vel ipſe medici conſpectus, & impreſſa in ſomnis imago nocuiſſe dicitur. *Cœlius varia.*

Sed minùs ſeria ſunt iſta, & fortaſſis animi cauſâ & dicta & ſcripta.

Ego certè lubens audio & ſequor illud Eccleſiaſtici: *Honora medicum propter neceſſitatem: etenim illum creavit Altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela.* *Eccl. c. 38. v. 1. & 2.*

Verùm ut à Deo ſit medicus, & medicina quæ morbi contagia diluat: fatendum tamen ideò creatum ab Altiſſimo medicum, inventa, expreſſa pharmaca, ut vulneri, quod à peccato homini inflictum erat, remedium fieret; adeóque & illud pro ſupplicio haberi. *Qui delinquit in conſpectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici.* Quia primùm in morbos incidet, & ab iis quàm peſſimè vapulabit.

Et verò rem ita ſeſe habere evincit illud Chriſti; cui, ut corporis & animi medico, cùm offerretur Paralyticus, ad eum ita paucis: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ecce modus curationis: priùs dimittit peccata tollens cauſam morbi, poſt curat corpus.* Ita Gloſſa locum illum exponit. A qua paululum recedit D. Baſilius, qui morbos inter peccati flagella reponit; ait enim: *Morbi ſæpenumerò velut quædam peccatorum flagella ſunt, quibus nihil aliud agitur, niſi ut vitam noſtram in melius commutemus.* *Matth. c. 9. v. 2.* *Quæſt. 19.*

Quò etiam collimaſſe videtur Servator Optimus, qui poſtquam morbum expulit, ſanitatem reddidit:

illud

Joan. c. 5. v. 14. illud in mandatis dedit: *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Soſpitantis Domini verba ſunt & docentis* (inquit D. Cyprianus) *curantis pariter & monentis. Ecce, ait, ſanus factus es, noli ampliùs peccare. Dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, poſtquam contulit ſanitatem.*

APPENDIX.

Ad primum flagellum.

Licèt morbus pro peccati pœna & flagello ſit; ſuavi tamen Dei providentiâ etiam eſt pro remedio.

PLerumque in ſano corpore æger animus habitat, imò inſolens & Superis indomitus: ſed eum retundit, edomat, frangit opportuna morbi vis & corporis ægritudo. Ita eſſe diſce hoc ænigmate.

Extat apud Dyphilum ænigma de tribus fortiſſimis; ſcilicet ferro, fabro, & febre: hos inter ſua lis & gravis contentio, quod horum eſſet fortiſſimum.

Pro ferro ſtabat illud, quòd & durum ſit, & propè indomitum, & quòd ipſum cætera frangat atque edomet.

Fabro tamen plus ineſſe roboris hoc perſuadebat, quòd ipſe ferrum cudat, domet, verſétque formas in omnes; eóque ferro fortior faber audiit.

At febris, & hoc & illo fortior omnium calculis probata, vel ex eo tantùm, quòd fabrum ferri domitorem edomaret ipſa, lectulo ſterneret, debilitaret, penitúſque frangeret.

Hoc ænigmate ingenioſè luſit Poëtæ ſolertia, docuitque humanos animos, quos nec aperta ferri vis, ſtrictíque enſis fulgor, nec humanæ rationis ſolertia flectere vinceréque potuit; à morbo ſæpiùs flecti, vinci, ſibi Deóque reddi.

Et hoc primum à morbo commodum: à quo conſequens & alterum, de quo Divus Bernardus: In Pſal. 90. *Benè pungeris, ſi compungeris.* Ubi pungitur corpus, compungitur animus: multos enim videas, quibus valetudo fuit ſchola vitiorum; & contrà quamplurimos, quibus morbus atque ægritudo virtutum ludus evaſit. Quod ipſum jam inde proſpexit & docuit Eccleſiaſticus: Cap. 31. v. 2. *Infirmitas gravis*, inquit, *ſobriam facit animam*, quam ægritudo priùs ebriam fecerat. Quod ut in aperto ſit, è multis unum produco, quem firma valetudo terris abjecit, duxitque ad ipſa mortis confinia; ægritudo autem cœlis erexit, & vitæ longiori ſceptróque redonavit.

Ægrotavit Ezechias uſque ad mortem: affuit Cap. 38. v. 1 Iſaias, & hoc illi à Deo oraculum: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Ad has voces, quaſi ſubito fulmine percuſſus, *Convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum. Et flevit Ezechias fletu magno.* Preces audiit, lacrymas vidit, & his & illis Divina Miſeratio indulſit; Vatem emiſit, qui Verſ. 5. hæc è cœli indulgentia ediceret: *Hæc dicit Dominus Deus David patris tui; Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos.*

Et ut certa foret divino Oraculo fides, hoc ei à Domino annexum prodigium: In horologio Parentis Achaz, & umbra Solis, & ipſe Sol ad decem horas retroceſſit. Ecce quis à morbo ſurgat proventus, quæ annorum & vitæ ſeriès cenſeatur. A morbo vitæ plurimum detrahendum eſſe videbatur; & ecce plus ab eo acceſſit ætatis, quàm à firma valetudine unquam acceſſiſſet; imò tot additæ lucis & Solis horæ, quot ante Parenti Achaz detractæ videbantur.

Si Rabbinis habenda fides, die quo Regi Achaz Juſta perſolvi debuerunt, quo funus duci, quo ſepeliri Rex impius; ſceleſtæ vitæ ſcelerúmque vindex Deus, illi, inquam, diei decem omninò horas detraxit, ne impiis manibus, indignóque funeri Sol Orbis oculus diu illuceſceret. Hoc fuit prodigium irati Numinis, & concitatæ in parentem juſtitiæ: illud autem arrha teſſeráque divinæ in filium miſerationis: decem enim horæ quæ parenti etiam mortuo detractæ, filio ægrotanti ſunt redditæ: tantum intereſt, ut in ægro & imbecilli corpore ſanus & fortis lateat animus.

Et certè is plerumque eſſe ſolet. Ut enim in vagina, quantumvis lacera, quandoque reconditur acutus & bonus enſis: ſic in corpore morbido ſubinde valens animus reponitur.

Ex quo illud conficio, ad animi valetudinem expedire quamplurimis, ut ſua corpori ſit ægritudo.

Ille vir altus ex humili, ex aquis evectus ad ſidera, cœlíque claviger Petrus, cujus vel umbra ſolùm moleſtias omnes morbóſque corporum pellebat, interrogatus aliquando cur ſuam ipſe filiam gravi morbo premi ſineret; & qui in alios omnes beneficus eſſet, in unam filiam durior & inclementior pater videretur? Reſpondit: *Sic expedit ei.* Ita filiam cum morbo, cum febri tamdiu luctari voluit, quamdiu animæ ſaluti expedire cenſuit. At ubi morbo & febrili æſtui datum eſt ſatis, ubi tutò ſanam fieri poſſe cognovit, & ſanavit ipſe, & ſanandis aliis habilem fecit.

Quod illi quondam, hoc modò pleriſque aliis, quibus in ſummis bonis eſt affecta valetudo. Ratio ſi quæritur; ea in oculis, in manibus eſt.

Morbus eſt fidus monitor: monet humanæ ſortis & conditionis. Corpus veluti domus eſt: ejus hoſpes animus, & quidem ad dies, annóſve omninò paucos. Ubi quati, labaſcere, & ruinam minari cœperit ea domus, luteáque corporis compago; tum verò injicitur cogitatio perennis æternique domicilii. Corpus eſt veluti carcer, eſt fictile ergaſtulum, quo captivus tenetur animus: ubi ſolvi incipit & laxari; tum verò liber animus ſibi cœlóque reſtitui poſtulat, Deoque propior fieri videtur. Ut enim Divus Gregorius Nazianzenus: *Anima morbo affecta, Deo propinqua.* Ea verò propinquitas in magnis bonis reponi ſolet.

Hîc finio, & pro coronide addo illuſtre pronuntiatum Theodori Archiepiſcopi Colonienſis, viri infulâ pedoque longè clariſſimi.

Ab eo ſciſcitabatur olim Sigiſmundus Imperator, quæ via rectà in cœlum duceret? Reſpondit magnus Præſul: *Si tuam vitam ita inſtitueris uti facturum te promiſiſti dum calculus, aut podagra, aut alius morbus gravior te oppreſſit.*

Nimirum eò loci ac temporis quo ægri ſumus, magna præteritæ vitæ pœnitentia, futuræ præcautio, multáque providentia; optiméque nobiſcum agitur ſi benè conſulenti morbo pareamus.

Flagellum ſecundum.

Peſtis.

Ero mors tua, ô mors. Oſeæ c. 13. v. 14.

DIvina miſeratio, quæ humanis malis præludere amat, ut portenderet quæ Jeroſolymam maneret clades, hæc Ezechieli dedit in mandatis, Ut caput & barbam raderet, atque unam pilorum partem igni conſumeret, alteram concideret gladio, tertiam denique in ventos & tenues auras diſpergeret; ut hoc futuræ cladis portento, jam inde inſinuaret tertiam partem Jeroſolymæ peſte conſumendam & fame; alteram ferro laniandam; reliquam autem per Orbem vago & incerto tramite diſpergendam.

Nimirum hæc tria flagella; peſtis, fames, bellum, quibus ſe ipſa armat Divina Juſtitia, & quod in genere noſtro noxium eſt amputat ac demetit.

Ut enim nemus incæduum uberiùs ſylveſcit; ita mortale genus, niſi tondeatur, in peſſimas ſeſe propagines effundit, ut meritò dixerit Tertullianus:
Lib. de Anima c. 30. *Onerosi ſumus mundo, vix nobis elementa ſufficiunt: & neceſſitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum jam nos natura non ſuſtinet. Revera lues, & fames, & bella, & voragines civitatum pro remedio deputanda, tamquam tonſura inſoleſcentis generis humani.* De hac ego tonſura pauca dicam; & primùm de ea quæ à peſte fieri ſolet.

Ea quippe omnium eſt graviſſima, hominémque corripit, ut ignis arida ligna depaſcitur: ideóque appoſitè Ezechieli dicitur ignis, qui tertiam Jeroſolymæ partem exurit. Habes enim hoc ſævæ peſtis, primùm maligno quodam æſtu ſanguinem vitæ ſedem ac fomitem occupat atque incendit; tum deinde totum hominem edaci cruentáque flammâ depaſcitur: flammâ, dico, quæ cœlo vindice emitti in ſceleſta capita videatur.

Vidit olim Joannes in placido mentis receſſu ſeptem Angelos, qui horrendo tubarum clangore bellicum inſonarent, & armatas cœlorum acies in apertum campum hoſtiſque perniciem excitarent. Et ita
Apocal. c. 8 *tertius Angelus* (ut cæteros in præſentiâ omittam) *tubâ cecinit: & cecidit de cœlo ſtella magna, ardens tamquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum: & nomen ſtellæ dicitur Abſinthium.* Alcazar vertit, nomen ſtellæ peſtis.

Eſt illud vulgare medicorum effatum, peſtem exitioſam quandoque ex contagione, quandoque ex cœli aſtrorúmque conſtitutione oriri. Imò etiam vim ſuperis illis orbibus inditam eſſe nonnulli credunt, ut ſi malignæ eorum influentiæ defecerint, illicò peſtis omnis malique contagio deſinat eſt neceſſe.

Altiſſima nimirum eſt Divinæ Providentiæ juſtitiæque ratio, quæ cœlo noxias impreſſiones dedit, quibus eos feriat, qui ſuâ culpâ Deo Superiſque inviſi fuerint.

Ex illâ perſuaſione, quæ apud medicos eſt recepta, manavit illud, ut morbi inopinati, latentes, incogniti, dicantur ab iis *ſiderationes*; quaſi maligni quidam ſiderum afflatus, quibus remedium ars ipſa non inveniat, vel eò tantùm quòd cauſam ignoret.

Ea plerumque peſtis eſſe ſolet, in qua caligat & cæcutit medicus; quia ad ejus cauſam, quæ è cælo eſt, non pervadit. Neque verò à natura ſanáque Philoſophia alienum videtur illud ut cœleſtibus influentiis illa lues aſcribatur: nemo enim eſt eâ ſcientiâ vel leviter tinctus, qui neſciat magnam eſſe vim aſtrorum in humana corpora, in ipſos humores, qui plerumque ſunt morborum ſedes & receptacula. Ita Sol & Jupiter ſanguini dominantur. Mars flavam bilem & choleram excitat, Saturnus melancholiam ciet, & Luna pituitæ eſt incremento. Hinc Galenus & Medici omnia ipſius Lunæ incrementa, decrementa, aſtrorum concurſus, declinationes & motus obſervare ſolent, quòd longo uſu & multorum ſæculorum experientiâ didicerint, ad cæleſtes illas aſtrorum periodos humana corpora inſitóſque iis humores variè commoveri.

Quòd ſi illas ab aſtris cœlóque impreſſiones admittis, & quandoque benignas ac ſalubres; neceſſum eſt ut etiam inſalubres & noxias eſſe poſſe fatearis: ſunt enim ſtellæ militia quædam cœleſtis, quæ ei ſurgunt & lucent qui fecit eas, & vocatæ dicunt: Adſumus, ſive in amœnam bonorum diem lucémque, ſive in malorum perniciem extremámque noctem evocentur. Non ita tamen evocantur, ut è ſuis ſedibus cœliſque quodammodo evolſæ in terras decidant: ſed ſuam ipſæ vim exerunt, & in terras incenſâ quandoque facolâ ſtellæque ſpecie evibrant; ut ex eo noveris unde tibi demittatur malum, onde peſtifera lues appellat.

Sed ne longiùs; hîc enim neque Medicum, neque Aſtrologum agimus, neque peſtis naturam cauſámque ſtudioſè quærimus: ſed eâ ex aliorum placitis conſtitutâ, id tantùm molimur, ut oſtendamus eam peccati pœnam & flagellum eſſe, & quidem ipſa morte gravius. Ex quò factum autumo, ut Hebræis peſtis dicatur, *Deber*, id eſt, mors. Ita enim à nonnullis exponitur ille locus Oſeæ: *Ero mors tua ò mors*, Cap. 13. v. 14.
Hebraicè, *deber*, id eſt, peſtis; quæ eò mali venit, ut dicatur & ſit veluti mors ipſius mortis; puta ſupplicium ipsâ morte acerbius.

Illud certè in communi fato levamen eſſe conſuevit, quòd in eo ſit qui funera luctu condecoret, & calenti buſto lacrymas infundat. At eo beneficio caret una peſtis, utpote quæ & lacrymis, luctu, & pompâ funebri, & communi ſuccumbentis naturæ, ſuperſtitúmque amicorum ſolatio deſtituitur: quod malum quantum ſit, quàm grave, acerbum, & Orbi huic inviſum, elegánter deſcribit Seneca; ita enim canit:

Pars nulla regni communi exitio vacat,
Sed omnis ætas pariter & ſexus ruit;
Juveneſq. ſenibus jungit, & gnatis patrem
Funeſta peſtis. una fax thalamos cremat,
Fletuq. acerbo funera & queſtu carent.

Quàm infandæ peſtilentiæ cladem etiam mœſtâ næniâ proſequitur Ovidius:

Corpora miſſa neci nullis de more feruntur
Funeribus, neque enim capiebant funera portæ,
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos: & jam reverentia nulla eſt:
Déque rogis pugnant, alienoq. ignibus ardent.
Qui lacryment deſunt, indeſletaq. vagantur
Natorum matrumq. animæ, juvenumq. ſenumq.:
Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignem.

Sed operam verbáque perdimus, dum hujus mali luctuoſam molem, vel ſoluta, vel etiam numeris illigatâ oratione metimur: ipſa ſe ſatis aperit & explicat, ubi in peſtilentes morbos funeráque explicarit. Ideò iis omiſſis quæ ad mali gravamen faciunt, venio ad illud quod in quæſtione eſt, Peccati flagellum peſtem, & illud non tam rationum momentis, quàm ipſius hiſtoriæ fide, Veterúmque monumentis demonſtro.

Hac in parte primùm occurrit ea ſpecies, quæ olim Davidi objecta. Angelus erat & vindex genius Deo judice in ſceleris pœnas emiſſus: prætendebat ille Orbe toto notiſſima flagella; Peſtem, Famem, Bellum, ingentia & immania pœnarum monſtra: à quibus ingemit & fatiſcit mundus univerſus.

Ex iis aliquid velit nolit, eligat David, eligat peccator. Ille peſtem ſibi in flagellum aſcivit; pio ſanè providóque pœnitentis animæ conſilio. Si enim famem elegiſſet, primùm ea in civium ædes abjectáſque caſas irrepſiſſet, tum deinde in Principum aulas, ſuperbáque tecta, tum denique in Regiam gradum feciſſet: itaque innoxia turba priùs pœnæ patuiſſet, quàm noxium Regis caput. Si bellum poſtulaſſet, armatáſque in ſe duci acies; etſi fortiſſimum quemque Mars oppignerari ſolet, Regibus tamen plerumque parcit, nec ferro petit, niſi multa omnis jam ei victima ceſſerit.

Aliud omninò, aliud à peſte malum eſt, & illud quidem, quod cæco quodam impetu, æquóque pede pauperum tabernas pulſat Regúmque turres: ideóque illud ſibi ultore Deo deſignari voluit, ne ipſe onus pœnam effugeret, qui peccatum admiſerat. Fuit illa electio pietatis in ſubditos, in ſe verò juſtæ animadverſionis; quam tamen de ipſo non cepit juſtus judex, ſed in populum convertit eâ ſtrage, ut uno die ceciderint millia omninò ſexaginta.

Sed antiqua, inquies, ſunt iſta flagella, & ipſo ſæculorum lapſu detrita; alia volo, quæ, quia recentioris ſunt memoriæ, magis aures animóſque feriunt: & illa, cùm ita vis, accipe.

Verte-

Versabatur à Christo annus ducentesimus quinquagesimus sextus, cùm pestilens lues enaſci, ſerpere, grasſari cœpit Neo-cæſareæ. Ejus occaſio & cauſa hæc fuit. Erant per eos dies publicæ feriæ, ſolemnes ludi, quos inſana plebecula Dæmoni ſuo domeſtico exhibebat. Ad eas ferias convolabat numeroſa civitas; nec illa tantùm, ſed & oppida vicinæque urbes confluebant. Is erat populi concurſus, ea adventantium vis ac multitudo, quam ipſa urbis pomæria non caperent: dúmque non capiunt, populus omnis ſeu plauſu, ſeu inſaniâ exclamavit: *Jupiter, fac nobis locum.*

[illegible] anno Christi 256.

Hæc oculis, hæc auribus uſurpabat magnus ille Gregorius Thaumaturgus, & uberibus lacrymis ac ſuſpiriis inſanos illos ludos, populique cæcitatem & amentiam deplorabat. Ubi datum eſt ſatis lacrymis, ſuſpiriis, ac gemitibus, in juſtas iras exarſit bonus Præſul, & hæc illis entheo præſagóque ſpiritu: Poſtulatis à Jove: à malo Dæmone vobis locum fieri, extendi, dilatari urbis pomæria, ut ludos ferat & inſanam ac tumultuantem turbam: fiet equidem, fiet locus: at veſtro malo ſtragéque fiet. Hac Præſulis ſui voce velut fulmine percuſſa turba, ſenſit irati Numinis iras, vindices manus, & fuſam totâ coronâ luem. In ipſas ferias ludóſque peſtis irrepſit, involavit in theatra, turbam omnem occupavit, & inſolentes tripudiantium choros invaſit, diſſipavit, ſtravit, extinxit. Itaque gaudia in luctus, cantus in triſtes nænias verſi, dum urbe totâ cernitur horror, & funeſta quædam imago mortis. Ab illa tanta fuit ubique ſtrages, ut nullus locus à funere vacuus, nullus à putido cadavere, nullus à tumulo. Ipſa terra tot funerum impatiens ſepulcrum negabat; & ut non negaret, deerat qui exanime corpus terræ crederet. Quò factum eſt ut plerique ſibi ſepulcrum foderent, vivique ſeſe immitterent, ne mortuis deeſſet qui inferret.

Ad hanc urbis cladem extremáque mala accedebant horrida ſpectra, tetræ ſpecies, quæ per totam urbem concurſare, ſignare domos, & certæ morti ac funeri deſtinare: quotquot enim ab iis erant ſignatæ, tot erant acerbo funeri deſignatæ.

Neque verò averſum eſt malum, donec ad Præſulis ſui pedes advolavit, & ſupplex à Deo veniam petiit.

Par ferè clades Italiam Romámque afflixit ſub Gregorio Magno Pontifice Sanctiſſimo. Ut eam portenderet Divina Miſeratio, è ſuperis Orbibus hoc mali præſagium emiſit: Viſæ ſunt è cœlo in terras cadere ſagittæ. Nimirum ubi eò ſcelerum, eò malorum ventum eſt, ut miſeratio juſtitiæ cedere videatur; Deus arcum ſuum tendit, & parat in eo vaſa mortis; ſagittas ſuas ardentibus ſimiles efficit, ut eas noxio ſanguine tingat atque inebriet. Et verò inebriaret quàm ſæpiſſimè, niſi adeſſet unus aliquis, qui Divinæ Juſtitiæ ſagittas adverſáque tela propitio ſcuto vel exciperet, vel retunderet. Quod illud ſcutum, ex me ſi quæſieris, audies eſſe ſingularem in Deum, Divam Matrem, Superóſque pietatem. Illius exemplum à Paganis petam; hujus à D. Gregorio Pontifice Maximo. Cùm olim Athenienſes invaſiſſet ſæva peſtis, totámque vaſtaſſet Urbem, nec à Diis, quos importunis votis fatigarant, tanti mali remedium impetrarent; habito tandem ſuper ea re conſilio, maturáque deliberatione ſtatutum illud, ut ara erigeretur *Ignoto Deo.* Verebantur nimirum viri Sapientes, ne cùm ſeſe variis Deorum ſimulacris pronos ac ſupplices abjeciſſent, unius alicujus Numinis nomen cultúmque prætermiſiſſent, à quo ſubitò primùm lues ipſa cœlo vindice propagari, tum deinde pacato ac propitio tolli poſſet.

Neque vana præſagio fides fuit, neque ſpes irrita: vix enim *Ignoto Deo* inſcripta erat ara, cùm malum omne minui, imò penitus extingui cœptum: ſenſerat nimirum vim manúmque ignoti Dei, ſed veri; cujus nomen Numenque ſeros poſt annos à Divo Paulo ipſi tandem Athenienſes didicerunt.

Ad eam in Deum Opt. Max. religionem accedit eximia quædam in Superos pietas, eos maximè quos ea mali labes medicos agnoſcit & amat; Rochum, inquam, & Sebaſtianum, quos pro ea lue à cervicibus noſtris avertenda, Tutelares & Patronos aſcivit Eccleſia, quorúmque præſidium pro ſcuto, ſævienti malo opponit.

Verùm ut illud pro ſcuto eſſe fateamur, nullum tamen eo potentius, quod à Virginis, à MARIÆ tutela ducitur. Tua appello tempora, tuámque fidem Sanctiſſime Pater Pontifex Maxime Gregori. Videras è cœlo vindices ſagittas præcipiti lapſu in Urbem defluere, videras ab iis funera, cædes, & ſtrages civium tuorum; videras, inquam, & pro ea qua eras pietate, ſæpiùs ingemueras, illacrymaras ſæpiùs, cœlúmque precibus fatigaras. Non erat tamen, non erat ſcutum, quod excuſſas irati Numinis ſagittas exciperet, eluderet, frangeret.

Appulit tandem bonus genius, & hæc tibi in aurem ſuggeſſit, ut erigeres, indueres ſcutum Marianum; ab illo præſidium, vitam, ſalutem affuturam. Et certè ſtatim adfuit: Ubi ſolemni pompâ proceſſit Clerus omnis, ubi populus convenit, ubi unâ voce, unâ mente Litanias accinere cœpit, ubi tu Summus Præſul, & ſacratioris pompæ anteſignanus, Deiparæ Virginis imaginem, quæ à S. Luca picta creditur; ubi, inquam, ſactis manibus totâ Urbe circumgeſtaſti; tum verò ereſiſti, oppoſuiſti ſcutum Marianum, magnæ Virginis, magnæ Matris præſidium ac tutelam. Excepit illa, eluſit, fregit, avertit ſagittas omnes Divinæ Juſtitiæ: & ne dubia foret fides pacati Numinis, ſeſe in mole Hadriani viſendum exhibuit bonus genius, Tutelaris Angelus, enſémque nudum vaginæ reddidit: ut inde noſſes, à cœlo pacem, non bellum apparari.

Hanc porrò pacem, hoc fœdus tibi debuit, debetque Roma, Bona Mater, Bona Virgo MARIA: & nos tibi debemus, & debere volumus quidquid in eo genere eſt opis, præſidii, favoris. Erit nimirum, erit in ſæcula verum illud Prophetæ Regii de teipſâ vaticinium: *Dediſti metuentibus te ſignificationem: ut fugiant à facie arcus: ut liberentur dilecti tui.* Pſal 50. v. 6. 7.

Flagellum tertium.

Sterilitas.

Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem: & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia. Gen. c. 19. v. 24. 25.

DIxit olim è Rabbinis unus aliquis Deum Opt. Max. pro ſua in hominem pietate pronáque beneficentia, voluiſſe ut ei parerent omnia, totus aperiretur Orbis, ipſáque ferè Naturæ univerſitas; in qua tamen ut Dominus eſſe & videri poſſet, uni ſibi quatuor naturæ claves reſervaſſe; è quibus prima eſt clavis vitæ & mortis. Vita & mors in manibus ejus. Nemo unus in vitam exire poteſt, nemo è vitæ ſtatione diſcedere, niſi ſummus Imperator Deus evocarit, & clauſos vitæ mortiſque aditus reſerarit: ubi porrò reſerarit, viámque ad fata aperuerit; tum corpori rigido & exanimi ſepulcrum recludit, longa dat quieſcendi tempora, ſedémque ponit qua lateant obſcuri & inglorii cineres: quibus altera ſubſervit, quæ ſepulcri clavis inſcribitur.

De eâ locutus Deus Ezechielis ore calamóque: Cap. 37.
Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos veſtros, v. 12.

& educam

& educam vos de ſepulcris veſtris. Hæret effuſum ſolo putidum & animâ vacuum cadaver; jacent oſſa arida & exſucca in vili frigidáque humo, aliáque ſepulcri nocte merſa: & verò jacerent æternùm, niſi Deus unus vitæ mortiſque arbiter clauſas ſepulcri fores panderet, & corpus ſibi, animam corpori redderet: & quidem ad lucem, ad decus gloriámque æternam, ſi vita priùs benè acta; ſin autem ſecùs, ad ſupplicia mortémque ſempiternam. Sed de his erit alius dicendi locus: venio ad tertiam clavim, quæ ad meum facit inſtitutum.

Ea eſt clavis pluviarum, quas ideò ſibi relictas voluit, ut vel eas liquido & patenti cœlo diffunderet, vel arido clauſóque aëre contineret. Eò ſpectavit
Deuter. c. 28 olim Moyſes ubi cecinit: *Aperiet Dominus theſaurum*
v. 12. *ſuum optimum; cœlum, ut tribuat pluviam.* Hanc enim à divite cœli gaza & theſauris eruit, atque explicat omnipotens Dei manus ac miſeratio, *ponens in*
Pſal. 32. v. 7. *theſauris abyſſos*, ut teſtatur Regius Vates.

Quarta clavis, quæ tertiæ proxima & quaſi cognata eſt, dici ſolet clavis annonæ. Hanc ubi liberali manu nobis obtulerit Deus, famem pellit: ubi negarit, evocat atque immittit. Hinc illæ Prophetæ voces, & ſublati in cœlum oculi ſpectantes avidè qua parte Orbi invehatur commeatus & alimonia vitæ fragili ſuſtinendæ neceſſaria.

Pſal. 144 *Oculi omnium*, inquiebat olim, *in te ſperant, Domi-*
v. 15. 16. *ne: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

Ita nimirum ſeſe res habet: Ubi benè providus homo in cœlos ipſos animum erigit, ſpémque in divina Providentia, præſidiúmque in virtute collocat; adeſt ſperanti pium Numen, manum ſuam aperit, dat eſcas omni tempore, & implet omne animal benedictione. At ubi à Superis oculos animúmque revocat, & in terras proſtituta lumina abjicit; tum verò ſcelerum vindex & ultor Deus manum contrahit, & priùs aperta annonæ oſtia claudit, ne quid aut cœlo depluat, aut ſolo naſcatur unde voluptati, imò neceſſitati fiat ſatis. Ea quippe eſt Divinæ Juſtitiæ ratio, quæ non tam verbis cultáque oratione, quàm hiſtoriarum monumentis, ipſáque ſeculorum fide comprobanda.

Sodomitas olim obruerat inſolens libido; obruit
Gen. c. 19. deinde vindex è cœlo manus. *Dominus enim pluit ſu-*
v. 24. 25. *per Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem: & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.*

Cùm ſua Sodomitiæ virtus, ſuus conſtaret nitor; & ſua illi ſolo gratia, ſua vis & amœnitas, jucundáque fructuum ubertas, quam augebat benignior cæli aſtrorúmque aſpectus, auræ lenes, & imbres opportuni: & hic ſoli cœlique favor ab incolis fuit. At ubi illi primum mutarunt animum; diceres unà ſolum cœlúmque mutaſſe. Ipſa quippe tellus exſucca, ſterilis, inamœna, ſqualida fructus negavit: nec ut aliàs poma tulit, niſi fortè ſpecie-tenus pulchra; intrinſecus autem abjecto cinere, triſtique favilla redundantia: adeò verum eſt, ubi à virtute vacuus ſterileſcit homo, etiam ſolum illi creditum ſterileſcere: nec ſolum modò, quod ſua ſtat firmum mole, ſed & ipſa maria vitium patiuntur admiſſi ſceleris, & exanimes fluctus evolvunt.

Ubi ab igne omninò perierunt urbes quatuor, Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim, totáque illis contermina regio; ne ab uno tantùm paterentur elemento, fœcunda in pœnas omnipotens Dei manus è terræ gremio ingentem aquarum vim emiſit, lacúmque fecit qui dictus eſt *Aſphaltites*, ab aliis mare ſalis, mare mortuum: de quo pleraque occurrunt, quæ ad vindictæ divinæ pondus facere poſſe videntur.

Primùm enim nullus in eo piſcis, nullum animal vivere ac ſpirare dicitur: quod non ſine Numine juſtáque Superûm vindicta credendum eſt eveniſſe; ne vitæ ſedes eſſet, quæ fuerat olim peccati.

Alterum eſt, quòd ſi in lacum illum emittatur aliquod animal, ſeu brutum, ſeu homo fuerit; ſupernatat, nec mergi poteſt: quod portentum aliqui Naturæ aſcribunt: is enim lacus bitumine & terreâ pinguedine exundat, eóque injecta ſuſtinet ne mergantur. Alii juſtæ ſcelerum ultioni putant concedendum: nec enim fert Divina Juſtitia, ut ea terra quæ ſceleratos illos admiſit, alia in poſterum admittat.

Tertium quod illius incendii celeriſque vindictæ reliquias exhibet, eſt fumus ingens, & ſulphureus vapor, quem exhalat lacus ille, & à quo regius totus: diceres etiamnum ſpirare ſubjectos ignes, & in auras emittere malignam nubem, qua non ipſe tantùm, ſed & omnis vicinia regio perpetua ſterilitate damnetur: Ea nimirum eſt peccati pœna, illud flagellum præpoſteræ libidinis, qua dum laborant Sodomitæ, & ipſa tellus ipſáque maria laborare, & à prima fœcunditate ad ſummam uſque inviſæ ſterilitatis injuriam deficere videntur.

Quod olim Sodomæ & Gomorrhæ à peccato Lib. 2. ex
vitium illatum eſt; hoc deinde poſteris ſeculis Ju- Joſepho.
daico ſolo immiſſum teſtatur Genebrardus.

Erat Judæa fructuum omnium ferax fertiliſque; maximè verò balſami, quod, teſte Plinio, in ea ferè ſola ſuccreſcebat, & in agris Jerichontinis legebatur: at ubi ingrata Superis Deóque capita Meſſiam cruci confixerunt, ubi tranſlata Templi ſedes, ſparſáque per Orbem extorris natio; tum verò balſamum in Judæa & in Jericho enaſci deſiit, & in arido Ægypti ſolo videri cœpit, ibique feliciter creſcere: maximè ſi irrigetur & madeſcat eo fonte, qui Mariæ Virgini filióque in Ægyptum profugis exiliiſſe dicitur.

Ita Virgineas aquas & innocuam ætatem amavit & ſecutum eſt balſamum; odit autem fugitque impuros Judææ latices, & inviſum cœlo genus, à quo vel ipſa damnatur & ingemiſcit terra. Et hoc quidem pro ingenti ſupplicio duci deberet: at illud pro longè graviori, ſi evicerimus ab uno ſcelere, non tantùm elementa animæ ſenſúſque expertia pati, ſed & omne quod ſolo ſalóque vivit ac ſpirat, ſuos fœtus negare: quod ipſum certâ & indubitatâ graviorum Auctorum fide, teſtéque multorum annorum experientia oſtendemus

Vertebatur à Chriſto annus octavus & quadrageſimus ſupra milleſimum trecenteſimum, cùm in ditione Bearnenſi viſum eſt portentum omni memoriâ ſcriptiſque digniſſimum: quod facit tum ad fidem huic meæ propoſitioni conciliandam, tum ad auguſtam Romanæ, id eſt Pontificiæ, Sedis auctoritatem.

Inter Aſpenſes & Lavedanenſes grave & diuturnum diſſidium, inimica lis & contentio: eáque non in foro ſub judice, ſed in campo ſub armis erat. Et quidem de finibus, de jure paſcui certamen inſtituebatur: jamque jus omne in ferro, in lacertis erat: à quibus cùm inferiores ſe crederent Lavedanenſes, ad dolos, ad malas artes, ad magicas præſtigias confugiunt.

Habitabat eò loci inſignis magus: eum auro paratáque pecuniâ ad facinus conducunt, ut quod ab armis ſubſidium deerat, à fraude dolóque peteretur. Et verò etiam petitum eſt, atque impetratum: iis tamen legibus, ut ſi viri Lavedanenſes Aſpenſibus ſuperiores eſſent, eorum ſanguini vitæque parcerent; itaque incruenta victoria cederet.

Placuit oblata conditio: & quanquam numero viribúſque debiliores in arma, in campum excivit.

Ubi ſtetêre in pugnam acies, ubi in mutuum conſpectum venêre; obviam arborem conſcendit magus, ut magica tela longiùs mitteret, quò altiùs. Ea porrò fuêre innoxia: nec enim iis lacrymas aut ſanguinem

ſanguinem elicuit, nec gemitum aut inſulſos ejulatus extorſit; ſed riſum movit, & inſolentes cachinnos: à quibus ita derepentè ſoluti Aſpenſium animi, ita debilitatæ vires, ita vis omnis lacertorum elanguit, ut ex iis nemo unus omnium tela jacere, nemo haſtam vibrare, nemo arma tractare poſſet: excidebant illa ſuâ ſponte de manibus, pronáque abjiciebantur.

Nova ſanè pugnandi vincendíque ratio, in quâ non bellicum ſonant ſtrepuntque tympana, non aures animóſque ferit tubarum clangor, non Martius cœlo aſſurgit clamor, non oculos perſtringit diſtricti enſis fulgor, non ſanguinem vitámque per vulnera haurit; ſed immodico riſu penitus exarmat, hoſtéſque captivos objicit. Ubi ea lege modóque parta victoria, Lavedanenſes triumphantium in morem Aſpenſes non vi, ſed riſu captos ducere, ſuis mœnibus claudere, ac deinde per ſuas uxores ad unum omnes jugulare, rati ſe eâ cæde nec datam fidem fallere nec in Deum Superóſque injurios videri poſſe. At certè & fidem feſelliſſe, & Superis Deóque injuriam intuliſſe, ſecuta deinceps pœna probavit.

In crudeles animos, & à pactis ſuis alienos juſtè excanduit Summus Pontifex, & excommunicationis fulmine percuſſit. Latam è Sede Petri ſententiam probavit Deus, gravíque ſupplicio in multos annos firmatam voluit. Mirum enim dictu viſúque! Ex eo tempore tanta regionem illam ſterilitas invaſit, ut neque germinare plantæ, neque bruta fœtum edere, neque fœmina concipere parereque potuerit: diceres ab unius injuſtitiæ partu, parere deſiiſſe quidquid uſquam ſolo ſalóque parit: adeò Superis inimicus eſt vel unus peccati partus. Tenuit ea ſterilitas ſeptem integros annos, ut eò notior eſſet pœna quò diuturnior. *Iacobus Gaultier in tabula Chronog.*

Iis peractis, ſterilitatis ſuæ pertæſi Lavedanenſes, ad Summi Pontificis pedes advoluti, facti veniam petierunt. Sedebat tum temporis & Eccleſiæ clavum tenebat Urbanus, hujus nominis quintus, & ipſe natione Gallus: qui facti pœnitentes excommunicationis vinculo ſolvit; unáque etiam & pœna: adeò de hac illóve verum illud Chriſti oraculum:
Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Ut tamen in poſteros omnes iret ea patratæ cædis memoria, eſſétque ſeu marito viduis, ſeu parente orbis ſuum ſolatium; reis omnibus pecuniariam mulctam imponi placuit, quam in ſingulos annos iis penderent, quorum genitores per ſummam injuriam ſummúmque nefas occiderant.

Extat harum omnium rerum perſcripta publicè auctoritas in Aſpenſium tabulario: cujus fidem ne ipſa quidem Palenſis Parlamenti Curia, ut Calvino addicta, in occurrentibus eam ob cauſam litibus derogare audet: imò patitur ac decernit, ut è Lavedanenſi ditione pagi omninò tres ſupra viginti tributum annuum Aſpenſibus pendant. Adeò etiam apud Hæreticos ſua ſtat Eccleſiæ auctoritas, & Decretorum veneratio.

Ex his aliiſque, quæ de hoc argumento protuli, unum illud mihi conficere poſſe videor: Quiſquis vel animantium, vel ſoli feracitatem, vel annonæ abundantiam amat, neceſſum eſt ut aut peccati vacuus, aut certè pœnitens exiſtat.

Habes illius argumentum, imò & præceptum in
Cap. 30. v. 22. Iſaia, qui hæc Dei nutu vocéque juſſit: *Contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiam*
Verſ. 23. *menſtruata: & panis frugum terræ erit uberrimus & pinguis.*

Habes & exemplum in Rege Achab, cui non priùs data eſt edendi facultas, quàm è medió ſublati forent
3. Reg. c. 18. v. 41. Prophetæ Baal; tum enim ab Eliâ audit: *Aſcende, comede, & bibe: quia ſonus multa pluviæ eſt.*

Poſtquam, inquit D. Hieronymus, *interfecti ſunt ab Elia pſeudo-prophetæ, datus eſt panis Salvatoris uberrimus & pinguis. Niſi enim vitia receſſerint, virtutes non ſubeunt.* *In Iſaiam.*

Imò nec ipſa terræ fertilitas ſubire poteſt, niſi & omnis Idolorum, id eſt, vitiorum vanitas pravitáſque ablata fuerit, & ipſi eorum cultores proſeminatoréſque valere juſſi: valebunt autem ſi opportuna animum ſubierit pœnitentia: à qua ut exſtirpatur peccatum, cauſa & origo ſterilitatis; ita & ab ea fertilitas redit, bonáque ſemina jaciuntur, quæ deinde in meſſem uberem ſuccreſcant. Eam certè agnovit & amavit Eccleſiaſtes, ubi cecinit: *Mitte panem* *Cap. 11.*
tuum ſuper tranſeuntes aquas. Erit fortè qui miretur *v. 1.* Sapiente magiſtro, ſemina committi liquido & fluenti aquæ elemento: at mirari deſinet, ſi ex Ambroſio audierit: *Ibi panis vivus eſt, ubi aqua lacrymarum, & fletus eſt pœnitentia.* His mentem irrigas & corpori & animo panem dabis.

Flagellum quartum.

Fames.

Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ. *Iſaia c. 3. v. 1.*

VErterat ſeſe partes in omne[illegible]entia, ut infandæ Judæorum perfidiæ modum finémque poneret: explicarat ipſa ſeſe in varia beneficia; cœlóque propitio non imbres emiſerat, ſed fontes, imò torrentes mariáque gratiarum, quæ tamen haurire, exſorbere, perdere ingrata capita: in quibus ubi nihil actum amore ſummáque beneficentia, ad pœnas & dignâ ſceleribus ſupplicia itum eſt: inter quæ ab irato Numine decreta ingens annonæ caritas, & quæ ex ea naſci ſolet immodica fames; quam præſago ſpiritu calamóque edicit Iſaias:
Ecce, inquiebat olim, *dominator Dominus exercituum* *Cap. 3. v. 1.*
auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ; ut quà fame, quà ſiti conſumeretur Iſraël, maléque periret. Quidni enim ſic tabeſceret, ſic periret ablato robore panis, quo vita fulciri ac ſuſtineri ſolet? Dico vitam pane fulciri ac ſuſtineri, ut infans fulcro, ut baculo ſenectus.

Et inde factum ut Hebræi ſapientes panem cenſuerint appellandum eſſe *Miſan*, id eſt, fulcrum, baculum, ſcipionem: Ut enim infans dubios pedes debiléſque greſſus fulcro regit firmátque; ut curva in terram ſenectus tremulum nutánſque corpus baculo ſuſtentat: ita panis vitam nutantem ac deficientem ſuſtinet, reparat, auget. Quòd ſi eum ſeu caſu dolóve, ſeu hoſtium aperta vi, ſeu etiam juſto Dei ſupplicio tolli omninò contigerit; tum verò neceſſum eſt omne corporis robur concuti, vires omnes labefactari, & per ſummam inediæ pœnam vitam ipſam contabeſcere atque collabi.

Ita factum olim cum Iſraële, cum Solyma Urbium principe multarumque regionum domina: eam adeò cinxit, oppreſſit, excedit inviſa terris fames, ut non tantùm ſolo innumera ſtraverit cadavera; verùm etiam contra naturæ leges, inſitíque amoris pacta, eò matres ipſas adegerit, ut in proprios fœtus deſævirent, & præ ingenti fame in rabiem actæ devorarent. Lubet audire quod ea de re Joſephus luculentus rerum Judaicarum ſcriptor poſteris reliquerit: libro ſeptimo de bello Judaico, infandam obſeſſæ Jeroſolymæ famem ita deſcribit.

Eorum qui per civitatem fame corrumpebantur, *Cap. 7.* infinita multitudo moriebatur. Inenarrabiles autem clades eveniebant. Per ſingulas namque domos

ſicubi

ſicubi aliqua cibi veſtigia apparuiſſent, bellum illicò gerebatur, & amiciſſimi inter ſe ad manus veniebant, miſeris diripientes animis viaticum. Fides autem penuriæ nec morientibus habebatur; ſed etiam quos viderent exſpirare, ſcrutabantur latrones, ne quem fortè cibum ſinu occultans quiſpiam moreretur. Ipſos autem ſpes egeſtate victus hiantes veluti canes rabidos decipiebat: & impingentes in oſtiis tamquam ebrii ferebantur, eaſdémque domos bis ac ter eodem momento deſperatione inquietabant, omniáque dentibus neceſſitas ſubigebat: & ea colligentes quæ nullum, quamvis ſordidiſſimum mutorum animalium, non horreret, comedere patiebantur.

Denique nec cingulis, nec calceamentis abſtinuêre; coriáque ſcutis detracta mandebant. Quin etiam fœni veteris lacetamenta victui habebantur; cujus nonnulli exiguum pondus quatuor atticis venumdabant.

Et quid opus eſt famis improbitatem ex rebus animâ carentibus demonſtrare? Factum enim relaturus ſum, neque apud Græcos, neque apud barbaros cognitum, & dictu quidem horrendum, auditu verò incredibile. Itaque libenter hanc calamitatem intermitterem, ne mentiri me poſteri æſtimarent, niſi teſtes multos haberem; & fortaſſe patriæ frigidam referrem gratiam, parciùs ea diſſerens, quorum fata perpeſſa eſt.

Hæc ubi dixit, pergit ad facinus, quod hactenus nulla vidit ætas, quod lugeant horreantque ætates omnes longè conſequentes. Mulier quædam ex numero trans Jordanem habitantium incolarum, Maria nomine, Eleazari filia, de vico Vetezobrâ (quod
Cap. 8.
ſignificat domum hyſſopi) genere ac divitiis nobilis, cum alia multitudine refugiens in Jeruſalem recepta, cum cæteris obſidebatur. Hujus alia quidem bona tyranni diripuerunt, quæ ea tranſmarinis locis in oppidum comportaverat. Reliquias verò conditorum, & ſi alimenta reperiſſent, irrumpentes domum ejus ſatellites quotidie auferebant. Graviter autem mulier indignabatur: proptereáque raptoribus ſæpiſſimè maledicens & imprecans, eos contra ſe vehementiùs irritabat: cùm neque iratus, neque miſerans, eam quiſquam vellet interficere. Sed victum quidem parando aliis parabat: undique autem adempta jam erat ei etiam rapiendi facultas, faméſque viſceribus & medullis irrepſerat. Plus verò quàm fames iracundia ſuccendebat. Igitur vi animi ac neceſſitate impulſa, rebus adverſis contra naturam excitatur: raptóque filio, quem lactentem habebat; Miſerum te, ait, infans in bello, & fame, & ſeditione, cui te ſervavero? Apud Romanos etiam ſi vixeris ſervitutus es: fames autem prævenit ſervitutem: his verò ſeditioſi ſæviores ſunt. Eſto igitur mihi cibus, & ſeditioſis furia, & humanæ vitæ fabula, quæ ſola deeſt calamitatibus Judæorum. Et hoc ſimul dicens occidit filium, coctúmque medium comedit; adopertum verò reliquum ſervavit.

Ecce autem aderant ſeditioſi, & contaminatiſſimi nidoris odore capti, niſi quod paraſſet oſtenderet, minabantur. Illa verò bonam partem ſe reſervaſſe reſpondens, aperit filii reliquias.

Illos autem confeſtim horror cepit atque dementia, viſúque ipſo diriguerunt. At mulier: Et hic, inquit, eſt verè filius meus, & facinus meum: Comedite; nam & ego comedi. Nolo ut ſitis aut fœminâ molliores, aut matre miſericordiores. Quòd ſi vos pietatem colitis, & mea ſacrificia repudiatis, ego quidem comedi, reliquum ejus me manebit. Poſt hoc illi quidem trementes exierunt, ad hoc ſolum timidi, vixque hoc cibi matri ceſſere. Mox autem repleta eſt eo ſcelere tota civitas: & unuſquiſque ante oculos ſibi cladem illam proponens, tamquam hoc ipſe admiſiſſet, horrebat.

Ab omnibus autem, quos fames urgebat, properabatur ad mortem: & beati appellabantur qui priuſquam id paterentur interiiſſent.

Citò autem Romanis etiam nuntiata eſt illa calamitas, eorúmque alii non credebant, alii miſerabantur: multos autem vehementiùs ejus gentis odium cepit. Cæſar autem ſuper hoc Deum placabat: Siquidem Judæis pacem obtuliſſet, eiſque liberam propoſuiſſet omnium oblivionem quæ commiſerant. Illos autem pro concordia ſeditionem, bellum pro pace, pro ſocietate atque opulentia famem optaſſe; & qui propriis manibus templum, quod ipſe eis ſervaſſet, incendere cœperant, hujuſmodi alimentis eos eſſe digniſſimos. Verumtamen ſcelus hujus nefandi victus, ruina ſeſe patriæ operturum, neque relicturum in Orbe terræ, ut Sol inſpiciat civitatem, in qua matres ſic veſcerentur. Nimirum ad illud facinus tam inſolens, tam audax, tam impium juſtè exarſit ira, & Titi Cæſaris pietas, obſeſſæque gentis miſeratio, in ipſius civitatis buſtum, totiúſque gentis excidium eſt converſa. Æquo certè Dei judicio, quo, ut ait Propheta Job, *per hæc judicat populos, & dat eſcas multis mortalibus*, ſi ipſi Deo virtutique ſe dedicant; negat autem ſi à virtutis tramite, Deique ſui legibus receſſerint. Ita receſſerant olim Judæi, in quos flectitur illud Prophetæ Regii vaticinium: *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.* Meritò famem patiuntur ut
Pſal. 58. v. 7.
canes, qui canum inſtar famelicorum, ore, rictúque anhelante & aperto, optimos quoſque ſagaciſſimè obſervant, perſequuntur, & ad crudelem lanienam depoſcunt: qui ut canes & ipſi nati videntur oculis clauſis, ne cœleſtia divináque aliquando ſuſpiciant & contemplentur: qui canum genio, pronáque in pejus inclinatione, ad ſuum vomitum revertuntur, & antiqua ſcelera novis in dies augere fœdaréque non deſinunt, eſuriem illi famémque caninam patiuntur; & hunc Orbem, qui illis civitas eſt, circuineunt, ſi fortè vacuum ventrem, vacuas ſemper cupiditates expleant: at explebunt nunquam; ſed in dies, in annos majorem patientur famem ut canes, & circuibunt civitatem: *In circuitu* Pſal. 11.
enim *impii ambulant*. Quibus uſu venit, quod iis v. 9.
qui ſeſe in gyrum agunt: feruntur illi ſpiritu vertiginis, & prono ac præcipiti impetu in terram collabuntur. Ita poſtquam in Orbem ſeſe verterint peccatores, ne quid à ſua libidine intentatum relinquerent, vertigine quadam & mentis amentia in ſcelerum ſuorum barathrum elapſi, tandem etiam aliquando in ſubjectas inferni voragines elabentur. Sed ne eò ſe inclinet oratio, pedem referamus, & famelicos noſtros ſequamur, videamúſque quæ fames corporis, quæ deinde mentis: etſi enim de illa mihi in præſens ſermo ſit; de hac tamen verbulum inſerere non erit ab inſtituto meo alienum.

Eſt fames, quædam appetentia cibi, ad quam, ut docent medici, quinque ſymptomata concurrunt, quæ mirum quantum malum augent.

Primum eſt quædam evacuatio, ſeu alimenti penuria.

Secundum, exinanitarum partium inſolens quædam appetentia.

Tertium, ventriculi ſuctus factus à venis.

Quartum, ejus ſenſus.

Quintum, appetentia quædam animalis; cui cùm ſatisfacere non poſſis, oritur in ventriculo reliquiſque partibus, dolor ingens & cruciatus: cùm enim venæ ex ipſo ventriculo, veluti emulgentes ſugentéſque, alimentum trahunt; non ferens cum ſuctum ventriculus, ſed veluti divulſus, offenſæ ejus medelam, cibum deſiderat: quem ſi negas, acutum illi doloris ſenſum creas: ex quo, niſi medearis, partium omnium ariditas viriúmque prolapſio ut conſequatur eſt neceſſe.

Et hoc à peccato malum corpori inſiſtit. At

gravius

gravius animo incumbit: gravior, inquam, fames, cujus etiam & quinque ſymptomata, à quibus torquetur totus, atque deficit.

Primum eſt evacuatio quædam, & cœleſtis alimenti penuria: ex qua

Secundum ſequitur; nimia quædam mundi rerúmque abjectarum appetentia: ubi enim à ſuperioribus ac divinis vacuus fuerit animus, ad inferiora terreáque ſeſe inclinat. Ex quo

Tertium oritur, & grande malum: cupiditates enim, quæ ut venæ ventriculo, ut radici ſtirpes; ita & ipſæ depravatæ menti inhærent, ab eáque quaquaverſum ducuntur; perenni, tenacique ſuctu ita illam fatigant atque exhauriunt, ut continuò alius atque alius ſit doloris ſenſus, & appetentia quædam animalis; id eſt, ea, quæ non hominem decet, ſed brutum, & animal abjectum prodit.

Et hæc ab illa fame pernicies & in corpus, & in animam dimanat: ut proinde jure meritiſſimo habeatur inter ea flagella quibus à Deo peccator vapulat. Optandum certè ita vapulet, ut reſipiſcat: ſed nimium quàm multi Iſraëli ſimiles; percuti quidem poſſunt, emendari omninò non poſſunt; aut ſi quidem poſſint, nolunt. Ut velint, exclamat

Amos c. 4. v. 1. Amos Propheta: *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis veſtris,*
Verſ. 2. *Afferte, & bibemus. Iuravit Dominus Deus in ſancto*
Verſ. 6. *ſuo. Ego dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis urbibus veſtris, & indigentiam panum in omnibus locis veſtris: & non eſtis reverſi ad me, dicit Dominus.* Propheticâ divináque voce dicuntur Iſraëlitæ, *vaccæ pingues.* Primùm ex eo quòd toti incumberent paſcuis, ventriqúe ſaginando. Tum deinde quia vox eorum lenis & humana in aſperum immanémque rugitum præ luctu doloréque erat commutanda. Tum denique *vaccæ* audiunt *pingues*, Hebraicè *vaccæ baſan*, id eſt, pudori, confuſioni ignominiæque deſtinatæ. *Baſan* enim pudorem, confuſionem, ignominiámque ſonat. Eum expectet quiſquis ingluviem ventrémque ut Deum habet, & colit.

Flagellum quintum.

Bellum.

Iſai. c. 30. v. 32. *Erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos.*

Ierem. c. 6. v. 4. 6. *Sanctificate ſuper eam bellum, fundite circa Ieruſalem aggerem: hæc eſt civitas viſitationis.*

DE bello dicere meditanti tria ſuccurrunt: Primum, quid & unde bellum? Tum deinde quis illius Auctor? tum denique quæ cauſa?

Lib. 1. ep. 30. Primæ quæſtioni ita ſatisfacit Caſſiodorus: *Non erant*, inquit, *priùs armata certamina, ſed pugnis ſe quamlibet fervida laceſſebat intentio: unde & pugna nomen accepit. Poſtea Belus ferreum gladium primus produxit, à quo & bellum placuit nominari. Conſilium atrox, crudele præſidium, ferma certatio. Criminis applicandum eſt, quòd unde poſteritas potuit interire.*

Et ita de nominis etymologia diſſerit Caſſiodorus; à quo diſſentit Priſcillianus, qui bellum ait dictum per antiphraſin, quaſi minimè bellum: & Feſtus qui bellum, quaſi belluinum aliquid eſſe opinatur: ut vel ipſo nomine portenderetur turpis & atrox bellorum genius. Ut ut ſit, parum intereſt: ſua de nomine lis eſto; ſua quoque de auctore erit controverſia: ſunt enim qui *Belum* volunt primum in arma ferrúmque ruiſſe, & inſanâ dominandi libidine vicinos impetiiſſe. Et certè huic opinioni conſonat & ſuffragatur ipſum *Beli* nomen: *bel* enim dominum ſonat. Alii tamen, quos inter etiam Joſephus, bella revocant ad primam Orbis ætatem, qua viſus eſt Tubalcain, qui omnium primus invenit artem fabrilem in cuncta opera æris & ferri. Lib. 1. Antiq. c. 13. Gen. c. 4. v. 22.

Et hæc pro auctore faciunt; ad cauſam propero: ea duobus è fontibus oritur.

Unus eſt inſolens opum cupiditas; alter immodica regnandi libido: ea mortales omnes Orbe toto vagos in arma coëgit. Ut enim Salluſtius: *Una, & ea vetus cauſa bellandi, profunda cupido imperii & divitiarum.* In Conjur. Catil. *Aurum & opes præcipua bellorum cauſa*, inquiebat Tacitus. Lib. 4. hiſt. Quod ipſum ſenſit & docuit D. Jacobus; ita enim primævis Chriſti fidelibus ſcripſit: *Unde bella & lites in vobis? Nónne hinc? Ex* Cap. 4. v. 1. *concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Illæ concupiſcentiæ, ceu prima bellorum ſemina, priùs in nobis ipſis domeſticos tumultus & ſeditiones excitant: tum deinde arma impetúſque ſuos in alios promovent.

Verùm, quæ juſta eſt Dei vindicis ſententia, plerumque evenire ſolet, ut unde prima emanavit origo mali, inde quoque ſupplicium emanet; & qui iniquis armis pugnat, æquis punitur. Quod ut oſtendam, iterum revolvor ad ſpectandas Solymæ clades: nec enim illam una petit pœna, nec unus inſurgit turbo; ſed alius atque alius cœlo vindice tollitur: quidni enim tollatur? Ipſa ſibi in culpam ferax eſt Jeroſolyma. Iniquitatem ceu atram in æthera nubem emittit: quæ deinde ſeſe in ventos, in turbines, in tonitrua, in fulmina bellorum explicet: quæ ne inſciam feriant, & nihil tale exſpectantem obruant; jubetur Iſaias in buxo ſcribere quæ poſt annos centum quinquaginta erant eventura. Ita enim ad eum Deus: *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libra diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo in teſtimonium uſque* Cap. 30. v. 8. *in æternum. Populus enim ad iracundiam provocans eſt, & filii mendaces, filii nolentes audire legem* Verſ. 9. DEI.

Jubetur in buxo ſcribere, inquit D. Hieronymus, quia ejus lignum eſt imputribile; adeóque concionum magis ut in poſteros annos ſeramque ætatem impendentes de Superis calamitates efferat. Quæ porrò eſſent illæ, ſubjungit deinde ſacer Vates: *Et erit tranſitus virgæ fundatus: & in bellis præcipuis expugnabit eos.*

Bella præcipua quibus hoſtes ſuos cœlum expugnat, appellat virgam, ſive flagellum Dei, quòd celeri lapſu, ingentíque ictu, armorum fragore, occidentium ruinâ per reprobos tranſit: eóque bellè dicitur tranſitus virgæ fundatus, hoc eſt, validus, firmus, ſtabilis, perennis: nec enim eâ virgâ, velut levioris auræ flabello, vapulat peccator; ſed ejus pondere premitur, ingentíque armorum mole deprimitur & faiiſcit.

Suis olim ſtupori dolorique fuit Hieroſolyma; poſteris autem exemplo, ne & ipſi contra Superos, Deúmque bellare præſumant.

Quod ſi fecerint, audient & illud, quod illa quondam ſuo malo audiit: *Sanctificate ſuper eam bellum: conſurgite. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum ejus, & fundite circa Ieruſalem aggerem: hæc eſt civitas viſitationis, omnis calumnia in medio ejus.* Ierem. c. 6. v. 4. 6.

Fuerat olim civitas viſitationis, jam tum ad gratiam gloriámque deſtinata, cùm eam viſitaret Servator optimus, cùm ſuper eam fleret, & illud emitteret in reluctantes auras, auréſque Judæorum: *Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad*

Luc. c. 19. v. 42. *pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te; & coangustabunt te undique: & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.*

Erat illud tempus amabile, amica viſitatio, quæ præferret olivam pacis, teſtem indicémque Divini Fœderis: ſed eam reſpuit, abjecit, conculcavit Solyma, auſúque temerario cœleſtes iras hoſtiléque ferrum traxit, longámque obſidionem ad extremam uſque ſuorum civium internecionem eſt perpeſſa: in qua profectò quærere potuit, quod deinde poſt lapſa longè ſæcula à Beliſario petiit Gilimer Wandalus gravi preſſus obſidione; cui ut levamen aliquod adferret, tria ab hoſte dicitur expetiiſſe; videlicet panem, citharam, & ſpongiam.

Panem quidem, quia ex quo Romanus miles locum obſederat, eum ne extremis quidem labris deguſtarat. Citharam verò, ut flebilibus modis triſtique næniâ præſentem calamitatem leniret. Spongiam denique, qua fluentes ex oculis lacrymas exciperet atque detergeret.

Hæc tria gravioribus afflicta malis, ab hoſte flagitare potuit Hieroſolyma; impetrare tamen omninò non potuit: erat enim decreta cœlo dies ultima, & hæc Jeremiæ ſcripta calamo ſententia; *Sanctificate ſuper eam bellum.* Bellicum inſonat Propheta, Chaldæos in arma vocat, bellúmque ſanctum indicit: tum quia cœlo judice è toto hominum genere delecti Chaldæi, ut eſſent quaſi Dei milites ac Sacerdotes, qui ſanctam ejus voluntatem juſtámque ſententiam implerent, Judæóſque veluti piacu-
D. Hiero. lares hoſtias ad Divinæ Juſtitiæ aras Deo Optimo Maximo immolarent: tum etiam quia ab eo diſcedere non licebat niſi priùs ſecuta fuiſſet ultio, ferrúmque novo ſanguine rubuiſſet: ideóque bellum ſanctum dicitur, à quo abire nefas fuit; ut muri habentur ſancti, quos tranſilire non licet.

Quod autem & quàm immane fuerit hoc bellum, hæc una propoſitio explicare non poteſt, ne unus quidem liber, volumen unum ſufficiat: plura qui volet Joſephum conſulat: multis ille totam rei geſtæ ſeriem, miſerámque Solymæ faciem deſcribit: eam ex uno diſce, quòd obſeſſi in bonis ducerent ſi clanculum ad hoſtes elabi, & in ipſum ferrum, in ipſas cruces acerbáque ſupplicia involare poſſent: adeò bellum obſidióque ipſa morte gravior videba-
Lib. 6. c. 12. tur. *Miſerabilis certè*, inquit Philo, *videbatur iſta calamitas, cùm Judæi in dies ſingulos quingenti, nonnumquam etiam plures caperentur: milites autem eos diverſis modis ſuffigebant, irâ, & odio, & ludibrii causâ; & propter multitudinem quam cepiſſent, jam ſpatium crucibus deerat, & corporibus cruces.* Erat ea pœna talionis, ut qui innocentem cruci confixiſſent, & ipſi nocentes è cruce penderent.

Sed à Judæis abeat oratio, & ad ipſa Davidis tempora recurrat: audietur in illis adverſus tubæ clangor, & cruenta belli facies videbitur: pingetur illa non dico Regia & auguſta Davidis manu; ſed inimica, ſed cruenta. Inſcenderat ille alienum torum, ſacráque thalami jura violarat, Bethſabeam Uriæ conjugem oppreſſerat nimis in Venerem præceps: à qua etiam ad ferrum injuſtámque cædem proceſſit, Uriámque per ſummum nefas hoſtili ferro trucidandum objecit. Non tulit è cœlo Deus inultum ſcelus: ſanguinem ſanguine expiandum cenſuit; ideóque hanc in noxium caput torſit ſententiam:

2 Reg. c. 12. v. 10. *Quam ob rem non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum.*

Et verò non receſſit: nam pro uno Uria cecidêre quatuor Davidis filii.

Primus ille fuit, qui prohibitâ Venere infandóque concubitu conceptus fuerat; oportebat enim ut primus vocaretur in pœnam, qui primus à culpa in lucem fuerat evocatus.

Secundus fuit Ammon, quem occidit Abſalon propter Thamar ſororem ſuam. Ita fraterno ſanguine polluuntur manus, quia ſuas primùm ducis invicti cæde parens infecerat.

Tertius fuit Abſalon, quem in patria jura involantem, & præproperâ regnandi libidine in arma ruentem fudit, fugavit, occidit Joab, triplicique lanceâ transfixit.

Quartus fuit Adonias, quem Salomon è medio ſuſtulit: ita pro uno Ducis innoxii funere, quatuor omninò Principum, fratrúmque ducuntur funera; juſtóque bello perit qui injuſto alium occiderat. Nimirum contra iniquam vim ferrúmque, vi, ferróque utitur Divina Juſtitia: ut inde petatur medela, unde vulnus inflictum eſt.

Docet Plinius è ferro parari medicinas, quibus alopecia, podagra, profluvia, fiſtula, hæmorrhoides, pluréſque alii morbi curentur.

Ita enim habet: *Medicina è ferro eſt, calefit ferro* Lib. 34 c. 15. *candente aqua in multis vitiis, privatim verò dyſentericis. Eſt & ipſa rubigo ferri in remediis. Et ſic Telephum proditur ſanaſſe Achilles ferreâ cuſpide. Emendat alopecias: podagras lenit: contra epiphoras oculorum aſſumitur, ſanguinemq; ſiſtit, maximè cùm vulnera ferro fiunt: ſiſtit & fœminarum profluvia: imponitur & contra lienum vitia: hemorrhoidas compeſcit ulcerumq; ſerpentia.* Hæc ferri vis, hic uſus ad detergendos corporis morbos, ut proinde jure meritò idem Auctor, *ferrum* dixerit eſſe *optimum peſſimumq; vitæ inſtrumentum.* Nam præter commoda quæ modò Cap. 14. attuli, *ferro*, inquit, *tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, putamus pomaria, vites ſquallore deciſo annis omnibus cogimus juveneſcere. Hoc extruimus tecta, cædimus ſaxa, omneſq; ad alios uſus ferro utimur.* Et iſta à ferro commoda. Hæc autem incommoda, non tam ferri, quàm generis humani vitio. *Eodem enim utimur ad bella, cædes, latrocinia, non cominus ſolùm, ſed etiam miſſili volucriq;, nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato, quam ſceleratiſſimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem ut ocyus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennaſq; ferro dedimus. Quamobrem culpa nobis, non naturæ fiat accepta.*

Verùm, quæ Dei bonitas eſt, unde ipſi malum creamus, inde nobis ipſa remedium parat. In oculis erat multorum ſcelerum jam inde reus David: fluebat illi libido Venúſque, ceu noxius ex animo ſanguis: ſiſtere voluit Deus, peritus animarum medicus. Immiſit non dico Achillem aliquem, qui Telophum à vulnere laborantem ferreâ cuſpide ſanaret; ſed Prophetam Nathan, qui hæc illi in faciem objiceret: *Quare contempſiſti verbum Domini,* 2 Reg. c. 12. *ut faceres malum in conſpectu meo? Uriam Hethæum* v. 9. *percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum.*

Hactenus à ferro vulnus fuit: ab eodem deinde medela requiretur. Vix enim vel auribus tantùm illius cuſpidem admiſerat David, cùm etiam ab eo remedium ſenſit; ait enim: *Peccavi Domino.* Et Verſ. 13. mox audiit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris.* Ecce quæ hominum, quæ Dei Leges; quàm averſæ, quàm à ſe invicem alienæ. Ferro ſibi mortem cudit infelix homo: at miſericors Deus eadem è fornace hoc malum ſolvit, vitámque ipſam & melioris ævi fontes educit: ut illud oderis, hos autem ames, & in æternos annos conſervare ſtudeas.

Flagellum ſextum.

Servitus.

Gen. c. 19 v. 25 *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.*

A Bello, quod vitam ferro petit & ſanguinem haurit, ſervitutem mihi ſubjicere poſſe videor: tum quis libertatem tollit, quæ ingenuo homini vitâ potior eſt; tum quia origo ſervitutis ab ipſo bello adverſóque marte petitis fuiſſe videtur: victor enim in acie pugnáque captis, lucis hujus uſúræque mortalis uſuram concedebat, ſibíque ſervos faciebat: itaque mors ipſa, longa dutáque ſervitute redimebatur: quod in victore clementiæ & miſerationis videri poterat; in victis autem gratiæ & beneficii. Ex ea porrò ſervitutis origine manavit apud antiquos & illud nomen, ut ſervi vulgò mancipia dicerentur, quaſi manu capta. Verùm ut ita de ſervitutis cauſa, primáque origine ſenſerint è veteribus nonnulli; aliter certè de ea & judicarunt, & locuti ſunt Sancti Patres, quorum ſuper ea re teſtimonia juvat recenſere; atque in primis Divus Auguſtinus ita habet libro undecimo de Civitate Dei cap. 15.

Conditio ſervitutis jure intelligitur impoſita peccatori. Proinde nuſquam ſcripturarum legimus ſervum, antequam hoc vocabulo Noë juſtus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura.

Tum deinde de nomine ſervi hæc ſubjicit: *Origo vocabuli ſervorum in Latina lingua inde creditur ducta, quod hi qui jure belli poſſent occidi, & victoribus cùm ſervabantur, ſervi fiebant; à ſervando appellati: quod etiam ipſum ſine peccati merito non eſt. Nam & cùm juſtum geritur bellum, pro peccato contrario dimicatur, & omnis victoria cùm etiam malis provenit, divino judicio victos humiliat, vel emendans peccata vel puniens.* Hæc ubi ſolitâ facundiâ dixit, tum demde concludit: *Prima ergo ſervitutis cauſa peccatum eſt.* Juſto nimirum Dei judicio fit, ut homo homini ſubdatur (etiam contra naturæ leges & pacta) quia ſecundùm naturam Deo ſubdi noluit, cui tamen debuit quàm impenſiſſimè.

Auguſtino conſenſit D. Ambroſius, *Servi*, inquit, *ex peccato ſunt, ſicut Cham filius Noë, qui primus meritò nomen ſervi accepit.* Et alio loco: *Natura*, inquit, *ſervum non facit, ſed inſipientia: uti nec manumiſſio liberum, ſed diſciplina.* Quod ut evincat, profert exemplum Eſau & Joſeph. *Eſau liber natus eſt, & ſervus factus eſt. Ioſeph venditus in ſervitutem eſt, & electus ad poteſtatem ut ſuis venditoribus imperaret. Non dedignabatur tamen obſequium ſedulitatis, ſed tenebat virtutis faſtigium, conſervabat libertatem innocentiæ, integritatis, auctoritatis.*

Sed hactenus auctoritati datum ſatis: quod reliquum eſt ſervitutis malis concedamus. Inter cætera hoc longè maximum, quòd libertatem labefactet, peſſumdet, evertat, jubeátque hominem non ſuo, ſed alieno arbitrio, alienis conſiliis vivere: quod à natura adeò diſſonum & alienum videtur, ut ex eo ſervi, io jure, capite diminuti dicantur. De iis Cujacius Juriſconſultus ita loquitur: *Servi etiam ob amiſſam libertatem capite diminuti dicuntur, quia velut ratione & conſilio privati proprio, coguntur alienâ ratione & conſilio agere & vivere*: ex cóque capite minuti: quod enim in corpore caput, hoc in mente ratio & intelligentia; quam qui tollit, unà & caput ipſum tollit eſt neceſſe.

Accedit deinde & alterum à ſervitute incommodum, de quo Eccleſiaſticus: *Cibaria, & virga, & onus aſino: panis, & diſciplina, & opus ſervo.*

Eſt aſinus jumentum ignobile, & à natura velut noverca abjectum ad onera comportanda; quibus

Varro.

Geneſ. c. 9.

in Epiſt. ad Philip. c. 2

Lib. 2. Epiſt. epiſt. 7.

Paul. de capite diminutis, & lib. 2. §. 1. ff.

Cap. 33. v. 25.

ubi ſe ipſe fatigarit, imò obruerit, fregerit, non aliud illum manet quàm virgæ & crudele flagellum, quod in tergum ſæviat: & ut illi ſit quàm optimè, objicitur pro pabulo fœnum, ſed quàm parciſſimè. Quam in rem extat apud Aldrovandum apologus non inelegans.

Aſinus olim ſerviens olitori, cùm parcè comederet, laboraret autem liberaliter, imò & vapularet liberaliùs, dicitur à Jove petiiſſe, ut alteri domino venderetur: exoratus Juppiter, juſſit eum figulo vendi; ſed neque ab illo meliùs habitus; ad cœnum vehendum, ad tegulas comportandas adhibitus: cujus oneris etiam impatiens, iterum dominum ſeſſoréinque mutare voluit. Mutavit porrò, & coriario ceſſit: ſed ab illo exceptus quàm peſſimè; ad priores dominos rudere & anhelare cœpit: veritus ne coriarius etiam in pelle luderet, in pellem ſæviret, eámque tandem aliquando detraheret.

Docet hic apologus ſervo numquam eſſe benè; nec ut dominum mutet, adverſam duránque mutare ſortem: eſt enim illi labor multus, cibus tenuis, diſciplina gravis, opus aſſiduum, quo vitam omnem, reliquumque virium atterat perenni labore motúque, à quo Hebræis ſervi nomen ducitur à verbo *nathar*, quod continuò moveri, agitari, excuti ſignificat; quòd ſervus partes in omnes commoveatur, volvatur, agitetur, excutiatur ab impotente hero, qui eum ut pilam habet.

Hæc ſunt miſerandæ ſervitutis onera, quæ mirum quantum augeat abjectio, & ignominia ei nomini cognata: ex qua fit, ut homini libero, cui in oculis, in amoribus eſt gloria, ſervitus illa quovis malo, quovis fato durior accidere videatur. Hinc Lacedæmonii cùm juberentur liberos ſuos dedere Macedonibus, cum gemitu aliòque dolore objecêre unum illud: Si graviora morte imperatis, potiùs mori volumus.

Exiſtimabant viri ſapientes, libero cœlo ſolóque nati, & ſibi & liberis ſuis ſervitutem ipſa morte eſſe graviorem: nec immeritò; ut enim diſertè Philo: *Non eſt par jactura libertatis & pecuniæ. cùm nemo ſuam non malit vitæ, quàm libertatis adire periculum.* Teſtis erit etiam in oculi timidóque ſexu Virgiliana illa Andromache, quæ ſibi captivæ Trojanæ virgines in bello mortuas præferebat, ita enim Virgilii ore eeciniſſe legitur: 3. Æneid.

> *O Felix una ante alias Priameia virgo,*
> *Hoſtilem ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis*
> *Iuſſa mori! quæ ſortitus non pertulit ullos,*
> *Nec victoris heri tetigit captiva cubile.*

Et hunc quoque amorem libertatis, ſervitutis odium, etiam integræ nationes populique longè latèque ſuſi oſtenderunt: quos inter ii, quos Xantios appellavit antiquitas; qui cùm à Romanis ad deditionem compellerentur, ſe ipſi omnes occiderunt, de quibus Philo ait: *Ut fatali neceſſitati ſalvâ libertate, magnanimitatéq; ſatisfacerent, acerbitatem tyrannicam fugiendo, pratulerunt glorioſam mortem vitæ conjunctæ cum ignominia.* Quibus ferè concinit Divus Ambroſius: *In bellica*, inquit, *virtute, non mediocris honeſti, atque decoris formæ eſt, quòd mortem ſervituti præferat ac turpitudini.*

Libro, quòd omnis probus ſit liber.

Lib. 1. de Offic. c. 4.

Et verò ut eam morti non præferat Scriptura; at certè cum ea comparat: exemplo res fiet illuſtrior.

Patrios lares frumento & annonâ onuſti repetebant Joſephi fratres, hoc uno læti, quòd eſſet in manibus unde petituræ familiæ parentíque ſubvenirent: ſed conceptam animis lætitiam, ſubitus & inopinatus caſus primùm in ſtuporem, dein in metum & luctum vertit: affuit enim, imò citatis equis advolavit à Joſepho miſſus œconomus, qui eos furti inſimularet, ſcyphúmque argenteum doloſè

doloſa manu ſublatum repeteret. Tum ſibi benè conſcii fratres omnes unâ voce hanc ſententiam in eum proferre, qui reus furti teneretur: *Apud quemcumque fuerit inventum ſervorum tuorum, quod quæris, moriatur.* Annuit calumniator non improbus, pactóque conſentiens ait: *Fiat juxta veſtram ſententiam: apud quemcumque fuerit inventum, ipſe ſit ſervus meus.*

Geneſ. c. 44 v. 9.

Verſ. 10.

Ad mortem damnarant fratres, ipſe ad ſervitutem depoſcit: & quidem ex eorum ſententia, apud quos mortem inter & ſervitutem nihil intererat.

Et hæc dicta velim, ut noverit peccatór quantum ſibi ſuóque generi ab uno ſcelere obvenerit mali, quantum miſeriæ & calamitatis: quam ut luctu & lacrymis proſequamur monet Jeremias: *Nolite*, inquit, *flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu: plangite eum qui egreditur*, ſcilicet in ſervitutem, *quia non revertetur ultrà, nec videbit terram nativitatis ſuæ.* Quod maximè verum eſt de eo qui à libertate gratiæ egreditur in ſervitutem peccati: ille enim non revertetur ultrà, nec videbit terram nativitatis ſuæ; cœlum dico, cui à natura Deóque genitus eſt. Et hæc vel maximè homini metuenda ſervitus: ea quippe eſt animi, & fert æternitatem; alia verò de qua hactenus egimus, imi corpuſculo incumbit, & vix aliquot hyemes brevémque ætatem ſuſtinet ac fatigat: ideóque demus etiam hic pauca tum de ſervitute peccati, tum de ſervitute filiorum Dei.

Cap. 22 v. 10.

APPENDIX.

Quæ peccati ſervitus, quàm gravis & ignominioſa?

Quæ Dei libertas, quàm ſuavis & auguſta?

EA ſervitus de qua modò pauca dixi, ad corpus ferè ſpectat vitamque mortalem; nec peccatum eſt, ſed ejus pœna: eam hoc libro fuſiùs explicare ab initio mihi propoſitum. Verùm audire videor unum aliquem, qui nonnulla velit addi de peccati ſervitute, quæ illa ſit, quàm gravis, quàm abjecta, plenáque dedecoris & ignominiæ? Tum deinde quæ Chriſti? quàm amica, quàm blanda, quanti decoris & gloriæ? De illa fuſiùs anteà differui; ideóque hic breviùs.

Divus Ambroſius, ore ut aliàs melleo, facúque facundiâ docet quis liber ſit, quis ſervus. Illum magiſtrum audiamus.

In Pſal. 99. *Servit omnis qui auctoritatem non habet puræ conſcientiæ: ſervit quicumque metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur, vel mœrore dejectatur. Servitus eſt enim omnis paſſio: quoniam qui facit peccatum, ſervus eſt peccati; & quod pejus eſt, multorum ſervus eſt: qui ſubjectus eſt vitiis, multis ſe dominis addixit, ut ſervitio ei exire vix liceat.*

Et hinc ducit primum ſervitutis malum, quòd nemo unus qui peccato ſervit, Deo Opt. Max. dicere poſſit quod olim David: *Tuus ſum ego, ſalvum me fac. Satis rarus eſt*, inquit, *qui poſſit dicere, Tuus ſum. Non poteſt dicere ſæcularis, Tuus ſum; plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit, Meus es; quia ea quæ ſunt corporis concupiſcis. Venit avaritia, & dicit, Meus es; quia argentum & aurum, quod habes, ſervitutis tuæ pretium eſt. Venit luxuria, & dicit, Meus es; quia unius diei convivium pretium tuæ vitæ eſt. Venit ambitio, & dicit, Planè meus es: neſcis, quòd ideò te imperare aliis feci, ut mihi ipſe ſervires? neſcis quòd ideò poteſtatem in te contuli, ut mea te ſubjicerem poteſtati? Veniunt omnia vitia, & ſingula dicunt, Meus es: quem tanta competunt, quàm vile mancipium eſt!* Neque tantùm à ſingulis vitiis audit peccator ſervile illud & acerbum, *Meus es*: ſed etiam, quod oderis atque horreas, & illud ipſum audit à malo

Pſal. 118.

D. Ambroſ. ſerm. 12 in Pſal. 118.

dæmone: Itaque Chriſti qui quondam fuit, eſt diaboli. Exemplo erit Judas Magiſtri proditor, de quo idem Ambroſius:

Venit & introivit in eum Sathanas, & cœpit dicere: Non eſt tuus IESV, ſed meus eſt: ea quæ mea ſunt cogitat, quæ mea ſunt in pectore ſuo volvit: tecum epulatur, & mecum paſcitur: à te panem accipit, à me pecuniam: tecum bibit, & mihi tuum ſanguinem vendit: tuus eſt Apoſtolus, & meus mercenarius. *Ibidem.*

Hæc ubi diſerto ore dixit Ambroſius, exclamat: *Miſera ſervitus, cui vagum jus eſt!* miſera ſervitus, quæ patitur tot dominos, tot tyrannos, quot in terris vitia pullulant, quot in inferis dæmones regnant.

Sed etiam aliunde augetur immane hujus ſervitutis jugum; quòd ut multi domini, ita multus labor, & nullæ feriæ, nulla requies. Iterum Ambroſium produco teſtem & arbitrum, ejuſque verbis aſſertioni meæ fidem facio. Veniam dabis, amice Lector, ſi ſæpiùs aliena venditem, non mea. Ego verba dare poſſum; ſed à Sanctis accipio oracula, quæ tibi majore fructu fœnoréque reddo, ut ex iis quid in unaquaque re ſit, metiaris.

Ita ergo loquitur & aſſerit S. Præſul de onere tædióque hujus ſervitutis: *Qui ſervit peccato, ſemper in laqueis, ſemper in vinculis eſt; numquam liber à compedibus, quia ſemper in criminibus. Quàm miſera ſervitus, ſervire peccatis! Natura ipſius neſcit munia, nec ſomni ipſius vices novit, aut cibi fungitur ſuavitate, cujus nullum eſt immane ſervitium. Dulcis enim ſomnus ſervi, & ſi modicum vel multum edat. At ſaturato divitiis non eſt qui eum ſinat dormire. Excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, ſterilitas proventuum infœcunda perturbat, ſollicitat abundantia.* *Lib. de Naboth, c. 6.*

Nimirum domina ac magiſtra libidine fit, ut unde requies peti debuerat, inde novus labor edacéſque curæ accerſantur. Unde dives ille de quo Servator noſter, cùm multa in agris albeſceret ſeges, multa ſub avara falce gemeret meſſis; anxius quid eâ fieret, à ſe ipſe quæſivit ſæpiùs: *Quid faciam? Nonnè hæc pauperis vox eſt?* inquit D. Ambroſius: Pauperis enimverò, ſed ab avaritia habendique libidine pauperis, & divitiarum ſuarum ſervi; à quibus nulla requies, ſopor omninò nullus conceditur. *Luc. c. 12.*

Ea ſcilicet eſt Divinæ Juſtitiæ ratio, ut qui Deo ſuo non ſervit, ſed alieno, ſed Mammonæ, ab eo requiem non inveniat; ut indubitatum ſit illud Jeremiæ oraculum: *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* *Cap. 16 v. 13.*

Ita in Ægypto ſervierunt Hebræi, qui noctu coquebant lateres, interdiu autem paleas colligebant: & ita in hoc mundo ſerviunt peccatores; qui conceſſam à Superis vitæ diem impendunt in colligendis paleis ac vanitatibus, quibus ipſi, ut lateres, coquantur in profunda ſtygiáque nocte, incendiiſque æviternis. *Exod. c. 5.*

Et quoniam ſervitutis Ægyptiacæ memini, non poſſum quin etiam ex ea petam alterum genus calamitatis: querebantur Hebræi, quòd imponerentur lateres, nec tamen darentur paleæ, hoc eſt, annona vilis, quâ exhauſtæ vires reparari poſſent, & vita ſuſtentari. Et de hoc etiam queri poteſt peccator, & re quidem ipſa queritur filius ille prodigus, qui *cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. Quàm crudele monſtrum*, inquit D. Chryſologus, *quia neque convivit porcis, qui vivit porcis. Miſer qui porcorum deficit & eſurit in ſaginam: miſer qui ſqualentis cibi copiam nec impetrat qualitatem.* *Luc. c. 15.*

Quòd ſi hic miſer; & illo miſerior eſt ſervus peccati, qui ut tot porcos paſcat, quot alit cupiditates, ab illis tamen paſci & ſatiari non poteſt. Eſt enim in omni regione peccati fames valida, ut alio loco oſtendiſſe me memini: ideóque ea relicta, tranſeo ad liber-

ad libertatem, quæ eſt filiorum Dei. Quis eā potiatur, oſtendit Divus Ambroſius: *Ille*, inquit, *qui voluntatis ſuæ arbiter eſt, judex conſilii, interpres arbitrii; qui coërcet corporeæ appetentiam paſſionis, qui ea quæ agit, bene agit: benè autem agens, rectè agit; & qui rectè agit, inculpatè & irreprehenſibiliter agit: habens ſuorum actuum poteſtatem, is profectò liber eſt. Nam qui omnia prudenter agit, & ita vivit ut vult; is ſolus eſt liber. Non enim conditio ſortuita ſervum facit, ſed inſipientia.* (In Pſal. 99)

Hanc porrò libertatem ſervitutem liberam appellat Auguſtinus. *Libera*, inquit, *ſervitus eſt apud Dominum: libera ſervitus, ubi non neceſſitas, ſed charitas ſervit.* Et ad illam ita hortatur: *Servum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit; ita ſimul eris & ſervus & liber: ſervus quia factus es, liber quia amaris à Deo, à quo factus es. Imò etiam inde liber, quia amas eum, à quo factus es.* (In Pſal. 99)

Quid porrò ab illa ſervitute ſtipendii ſit, verbulo explicat D. Ambroſius: *Hujus*, inquit, *ſervitutis ſtipendium libertas eſt.* De qua bellè cecinit Poëta: (In Pſal. 35)

Libertas nulla eſt melior, majórve poteſtas,
Quam ſervire Deo.

Et verò poteſtas eſt gloriáque ab illa ſervitute quā præſtiterunt quotquot orbis illuſtres habuit viditque.

Magnus in Iſraële Moyſes, non eò tantùm quòd ipſi parerent elementa, ejúſque nutus omnia ſidera, naturáque tota obſervare videretur: ſed eò maximè quòd vita functo ac ſepulto, vel ipſo Deo judice epitaphium erigi potuerit cum hoc lemmate: *Moyſes ſervus meus mortuus eſt.* (Joſue c. 1. v. 2.)

Magnus quoque in Iſraële David; magnus in pedo, major in ſceptro purpuráque: ſed in hoc uno vel maximus, quòd de cœlo ad Nathan Deus: *Vade, & loquere ad ſervum meum David.* Quo uno titulo deinde gloriatus cùm caneret, *O Domine, quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ* (2. Reg. 7. v. 5. Pſal. 115. v. 16.)

Magni vel ipſo teſte ignis elemento, magni, inquam, tres illi pueri, quos fornax Babylonica ſuis incendiis ſuperiores vidit, amavit, liberóſque dimiſit: ſed hoc uno præcipuè magni, quòd hæc ad eos victus hoſtis: *Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſervi Dei excelſi, egredimini, & venite.* (Dan. c. 3. v. 93.)

Quæ verba juſta lance dum expendit D. Chryſoſtomus ait: *Suaviſſimâ voce illos appellavit, hoc ipſo potiſſimum blandiendo veneratus eſt: ſi enim ideò ignem ingreſſi ſunt ut ſervi Dei manerent, non potuit illis vox ſuavior eſſe quam hæc ipſa. Nam non ita gaviſi fuiſſent, ſi vel Reges eos, vel orbis dominos vocaſſet, atque quòd dixit: Servi Dei Altiſſimi.* (Hom. 8. in epiſt. ad Epheſ.)

Magnus in Eccleſia Paulus, Evangelica tuba, vas electionis; qui etſi tricubitalis eſſet, cœlos tamen ſideráque ipſis tranſcendebat. Sed non ideò magnus eſſe aut dici voluit, non eos oſtentavit adepti Apoſtolatus titulos & honores: omnium inſtar fuit brevis illa epigraphe, quam epiſtolis ſuis præfixit: *Paulus ſervus* IESV-CHRISTI.

Elato erant ſupercilio Romani, nec magis imperii ſui fines, quàm animos extulerant, amabant alta, auguſta nomina; & porrò legenda objecit Paulus; de quo ita os aureum:

Paulus, inquit, *cùm ſcriberet Urbi adeò magnæ, Orbis videlicet dominium gerenti, & de magnis dignitatibus glorianti ac ſuperbienti; tamquam quod ad illius dignitatem reſponderet, imò quòd multò eſſet majus incomparabiliter, & conſulatum excederet, & Regnum, & Orbis Principatum, hoc poſuit, nempe. Paulus ſervus* IESV-CHRISTI.

A Paulo ſecundus Jacobus, qui & ipſe magnus, ideóque in capite epiſtolæ ſcripſit antiquum & novum illud lemma: *Jacobus Dei & Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſervus.* (Cap. 1. v. 1.)

Magnus denique & ipſe in terris Chriſti Vicarius, ſucceſſor Petri, Romanus Pontifex; cui ſeſe inclinat & abjicit quidquid hic Orbis altum habet ac ſuſpicit: atque ad pedum manuúmque oſcula demittit: non tamen ex eo magnus, ſed vel hinc tantùm quòd audiat, *Servus ſervorum Dei*.

Rideat hîc ut volet Calvinus, & ſuo more Pontifices noſtros ſugillet, fingátque appellationem illam à maledictione Chanaan eſſe mutuatam: rideat, inquam, & ut aliàs ſæpiùs, ſplendidè mentiatur, atque calumniam jaciat. Non jaceret certè ſi attenderet Pontifices noſtros, & ſumma Chriſtianæ Reipublicæ capita non dici ſervos ſervorum, ſed ſervos ſervorum Dei: adeò glorioſum eſt non tantùm Dei ſervum eſſe, verùm etiam & eſſe ſervum ſervorum Dei, ut hoc pro honoris dignitatiſque titulo ſuis litteris ac diplomatibus Romani Pontifices appendant. Sed Calvino venia danda fuit: non enim advertit quantum intereſſet inter ſervum ſervorum, & ſervum ſervorum Dei. Cauſam erroris mendaciíque maledicentiæ ſi voles, hæc in aperto eſt: erat Calvinus de genere Chami, de proſapia Chanaan, ſervus erat ſervorum non Dei, ſed dæmonis; ideóque in tituli hujus conſortium Pontificem vocare voluit: ſed ut velit, efficiet nihil: ſibi ſuiſque retinebit etiamſi nolit.

Flagellum ſeptimum.

Vita brevis & contracta.

Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, & non erit ſenex in domo tuâ. (1. Reg. c. 2. v. 31.)

Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. (Pſal. 54. v. 24.)

Ingredieris in abundantiâ, ſepulchrum. (Job. c. 5. v. 26.)

VEntilari ſolet in ſcholis ea quæſtio, cur primis hominibus natura longum deſcripſerit ævum; cur deinde poſteris contraxerit? Erant illis aurei Soles, argenteæ ſalubréſque Lunæ, & multa non annorum; at ſæculorum ſeries, nullis ferè morborum vitiata contagiis. His autem pauci decurrunt anni, truditúrque dies die; & dum novæ pergunt interire Lunæ, & ipſi immenſa morborum incumbentium cohorte preſſi citò pergunt interire, paucique omninò ſunt, quibus vel unicum ſæculum tota ætas evolvat. Quæ cauſa? Hic multis hæret aqua, hic ſudat Interpretum labor; quòd hujus vitæ brevitas in aperto ſit, ratio autem in occulto.

Credidêre nonnulli primævis hominibus in ſæcula productam eſſe viridem ſenectam, quòd eò loci ac temporis magna eſſet elementorum vis, frugum ſalubritas, puriorque herbarum ſuccus, quem deinde multum detrivit ſalſedo maris, quæ in immenſa illa aquarum cluvie toto terræ elemento eſt diffuſa. Ab illâ certè de bonitate ſoli detractum quamplurimum, quod exinde malignâ propè ſterilitate damnatum eſt.

Referunt alii longum illum dierum annorúmque curſum ad ſingularem illorum hominum in cibo parſimoniam. Nec ſine cauſâ: ſobrietas enim parens eſt annorum, & vitæ cuſtos optima; crapula autem & ebrietas, Noverca vitæ, & inimica Senectutis.

Ad divinam Providentiam provocant alii, ab eáque vel productam, vel contractam eſſe volunt ævi metam.

Neque diſplicet ea ratio, quæ eſt Lyrani, Brugenſis, & aliorum Scripturæ ſacræ Interpretum: quis enim neſciat omnia agi volvíque ex certâ ac ſtatutâ illius Providentiæ lege: & cùm ea non feratur cæco quodam impetu, non fatali aliqua neceſſitate trahatur, ſed deſtinato divinæ ſupremæque mentis conſilio agatur; noſtræ curæ eſt ac laboris, quantum (In Gen. 6. v. 3.)

 humana

humana aſſequi poteſt ſolertia, illius rationem venari atque inveſtigare.

Lyranus, cujus ante memini, putat Adamo cæteriſque meliore calculo notatos dies, annos & ſæcula; ut ab illis genus humanum propagari poſſet. Brugenſis ut filiorum, nepotum, ac pronepotum animis fidem altiùs imprimerent: à quo non multum diſcedit Euſebius, cujus ea ratio his expreſſa verbis:

Lib. 9. de Præp. Evang. c. 4. *Priſcos illos Dei amicos non injuriâ longioribus temporum ſpatiis vixiſſe & virtutis gratiâ, & ut res poſteris perutiles, Aſtrologiam Geometriamq; invenirent.*

Hactenus Euſebius, ex quo nonnulla traho ad meum inſtitutum, liberéque pronuntio primis illis hominibus tantum ætatis conceſſum eſſe, tum quòd amici Dei eſſent; tum virtutis gratiâ; ut eam quoque transfunderent in ſeros nepotes: & eò quidem efficaciùs, quò longiùs à canâ mente longævâque ſenectâ ea magnarum virtutum exempla prodiiſſent. Et hinc ad alterum elabor, illúdque conficio, detractos labentibus ſæculis mortalis vitæ dies & annos, quod jam virtuti, & in Superos Deúmque religioni detractum eſſet: Ac ne credas hoc è calamo meo fluxiſſe, appello Prophetæ Regii fidem calamúmque; Hæc ille quondam ceris impreſſit.

Pſal. 54. v. 24. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.*

In Hebræo eſt *Schatſats*, cujus nominis magna omninò vis & ad propoſitionis noſtræ fidem energia; ſignificat enim *Viri ſanguinum & doloſi* dies, gladio, ſagittâ, jaculo in partes agi, ac diſcindi, & ita quidem, ut media portio illius ætatis, quæ aliàs ei conſtituta fuiſſet, penitus intercidat ac pereat: Juſta quidem ſupremi Numinis vindicta, ut vitam lucémque quam Authori ſuo detrahit, ſibi quoque detractam eſſe ſentiat.

Ita poſteris ſæculis ſenſit Anaſtaſius Imperator, cui, teſte D. Antonino, ſeſe viſendum exhibuit teterrimâ ſpecie horribilique formâ, monſtrum hominis, cujus manu ſuſtentabatur apertus liber, in quo hæc Dei digito ſcripta nefaſto Imperatori ſententia.

En ob tantam improbitatem quatuordecim tibi vitæ annos deleo.

Erat Anaſtaſio decreta longior annorum Regnique ſeries, ſed eam delevit & obliteravit crudelis, barbarus, immanis animus, qui & in cœli faſtos ac tabulas evaſit ut ex iis quatuordecim annos eraderet: adeò verum illud Senecæ pronuntiatum:

Lib. 6. de brev. vitæ c. 7. *Non accepimus brevem vitam, ſed facimus; non inopes temporis, ſed prodigi ſumus.* Primùm quidem, dum illud effundimus in libidinem, avaritiam, luxum, aliáque ſcelera, in quæ ſibi creditos annos malè ſparſit dives Epulo, qui hæc quondam animæ ſuæ: *Bibe, epulare; habes enim bona repoſita in annos plurimos*: quos ſcilicet ſuo calculo recenſebat ipſe, ſed perperam: non enim erant ii in rationibus divinis; ideóque ſtatim à cœlo judice audiit: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: & quæ paraſti cujus erunt?* Et hinc alterum ab illo malum, in quod incurrit vitæ prodigus, quòd eam contrahat cogatque intra anguſtos limites, ultra producturus, ni peccaſſet.

Exemplo eſſe poſſet & ille Juvenis, cujus etiam

Suprà. meminit D. Antoninus. Vixit hic in Catalonia, & adoleſcentiam ſuam multis latrociniis infamem fecit, & tandem anno ætatis ſuæ vigeſimo damnatus ad furcam: ex eâ pependit infelix ligni pondus: Utque proderet quantum à rapinis ceeptum eſſet ætatis, derepentè imberbi excrevit atque erupit promiſſa barba, & ſparſæ toto vertice nives, quæ non juvenem, ſed ſenem, eúmque facilè nonagenarium referre videbantur; tot ſcilicet, Epiſcopo illius Urbis interprete, cenſuiſſet annos, ſi parentibus probè monentibus obaudiens fuiſſet, & à rapinis manus improbas cohibuiſſet.

Verùm ut iſta, aliáque his affinia omittamus: at non poſſumus non intueri fulmen illud Divinæ Ultionis, quod in caput Heli Sacerdotis ejuſque liberos ac familiam totam viſum eſt incidiſſe. Evibrat illud & fatidicâ voce oſtentat Propheta.

Ecce, inquit, *dies venient, & præcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, ut non ſit ſenex in domo tuâ.* 1. Reg. c. 2. v. 31.

Ecce; oſtentatio eſt impendentis pœnæ: quam ne longiùs abeſſe credat, *dies*, inquit, *veniunt*: non autem venient; hoc enim futuræ, illud præſentis eſt calamitatis quam hiſce verbis explicat: *Et præcidam brachium tuum*, vel ut exponunt Septuaginta, *Diſpergam, ſeu exterminabo ſemen tuum*, & ſemen Patris tui. Appoſitè ad Hebræam vocem quæ & *Brachium & ſemen* ſignificat: *Zerah* enim per *Segol*, & *Pathah*, idem eſt quod *Semen* à Radice *Zarah*, quod eſt ſerere: at verò *Zeroah* per *Sceva*, *cholem & patah* brachium oſtendit, Hebræáque phraſi filium ſignificat, qui ex vero Parentis eſt brachium, hoc eſt, Robur ac fortitudo. Ita quondam Jacob ad Ruben. *Tu principium doloris mei*; Hebraicè, *Tu principium fortitudinis meæ*; Græcè autem, *Tu principium filiorum meorum.*

Dicuntur ſcilicet filii Parentum ſuorum Robur; tum quia gignendi vim indicant; tum quia infirmam & à ſenio propè labaſcentem progenitorum ſuorum ætatem ſuſtentant; tum denique quia Patris jam emortui memoriam quaſi firma quædam monumenta in poſteros tranſmittunt atque oſtentant. Hi vindice gladio Divinæ Juſtitiæ ita præciduntur, ut in domo non viſatur ſenex, & quandoque ex numeroſâ familiâ nemo unus omnium cenſeatur cui longius ævum & veneranda ſenectutis canities concedantur; ſed & immaturo fato præcidantur omnes, colláque ſubmittant neci, ut falci lilia naſcentéſque ſolent roſæ. Ita cum Heli actum Scriptura memorat, cujus filii Ophni & Phinees grandævi parentis brachium ac robur in primo ætatis flore conciſi, & à Philiſtæis interfecti. Cauſam ſi quæras, ea manibus tenetur: Præpropera libido, prohibita Venus, & illiciti etiam ad oſtium tabernaculi concubitus; in Patre autem, nimia in filios indulgentia; hæc illorum annos ſuccidit.

Ita nimirum juſto Dei judicio fieri conſuevit, ut qui ſibi, virtuti, cœlóque non vivit, nec mundo, voluptatibus ac vinis diu vivat. Contra verò qui omnem vitæ ſuæ curſum non dierum circulis, annorúmque ſpatiis, ſed virtute metitur, excedit ille ut Abraham, ut juſti omnes in ſenectute bonâ, & plenus dierum, quibus ex Dei placito, virtutiſque lege, exactis, *Ingreditur in abundantia ſepulchrum*: hoc eſt, ut Hebræi vertunt, in ſenectute à qua donatur ævo beatiore, in quo nec ſeniles rugæ, nec curva ſenectus; ſed perennis adoleſcentiæ floſculus, vigor, elegantia: quâ etiam te frui velim, benevole Lector, eóſque omnes, quorum moribus efformandis inſudavit meus iſte labor, & notatæ ſtylo rudiore breves hæ pagellæ. Gen. 2. 6.

Flagellum octavum.

Mors.

Pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. c. 3. v. 20.

A Peccato primi Parentis, hoc cœlo fulmen exiit: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quî, inquies, pulvis, qui adhuc carne & ſanguine benè compactus, qui vivus & ſpirans? Qui ille divinæ vocis oraculo pulvis eſſe & dici potuit? Reſpondet D. Gregorius: *Etſi viventem carnem necdum in terram mors ſolverat, hoc tamen apud ſe erant, quod ſe futuros abſque dubitatione prævidebant.* Lib. 24. Mor. c. 27.

Nimirum adeò certum & inviolabile jus mortis; adeò inexorabiles fati leges, ut iis jam inde Primus homo ſuccubuiſſe videatur, etſi re tamen ipsâ necdum ſuccubuerit.

Quæ

Ad Rom. 5. v. 12. Quæ illum moriendi neceſſitas implicuit, eadem poſteros omnes involvit: *In omnes* enim *homines mors pertranſiit*, inquit Paulus, *Pertranſiit*, inquam, non verò pertranſit, aut pertranſibit: hoc enim futuræ, illud eſt præſentis calamitatis: ſed jam tum *pertranſiit*; & priùs damnatos mors occupavit quàm natos vita ipſa luſtrarit.

Ab illa moriendi neceſſitate, quam cum vita primóque ſpiritu ducimus, manavit illud, ut mors ipſa teſtamentum dicatur.

Eccl. c. 14. v. 12. *Memor eſto*, inquit Syracides, *quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum quia demonſtratum eſt tibi: teſtamentum enim hujus mundi, Morte morietur.*

Vocatur Mors *teſtamentum*: ut enim hoc, ſublato teſtatore qui illud condidit, revocari non poteſt: ita neque mors, ſublato primo Parente, tolli umquam poteſt; cùm ea mundo poſteriſque, veluti in teſtamentum ſcripta & data ſit.

Vocatur deinde mors *teſtamentum inferorum*; quia ſub id temporis, nemo unus omnium in cœlos evolabat, ſed ad inferos vel puniendi, vel certè detinendi, mittebantur omnes.

Vocatur denique *teſtamentum mundi*; quia hic mundus tantus quantus eſt, à primævo Parente in teſtamentum patriámque hæreditatem nihil accepit, niſi duas illas, eáſque fatales voculas: *Morte morietur.*

I modò, quiſquis es mundi civis & accola; i, terras tuas metire; i, gazas auro comple; i, vanam gloriam aucupare; i, voluptatum illecebras capta: has nacta es, non tam naturæ Parentiſque beneficio, quàm Dei miſerentis conniventia: à Parente certè, à natura lapſa, hoc tibi teſtamento relictum eſt: *Morte morieris.*

Ab illo te manet ingens & inevitabilis mortis ſententia; de qua etiam profanus Vates:

Horat.

Æqua lege neceſſitas
Sortitur inſignes & imos:
Omne capax movet urna nomen.

Si quæris è qua manu, è quo calamo fluxerit illud teſtamentum, & quâ lege impoſita ſit ea moriendi neceſſitas? Audies, à peccato. *Regnavit*, inquit Ambroſius, *peccatum in hoc mundo, & in peccato mors ſæva, atque intolerabilis quædam pœna peccati.* Ea priùs Adamum Evámque attigit, qui ſibi *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*; velut nudos artus pudorémque tegerent, vel ut induti foliis, vernantem ætatem teſtarentur: ſed mox ultor Deus venit ad auram poſt meridiem, quâ parte Sol in occaſum vergit, ut doceret ab æſtu Soléque juſtitiæ flaceſcere, perire floſculos illos, viroremque brevioris ævi; & pro virenti togâ, *fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos.* Velut extrinſecus belluinâ veſte uterentur qui intrinſecus belluinâ mente erant deformati; vel ut doceret mollem delicatulámque vitam fugere, & rudi cilicio carnem macerare; vel (quod opinor eſt verius) ut exuviis illis mortuorum animalium, imminentis occaſus mortiſque monerentur, itáque ſemper in oculis eſſet peccati pœna, cùm ſemper in corpore hæreret aliquod illius quaſi veſtigium.

In Pſal. 43.
Gen. 3. v. 7.
Ibid. v. 21.

Et hoc primum à peccato telum eſt, inevitabilis quædam moriendi neceſſitas: hoc *jugum grave ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Terram appellat omnium matrem, è cujus ſinu primùm egredimur; tum deinde urgente fato in eamdem regredimur. Quod ipſum teſtatum voluit veterum religio, quæ prolem recèns editam in terram abjecit, ut communi omnium mortalium matri oſculum figeret. Ita ſibi quondam factum meminit Salomon: *Ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram.*

Eccl. c. 40. v. 1.
Sap. 7. v. 3.

Quod Salomoni, hoc & aliis factitatum: ut docerentur à prima vitæ luce, ad ultimas ſepulchri tenebras eundum eſſe, & ab ortu ad occaſum, à nativitate ad mortem properandum. Ut enim Tertullianus: *Mutuum debitum eſt inter ſe nativitati cum mortalitate: forma moriendi, cauſa naſcendi eſt*: naſcendi, inquam, in peccato: quod ſi abfuiſſet, vitam hanc excepiſſet ſuavis & amœnus ſopor, non acerba graviſque mors oppreſſiſſet.

Lib. de carn. Chriſti c. 6.

Quamquam & hinc quoque gravior acerbiórque mors accidere ſolet: quòd ut certa ſit, ita incerta moriendi ratio tempúſque: nemo enim unus omnium eſt, qui ſibi diem horámque ſpondeat; nemo ab infantia pueritiam, ab hac adoleſcentiam, ab illa virilem ætatem, multóque minùs annoſam ſenectutem audeat polliceri: lactamur inani vivendi ſpe, & torquemur certo moriendi metu, qui faciat vel ad augendum dolorem, vel etiam (quæ Numinis indulgentia eſt) ad ſalutem in tuto reponendam: Incertam quippe moriendi diem voluêre ſuperi, *ut pendulâ expectatione ſollicitudo fides probetur, ſemper diem obſervans, dum ſemper ignorat; quotidie timens quod quotidie ſperat*, inquit Tertullianus.

Lib. de Anima, c. 33.

Ab illa ſpe metúque mors ipſa ſors dicitur: *In manibus tuis ſortes meæ*, canebat David. Velut in Hebræo legitur, *In manibus tuis termini vitæ meæ.* Appellantur ii ſors; quia in illis ludit divina manus: & eos nobis incertos eſſe vult, ut apud nos eſt jactus aleæ.

Pſal. 30. v. 16.

Ab eadem extremæ diei incertitudine evenire ſolet, ut in ſacris Litteris ipſa mors modò cum fure, modò cùm pirata comparetur: non tantùm eò quòd terrâ marique dominetur, & prædas agat; verùm eò maximè quòd furtivo pede, & inſperatâ aurâ vel adrepat, vel advolet, incautóſque obruat. *Veniam ad te tamquam fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te*, ſcribebat olim Joannes Angelo Sardicenſis Eccleſiæ. Et Propheta Job de vita ſua queſtus olim: *Dies mei*, inquiebat, *pertranſierunt quaſi naves poma portantes*; ſeu ut in Hebræo eſt, *quaſi naves piratæ.* Feruntur illæ adverſo repentinóque turbine, & nihil tale metuentes occupant: ita & mors cùm minimè reris adveniet, vitæ filum præſcindet, & longæ imparatum immittet tradétque æternitati. Dura ſanè & metuenda ſors, ſed quæ peccato debebatur: ab eo quippe jacta vitæ alea, imò etiam æternitatis.

Apoc. c. 3. v. 3.
Cap. 9. v. 26.

Omitto alia infandæ mortis vitia, aſperóſque caſus, quos inter eſt repentinus interitus, qui pleroſque è medio tollit. Exempla è multis pauca ſuggerit Tertullianus; & quidem inde petita, unde minimè peti potuiſſe ſuſpiceris: quis enim inde vitæ ſpiritum intercludi credat, unde potiùs aperiri laxarique debuit? Et re tamen ipſa intercluditur.

Eſt, inquit, *qui præ gaudio ſpiritum exhalet, ut Chilon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur. Eſt qui præ gloriâ, ut Clidemus Athenienſis, dum ab hiſtrionibus ob præſtantiam aura coronatur. Eſt qui per ſomnum, ut Plato: eſt qui per riſum, ut P. Craſſus.* Ubi hæc exempla commemoravit; tum ejus fati vim duráſque mortis leges ita perſequitur: *Multò violentior mors, quæ per aliena graſſatur, quæ animam per commoda expellit, quæ tunc mori affert, cùm jucundiùs vivere eſt, in exultatione, in honore, in requie, in voluptate.*

Lib. de Anima c. 52.

Quod ipſum illuſtrat eleganti ſimilitudine deſumpta à naufragiis, quorum acerbiora cenſentur ea quæ pacato mari, ac ridente cœlo contingunt.

Vis eſt, inquit, *& illa navigiis cùm longè à Caphareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſa cum tota ſecuritate deſidunt. Non ſecùs naufragia ſunt vitæ, etiam tranquillæ mortis eventus. Nihilò refert integram abire corporis navem, an diſſipatam, dum anima navigatio evertatur.*

Hactenus Tertullianus ſublimi, ut aliàs, elatóque cothurno, de caſibus repentinis, quibus hæc vita mortalis abripitur: modos autem viáſque omni

tempore

tempore pervias aperit D. Auguſtinus, dum primò ſibi ſoli loquitur, ac deinde aliis ſcribit. Ubi multa extulit de humanæ vitæ miſeriis, tum deinde ſubdit: *Subſequitur his opportuna mors, quæ mille modis quotidie miſeros homines inopinatè rapit. Hunc necat febribus; illum opprimit doloribus: hunc conſumit fames, illum ſitis extinguit: hunc ſuffocat aquis, illum interimit laqueo: illum perimit flammis, alium dentibus beſtiarum ferocium vorat: hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit. Alterum repentino tantùm terrore miſeram vitam finire compellit. Et nunc ſuper hæc omnia, magna miſeria; quia cùm nihil ſit certius morte, ignorat tamen homo finem ſuum; & cùm ſtare putat, collidìtur, & perit ſpes ejus.*

Hæc D. Auguſtinus, de viis, quibus ad nos inimica mors evolet. De ea quod quereris non habes. Aberat à tuo genere, velut exul & extorris; eam ipſe à peccato in tuas ædes, tua penetralia devocaſti: erat illi interclusus omnis aditus, impeditæ viæ; tu ipſe & aditum aperuiſti, & vias expediſti, per quas in tuam perniciem illaberetur. Quale quale eſt ab ea malum, tibi imputa: & quod in tuum caput paraſti flagellum, etiam invitus ac gemens patere.

Flagellum nonum.

Fœtor animæ ex peccato proveniens.

Iſa c.3. v.24. *Erit pro ſuavi odore fœtor.*

2. Cor. c. 2. v. 15. *Chriſti bonus odor ſumus.*

EST odor, qui corpori adhæret, qui veſtimentis aſpergitur: & hic plerumque vana & mollis narium illecebra, quam ex eo damnarunt viri ſapientes, quòd crederent iſta oblectamenta, eſſe inanium voluptatum, & arma laqueosque mali dæmonis, qui ſenſuum lenocinio titillat animos, ut ſuavitudinum mollitie capti, omni virtutis odore careant.

Extat ea de re cenſorium illud decretum Divi Ambroſii: *Luxurioſi hominis, vel potiùs non hominis, eſt olere unguentum.*

In cap. 9. Extat & Divi Hieronymi gravis animadverſio cenſuráque lata in Clericos, qui ſe odoribus perfunderent; ſic enim eos ſuis coloribus depingit, & velut in tabella ſpectandam proponit eorum inſulſam mollitiem. *Omnis*, inquit, *his cura de veſtibus ſi*
Epiſt. 22. *benè oleant, ſi pes laxa pelle non folleat, crines calamiſtri, veſtigio rotantur, digiti de annulis radiant, & ne plantas humidior via ſpargat vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato quàm Clericos.* Hactenus D. Hieronymus gravis admodum, ſed opportunus morum Cenſor, ac ſeveræ ſanctitatis magiſter, qui odorum lenocinia procul eſſe vult à ſanctiore Clero, homineque qui Chriſtianus, id eſt, à Chriſto unctus eſſe & audire velit.

Cum D. Hieronymo conſpirant Sancti Patres, qui eam fragrantiæ voluptatem è moribus ejiciendam cenſuerunt; tum quia res frivola eſt odor, & par levibus fumis, quos aura ſpargit ac diſſipat; tum quia afflata illa odorum ſuavitas, mirabiliter animum emollit atque effeminat, inducitque petulantis cujuſdam laſciviæ ſocordiam; tum denique quia id genus molliculæ voluptatis incuſant notántque Sacræ paginæ, & Vatum oracula: quos inter Amos Propheta: à cœlo Deóque intentat timendum illud *Væ*, & luctuoſum exitium minatur illis,
Cap. 6. v. 6. qui *optimo unguento*, vel ut in Hebræo eſt, *excellentia unguentorum delibuti eſſent.*

Verùm de ejuſmodi odoribus & peritura corpuſculi blandimentis, mihi in præſentia non eſt quæſtio: evado enim ad immortalem animum, & in ejus arcano repoſitos ſentio odores alios, quorum immenſa & inexplicabilis eſt dulcedo: Manant illi fluuntque à virtute & gratia, quæ menti altiùs inſederit; eſt enim huic, & illi mira ſuaveolentia.

Ea quondam fuit in Jacobo Patriarcha, in quo Parens, obſtupefactus, & jucundâ quadam lætitiâ delibutus exclamavit: *Ecce odor filii mei, ſicut odor* *Gen. c. 27.*
agri pleni, cui benedixit Dominus. Ac ne putes eam Patriarchæ fragrantiam aſpiraſſe tantùm à veſtibus, quas indulgens Mater unguentia probè imbuerat, ſed vel maximè ob animo, Deo Superiſque longè gratiſſimo. Audi quid de eo D. Ambroſius: *Non,* *L. 6 Hexam. c. ult.*
inquit, *vitem, aut ficum Patriarcha olebat, aut frugem; ſed virtutum ſpirabat gratiam.*

Similem fragrantiam in Sponſa agnoſcit, commendat, amátque Sponſus, dum æſtu quodam amoris ſtuporiſque percitus exclamat: *Quæ eſt iſta quæ aſ-* *Cant. c. 3. v. 6.*
cendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?

Exponit tres aromatum ſpecies, atque ea iis, velut ſymbolis, magnarum virtutum exempla documentaque proponit. In myrrha, quæ ut amara, ita ſalubria quam maximè, ſtudium habes domandi corporis, & id decus animi, quod vulgò *mortificationem* appellamus: ab ea manat ſuavis & lætus odor, qui etiam in cœlos ipſos evadit, Sponſúmque recreat.

In Thure orationem agnoſcis, quæ ardenti quodam caritatis igne ſuccenſa, ſacram evaporat emittitque nebulam, inſtar virgulæ fumi; vel ut habet alia verſio, *Sicut virgula palmæ*, quæ recto tramite ſuperos petit, nec ullo ventorum, id eſt vanitatis & inanis gloriolæ afflatu ſeſe deflecti infringique patitur.

In pulvere pigmentario, ſeu thymiamate, quod è variis aromatum generibus componitur, ſpargi videbis, largâ & beneficâ manu, liberales eleëmoſynas: in quibus quia micat & emicat omnium propè virtutum permixtus odor, idcò cum pulvere pigmentario comparantur. Ecce ſuaviſſimam virtutum fragrantiam, qua cœlum tenetur, qua deliniuntur Superi, & capitur ipſum Numen Infinitum. Hanc quoque efflarunt Apoſtoli, de quibus ille Princeps ita prædicat: *Chriſti bonus odor ſumus.* Et *2. Cor. c. 2. v. 16.*
hic eſt à virtute mentéque ſibi benè conſcia.

At longè alius à vitio malè olentis animæ putor ejicitur: eſt ille, quem nec bona mens ferat, nec Superi patiantur; nihil enim adcò tetrum ſpirat odorem, atque malæ conſcientiæ pus, & mortiferi criminis ſanies. Audiſti aliquando, benevole Lector, cùm Angelus formâ corporeâ circumcinctus cum Eremita iter faceret, derepentè ad occurſum adoleſcentis compti & mulieroſi nares obturaſſe, ſtupentique Eremitæ reſpondiſſe, ſe fœtorem ex animâ iſtius Adoleſcentis peccato contaminatâ ferre non poſſe. Et hic beatum illum genium malè affecit; Divam Catharinam Senenſem alius. Erat illi hæc à Deo vis indita, ut animæ peccato conſpurcatæ graveolentiam pati non poſſet, adeò ingrata & intolerabilis oppellebat. Accedebant ad illam virginem quàm plurimi ſanctitatis fama pellecti, ut ab ea vel conſilium exquirerent, vel preces votáque ad Superos depoſcerent. Hos inter ſi fortè occurrerent aliquo peccato ſaucii, remittebat illicò, ut luem illam, quam perſentiſcere non poſſet, confeſſionis lavacro eluerent. Acceſſit aliquando inter cæteros viri prænobilis concubina, quæ neque famâ malè laborabat, neque externa ſpecie quicquam à modeſtia & ingenuo pudore præferebat Non potuit ſanctiſſima Virgo ferre putentis animæ graveolentiam, averſóque vultu verbulo allocuto, ſeſe ex ejus conſpectu eripuit. Miratus id Pater Raymundus, qui ei erat à confeſſionibus, & cauſam tam ſubiti diſceſſus ſciſcitatus; ex ſancta Virgine audiit, tantum ea illius animæ cloacâ fœtorem erupiſſe, ut nullum ſterquilinium eo gravius exhalare poſſet: proinde veniam eſſe dandam ſi ejus impatiens, ſeſe à colloquio ſubduxiſſet. Ac ne quis iſta à me dici putet ex quadam oratoriæ artis licentia, & beneficio

alicujus

alicujus tropi figuræve Rhetoricæ ad puerorum & infirmorum terriculamenta; paucis excipiat quid ſuper ea re ſenſerint Sancti Patres, & ad experientiam rerum magiſtram pondus authoritatis adjiciat.

In cap. 2. n. 31. Cyrillus certè, commentariis in Joëlem, Satanam appellat δυσώδη, fœtentem; videlicet ob inſitam improbitatem.

Ab eadem flagitiorum contagione animæque graveolentia, Hæreticos notat ille ipſe S. Pater: ſcribens enim in Amos Prophetam, ait, odorem Hæreticorum eſſe in Beelzebub. Qui Satanæ, qui hæreticis adhæſit fœtor; is quoque Judæis, qui id ſcelus in Meſſiam Dei filium admiſerunt, quo majus & deteſtabilius nequit excogitari. Ex quo ſcelere, tam putido ſunt odore polluti, ut eorum omnem congreſſum cæteræ nationes refugiant. Hinc Ammianus Marcellinus fœtidos Judæos appellat, aitque idcircò eos Marco Imperatori gravi fuiſſe faſtidio & horrori: Utque intelligas inſitum illum fœtorem à noxa impietatis, & infidelitatis crimine generatum; ſalutari baptiſmatis undâ elui, & expurgari canit Fortunatus:

Lib. 5. *Abluitur Iudam odor baptiſmate Divo.*

Ex quibus omnibus id apertè conficis, etiam in
Cap. 3. v. 24. peccatores omnes aptari poſſe illud Iſaiæ: *Erit pro ſuavi odore fœtor:* vel ut è primigenia lingua vertit Vatablus: *Erit pro muſco tabes.* Prædicit affore aliquando tempus illud, cùm iſta caro in mœſtus cineres ſaniémque diſſolvetur; ob quam oblectandam illæ aromatum delicatæ voluptates quæruntur: Et verò in teipſo jam quodammodo advenit illud tempus, ô peccator. Cùm à virtutum operibus, gratiáque plenus eſſes, fragrabas quàm optimè, & ſuaviſſimos emittebas odores: at ubi peccaſti, illo ipſo momento execrabilem in modum fœtere cœpiſti, adeò ut nec te pati Superi, nec Deus poſſit, nec te ipſe ſuſtineres, ſi emunctis eſſes naribus: ſed in hoc uno ſtupidus es, ut in aliis improbè naſutus ſis! Verùm illuceſcet aliquando dies illa, in qua ſtuporem illum tuum damnabis acriter, & lugebis acriùs. Modò, dum id cum aliquo tuo commodo licet, damna certè & luge: tibique perſuade corpus hoc mortale eſſe veluti vas animæ. Vaſa certè ſi benè olent vel malè, id acceperunt ab unguentis & fumoſis odoribus; qui in illis reconditi aliquando fuerunt: fac igitur ut in animæ tuæ vaſculum non immittatur niſi myrrha pœnitentiæ ſalutaris, niſi thus devotæ & arduæ orationis, niſi thymiama eximiæ cujuſdam in pauperes & egenos beneficentiæ, aliarúmque virtutum, à quibus eſſe poſſis Chriſti bonus odor; primum in hoc ævo mortali, tum etiam in beatâ æternitate.

PARS TERTIA.

Animi flagella.

CUm inter extrema vitæ mortiſque confinia luctaretur Suggerius, pro ea qua erat religioſa caritate, ad illum ſcripſit Bernardus, ut corporis hujus ſarcinam non invitus modò, ſed & lubens
Bernard. epiſt. 126. volenſque deponeret. *Homo Dei*, inquit, *ne trepides exuere hominem illum, qui de terra eſt; illum, qui te deprimit uſque ad terram, & conatur deprimere uſque ad inferos. Iſte eſt, qui vexat, qui onerat, qui oppugnat.* Nimirum hæc maſſa corporis nos ſemper deorſum agit, & volantes in ſublime cogitationes, & impetum animorum ad divina, in fæcem & lutum retorquet: ideóque optandum eſſet quàm maximè, ut illam maturè abjiceremus; vel certè ita in ea viveremus, quaſi ea vacui: ut olim vixiſſe Paulum teſtatur Chryſoſtomus; ſcilicet
Chryſoſt. hom. 2. exuta carne, abjecto corpore, & *nuda propemodum anima.* Sed ea Pauli vis fuit, ea magnæ mentis ſublimitas: gravior aliis incumbit moles & importuna immaniſque corporis ſarcina, quæ animum naturâ ſuâ levem & expeditum, ita cupediis & illecebris voluptatum impedit, ita carnis imperio ac ſervituti ſubjicit, ut niſi fides ratióque aliud ſuaderet, crederes eum aut corpus eſſe, aut certè corpori haud abſimilem.

Ex illâ porrò metamorphoſi, quam abhorret natura, cœli non ſuſtinent, Deus ipſe hujus & illius auctor pati non poteſt, fit ut ſeſe in vindices pœnas, in acerba flagella explicet, eóſque dolorum aculeos ſceleratæ menti imprimat, à quibus excrucietur tota, penitúſque contabeſcat: ut videre erit in iis quæ de animi flagellis ſubſcribemus.

Flagellum primum.

Conſcientiæ remorſus.

Peccatores perſequitur malum. Proverb. 13. v. 21.

DE conſcientia dixit è Scriptoribus profanis unus aliquis: *Ante peccatum eſt frænum, poſt peccatum eſt flagrum.* Ut enim ſcitè Plutarchus: *Improbitas ex ſeipſa ſibi ſupplicium ſumit, & prima maximaq; pœna peccantium, eſt peccaſſe: nec ullum ſcelus impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.* Seneca epiſt. 97. ad Lucilium. Et illud quidem longè graviſſimum: quod ut oſtendam, primùm conſcientiam in ſe ipſa videndam exhibebo; tum deinde illam petitâ è variis ſimilitudine, & mutuatis veluti coloribus depingam: ut ex iis intelligat benevolus Lector quantum interſit, ut ſibi benè malève conſcius ſit animus.

Quid ſit Conſcientia.

COnſcientia, inquit Papias, *eſt ſui ipſius cordis cognitio.* Eam Græci συνείδησιν nominant, à σὺν & εἰδέναι, quod idem eſt ac, ſimul ſcire. Hebræi autem appellant *Leb*, hoc eſt, *cor*, *& odoth baleb*, id eſt, rationes cordis: cor quippe princeps eſt in homine ſedes, & nobiliſſimarum operationum officina; in qua, concurrunt rationes, diſceptationes, teſtimonia, quæ hominem vel nocentem accuſant, vel innocentem excuſant. Unde cordis ſibi conſcii teſtimonium, vel pro ſeipſo, vel contra ſeipſum prolatum, conſcientia dicitur.

Eam nobis indidêre Superi, ut eſſet pro cenſore & pædagogo: moneret illa, plecteretque ſi quid à nobis in omni vita perperàm actum eſſet.

Ut enim verè Epictetus, Parentes nos pueros pædagogo, Deus autem jam viros, conſcientiæ cuſtodiendos tradit. Itaque ex illius ſenſu, conſcientia cuſtos eſt & pædagogus adultæ ætatis: nec pædagogus modò; ſed & accuſator opportunus importunus, qui diem indicit, in jus vocat, & admiſſi criminis reum arguit.

Ponamus, inquit D. Chryſoſtomus, *nulli notum eſſe flagitium, præterquam ipſi uni; quomodo feret conſcientiam redarguentem, acerbam, & amarulentam accuſatricem ſecum ferens? Quemadmodum enim ſeipſum nemo poteſt effugere; ita nec illam ejus curia ſententiam. Hoc enim Tribunal non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eo quòd divinum eſt, & à Deo noſtris impoſitum mentibus.* Neque tantùm accuſatoris partes agit ſcelerata conſcientia, ſed etiam ſeveri judicis perſonam induit ac ſuſtinet, atque ex intelligentiæ & rationis arce, velut judiciariâ ſede foróque, ſententiam profert & dicit. Ita mihi auctor eſt idem Chryſoſtomus, qui divitis Epulonis conſcientiam ſubiiſſe videtur, omneſque ejus motus æſtúſque explicatâ mente prævidiſſe; ita enim de iis diſſerit:

Conc. 1. de Lazaro.

Explica mihi illius conſcientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, metum, tempeſtatem, turbationem. Videbis velut in curiâ mentem ante thronum conſcientiæ conſcendiſſe Regalem, & tamquam judicem ſedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo ſuſpendentem, laceraq́ue conſcientia radentem ungulis.

D. Chryſoſtomo conſentit Ambroſius, cui conſcientia non accuſatrix modò & judex; ſed ultrix quoque & vindex eſſe perhibetur: *Sibi*, inquit, *unuſquiſque animum ſuum ſeverum judicem, ſui ultorem ſceleris, & vindicem criminis habet.* Quod ipſum probat exemplo Caini, cui mala conſcientia carnifex fuit: *Timens enim & tremens oberrabat Cain, parricidalis facinoris luens pœnas, ut ei remedio ſua mors fugit.*

Lib. 7 Epiſt. epiſt. 44.

Ex illo autem conſcientiæ foro ac tribunali, hanc ſententiam, hanc conclusionem velut oraculum pronuntiat: *Nemo igitur vel ſolus, vel cum altero aliquid turpe faxit: & ſi ſolus eſt, ſeipſum præ cæteris erubeſcat.* Hæc Divus Ambroſius. A quo ad Chryſoſtomum redeo: ei conſcientia non accuſatrix tantùm & judex; ſed & venaticus canis dicitur. Vidiſti aliquando in prædam avidum canem, ut ſagaci odoratu & celeri curſu eam rimatur, explorat, ſequitur, & in aperta effuſáque planitie timidum fugacémque leporem inſequitur; & ſi fortè aſſequatur, ut captivum dentibus ſtringit, vellicat, mordet, ſtrangulat. Ita prorſus omninò perverſa conſcientia canis eſt, iſque venaticus, ſagax, concitatus, crudelis in prædam. Conſcia peccati mens lepuſculus eſt, timidus, fugax: verùm ut cætera fugias; at conſcientiæ ſuæ dentem morſúmque numquam effugies, ſed illo ſtringetur arctiùs, lacerabitur crudeliùs. Indubitatum enim illud Sapientis: *Peccatores perſequitur malum*, id eſt, conſcientia mali teſtis & judex: perſequitur, inquam, non præcipiti cæcóque quodam impetu, ſed certo deſtinatóque ictu, & quaſi oculato, à quo in Scripturis appellatur virga vigilans, & oculata: virga, ut feriat; oculata, ut non aberret. Ad quem modum D. Bernardo etiam dicitur oculus: *Nullus*, inquit, *moleſtior oculus ſuo cujuſque: non eſt aſpectus, quem tenebroſa conſcientia ſuffugere magis velit, minùs poſſit.* Quod ipſum aliâ ſimilitudine D. Baſilius exponit; ait enim, peccata eſſe veluti corporum umbras. *Quemadmodum*, inquit, *umbra corpora, ſic peccata ſequuntur animas, & manifeſtas factorum repræſentant imagines.* Spectaſti ut ipſa corpora occiduo jam Sole umbras poſt ſe jaciant & relinquant; ita tamen relinquunt ut ſequantur illæ, & quantumvis fugias, effugias numquam: diceres umbram à corpore trahi, eique inſolubili quodam vinculo nexúque conjungi: & verò etiam trahitur jungiturque, & ita quidem, ut adumbratam ipſius corporis repræſentet imaginem: ſic conſcientia umbra eſt: hæc corpus, illa peccatorem ſequitur; pari pede premit, nec ab ea ſemoveri poteſt.

Lib. 5 ad Eugenium.

Sed hoc levius cuiquam fortaſſis videri poterit, gravius illud ſi dicatur conſcientiæ vermis eſſe quo rodatur, ſpina qua pungatur, ſtimulus quo excitetur, equuleus quo torquentur peccator.

Cap. 7. v. 19.

Vermem eſſe dixit Eccleſiaſticus: *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.*

4. Diſt. 20. q. 12.

Vermis, inquit D. Thomas, *eſt conſcientiæ remorſus, qui dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, & animam affligit.*

Lib. 7. in Luc. c. 14.

Vermis eſt, ait Ambroſius, *eo quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei ſenſumq́ue compungunt, & quadam exedunt viſcera conſcientiæ; quæ tamquam vermes ex unoquoque naſcuntur, tamquam ex corpore peccatoris.*

Poëtæ in ſua commenta faciles ac fœcundi finxerunt olim Vulturem, qui Titii jecur tenaci perennique dente roderet, nec tamen umquam penitus arroderet. De quo extat illud Virgilii:

Lib. 6. Æneid.

Nec non & Tityon terra omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroq́ue immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundaq́ue pœnis
Viſcera, rimaturq́ue epulis, habitatq́ue ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Hæc eſt fabellæ ſeries, quam ad mores inſtitutumque noſtrum traducit Macrobius.

Lib. 1. de ſomno Scipionis, c. 10.

Vulturem, inquit, immortale jecur rodentem, nihil aliud intelligi voluerunt, quam tormenta malæ conſcientiæ, obnoxia flagitio viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſâ admiſſi ſceleris admonitione laniantis; ſemperq́ue curas, ſi requieſcere fortè tentarint, excitantis, tamquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec ullâ ſibi miſeratione parcentis, lege hac, quâ ſe judice nemo nocens abſolvitur, nec de ſe ſuam poteſt vitare ſententiam.

Severa omninò conſcientiæ lex, à qua abſolvitur nemo, damnantur omnes.

Crudeles morſus, qui vel ipſa depaſcuntur viſcera; tenaces morſus, qui ferali dente ita rodunt, ut penitus erodant numquam: nimirum in ſua ſupplicia, perennéſque pœnas ſemper renaſci videtur conſcientia, eique inſiſtens vermis; de quo Servator optimus: *Vermis eorum non moritur.*

Marc. c. 9.

Hunc porrò vermem ita exhorruit S. Olympius Abbas, ut ſpecum ſibi circa Jordanem delegerit, in qua & Solis æſtu caleſceret, imò ureretur, & importunis culicum aculeis configeretur. Rogatus autem qui ferre poſſet ſedem adeò incommodam? Subjunxit, æquiſſimo lubentique animo eam tolerare; tum ut ſeſe eriperet inferni ardoribus, tum ut ſe ſervaret indemnem à verme conſcientiæ, qui & vivos & mortuos depaſcitur: adeò hic illi in odiis fuit.

Prat. ſpirit. cap. 141.

Ab illo verme, qui animam maligno dente terit, tranſeo ad ſpinam, quæ crudeli aculeo ſanguinem elicit, fœdéque conſcientiam lacerat.

Dicitur olim Declamator apud Senecam graviter queſtus, quòd ſpinæ veluti ſequaces ejus veſtigia perpetuò legerent, quódque ſemitis in omnibus earum quaſi manipulos tereret: cui illicò reſponſum fuit; ſpinas illas non maligno & invidenti ſolo enaſci, non obviis ſpargi ſemitis; ſed ipſis, ipſis, inquam, pedibus adnaſci, adhærere: proinde ſuos ipſe pedes inſpiceret, damnaret, excuteret, unà etiam ſpinas illas tenacéſque aculeos excuſſurum.

Quod illi quondam, hoc tibi in præſentia, peccator, uſu-venit: pedibus tuis, id eſt, pravis affectionibus (quibus te à recto planóque virtutis tramite transferri pateris) innaſcitur, inhæret, infigitur altè ſpina laceræ conſcientiæ, quam tecum velis nolis circumfers, & à quo pungeris. Utinam aliquando compungaris, ut dicere poſſis cum Propheta: *Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* Hujus certè aculeo ſi non moveris; at ſtimulum ſenties, quo contunderis: eſt enim, ſi neſcis, conſcientia ſtimulus, quo inſtar miſerabilis jumenti urgetur, excitatur & vapulat peccator. De eo ita D. Chryſoſtomus:

Pſal. 31. v. 4.

Conſcientia quovis ſtimulo acriùs pungere conſuevit peccatorem. Nam ſcortator, adulter, aut fur, non modò cùm accuſatur ipſe, verùm etiam cùm audit alios eadem auſos accuſari, ipſe ſibi videtur flagris cædi: alius quidem vocatur in jus, hic verò flagellatur. Quia quod reo carnifex, hoc peccatori eſt conſcientia: eo tamen diſcrimine, quòd ille mortale corpus feriat ac laceret, hæc autem immortalem animam ſub flagellis, ſub ictibus habeat: & quidem noctu diúque ſine requie, ſine intermiſſione, quod pœnæ genus longè acerbiſſimum: quid enim acerbius effingi poteſt, quàm

Conc. 4. de Lazaro.

Nocte dieq́ue ſuum geſtare in pectore teſtem
Occultum, quatiente animo tortore flagellum.

Quamquam

Quamquam neque ſolùm pro flagello eſt conſcientia; ſed etiam pro equuleo, cui ſubjiciatur; & rota qua torqueatur reus admiſſi ſceleris animus: quem ita compellavit olim Divus Auguſtinus: *Nihil tibi* Serm. 94. de tempore. *dixit de te conſcientia tua? Si nolis negare, utique dixit. Nolo audire quid dixerit, tu indica quod audiſti. Dixit tibi de te quid feceris, quid acceperis, quid peccaveris. Vellem ſcire qualem ſententiam protuliſti. Si benè audiſti, ſi rectè audiſti, ſi in audiendo te juſtus fuiſti, ſi tuæ mentis tribunal aſcendiſti, ſi teipſum ante ipſam in equuleo cordis ſuſpendiſti, ſi graves tortores adhibuiſti timoris. Benè audiſti, ſi ſic audiſti, & procul dubio puniendo peccatum puniſti.*

Hæc S. Auguſtinus, cui conſonat illud Ugonis Carenſis de anima, quæ ab illo conſcientiæ foro ad pœnitentiæ tribunal appellat: ream ſe ſiſtit, ac deinde, quæ Dei miſeratio eſt, abſolutam videt, libe- In Pſal 49. rámque geſtit *Anima*, inquit, *ſeipſam judicans, ſe ſuſpendit in patibulo pœnitentiæ, ne ſuſpendatur in patibulo gehennæ.*

Hæc ſumma laceræ conſcientiæ flagella videri poſſent, niſi ad majora nos vocaret graviſſimorum Scriptorum fides & auctoritas. Cicero, profanos inter, conſcientiam reponit inter aſſiduas domeſticaſque furias; ita enim pro Roſcio Amerino diſſerit: *Nolite putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumerò videtis eos qui aliquid impiè, ſceleratè commiſerunt, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus: ſua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaq́ue afficit, ſuæ malæ cogitationes conſcientiaq́ue animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæq́ue furiæ.*

Quòd ſi fraus, ſi dolus, ſi commiſſum ſcelus impiæ ſceleratæque menti ardentes furiarum faces tædáſque ingerit & admovet; nemini mirum accidet, ſi ad ſummam perturbatæ conſcientiæ ignominiam malúmve adjecero unum illud, eam infernum Serm. 4 de Aſſumpt. Virginis videri, & te etiam ipſa homini eſſe, etiam dum in vivis ſpirat. Auctores hujuſce appellationis habeo Sanctos Patres.

Infernus quidam, & carcer animæ, rea conſcientia, In Pſal 45. inquit Bernardus. Et Ambroſius aſſerit *ipſam quævidetur etiam dum vivunt impiorum requiem in inferno eſſe. Viventes enim ad inferna deſcendunt.* Ex quo deſcenſu fatalique appellatione hoc conficit melleus Doctor: Ibid. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major tribulatio, quam conſcientia delictorum.*

Et hæc ſufficere poſſe videbantur, ut luce clariùs appareat; quod quantúmve peccati flagellum ſit, quæ in tranſverſum agitur conſcientia: quia tamen flagellum non uno filo, ſed multis inter ſe implexis texitur; advertamus pauca, quæ hoc peccatoris flagellum vel variant, vel augent: ea porrò erunt timor, dolor, pudor ſceleratæ conſcientiæ.

Flagellum ſecundum.

Timor.

Sapient. c. 17 v. 10. *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia.*

QUatuor ferè ſunt paſſiones vulgò comparari ſolitæ quatuor ventis principalibus; quòd ut hi mare tempeſtatibus, ſic illæ animum turbulentis motibus perturbent: eæ ſunt gaudium, triſtitia, ſpes, & timor; cujus affectiones his verſibus expreſſit Poëta nobilis:

Spes levat arrectos, metus alto à vertice fluctus
Dejicit: hinc animum pulſat furibunda voluptas:
Inde dolor: fluctus ſeu fractis fluctibus altum
Clamorem ingeminant piceis abſcondita nimbis:
Nec radios fundit ratio, nec vela gubernat.

Omiſſis iis quæ ad alias paſſiones pertinere videntur; pauca tantùm ingeram de timore, qui læſam à peccato conſcientiam invadit & turbat.

Eſt ille timor, animi paſſio, ſpectans ad appetitum iraſcibilem, reſpicienſque malum arduum, non quidem præſens, ſed futurum, ſed imminens, à quo dubii motus, fœda tempeſtas, inſani turbines excitari ſolent: & eò quidem vehementiores, quò malum quod impendet & timetur, magis arduum apparebit. Quod autem eſſe aut videri arduum magis poſſit, quàm illud, quod cœlo vindice peccatoris cervicibus impendet: eſt illud ejuſmodi, cui nihil in omni vita conſerendum; ideóque qui ab illo motus naſcitur, is dubio procul longè quàm maximus. Res exemplis quàm verbis erit illuſtrior.

Neſciebat juſtus homo quid eſſet timere; injuſtus didicit magiſtrâ conſcientiâ, quæ Deo quærenti, Adam, Adam *ubi es?* reſpondit: *Vocem tuam* Gen c. 3. *audivi in paradiſo: & timui eo quod nudus eſſem, &* v. 10. *abſcondi me.*

Suavis erat, amica, paterna Dei tui vox: paradiſus erat ſedes amoris ac deliciarum: nec in eo accuſator auditus, nec ſeverus objurgator aut judex: tantùm inſonuerant binæ illæ molléſque voculæ, Adam, Adam *ubi es?* & ab illis quaſi fulmine percuſſus abis, fugis, times, & abſcondis te. Rogatus cauſam fugæ & timoris, hanc prætexis, *quia nudus eram.* Falleris equidem, falleris; non quia nudus eras ideò timuiſti & abſcondiſti te; ſed quia peccator eras, & eum te læſa conſcientia redarguebat.

Quare, dic oro, quare timuit? inquit Chryſoſto- Hom. 17. mus. *Quoniam videbat ſibi trucem ſtare accuſatorem (conſcientiam dico.) Neque enim alium objurgatorem habebat, & teſtem peccatorum; ſed unicum illum, quem intrinſecus circumferebat.* Ab illo timere doctus, & omnes poſteri edocti.

Qui ſecundus ab Adamo lapſus fuit, is Cain fuit: & hic à ſuo ſcelere profugus, exceſſit in plagam Orientalem *Eden*; hoc eſt (interprete Divo Hieronymo) terram inſtabilem, fluctuantem: nec enim alia impio pede calcari, terive poterat: tremulus erat pes, tremula magis conſcientia: ab illa & ſolum ipſum tremere, & quodammodo nutare videbatur; non nutabat tamen, ſed id vitii ſibi fingebat reus innoxii ſanguinis animus; quem ut in tuto reponeret, ædificavit civitatem, cujus vallo ſe ipſe cingeret, cujus muro tueretur.

Sed quis, inquies, urgebat hoſtis? Unus in Orbe Adamus erat, iſque parens: ab eo metus omninò nullus. At erat ipſa tellus conſcia tantæ cædis: ab illa ſibi malè metuit, multóque magis à perturbata conſcientia; cujus arma vimque impotentem dum horret fugítque, civitatem ædificat, cujus portis obductóque vallo panicos ſuos terrores excludat. Sed errat impius, & nimium quantum errat: hoſtem, qui extrinſecus eſt, excludere, & à ſuis mœnibus arcere poteſt; at qui intrinſecus eſt, qui in animæ penetralibus habitat, expelli omninò non poteſt: ab illo minæ truces, vis parata, cruentæ cædes intentantur; itáque domeſtico metu, inteſtino tumultu bellóque turbantur omnia. Et quamvis ſit foris alta pax; domi tamen acre eſt bellum: à quo nec in urbe, nec in ſolitudine datur requies. *Cum ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium* Sap c. 17. *condemnationis: ſemperq́ue præſumit ſæva, perturbata* v. 10. *conſcientia.*

Ea quondam Caini fuit, de quo D. Ambroſius: *Cùm adhuc à Domino pœna ceſſaret, torquebat eum ſuorum conſcientia peccatorum. Latebat miſer tremens &* In Pſal 85. *timens; & cum adhuc percuſſor deeſſet, ipſa ſeſe injuſti vita cruciabat. Acceperat ſignum, ne eum aliquis occideret: non ut vita ſuavitate frueretur; ſed ne mors auferret*

ærumnam, ut percuſſorem ſuum quotidie timendo pateretur. Metuerat quidem ut percuſſor inhiberetur: ſed ſine ulla intermiſſione ipſe ſibi ſuus carnifex erat, ipſe percuſſor.

Sed diſcedamus à Caino primáque Orbis ætate, & ad poſtera ſæcula deſcendamus: ad Saülis, inquam, Davidiſque tempora: & hic & ille à ſuo ſcelere timidus. De ſpelunca egreſſus Saül tribus hominum millibus ſtipatus ibat; & tamen eâ ſeptus militum coronâ Davidem fugitivum propè ſupplex ita rogat:

1. Reg. c. 24. v. 22. *Jura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.*

Quæ ratio Saülem eò impulit, ut ſupplicabundus Davidi accideret? Non alia ſanè quàm admiſſi ſceleris conſcientia. Quæſt. 56. *Tanta nimirum eſt*, inquit Theodoretus, *vitii imbecillitas, qui erat Dux & Imperator tam multorum millium rogabat fugitivum, ut ipſum impertiret benignitate ac clementiâ.*

2. Reg. c. 11. Qui Saülem tum oppreſſit metus, is deinde Davidem abjecit, ut qui externo hoſti eſſet terrori, Uriam domeſticum timeret: de quo eleganter Divus Chryſoſtomus: *Videte*, inquit, *& admiramini, fratres*, In Pſal. 50. *quantum mali ſit delicto obnoxium fieri. Rex militem timet, & formidat ſubditum. Imperator coronam capite geſtabat, & confuſionis opprobria metuebat. Nónne tu Imperator? Nónne gladii poteſtatem habes? Habeo, inquit, ſed conſcientiam peccati mei timeo, formido mortem.* Hæc ubi dixit ore aureo, exclamat: *O ignominioſa accuſatrix conſcientia!*

Eam ut in omni vita ſenſerat David, ita & maximè in morte perhorreſcebat: ita enim ſe ipſe ſæpiùs Pſal. 48. v. 6. interrogare ſolitus: *Cur timebo in die mala?* ſeu, ut habet Chaldæus, *in die tempeſtatis*, id eſt, mortis: in qua irato ſævientique cœlo graviſſima ſurget tempeſtas. Cur, inquiebat, illo tempore timebo? *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* quaſi diceret, ait Chryſoſtomus, *Unum tantùm timebo, ne fortè vita mea iniquitas me circumdet.* Ut enim in adverſa tempeſtate nihil commovet terrétque magis quàm imago mortis, præſenſque vitæ diſcrimen; ita nec in morte quidquam percellit magis quàm rea peccati conſcientia.

Sed ne properè nimiùm ad extremos mortis terrores deſcendamus, ſiſtamus in iis, quos vita patitur; & etiam à profanis aliquid repetamus.

Hæc eſt ſecunda peccati pœna (dicebat olim Seneca) *timere ſemper & expaveſcere, & ſecuritati diffidere. Poteſt nocenti contingere, ut lateat; latendi fiducia non poteſt. Latendi ſi facultatem habet, fiduciam non habet: tuta poſſunt eſſe ſcelera, ſecura non poſſunt.*

Rationem hanc reddit malorum patiens Jobus: Cap. 15. v. 21. *Sonitus terroris ſemper in auribus illius: & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Quamquam quid dico, *ſonitum terroris aut aurium*. levius aliquid dicere debui: & verò jam antè Judæis indixit Deus: Levit. 26. v. 36. *Dabo pavorem in cordibus eorum, terrebit eos ſonitus folii volantis, & ita fugient quaſi gladium: cadent nullo perſequente.*

Quem non capiat levis auræ commotio, & foliorum mollis illa colliſio? Ea tamen malè ſibi conſcium terret ac fatigat: adeò quod aliis levius appelleret, peccatori gravius accidit; Imò quod illis ad ſolatium gaudiúmque faceret, huic ad terrorem plurimum confert.

Solet iter habenti ad levandum viæ tædium, opportunum videri ſi levior aſpiret zephyrus, ſi ſibilus auræ tenuis, ſi denſa inter nemora ſuavis avium concentus, ſi lenè fluens rivulus, & ad colliſos lapillos molli fractione immurmurans aqua, ſi in aperta planitie innoxiè laſcivientia animalia, ſi inter abrupta ſaxa ingentiúmque rupium minas, & vallium concava, reſonans Echo audiri cœperit.

Hæc, inquam, omnia viatori ueſtro quo lætitiæ ſenſu aperiunt animum: at Peccatori conſtringunt, & immani metu concutiunt. Audi Sapientem de ejus timore tremuláque mente jam inde vacillantem:

Sive, inquit, *ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos avium ſonus ſuavis, aut vis aquæ decurrentis nimiùm, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus invisus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.* Cap. 17. v. 18. 19. Adeò ſceleratos omnes occupant eæ Dei minæ quæ Judæos olim involverant. *Dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore.* Deuter. 28. v. 65. 66. 67. *Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices: Quis mihi det veſperum? & veſpere: Quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem, quâ terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.* Ad domeſticos enim laceræ conſcientiæ terrores accedunt umbræ terrificæ, immania ſpectra, & velut ex erebi officina emiſſæ rerum maximè terribilium imagines; quæ ubi vel in corporis, vel in animæ oculos incurrerint, incredibiles in ea motus excitabunt, ut ex Flagello ſequenti apparebit.

Flagellum tertium.

Horrifica ſpectra, & tetræ ſcelerum patratorum imagines.

Peccatum meum contra me eſt ſemper. Pſal. 50. v. 5.

DE trepidatione, curiſque depravatæ mentis cecinit olim Poëta non ignobilis: Statius. l. 5. Thebaidos.

Invigilant animo, ſceleriſq; patrati
Supplicium exercent curæ; tunc plurima verſat
Peſſimus in dubiis augur timor.

Quidni enim peſſimus ſit augur, cui nihil obſervatur, niſi unde malè liceat augurari?

Auguria plerumque petebantur ex objectis imaginibus, ſive ex vigili, ſive etiam ſopitæ menti occurrerent: & quidem ſi triſtes & ferales eſſent, triſtia inde & feralia auguria petebantur.

Quod ſi ita eſt, neceſſum eſt fateamur timidum peccatoris animum manere funeſtum & lethale augurium, cùm ei nonniſi funeſtæ lethaléſque imagines, & horribilia ſpectra objiciantur.

De imaginibus ita diſcurrit Ambroſius: In Pſal. 35. *Offunditur nobis ultrix noſtri imago peccati, nec quietum reum ſuum eſſe permittit, inferens miſeram ſervitutem; atque in ſua vincula trahit, ut enodare ſe non queat, quoniam volens ipſe ſe vendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere, & libertatem innocentiæ reſervare. Itaque cùm oramus peccatum offunditur; ubi ſomnus ſenſum corporis laxaverit, peccatum recurrit. Semper nobis error noſter tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator conveniens debitorem.*

Hæc ſuavi & nervoſa facundia dixit Ambroſius; ex quo legas, quàm varia, quàm atrox & horrenda ſit imago peccati.

Primùm enim ultrix eſt, & in ultricem aſſurgit iram; nec peccatorem quietum eſſe ſinit, ſed ut reum ſiſtit ac damnat. Tum deinde objicit ſpeciem miſerandæ ſervitutis, dura vincula nectit, compedes manicáſque parat, ut delictorum ære gravem æterno carceri mancipet. Tum etiam importuni malique exactoris vultum & ora aſſumit. Tum denique improbi fœneratoris partes agit, convenit debitorem, non eò tantùm ut debitum pendat, ſed ut multo pœnarum fœnore auctum reddere cogatur.

Ecce quot ab uno ſcelere naſcuntur imagines, quot hydræ capita pullulant, quàm multiplicia, quàm immania oberrant animo, & noctu diúque nocentem fatigant atque obruunt. Neque umquam liberum aut ſuum eſſe patiuntur. Verum enim quod de ſe ipſe, aliiſque peccato obnoxiis cecinit David:

Peccatum

Pſal. 50. v. 5. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Vel ut alii legunt, *coram me eſt ſemper.* Etſi enim à commiſſo ſcelere dies, menſes, anni, imò & ſæcula, ſi voles, intercesſerint; eo tamen ſæculorum lapſu oblitterari non poterit aut deleri impreſſa aliquando illius imago. Hæret altâ mente repoſta, & ſemper vel coram nobis, vel contra nos inſurgit.

In prato ſpirituali, c. 146. Teſtis erit ſicarius ille, de quo Sophronius. Nefanda cæde animum polluerat, cruentáſque manus innoxio ſanguine contaminarat: latebat effuſus cruor, & exanime cadaver alta ſilentique tellure tegebatur: at non ita latebat & tegebatur, quin nocentibus oculis auribúsque ſæpiùs occurreret. A patrato per ſummam immanitatem homicidio, ei puer ſeſe viſendum exhibuit, qui hæc continenter in aures ingereret, *Cur me occidiſti?* Ecce ipſum ſcelus, & manifeſta ſceleris imago: quam deterere non potuit etiam novo vitæ melioris inſtituto, quod aggreſſus eſt. Cùm enim Monachus jam viveret, alienus à cæde & ſanguine; ei tamen à fronte ſemper aſtabat puer, qui ubique locorum ſequeretur, & intentaret mœſtum illud carmen, triſtémque næniam, *Occidiſti, occidiſti.* Pertæſus illius vocis, laceræque conſcientiæ, cujus aculeos diutiùs ferre non poterat; veniam petiit ut è monaſterio excedere liceret: acceptáque à Magiſtris facultate. Urbem ingreſſus, captus, & capite plexus eſt: nimirum illi levius fuit capite minui, vitámque ferro perdere, quàm eam exigere omni morte acerbiorem inter perennes urgentis conſcientiæ lanienas.

Ejus generis exemplum habes in hiſtoricis noſtri temporis. Juvenis quidam Germanus, cùm cujuſdam heri filiam, quam mirè deperibat, propter inopiam obtinere non poſſet; facinus aggreſſus eſt crudele & nefarium, ad quod ſcilicet eum agebat ſævus ardor animi & impotens libido. Primùm enim hoſpitem ſuum, benè nummatum mercatorem obtruncavit, ſpoliavit. Tum deinde diſſimulato egregiè tectóque facinore, quaſi recenter à ſuis acceptâ ingenti pecuniæ vi, jam locupletior & auctior factus, iterum iterúmque filiæ matrimonium efflagitavit, & extorſit.

Jam votis potitus, & ſe ipſe, & mores ſuos, & familiam honeſtè componens, adeò bonam probi hominis famam tota urbe collegit, ut demum etiam in Senatorium corpus adlegeretur. Quis hunc de fortunis, de vita, de capite ſecurum non crederet? Quis non felicem ac fortunatum prædicaret qui è paupere humilíque tecto in eum honoris gradum conſcendiſſet? Sed enimverò de bonis capitéque tutus eſſe non poteſt, cui conſcientia non eſt in tuto: fortunatus & felix haberi non poteſt, cui deeſt pars magna felicitatis bona conſcientia.

Quiſquis is eſt, eſt veluti ſtatua, quæ extrinſecus benè compta ornatáque, intrinſecus autem, aut clavis compacta, aut carioſo ligno malè efformata.

Ita vir ille jam Conſularis, externis phaleris fortunæ arridentis ornatus, felicia quidem præſtabat imaginem; ſed imaginem tantùm: intus enim dirisſimis lancinatus cruciatibus, quotidiano verſabatur in equuleo: mentem miſerrimam ſempiternæ occiſi mercatoris agitabant furiæ, & accuſatrix conſcientia aſſiduum illud inclamabat, *Occidiſti, occidiſti.* Quæ voces ita lacerabant hominis animum, ut mori mallet quàm ita excarnificatus vivere: & certè uti ipſe maluit, ita deinde factum ex ejus voto. Quodam enim die cùm vocaretur in Senatum, ut de prædonis alicujus capite ſententiam ferret, illuceſcente die, Sacro audito, uxorem rogat, ut cibum aliquem ad ſtomachum paret; non enim omninò ſibi eſſe benè. Fecit illa; & ex mariti, ut credebatur, genio, vituli caput apparavit, & appoſuit. Mirum viſu, dictúque! exhorruit, expalluit infelix homo ad hujus ferculi conſpectum; & ad uxorem: Aufer, inquit, aufer, & hocce humanum caput amove. Agebant enim hominem intemperiæ: &, ut olim Theodoricum in piſcis capite in menſa conſpecto, ſubita occiſi & detruncati Symmachi viri gravis & innocentis recordatio perculit; ita miſerum hunc mercatoris per ſcelus necati memoria, ex ipſius vituli capitis aſpectu ſuſcitata fodicabat. Inde ſtatim egreſſus ad Senatum, cùm ſententiam in ordine rogaretur, reſpondit, prædonem illum, de cujus ſceleribus exercebantur judicia, capitis quidem reum eſſe; ſe verò eodem, imò majori ſupplicio puniendum. Ut dictis fidem faceret, incepit multis patratum olim abs ſe facinus exponere, ſimulque impensè rogare, ut non acriùs in ſe, quàm capitis mulctatione deſævirent.

Hic omnes invaſit ingens ſtupor, & tam atrocis homicidii ſeu novitate ſeu immanitate attonitos habuit: & cùm fidem ejus dictis haberet nemo, itum eſt in ejus domum; cúmque terra eruta, & mercatoris inventa oſſa fidem feciſſent, ſimul cum altero lubens volenſque ad ſupplicium ductus, & capite minutus eſt; in eo ſupplicio, ſupplicii, quo interiùs excruciabatur, finem inventurus.

De eo, aliiſque ejus farinæ hominibus verè dixerat Propheta Job: *Peccavi, quid faciam tibi, ò cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis? cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Etiam per mortem, extremáque ſupplicia, quæ certè tolerabiliora ſunt, quàm rex conſcientiæ carnificina: hæc enim etiam ab inferis, ab ipſis Manibus inviſum tormenti genus eruit, ut ex uno probat Lucanus: Cap. 7.

Omnes in Cæſare manes. Lib. 2.
Hunc omnes gladii, quos aut Pharſalia vidit,
Aut ultrix viſura dies, ſtimulante Senatu
Illa nocte premunt: hunc infera monſtra flagellant.
Heu quantum miſero pœnæ mens conſcia donat!

Flagellum quartum.
Dolor.

Ecce parturiit injuſtitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Pſal. 7. v. 15.

A Timore, qui peccatoris animum occupat, venio ad dolorem: ille futuri mali præſagus eſt & prænuntius: hic ſub præſenti, ut gemat efficit. Eſt enim dolor ſenſus aliquis præſentis mali; & is quidem longè maximus: ideóque divino ſpiritu mentéque componitur cum dolore, qui in vita habetur acutiſſimus: dolore, inquam, parturientis. *Ecce,* inquit Vates, *parturiit injuſtitiam: concepit dolorem.* *Quemadmodum* enim *mulieres parturientes à doloribus diſcerpuntur: ita etiam qui fecit dolum diſcerpitur, & non levi aliquo, ſed vehementiſſimo dolore afficitur,* inquit Chryſoſtomus; qui deinde disertè oſtendit quantum interſit inter dolores parturientis & peccatoris. Chryſoſt. in Pſal. 7.

Primùm enim ante partum mulieri uterum geſtanti nullus occurrit dolor; ſed in ipſo tantùm partu ei ſentiuntur anguſtiæ: in quo longè melior ſors parturientis, quàm peccatoris. Hic enim priùs concipit dolorem, quàm injuſtitiam parturiat. *Quia hic dolor,* inquit Chryſoſtomus, *eſt à principio: ſimul ac enim quiſquam de malo conſultavit, tumultus ac turba eſt in cogitatione.* Hujus ſuæ propoſitionis teſtem appellat Achab, qui priuſquam alienam vineam raperet, de ea tantùm cogitans, immani dolore cruciabatur: de eo quippe ita loquitur Scriptura: *Venit in domum ſuam indignans, & frendens. Et projiciens ſe in lectulum ſuum, avertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* 3 Reg. c. 21. v. 4.

Diceres agitari parturientis doloribus: & verò etiam agitabatur. Nam & indignari, & dentibus frendere,

frendere, & abjicere ſeſe in lectulum, quaſi à dolore ſatiſcens, ut ſolent parturientes. Lubet de eo audire Chryſoſtomum.

In eum locum. *Conſidera*, inquit, *cùm ille vineam aucupatus fuiſſet, quantum dolorem ſenſerit. Quoniam conſcientia non ferebat ſententiam: ingreſſus triſtis, humi procumbens, confuſus, vel ipſo affectu præ ſe ferens conſcientiæ condemnationem.*

Alterum in quo dolor peccatoris diſſentit à dolore parturientis, eſt, quòd hic brevis ſit, & ſuperinfuſo gaudio ita miteſcit & eluitur totus, ut ne illius quidem memoria ſupereſſe videatur.

Mulier enim *cùm pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Secus omninò à peccati partu evenire ſolet. Vix enim illud in reluctantes auras evaſit, vix in lucem diemque invitum prodiit, cùm ingens enaſcitur dolor, acres ſtimuli, perennes anguſtiæ. Crederes doloris eſſe partum, non peccati. Quòd ſi in hoc concipiendo aliquis fuiſſe videatur voluptatis æſtus, mox eâ extinctâ, *amarus pœnitentiæ fletus ſuccedit; contra quam evenire ſolet parturientibus.*

Chryſoſt. Conc. 4. de Lazaro.

Rationem hanc reddit D. Ambroſius: *Quia dum in quadam ſumus delinquendi libidine, nebulis quibuſdam conſcientia mens obducitur, ne videat eorum quæ concupiſcit deformitatem: ſed cùm omnis nebula tranſierit, gravia tormenta exercentur in quodam malè conſcii ſecretario.*

Lib. 2. de Abraham c. 4.

Demus unum alterúmve hujus lanienæ dolorisque teſtimonium, quod etſi ſeriùs expreſſit conſcientia, ad poſterorum tamen utilitatem emiſit.

Fuerat olim Flaccus Præſes magnæ Alexandriæ, Principis Urbium, Ægypto Præfectus, provinciæ felicisſimæ; quâ in præfecturâ dum ſe iniquiùs quàm par eſſet, gerit, in Andrum Inſulam eſt relegatus: eam, dum appelleret, ita dicitur allocutus: *Quomodo vocabo hanc Inſulam? exiliúmne, an novam patriam; an portum, an refugium miſerum? Sepulchri nomen maximè convenit: ſiquidem infelix ego me ipſe quodammodo in monumentum infero.* Hæc ille ad ſuam Inſulam; in qua ut in proſcenio & theatro luſit, dolores æſtúſque ſuos omnes aperuit: illos excipiamus, non meis verbis, ſed antiquâ Philonis Judæi eloquentiâ; ita enim habet: *Adeò trepidabat infelix Flaccus, ut non aliter quàm inſanus proſiliret, ac ultrò citróque diſcurreret, manus complodens, femora percutiens, humi ſe affligens, & clamitans: Interemi quoſdam, interimunt me alii; me connivente quidam lapidibus ſunt obruti, quidam vivi combuſti, quidam raptati per forum medium, donec fruſtatim lacerarentur. Horum facinorum pœna me manent, ſat ſcio, & diræ jam ſtant tamquam in carceribus, ut obice rupto properent in meam perniciem: imò jam in horas premorier, multas mortes ſuſtinens ante illam ultimam. Atque ita ſæpè territabatur horrore quatiente membra omnia, anima quoque contremiſcente, anheloque pectore; quandoquidem ſpes eum deſtituebat, unica vitæ mortali addita conſolatio. Nullum unquam ſollicito felix oblatum eſt auſpicium, rumores adverſi afferebantur: moleſtæ vigiliæ, ſomni ſuccedebant turbidi.* Hæc Philo de impetu doloris, quem injuſto Præſidi intulit mala conſcientia; cujus impatiens ipſe Flaccus exclamat amenti & deſperabundo ſimilis: *Quouſque tandem ſcelus durabo in tot caſibus? ſcio me meliorem, quàm ut mortem mihi conſciſcam. Nimirum hoc quoque vetat meus genius, ne citò abrumpam vitam miſeram ut malum dilatum cumulet, ineatque apud injuſtè per me necatos majorem gratiam. Talia res alvens animo trepidus exſpectabat finem fatalem*, inquit Hiſtoricus. Quem enim alium exſpectet, cui gravis incubat mœror, inſolens triſtitia ipſa fatali neceſſitate morteque acerbior?

Lib. in Flaccum.

Sed iſtud eſt avitæ memoriæ; addamus aliud quod noſtra tulit & vidit ætas. Annis abhinc non multis, vir locuples & potens facinus quoddam admiſerat, quod prodere & confeſſarii auribus committere morte pejus & damnatione ducebat. Agitabat tamen mens hominem, verſabatque conſcientia, & ad hominis Chriſtiani implendas partes, virtuſque eromendum, extimulabat.

Inaudierat fortè Antuerpiæ neminem teneri ea peccata confiteri, quæ memoria exciderant. Hanc ergo doctrinam tegendo ſceleri opportunam ratus, nihil non molitus eſt, ut peccatum illud è memoria excideret, & voluntariâ oblivione ſepeliretur. Ivit ergo per varia voluptatum genera, miſerandæ venator oblivionis; ſeſeque multis fœdiſque ſcelerum ſordibus implicuit, peccata peccatis accumulans, vel ut antiquum illud obrueret, vel ut novis conſcientiæ tumultibus vetus ille tumultus & mordicans animi cura quaſi clavus clavo pelleretur. Sed incaſſùm cecidêre omnia: quò impenſiùs ſopire & extinguere conatur, eò excitatur & aſſurgit vehementiùs, malúmque in conſcientiâ acriùs ſævit. Quid igitur? Abit in exteras regiones, quaſi ſeipſum unà cum conſcientiæ morſu relicturus eſſet in Belgio; ſed *cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt: poſt equitem ſedet atra cura.* Secum ipſe miſer trahit comitem conſcientiam, & ſeipſum etiam extra patriæ fines invenit; nec ut velit deponere poteſt. Igitur aliò vertenda conſilia. Animum fluctuantem ad ſtudia appellit; eáſque potiſſimum ſcientias aggreditur, quæ totum hominem petunt, ſibique ferè uni devincire ſolent: cujus generis ſunt Mathematica, Aſtrologica, & his affines diſciplinæ: ſed & hic conatus incaſſum cecidit.

Crombecius de ſtudio perfectionis lib. 2. c. 2.

Audit tandem peccata contritione deleri, & ad opera bona, tamquam ad ſacram anchoram confugit, fortè ſi iis ſiſtat, temperétque tumultuantes animi impetus, crudelémque lanienam. Dormit in cinere & cilicio, multámque & liberalem pauperibus eleëmoſynam erogat, ut eâ commiſſum ſcelus vel redimat, vel expiet. Sed neque hoc remedio altos vulnus ſanari potuit, neque inſitus à peccato dolor mitigari. Quid igitur agat? quò ſe vertat? quâ ſtatione? quo portu illa fluentis animi jactatio conquieſcat? non alio ſanè, quàm fœdæ mortis, æternique occaſus per laqueum ferrúmve quæſiti.

Et verò jam actus ad extrema, certúſque mori, ſibi violentas manus apparat, nocte ſequenti malo ſuo finem inventurus. Rhedam conſcendit, domum, à qua tum aberat, & in qua funeſtæ tragœdiæ locum deſignarat, eâ luce repetit. Spectabat abeuntem, imò celeri quadrigâ ad meditatum facinus, ad fata devolantem; ſpectabat, inquam, divinæ mentis oculus, qui etiam miſeris & pereuntibus invigilat ut ſublevet ſuccurrátque; & certe (quæ ejus eſt bonitas) ſuccurrit ſublevavitque. Occurrit de via è noſtris Patribus unus aliquis, quem ex rheda conſpicatus, rogat ut currum conſcenderet, vincitque recuſantem importunitate. Aſſumptus in rhedam Pater, ut religioſè tempus falleret, de Deo divinisque rebus ſermonem injecit, & inter cætera ad confeſſionem delapſus eſt.

Tetigit ea hominis ulcus; qui ſtomachabundus, Quid ais? inquit. Unde me noſti?

Cui Pater: Nuſquam, inquit, anteà te vidi: ſed nos ex inſtituto moreque noſtro ejuſmodi ſermones miſcere ſolemus, ne aliis minùs utilibus diem teramus. Ne igitur mireris hæc à me dicta; niſi fortè ſit aliquid in quo te juvare poſſim, quod lubens facturus ſum. Juveris, inquit ille; ſed quid ſi confiteri renuam? Ratus Pater cedendum eſſe tempori; pio dolo hominem capit, ſpondétque ſe ſine confeſſione remedium allaturum.

Arripit ille conditionem, & ad acerba quæque ſeſe abjicit, dum illam conſcientiæ ſuæ carnificinam ſine confeſſione exuere poſſit. Ergo Pater medicinam facere adorſus, cùm domum appuliſſet, jubet

epulum

epulum inſtrui, monétque ut ſe totum hilaritati dedat; egebat nimirum eá medicinâ mœrore proſtratus animus, & maximè illa nocte decretoria. Poſtridie quædam meditationis puncta proponit, quæ ad excitandam in Deum fiduciam facerent; tum examen conſcientiæ, non ut confiteatur, ſed eò tantùm ut peccata in memoriam revocet, & de ſingulis doleat: tum denique in vicinam ſylvam educit, rogatque num benè conſcientiam excuſſerit; & ne quid fortè prætériiſſet, ſciſcitatur ex illo quædam: & per atrocia quæque peccatorum genera delabitur, tandémque bono Numine illud ipſum, quod angebat, ſcelus attingit.

Ibi perturbatus miſer, & horrore percuſſus; Et illud, illud, inquit, eſt triſte, infandum, horrendum quod eloqui non audeo. Tum Pater, Jam, inquit, confeſſus es; neque pluribus opus, niſi ut cætera prodas. Fecit, prodidit, & onere illo levatus eſt.

Cap. 2. v. 10. Quid hic ego exclamem aliud, niſi illud Jeremiæ Prophetæ: *Scito & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te.* Verè increpabit, neque dabit ſomnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, donec evulſeris tu ipſe tibi hanc ſpinam, aut ſimul tecum mœrore demum ſepultus abdideris in ſepulchro.

Hujus mœroris, & nefandæ triſtitiæ teſtem, imò judicem habeo Antiochum, qui vitæ malè actæ ſibi
1. Machab. c. 6. v. 10. conſcius, morti proximus, *vocavit omnes amicos ſuos, & dixit illis: Receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ ſollicitudine; & dixi in corde meo: in quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum qui jucundus eram, & dilectus in poteſtate meâ!*

Hæ ſunt morientis querelæ, hi gemitus; quamquam ſeri. Si cauſam rogas: hanc ipſe reddit, quia
Verſ. 12. *nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem.* Hæc origo triſtitiæ, hæc ſentina malorum eſt, hoc tormentum mortis, quod nocentes tangit, innocentes
Cap 3. v. 2. eximit; de quibus hoc Sapientis vaticinium: *Non tanget illos tormentum mortis.*

Ne nos attingat tormentum illud ipſa morte gravius; dum vita ſpiritúſque ſupereſt, bonæ menti conſcientiæque ſtudeamus.

Flagellum quintum.

Pudor.

Nahum. c. 3. v. 5. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum,*
& revelabo pudenda tua in facie tua,
& oſtendam gentibus nuditatem tuam,
& regnis ignominiam tuam.

NOn ero alienus à veritate, ſi dixero pudorem peccati partum eſſe, aut ſi mavis etiam flagellum, ut ſuo ipſe partu vapulet peccator. Nudi corporis aſpectus ante primi Parentis lapſum, cùm illæ primævæ innocentiæ floſculus etiamnum & corpus & animam ornaret, in turpitudine non ponebatur.

At ubi innocens ille oculus peccati luto aſperſus periit, exhorruêre Adamus & Eva ſuæ nuditatis opprobrium, & ſeſe foliis texêre ficulneis, pudorémque iſtum continua propagatione in poſteros omnes tranſmisêre.

Noë ſecundus ille poſt Adamum humani generis quaſi Parens & reparator, ubi exiguas perituri Orbis reliquias vindicibus aquis extulit, bibensque vinum inebriatus eſt, & nudatus jacuit in tabernaculo ſuo; in quantas maledictiones erupit ubi ſe turpiter à filio ſuo conſpectum in temulentia, exhalatâ deinde crapulâ, cognovit. Nimirum & ipſi corpori pudorem addidit natura, & ruborem animo virtus ipſa conciliavit.

Ammon vir magnæ ſanctimoniæ cùm fluvium Lycum cum ſocio Theodoro nomine tranare cogeretur, nec vellet poſſétve nudus ſuum vel ſocii oculum ferre; juſſit eum porrò ſecedere, donec poſitis tantùm tibialibus vado flumen trajiceret: ſed cùm ſe nudum ne quidem pateretur conſpiceretque oculus innocens, hærerétque dubius pudorem inter & neceſſitatem; tandem in illa hæſitatione à bono genio tranſmiſſus eſt: adeò Superis placuit ingenuus ille rubor & illuſtris animi caſtimonia. Cui è profanis unum adjiciam, ut liquidò pateat, quam vim etiam in natura obtineat caſtæ mentis pudor & verecundia.

Narrat Plutarchus, cùm neſcio quæ moriendi cupiditas Mileſianas puellas invaſiſſet, adeò ut paſſim laqueo ſponte mortem accerſerent, nec à tali támque præcipiti dementia vel ipſa vi legum, vel Parentum cuſtodia, vel minis aut promiſſis, aliáve induſtria poſſent revocari. Tandem ut huic malo medela fieret, communi magiſtratuum edicto, ſancitum fuiſſe, ut quæcumque violentas ſibi manus intuliſſet, ea corpore nuda, ac veluti proſtituta, omnium ſpectantium oculis objiceretur, & ad ſepulchrum tali notata opprobrio duceretur.

Opportunum ſanè conſilium, à quo tantus earum animis injectus eſt pudor, tantus dedecoris illius metus, ut de nullius violentâ morte poſteà ſit auditum. Ita effrænes præcipitéſque compeſcuit pudor, quas nec ipſe mortis horror continere potuit: Nimirum ingenuis mentibus etiam poſt fata diémque ultimum ſuus eſt caſtimoniæ amor, ſuæ illiciæ, eæque pro fræno.

Quòd ſi vel ipſa corpuſculi nuditas adeò habetur in malis; quo loco nudus erit animus, nuda ſcelera, vel humanis, vel etiam divinis oculis obvia? Eo certè eſſe oportebit, quo ſumma ignominia, ſummum dedecus, ſummum malum, & flagellum, quo Deus armatus peccatum, quaſi hoſtem fugientem inſequitur. Et hinc factum autumo, ut paſſim in ſacris Paginis quaſi comminans illud ventilet, ut ejus ſtridore ac ſibilo, peccatoris aures animúmque percellat.

Multis ſceleribus graves erant Ninivitæ, acuerant iras divinæ vindictæ, jamque eorum flagitia ad vindictam maturaverant. Quid illis faciet vindex Deus? qua parte ſeſe in pœnas effundet? Ecce ſtatim ab ipſo pudoris flagello inchoat: *Ecce ego ad* Nahum. c. 3.
te dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua v. 5.
in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Et projiciam ſuper te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum. Flagitioſi erant Babilonii, jámque impleverant peccatorum ſuorum menſuram. quid illis cœlo vindice Iſaias? *Revelabitur ignominia tua, &* Cap 47.
videbitur opprobrium tuum. v. 3.

Tenebatur David magnorum ſcelerum reus, & quà adulterio, quà homicidio Regium animum thronúmque fœdarat. Quid illi Deo judice Propheta Nathan? *Tu feciſti abſconditè; ego autem faciam* 2. Reg. c. 12.
verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu v. 12.
Solis. Ecce ut primas pœnæ Regiæ partes pudori concedit.

Denique Divinæ Juſtitiæ obnoxius erat Iſraël, & in quatuor Orbis partes ſua ſcelera ſuderat: Quid illi cœlo teſte Ezechiel? *Finis venit, venit finis ſuper* Cap. 7. v. 2.
quatuor plagas terræ. Et non parcet oculus meus ſuper
te, & non miſerebor: ſed vias tuas ponam ſuper te, & Ezech. c. 9. v. 4.
abominationes tuæ in medio tui erunt. Cur, inquies, *in medio tui?* Nónne ut tuo ſiſtantur aſpectui, & frontem tuam iſtam ſaxeam ignominioſo pudore ſuffundant?

Id nimirum fieri ſolet, primùm in terris, dum tu te ipſe hominì in confeſſione explicas, & occulta ſcelera pandis. Tum deinde poſt mortem, dum in

ſecretiore

ſecretiore Chriſti tribunali ſua facta vocabuntur ad trutinam. Tum denique in illo mundi conflagrantis occaſu, cùm illud ſcelus, quod hactenus in cæcæ noctis involucris latuit, evolvetur, & inſtar fœtidiſſimi monſtri in omnium conſpectu ventilabitur.

Cùm eò veneris, infelix homuncio, quò te flectes? quas latebras quæres? quibus os illud tuum; os, inquam, impudens, frontem effrontem tenebris occultabis? Cùm omnium oculos cogitationéſque in te conjectas eſſe videbis, cùm nuda ſcelera, explicatos conſcientiæ receſſus, aperta, patentia omnia conſpicies; quo, inquam, pudore ſuffunderis? Audeo dicere, ſi nullum aliud ſceleri propoſitum eſſet ſupplicium, quàm ille pudor, in triplici illo foro ſatis ſuperque eſſe debere, ut peccatum omne cane pejus & angue proſequereris.

Enimverò quod tormentum majus excogitari poteſt, quàm illud quod plerumque ſentit peccator, dum etiam uni homini tantùm, & quidem perpetuis ſacratioris ſilentii legibus obſtricto, propudioſam aliquam noxam aperire cogitur?

Primùm enim in ipſam confeſſionis ſedem, quaſi in equuleum ſeſe conjicit: Ubi deinde fœdum illud animi monſtrum exponi debet, tum verò lingua titubat, vox hæret, nutant oculi, erubeſcunt genæ, tremunt & colliduntur genua, totiſque artubus ſudor, anxiæ mentis indicium, liquitur: ita frons, oculi, vultus, animúſque ipſe totus pudore turbatur: crederes in eo eſſe quaſi parturientis dolores.

Puella, quæ ſuâ culpâ corruptelam paſſa, vitium pudoris incurrit, ubi jam dies noxæ partus advenit, quibus conficitur cruciatibus, quos patitur æſtus cogitationum, quibus dolorum ſpinis & morſibus laceratur? Jam dedecus familiæ, jam nota inuſta proprio nomini, jam matris lamenta miſerique ejulatus; jam patris iræ minæque, jam fratrum amicorúmque verba, jam convitia, jam plenæ opprobrii voces ſuccurrunt, & pudendo excipiuntur animo; jam denique cum omni ſuo comitatu pudor & ignominia ante oculos verſatur, & ipſo partu duriùs angit.

Qui puellæ illi pudor dolórque, is etiam eſt peccatori: Quid enim aliud peccatum, quàm fœtus aliquis ex flagitio conceptus, & in animæ formatus utero, qui ubi in lucem edi debet, & in Confeſſarii auribus deponi, ita pudore flagellat peccatoris frontem, ut ejus in lucem prolatio, quovis ſupplicio gravior & acerbior videatur.

Narrat Cæſarius, adoleſcentem multis onuſtum ſceleribus, cùm meliori tandem ductus ſpiritu, illam animæ ſentinam, pœnitentiæ Sacramento exhaurire ſtatuiſſet, & jam ſeſe ad Confeſſarii pedes abjeciſſet; derepentè ita totum exhorruiſſe, ut ne verbum quidem eloqui poſſet: adeò informes illos partus, quos concipere non erubuerat, jam edere horrebat animus: hærebat nimirum in equuleo tormentóque pudoris; & licèt dolor oculos ſolveret in lacrymas, linguam tamen ſuis vinculis impeditam tenebat pudor: donec tandem non erubuit manus ſcribere, quod eloqui lingua non poterat: Texuit ergo in charta lineam ſeriémque peccatorum ſuorum, eámque tremula manu confeſſario obtulit: quam ille cùm evolvere vellet, eraſam conſpexit.

Ejuſdem omninò generis eſt illud, quod in vita S Baſilii legimus. Mulier erat, quæ multis annis innoxiè vixerat: ſed amiſſo tandem marito, & pudorem & integritatem amiſerat. Abierant in eo ſcelere complures anni, quibus exactis purior aliquis divinæ lucis radius illuſit, & lutum in quo volutabatur oſtendit: expavit illa primùm; tum deinde viam quâ ſeſe eriperet, quæſivit: ſed enimverò dum quærit, offunditur animo pudor, vetátque anteactæ vitæ ſordes & flagitia in S. Baſilii aures deponere; ſuadétque potiùs ut chartæ committat, claudat, obſignet, & clauſa ritéque obſignata ſacris Epiſcopi ſui manibus committat. Paret illa; & ſuo indulgens pudori, luſis ubertim lacrymis peccata ſcribit in charta, obſignat, & plumbo probè obſignata D. Baſilio tradit, multum orans & obſecrans ne chartam aperiret; ſed unum tantùm à Deo Superiſque ſuis impetraret orationibus, ut quidquid erat in ea exaratum divinâ indulgentiâ deleretur.

Tergiverſari primò S. Pater: verùm ubi videt aggerari preces, ingeminari lacrymas, & omni commiſerationis genere vim quodammodo fieri; flectit & ipſe ſeſe, & in genua provolutus, diúque Deum precatus chartam recludit, videtque omnia peccata deleta, uno dumtaxat excepto, quod gravius & atrocius reliquis extrema hærebat in linea.

Ex eo S. Præſul cauſatus quòd ſuæ videbatur infirmitatis, mulierem ad B. Ephrem remittit, ut qui plus apud Deum Superóſque poſſet: ſed & hic, quod erat ſubmiſſionis, ſe peccatorem dictitans, ad Sanctum Baſilium relegat.

It mulier & ultrò citróque viam metitur, greſſúque concitato Baſilium ſuum requirit: ſed ò factum malè! jam vita functum reperit, & ſolemni pompâ ad ſepulchrum deferri videt; & queritur, multáque comploratione & muliebri ejulatu defunctum Præſulem quaſi deſerti patrocinii incuſat; chartámque malè obſignatam ſupra pheretrum projicit: quam cùm unus è clericis reſignaſſet, nihil in ea ſcriptum invenit: ſcilicet eluerat, imò eraſerat ingens vis doloris quidquid in ea fuerat exaratum.

Ecce quò non cogat pudor; abit redítque mulier, vias longas devorat, nihil non molitur & ſuſcipit, ut hoc pudoris ſui quaſi tormentum evadat; &, ſi fieri poſſet, admiſſa flagitia omnium mortalium oculis eripiat.

Deus bone! ſi humani homuncionis unius ita tribunal exhorret; quis erit pudor in altero illo tribunali, in quo non unum alterúmve peccatum, ſed totius vitæ ſeries, & ſcelera omnia, quæ in diverſorum confeſſariorum aures diſperſimus, in unum veluti cumulum collecta, à Deo ipſo juſto judice, cum improperio obtrudentur?

Piget tædétque illius diei, quo peccavit Adam; ſéque ipſe erubeſcens, nec ferens oculos Dei ſui, in ſylvas, in intima nemora ſeſe abdidit.

Audierat vocem Dei ſui deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, & abſcondit ſe, vultum Dei præ pudore non ſuſtinens. Sed inſequitur Deus & clamat: Adam, Adam ubi es? Reſpondit ille languidulâ & fractâ voce. Vocem tuam audivi in paradiſo, & timui eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me. Si ille Dei oculos extimeſcit, vel eò tantùm quòd nudus eſſet; quantum pertimuiſſet, ſi luto & ſordibus malè conſperſus divino ſeſe debuiſſet objicere conſpectui?

Si horret vocem deambulantis ad auram poſt meridiem; quantum exhorruiſſet apparatum vultúmque irati Judicis deſcendentis ad ſententiam pro æternitate dicendam?

Si ad pauculas voces, eáſque ſuaves & amicas, Adam, Adam ubi es? erubeſcit, imò expalleſcit totus; quis rubor, quis pallor ora vultúmque texiſſet, ſi excepiſſet fulmen illud divinæ vocis: Ite maledicti in ignem æternum.

Sed ne nimium properè ad extremum illud tribunal deſcendamus; ſiſtamus tantiſper in altero, cùm anima jam ſoluta corporis ergaſtulo veniet in oculos Chriſti Judicis.

Finge tibi, amice Lector, adeſſe diem, qui tandem aliquando aderit; finge, inquam, te in lectulo jacentem, cum extremo vitæ ſpiritu luctari, dolorúmque vehementiâ victum fruſtrà reluctantem animum exhalare. Ibi juxta lectulum in ipſo receſſionis momento, anima jam ſuo egreſſa corpore invenit Chriſtum; invenit, inquam, Judicem ſuum ſtipatum Angelis,

Angelis, & vitæ priùs actæ rationes expoſcentem. Quid eo loci ac temporis te miſero fiet? Qui ſtabis in conſpectu Judicis? Quis pudor ora vultúmque teget, cùm has voces obtrudet ingrato: Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi ſpiritum, ego tibi imaginem noſtrám, ſimilitudinémque conferre dignatus ſum, ego te inter paradiſi delicias collocavi: tu vitalia mandata contemnens, deceptorem ſequi quàm Deum maluiſti. Cùm expulſus de paradiſo, jure peccati mortis vinculis tenereris, Virginalem uterum, ſine diſpendio virginitatis pariendus introivi, in præſepio expoſitus, & pannis obvolutus jacui, infantiæ contumelias humanóſque dolores, quibus tibi ſimilis fierem (ad hoc ſcilicet, ut te mihi ſimilem facerem) pertuli: irridentium palmas & ſputa ſuſcepi; acetum cum felle bibi: flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfoſſus: ut tu eriperęris morti, animam in tormentis dimiſi. En clavorum veſtigia quibus affixus pependi. En perfoſſum vulneribus latus. Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: ſuſcepi mortem tuam, ut in æternum viveres. Conditus jacui in ſepulchro, ut tu regnares in cœlo. Cur quod pro te pertuli perdidiſti? Cur ingratè redemptionis tuæ munera renuiſti? Non te ego de morte mea quæro: redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi. Redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indeſinenter occidis. Cur habitaculum quod mihi in te ſacraveram, luxuriæ ſordibus polluiſti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculaſti? Cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram, afflixiſti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua invitus pendeo, quàm illa in qua tui miſertus, mortem tuam occiſurus, aſcendi. Cùm eſſem impaſſibilis, pro te pati dignatus ſum: ſed tu deſpexiſti in homine Deum, in infirmo ſalutem, in via reditum, in Judice veniam, in cruce vitam, in ſupplicio medicinam.

Serm. 27. de Tempore.

Hæc à Chriſto Judice impiis olim objicienda cenſuit, & dixit Auguſtinus. quæ ſi ad aures, animúmque tuum appellant aliquando, vide in quo pudoris & confuſionis equuleo ſis futurus: quamquam neque in eo ſiſtetur hoc malum; remanet enim altius aliquod theatrum, in quo peccata tua, velut in ſcenam actúrque tragicum evocanda ſunt, ſuas ut partes agant, non ſine immani tuo rubore pudoréque.

Extremæ illi funeſtæque tragœdiæ locum aperiet effuſa vallis Joſaphat, in qua toto ſpectante mundo evolvetur liber vitæ tuæ, & in te unum figentur oculi, & cœleſtium in aere conſidentium, & terreſtrium è terra perſpicientium: ita enim in te omnium convertentur ora vultúſque, ac ſi unus reus agereris, & omnis ille mundi occidentis apparatus ad te judicandum eſſet inſtitutus.

In Medit. Ecce, inquit de ſe ipſo Auguſtinus, ecce coram tot millibus populorum nudabuntur iniquitates meæ: tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcelera mea: non ſolùm actuum, ſed etiam cogitationum.

Tot Judicibus inops aſtabo, quot me præceſſerunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt benè vivendi exempla.

Tot convincar teſtibus, quot me monuerunt proficuis ſermonibus, ſéque imitandos juſtis dederunt actionibus.

Ita S. Pater cùm ſe ipſe, cum Deo loquitur: ita vel ea nunc ipſa diei illius recordatione confunditur, erubeſcit, exhorreſcit totus: quòd ſi ille qui in cinere & cilicio pœnitentiam egerat, qui fuſis ubertim lacrymis inmaduerat, qui quantus quantus erat, abierat in gemitus & ſingultus pœnitentis animæ, verbo uno, qui Auguſtinus erat, ſupremæ illius fucis aſpectu ita percellitur: quid te, amabo, fiet, qui cùm majorum criminum reus tenearis, adhuc tamen dormis in levi plumâ, ſtertis in molli ſtrare, nec in lacrymas gemitúſque reſolveris?

Si ſub uno teſte, Judicéve mortali, pudendum aliquod ſcelus tuum aperire times, & quà potes ejus tribunal oculóſque declinas & fugis, nec æquo animo, ſi fortè cogaris, id ſuſtines; quî ſuſtinebis cùm totus Orbis pro Deo contra te ſtabit, te arguet, convincet, confundet?

Itaquondam ſecum ipſe argumentabatur è Sanctis *In Vitis* Patribus nonnemo. Cùm eſſet ille adoleſcens, in- *Patrum.* cenſis ſtudiis in religionem ferebatur: obſtabat una mater; &, ut potentes ſunt ejus illecebræ æſtúſque amoris inſolentes, quà blanditiis, quà muliebri comploratione filii mentem infringere conabatur: ſed fruſtrà. Ad omnes matris aſſultus, hoc unum pro ſcuto objicere, *Volo ſalvare animam meam.* Si lamentabatur mater, ſi ſolitudinem ſuam deplorabat, ſi durum filii pectus, & inviſam quodammodo crudelitatem accuſabat; ad iſtas omnes machinas, hoc unum ſemper opponere ſolebat, *Volo ſalvare animam.* Fecit porrò, & ſalvandæ animæ deſiderio concitatus per illecebras quereláſque maternas erupit ad clauſtrum: ſed qui ſub initium adeò fervens, in progreſſu elanguit, virtutum nihil ſollicitus, parúmque religioſæ tenax diſciplinæ. Cùm tandem Deus, qui quos amat, flagellis erudit, immiſit illi morbum, & ad mortis limites uſque perduxit, jámque extremùm penè anhelans, ab omnibus exſpiraſſe credebatur: non exſpiraverat tamen, ſed abſtractus à ſenſibus, à ſe ipſe diſceſſerat.

In eo mentis exceſſu, ſubitáque alienatione, viſus eſt ad Dei tribunal ſiſti, in comitatu plurimorum reorum, qui jam vitâ functi, ſupremi Judicis ſententiam præſtolabantur: quos inter erat & mater, quæ filium pavitantem, & propter priſtinas negligentias Judicis aſpectum exhorreſcentem, hoc acerbo ſcommate excepit: *Et tu fili, judicandus inter hoſce reos complures? Ubi ſunt illæ tuæ voces: Volo ſalvare animam?*

Pupugit hominem tam inopinata, tam acerba exprobrantis vox; cujus impatiens, vultu demiſſo, defixóque præ pudore in terram obtutu, ad pedes matris confuſus accidit: in quo quaſi allapſu ſibi redditus eſt, & poſtea ſanitati reſtitutus.

Profuit adoleſcenti objecta in illo exceſſu ſpecies, vox matris audita; & ita quidem profuit, ut ſeſe jejuniis, lacrymis, omnique corporis afflictione propemodum ipſe conficeret. Cúmque moneretur à fratribus, ut ætati, ut valetudini parceret, modúmque poneret inſolenti, ut videbatur, pœnitentiæ; reſpondere ſolitus: Si ego matris meæ improperantis convitium ferre non potui, quomodo hominum omnium & Angelorum in extremo Judicio vocem & exprobrationem ferre potero?

Quæ ille quondam ſibi dixit; hæc in præſentia tibi dicta velim: ut peccati pudeat tædeatque, dum ſuus ab illo pudore ſaluti reſervatur locus.

Flagellum ſextum.

Deordinatio potentiarum animæ, earúmque vulnera.

Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Luc. 10. v. 30 *Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.*

CUm homo ſuus eſſet ac Dei, cùm omni peccato liber; erat in tuto, erat in vado. At ubi ſeſe abjecit in ſcelus, rum ejus animo, ſeu irato mari, ſuborta tempeſtas, à qua præſens periculum & certum æternitatis naufragium. Ejus impetus turbiniſque cauſas diximus eſſe paſſiones, quas ſub

rationis imperium, natura innoxia Deúſque poſuerat: ſed illud excuſſit in peccatum elapſus homo, & illas effrænes atque indomitas fecit, ut iis ex merito ſuo torqueretur.

Et hæc illis affectionibus inuſta macula, quæ tamen in iis non hæſit, ſed ad ipſas quoque animæ potentias & facultates evaſit, eáſque de ſua veluti ſede deturbavit, ut nihil omninò eſſet in homine quod peccati vulnus plagámque non ſenſiſſet. Eruamus illud è ſacris Paginis.

Servator optimus, quaſi pictor inſignis, ſapientiæ ſuæ penicillo nobis peccatoris emblema depingit, ejúſque vulnera plagáſque quaſi digitis tangendas oſtendit.

Luca c. 10. v. 30. *Homo quidam*, inquit, *deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.*

En imago tui, quiſquis es qui aliquando lethali te flagitio polluiſti: deſcendiſti ab Jeruſalem: nam antequam peccares, eras in Jeruſalem, in viſione pacis, in tranquillitate conſcientiæ, in tutiſſimo azylo; pars eras populi illius de quo Iſaias: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Cap. 32. v. 18.

Deſcendiſti porrò in Jericho, quæ ſignificat Lunam; ad cujus inconſtantiam pronus abiiſti, ſtultos imitatus, non ſapientes; nam, ut ait Eccleſiaſticus: Eccl. c. 27. v. 12. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol: nam ſtultus ſicut Luna mutatur.*

Ad Lunam ergo, & recidivam conſuetudinem animíque inſtabilitatem deſcendiſti, & miſer ac miſerabilis in latrones incidiſti, qui deſpoliaverunt te veſtimento gratiæ, de quo gloriabatur Iſaias cùm diceret: Cap. 61. v. 10. *Induit me Dominus veſtimentis ſalutis: & indumento juſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum coronâ, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.*

Et ut olim fratres Joſephi exuerunt illum togâ Gen. c. 37. v. 23. polymitâ, quam fecerat ei pater ſuus; ita hi latronea veſtem circumdatam varietate, quam tibi acerrimis paſſionis ſuæ doloribus pararat pater tuus, Bonus JESUS, per ſummam injuriam abſtulerunt, ulteriúſque progreſſi plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.

Sed cur, quæſo, non occiderunt, non mactarunt? Cur terra derepentè ſeſe non diduxit? Cur te non abſorbuit? cur non è ſuperis orbibus erupit fulmen? cur inviſum caput non impetiit? cur mali dæmones inferorum ſicarii te à Deo ſuo, ab Hieroſolyma longiùs recedentem, in ſuos carceres etiam vivum ac ſpirantem non impulerunt?

Potuiſſent equidem, & verò re etiam ipsâ feciſſent, niſi præcipites in vulnera cædémque manus Divina Miſeratio continuiſſet; in quo tibi indulgentior ea fuit quàm olim Semei Rex Salomon, cui 3. Reg. c. 2. v. 36. 37. hæc dederat in mandatis: *Ædifica tibi domum in Jeruſalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum: ſanguis tuus erit ſuper caput tuum.*

Tres annos conſtantiam tenuit Semei, & Jeroſolymâ pedem non extulit; ſed tandem egreſſus eſt limites à Rege ſibi præfixos: & juſſit illum Rex apprehendi, & per miniſtrum ſuum Banaiam trucidari.

Quod illi quondam, hoc tibi in præſentia poſſet Deus eo ipſo momento, quo Jeroſolymâ, hoc eſt, è viſione pacis & amicitiæ excedis, quo per ſummam impudentiam ejus mandata violas: poſſet, inquam, eo ipſo momento miniſtris ſuis te præbere mactandum: ſed æquum Divinæ Juſtitiæ pondus evincit ſuperátque miſeratio, qua pretioſa eſt anima tua in conſpectu ejus; ideóque ab ea ſummum malum, mortem, inquam, avertit.

Permittit tamē ut præter vaſtitatem miſerrimam plagis afficiaris ingentibus, quas jam ſigillatim perſequar.

D. Thomas, Angelicus Doctor, quatuor recenſet & approbat naturæ vulnera, quæ per peccatum 1. 2. q. 85. art. 3. infliguntur, ea ſunt, infirmitas, ignorantia, malitia, concupiſcentia.

Ignorantia quidem reſidet in intellectu, & illum malè afficit.

Malitia eſt in voluntate, & illam evertit ac peſſumdat.

Infirmitas apparet in appetitu iraſcibili, qui ab ea marceſcit ac deficit totus.

Concupiſcentia ſedem habet in appetitu concupiſcibili, eúmque ab æquitatis lege detorquet.

Et hæc complectitur ipſa Divi Thomæ concluſio: quam ut fuſiùs probet, illud primùm ſtatuit, quantum interfuerit inter ſtatum juſtitiæ originalis, in quo fuimus olim, & peccati, ſub quo in præſentia gemimus. In illo potentiæ omnes inferiores ſuberant rationi, & ratio ipſi Deo, ſupremo Numini Auctoríque ſuo.

In hoc autem facultates animæ, quas natura innoxia, Deúſque rationi ſubmiſerat, nec rationi obediunt, nec ipſa ratio Deo paret: & hinc ingens atque immane vulnus in eo poſitum, quòd omnes animæ vires abierunt ab ordine ſibi conſtituto.

Erat is ordo, ut potentiæ, quæ virtutum ſedes ſunt, rationi ſervirent, ratio virtuti, virtus Deo. Hæc cedere juſſa, ubi ſingulis animæ potentiis à peccato impreſſa vulnera.

Intellectui quidem ſuum inditum vulnus ignorantiæ, ubi ſuo ordine ad verum, ad quod naturâ duce ferebatur, eſt deſtitutus; & inde labefactata prudentia, rerum agendarum magiſtra & moderatrix.

Voluntati altè impreſſa plaga malitiæ, ubi averſa eſt à bono, ad quod ſuapte natura & inſita quadam inclinatione propendebat: & hinc æqui rectique tenax Juſtitia, qua totus regitur Orbis, extincta penitus atque everſa.

Appetitui iraſcibili ſua tabes & macula, ſuum vulnus infirmitatis adhæſit: ubi revocatus eſt ab objecto arduo ac difficili, ad quod ſummo conatu, validóque impetu enitebatur; & inde fortitudo, quæ omnem adverſæ fortunæ molem, caſus omnes ſuſtinebat, depreſſa omninò atque abjecta.

Denique & appetitui concupiſcibili ſua paſſio, ſuus nævus; cùm ita à ſeipſo, à recta ratione elabitur, ut à bono moderatè delectabili diſcedat, & immoderatione quadam in concupiſcentias ſuas & inania voluptatum illecebras trahi ſe rapíque patiatur.

Hæc ſunt à peccato, ceu romphæa cantiabili, impreſſa noſtris animis vulnera, quibus mederi poteſt ac debet novus ille Samaritanus, Servator optimus.

Audi quæſo qua ratione medelam faciet, & ea alieno vulnere medeláque quid te futurum ſit ediſce. Jacebat ille homo deſcendens in Jericho; jacebat confoſſus à ſicariis; jacebat (inquam) vel nudo aſpectu & miſeranda ſpecie miſericordiam implorans. Tranſit Sacerdos; aſpicit, prærerit: tranſit & Levita, ſed & ille aſpiciens duro corde pertranſit: nimirum à Samaritano benigniſſimo ſperanda erant omnia: Et ſpes omnis tua, ô peccatrix animula! pendet à bono Jesu, qui verè Samaritani, hoc eſt, cuſtodis nomen accepit; quia omnes ad ſe confugientes cuſtodit: quo animo, quo affectu, qua contentione, vel ex ipſis metire circumſtantiis.

Samaritanus quidam, inquit, *iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordiâ motus eſt. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & imponens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam ejus egit.* Luc. c. 10. v. 33. 34. Hæc ſeries, hic ordo exhibitæ charitatis.

Primò, iter ille facit: nimirum perambulat Jesus itinera ubi miſeri homunciones à peccatis confixi jacent; & in eadem via ponit *ſe per compaſſionem, in qua eſt infirmus per paſſionem*; ut ait Albertus Magnus.

Secundò,

Secundò, jacentem reſpicit, & oculum ſuæ miſericordiæ ad animam tuam in peccato gementem convertit. Vix imo corde, vix extremis labiis dixiſti
Thren. 1. v. 20. cum Jeremia: *Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus eſt venter meus, ſubverſum eſt cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum;* cùm ſtatim qui à te averſus erat propter ſcelus, propter gemitum convertitur.

Tertiò, *miſericordiâ motus eſt.* Ita enim per Jeremiam adpromiſerat: *Miſerans miſerebor ejus.*

Deut. 14. v. 17. Quartò propiùs acceſſit; quia *propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum: nec eſt alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.*

Quintò, alligavit vulnera ejus; quia nimirum de
Pſal. 146. v. 3. Deo noſtro ſcriptum eſt: *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.*

Sextò, infundit oleum ut vulnus mitiget; oleum,
Cap. 38. v. 7. inquam, gratiæ, de quo Eccleſiaſticus: *Mitigabit dolorem, & faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis.*

Septimò, infundit vinum; quia vinum mordacitate purgat vulnera, & putredinem exhaurit. Eo
Pſalm. 59. v. 5. benè potus accinebat David: *Potaſti nos vino compunctionis.*

Octavò, imponit in jumentum, imò & amplius facit bonus Deus, effert in humeros, & ovem perditam imponit, ut eam ovili reddat.

Nonò, inducit in ſtabulum, in hoſpitium cordis, in amoris vulnera: in quibus inſtar innocentia co-
De Paſſione. lumbæ nidificet. *O quàm bonum & jucundum eſt,* inquit Bernardus, *tecum, ò dulciſſime IESV, habitare, tecum colloqui, tibi revelare ſecreta animæ noſtræ! Cognovi cor tuum, ò dulcis IESV, charitatis lanceâ vulneratum, viam facere charitati, cui perpetuò non claudetur.*

Decimò, curam ejus egit, curam perennem, anxiam, amabilem; cui nec par eſſe poſſit cura bonæ matris in ægrotantem filium; dixit enim: *Numquid*
Iſai. c. 49. v. 15. *oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui; etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui: ecce enim in manibus meis deſcripſi te.*

O bone Jesu, bone Samaritane, quo penicillo, quibus coloribus te depingis? Et fieri poteſt, ut anima à peccato ſaucia, ad tam bonum & tam pium cuſtodem non properet?

Flagellum ſeptimum.

Deletur peccator de libro vitæ.

Pſalm. 68. v. 29. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.*

Ezech. c. 2. v. 9. *Ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus Liber, & ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.*

INter alia humanæ artis & ingenii molimina, extat una ſcribendi ratio, non alio fine inventa, quàm ut in poſteros transferrentur opportuna venerandæ Antiquitatis monumenta, digna quæ legerent ætates omnes longè conſequentes. Eam olim primi dicuntur extuliſſe Filii Seth: cùm enim ii paternæ virtutis æmuli primùm ad Dei cultum communiáque vitæ ſocietatem applicuiſſent animum, ac deinde ad varia diſciplinarum genera, ut ea certiùs filiis ſuis ſeriſque nepotibus tranſmitterent, duas columnas erexerunt ingentis omninò magnitudinis: Unam aheneam contra aquarum impetus & eluviem; Alteram lateritiam contra vim ignis edacéſque flammas: audierant nimirum, ut ait Joſephus, Ada-
Lib. 1. Antiq. c. 2. mum ceciniſſe univerſalem rerum interitum: diluvio unum, alterum incendio. Hinc duas columnas in altum educi placuit, ut ſi lateritia aquarum alluvione deleretur & fatiſceret, ſtaret ahenea, quæ primorum hominum inventa & nobiles ingenii partus poſteris exhiberet. Exhibebant autem litteris inſcripta principia ſcientiarum tum naturalium, tum etiam Theologiæ & Fidei unius Mediatoris. Ita primos Orbis characteres ac typos excepêre memores antiquitatis columnæ: tum deinde arborum folia, palmarúmque exuviæ: tum etiam ceræ, ceratæque tabulæ, quas olim ſcandulas vocabant, nunc pugillares dicimus: tum leves membranæ, quas pergamenas appellamus à Pergami Regibus, qui primi in membranis illis ſtylum duxêre, & in animantium exuviis corióque luſêre: tum denique in papyro, Iſidor. l. 6. cap. 11.
quæ noſtrate durior erat, nec aquæ bibula; ex ea enim confici ſolebant navigia, quæ etiam aquis innatarent, & onera in regiones longè poſitas veherent: quorum fortè meminit Iſaias ſcribens contra Æthiopiam Ægypti Orientalem, *Qui mittit in mare* Iſaiæ c. 18.
Legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas. Et hæc ſcribendi ratio ad privatos animi ſenſus partúſque uſui fuit: alia ad publica monumenta, quæ tum in ære, tum in ebore, tum in lapide incidebantur, ut longas ferrent Æſtates Hyeméſque: de his olim Martialis:

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

Dum mihi quæſtio incidit de libro vitæ ac mortis, ne tibi, amice Lector, fingas unum aliquem aut è foliis levioribus, aut è molli cera, aut duriore pergameno, aut candida papyro compactum ... ne, inquam, eum tibi fingas; hæc enim omnia mortalium oculis ſtylóque ſerviunt: alius immortalibus geniis, Deo & æternitati liber conceditur: eſt is vitæ ac mortis, cui pro tabula ſupponitur ipſa mens Dei, æterna illa & immutabilis, in qua aut æternùm victurus, aut certè æternùm moriturus inſcribêris: Quî porrò id fiet videamus.

§. I.

Sitne Liber vitæ ac mortis, & quis ille?

SCripturæ oracula placitáque Sanctorum Patrum nobis explicant Dei immortalis tres omninò Libros. Unus creationis: & is complectitur longam ſeriem creaturarum omnium, quas aut terra tulit umquam, aut Sol aſpexit. Hujus meminit Vates Regius dum canit: *In Libro tuo omnes ſcribentur.* Pſal. 138. v. 16.

Alter eſt legum ac præceptorum, quæ cœlo judice mortalium capitibus impoſita: dicitur ille à Propheta Baruch *Liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum.* Cap 4. v. 1.

Tertius Divinæ Providentiæ relinquitur, & tum hominum, tum Angelorum nomina capit, fatáque deſcribit: & ille dicitur Liber Prædeſtinationis aut Reprobationis: de hoc Pſaltes. *Deleantur,* inquit, *de Libro viventium.* Hæc omnia breviore compen- Pſal 68. v. 29.
dio ſi voles, dic, unum Dei Librum, eſſe *Idearum*; alterum *Legis æternæ*; tertium *vitæ, ac mortis*: ille divinam potentiam quaſi manu ducit, ut quaſcumque res è nihilo trahat, & cùm non ſint, eſſe faciat: iſte, ut eas jam luci datas gubernet, dirigat, moderetur: hic ut cuique pro merito aut præmium decernat, aut pœnas infligat. Ut autem apertior & explicatior evadat ea doctrina, quæ tanti eſt momenti ad hominum animos erigendos æternitati, dicamus cum Angelico Doctore, alium atque alium D. Tho. 1. p. q. 24. Art 3.
eſſe Librum vitæ, uti & alium atque alium mortis: unus vitæ Liber, eſt is cui inſcribuntur ſancti *inchoatè*, inquit D. Thomas: quia in præſentia, caritate, gratia, juſtitia ornati ſunt: ii ſunt omnes baptiſmo recens eluti: ii quoque erant quos cum Clemente, adjutores ſuos vocabat Paulus, *& quo-* Ad Philip. c. 4. v. 3.
rum nomina, inquiebat, *ſunt in Libro vitæ*: id eſt gratiæ ac juſtitiæ præſentis.

Alter vitæ Liber, eſt ille cui ſancti imprimuntur *completè*, ut in ſchola loquuntur Theologi: ii nimirum, quorum

quorum perſeverantia in oculis Dei eſt, ſalus in tuto, gloria in divina prædeſtinatione. De his agere viſus Joannes Chriſti Jeſu ſcriba, amor ac deliciæ: ita enim adpromittit: *Qui vicerit, non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Apoc. c. 3. v. 5.

Sed & alius ab illo Liber eſt mirum quantum alienus, eſtque is mortis; & primùm quidem illius, quam adhuc in vita patitur peccator, ubi gratiâ (quæ animæ lux, vita, ſpiritus eſt) privatur penitùs atque exuitur: quam deinde excipit & altera mors, quæ D. Joanni dicitur & eſt mors ſecunda. *Qui vicerit*, inquit, *non lædetur à morte ſecunda*: eâ puniuntur ii quos Deus è ſpecula æternitatis, alta providáque mente proſpicit in lethali noxa diem ſuum obituros: & hi ſcribuntur in libro mortis, æternæque reprobationis. Apoc. c. 2. v. 11.

Videtur Ezechieli in profundo mentis exceſſu tam hic quàm ille liber olim exhibitus, ut in eo legeret quæ ſata pertinaces Judæos rebelliáque cœlo capita manerent. *Vidi*, inquit, *& ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber.* Nec enim mortalibus oculis patens atque explicatus eſt liber judiciorum Dei, & arcanorum ſeu hujus ſeu alterius ævi; ſed obſcurus, clauſus, intricatus, & quibuſdam veluti rerum futurarum involucris obductus: explicabitur ille in ultima mundi ſcena, cùm mortalium omnium conſcientiæ patebunt, & recondita ſupremi Judicis conſilia: quanquam & hæc quoque Prophetis aperiantur: oſtentant illi ſcriptum *intus, & foris, ante, & retrò.* Retrò quidem, ut in illa patenti facie legat peccator omnem retrò actæ vitæ ſeriem, immania ſcelera, & pro iis lugubre carmen acerbáque lamenta, quibus contractas aliquando culpas ſtylo ferreo atróque colore cœlum depinxit; Ante verò, funeſtum apparet & humanis mentibus horrendum *Væ*, minæque imminentis æternitatis, quam ingentibus & nunquam interituris ſuppliciis Superi Deúſque ſcripsêre. Et hæc eſt pagella, hic liber, hoc volumen mortis, in quod tuum refertur nomen, nimium quantum infelix anima: & ita quidem refertur, ut expungatur nunquam: quòd quàm extimeſcendum ſit & lamentabile poſtea docebimus. Ezech. c. 2. v. 9.

§. II.

Ipsâ venerandæ Antiquitatis fide atque exemplis probatur liber vitæ & mortis.

INvaluit ille mos, & apud principes populos ac nationes id obtinuit, ut ſuus in Republicâ liber eſſet cui virorum illuſtrium nomina committerentur: ſic apud Judæos (quibus olim ſolis Numen agnitum) volumen fuit, quod Juſtorum nomina caperet, & magnorum Heroum facinora poſteritati traderet: ſic & apud Romanos ab humanitate & bonis artibus excultos quàm maximè illud etiam in uſu fuit, ut Liber eſſet in quo Senatorum omnium nomina reponerentur, quos ideò, quia in illo ſcripti erant, Patres conſcriptos placuit appellari. Lorinus.

Si puſillis mortalibus, ſi Urbibus, quas faciunt luteæ ædificiorum moles, abjecta tecta, & plerumque malè coagmentatis coactáque hominum multitudo: ſi, inquam, id illis conceſſum; quidni & in cœleſti Republicâ beatáque Hieruſalem id quoque inſtitutum teneri fateamur: Certè ut fateamur eſt neceſſum, ſi rationi, ſi authoritati, ſi veterum monumentis parere voluerimus. Ex multis pauca ad hujus veritatis patrocinium ac lucem ſuggeremus.

D. Auguſtinus Africi ſoli gloria, & naſcentis Eccleſiæ auguſtum lumen, ſermone habito ad fratres de eremo, de viro quodam hæc narrat. Serm. 69.

Venerat ille ad ultimam miſerabilis ævi lineam; mors erat in labris, & animula jam abituriens palpitabat in corde, nutantémque ac languidulum ſpiritum vix trahebat: dum in ea vitæ mortiſque lucta pendulus hæreret, ex Erebi faucibus velut ad prædam opiparam emiſſi dæmones plenis caſtris, & circumfuſa acie morientis lectulum cingere cœperunt: (ita peccatori ad extremum aperitur orcus, texuntur inſidiæ) Ex dum miſero arctiùs parantur, dæmunculus unus, cæteris aut cautior aut timidior, ſubvereri cœpit ne de cœlo lux aliqua melior aſpiraret, ne aliquid affulgeret opis, ne Michaël cœleſtis militiæ princeps & mortis arbiter pericliranti ſuppetias afferret. Hunc metum excuſſit unus aliquis infelix Erebi ſcriba ſcelerúmque cenſor, qui moribundi vitam omnem atro colore tartareis paginis inſcripſerat, & in mortis æternæ librum retulerat: ſtatimque ut ſua illi fides eſſet, jacentis oculis ac conſcientiæ legendum objecit: agnovit ille malignos typos, ac metuendo nimis charactere deſcriptam totius vitæ ſeriem; & deſperatione quadam actus, primùm in miſerabiles ejulatus ac lamenta, deinde in diras execrationes erupit, ac cum iis infelicem animam evomuit. Habet igitur ſtygius animarum prædo librum ſuum, in quem vocat eorum omnium nomina, *Qui adoraverunt beſtiam, & quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni.* Apoc. c. 13. v. 8.

Huic non abſimile eſt quod memorat venerabilis Beda. Aulicus erat Regis Conredi, liberioris, imò ſolutæ penitùs vitæ, in qua cùm ſeſe multis ſceleribus inquinaſſet, & animæ malè mortuæ medicinam facere confeſſione neglexiſſet; deductus tandem ad extrema vitæ confinia, dæmones vidit denſo velut agmine lectulum obſidentes, è quibus duo librum ingentem magni ponderis & metuendæ nimium molis, jacentis ac moribundi oculis objecêre: exhorruit ille primùm ubi in conſpectum venit fatalis ille codex, tum verò vel maximè ubi in ejus fronte primáque pagella nomen ſuum impreſſum vidit, & omnia verſa quæ vel cogitatione, vel verbo, vel opere patrarat delicta accuratè recenſita. Ex his aliiſque (quæ omitto, ne calamum longiùs ducam in tam miſerabili & luctuoſo argumento) conficies, amice Lector, ſuum eſſe Inferis librum, in quem omnia mortalium ſcelera, tuáque in primis deſcribantur. Vide amabo, & tibi dum licet conſule, illúdque ſedulus meditare, dum concubia nocte ſilentibus tenebris & ſine arbitro ac cenſore ingentia moliris ſcelera: meditare, inquam, tibique illud certò perſuade ea ſcribi ſculpique ſtylo ferreo & ungue adamantino, ut vel ipſam ſuſtineant æternitatem, tibique ad pœnam & dedecus æternum proponantur. Beda l. 14. hiſt. Angl.

Et hæc de libro mortis exempla delibaſſe ſuffecerit, ut iis benè doctus ſapere diſcas, & ea facere quæ ſcribantur aliquando in libro vitæ, atque in beatam efferantur æternitatem. Ita quondam ſapuit ille de quo P. Platus. Lib. 3. de bono ſtat. Rel. cap. 38.

Juvenis erat, qui cùm Ciſtercienſe inſtitutum ſequi decreviſſet, dum de die in diem differt, cœpit intepaſcere: Adeò periculoſæ plenum opus aleæ benè propoſitis remoram aliquam inveniſſe: ſæpè enim in fumum abit & frigidas auras, qui priùs in pectore arſit divinus ignis, niſi apprimè ſeduloque foveatur. Et ſanè abiiſſet etiam in hoc Juvene, niſi eum ſopitum ac propè extinctum Divina Miſeratio excitaſſet. Cùm ex Compoſtellana peregrinatione domum ille rediiſſet, eadem ipſa nocte apparuit illi Chriſtus comite Petro & Jacobo, magnis cœleſtis aulæ principibus. Petrus autem ſacratiore manu coram Domino ſuſtinebat librum patentem & explicatum, in quo Adoleſcentis nomen, *Ioannes*, deſcriptum erat. Eo dum paſcitur & intelligentiæ oculum reficit adoleſcens, ſibique tacitus applaudit, audit illud Domini ad Petrum: Dele illum de libro meo. Expalluit ille, & totus inhorruit, incertus quò verteret dubia ac nutans ſalutis alea: ea ut benè verteret fecit (ſemper enim feliciter cadunt Superûm taxilli) pro ſuo quippe peregrino S. Iacobus.

regrino ſupplex accidit Apoſtolus, & ſe pro eo vadem ac ſponſorem fecit vitæ melioris. Hæc dum inerrant phantaſiæ dormientis, anxiumque ſollicitant, ſomnum primò eripiunt, ac deinde reddunt; in quo etiam eadem rurſum exhibita ſpecies, imò & illa è canticis epigraphe: *Marenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Cant. 1. v. 10. Hac Superûm fide ac ſponſione excitatus, ſimulque minis exterritus, nulla interpoſita mora Ciſtercium ſe contulit, ubi eot in virtute progreſſus fecit, ut primùm Abbas Bonævallis, deinde etiam Valentiæ Epiſcopus fuerit declaratus.

Sed hactenus antiquitati veterumque monumentis datum eſt ſatis: deſcendamus ad ultimum hujus propoſitionis caput: Quàm amabile, ſpecioſum, auguſtum ſit inſcribi in libro vitæ: ex adverſo autem quàm indecorum, abjectum, abominabile, horrendum ad librum mortis traduci.

§. III.

Quàm horrendum ſit deleri de libro vitæ, & libro mortis inſcribi.

APoſtoli, magnæ illæ mentes, & cœli novi, hoc eſt, ſurgentis Eccleſiæ, perſpicacea Intelligentiæ, cùm viderent ſibi faciles eſſe & explicatas manus ad effundenda in miſeros beneficia, ad pellendos è corporibus velut ex hoſpitiis morbos, ad ingentia miracula ac prodigia, ad expellendos dæmones, malos omninò affecti corpuſculi hoſpites: cùm inquam hæc omnia æquis oculis animoque plaudente conſpicerent ad ſtuporem ſuum & totius Univerſi: *Domine, inquiebant, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.* Eximium illud ac ſingulare potentiæ genus videri debuit puſillis homuncionibus è trivio vulgoque petitis, è piſcatione & aquis eductis illud divino nutu conceſſum, ut ſolo vocis imperio tartareas illas poteſtates ſpiritusque metuendos è corporibus expellerent, & in ſuas reverti cogerent ſtationes: quod neque naturæ, neque humanæ vocis imperio viribusque aſcribi potuit; ſed altiori & divinæ potentiæ quæ etiam tum Apoſtolis inerat: ſi enim de Behemot ex vero dixit Huſſæus Vates: *Reputabat quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum* Job c. 41. v. 18. 19. 20. 21. *putridum æs, non fugabit eum vir ſagittarius, quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam:* imò, quod miſeris ac in dæmone extimeſcas, *Sub* Verſ. 21. *ipſo erunt radii Solis, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum. Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei qui factus eſt ut nullum timeret*; eâ nimirum ab ipſa natura ejusque architectore Deo ter opt. ter max. donatus eſt vi, ut quidquid hic Orbis durum, validum, indomitum jactarit, hoc ei pro palea ſit quam illicò confringat, hoc pro ſtipula quam leviore aura diſſipet: Serm. de S. Malachia. ideoque à D. Bernardo benè dicitur *Diabolus malleum cæleſtis opificis, factus malleum univerſæ terræ; qui terat electos ad eorum utilitatem, & reprobos conterat in eorum damnationem.* Cùm ea foret etiam Deo teſte Dæmonum vis ac potentia, meritò de illa exultare & gloriam aucupari videbantur Apoſtoli: eam tamen retudit ipſa Patris Æterni ſapientia, docuitque non ex eo expetendam eſſe ſeu gaudii ſeu gloriæ materiam; ſed hinc potiùs quòd eorum nomina jam inde in cælis eſſent conſcripta: illud nimirum eſt caput omnium beneficiorum, ob quæ geſtire, exultare, triumphare poſſint ac debeant cælo natæ immortales animæ.

Idipſum deinde docuit à Magiſtro benè doctus Chriſti diſcipulus & Scriba Joannes: hortatur ille Epiſcopos Aſiæ ut ſint ipſi murus pro domo Dei, enaſcentes hæreſes extirpent, retundantque invidos conatus mali Dæmonis: & quia in hoc ingens labor edaceſque curæ, merita illi operæ præmia Apoc. 3. v. 5. proponit: *Qui vicerit*, inquit, *ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ*: Magnum promiſſum, optandaque pollicitatio, in qua cæterorum beneficiorum ſumma quædam & cæleſtis beatitatis compendium aliquod continetur: Primùm enim qui in eo volumine ſcriptus eſt, ipſo Dei oraculo ſanctus appellatur: & quod inde conſequens, ſingulari quadam amicitiâ, favore, gratiâ, protectione gaudet ac fruitur. *Sanctus vocabitur*, Cap. 4. v. 3. inquit Iſaias, *omnis qui ſcriptus eſt in vita.* Deinde vivit certus ſalutis: & quamdiu nomen illud non expungitur è cæleſtibus illis tabulis, tamdiu cenſetur eſſe ſecurus de beata ac divina hæreditate. Teſtem habes ac ſponſorem hujuſce veritatis Danielem Prophetam; ita enim fatidicâ voce. *In tempore* Dan. c. 12. v. 1. *illo* (cùm ſcilicet aſſerit Antichriſti furor, cùm mundus ſeneſcet ac conflagrabit, cùm veniet ad judicium Deus) *Salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit ſcriptus in libro*, Salvabitur, inquam, omnis, & alius omninò nullus. Hîc paucis te volo, mi Lector: mentem ad ſe revoca, & nimium vagos oculorum orbes huic pagellæ verbiſque ſiſte: lege, perlege illud Danielis: *In tempore illo*, cùm terra dehiſcet, cùm ſolventur maria, cùm ſtridebit Æther, cùm Sol Lunaque, Orbis oculi, expalleſcent, luctumque & ſuum & totius Univerſi pullâ veſte obtegent, cùm ſtellæ cadent, cùm columnæ cæli contremiſcent, cùm tota rerum creatarum natura fatiſcet, cùm clamabunt ab impendentibus malis obruti peccatores, & dicent montibus, Cadite ſuper nos; & collibus, Operite nos: *Salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro*: Quod ſi in eo ſcriptus non inveniaris, quid eò loci ac temporis te miſero fiet? Ibis certè ab extrema illa luce in tenebras æternamque noctem: ibis in ſtagnum ignis, audieſque horrendum illud ſupremi Judicis fulmen. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: At ſi in eo ſcriptus inveniaris; ibis ab illa nocte, luctu & ſqualore Orbis, in diem, in lucem, in gaudium Domini tui; ibis in domum beatæ æternitatis, & cum ingenti gaudio plauſuque excipies amicas illas ac beneficas Dei tui voces. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Has olim de ſeipſo præſenſit legitque hoc in libro S. Franciſcus, qui in pio quodam mentis exceſſu nomen ſuum aſcriptum vidit beatis illis cæli tabulis; & ab illa ecſtaſi ſibi redditus exclamavit illico. *Laudetur Dominus Deus meus; ipſi gloria & honor ſine fine*: Hæc ſenſit dixitque eo guſtu pietatis, ut per octo continenter dies nec de alia re cogitare, nec verò loqui etiam potuerit, ac ne horas quidem canonicas evolvere: ſed unum illud. *Laudetur Dominus Deus meus; ipſi gloria & honor ſine fine.* Unde, inquies amabilis ille ſtupor, unde cæterorum omnium oblivio? Ab una pagella, uno vitæ libro, in quem ſuum nomen relatum agnoverat. Non ſic impii, non ſic; non ſic, ô infelix peccator. Alio quippe ſtylo notaris, alio figeris in codice nunquam effigendus: in te enim ut olim in Judam cadit illud Prophetæ: *Peccatum Judæ*, imò Jerem. c. 17. v. 1. & tuum *ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in ungue adamantino.* At ubi ſcriptum? An in terra & pulvere? Ita futurum olim docuit ille ipſe Vates. *Omnes*, inquit, *qui* Verſ. 13. *te dereliquunt confundentur; recedentes à te in terra ſcribentur*: Ubi enim potiùs? Lutei ſunt toti, & nihil ſapiunt, nihil loquuntur; nihil amant niſi terrena & lutea; ideoque benè ſcribuntur in terra. Quos vago pulveri aſperſeris typos ac characteres, ii vel leviſſimâ aurâ confunduntur, diſſipantur & pereunt: eoque diu duratura, non terræ, ſed lapidi aut æri committis: At quæ citiſſimè effluere atque elabi vis; ea pulveri credis aut fluxo aquæ elemento. Ita quondam feminæ juramentum in aqua ſcribi ſolitum teſtatur Athenæus, quia labile & inconſtans. Ubi Lib. 1. c. 10. tabella quæritur quæ peccatoris nomen excipiat, offertur leviuſculus pulvis, qui illius memoriam famamque, ſpes omnes non tam in poſteros efferat,

quàm

quàm diſſipet ac ſpargat io auras tenues, æternaque
damnet oblivione: ſic olim Phariſæorum nomina ac
peccata Servator optimus in terra ſcripſiſſe legitur:
obtulerant illi adulteram, & inſigni ad ſpeciem zelo
lapidibus de more legeque obrui flagitabant: Quid
hîc equus Iudex? Seſe inclinans digito ſcribebat in
terra; & in pavimento multo aſperſo pulvere eorum
flagitia notabat: Legerunt illa Phariſæi, & quà rubo-
re, quà pallore occupati ſeſe è turba & incorrupti
Judicis oculo ſubduxêre: adeò non ferebant ſua no-
mina & immania ſcelera in modico pulvere du.i ac
notari: qui amabo tuliſſent, ſi ea non in terra pr' /e-
reque, è quo etiam ipſi compacti, ſed io ioferno ſcri-
bi inaudiſſem? Et tamen ô miſeri, ô cæci, ô amen-
tes Phariſæi! ô miſeriores magiſque excæcati atque
amentes Chriſtiani, qui etſi certa fide noverint ſua
peccata in inferno ſcribi, ea tamen liberali manu in
omnem vitam accumulant; onerantque ſtygios illos
codices & longa flagitiorum ſerie complent. Quod
quàm horrendum ſit & abominabile, paucia te do-
ctum volo, & longè ante voluit Regius Propheta.
Sceleratis hominibus olim ille entheo ſpiritu im-
Pſal. 68. precatur, *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum &*
verſ. 23. *in retributiones, & in ſcandalum*: Hoc eſt, eorum
menſa, epulæ, convivia quantumvis opipara ſint, illis
in mortem modumque laquei, quo vel ſeſe mutuò
ad necem inter fercula petant, vel certè ab inimicis
appetantur. Et hoc primum imminentia mali augu-
rium: Quid deinde? *Obſcurentur*, inquit *oculi eorum*
verſ. 24. *ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Sub-
tractis veritatis tuæ luciſque radiis, in alta ignoran-
tiæ nocte tenebriſque verſentur, elumbes veluti fa-
cti, gravique jugo preſſi, aut ſervitutem aut plagas,
mancipiorum ritu, patiantur, & ſub eo pondere
incurventur ac gemant. Et hoc eſt alterum peccati
flagellum: Quid præterea? Longiùs in pœnas abit
Propheta. *Effunde*, inquit, *ſuper eos iram tuam, &*
furor iræ tuæ comprehendat eos: Quæ longâ patientiâ
collegiſti ac repleſti iræ tuæ vaſa, ea modò in noxia
capita, & cœlo contumaces animos effunde, peni-
tuſque evacua; ut undequaque furor tuus & juſta in-
dignatio coacingat, ſtringat, & ita comprehendat ut
evadat omninò nullus. Hæc ingenti Juſtitiæ zelo
Propheta: Quid his comminationibus addi poſſe
credas? Pergit tamen & vocem in flagella laxat. *Fiat*,
inquit, *habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eo-*
rum non ſit qui inhabitet: Hoc eſt non ſolùm eorum
palatia magnificaſque domos everte, ſed & caulas
puerorum, & extemporaria tabernacula dirue ac
peſſunda; & ita gentem univerſam diſturba, ut nequi-
dem tabernaculorum, in quibus olim reſederant, ve-
ſtigia ſupereſſe videantur. Hic ſubſiſtere potuit
concitati Numinis ira, nec ultra in pœnam ire; pergit
tamen & propheticâ voce hoc ruiſum intentat ful-
Verſ. 29. men *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem, & non*
intrent in juſtitiam tuam: Eſt illud ingens & horren-
dum Divinæ Juſtitiæ flagellum, quæ patitur ut ſibi
pœna ſit peccatum, & prima iniquitas alterâ deinde
ſubſequente puniatur; ſicque fiat ut non ſolùm cor-
pori ſua ſint flagra, ſed & animo gravius appellat ma-
lum, ſcilicet peccatum peccati pœna ac ſupplicium:
Quid his ultra adjici poſſe credas? Nihil omninò ſi
ea ſpectes, quæ præſens vita patitur: At unum ſu-
pereſt, quod eſt alterius ævi, quodque ad extremum
ſervavit Propheta, quaſi ad cumulum malorum om-
nium. Ita enim mœſto fatalique ſpiritu imprecatur:
Verſ. 29. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcriban-*
tur. Hoc eſt ultimum Divinæ Majeſtatis telum, hoc
flagellum longè maximum; expungi è cæleſtibus ta-
bulis, è libro vitæ, è Dei codicillis: & tamen (quæ
mortalium eſt cæcitas atque amentia) ut illud pati-
antur plerique omnes, apprehendunt pauciſſimi, &
ad æquitatis juſtæque rationis trutinam revocant:
Ut ipſe æquâ lance ponderes mi Lector, te ducam ad
ea, quæ ſub oculos ponuntur, ut ex iis metiaris quæ
nec oculus vidit, nec ſenſus ullus admiſit.

§. IV.

Eadem veritas declaratur opportuna ſimilitudine.

QUia hominum plerique plus carnis habent,
quàm animi, plus molis, quàm mentis: ideò
ferè tantum ea capiunt, quæ vel oculos, vel aures,
vel unum aliquem è ſenſibus feriunt: altiora illa &
divina vix cogitatione uſurpare ſolent, niſi ad ea
mentem in terrena pronam opportuna aliqua ſimi-
litudine duxeris. Quod in aliis, hoc in eo argu-
mento, quod tractamus, uſuvenit: Ingens dicimus
eſſe & portentoſum malum, deleri unum aliquem
de libro vitæ: vix illud capiet animus corpori im-
merſus, niſi eò ſenſus ipſe oculúſve vocet: ut por-
rò vocet, ab iis, quæ in foro tum Civili tum Ec-
cleſiaſtico accidere ſolent, argumenti materiam pe-
temus, ut in aliena miſeria ſuam quoque peccator
ſpectare diſcat.

Sancitum illud à majoribus noſtris, & ſacris Ca-
nonibus ab Eccleſia conſtitutum: Ut ſi Sacerdos
aliquis enorme flagitium patrarit, quod ipsâ morte
extremóque ſupplicio plectendum videatur; Primùm
ut ſolemni ritu ſacerdotio exuatur, &, quod aiunt,
degradetur: quæ degradatio tantum habet in ſe ig-
nominiæ, tantum horroris, ut oculi contuentium
ſine lacrymis & commiſeratione ſpectare non poſſint.

In primis enim, ad templi fores miſerâ ſubſtru-
ctione erigitur theatrum, ut ſcelus in publico ſit.

Deinde in eo ſtatuitur menſa, candente mappu-
lâ cooperta; ſupra quam viſitur calix cum patena &
hoſtia, ampulla tum vini tum aquæ; Libri qua-
tuor, Evangeliorum, Epiſtolarum, Exorciſmorum,
Lectionum; candelabrum cum candela extincta;
forficea, cultellus, ſeu petra vitrea; tum etiam ca-
ſula, & cætera quæ ſacratiori Myſtæ ac ſacrificio
ſolent apparari. In eodem deinde theatro eminet
ſedile altius, quod Epiſcopum ſacrorum Præſulem
capiat; & humilius, quòd Judicem alioſque admi-
niſtros. Hoc futuræ tragœdiæ aperitur proſcenium,
quod ſpectatores alliciat, feriátque infelicis ultimi-
que actus expectatione.

Ubi ſic parata ſcenæ facies; ſtatâ horâ prodit è
carcere reus ſacerdos, revinctis manibus, abjectis
oculis, exesâ fronte, lurida deformique facie, &
inter frementem ac tumultuantem turbam à Satelli-
tibus trahitur, emergitque tandem in theatrum igno-
miniæ ſuæ deſtinatum. Quid illi tum animi ſit, vos
ipſi perpendite: Ubi in oculos venit hinc Epiſcopus
Pedo Infulaque elatus; inde Judex gladio timendus;
illinc inſtrumenta omnia publicæ infamiæ deſignata;
iſtinc totius populi & confertæ multitudinis conſpe-
ctus, mœſtaque conclamatio: Dum hic oculo, ille
manu, voce alius & inſigni probo ac ſcommate in-
dignum ſuo ordine Sacerdotem indigitat, notatque
vehementiùs; quàm vellet è vivis potius exemptus
eſſe quàm in publico illo ac patenti ignominiæ pro-
ſcenio verſari? Verùm ut id animo votiſque expetat
ardentiùs, non dabitur tamen niſi peracta infelici
tragœdia, cujus actum ultimum mors occupabit.
Solvitur ergo primùm, & ſuis ipſe vinculis eripitur,
deinde à Clericis ad id deputatis, veſtibus ſacris in-
duitur, eique in manus calix cum vino & aquâ, pate-
nâ, & hoſtiâ porrigitur. Poſtquam in eo habitu
conſpicuus ſterit, tum ad Præſulis genua pedeſque
accidere cogitur, hanc è cathedra ſententiam audi-
turus. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti:*
Quia nos hunc hominem de enormi flagitio legitimis teſti-
bus convictum conſtrictumq; tenemus, idcirco eum nos om-
ni officio, beneficioq; ſacro indignum cenſemus, publicaq;
nunc ſententia privamus.

Hæc

Hæc ubi dixit ſpiritu altiore, tum ſacro quodam irarum æſtu percitus, arripit ex ejus manibus calicem, hoſtiamque cum patena, quam reus Sacerdos acclivis ad genua tenet, verbaque illa fulminat. *Amovemus à te, quin potiùs amotam eſſe oſtendimus poteſtatem offerendi Deo ſacrificium, Miſſamq́; celebrandi.* Deinde cultello vitróve pollicea & indices utriuſque manus abradit, dicens. *Poteſtatem ſacrificandi, conſecrandi, & benedicendi, quam in unctione manuum & pollicum recepiſti, tibi tollimus hac raſurâ.* Tum caſula hominem exuit, dicens: *Veſte Sacerdotali charitatem ſignante te meritò expoliamus, quia ipſam & omnem innocentiam exuiſti.*

Tum etiam ſtolam eripit, addens: *Signum Domini per hanc Stolam turpiter abjeciſti, ideoq́; ipſam à te amovemus, quem inhabilem reddimus ad omne Sacerdotale officium exercendum.*

Ubi his verbis ſeſe explicuit magni Præſulis ira; tum Sacerdos reus velut indignus ordine ſtatuque Eccleſiaſtico ad ſæcularem turpiter detruditur, non jam Epiſcopi manibus exauthorandus; ſed carnificis gladio vel igne perimendus.

Spectaſti, benevole Lector, rudi ſtylo, leviorque calamo deſcriptam illius ſcenæ faciem: Quid tibi ſuper ea eſt animi? Quid ſenſus ac cogitationis? Id certè, non dubito, quod pudori, dolori, ſtupori, horrori ſit: ita nimirum vapulat mens tua ab iis, quæ ſub aſpectum cadunt: vapularet acriùs pungereturque, ſi ea quæ vel ab uno mortali peccato texitur tragœdia, in cogitationem animique penetralia deſcenderet.

Quid enim reus Sacerdos? Præſulis ille ſui Judicisque oculos perhorreſcit: tu nimium quantum infelix peccator in Dei tui ter opt. ter max. ſupremi rerum omnium architectoris ac ſeveriſſimi Judicis conſpectum venis. Ille popello & imperitæ multitudini ad ſpectaculum & ignominiam objicitur, aſcendirque in theatrum: tu coram innumerabili Angelorum exercitu, conſeſſuque beatarum mentium, cælo Soleque teſte in crimen vocaris dedecusque æviternum.

Ille veſtibus exuitur, & ſacra illa ſupellectile, qua mortale corpus ad aram nitet, privatur: tu verò gratiam ac charitatem, quæ præclara quædam, cæleſtis, ac propè divina animæ veſtis eſt, abjicis ac fœdè proſtituis.

Ille de ſacrorum ordinum gradu deponitur: tu verò Chriſtianus cùm eſſes, & unctus Domini, Deique omnipotentis hæres ac filius, Chriſtiani nomen propè amittis, deſiniſque eſſe Chriſti ut ſis totus Antichriſti malique Dæmonis.

Eraditur ille ſacrarioribus Eccleſiæ fallis, myſtarumque catalogo expungitur: tu verò deleris de libro vitæ, de ſerie ſanctorum, de catalogo beatitatis.

Audit ille fulminantem Epiſcopum, & brachio ſæculari ſeſe traditum relictumque luget; ploratque cinctus infami ſatellitum manu: tu verò mox ut noxam vel animo tantùm ac cogitatióne concepiſti, tartareis legionibus cingeris totus atque obſideris, compedesque induis, quos exues nunquam.

Ille revinctis poſt terga manibus in obſcuriorem carcerem retruditur, dum ex eo educatur & reluctantem animam per atrocia ſupplicia deponat: tu verò vivis ac ſpiras, æterno carceri mox mancipandus, ut in eo dico vitam expuas & per immanes cruciatus evomas, ſed longiùs trahas in æternitatem: Et tamen, ut dixi, adhuc vivis ac ſpiras; imò, exultas, ſoloque ac cœlo inſultas improbè; An non ille ſtupor intolerabilis, inſana cæcitas, deplorabilis eſt amentia? Te ego Judicem volo, ubi à voluptatula (quæ tibi mentis oculos eripuit) redditus fueris, atque excitatus ab illo ſopore ac lethargo, in quo profundè nimis ac propè ſepultus jaces.

Flagellum octavum.

Privatio Divinæ amicitiæ.

Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? Iob c. 13 v. 24.

VT In omnium oculis, in luce ac Sole ſit amicitiæ divinæ immenſum bonum; primùm quæram quid ſit amicitia; tum etiam quàm inter puſillos mortales rara; tum denique hominum amicitiam & ſocietatem cum divina, quæ mortali cuipiam, gratiæ beneficio, intercedit, componam.

§. I.

Quid ſit Amicitia, & quàm inter homines rara?

EXtat illud vulgare & tritum adagium: *Sal vitæ eſt amicitia, oculus vitæ eſt ſapientia, antidotum vitæ eſt patientia.* Fortè quia ut ſal vitæ ſuſtinendæ ac conſervandæ eſt neceſſarius; ita amicitia ac ſocietas: ex quo manavit & illud Oratoris Latini pronuntiatum. *Amicus magis neceſſarius quàm ignis & aqua*; & Cic. lib. de Amic. hæc apud Hebræos parœmia. *Aut ſocietas, aut mors*: quia ſcilicet ſine amico vita dici non poteſt; ſed potiùs vivens ac ſpirans aliqua imago mortis & noctis æternæ; qualis eſſet ſi ab orbe ſublunari ſubduceretur amœnum illud cæli jubar, Univerſi oculus ac vita: quam etiam cum amicitia comparavit Tulliana eloquentia calamusque, dum hæc poſteris inſcripſit. *Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.* Lib. de Amic. amplius dico, qui ab homine amicitiam tollunt; & dextram illi tollunt, quæ in eo princeps eſt membrum, & in quo ferè ſitum illius robur. Hinc illud gentilis Philoſophi: *Quod læva abſque dextra, id eſt homo abſque amicitia.* Et hæc amicitiæ neceſſitatem probant ac commendant, illud D. Auguſtini, etiam utilitatem.

Amicitia eſt divitibus pro eleëmoſyna, exulibus pro patria, pauperibus pro cenſu, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita, ſanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robuſtis pro præmio. Lib. de Amic. c. 2. Hæc elatè & magnificè ſubtilis Doctor de Amicitia, in cujus definitione laboravit Antiquitas.

Veterum nonnulli amicitiam dixerunt eſſe ſimilitudinem: ita Heſiodus apud Platonem. *Amicitia*, In Lyſide. inquit, *eſt conſenſio ſimilium.* Alii ex adverſo Amicitiam cenſuerunt eſſe *conſenſionem diſſimilium*: ita in contrarium feruntur ſententiæ, dum è tenebris in lucem obſcura & latens eruitur veritas: ea ſimilitudinem ut amicitiæ cauſam agnoſcit & amat: negat tamen eſſe ipſam Amicitiam de qua eſt diſceptatio.

Ciceroni *Amicitia, eſt voluntatum, ſtudiorum, ſententiarumq́; ſumma conſenſio.* Verùm hæc non tam eſt amicitia, quàm fructus illius longè ſuaviſſimus. D. Auguſtinus, vel quiſquis eſt author libri de amicitia, eam ita depingit. *Ego amicitiam nihil aliud eſſe credo, quàm inter duos tantam voluntatum ſocietatem, ut nihil velit unus, quod alter nolit.*

Et hæc voluntatum conſpiratio, mutuúsque nexus Lib de Amic. amicitiæ potiùs effectus debet appellari: ideò ſi preſſiùs, & ex arctiore ſcholæ diſciplina pleniùs definire velis, dices quòd *Amicitia ſit proborum hominum mutuus, conſpicuus, confirmatusq́; amor, ex probitatis cognitione conſurgens, & ad vitæ honeſtæ conjunctionem perducens.*

Et hæc pro amicitiæ notione ſint ſatis: modò quàm inter homines rara ſit attendamus.

Rex Antigonus Plutarcho teſte ſuperos Deúmque immortalem explicata voce precabatur, ut ſibi contra Amicos tutelæ eſſet ac præſidio. Viſum illud alienum & abhorrens à communi ſenſu: qui ſibi ab inimicis malè metuit, ab amicis autem ſperat quàm

optimè

optimè, nec timet. Ne tamen ſine ratione cœlos oneraſſe ac fatigaſſe videretur Antigonus, hanc animi, precúmque ſuarum rationem expoſcenti, reddidit: *Ab illis, qui palàm a me diſſident, poſſum mihi ipſe mediocri diligentia cavere; at ab amicis fucatis & perfidis non poſſum: Deum igitur invoco ut meum patrocinium contra illos ſuſcipiat.*

Hæc ille in ampliſſima fortuna, in ſceptro ac purpura benè doctus expoſuit: quia rariſſima eſt amicitia, quæ non aliquo fuco fit illita, quæ aliquando in inimicitias atque occultas ſimultates non degeneret: ideóque benè de ea pronuntiavit Eccleſiaſticus: *Amicus fidelis protectio fortis: qui invenit illum, invenit theſaurum*: jure ſanè meritiſſimo: magna enim theſauri & amici cognatio.

Theſaurus latet in alta nocte, in abditis terræ viſceribus, oculúmque ſolis hujus & mortalium effugit, ideóque quàm difficillimè detegitur; nec tam ſtudio, datâ operâ, deſtinatóque conſilio, quàm caſu aliquo reperitur; ideóque theſauri inventionem Philoſophi pro fortuna, & inopinato, ſed felici caſu poſuêre.

Et ea eſt, quæcumque inter mortales intervenit amicitia: theſaurus eſt quem non invenias, niſi cor ipſum hominis, quod profundum eſt & inſcrutabile, penetres tamen ac pervadas, rimerisque intimos & ſecretiores animi receſſus: neque enim vera amicitia habitat in lingua extremiſque labris, quæ eam mentiuntur quàm ſæpiſſimè: Theſaurus, inquam, eſt amicitia, quem non una fert ætas, ſed vix ipſa ſæcula pariunt: ut verè dixerit Tullius, *Vix omnibus ſæculis tria, aut quatuor numerantur amicorum paria.* Plutarchus Theſeum & Pyrithoum nominat; Achillem & Patroclum; Oreſtem & Pyladem; Damonem & Pythiam; Epaminondam & Pelopidem: quibus ſi totidem ferè paria ex Romana hiſtoria junxerimus; Gracchum cum Pomponio, C. Lælium cum Scipione, T. Volumnium cum M. Lucullo: vix alios præterea comperies, in quibus vera amicitia nomen ſedémque ſervaverit: adeò rara avis in terris.

Eſt deinde theſaurus amicitia: quia ut ille in amoribus eſt ac deliciis primiſque curis; ſic etiam hæc impensè diligitur ſervatúrque impenſiùs.

Denique theſaurus eſt amicitia: quia ut in neceſſitate ab illo petuntur ſubſidia; ſic etiam ab hac in adverſa reſtantéque fortuna, humaniſque caſibus, præſidia quæruntur: ut proinde meritò rogatus olim Alexander, ubi repoſitos haberet theſauros gazáſque regias; Amicos digito monſtrans, *In his*, inquit. Nimirum plus in iis, quàm in auro gemmiſque, aliiſve regiæ opulentiæ ſeu ornamentis, ſeu munimentis, cenſebat ſibi reſervatum: Et ita ſentiet omnis qui amicitiæ nomen pondúsque ex æquo metiri voluerit. Sed hactenus ſatis: ad ingentes divinæ amicitiæ theſauros tranſeamus.

Eccl. 6. 14.

1. de Amic.

Max. ſerm. de Amic.

§. II.

Admitti ad divinam amicitiam quantum ſit bonum, quantúmque malum ab ea excidere.

VOs amo ô grandes animæ, fortia pectora, invicti pugiles, quos una dies terris extulit, & in martis oculis conſpectuque per extrema ſupplicia letho dedit: Vos, inquam, Machabæi, à natura fratres, à virtute partáque gloria non impares: Et verò vos amavit vel ipſe in judicio Antiochus, vel in ſuppliciis carnifex. Tantæ nimirum in fortitudine nobilíque conſtantia ſunt illecebræ, ut eâ capiatur teneatúrque vel ipſa quantumvis efferа tyrannis; quæ etiam in tormentis ipſáque mortis imagine voces invenit, quibus adoleſcentioris animum à patriis inſtitutis fratrúmque gratia revocaret. Ita enim illum Antiochus *Non ſolùm verbis hortabatur, ſed & cum juramento affirmabat ſe divitem & beatum facturum, & tranſlatum à patriis legibus amicum habiturum.* Non habuit impotens tyrannus potentius telum, quo Junioris feriret pectus ac frangeret, quàm amicitiæ regiæ nomen ac gratiam: à qua vinci oportere credidit quem acerbiſſima tormenta, morsque ipſa, quæ in oculis erat, non evinceret: At cujus, inquies, amicitia? Homuncionis unius, quem è viliore argilla lutóque duriore natura malè finxerat; Tyranni unius, quem ſua libido, avaritia, ſcelus, impietas, ad omnem immanitatem abjecerat; verbo uno Antiochi, quem cùm nomino, non hominem, ſed hominis monſtrum ac portentum appello: & tamen ſuâ amicitiâ & divitem & beatum fore credidit ac pronuntiavit Machabæum. Nimirum homines inter, qui oculis ferè metiuntur omnia, qui externas altioris fortunæ phaleras aſpectant, qui longè latéque patentem in terris dominatum ſuſpiciunt, is & dives & beatus habetur cui in Principum amicitias intraſſe contigerit; pauper & infelix, cui ab ea vel tantùm excidiſſe. Quid? Si mendaci hominum ſtaterâ ac pondere impreſſum illud mortalium animis; quantum ea vero accedere debet ex ipſa immortalis Dei amicitia? Certè tantum quantum eſt ipſe Deus.

In templi Delphici propyleo, ad explicandam Dei naturam, infinitámque majeſtatem, litteris aureis inſcripta erat una vocula græca Εἶ, latinè *eſt*, vel quia ea Dei ter Opt. ter Max. naturam, quantum mortali capere fas eſt, explicat; vel quia reliqua cum Deo compoſita non ſunt, & ipſe ſolus eſſe convincitur, à quo cætera ſortiuntur eſſe. De eo ita Bernardus ore lacteo: Euſeb. l. de præpar. Evang. c.

Quidquid venieus ex eo quod fuit, non ceſſat tendere in id quod erit; tranſitum ſanè habet per eſt, ſed omninò non eſt. Solùm proinde verè eſt, quod nec à fuit præciditur, nec ab erit expungitur; ſed ſolùm atque inexpugnabile remanet ei eſt, & manet quod eſt. Et hoc eſt Deus tuus, cujus amicitiam fœdè abjicis, infelix anima: habet ille ſolus *eſſe*; & illud quodammodo tibi decedere pateris, ut quæras ac veneris *non eſſe*; quod obtinet creatura cujus amicitiam ſtultè deperis, quæ tamen, ut illa, perit quàm citiſſimè; utque duret aliquamdiu, at certè non ultra vitæ metas primáque ſepulchri limina tranſire poteſt. Cedo tibi, ſi ita voles, Heroum omnium amores, cedo Regum ac Cæſarum amicitiam, & Orbis univerſi gratiam ac benevolentiam; Quamdiu ab illa benè tibi erit? Quamdiu, inquies aut illis aut mihi vivere dabitur: At quotum illud eſt, quàm breve, quàm fluxum & incertum? Fortè horula una, dies unus, nec amplius: labitur enim, & cum vita extinguitur quiſquis eſt ille favor: imò quandoque nec vitam ipſam comitatur, ſed eam in medio curſu deſerit: varia enim & inconſtans magnatum gratia, dubius ac volubilis favor, qui plerumque fortunam ſequitur, eodémque quo illa orbe volvitur. Serm. 31. in Cant.

Sed tibi concedamus illud, ſtabili pede immotóque veſtigio hæſuram amicitiam: at ſaltem illa vitæ fines non excedet; quia in homine reponitur, cujus eſt proprium aliquando tandem *non eſſe*.

Nota tibi parabola D. Damaſceni de homine illo, cui tres amici, è quibus duos colebat impenſiùs, tertium in poſtremis habebat & propè contemptui: ei dicta dies ab Imperatore, cui ſeſe debitor ſiſteret. His oppreſſus anguſtiis, cùm domi neque conſilium eſſet neque ratio expediendæ ſalutis, & hanc & illud ab Amicis deforis petendum eſſe exiſtimavit: ſicque primum convenit, inops conſilii & æris; ſed ab illo audiit: *Non ſum amicus tuus, ô homo, neque ſcio qui ſis*: alii mihi cenſentur Amici, quibuſcum deliciari eſt volupe: ne tamen à me omninò vacuus diſcedas, In hiſt. Barlaam & Joſaphat.

diſcedas, *Præbeo tantùm ecce tibi cilicia duo*, ut iis utaris in via, pluviumque Jovem arceas aut æſtum fallas.

Ab illo ad ſecundum abiit, ratus ab hoc ſibi melius futurum: ſed ſpes omnes eaitus eluſit: hic enim, Veniam, inquit, mihi dabis; aliis detineor curis quàm ut tuis occuper, tecumque coram Imperatore ſubeam agonem: pergam modicum, & in via tibi comes ero; ſed non ultra prima Judicis limina: hæc ubi attigero, proprias reviſam ædes, atque mea negotia repetam ſedulus.

Quid ageret infelix homo, ſua ſpe & amicorum gratiâ malè deluſus? Tertium convenit, à quo minus ſperandum videbatur quòd ei quondam minus factum benè? At ecce tibi præter ſpem, non tamen præter votum, opis plurimum affulget: hic enim & Amicum ſe ingenuè fatetur, & ad Judicis forum advolat, ſponſorem pro reo ſe exhibet, & cauſam agit fortiter.

Hæc Barlaamus olim Principi Joſaphat, quæ etiamnum tibi hodie dicuntur in aurem, qui alios tibi à Deo amicos facis ut Judicem tuum inimicum facias.

Primus Amicus, eſt divitiarum poſſeſſio, & amor pecuniarum: pro quibus parandis cùm irata videris maria, cùm æſtos tuleris & cœli ardores, cùm orbem utrumque inſana peregrinatione decurreris; quid tandem ab illis reliquum? Veteres detritique panniculi, quibus animâ vacuum cadaver involvatur & in profundâ ſepulchri nocte mergatur. Ecce amicus unus, cujus gratia, Authoris tui amicitiam fœdè deſeris: in extremo illo momento ultimaque miſerabilis vitæ ſcena, ab illo nihil audis, nihil habes, niſi unum illud: *Non ſum.*

Sed à ſecundo amico tibi fortè meliùs? Minimè gentium: Erit ille conjux, cariſſimaque pignora, aliique vel ſanguine juncti, vel quovis alio fœdere copulati, vel ipſa, ſi voles, Regnum Cæſarumque capita, quibus te ipſe pronus inclinaſti, quorum favorem gratiamque per fas nefasque cum terræ cælique injuria quæſiviſti, ſpretis contemptisque ſupremi Numinis legibus ac ſtatutis, poſitaque in poſtremis Dei tui amicitia.

Sed quid tandem ab illis in ultima vitæ periodo ſubſidii, quid opis emendicabis? Ibunt illi ad prima alterius velut ævi limina, ad ſepulchri fores: nec ultrà aut eſſe aut nominari poterunt; quia etiam Amicis illis hoc nomen: *Non ſum.*

Ab Amico tertio tibi reſpirare dabitur, & in ejus ſinu gratiaque conquieſcere. Is eſt (inquit Damaſcenus) *Iuſtorum operum chorus; videlicet ſpes, charitas, fides, eleëmoſyna, humanitas, & cætera virtutum congregatio*, quæ poſitos hujus vitæ cancellos excedit, atque elabitur in ſuperos orbes, ſummique Judicis gratiam & amicitiam ſervat ac tuetur: ab eoque & hoc ſortitur nomen, *Sum.* Sum enimverò tuus amicus, quia ab illo petitus qui ſolus *eſt.*

Hoc igitur, Amice Lector, meditare, & in animum admitte: cujus amicitiam amoréſque ponas, cùm teipſe aliquo ſcelere coinquinas: Ejus certè qui *eſt*, ut venias in gratiam illius qui *non eſt.*

Atque ex hoc enaſcitur alterum, quod divinæ amicitiæ vim addit & pondus immenſum: cùm enim illa nitatur ei qui *eſt*, nec poteſt non eſſe; inde conſequitur non poſſe non eſſe amicitiam æviternam: ſi modò eam eſſe velis.

Cùm in Dei Authoriſque ſui laudes excurreret
1. Reg. c. 2. v. 2. ſacer Hiſtoriographus. *Non eſt ſanctus, inquit, ut eſt Dominus, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.* In Hebræo habes, *tſur: non eſt petra ſicut Deus noſter.*

Dicitur petra ab inſito robore cui tuto niti potes atque incumbere; hinc illæ Davidis voces, & ſtupor amabilis in ſoliditate divinæ amicitiæ, in qua dum etiam in immani calamitatum mole oppreſſus
Pſal. 72. quieſcebat, ingeminabat ſæpius illud, *Deus cordis mei;* in Hebræo legitur amantiùs, *Deus petra cordis mei.*

Hic te volo, peccator, qui leviuſculos hominum venaris & captas amores; altè admitti vis in eorum animos & corda; an ex vero dicere poſſis cum Propheta, ô homo quiſquis is es: (Crœſus enim Irúſve fluat, nihil intereſt) ô, inquam, homo petra cordis mei, idnè pronuntiare potes? Minimè verò: eſt enim cor hominis carneum, adeóque molliculum, fluxum, inſtabile, putidum, cui ita figitur amor, ut ſtatim idem ipſe refigatur. Et tamen ut indubitatum ſit illud, ut in natura fixum, in ratione fundatum, & longa ſæculorum experientia probatum; nihilominus tibi pro amicitiæ ſede thalamóque aperitur cor hominis, & clauditur cor Dei tui: via enim, aut intimo animi tui ſinu receptum eſt ſcelus, aut extremis labiis expreſſum, cùm primi perfectiſſimíque entis, hoc eſt Dei, inimicus & hoſtis toto cœlo proclamaris, qui antea & amicus & filius apud ſuperos omnes audiebas: in te, tuomque caput inſonat illicò bellicúmque tonat cœleſtis tuba, & æthere toto armatas pœnarum acies evocat. His olim exterritus ac propè obrutus exclamabat Huſſæus Vates: *Cur faciem tuam* Job. c. 13. v. 24. *abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum? contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris: ſcribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.*

Hæc olim mortalium omnium patientiſſimus, non ſine luctu triſtique nænia de Deo piè queſtus.

Primum: quòd à ſe faciem abſconderet, & vultum illum amabilem, ſole oculis ac vita ipſa cariorem, averteret: ut ſolet à ſubdito ſubiratus princeps, aut à reo Judex, antiquo ſcilicet more ritúque, quo ſententiam laturi Judices ſeſe abſcondebant, ne eorum oculos offenderet læderétque vel unus tantùm ſceleſti capitis aſpectus.

Alterum querelæ caput longè graviſſimum, eſt quòd eum Deus ut inimicum habere videretur; & quaſi hoſtis infeſtiſſimi conſpectum congreſſúmque fugere atque averſari: quod malum ut à ſe ſuóque capite amoveat, aperit quis ſit ille cœlo judice, teſtéque ſua conſcientia, contra quem ita divina deſæviat ira.

Contra folium, inquit, quod vento rapitur, oſtendis Verſ. 25. *potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.*

Non eſt ille ſcopus, in quem tua colliment tela, in cujus perniciem ac ruinam ſeſe tua exerat potentia, utpote qui non abſimilis ſit folio quod exacto vitæ ſole atque æſtate, advenientéque mortis autumno ſuâ ſponte decidit, aut certè leviore vento decutitur; etiam auræ tenuis futurum ludibrium, & ſtipula ſicca, quam tamen (ô Deus) in brachio forti, & extento perſequeris. Hæc ubi altiore ſpiritu dixit Propheta, ubi ceris ipſis inſcripſit ad perennem ſeu doloris, ſeu facti memoriam; tum fontes ipſos recludit, è quibus fluat ea malorum eluvies.

Scribis enim, inquit, contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Decernis, ô juſte Judex, in cœleſti foro, & contra me ſcribis, atque in pœnæ codices refers *amaritudines*; hoc eſt, ſupplicia, dolores, luctus, & ingentem cumulum calamitatum omnium, quæ ſint animo mœrenti, quod palato eſt ipſa amarities: vel fortè veriùs: in me notas ac pingis *amaritudines*, hoc eſt peccata, quæ & te ad amarorem provocant multámque bilem, & iras acerbiores: ac mihi inprimis ſunt peramaræ, juſto tuo judicio: ut enim in natura, *Dulcia ſeſe in bilem vertunt:* ita & in culpa, quæ dulcia ac ſuavia viſa ſunt, tranſeunt in pœnam acerbiorem.

Hæc patiens Jobus, qui typus tantùm fuit & umbra peccatoris; revera autem ita juſtus ac rectus, ut ei ſimilem ſuo ſæculo nec Sol aſpexerit, nec terra tulerit: quod ſi ille tamen hæc ediderit ex

doloria impetu, & gravitate divinæ inimicitiæ, quam (ſi pœnam tantùm attendiſſes) videbatur incurriſſe: quæ tibi vox erit? quæ frons? quis animus? quis calamus? qui à tuo ſcelere cœli iras in te provocaſti, & timendas Superûm omnium inimicitias: an iis impetitus cum Jobo ingemiſcere, lamentari, & cum immani ejulatu dicere poteris: *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Poteris enimverò, poteris: at non cum Jobo juſtum Judicem Deumque tuum provocare, ut & ſemitas tuas obſervet, & veſtigia pedum tuorum conſideret, videatque ſi in eis impreſſa aliquando ſit iniquitas: certè enim impreſſa non ſemel: & hinc averſa primùm Dei tui facies & aſpectus amabilia, dein iræ vindices, acerba ſupplicia, cœloque parata in tuum caput fulmina, & quod iis acerbius eſt, imò malorum omnium, quæ homini obvenire poſſunt, acerbiſſimum, Dei ter Opt. ter Max. graves inimicitiæ, quarum pondus utinam æqua mente lanceque expenderes.

De ſapientia, & ſpiritu intelligentiæ, hæc olim Salomonis vota, hæc elogia expreſſa meliore calamo.
Sap. c. 7. v. 2 9. *Venit in me ſpiritus ſapientiæ, & propoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec illi comparavi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.*

Hæc ubi entheo ſpiritu extulit, ne plus æquo in ſapientiæ laudes & encomia excurriſſe videretur, rationem adjicit. *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.*

Hæc rationum ſumma, hoc caput, hoc bonorum omnium compendium, ab illa ſapientia factum eſſe mortalem unum aliquem participem amicitiæ Dei, quam certè ſi ab ea non aſſequeretur, non ſapientiam diceret Salomon, ſed potiùs doctam aliquam inſipientiam; quâ ipſa plurimùm laboras, miſerabilis anima, quæ uno momento abjicis quod quærendum erat vel tota æternitate, brevique, inani putidaque voluptatula prodigis quod auro, gemmis, regnis, ſceptris & ipſo totius Univerſi imperio eſt pretioſius: imò cum quo compoſita omnia quæ Orbis ſuſpicit & amat; arena ſunt exigua, quam levis aura ſpargit: lutum ſunt, quod ad pedes abjicis & calcas: ne porrò in ea amentia pergas duresque ad ipſa vitæ confinia, tibi author ſum, ut dum Superi Deusque miſericors otium indulget, tecum ipſe mediteris, quantum bonum ſit ipſa Dei amicitia; qua recreantur Cœlites omnes; hac unâ dum potiuntur Beati, & eâdem ſi exciderent, futuri miſerrimi: nec enim cœli regia, ſtellataque tecta beatum faciunt; ſed ipſe Numinis amor, clemens indulgentia, & ad aliquam cum creatura amicitiæ ſuæ communionem tantæ Majeſtatis inclinano.

Flagellum nonum.

Deperditio gratiæ & virtutum infuſarum.

Thren. c. 4. v. 1. *Quomodo obſcuratum eſt aurum: mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum.*

DEploravit olim Antiquitas miſerabile Saguntinorum Civium incendium: cùm fulminante ad portas Hannibale, & jam jam cum ingentibus copiis per diſrupta mœnia irrupturo, deſperatis Romanis auxilius, ne in Barbari venirent poteſtatem, luculentum ignem in foro medio extruxerunt, & quidquid in urbe vel auri, vel argenti, vel gemmarum fuit, diligenter conquiſitum in flammas vorandum projecerunt, & ſe inſuper univerſos magnis animis in ejuſdem incendii voraciſſimos ardores dederunt præcipites. Ardebat opulentiſſima Civitas, ædes magnificæ, ſuperbaque tecta multorum ſæculorum opus & labor, ardebat univerſa ſupellex plurimorum millionum pretium, ardebant & corpora: & cum patribus matribusque innoxia puerorum ac puellarum ætas in flammas, in cineres ibat, & quidquid anni ac ſæcula, quidquid multæ vigiliæ coacervarant, illud omne vel uno momento flamma furorque conſumebat. Quod ſpectaculum adeò lamentabile plerisque exiſtimatum, ut qui viderit, imò qui & legerit, vix lacrymas tenuerit. Habet nimirum hoc innata cuique noſtrûm humanitas, ſanguinisque ac naturæ communio, ut iis miſeriis caſibusque non poſſit non compati & indolere: quod ut in alienis verum ſit, ita & in propriis aut affinibus quàm maximè. *(Livius.)*

Luxerunt olim Romani & ſuæ urbis incendium: cùm Nero nocturnus ille ſaltator, & monſtrum hominis, ut incendium Troianum, quod in Homero quandoque legerat, oculis ſuis in urbe Roma repræſentaret; juſſit per ſuarum cupiditatum adminiſtros, in celeberrima urbis loca, per intempeſtam noctem, ignes injici, qui maximam, eamque pulcherrimam urbis partem depaſti ſunt, Suetonius. opesque innumerabiles abſumpſerunt. Luxerunt, inquam, Romani, & illacrymati ſunt, cùm primùm rubeſcente die ruinas & damna, quæ nox abſconderat, oculis uſurparunt. Nimirum improviſa immaniſque calamitas etiam viris fortibus lacrymas elicit, & aliquando etiam linguam & vocem adimit.

Percuſſerat Satan virum patientiſſimum Job ulcere peſſimo, & ita quidem ut à planta pedis ad verticem capitis non eſſet in eo niſi livor & vulnus: bonis ille omnibus ac fortunis exutus ſedebat in pulvere ac ſterquilinio, teſta fluentem è toto corpore ſaniem abradens: audientes hæc tres ejus amici Eliphas Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, venerunt ad illum, ut quà verbis blandioribus, quà conſolatoriis monitis animum hominis mœrore oppreſſum levarent. Job c. 2.

Sed cùm elevaſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum in cælum, & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem eſſe vehementem.

Silent illi calamitatis admiratione & alto quodam ſtupore conſternati, & dum animo præſentem hominis ſtatum cum præcedenti felicitate componunt, præ commiſeratione vel verbum effari non poſſunt. Tu verò, peccator, ut ad te tandem mea deflectat oratio; cùm gravioribus omninò malis oppreſſus jaceas, nec lacrymulam effundis, nec gemitum edis, nec aut dolore, aut ſtupore attonitus hæres in conſpectu ac conſideratione tam portentoſæ calamitatis: Quæcumque vel à Saguntinis, vel à Nerone mortalium crudeliſſimo, in ignem præda venit, ea fortunæ ſpolium fuit: nec aliud tulit præter fulvi æris metallum, gemmasque aut terræ partus, aut maris excrementa: at tibi ab una lethali noxa, gravior omninò incumbit ruina, jacturaque longè potior: videlicet ſpolium immortalis animæ, cæleſtiumque donorum.

Jobi calamitas, & fortunæ bona, & caducæ ac terrenæ carnis hujuſce maſſam impetiit: ad animum allabi atque appellere non potuit: à Deo quippè audiit invidus Satan, Veruntamen animam ejus ſerva: quaſi diceret, Ego tantùm viliorem

Jobi

Jobi portionem tibi attingendam relinquo: tibi tuiſque turiis corpus ſolum, & ea quæ corpori adjacent, opes, fortunas, greges, liberos, ſubſtantiamque omnem permitto: at verò in animum potiſſimam ac nobiliſſimam ejus partem, nullum tibi jus tribuo, mihi uni ſervatum illum volo. Et verò ſervatus ille & Jobo & Deo: At tibi non ſervatur infelix animula, quæ peccas: tu ipſa tibi Nerone crudelior, dæmone ferocior exiſtis: illi enim fortunæ luſus ac ſpolia, corporis vellus atque exuvias eripere poſſunt: at in animæ bona, cœli gazas, Dei gratiam, & partas æternitati opes ac merita, jus ac poteſtatem nullam habent: ut cætera rapiant, tibi ſervantur illa, nec quiſquam in ea involare poteſt ac diripere, niſi tu ipſe malus prædo.

Ut autem luce meridiana clariùs appareat: quàm tibi ipſi in eo injurius ſis, paucis expono, quantum uno mortali peccato damnum imponitur.

Juſtum hominem modò cum Regina, modò cum regia prole Scriptura componit. *Adſtitit*, inquit, *Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Filii, filiævè Regum, qui in aula ad ſceptrum & diadema nutriuntur, non tantùm fulgent in purpura, non in ſolo oſtro regali conſpicui prodeunt; ſed hinc inde collucent gemmis & auro, lapillisque varia arte diſpoſitis quaſi totidem ſtellulis ardent atque igneſcunt. Ei juſtus quiſquis ille eſt, ſummi Regis atque opulentiſſimi (hoc eſt Dei) filios eſt; ac ne à terrenorum Regum prolibus inferius aliquid habeat, præter gratiæ veſtem caritatiſq; purpuram, qua mens ejus quaſi regio paludamento relucet, variis inſuper irradiat virtutum infuſarum gemmis, quæ miro ordine aliæ in voluntate, aliæ in intellectu rationis & intelligentiæ ſede diſpoſitæ, quaſi aſtra pellucida radios evibrant, & de juſti anima cœlum quodammodo novum ac pulcherrimum faciunt. Viſuntur enim in intellectu habitus præſtantiſſimi, quos inter eminet ſapientia, quæ Deum ſpectat altiſſimè: proximè micat prudentia, quæ inferiora moderatur omnia: ſequitur ſcientia, aliaque Spiritus ſancti dona, quibus quaſi dotibus, ac cæleſtibus margaritis illuſtratur. Et hæc in intellectu ſpectantur cæli decora: majora in voluntate: ut enim omittam gratiam, quæ in anima ſedem fixit, & caritatem quæ in voluntate; ſunt præterea in hac virtutes principes, & præ cæteris aſtra micantia; Juſtitia, Fortitudo Temperantia; quas ponè ſequuntur aliæ, quæ morales dicuntur, videlicet Religio, Patientia, Conſtantia, Humilitas, Caſtimonia, & reliquæ, quæ totidem quaſi cæleſtes nymphæ ac pediſſequæ decus adducunt, venerationemque conciliant. O pulchram animam gratiâ nobilem, ô intellectum aureum tot tamque pretioſis donis inſtructum, ô voluntatem gemmeam & caritate & excellenti tot virtutum ornatu circumfulgentem.

Sed ô grande malum, ô portentum calamitatis, ô flagellum aculeatum, ô execrabile peccatum: ſimulatque hoc animum ſubintrârit, omnia illa cœli ornamenta momento diſſipat, tam pretioſa munilia diſcindit, & tot gemmarum decus igneum ac cæleſta afflatu ſuo inficit, peſſundat, extinguit, perdit: ô diem atram, ô horam lachrymis & ſanguine expungendam, ô dirum & atrox momentum, quod ſcelus hoc concepit, & efferum illum ac truculentum in animæ penetralia prædonem admiſit.

Intuere animo, ac cogitatione ſponſam aliquam pulcherrimam, acu picto ſyrmate conſpicuam; & hinc atque illinc pyroporum, Chryſolytorumq; diſtinctis, ordinibus ſpectantium oculos rapientem: Ut animum allicit illa ſpecies, illud virgineæ formæ decus, ut lumina detinet amabilis ille gemmarum nitor, auri fulgor, & toto corpore habituque ſparſa quædam ad amorem & miraculum venuſtas; cui certè volea ſemper eſſe quàm optimè: verùm quæ ejus ſit miſeria, & malè ominata dies: in latrones illa prædoneſque incidat, ut derepentè & gemmis & aureo monili, & pretioſo ſyrmate ſpolietur, miſeroque amicta centunculo, luto ac ſordibus aſpergitur, tandemque etiam vitium paſſa, & omni onuſta opprobrio, vix ſemianimis ex latrunculorum illorum manibus elabitur.

Hæc eſt imago & expreſſum aliquod ſimulacrum animæ in ſcelus lethale proruentis, in quam jacitur illud fulmen quod olim Iſaias in filias Jeruſalem. *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant*: pro eo, inquam, faſtu, & mollis fractique animi oſtentatione, *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudavit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoria, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſyndones, & theriſtra. Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* C. 3 v. 16. Ibidem.

Attingit Propheta mundum omnem muliebrem, & variæ pulchritudinis delicias, nugaſque, quas eventilabit, diſſipabit, perdetque vindex Deus, & in ſummas miſerias commutabit. Crinem quidem & capillos comptulos, in deforme luridumque calvitium; zonam, in vincula & funiculum; unguenta pigmentaque mollia, in fœtorem & graveolentiam; faſciam pectoralem, in aſperioris cilicii horrorem urenteſque pilos & molliculæ carnis duram tyrannidem.

Hæc fuêre ſupplicia filiarum Sion, quæ non otioſè Propheta recenſuit, ſed certo conſilio & amabili Dei providentia; ut in iis peccatoris vaſtitatem & ultima ſpolia contemplareris. Spoliatur ille omnibus ornamentis gratiæ, ac virtutum infuſarum (ſi modò fidem ac ſpem exceperis) & pro ſuavi virtutum odore habet putredinem peccatorum; & pro cingulo veritatis, mendacium; & pro crine bonarum cogitationum, nudam & undique obſtructam divinis inſpirationibus animam. Longè miſerabilior illâ ſponsâ, quæ in latrones etiam rapaciſſimos fuerit delapſa: hæc enim ut ea quæ corpuſculo adhærent amittat; at domi fortè retinet & in tuto habet theſauros, quibus & nuditatem illam ſuam obtegat, & vaſtitatem ſoletur: At tibi, miſerabilis anima, à peccato nihil omninò relinquitur; ne domi quidem nummulus, quo cœlum emas; nec ſtilla gratiæ, quâ illata damna repares; nec origo meriti, quod beatæ quondam ſerviat æternitati. De ea mente quid ſentias? Quid loquaris, niſi unum illud: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum.* Thren. c 4. v. 1.

Deus bone, quomodo vel in momento vix benè concepti ſceleris omnis ille animæ ſplendor excidit! Quomodo charitatis aurum obſcuratum eſt! Quomodo mutatus color optimus tot bonarum actionum! Quomodo diſperſi lapides ſanctuarii, omnia, inquam, vitæ anteactæ merita, quæ ſupernæ beatæque ſubſtructioni, in cæleſti Jeruſalem ſubſervire debuerant: Quomodo hæc omnia diruta, diſſipata, penituſque extincta!

Antea Nazaræi iſtius anima, hoc eſt cogitationes & volitiones ejus, factæ ex tot virtutum gratiæque principiis, candidiores erant nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores. Nunc verò denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis, hoc eſt nulla eorum ratio, nullum pretium in cæleſti foro beataque Jeruſalem.

Finge tibi benevole Lector, ut ibi finiam unde ſum exorſus: finge, inquam, opulentam civitatem repentinâ irruptione ab hoſtibus intercipi, & hinc dilabi præcipiti fugâ cives, iſtinc alios capi, vinciri, trucidari, inde compilari omnia, incendi, vaſtari, exſcindi, tantumque relinqui rudera, velut priſtinæ fortunæ monumenta: ſi quis fortè Civium poſtliminiò è fuga rediens antiquos requiſiturus penates civitatis locum reperiat, quas non ille lacrymas dabit? quos queſtus, quos ejulatus, & lamenta, ubi ampliſſimarum ædium ruinas ac cineres, & jam Urbis cadaver intuebitur, illudque cum priſtina felicitate conferet, & ſolitudinem cum populi frequentia, fœditatem cum antiquo ſplendore comparabit?

Quod illi, hoc tibi: Si animæ per flagitium aliquod vaſtationem conſideres, propiusque intuearis, & manibus quaſi contrectes quæ ſit illius clades ac ruina; tum verò cum Propheta gemens ac plorans

Thren. c. 1. verſ. 1. exclamabis. *Quomodo ſedet ſola? Civitas plena populo, facta eſt quaſi vidua domina gentium: princeps provinciarum, facta eſt ſub tributo.*

Hic plangitur, inquit Hieronymus, anima fidelis hominis, quæ quondam plena ſuit numeroſitate virtutum, & imperitavit variis affectibus, dominans concupiſcentiis carnis: poſtea autem à malignis Spiritibus flammis libidinis ſuccenſa, deſtituta Angelorum ſolatio, carens divino conſortio, totque ſerviens ſceptris ac tyrannis, quot vitiis ſubjacens.

Tu etiam illam ſi ſapis plange, videque ne in te tuamque animam etiam cadat illud aliquando, quod interprete Vateque Iſaia in Jeruſalem olim emiſſum.

C. 64. *Civitas ſancti tui facta eſt deſerta, Sion deſerta facta eſt, Jeruſalem deſolata. Domus ſanctificationis noſtræ & gloriæ noſtræ, ubi laudaverunt te (Deus) patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinam.*

Flagellum decimum.

Mortificatio meritorum omnium præcedentium.

Ezech. c. 18. v. 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, Nunquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

RIſit olim & ſubſannavit univerſitas Hiſtoriarum Diomedem, qui cum neſcio quo fecit χρύσεα χαλκείων, id eſt aurea arma commutavit cum æreis: Irridendus ille magis, imò deplorandus, qui aureum meritorum cumulum, cæleſtes opes, ac gazas æternitati repoſitas, cum ærea, cum lutea terræ maſſa atque particula, cum brevi putidaque voluptate permutarit.

Damnavit & eadem Antiquitas Scripturæque fides atque authoritas infelicem Eſau, qui jura omnia primogeniti paternamque hæreditatem abjecit, ſeſeque ab ea ipſe volens deturbavit illectus inſipido vel unius tantùm eduli lenocinio. *Accepto*, inquit Scri-

Gen. 25. ptura, *pane & lentis edulio, comedit, bibit; & abiit, parvipendens quod primogenita vendidiſſet.* Sic abit peccator, qui aut gula, aut venere, aut quolibet alio ſcelere jura cœli divinæque hæreditatis amiſit ac perdidit: quem ut ipſe damnes (imò ſi Dei miſeratio patitur, indulgetque, ad meliora revoces) tibi ſub oculos ponam; Primùm, quid ſint merita quæ unâ peccati voluptatulâ prodigis; deinde cujus ea pretii atque apud Superos valoris; denique quomodo univerſa jure quàm optimo per ſcelus unicum mortale deleantur.

Theologi, cum D. Thoma altioris ſapientiæ magiſtro, hanc nobis meriti poſuêre definitionem.

Meritum eſt opus liberum bonum ex gratia profectum, ad Deum aliquo modo ſpectans; quod ex Dei promiſſione aliquo munere compenſari debeat.

Dicitur primò *opus liberum*: quod enim cum quadam neceſſitatis lege vique patraris, non ſortietur illud nomen pretiumque meriti; adeoque à pura putaque libertate ut emanet illud, oportet.

Additur deinde à gratia profectum: eſt enim gratia veluti fons, è quo actiones Deo gratæ, veluti quidam rivuli, defluunt, & ab illa meriti colorem induunt, cæloque valent emendo. Ex quo conficies illud, Ea opera, in quæ non influit gratiæ vis & ubertas, apud Superos nullius eſſe pretii quod cæleſti nummulario conſignare poſſis: ut proinde deploranda ſit multorum mortalium ſors ac conditio, qui ut multos annos vitæ in laboribus ſiſiphiis exegerint, ubi tamen ad ævi ſui curſusque metam longo tractu exhauſti pervenerunt, manibus excedent vacuis, & in alteram vitam non efferent niſi paleas, quibus exurantur ipſi atque conſumantur. Aſpice, quæſo, varia hominum ſtudia, non luſus dico, non tripudia, non menſas duplici ſole æſtuque calentes (hæc enim omnia longiùs abſunt à merito) ſed ea in quibus plurimorum vita potiſſimè vertitur. Mercimoniis hic inſudat, & domi numerando æri vacat; ſnus autem Oceani fauces ingeditur tempeſtateſque tolerat: Ille Juriſprudentiam tractat, & vetias in litibus teritur, linguamque in foro ac tribunalibus venalem habet: alius ſub armis gemit ac ſudat martio pulvere malè ſordidus: Rempublicam alius adminiſtrat, ſceptráque moderatur ac regit, datque ſubditis vivendi leges ac ordinem: alio traducitur alius, & labori ruſtico terræque ſubigendæ vacat. ita ſua quemque diſtinent ſtudia, ſuus labor occupat ac premit: Sed quæ his omnibus merces? Quis cælo valor? Quod in æternitate pretium? Omninò nullum: Paleæ tantùm ſunt aridæ, exſuccæ, infructuoſæ, niſi fortè illis aut charitas, aut alia virtus imperet, & ad altius quoddam eſſe ſublevet: Quod utinam intelligerent illi, qui in hiſce quiſquiliis tot annos, cerebrum, vires, ſpiritusque conſumunt. Certè ſi ii eſſent qui eſſe deberent, ſi tam amantes cæleſtium ac terrenorum: ita calculos ſubducerent, ita omnem vitæ actionumque curſum dirigerent, ut nulla omnium eſſet, quæ vel à virtute non eſſet elicita, vel ab eadem imperata; adeoque & meritoria.

Sed hæc pauca delibaſſe ſit ſatis: Veniamus ad ſecundum, perpendamusque quæ vis & quis valor iſtorum operum: Is enimverò eſt, ut ſi aut uſurpari oculis, aut manibus attrectari poſſet, illicò vileſceret aurum hominibus, & ad iſtas ſpiritales divitias coacervandas abdicatis illis infructuoſis negotiis animum ac ſtudia verteremus: Quid enim iſtis opibus jucundius? Quid ad ſalutem animi quietemque uberius? Quid ad gaudia parturienda fructuoſius? In mentem & oculos veniat ſeniculus aliquis, avarus in paucis, naſo fluente marcidus, obſtipo decrepitus dorſo, pronoque in baculum corpore, annis gravis & vita, plenus ærumnis & morboſo ſenio; ut ille exultat gaudio, geſtit lætitia ac propè triumphat ubi jam ad arculam theſauroſque ſuos tremulo pede venerit: Ut pecuniam convertit, ut in cumulo adigerit, ut aurum ab argento ſegregat, & inter utriuſque acervos avolutatur: quia ſcilicet laborum ſuorum contrectat præmia, & tot annorum fructu ſudoribusque fruitur.

Si hæc, inquam, avari ſunt gaudia, hi plauſus, hæc exultatio; quantò magis ab affuſa veriore lætitia tripudiabit cor juſti hominis, qui in extrema vitæ linea, cogitationes, verba, ac bona opera relegere, remetiri, ac quodammodo reguſtare poterit, & in iis repoſitas merces ac pretium ſempiterni regni 2. ad Timot. c. 4.
futuræque beatitudinis: quo ille ſenſu cum Apoſtolo exclama-

exclamabit. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus Index.* Reddet, inquam, primùm in ipſis vitæ mortiſque confiniis ſuavi memoriâ præteritorum operum; deinde in beata Superûm ſede, domoque æternitatis. Si enim neſcio quis terræ & ventris filius in Evangelio, quia tam copioſam ſementem fecerat, ut horrea antiqua non caperent, ita ſibi animæque applaudebat. Anima habes bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare: ſi inquam opes iſtæ fugitivæ, & noctis unius ſomniique oblectamentum, eâ tamen hominem voluptate perfundere potuerunt; quid faciet copioſus meritorum acervus; quid in horreis æternis dudum recondita meſſis & vitæ benè actæ ſpolia? Quam ſuaviter illa morientis pertentabunt animum? quibus gaudiis cumulabunt? Ita certè, quæ nec meos ipſa concipere, nec calamus exprimere poſſit: ſolus is novit cui annuente cælo datum eſt experiri. Quàm vera illa Dei ſponſio,
Isa. 3 v.10. *Dicite juſto quoniam benè, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet*: comedet enimverò cùm & in eo probatum illud Iſaiæ, *Ponet* juſtus Judex deſertum
Isa. c.51 v.3 ejus *quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini, gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.*

Deſertum illud cor eſt juſti morientis, longè ſemotum à mundi turba & peccati tumultibus, quod ſuis meritis evaſit in hortum amœniſſimum, in quo nihil auditur, nihil inſonat aliud niſi gratiarum actio & vox laudis.

Ea quondam fuit Gerardi, qui D. Bernardo & naturâ & virtutis æmulatione germanus fuit: is morti proximus emiſit has voces. *Laudate Dominum de cælis.* Ea ſexcentorum aliorum, quibus anteactæ vitæ memoria ſpeſque meritorum expreſſit modò has voces. *Te Deum laudamus*: modò illas. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Videbant illi animam quaſi navem pretioſis mercibus onuſtam in portum æternitatis inferendam. Et hæc in extrema cum morte lucta ſolent eſſe juſtorum ſolatia: majora ſervantur & manent in æternitate, quæ reddet
Joan. 16. illud Chriſti Servatoris, *Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Joan. 16. *Breve verbum*, inquit Chryſoſtomus: *ſed quod multam habet conſolationem*: quia liquidò probat, quantum interſit inter hujus vitæ bona & æternitatis fructum ac delicias.

Si pecuniam habes, & multo ære graves arcas fatigas, indeque tibi gaudium facis: at illud auferre poteſt aut fur aliquis lucis fugiens, aut ſervus malè credita ſurripiens, aut Regis fiſcus, aut hominum quævis alia malevolentia.

Si tibi popularis blanditur aura, ſi populi favor, ſi Regum gratia honoreſque ampliſſimi, & ab illis enatum in animis gaudium: at illud etiam tollere poteſt vel inconſtans vulgi opinio, vel incerta ſemperque nutans Magnatum gratia

Si corporis robur & intactæ vires, ſi pulchritudo & ad amorem efficta facies arridet gaudiumque creat: at etiam eo te orbare poteſt aut inopina morbi vis, aut ipſa furtivo pede adrepens ſenectus, quæ vigorem omnem floremque corporis deterit, labefactat atque peſſundat.

Si denique (ne per omnia hujus ævi oblectamenta ſpargatur oratio) menſa ſtruatur opipara, ſi mero exundet & Baccho, ſi omnes offerat gulæ illicias ac lenocinia, & inde etiam gaudium: at illud eſt breve & vacuum; vix enim ulira fauces evadit, vix ſtomachum onerat, cum nauſeam parit. Unum, unum eſt gaudium, quod nemo tollet à vobis; illud ſcilicet, quod relinquitur à meritis in æternitate Deique ſinu repoſitis: ea à te nemo tollet unquam, niſi tu ipſe malus tibi prædo.

Et hoc eſt ultimum hujuſce meæ propoſitionis caput: quod ut explicem luculentiùs, finge tibi, unum aliquem vita univerſa jam inde à teneris unguiculis ad prolixum uſque ſenium conſtantem ſemper tenuiſſe curſum, & acerbiſſima quæque pro Deo pertuliſſe, & arcas meritis refertas in cœlo reconditas poſſidere: finge deinde eundem in ultimo vitæ termino, & ſi voles momento, lethale ſcelus incurriſſe; & illud quidem eſſe primum, quod in omni vita patrarit cùm reliqua annorum ſeries innoxia fluxerit: ecce tot ac tanti multis annorum curſibus exantlati labores, tot in precibus ac largis fortunarum profuſionibus exhauſti dies, tot noctes vacuæ & inſomnes, tot jejunia, cilicia, afflictationes, & repetita quaſi martyria, momento, & momento miſerabili in nihilum reciderunt. Quod ſi miſerabile illud & luctuoſum tibi videtur: at miſerabilius etiam illud magiſque luctuoſum, veriſſimum tamen.

Concipias animo (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ) unum aliquem meritis locupletiſſimum, qui tot labores ſolus exantlarit, quot omnis Beatorum cœtus; tot meritorum opibus abundet, quot vel omnes Sancti dum in terris agerent, vel ipſæ cæleſtes Intelligentiæ dum adhuc eſſent in via: imò ſi voles & illud adjice; eique uni concede Matris magnæ Virginis Mariæ opes & parta cœlo merita: Quid fingi poteſt locupletius, quid felicius eo homine, in quem velut in ſinum beatitatis omnes omnino palmæ, omnes victoriæ, laureæ, triumphi, cœleſteſque gazæ defluxerint? Et tamen, ut eum eſſe fateamur, ſi vel una graviore noxa infici contigerit, illicò omnis illa meritorum congeries miſerabiliter ambuſta concidet.

Ita enim decrevit, Ita juſſit omnipotens illa Maje- Ezech. c. 18.
ſtas, apud quam ſtat ſtabitque prolatum irrevocabile decretum. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. In prævaricatione quâ prævaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccavit in ipſis morietur.*

Hæc atrox pœna, hoc Divinæ Juſtitiæ fulmen quod in duo tela jaculaque diffinditur.

Primum eſt: *Omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur*: ecce lamentabilem & metuendam apud Superos oblivionem.

Alterum extimeſcendum magis: *In peccato ſuo quod peccavit morietur*: & hoc eſt malorum omnium compendium: quod ut à tuo capite longiùs amoveam, ad hujuſce propoſitionis lucem ac fidem duo exempla proponam; Major plerumque factis quàm dictis habetur fides. In vitis Patrum, authore Palladio, duos legimus & nomine & re etiam ipſa maximè affines. Unus Ero dictus, alter Hero: exiguum unius litteræ diſcrimen, exiguum & vitæ.

Ero monaſticum inſtitutum amplexus longos duxit annos eâ vitæ integritate ac ſanctimoniâ, ut omnibus & exemplo eſſet & admirationi: exemplo erat ſingularis ejus abſtinentia, quia aquâ & herbis victitabat: admirationi illud, quòd ſæpiùs tres menſes eoque amplius exigeret ſolo cæleſti pane ac communione contentus. Quis non crederet eum jam inter Angelos propè relatum in qui Angelico pabulo vaſceretur, eoque & corpus & animum ſuſtentaret: quis non eum ab omni virtutum ſupellectile inſtructum crederet, quem eo favore, gratia, prodigio cælum ipſum dignaretur? Et verò is erat cùm & gratia in tuto & virtus in oculis eſſet. Verùm quod in eo mireris atque ingemiſcas, ab illo ſanctimoniæ gradu ſuperbiâ victus ac deturbatus excidit, & è ſolitudine ad mundi ſtrepitum, è cella ad cauponam, è templo in lupanar, è cœlo in cœnum deſcendit, & ſimul omnia anteactæ vitæ merita perdidit: ſibi tamen, (quæ Dei miſeratio fuit) aliquando, licèt

ſerò, redditus pœnituiſſe videtur, & in Domino obdormiviſſe. Similis lapſus Heronis fuit, caſus tamen omninò diſſimilis: venerat ille ad canam & venerabilem ſenectam, quam religioſæ vitæ ſeries, virtutum decus & nomen honeſtabant: vixerat enim in eremo vaſtaque ſolitudine totos quinquaginta annos, & in iis tanquam nobili virtutum palæſtra exercitus palmam tulerat. Verùm (quæ ætatis illius conniventia, quæ ſenio parum tuta fides) ubi nimiùm credula ſenectus ſibi indulgere atque abblandiri cœpit: dum in portu ſubſiſtere videtur, naufragium fecit, & vitæ quidem ac ſalutis.

Vita Patr. l. 6. c. 50.

Veteranus hoſtis, malignus dæmon, ementita boni genii ſpecie, luceque ſic ei illuſit: ſuaſit ut ſeſe in puteum daret præcipitem probandæ virtutis ergò ac ſanctitatis (quam eam eſſe aſſerebat) ut ipſis, quoque Superis ſtupori eſſet ac venerationi: affuturos indubiè vel in ipſo lapſu cæleſtes genios qui cadentem exciperent, molliterque deponerent. Hæc mala dæmonis ſuada, cui fidem dedit nimiùm ſibi præfidens ſenex: ſeque prono vultu & inclinata corporis mole in puteum abjecit: indeque ſemianimis multo labore eductus; ne ſenſu quidem mali, fractiſque propè cervicibus, luxato ſanè toto corpore, ſibi perſuaſit eos eſſe ſtygii prædonis dolos, eas inſidias & pedibus & capiti ſuo paratas: ita vanâ ſui æſtimatione deluſus & amens ſenex canos ſuus cum ingenti diſcipulorum ſuorum luctu ac mœrore ad inferos deduxit: & quæ multi ſoles lunæque merita viderant, ac in æternos annos ſæculaque collegerant, uno momento abſumpſit ac perdidit.

Quod illis, hoc tibi, hoc pleriſque mortalium in dies, in horas uſuvenit: quas multo labore, ſudore, ſanguine ſibi cæloque pepererant opes; eas, fluxâ brevique voluptatulâ illecti diſſipant ac profundunt: neque tamen (quod horreas) ſuum illud damnum jacturamque vel agnoſcunt vel deplorant: ea quippè mortalium hoc ævo cæcitas, is ſtupor.

Iudic. 18. Michas Iſraëlita cùm audiſſet olim milites abſtuliſſe ſibi Deos ſuos, celeri pede eos inſecutus clamare cœpit atque ejulare: cumque illi obtruderent illud: *Quid tibi vis, cur clamas?* ſubjecit ille: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem & omnia quæ habeo: & dicitis mihi, Quid tibi eſt?* Hæc ille qui aliquando ſurget in judicio, & Chriſtianis ruborem injiciet, utpotè qui ob res fugaces, quiſquilias, nugaſque ſolvantur in lacrymas, & fœmineos ejulatus, interea verò cùm & merita & cælum & Deum viventem, & unà cum eo omnia amiſerint, ſine ſenſu tamen adhuc vivunt, ſui planè immemores atque æternitatis.

Utinam attenderent illi, atque altè in animum admitterent aureum illud, & certè veriſſimum D. Thomæ Doctoris Angelici pronuntiatum. *Bonum gratiæ unius* (adde & meriti) *majus eſt quàm bonum naturæ totius Universi*: & tamen in hoc ſervando tam ſeduli tenaceſque mortales, & in illo diſſipando tam faciles ac prodigi: quæ portentoſa cæcitas eſt atque amentia.

Hanc amentiam & viderat, & altè etiam in animum admiſerat virgo ſanguine ruſtica, atque ignobilis: at virtute, & caſtitatis amore nobilis.

E monaſterio Abbatis Severiani exceſſerat monachus unus aliquis, & in ruſticam caſam venerat: in hac cum patre ſeniore degebat virgo forma liberali, & in paucis ſpecioſa: qua captus monachus in ejus amores exarſit: quibus ut faceret ſatis uſus opportunitate abſentis patris, qui fortè negotiorum cauſa Aſcalonem erat profectus: ſicque cum ſola ſolus erat: trepidabat virgo, ut ſolent pulli viſo accipitre. Quid ergo conſilii? quid remedii? primas concepti ignis ſcintillas in virginis aures, imò & oculos jam emiſerat monachus, verba ſcilicet amatoria, & oculorum illecebras: ad quas accedebat vis propè peracta ſi renueret virgo; ſi ſtuprum recuſaret. Quid ergo? blandè primùm hominis animum jam à libidine caleſcentem, ac ferocientem mulcere cœpit, tum ea eo quærere. *Et quot annos exegiſſet in monaſterio ſub arctiore diſciplina?* cumque ille: *Decem & ſeptem.* Tum illa: *Ne tu inſanus ſis & amens, qui tot annorum labores, tot vigilias, tot jejunia, tot corporis ulli afflictationes, totq; ex iis merita, partaſq; cœlo, atque æternitati fructus, diſſipare velis, ac perdere, una horula, imo unica propè momenta putidiſſima voluptatis. Certè id ſi feceris, & prodigus & malè ſanus ſis oportet.* *In Vita PP. l. 10. c. 19.*

Hæc illi virgo in Chriſtiana ſchola probè docta: quæ ut audiit monachus, ſibi quaſi ab altiore ſomno redditus eſt, moxque puellam valere juſſit, atque ad monaſterium profugit, Abbatiſque ad genua pronus ac ſupplex concepti ſceleris veniam petiit: ac deinceps vita reliqua in monaſterio vixit, ibi de gratia, de meritis, de partis cœlo divitiis ſecurior, quàm extra illius ſepta.

Ecce quantum moventi ſit etiam in unius flagelli, de quo in præſentia agimus contemplatione, quam & tibi familiarem eſſe velim, Amice Lector.

Flagellum undecimum.

Peccatum lethale conſtituit hominem in eo ſtatu in quo mereri non poſſit.

Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam & noverim Myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; Charitatem autem non habuero: nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: Et ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. *1 Cor. c. 13. v. 1. 2. 3.*

VT huic meæ aſſertioni fidem aſtruam, pauca erunt præmittenda de natura, vi ac neceſſitate gratiæ, ex ſcholæ ſenſu, & ſaniore Theologiâ, ex Scripturæ ſacrorumque Conciliorum authoritate.

Gratiam in anima reponunt Theologi, veluti principium primum, univerſale, eminens omnium omninò actionum, quæ ſupra naturam ſunt. Facultates enim ac potentiæ humanæ ut fœtum aliquem edant naturâ ſuperiorem, ſupra ſe quodammodo evehi atque attolli debent: Ita intellectus (qui parvi Mundi, id eſt, hominis, lux eſt & oculus) elevatur à fide quæ in Deum rapit altiori quadam cognitione. Ita voluntas ad æterna divinaque ducitur vel ſpei vel charitatis adminiculo: illa bonorum cœleſtium illecebris eam delinit atque allicit: hæc amoris individui nexu vinculoque altringit: Verùm quia is labor non ſolius Intellectus eſt ac Voluntatis, ſed & Animæ, quæ cùm omnium potentiarum radix ſit ac principium, & ipſa vim quoque ſuam explicare debet. Nec tamen id ſine gratia poteſt: hæc etiam illi annuente cælo conceditur, ut & ipſa ſupra ſe quodammodo evadat.

Ex iſtis Theologiæ placitis hæc deduci velim. Primùm quidem gratiam Fidei, Spei, Charitati (ſi modò hæc alia ſit à gratia de qua in præſentia non diſputo) aliiſque virtutibus eſſe quod anima ſuis eſt potentiis; nempe principium primum, radicem & originem omnium actionum, quæ ab illis poſſunt ac debent exerceri.

Deinde gratiâ ſepoſitâ atque extinctâ etiam extingui ac perire Charitatem aliaſque virtutes quæ cum illa nexum habent aliquamque neceſſitudinem.

Deinique

Denique abſente gratia, neque fidem, neque ſpem, ſi ſuperſit (ut Chriſtianis in peccatum aliquod labentibus plerumque accidit) exire poſſe in actus qui cælo ac beatitati condigni ſunt. Et idem eſto judicium de aliis quibuſcumque operibus, quæ quivis hominũ elicere poteſt à gratia & charitate deſtitutus.

Rationem ex me ſi quæras, ea manibus tenetur, & in ipſis naturæ principiis ſeſe oſtentat: ſi enim virtutibus omnibus, id eſt gratia, quod anima facultatibus omnibus ac potentiis, oportet ut eadem hujus atque illius ſit ratio atque neceſſitas: adeóque ſicuti facultates abſque anima vel torpent, vel excidunt, nihilque penitus ſine ea moliri poſſunt.

Ita & virtutes reliquæ ſine gratia torpidæ, ſtupidæ, inertes, infructuoſæ ut ſint, eſt neceſſe. Quod ipſum probant atque evincunt ſacra Concilia, & illud in primis Concilii Arauſicani decretum. *Debetur merces bonis operibus ſi fiant: ſed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant:* Quod fidei noſtræ pronuntiatum, ut ſolet, elatè, magnificè, & prope divinè explicat Apoſtolus. Juvat illum audire, vel è pulpito tonantem, vel in ſcriptis etiamnum ſpirantem: Ita quondam ille ad Corinthios: *Si linguis hominum loquar & Angelorum; Charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero Prophetiam, & noverim Myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferam; Charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam; Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Can. 18.

1. Cor. c. 13. v. 1. 2. 3.

Corinthii utpote ſpiritu altiore ea ferè ſpectabant, quæ ſua luce ſplendoréque mortalium oculos perſtringebant, tenebántque defixos inſolita quadam rei admiratione. Ea propitio Numine edebat primùm naſcens Eccleſia, quæ in ſuis aſſeclis linguarum donum, Prophetiæ vim & oracula, prodigiáque miraculorum oſtentabat: ea porrò omnia quæ cætera ferè amori erant & admirationi, Apoſtolus in Chriſti ſchola probè doctus ne teruntii facit, ſi gratiæ lux & charitatis ardor defuerit.

Da mihi, inquiebat ille Gentium Doctor Fideíque Magiſter; da linguas hominum, da primùm Hebræam quæ nonnullis Angelorum lingua Deíque (vel quia Deus Adæ in paradiſo Hebraico idiomate locutus, vel quia eo uſus fuerit in cœlo totaque æternitate.) Da Græcam illi ſupparem, quæ vel Homeri fuit vel Demoſthenis: da Latinam quæ fortè nulli ſecunda; da illam, & effunde ſi voles ore vel Tullii vel Hortenſii, vel cujuſvis alterius qui in foro, roſtris, ſenatu, Auditorum aures animóſque ſuſpenſos tenuit ac rapuit. Da illam uni Paulo, omnémque illius vim ac facundiam. Quid deinde? An ab illa Orator Paulus? Audi quod illius ſuper ea Judicium, quis calculus. *Factus ſum*, inquit, *velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.*

Sed illud fortè hominum linguæ cognatum eſt vitium. Concede igitur & Angelorum linguam, ſeu eam cum Gregorio Ariminenſi eſſe credas nutus, & ſigna quædam ſpiritualia à prima creatione cuique indita: ſeu cum D. Thoma, aliiſque melioris notæ Theologis, mavis eſſe conceptus, ideas, ac ſimulacra Angelicæ menti impreſſa, aut expreſſa: cedo, inquam, illos cœli typos & altiſſimarum Intelligentiarum formas atque imagines; Quo loco eas reponendas eſſe cenſet Apoſtolus? Quomodo ab iis inſonabit æther? Ut ſolent leves auræ ab ære ſonante & cymbalo tinniente. Verùm à lingua, qua plerumque vapulat incaſſum aër, excede ad mentis adyta intimóſque receſſus: & in iis agnoſce ac demirare reconditum altæ Prophetiæ donum, & in eo velut tabella ſcripta atque excuſa omnia myſteria, ſcientiam omnem, ſeu eam eſſe velis naturæ totius, atque Univerſi, ſeu etiam fidei diſciplinæque ſuperioris: Quis ab ea tandem eris? Quis & ipſe Paulus? Adeò illum deſpicit ut pronuntiet: *Nihil ſum.*

Art. 1 de g. 2.

Sed abi longiùs, & explicata veluti atque effuſa Numinis potentia, da eam fidem, quæ vel montes ipſos ſolo nutu atque imperio transferat: ut olim Thaumaturgi fuit: Da aliam, quæ morbos omnes è corpore velut ex hoſpitio pellat, quæ paludes & maria ſiccet, quæ ventis ac procellis imperet, quæ mortis repagula convellat, cui Superi Inferique pareant, cui tota rerum univerſitas obſecundet; & quem tota loquatur ac ſtupeat natura: Cedo; inquam, mihi & illam fidem; quantus ab ea evades? quantus terris cœlóque videberis? Quantus Paulo viſus es: *Nihil.*

At rurſùm aliò elabere, alia meditare, quæ magis ardua ſunt ac heroica, quæ liberalis, profuſi, infracti ſunt animi.

Age in pauperes pius, cum Placilla Imperatrice Xenodochia percurre, & contra maledicas obloquentium voces dignum Imperio pronuntia, *Pauperibus eleëmoſynam elargiri.*

Cum Ludovico Galliæ Rege Sabbathis ſingulis egenorum pedes lava, terge, oſculare, & diebus ſolemnibus mendicis omninò ducentis regiâ manu cibos miniſtra.

Cum Uſvaldo Angliæ Rege diebus ſingulis famelicos convivio liberali & opiparo refice: & in panis ac cibi penuria, cum illo argentea vaſa ac ſupellectilem concide, atque egentibus diſtribue.

Cum B. Amadeo Sabaudiæ Duce pauperes pro canibus venaticis ale, atque Legatis Principum, ut ille quondam, oſtenta.

Denique cum B. Joanne Eleëmoſynario in pauperum uſus facultates omnes tuas effunde.

Quis ab illa liberalitate proventus? quæ ſpes? Quid illa tandem omnia conferent? Quod olim Pauli voce prædictum: Sine charitate, *Nihil.*

Sed iſta ut miſericordis; at imbellis ſunt animi. Agere voles & pati fortia, atque ab illis tibi nomen famámque apud Superos facere; & ipſe etiam volo: Agedum ergo, *ac vax omnia perpeti*, in ferrum præceps rue, in flammas involа, dic age cum Mutio Scævola: *Vile eſſe corpus gloriam ſpectantibus*; ſimúlque manum ignibus injice, imò & corpus univerſum in ardentes rogos immitte, ut olim gloriæ amantior fecit ille peregrinus, de quo Lucianus, qui ut ſibi nomen immortale redderet, in certaminibus Olympicis ſeſe rogo exurendum commiſit. Imò meliore cauſa ſi voles, non pro Patria ac libertate ut Mutius, non pro inani gloria fucóque laudis ut peregrinus; ſed pro fide, pro cœlo Deóque in ferrum, in flammas, in mortes teipſe abjice: ſi tamen cum iſtâ lethi cauſâ, vel odium proximi, vel quodvis aliud lethale flagitium animo ſervas; dabis quidem obvium ferro pectus, vitamque per rogos & flammarum æſtus ardoréſque profundes; non tamen ex iis ſuppliciorum cumulis atque acerbitate quidquam vel apud Superos gratiæ, vel meriti pro æternitate conſequeris: tantùm nocet vel unum ſcelus, ut omnem illam de cœlo Deóque benè merendi facultatem adimat, deserátque quidquid in eo Chriſtiani celſique animi ac virtutis eſſe poterat.

Flagellum duodecimum

Peccatum eſt peccati pœna, eáque longè maxima.

Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam. Pſal. 68. v. 28.

Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam. Ad Rom. c. 1. v. 24.

BEnè cenſuit, benè monuit olim D. Chryſoſtomus: *Noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam,*

curam, noli ſordidari poſt gratiam; quia ſcilicet majus inde periculum, & pœna gravior, quam eodem eloquentiæ nervo tangit & explicat. *Cogita*, inquit, *graviorem culpam eſſe poſt veniam, revocatum vulnus pejus dolere poſt curam, moleſtiùs hominem ſordidari poſt gratiam*. A tuo ſcelere reus tenebaris, & mirum quantum obnoxius Divinæ Juſtitiæ, quam, ne ſe cupe- dıret in pœnam, diu ſuſtinuit miſeratio; imò & culpæ veniam dediti in illam ſi redeas, majore vinculo ſtringêris: arguêris enim immemoris ingratique animi ac perfrictæ frontis, quod ſub impendente irati Numinis manu id audeas quod non auderet ſub ferro aut furcâ quantumvis improbus.

A peccato vulnus accepiſti, & illud quidem lethale: adbibita ſupremi Medici manus, atque ab illa ſanitas: at vix benè obducta cicatrix erat, cùm unguem immittis, plagam aperis, auges & cruentas. Dederas maculam in gloriâ tua, & è tuis flagitiis Inſami ſtigmate notatus eras, & malè ſordidus: at illud elueras purioribus gratiæ fluentis: & tamen (quæ cæcitas, qui ſtupor, quæ dementia) ab illis iterum ad peccati lutum & ſordes revolveris: exce-

Iſa. c. 1. v. 16. peras & illud Dei tui oraculum: *Lavamini, mundi eſtote*, hoc eſt, in illa munditie perſiſtite: verùm ipſe non perſiſtis, quia verè mundus non fuiſti; ut enim ſcitè Auguſtinus: *Lavatur & mundus eſt qui &*

Serm. 66. de Tempore. *præterita plangit, & iterum non admittit. Lavatur & non eſt mundus qui plangit quod geſſit, nec deſerit; ſed poſt lacrymas flenda quæ fleverat repetit.* Hoc tuum eſt ſcelus, & accenſi Numinis flagellum longè graviſſimum, quod ad pœnas, quas æternitati reſervat, hoc addit in præſentia quod illis acerbius: peccatum prius peccato ſubſequente punit, dum illud patitur: Hoc nimirum eſt quod minaci ſpiritu & fatidicâ voce prædicit, intentat, vovet Propheta Regius, dum

Pſal. 68. v. 28. hæc cœlo terráque teſte canit: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam.* Patere, ô ſcelerum vindex Deus, ut antecedentem iniquitatem ſubſequens alia premat, & longa quadam ac catenata peccatorum ſerie ſibi funem texat, qui fauces implicet, ſpiritúmque per extremas impœnitentis fati anguſtias exprimat. Neque, ut aliàs ſæpè ſoles, benigniore divinæ lucis aſpira radio, neque gratias explica quas aliâ providáque mente vim aliquam habituras proſpicis ad eluendas anteactæ vitæ maculas; ne, inquam, eo gratiæ beneficio ad animam illam appellas, ne illud (quod tuæ eſt indulgentiæ, non neceſſitatis) ei propitius concede, ut intret in juſtitiam tuam, à qua profugus, exul, extorris abiit quàm longiſſimè; non à te compulſus excedere; ſed à ſua levitate, inconſtantia, malitia penitus abreptus. Hæc eſt pœna quam exigo, hoc flagellum quod in rebelle & obduratum cœlo caput expediri velim: juſto ſanè judicio tuo, ut qui juſtitiam tuam impotenti libidine æſtúque perverſæ voluntatis depoſuit, injuſtitiam ſuam induat, eáque malè tegatur in ævum.

Iſta fuêre Prophetæ vota, quæ Divinæ Juſtitiæ zelus extorſit, & impetus quidam animi in ſceleſta capita concitati: quibus ſanè votis venia danda; non enim ea Vatis illius ſinu congenita, ſed à te qui peccas, etiam per vim impreſſa atque expreſſa: ac ne putes ea ſine Davidis vitio exprimi potuiſſe: Illud habe, quod Theologis extra litem & controverſiam eſt. Peccatum peccati pœnam eſſe poſſe, quæ non tam à Superis Deóque inferatur, quàm ita, cùm voles, permittatur: verùm qua ratione pœna dici poſſit, adhuc illud ſub lite.

Part. 2. q. 87. art. 2. D. Thomas pro ea qua eſſe ſolet magnæ mentis ſolertia, docet peccatum *per ſe & formaliter* peccati pœnam eſſe non poſſe; ſic enim eſt deficientis naturæ, ac voluntatis vitium, non pœna; nec offenſam peniat ac deformitatem à ſcelere relictam, ſed potiùs eam auget, & novam addit. Deinde culpa libertatis partus eſt ac voluntatis; pœna neceſſitatis, quæ voluntati repugnans, & adverſa ſit oportet. Nemo enim ſua voluntate ſibi pœnam infligit, ſed eam neceſſitate virtus admittit ac patitur.

Fatetur tamen ille ipſe Angelicus Doctor *per accidens* (ut cum venia eam à ſcholis vocem mutuer) poſſe peccatum unum alterius eſſe pœnam, & quidem tribus omninò modis.

Primùm *ex ſua cauſa*, quæ vel eſt paſſio, & ipſi homini innaſcitur; vel mali dæmonis ſuggeſtio, & deſoris accedit: & quia tam hanc quàm illam vincere, non naturæ eſt, ſed gratiæ: ea dum è peccato ſubſtrahitur, facilem ac pronum ad conſequentia vitia lapſum relinquit, quod pœna eſt, eáque quàm acerbiſſima. Certè cùm eſſes in gratia Superûmque favoribus, è cœleſtibus gazis parata erant ſuis temporibus opportuna cœli auxilia, quibus peccatum caveres, & inferni hoſtis aſtum eluderes: ut ubi in ſcelus proruis improbè, iis ipſe te privas, removéſque quod patiando crimini debuit eſſe pro obice; & hinc offendis miſer, novúmque facinus, quod primò pro pœna ſit, adjicis. Alia ratione peccatum ut peccati pœna ſtatui poteſt, *ex ipſa actus ſubſtantia*: quæ authori ſuo gravis eſt ac moleſtu, vel cùm illa in animæ officina cuditur, & eſt paſſio à ratione devia; ut ira præceps, ut invidia mordax: & ſic ipſa quoque menti onerosa pro pœna eſt debitóque ſupplicio. *Juſſiſti* enim ut inquit Auguſtinus, *Lib. 4. Conf. c. 12.*
juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus. Vel certè foras erumpit, & ſeſe in actum extrinſecus effundit, & hic non animum tantùm affligit ac fatigat, ſed & ipſam quoque corporis molem obruit. De hac cutant ſeri gemitus, ut inanes ſtultorum querelæ. Ita enim ex ipſis inferis exclamant, & eò quidem altiùs, quò profundiùs. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis,* *Cap. 5.*
& ambulavimus vias difficiles: Quas enim alias atterat peccator, qui relicto rationis ac virtutis tramite, à ſe ipſo Deóque longius errat, noctéſque efferas atque ærumnoſos patitur Soles, multo ſcelerum ſuorum vel labore pertæſus vel onere contritus.

Tertiò denique peccatum audit & eſt peccati pœna. *Ex parte effectus conſequentis*, ut inquit ſcholæ gloria D. Thomas: Is eſſe poteſt nota inuſta bono nomini, & ignominia gravis quæ ex illo manat ac fluit.

Ex his duobus modis, non tantùm peccatum eſt pœna præcedentis, ſed etiam ſui ipſius: quod illi ſingulare, acerbum, inſolens. Hoc flagellum magna ut aliàs ſacratioris eloquentiæ vi in Ethnicos torſit Gentium Doctor Paulus: ubi enim illos impiè ſeſe Idolis inclinaſſe docuit; tum quod inde cœlo vindice ſecutum ſit malum, oſtendit. *Propter quod,* *Ad Rom. 1. v. 24.*
inquit, *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam*: Tradidit, inquam, non impellendo (ut blaſphemâ linguâ utróque calamo notat Calvinus) ſed permittendo ut ſuæ libidini laxarent fræna, corpúſque infandis concupiſcentiæ motibus polluerent, & hoc quidem ad condignam Idololatriæ pœnam, quæ à juſto Judice ſic decerni poteſt.

Sed, audio, hîc etiam unguem immittit ſtylúmque vibrat Beza, mali corvi malum ovum, & à peſſimo Magiſtro peſſimus diſcipulus: credit ille Deum, quaſi Judicem tradere impios carnifici, id eſt, peccato.

Benè habet; peccatum ut carnificem agnoſcit: & in hoc non aberrat à vero: ſed in eo deficit quòd inde confici credat, Deum Opt. Max. peccatum non ſolùm permittere, ſed & velle, & in illud impellere: quod ut dediſcat Beza, aliique in fide naufragi, in Superos impii, & in ſupremum Numen blaſphemi, audiat qua ratione juſtiſſimus ſcelerum ultor Deus tradat illos in deſideria cordis ſui. Habet ille tenétque in omnipotentiæ ſuæ manu peccatoris voluntatem quaſi voracem lupum, aut feram aliquam

aliquam alligatam, eámque, dum ita ex amabili providentiæ ſuæ lege viſum eſt, aut retinet aut laxat: ſi retinet, ſcelus patrandum impedit (quod eſt miſerationis) ſi laxat, permittit, & illi tradit (quod eſt juſtitiæ & æquiſſimæ voluntatis.)

Quid hîc habes quo illi reclames atque obſtrepas? Si rurſum laberis & peris, tibi adſcribe, non authori tuo, qui ut liberum eſſere voluit, ita & liberum dimittit; & hoc quidem in pœnam admiſſi criminis.

Liber contra Julian. c. 5. Ita nimirum ut probè advertit D. Auguſtinus: *Crimina criminibus vindicantur: & ſupplicia peccantium non tantùm ſunt tormenta; ſed & vitiorum incrementa.*

Habes ex Auguſtino quomodo peccatum Deo Judice peccati pœna ſit: audi qua ratione etiam ab homine ſit ejuſmodi.

Lib. 25. Mor. c. 9. *Plerumque,* inquit D. Gregorius, *unum atque idem peccatum, & peccatum eſt & pœna, & cauſa peccati. Quod meliùs oſtendemus ſi res ipſas ad medium deducamus: effrænata enim ingluvies in fervorem luxuriæ plenitudinem carnis inſtigat: perpetrata autem luxuria ſæpè aut perjurio aut homicidio tegitur, ut humanarum legum ultione puniatur: Ponamus ergo ante oculos quod quidam voracitatis ſibi fræna laxavit, quâ voracitate ſuperatus adulterii factum admiſit: deprehenſus autem in adulterio, latentem virum adulteræ, ne ad judicium traheretur, occidit: hoc igitur adulterium inter voracitatem & homicidium poſitum, de illa videlicet naſcens, & hoc generans, peccatum eſt & pœna peccati. Peccatum profectò eſt per ſemetipſum; pœna verò peccati eſt quia culpam voracitatis auxit. Cauſa autem peccati eſt, quia ſubſequens etiam homicidium genuit. Vnum ergo idemq́; peccatum, eſt & pœna præcedentis & cauſa culpæ ſubſequentis; quia & tranſacta dum exaggerat, damnat, & adhuc ſequentia quæ damnari debent, ſeminat.* Ecce dum peccas, quàm malignum, quàm noxium ſemen animo committis: à quo non ſuccreſcent niſi acutæ ferocéſque pœnarum ſpinæ, quibus & in hoc ævo mortali, & in altero immortali crucieris.

Flagellum decimum-tertium.

Ignorantia, & mentis cæcitas.

Luc. 6. v. 39. *Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foveam cadunt?*

DE hoc flagello pauca mihi dixiſſe videor in hoc opere ſuprà, ubi civitatem peccatoris, civitatem eſſe cæcorum pronuntiavi; quibus addo nonnulla, quæ huic loco opportuna videbuntur.

Habet anima duas facultates, eáſque principes, intellectum, & voluntatem; quibus ſubjacent & reguntur cæteræ: iis porrò ab uno ſcelere inflicta vulnera: voluntati quidem omninò tria, concupiſcentia, infirmitas, & malitia; de quibus infrà: intellectui verò ignorantia; de quâ mihi in præſentia quæſtio incidit.

Eſt vulnus illud longè maximum, & quaſi radix origóque cæterorum: nec enim concupiſcentiæ ſeſe inclinaret voluntas, nec infirmitati & malitiæ cederet, niſi priùs per peccatum intellectui eruti eſſent oculi: eruuntur autem ne juſtum cuique rei pretium ponat, ne cœleſtia ſcrutetur ac ſuſpiriat, ne terrena intueatur ac deſpiciat, ne pendulam mortis horam attendat, ne gaudia ſempiterna, ne flammas ſemper voraturas objiciat, ne Dei Majeſtatem & formidoloſum Judicis tribunal oſtentet: ſed ut ad iſta cæcus ſit, unóque tantùm oculo terrena videat, ad alia oculis captus.

Viri qui erant è Jabes Galaad fœdus poſtularunt & dextram ab impiiſſimo tyranno Naas Ammonite, qui adverſo exercitu muris attonabat civitatis, obſeſſiſque grave jugum minabatur: poſtularunt (inquam) fœdus: verùm reſpondit eis tyrannus, ſe fœdus nullum velle, nec dextram dextræ jungere, niſi ea lege ut ſingulis eruerentur oculi dextri; cùm enim dixiſſent *omnes viri Jabes* ad Naas: *Habeto nos fœderatos, & ſerviemus tibi; Reſpondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiſcum fœdus, & eruam omnium veſtrûm oculos dexteros, ponámque vos opprobrium in univerſo Iſraël.* *1 Reg. 11. v. 1.*

Hic alicui ſuboriri poteſt cogitatio dubiúmque; cur impetit oculos tyrannus, eóſque dextros? Scriptura in gentis illius opprobrium dedecúſque refert. Theodoretus ad malas impotentis tyranni fraudes, dolóſque revocat. Voluit nimirum Galaaditas bello victos fractóſque, tractandis in poſterum armis inutiles reddere: cùm enim ſiniſter oculus tegatur ſcuto, ſi dextro privatus es, cæco impetu in arma hoſtémque prorues: & hæc illi pro tyrannide potuit eſſe ratio.

Ego tamen malim cum Sanctis Patribus illud ipſum ad animum motéſque traducere. Cum malo genio, cum dæmone nobis acre & immortale bellum eſt; ab illo undique cingimur, vallamur; & tamen, quæ noſtra cæcitas eſt ac dementia, cum illo inimus fœdus, dextras nectimus; ea quidem conditione, ut oculos dextros amittamus: hoc quippe unum tyrannus in pactum vócat & adducit.

Dexter animæ noſtræ oculus is eſt, quo cœlum & cæleſtia contemplamur, quo erigimur in divina: ſiniſter quo in terrena, fugacia, & perituras vitæ mortalis umbras dejicimur: eruit nobis tartareus ille carnifex oculum dextrum, & ſiniſtrum in noſtram perniciem apertum & explicatum relinquit; itáque damnat miſerabili cæcitate: ſi enim ab illius aſtu dolóque cæcus eſt intellectus, & ipſa voluntas à natura cæca, neceſſum eſt ut homo totus ſit cæcus, cæcus intellectus, cæca voluntas: *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, nónne ambo in foveam cadunt?* Foveam dico novi ſceleris, foveam multæ miſeriæ, foveam cruciatuum ſempiternorum: in eam duceris à tuo deſcenſu ex Jeruſalem, ex viſione pacis in Jericho; à funeſta mundi via, ab exitiabili planitie, in qua animulæ tuæ evenit quod olim Sedeciæ Regi.

Obſidebat Nabuchodonoſor, fulmen illud flagellúmque Judaicæ nationis, urbem Jeroſolymam, circumvallarat, munitiones erexerat, aditus omnes ad commeatum occluſerat, faméque obſeſſos enecabat: Rex Sedecias cum pueris, mulieribus Regiis intempeſtâ nocte erupit per clandeſtinam portam, ſeſéque in fugam dedit: ſed fugienti inſtitit exercitus Chaldæus; tandémque in planitie Jericho comprehendit, ipſúmque & filios compedibus vinctos traxit ad Nabuchodonoſor; qui & duos liberos in conſpectu patris deplorabili ſpectaculo trucidari juſſit, & ipſi Sedeciæ oculos erui, vinctúmque trahi Babylonem.

Hic caſus Sedeciam oppreſſit. In quo fortunam tuam vides qui peccas. Comprehenderis primùm in valle Jericho, in loco inconſtantiæ, & mutabilitatis tuæ: tum deinde amittis ornamenta Regia; gratiæ, inquam, diadema, virtutum gemmas & torques: amittis liberos tuos, merita tua, quæ quaſi liberos benè operando parturieras.

Poſtremò denique vinctus caténis, reatu, inquam, peccati, orbatúſque oculis raperis in Babylonem, id eſt, locum confuſionis æternæ, niſi bonus Deus te à Superis devium, & in inferos præcipitem ad ſeipſum revocet. Et tamen ut cò cæcitatis, cò malorum veneris; rides nihilominus, & adhuc ſolo inſultas improbè: lacrymis madere, & pœnitentiæ totus indulgere debueras; eſt enim tua illa ſors digna lacrymis, digna Iliade, digna ejulatu & comploratione, cùm ab amœno, dulciq́ue divinioris luminis Sole, & intelligentiæ die, in atram ignorantiæ noctem, miſerámque cæcitatem compactus ſis.

Plorant hiſtoriæ, & meritò plorant Beliſarium, fortiſſimum Ducem, è florentiſſimo ſtatu & bellici imperii luce, ad extremam inopiam atque cæcitatem redactum eſſe.

Fregerat ille primùm Myrrhanem Perſarum Ducem in Meſopotamia, tum etiam in Africa Wandalos profligarat, tum & ipſam Siciliam Romano addiderat imperio, conſulatum honorificentiſſimum geſſerat, egerátque triumphum qualem à ſæculis Roma non viderat.

Denique in eos aſſurrexerat honores, tantumque apud Juſtinianum Imperatorem ſibi gratiæ gloriæque conciliarat, ut Imperator percuſſo nummo in una parte ſeipſum, in altera Beliſarium armatum effingeret cum hac epigraphe, *Beliſarius Romanorum decus.*

Hic primus & ſecundus Beliſarii actus fuit: tertium audi, & ſcenam ultimam, miſerámque cataſtrophem.

Ille ille florens opibus, fulgens honoribus, & ſola nominis ſui fama hoſtibus formidabilis, tandem de gradu dejicitur, bonis exuitur, orbatur oculis, & ad extremas miſerabilis vitæ redactus anguſtias, mendicare cogitur in ea ipſa urbe, in qua priùs triumpharat, & quam Wandalicis ditarat exuviis: mendicare, inquam, cogitur; &, ut ait nobilis Poëta, poculum ligneum tenens clamare plebi in ſtadio: Beliſario obolum date Imperatori, quem fortuna quidem clarum fecit, excæcavit invidia.

Hunc Beliſarii lapſum, lamentabilémque fortunam diſertâ oratione deplorat Conſtantinus Manaſſes inſignis Hiſtoriographus.

En, inquit ille, vir fortunatus, magnus copiarum ductor, qui formidabilem Coſrhoem Perſarum Principem exterruerat, qui Reges ſervitutis jugo ſubjecerat, qui gladio tot Lybiæ nationes domuerat, vir denique mavortius, & in præliis animo leonino præditus: immanis belluæ, nimirum invidiæ dolis circumventus, abſque milite, propugnatoribus, pharetratorum turba in ruinam indignam & lacrymis deplorandam ruit.

Factus eſt (heu miſer!) pupillo nudior, calicem calamitatum largiter hauſit, ceu fugitivum mancipium rebus ſuis univerſis ſpoliatus eſt; eò denique loci redactus, ut (heu ſortem acerbam!) carnificem expectaret, quando cervicem gladio ſecturus erat. O invidia! bellua nocens, latrocinatrix, cædibus & perſecutionibus gaudens, ſcorpio infinitis ſtimulis infracta, tygris homines devorans, dracæna venefica, lethalis herba, telum ferri expers, cuſpis acutiſſima qualia deſignas, & improba committis? Quas calamitates, quæ mala ſtruis? Vincit me dolor, conturbat luctus, & lacrymas exprimit.

Quouſque perditrix tantum virium habebis? quouſque ſceleratiſſima vitam humanam perturbabis? O tyranne mala machinans, ſanguinarie cuncta appetens: etiam ipſe, quod numquam factum oportuit, in manus tuas incidi, tuáque tela expertus jaceo, parumper adhuc ſuſpiro.

Hæc Conſtantinus Manaſſes mentis æſtu, & commiſerationis abreptus torrente, ſtylo lacrymabili ſupra fortunam miſerrimi Principis lamentatur; quæ ego multò potiori jure in ruinam peccatoris verterem.

Eſt enim ea imago Ducis infeliciſſimi, nativum quoddam emblema illius qui ſe lethali flagitio contaminarat: ſpoliatus eſt Beliſarius bonis omnibus: ſed & tu eo momento quo peccas, omnibus animæ donis, altiore omni fortuna ſpoliaris.

Excæcatus eſt, & hujus ævi corporiſque oculos amiſit: ſed & tu ignorantiæ vulnere, à peccato percuſſus es, & divinioris intelligentiæ lumen, & bonæ mentis oculum, quo æternitatem eminus aſpectabas, amiſiſti.

Mendicavit ille in foro, in compitis, in plateis, abjecta jam ac proſtituta fortuna: tu magis animo abjectus es ac proſtitutus, qui à viliſſimis creaturis voluptatulas tuas emendicas, & quaſi fame confectus ſiliquas porcorum expetis, quibus caninam famem expellas, ventrémque potiùs irrites quàm ſaties.

Excidit ille Imperatoris gratiâ conceſſiſque honoribus: tu verò ſummi Imperatoris, immortalis Dei gratiam perdidiſti: tu his certè Beliſario infelicior; quòd Imperator, cujus amore gratiáque orbus es, Deus eſt; bona, quibus exueris, divina; cæcitas, in quam impegiſti, mentis eſt; mendicitas, quâ laboras, ſpiritus; pœnæ, quarum reus es, æternæ ſunt.

O acerba peccati vulnera! ô duræ & immanes plagæ! ô peccatum bellua nocens, peſtis acherontica, rhomphæa exitialis, penetrans uſque ad ſolutionem compagum atque medullarum! quàm miſerè cor illud, in quod aditum tibi feciſti truculentum, excipis? quàm plagis lethalibus adinſtar ſicarii diſcindis, dividis, diſcrucias? Me certè fodicat atque exulcerat tui commiſeratio: utinam & ea ipſa te tangat aliquando, & crudelioris peccati flagello tandem eripiat.

Flagellum decimum-quartum.

Malitia & obduratio.

Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua. Propter dura peccata tua feci hæc tibi. Ierem. c. 30. v. 14. 15.

HÆc duo jungi placuit, quia malitia obdurationi cognata & affinis eſt. Ea quandoque ita ſumitur ut culpa ſit, & quidem graviſſima: quandoque ut quædam illius pœna, flagellúmque juſto Dei judicio illatum.

Eſt illa prava cordis affectio, peccato tenaciter adhærentis, divinaſque inſpirationes repudiantis; de qua diſertè D. Bernardus ad Eugenium Pontificem Maximum:

Cor durum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur; ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad judicia ſævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviſcens, præſentium negligens, futura non providens. Ipſum eſt, cui præteritorum, præter ſolas injurias, nihil omninò non præterit; præſentium nihil non perit, futurorum nulla eſt, niſi fortè ad ulciſcendum, proſpectio atque præparatio: &, ut in brevi terribilis mali mala complectar, cor durum eſt quod nec Deum timet, nec homines reveretur. Lib. 1. c. 2. Ita Bernardus ſua illa eloquentia cor hominis ſaxeum & adamantinum deſcripſit.

Ejus Auctorem, à Calvino ſi quæris, Deus eſt; qui ut ſumma ſit bonitas, eam duritiem, quæ ſummum eſt malum, immittit. Immanis ſanè & execranda blaſphemia, quæ Deum optimum maximum, malorum omnium fontem facit, & quà poteſt è cælo ſuiſque ſedibus deturbat, ut infami infandoque ſcelerum luto ſordibuſque immergat.

Contra quod pugnant SS. Patres, pugnat Auguſtinus, qui Deum omnis boni fontem & auctorem eâ Calvini calumniâ liberat, ita enim doctè facundèque diſſerit: *Si à juſtitia & pietate quis deficit, ſuo in præceps fertur arbitrio, ſuâ concupiſcentiâ trahitur, ſuâ perſuaſione decipitur; nec in tali negotio quidquam divina voluntatis intervenit: cujus ope ſcimus multos ne laberentur retentos; nullos autem ut laberentur impulſos.* Tom. 1 ad art. 13. Et paulò pòſt, ut luce Soleque clariùs demonſtret fieri non poſſe ut ea cordis humani obduratio Deum Auctorem agnoſcat, ita ſubjicit: *Fieri non poteſt, ut per quem à peccato ſurgitur, per*

eum

eum in peccata decidatur: ſed illud ſcire ſufficit, etiam ab illo eſſe quod ſtatur, & non eſſe ab illo quod ruitur.

Sed iſta miſſa faciamus: nec enim apud homines fidem Calvinus inveniet: bellua ſit oportet, & rationis expers, qui cum eo hac in parte ſenſerit. Venio ad alterum quod eſt hujus inſtituti, paucisque oſtendo quid ſit ea obduratio, quantumque Dei flagellum. Ea potiſſimum in duobus conſiſtere videtor. Primum in eo, quòd aures divinæ voci, oculos cæleſti lumini obſtruat atque obducat; tum deinde quòd voluntatem, in qua una libertas, & actionum omnium dominium eſt, intranſverſum agat, obducet, evertat.

Cap. 7. v. 11. 12. De hoc & illo cecinit Zacharias; *Aures ſuas aggravaverunt, ne audirent; & cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent legem, & verba quæ miſit Dominus exercituum in ſpiritu ſuo per manum Prophetarum priorum.*

Appoſitè Propheta animos ad æterna divinaque difficiles, & ad reſiſtendum divinis conſiliis obfirmatos, componit cum adamante; quia, ut benè ad eum locum Rupertus: *De adamante illud mirandum, quòd cùm tanta ſit duritia, ſolo percoſſus ſanguine hirci, quod animal libidinoſum eſt, ſtatim diſſolvitur; unde congrua ſimilitudo eſt valdè: Cor ſuum poſuerunt ut adamantem; quia cùm duriſſima cervice & corde indomabiles eſſent contra Deum, molliſſimi erant in omnium libidinum fluxum.*

Infans profectò deteſtandaque mollities, putidæ carni cedere, ejus illecebris diffluere, rationi Deoque nec aurem nec animum dare: nimirom jam inde à ſæculis decantatum illud Sapientis: *Obſurdeſcent* Eccleſ. 12. v. 4. *omnes filiæ carminis:* aures, inquam, peccatorum, quæ ex vero dicuntur filiæ carminis, quia cantilenis, adulationi aperiuntur & pateſcunt totæ; ſanis autem conſiliis ac monitionibus occluduntur. Si fortè blanditur caro, ſi voluptas lenocinatur, ſi vana mundos adſuſurrat aura, reſpondet auris, ipſeque animus annuit. Ideò ind biratum illud Iſaiæ Vaticinium: Cap. 13. v. 22. *Reſpondebunt ibi in ædibus ſuis ululæ, & ſirenes in delubris voluptatis.*

Babylonem, id eſt animam à ſcelere turbidam & marceſcentem ſpectat illud oraculum: in ea eriguntur voluptati delubra, extruontur profana fana; & pro cæleſtibus citharœdis, opportunis, inqoam, boni Angeli monitionibus, audiuntur mundi ferales ululæ, & bubones malè ominati, ſirenum, id eſt, voluptatum cantus, & inſana lenocinia; à quibus cælo ſoperisque obſurdeſcont aures. Et hinc prima mali labes; cui deinde accedit & altera. Animus, qui habitat in auribus, ſenſuumque miniſterio ducitur, & ipſe quoque obſurdeſcit, imò obduceſcit totus; & ita quidem, ut nec divinis beneficiis allici, nec intentatis ſuppliciis à peccato deterceri poſſit.

Ii quondam fuêre Iſraëlitæ, in quos flectitur illa Cap. 5. v. 3. Jeremiæ nænia: *Domine oculi tui reſpiciunt fidē: percuſſiſti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti.*

Hæc mœſto cantu Jeremias, ſuorum malis dum altiùs ingemit; quibus etſi premantur ipſi, non dolent tamen aut ingemiſcunt; adeò ſenſum omnem animumque videntur exuiſſe. Et verò jam exuerunt, uti & illi, de quibus præſago ſpiritu cecinit Sapiens multâ mali doctus experientiâ:

Prov. c. 23. v. 34. 35. *Eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clavo: & dices: Verberaverunt me, ſed non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi: quando evigilabo, & rurſum vina reperiam.*

Mirum profectò dictu viſúque! inter tumultoantes ſuppliciorum procellas, adverſos cœlorum æſtus, & irata maria, profundùm indormiſcere ac ſopiri; acuto Dei vindicis flagello percuti, nec dolere; violenta manu trahi rapique, nec tamen ſentire; imò nec ab oculis ſomnum, nec ab animo peccati nebulam excutere.

Ex eo genere fuit olim immanis tyrannus Pharao: in quem etſi omnia conjuraſſent elementa, cœlúmque totis partibus implueret, plagáſque demitteret; hærebat tamen quaſi ſenſus expers, nec ſibi Deóque reddebatur umqoam; adeò terris cœlóque induruerat. Ea durities illi pro flagello fuit, patráque eſt à longa quadam & catenata peccatorum ſerie. Ut enim divino ſpiritu Propheta: *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta ſunt peccata tua.* Et ita qui- Jerem. 30. v. 14. dem dura, ut etſi gemant malleum inter & incudem, etſi perenni ſuppliciorum verbere vapulent, non franguntur tamen, imò nec emolliuntur.

Quod ipſi peccatori, non autem Deo adſcribendum docet Auguſtinus; profertque hinc Pharaonis, inde Nabuchodonoſoris exemplum. Hic enim à Dei flagellis emollitus fractúſque, tandem aliquando reſipuit; ille verò ab iiſdem obduruit. *Quantum* Lib. de prædeſt. & gratia c. 103. *ad naturam*, inquit, *ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad cauſam, ambo captivum Dei populum poſſidentes; quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos? Niſi quòd unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter contra miſericordiſſimam veritatem libero pugnavit arbitrio.*

Nimirum ut uno eodémque Solis æſtu liqueſcit cera, duratur limus; ita hic cùm à peccato limus eſſet, ab igne Divinæ Juſtitiæ in laterem excoctus eſt, qui æternæ flammæ pabulum eſſet; ille verò cùm ceream nactus eſſet animam ab eodem irati Numinis ardore lucéque totus ſolvi cœpit & colliqueſcere: tantum intereſt quem tibi fingas animum, luteúmne an cereum.

Quamqoam neque ſolùm à ſuppliciis luteus indureſcit animus, verùm etiam, quod ſtupeas atque oderis, à beneficiis, unde vel maximè debuit emolliri.

Audi quid ſuper ea ſcripſerit Auguſtinus de eodem Pharaone: *Hoc*, inquit, *de Pharaone ſine dubita-* Serm. 88. de temp. *tione credamus, quòd eum non tam Dei potentia, quàm Dei patientia fecerit obduratum: quam rem etiam circa vernaculos noſtros exercere conſuevimus, quos nimis delicatè, aut ſatis remiſſè, nutrimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus: cùm enim ipſa indulgentia & remiſſione pejores reddantur, ſolemus exprobrantes illud dicere, Ego te feci talem, ego tibi parcendo protervitam tuam & negligentiam nutrivi: hoc autem non dicimus, quòd illi noſtra voluntate in tantam fuerint ſuperbiam devoluti; ſed quòd abuſi bonitate & indulgentia noſtra, fuerint obdurati. Idem profectò factum eſt in Pharaone; quia dum ab illo pro ineffabili bonitate ſua Deus plagas ſuſpendit, ille obdurato corde contra Deum ſe ſuperbus erexit.*

Quod ille eò loci ac temporis, hoc multis antè ſæculis, hoc Noëmi ævo genus omne noſtrum feciſſe legitur. Certaverat longæva Dei patientia cum antiquis, cum novis ſceleribus, & inveterata hominum impudentia: & ita quidem, ut in ancipiti pugnæ alea dubium videri poſſet quis cui concederet.

Hærebat in terris longè latéque fuſa hominum malitia, cœlóſque petebat, & vindices aquas: hærebat in cœlis antiqua Dei patientia, cœlóſque premebat, & imminentes aquas, ne prono ac præcipiti lapſu depluerent, orbémque mergerent.

Ad ſcelus, ad pœnas, ad mortem ibat effrons & cæca hominum libido: ad virtutem, ad veniam, ad beneficia vitámque vocabat amica Dei patientia, & incumbentes ſceleratis capitibus undas ſuſpendebat.

In amœna illa divinæ patientiæ luce Soléque fluxerunt anni mille ſexcenti cóque ampliùs; quibus exactis Noëmus in campum educitur, qui vel ſuo nomine Orbi quietem, & à Superis ſolatium ac medelam afferret: eſt enim Noë idem quod quies, ab

Hebræo *Noach*, id eſt, quievit; vel, ut alii, conſolatio, à radice *Nacham*, conſolatus eſt. Ita nimirum ab uno juſto quies Orbi turbido, & afflictæ terræ conſolatio manare debuit.

Sed ô ſcelus! ô nefas! ô grande peccatoris malum! ô durum pectus! ô caput æneum! qui ab illa Dei patientia totus colliqueſcere diſſolvique debuit, obduratur totus.

Neque tamen ideò cedere viſa ſuperûm miſeratio; ne Juſtitia tot hominum ſceleribus irritata in præceps ire videretur, concedit & alios centum viginti annos, quibus extruitur arca, intentatur Orbi univerſo eluvies, eaque jam inde à Noëmo edicitur: crederes hominum genus omne, vel illa Dei patientia, vel impendente diluvio, à peccatis eſſe revocandum: ſecus tamen omninò accidit; iis immerſum & obrutum magis, imò, quod mirentur horreantque ætates omnes longè conſequentes, intentata pœna, imminens diluvium, petulanti impioque joco dictum eſt *Dei patientia*.

Ita vocitatum lego à Divo Petro Epiſtolâ primâ,
1. Petr. c. 3. v. 20. in qua de ſceleſtis illis ita loquitur: *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.*

Diluvium appellant Dei patientiam infelici joco, inſano ſcommate: cùm enim juſtus Noë divino oraculo monitus ediceret fore ut vindices è cœlo laberentur aquæ; fluerentque interea temporis, triginta, quinquaginta anni, imò ſæculum ipſum effluxiſſet; nec tamen vel una ſtilla dimanaret; ridere illi, ſubſannare, explodere vanas illas futileſque cœli minas, & addere petulantes illas voces: Ubi tandem Noëme, ubi tuum illud diluvium? Ubi præceps aquarum turbo? Ubi fuſa univerſo eluvies? Subjiceretque vir bonus, *Expectat Dei patientia*; in vulgus omne exiit illud, ut Noëmi diluvium *Dei patientia vocaretur*. Ita quod altiùs in animum demitti potuit, in ſtultas auras emiſſum eſt; quódque pacare debuit, efferavit magis: nimirum illud mortalium vitium eſt, & inſigne quoddam flagellum juſto Dei judicio inflictum, quod ipſa morte gravius eſſe cenſet æquus rerum æſtimator.

Cùm gemeret Stephanus ſub immani crepitantium ſaxorum grandine, nihil eo mitius, nihil eo humanius audiri poterat; ei vox erat amoris & indulgentiæ plena, qua pro lapidantibus exorabat Deum. At cùm Judæis de Chriſto loqueretur, ſurdis cauteſ, & efferatis corde; nihil eo vehementius, nihil acrius audiri poterat: perſonabat
Act. 7. v. 51. enim iratus aër his exprobrationibus: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos.* Quæ
In Pſal. 32. dum profundiùs expendit Auguſtinus, *Quando*, inquit, *debuit Stephanus plus iraſci? Quando lapidabatur, aut quando non audiebatur? Ecce mitis factus eſt cùm lapidaretur, & ſæviebat cùm non audiretur.*

Nimirum viro ſancto ex Dei lege juſtáque rationis trutina, omnia meditanti durius accidebant efferæ duræque in Superos animæ, quàm omnis ſaxorum turbo grandóque appelleret: & ita videri deberet ei, qui divina judicia æquo pede metiri volet.

Flagellum decimum-quintum.
Impœnitentia finalis.

Eccl. c. 5. v. 8. 9. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.*

DUo ſunt, quæ apud Chriſtianas mentes in voce odi, in re autem ipſa damno. Primum quidem illud, quod docto pióque calamo effert Gerſon se deplorat: *Vox multorum eſt*, inquit, *Sufficit mihi vita communis: ſi enim inde ſalvari potero, ſatis eſt. Nolo merita apoſtolorum: nolo volare per ſumma; incedere per planiora contentus ſum.* Ea eſt vox hominum hujus temporis, quos D. Auguſtinus appellat *pecora campi*, quia perudum in motem, prona ac præcipitimentis facie in terram abjecti, plana & lata gradiuntur via. 3 Part. tract. de myſt. cil. 4. In Pſal. 8.

Sed & alia vox eſt, quam deteſtor magis atque horreo: ea ſcilicet quæ in invitas ac reluctantes auras emittit illud. Pœnitendum quidem eſſe, ſed nonniſi quàm tardiſſimè: in ultima vitæ linea punctove pereuntis ævi, non antè; quia, ut aiunt, Sufficit unum *Peccavi*. Contra impia horum placita, auſúſque temerarios, declamat Eccleſiaſticus, & hæc auribus animóque tuo committit, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.*

§. I.

Non eſt differenda pœnitentia ob brevitatem & incertitudinem vitæ.

HÆc olim Sophonias ad Judæos, obdurata collo capita. *Convenite, congregamini gens non amabilis, priuſquam pariat juſſio quaſi pulverem tranſeuntem diem, antequam veniat ſuper vos ira furoris Domini.* Cap. 2. v. 1. 2.

Convenite, inquit, *& congregamini* ad publicas preces, & lamenta: *ô gens non amabilis*: vel ut habent Septuaginta, *gens ineruditа*: vel ut Arabicus, *gens inſipiens*: iterum, iterúmque cœtum cogite, convocate Eccleſiam, antequam divina juſſio pariat, educátque ſuper Horizontem veſtrum diem tranſeuntem quaſi pulverem: vel ut Septuaginta explicant *Antequam ſitis ſicut flos pertranſiens die*: vel ut Chaldæus Paraphraſtes. *Antequam prodeat in vos edictum domus judicii, & ſimiles ſitis glumæ quam perflat ventus, & umbra quæ tranſit à conſpectu diei.* Hæc ad Iſraëlem Propheta, quæ ego ad te hodie, ô peccator: es enim, quiſquis is es, *gens non amabilis, inerudita, inſipiens*: quidni enim non amabilem dicam, qui cùm faciles ac benignos cœli complexus & amores diſtinere poſſis, certa voluntate deſtinatóque conſilio odia provocas & formidabiles iras. Quidni ineruditum aſſeram & clamitem, qui altioris doctrinæ placita, Dei tui legem ac diſciplinam reſpuis atque averſaris.

Quidni denique inſipientem eſſe pronuntiem, qui ut mundo ſapere videaris ac tempori; cœlo deſipis atque æternitati. Ne porrò ita in longum deſipias, excipe quæ te in ea inſania occupent & fallant.

Eſt dies hujus vitæ, qui te ſua luce decipit & excæcat: quis ille tibi ſit, hîc non diſputo; quis Deo tuo ſit, audi.

Eſt veluti pulvis quem levis aura diſſipat: eſt palea Euri, Zephyrique ludus: eſt flos brevi tranſiens, qui Orientem ſolem aſpicit, Occidentem non videt. Eſt gluma quam flat perflátque ventus: eſt umbra, quæ tranſit à Sole, Orbiſque oculum non ſuſtines: Et tamen ut ita ſit, ut Divina manus te ut pulverem ſpargat, verſet ut paleam, terat ut floſculum, diſſipet ut glumam, perdat ut umbram; es nihilominus, & eſſe vis quod olim Sophoniæ Judæi: *Vox cantantis in feneſtra, corvus in ſuperliminari*; ubi enim de ſaniore vita, de pœnitentia ſermo incidit, repetis & ſæpiùs ingeminas corvinum illud: *cras, cras.* Cap. 14.

Hæc nimirum eſt tua tarditas, miſeria, calamitas, quam ſibi redditus Auguſtinus non uno loco diúque deploravit. *Alternabant*, inquit, *hi venti, & impellebant*

Confeſſ. l. 6. c. 11. *impellebant huc atque illuc cor meum: tranſibant tempora, & tardabam converti ad Dominum Deum, & differebatur de die in diem vivere in te, & non differebam quotidie in memetipſo mori.*

Componit Auguſtinus æſtus illos ſuos cum ventis, à quibus in diverſa rapiebatur animus, nec ullo in veſtigio conſiſtebat: modò enim voluptatibus illis ſuis, vanitatibus, antiquiſque cupediis illectus connivebat; modò ab illis veritati reſtituebatur & Deo. Lib. 8. c. 5. *Non erat*, inquit, *omninò quod reſponderem veritate convictus, niſi tantùm verba lenta & ſomnolenta; Modò, ecce modò, ſine paululum: ſed modò & modò non habebat modum, & ſine paululum in longũ ibat.*

Hæc de ſe ipſe Auguſtinus: cui etſi veritas in oculis eſſet, viámque aperiret ad vitam meliorem; præcludebant tamen *lenta* illa & *ſomnolenta verba: modò, ecce modò, ſine paululum:* atque utinam illi tantùm remoræ fuiſſent! ſed proh dolor! nimiùm quàm multi ſunt hoc quo ſpiramus ævo, quos eadem verba, non ore duntaxat, ſed & opere expreſſa, à melioribus conſiliis & ſalutari pœnitentia revocant: ſuos quidem illi cum Auguſtino patiuntur æſtus, alternóſque cogitationum fluctus, dum modò ſuavi illiciuntur virtutis illecebra; modò ſuis illis cupiditatibus ad antiqua rapiuntur: ut olim ipſe etiam Auguſtinus, cujus ex voces & ad Superos vota: Cap. 7. *Petieram*, inquit, *à te caſtitatem, & dixeram: Da mihi caſtitatem & continentiam; ſed noli modo: timebam enim ne citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quem malebam expleri quàm extingui.*

Erat in eo pugna luctáve ſpiritus & carnis: Ille votis in cœlum ibat, & ipſam quodammodo corporis ſarcinam extrahebat è luto ſuarum cupiditatum: diceres abiiſſe à ſeipſo Auguſtinum, ſi prima excepiſſes verba, ſi vota exaudiſſes: at ſi reluctantem, & inveteratam in malo conſuetudinem attendiſſes, audiſſes & illa lenta & ſomnolenta verba: *Sine modo, ſine paululum*: Auguſtini mens, & intelligentia corpore ſuperior, ſua vix cœlo deſideria commiſerat, cùm revocabat in terras, verebatúrque ne citò ſupplicem Deus exaudiret, ne citò ſanaret à morbo concupiſcentiæ: adeò voluptati ei erat etiam in ſano corpore æger animus: ex nimirum in una concupiſcentia ſunt illiciæ, quam expleri malebat, quàm extingui: & plerique etiam malunt. Ne porrò malint in ſeros annos ſuo malo (nec enim, ut Auguſtino datum eſt pœnitere; ita & cæteris dabitur) velim in oculis & in animo memori habeant, quis ſit, quàm velox & concitatus vitæ curſus, quàm dubia fata, quàm incertæ mortis leges; à quibus ne diem, ne horam, ne momentum cùm tibi audeas polliceri, mirum certè videri debet, qui ſecurus vitam exigas, traháſque tam immani obnoxius ruinæ: non traheres ſanè ſi conſcientiam benè monentem audires, ſi Sapientûm placitis acquieſceres.

Inter Arabes, qui ſapientes videri & eſſe voluerunt, unâ alterave parœmiâ monuêre poſteros omnes, ne in extremos vitæ dies differrent pœnitere: Centuria 2. num. 25. Hæc è variis prima fuit. *Nata in aqua ante veſperam:* ut enim natatio, quæ obſcuro veſpere inſtituitur, multis objacet periculis: ita & pœnitentiæ lavacro, qui ſeriùs occidente jam vita ſeſe eluere parat, incaſſùm laborat, & priùs immani ſuppliciorum diluvio mergitur, quàm è lacrymis fluentiſque pœnitentiæ poſſit emergere.

Altera Arabum parœmia hæc fuit: *Accende lucernam tuam ante tenebras*: Quæ ſit illa ſi ex me quæris, audies eſſe ſalutarem pœnitentiam, à qua animæ ſurgit & oritur amœna lux gratiæ: ea accendi debet ante vitæ occaſum, ante tenebras impendentis fati: eas ſi expectes, non accendetur lucerna; ſed in æternos annos extincta, te dabit præcipitem in noctem illam, in tenebras horrorémque cæcæ ſtygis & damnandæ æternitatis: Eam dum corpori ſuus eſt vigor, ſua vis animo; prudens aſpice, & cum Davide pœnitente gemitus effunde, lacrymarúmque fluenta: lava per ſingulas noctes lectum tuum lacrymis, & ſtratum tuum irriga: hoc rore excitari, ali, foveri debet lucerna tua, ut lucem aliquando aſpicias beatitatis.

§. II.

Non eſt differenda pœnitentia ob paucitatem eorum qui in fine vitæ convertuntur.

Divus Chryſoſtomus, os illud aureum quod non evolvit niſi ſacros altioris eloquentiæ torrentes & oracula veritatis, hoc argumentum nervosè, piè & patheticè tractat: illum in ſcriptis etiamnum ſpirantem tibi dabo, quem in pulpito tonantem exhorruêre quantumvis efferatæ mentes & obfirmata ſuperis capita: hæc tibi ille ſub oculos ponet quæ quondam in auditorum aures immiſit.

Ne moreris converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; neſcis quid paritura ſit ſuperventura dies: Hom. 22. in Ep. 2. ad Cor. *periculum enim eſt & metus in differendo; ſalus verò certa & ſecura ſi nulla ſit dilatio. Ne dicas, Erit aliquando tempus quando converti licebit; verba enim hæc valdè Deum exaſperant. Curnam enim ipſo tibi infinita ſæcula promiſit, tu in præſenti vita laborare non vis, quæ parva & momentanea eſt: ſed ſic marcidus & diſſolutus agis, quaſi hac breviorem illam quandam inquiras? Nonne illæ quotidianæ commeſſationes, nonne theatra, nonne divitiæ id teſtantur?*

Ubi prodigioſam illam vitæ licentiam ſtuporemque attonitæ mentis oſtendit; & hæc tibi ſuggerit in aurem.

Inebriatus es? Ventri indulſiſti? Rapuiſti? Siſte jam gradum, verte te in diverſum, confitere Deo gratiam, Ibidem. *quod non in mediis peccatis te abſtulit: ne illud quære privilegium ut malè opereris. Multi cùm aliis damnum fraudulenter facerent, ſubitò perierunt, & ad manifeſtum judicium abierunt. Time, ne & tu hoc patiaris inexcuſabilis. Sed multis, inquis dedit Deus privilegium ut in ultima ſenecta confiterentur. Quid igitur, numquid & tibi dabit? Fortaſſe dabit, inquis: Cur dicis fortaſſe? Contigit aliquoties? Cogita quod de anima deliberas, proinde etiam de contrario cogita: & dic, Quid autem, ſi non det? Quid autem ſi det? Inquis: det quidem ipſe: verumtamen hoc illo certius & utilius.*

Hactenus Chryſoſtomus, qui primum ſingularem Supremi Numinis indulgentiam ex eo commendat, quod non ſubitò in iras exarſerit, non cœlo fulmina eduxerit, ultriceſque flammas, quas in tuum caput evibraret, ut in noxium ſcelus olim evolvit. Deinde monet, urget, inſtat ne eâ Superûm patientiâ tanquam indulto quodam ac privilegio utare, ut malè opereris: quod plerique ſuo malo feciſſe convincuntur, qui ſubito & inopinato abrepti fato, ad Judicem ſunt evocati, & ab illo ad æterna damnatorum incendia: à quibus hoc tibi in præſentia commodi eſſe vult, ut alieno periculo doctus, timere diſcas, & impendentem duræ cervici ruinam formidare.

Occurrit deinde tacitæ reſponſioni, quâ tu tibi ipſe fucum facis, quâ blandiris improbè: quod multis annuente cœlo id conceſſum privilegii, ut in ultima vitæ ſcena extremoque ſenio, cùm tremulis in artubus tremit ac nutat animus, non abierint tamen à ſuo corpore, niſi ſacra ac ſalutari peccatorum exomologeſi expiati: & hoc eſt benignioris cœli indultum, quod oculis dum legis, obduratæ menti nimium præfidens, te ipſe fallis. Quid enim? An non illud, ut ipſe fateris, privilegium eſt quod paucis datum, negatum verò quàm plurimis?

Sed audio rurſum obſtrepis benè monenti, & ingeminas illud, *Fortaſſe dabit.* Dubiæ fidei ea vocula *Fortaſſe*, quæ & hoc quoque patitur: *Fortaſſe non dabit. Contigit aliquoties:* at ſæpiſſimè non contigit. Interim cogita, ſedulóque apud te meditare *quod de anima deliberas:* de meliore tui parte, de ſpiritu altiore, de expreſſa ſupremæ mentis imagine, de ſimulacro Divinitatis, & veluti delibata quadam divinæ Eſſentiæ portione: ideóque cùm de ea deliberes, aleámque jacias; *de contrario cogita, & dic, Quid autem ſi non det?*

Sed ecce rurſum inſtas, & objicis audax illud & temerarium. *Quid autem ſi det?* Amabo te, ne eos laqueos induas, ne eâ ſpe te lactes: etſi enim quandoque det ipſe in ultima vitæ periodo pœnitere; at quandoque, imò & ſæpiùs non dat: & quamvis & tibi & aliis tum temporis dare videatur; at de ea certus ac ſecurus eſſe non potes; ut enim nervosè, & piè Auguſtinus: *Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit: ad emendanda enim crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit; nam in ſatisfactione ingentium peccatorum, non verba tantùm, ſed opera quaeruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quæ*
De Temp. ſerm. 57. *non poteſt denegari: ſed Authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolvi: quomodo enim agit pœnitentiam lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam præ ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? Et ideò pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur.* Hæc ubi ad occulta Dei judicia timidus ac tremens dixit Auguſtinus, tum ad auditores ſuos concitata quadam animi vi zelóque charitatis convertitur: *Et ideò,* inquit, *dilectiſſimi, quicumque invenire vult miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ut ſanus eſſe valeat in futuro.*

Hæc ſunt purioris ſapientiæ placita, hæc oracula veritatis, quæ è pulpito quondam effudit Auguſtinus, quæ typis expreſſit poſteritas tanti Doctoris amans & reverens. Et tu leviuſcule Adoleſcens, qui litteras vix primis hauſiſti labellis, qui ſciolus eſſe & videri vis, alia tibi facis non dico ſcientiæ, ſed inſipientiæ fundamenta: aliam pœnitentiæ ſtatuis rationem; dum vivis ac vales à tectis tuis, & à memoria exulare vis, nec admitti niſi cùm aut in infirmo corpore infirmior erit animus, aut vita in præcipiti, morsque in extremis labiis. Vide quantum abſis ab Auguſtino, à ſenſu Sanctorum & totius antiquitatis, adeóque etiam à ſalute. Si pœnitentiam, quæ ab infirmo petitur, infirmam eſſe cenſuit, dixit, ſcripſit Auguſtinus; tu firmam eſſe clamitabis? Si timet ac tremit Auguſtinus columna illa ſurgentis Eccleſiæ. Si, inquam, timet, ne pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, & ipſa moriatur; tu expers timoris ac ſenſus eam tibi cœlóque vivere pronuntiabis? Non pronuntiabis certè niſi ſummè vecors, impudens, excors, amens eſſe ac videri velis. Quis enim es cum Auguſtino compoſitus? Quod ſcintilla ad Solem, gutta ad Oceanum, lutum ad gemmas & aurum, puſio ad gigantem: & tamen ut is ſis, altiore ſocco aſſurgis, & Auguſtino inſultas improbè: nimirum ſibi Deóque plus æquò præfidens animus, vulgíque ſenſus; oculos eripuit, & omnem rationis atque intelligentiæ ſedem evertit.

Sed ecce rurſum obgannis, experientiæ fidem obteſtaris, & ad Davidem pœnitentiæ typum evocas. Ille ad Prophetæ vocem, iratíque Numinis atrocea
2. Reg. c. 6. v. 12. minas adjecit unum *Peccavi*, & mox audiit, *Dominus abſtulit peccatum tuum. Tantum valent*, etiam
Hom. 41. de Pœnit. Auguſtino probante, *tres ſyllabæ. Tres ſyllabæ ſunt Pec-ca-vi, ſed in his tribus ſyllabis flamma Sacrificii coram Domino aſcendit in cœlum.*

Benè habet: ad Auguſtini forum appellas; ad illud ibis: in eo tibi diem ipſe dico, & totius controverſiæ judicem atque arbitrum ſtatuo. Excipe, quid ille è ſacratiore Curia pronuntiarit. Fatetur in vivo ac valente Rege, in Davide, in Chriſto Domini, in viro quondam ſecundùm cor Dei, tres ſyllabas *Pec-ca-vi* ad veniam ſalutémque fuiſſe ſatis. Erat nimirum in iis flamma ſacrificii coram Domino: at eadem nec in te erit, nec in infirmo, aut moribundo; ſubjicit enim quæ ſuper ea meditatur: illum audi, ita declamat è pulpito:

Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accepit; & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis non illi negamus quod petit; ſed non præſumimus, quia benè hinc exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo. Fidelis benè vivens, ſecurus hinc exit: baptiſatus ad horam, ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam, & reconciliatus cùm ſanus eſt, & poſtea vivens, ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam ad ultimum & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit: ego non ſum ſecurus, unde ſecurus ſum dico: & do ſecuritatem unde non ſum ſecurus: pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem non poſſum. Hæc aureâ ſandi copiâ D. Auguſtinus, cujus voces pauculas apud te in ſecreto cordis, altóque cubiculi receſſu, meditare. *Non præſumo*, inquit, *non vos fallo, non præſumo:* Vide ut eadem verba repetat, atque ingeminet ſæpiùs ex impete quodam animi, æſtúque ſacratioris eloquentiæ: non præſumit ille; & tu præſumis? Non te fallit ille; & tu teipſe fallis? Si ſecurus exit ille, non eſt ſecurus Auguſtinus; & tu ſecurus eſſe ac videri voles? Unde ſecurus ſit, dicit Auguſtinus, & dat ſecuritatem, ſi vivus ac valens pœnitentiam egeris: non dat, ſi aut infirmo, aut languenti, aut moribundo corpuſculo eò tandem adduci potueris. Vide an cum eo ſentire, ſapere, & loqui velis, & iterum illud habe quod antè monuit Chryſoſtomus: *Cogita quid de anima deliberas, atque æternitate.*

§. III.

Finalis impœnitentia exemplis oſtenditur.

NE minùs cuipiam hoc in argumento ſatisfeciſſe videar, non diſſimulabo, unum eſſe à quo ſoleat impœnitens ſuæ cauſæ patrocinium petere. Is eſt bonus Latro, cujus omnis vita antea acta multis erat latrociniis infamis, multis iiſque graviſſimis obruta ſceleribus: & tamen (quæ cœli indulgentia, quæ Chriſti miſeratio fuit) in ipſo propè mortis articulo, in vitæ exitu, aditúque æternitatis, & veniam & ſalutis portum invenit. Juvat illius temporis dieíque meminiſſe. Hærebas cruentæ affixus cruci, infame ligni pondus, nec manus, nec pes erat expeditus; ſed trabis implicitus clavo tenebatur: mens una tibi libera, linguáque ſoluta: eam explicas in paucas voces, ſed fidei, ſed ſpei, ſed amoris pleniſſimas: *Domine*, inquis, *memento mei dum* Luc. c. 23. *veneris in regnum tuum.* Vix ea Domini commiſeras v. 42. auribus, cùm ab eo audis, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Unde tanta in miſello homine metamorphoſis, diſputant inter ſe ſancti Patres, nec omninò conveniunt. S. Vincentius Ferrarienſis, Dominicanæ fa- Serm. de miliæ illuſtre decus, credit eam ab umbra Chriſti di- Paraſc. manaſſe; eò enim loci ac temporis ex adverſo ſole incurrebas in umbram Servatoris optimi; ea tibi ad gratiam, ad veniam, ad beatitatem fuit ſatis.

Arnobius modò Chriſto præſenti, modò intimis pœnitentiæ motibus, modò ſingulari Divini ſpiritus gratiæ eam indulgentiam putat eſſe concedendam. Placet illius ore tecum loqui. Piis manibus & ſepulchro plerumque plus fidei ponderiſque, quàm à viventium muſæo calamóque ſit authoritatis. Ita ergo habet:

Cùm

Tract. de 7. verbis. *Cùm jam Anima egreſſum accelerans in primis labris eſſet, & hora ultima adventaret, æquo animo ibat nec urgebat formido pœnarum conſcientiam, quā ſe ſanguine præterfluente ſentiebat ablatam.*

Et hæc prima ratio, à fluento lavacroque pretioſi ſanguinis petita: aliam accipe à boni latronis ſalutari pœnitentia: *Conſiderare*, inquit, *neceſſe eſt quid poſſit pœnitentia, quando bonus Dominus tribulato corde clamantem ad ſe ſervum ſuum etiam in ultimo peccati puncto non negligat.*

Hæc ubi de illo cenſuit dixitque; tum ad ſuperſtites orationis ſuæ vim nervoſque flectit, & ait:

Latro nobis occurrit pœnitentiæ regula, confeſſionis forma, indulgentiæ præco, ſpei exemplum.

Denique ut Latronem illum ſaluti, cœloque reddat, ad uberem Spiritus ſancti gratiam confugit, & ita ſcenam illam claudit.

Multa antiquaq; peccata illicò abolet gratia, nec proceſſu moráque temporis indulgentia limas corroditq; culpæ rubiginem; ſed ubi repente Spiritus ſanctus illabitur, quidquid inhæſerat peccati tabe ſiccatur: & hæc de bono Latrone, quæ Divus Auguſtinus in poſteros trahit, vel exemplo futura, vel ſpei.

Dein, inquit, *Deus tanto debitori refundit immane debiti cautionem: humano generi conſcripſit ſecuritatem:* Serm 120. de Temp. *ut conſolatio ac ſpes foret totius populi, abſolutio unius deſperati; & privatum bonum creſceret in Publicum beneficium.*

Hæc D. Auguſtinus, quocum omnes ſentire ac loqui velim: ut enim Arnobius cujus ante memini. *Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas Divina Clementia: ſit qui in-* Supra. *vocet, erit qui exaudiat: ſit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat.* Ingens nimirum pœnitentiæ vis eſt, immenſaque latitudo, quæ & ætates omnes & vitæ initia finemque complectitur, nec ullum ſuo ſinu excludi vult, ſit ille quantumvis ſceleratus; imò ſi voles pœnæ ſupplicioque jam inde deſtinatus; ut olim Rex Ninive, de cujus pœnitudine Chryſoſtomus. *Quod*, inquit, *prætexta non vale-* Hom 5 ad popul. *bat, hoc poterat ſaccus: quod diadema non eſt effecutum, hoc cinis obtinuit.* Hæ ſcilicet ſcriptæ cœlo leges, eæ juſtæ pœnitudinis tabulæ, quibus nomen quiſquis inſcripſerit, inſcribet & ſuperis. Sed ut arduum illud ac difficile, ita ratum quàm maximè, & propè adynaton, præſertim ubi melioris vitæ propoſita ad calcem percurſi ævi rejeceris. Et quia exemplis amplior eſt fides quàm verbis; è multis pauca producam, exque recentioris memoriæ: quæ antiqua ſunt ipſo ſæculorum lapſu detrita videntur; quæ verò noſtræ fuerint ætatis etſi cæteris careant, at certè gratiam habeant novitatis. Anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo viſus in Anglia vir à genere & nobili majorum proſapia ſuos inter illuſtris, & in Provinciâ Lancaſtrenſi paucis ſecundus, cui nomen Richardus Hautonus: is ut animo Catholicus eſſet, vita certè & moribus erat acatholicus; pluirimùm enim à ſacro nomine diſſentiebat ipſa vivendi ratio, & in luxum ac libidinem effundebatur tota: nec domi tantùm audiebat quàm peſſimè, ſed & foris in omnium oculis ac luce prodebat inſanam illam agendi licentiam, quæ etiam eò collapſa eſt, ut profana hæreticorum fana cœtusque frequentare videretur: non quòd eorum dogmatis aſſentiri & ſubſcribere eſſet animus; ſed ut dum ſpecie-tenus hæreticum fingit ac mentitur, bona ſervaret intacta.

Ita nimirum pleriſque uſu venire ſolet: beata cœli regio, ſuperiores orbitæ, cœleſtes gazæ ponuntur in poſtremis curis; & aurum, terra, lutum habetur in oculis fidelique cuſtodia. Ne cæci & amentes ſumus qui cœleſtia abjicimus, prodigimus æterna, & immortales animos proſtituimus, ut Principum oculis, gratiæ, temporique ſerviamus: ſervivit ille, de quo mihi eſt ſermo: ſed damno ſuo, utinam exemplo bonóque poſterorum.

Ne tamen & catholicum exuiſſe videretur, & ſalutis adipiſcendæ curam laboremque; inter mala quàm plurima, hoc erat boni reliquum, quod domi & in intimis penetralibus duos aleret Sacerdotes, quorum operam manúmque ſervabat in extremum vitæ, & imminentem fati neceſſitatem, qua ne occuparetur ex improviſo, uxori, Matronæ à genere, pietate, religione nobili, dederat in mandatis, ne umquam pateretur utrumque abeſſe domo, ſed alterum ſaltem ſibi ſuæque ſaluti apud ſe ſemper haberet: ita morti benè proſpectum eſſe cenſuit qui vitæ malè conſultum voluit: ita ſibi in ultima brevis ævi linea de Sacerdote, de Confeſſione, de Pœnitentia proviſum, qui omnem anteactæ vitæ ſeriem ſine illa duci trahique voluit: hic fuit dolus hominis, hæc ars, & malè vivendi licentia, quæ etiam fuit occaſio malè pereundi: qui enim fallaces illas & impias hominum ſpes deſpicit è cœlo Deus, prudentiam illam, & qualem quſlem ſalutis aſſequendæ providentiam in caſum vertit & ruinam miſerabilem: altiſſimæ quippe ſunt Divinæ Providentiæ viæ, ad quas non evadit oculus, & acies humanæ intelligentiæ, tum maximè cùm ſibi mundóque ſapere ſtudet, ut cœlo Superiſque deſipiat. De agro vicino inter eum alióſque nobiles fortè lis erat & diſceptatio, cui dum jura legéſque finem non faciunt, vis fecit & inopinata irruptio: nocte enim intempeſtâ, dum famuli ac familiares illatam à viris illis nobilibus vim arcent, & pes pedi, manus manu jungitur, & ad lucem ſideráque pallentia viſitur armorum fulgor, ipſe ſuos inter primus eſſe ac videri Richardus voluit, oudóque ferro agrum tueri: ſed (ô malum! ô arma! ô noctem tibi funeſtam ac fatalem!) dum hoſti nudum pectus objicis, vulnus excipis lethale, & purpuream evomens animam ſine voce, ſine ſenſu, & quod deplorabilius eſt, ſine confeſſione pœnitentiáque expiras. Quid intus profuêre conjugis quàm optimæ vota precéſque? Quid Sacerdos, qui in intimis erat aditis, & via aliquot paſſibus aberat? quid tua illa providentia, & in extremis, ut videbatur, præcautio? verè non eſt conſilium contra Altiſſimum; & quem vita malè acta ſuppliciis dignum duxerit, mors ipſa (quæ ultimum actum habet) non eripiet: Ideóque qui ſapis, dum vivis & vales, maturè pœnitentiam age, nec eam ad extrema vitæ confinia rejice. Et quia in Angliam, non aquis, & ſecundo mari; ſed oratione, menteque ſolvimus: Priuſquam ex ea pedem ſtylúmque reducamus; aliam tragœdiam accipe, quam tulit viditque eadem Lancaſtrenſis Provincia.

Mihi retulit Sacerdos Anglus vir in paucis doctus & religioſus, adeoque etiam fide dignus, eadem in Provincia notum ab inſigni proſapia hominem, cujus nomini parcendum duxit, ut & familiæ parceret. Hic ad cætera vitia, quibus ſe ferè totum commiſerat infelix eorum mancipium, & hoc quoque adjecerat: alebat domi pellicem, cujus amoribus ac lenociniis adeò erat implicitus, ut vix abſolvi poſſe videretur: monuerant ſæpius amici ac familiares: increpuerant ex officii ſui ratione Sacerdotes & animarum in eo regno paſtores, ut ſibi tandem ſalutique proſpectum vellet, modum finémque poneret ſuis illis cupiditatibus, exueret impuros amores, & quam in apertum animæ diſcrimen ruinámque in penetralibus habebat pellicem, illicò (benè monentibus obaudiens) dimitteret: ſed ſurdo & hi & illi canunt, non audit currus habenas, nec immoderata adoleſcentis libido frænum admittit, eò maximè quòd adhuc eſſet in primo efferveſcentis ætatulæ flore, à quo ſibi multorum annorum fructus & uſuram pollicebatur.

Ad eos quos adhuc alebat terra, quaſi illius Pædagogos fidoſque monitores, acceſſêre pii Parentis manes

manes (nam ſuus & illis eſt ſenſus, ſua vivorum cura, & pro eorum ſalute labor) affuit igitur, & ſæpiùs in amœna noctis imagine viſus parens olim vitâ functus, & modò fruens vitâ beatiore: filium ille pro paterno affectu iterum ac ſæpiùs monuit, ut reſipiſceret, ut patris inſtitutis Deique ſui legibus redderetur: procraſtinat ille, nec ſeſe unius fœminæ laqueis expedit, nec vincula frangit ſuarum cupiditatum. Ne quid ergo relinqueretur intentatum, quod efferatum adoleſcentis pectus concuteret, ad pia monita minas adjecit iterum in ſomno exhibitus parens, addiditque fore ut ipſo D. Martini die vitâ cederet, niſi priùs è compedibus illis exceſſiſſet: ſed irritæ cecidere minæ, & inania ſpectra ac terriculamenta viſa ſunt adoleſcenti in ſua fata perniciémque nimiùm præcipiti. Imò, quod in eo lugeas ac deteſteris, inter petulantes jocos jactare, ea eſſe ſomnia papiſtica, quibus ſi fidem haberet, in mœrore luctúque contabeſceret adoleſcentia; cui ut etiam indulgeret, ipſo Divi Martini feſto convivium apparari juſſit inſano ſumptu, vel ut curas falleret, vel ut ſerviret genio, vel ut inter pocula ebriáſque menſas petulanti voce exſibilaret ſomnia, ut rebatur, papiſtica. Dum perdito homini connivet cœlum & pœnam in longum extrahit, abiit malè conſumptus dies Divo Martino Epiſcopo ſacer ac ſolemnis, imò nox ipſa, à qua non ſopiti tantùm ſenſus; ſed & animus. Manè quippe ſibi à ſomno reſtitutus, cùm ſe vivum ac valentem ſenſit viditque, irridere magis atque explodere vanas illas parentis minas, & objectam in ſomnis imaginem: cui ut inſultare videretur improbus, fidémque penitùs denegare, redit ad vomitum, ad antiquam Venerem, ad pellicis amplexus & oſcula, inter quæ & illud jactat: Ecce, jam abiit Divo Martino feſtiva lux, imò & nox ipſa Oceano merſa, lux, inquam, illa, quæ mihi ex oſtento papiſtico decretoria eſſe debuit, non fuit tamen: adhuc enim vegetus ſpiro, & tuos reſpiro amores. Vix ea verba impudenti ac procaci ore exciderant, cùm ſimul excidit infelix animus, & elanguеſcens, emortuaque cervix in illius Dalilæ ſinu malè conquievit: & hoc quidem ut oſtento ſua ſtaret fides & authoritas, probarétque fatalem futuram fuiſſe D. Martini lucem. Certè ſi eo ſtudio Calendarium percurriſſet impius quo chartas luſorias evolverat, legiſſet Divo Martino Epiſcopo ipſo dierum ordine ſupparem fuiſſe Martinum alterum, eúmque Pontificem ac Martyrem, qui pedo graviore feriret mactarétque Superis ac Deo rebelle caput: à quo velim poſteros omnes probè monitos juſtitiam diſcere, & non temnere Divos.

PROPOSITIO V.

Verum illud Sapientis:

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. c. 11. v. 17.

NOn eſt hujus loci, aut etiam temporis, ea omnia in medium afferre, quæ de hoc argumento produci poſſunt. Dies me deficeret, & oratio faciliùs initium quàm finem inveniret: nimirum, & priſca omnis ætas, & noſtra ſæcula, multa ferunt exempla ejuſmodi, è quibus illicò conficias, quàm antiquum, quàm verum ſit illud Sapientis effatum: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Ut autem ea quæ ſuccurrunt reddam aliquo rerum ordine nexúque; primùm ordiar ab iis, quæ animæ expertia ſunt: tum deinde veniam ad ea, quæ vivunt & ſpirant.

PARS PRIMA.

Inanimata, quæ ſerviunt culpæ, ſerviunt & pœnæ.

§. I.

A terra torquetur, qui à terra peccat.

HEbræos oppreſſerat Ægyptus operibus luti & lateris; à luto & cinere pœnam exegit Deus: *Omnis, enim pulvis terræ verſus eſt in ſciniphes.* Et Exod. c. 8. v. 17.
meritò à terra, à luto, à pulvere patitur: ut qui ab illo peccati materiam hauſit, ab eodem inclementiæ ſuæ pœnam hauriat.

§. II.

Eluit aqua quod aliquando polluit.

AD vos, adverſo quamvis & reluctante Nilo, relabor, animulæ molles, ætas innoxia, quæ in primo vitæ limine mortem invenit, & à parentis utero, ad aquas & exundantis Nili torrentes abiit. Fuit illud inviſum, crudele, barbarum Ægypti facinus, à quo perire debuit quiſquis Hebrææ matri Exod. c. 1. v. 22.
naſceretur puer. Dolet pudétque illius lucis. Vix tenebricoſo materni uteri carcere emiſſus eras, vix emerſeras in mortales auras; cùm aquis immitteris, & Nilo mergeris. At ille ipſe, qui te haurit mergitque Nilus, aliquando tandem innoxii cruoris impatiens, ſuas ſanguine tinget & mutabit aquas; ut eas qui biberit, tam infandæ cædis pœnam ebibat.

Nimirum, ut diſertè Divus Auguſtinus, *Juſto Dei judicio factum eſt, ut de illo fluvio ſanguinem biberent, in* Quæſt. 9. in Exod.
quo infantium Hebræorum ſanguinem fuderant.

Quamquam nec ille tincti Nili cruor ad pœnam ſatis: accedent, affluent ingentis maria, & rubentis Oceani fluctus, inſani vortices, qui nocentes Ægyptios involvent, haurient, abſorbebunt: ita qui alios infando ſcelere merſit aquis, iiſdem ultrice Dei manu mergitur. Ut enim Theodoretus: *Tradidit juſtiſſimus Iudex exitio aquarum Pharaonem cum toto* Quæſt. 25. in Exod.
exercitu; quia per aquam interemerat infantes Hebræorum. Sed hoc, inquies, eſt antiquæ memoriæ, quod priſca luxêre ſæcula: aliud accipe, quod noſtra vidit & riſit ætas. Lugdunenſis Oenopola, lucrum ut augeret, vinum augere ſolitus; nec modicâ, ſed immodicâ, aquâ diluere. Ab aqua lucrum petiit: illud aliquando repetet; & verò jam repetiit: cùm enim Ararim fluvium trajiceret, & è Marſupio turgido nummos educeret, milvus ſupernè volitans & imminens, ubi hirſutum marſupium vidit, ratus à pilis animal eſſe, in prædam præceps involat; alarum ſtridore plauſúque hominem occupat, & adunco tenacique roſtro burſam extorquet: at ubi libero aëri redditus eſt, ubi ſublatus in auras, ſenſit inutile ſibi auri pondus, in aquas demiſit: ita aquis redditur, quod ab aquis improbè accipitur.

§. III.

Purgat ignis quod aliquando infecit.

QUòd ſi aqua vel uno ſcelere polluta, ſeſe in pœnam effundit; ſi terra lutumque in cineres peccati vindicea diſſolvitur: & ignis ipſe, qui in culpæ conſortium venerit, veniet & pœnæ.

Ad priſca redeo Ægypti tempora. Hebræos illa afflixerat importunâ laterum coctione, & duriùs exercuerat in *fornace ferrea*; à qua multo pulvere Deuter. c. 4. v. 20.
permixtus ſudor, & ingens operæ laboriſque moles Iſraëli incubuerat: ſed illa ipſa quæ à culpa & immani tyrannide arſerat fornax, in pœnam exarſit; hæc enim ad Moyſen & Aaronem Deus: *Tollite ple-* Exod. c. 9. v. 8.
nas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes
in cælum coram Pharaone. Paruit ille: cinerem ſpar- Exod. c. 9. v. 10.
ſit, & à cinere, ab igne *facta ſunt ulcera veſicarum*

turgen-

targentum in hominibus & jumentis. Nec Ægyptus ſola ab igne pœnam ſenſit: ſed & Hebræus ubi ab igne peccavit, ab eodem peccati ſupplicium luit.

Erant Aaroni duo filii majores natu: uni nomen Nadab, alteri Abiu. hi ex parentis more & inſtituto, Deo ter Opt. ter Max. incenſum offerre, thus adolere, ignem incendere: erat autem in atrio tabernaculi geminus ignis; profanus unus, qui ad uſus domeſticus; ſacer alius, qui ſacris & altari ſerviebat.

De hoc multa Rabbini ex ſua opinione: & primò quidem, cùm ſacrificio illaberetur exhibuiſſe ſpeciem Leonis: ut Chriſtum referret Leonem de tribu Juda, qui ab igne charitatis arſit in ara crucis.

Tum deinde eum ignem non potuiſſe extingui; etſi aquæ ſuſis nubibus implurent, & torrentis inſtar effunderentur.

Tum denique eum ignem ſine pabulo, ſine fomite ſervatum in annos & ſæcula: de quibus omnibus ſit penes Rabbinos fides: hæc enim fortè ex eorum opinione & commentis. ex veritate ſaltem illud erit: Cùm populo benediceret Aaron, victimaſque offerret, lapſus è cælo ignis victimas omnes invaſit & abſumpſit: ex ea luce ſacer haberi cœpit, & ad ſacrificia ſervari juſſus. Et hinc malum, hinc nefas nonniſi ultrice flammâ morteque expiandum.

Nadab & Abiu dum evocarentur, ut incenſum offerrent, thuribula incenderent; ex errore lapſuque ebriæ mentis pro igne ſacro profanum capere, thus incendere, adolere.

Mirum viſu dictuque! non tulit è cælo Deus profanum ignem ſacro commiſceri, ſuis aris ſiſti, & inardeſcere: emiſit ultrices flammas, quæ ſubitò in miſeros illos adoleſcentes illapſæ, eos invadere, incendere, abſumere: *Egreſſus ignis à domino, devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino.* Ignis ſacer, qui ardebat in altari, ex eo elapſus in profanos illos ſacrificulos involavit, eoſque vindice flammâ conſumpſit: ita qui ab igne labitur, ab igne perit; & in ſceleſtos omnia conſpirant elementa.

Levit. 10. v. 2.

§. IV.

Auro punitur, qui auro peccat.

VItulum aureum ſibi conflarat Hebræus, eique divinos honores detulerat: dum tanto ſceleri & nefandæ idololatriæ ſeſe inclinaret & abjiceret Iſraël, ab illo longiùs receſſerat Moyſes: Deo ſcilicet in ſacro monte jam proximus. Ex eo ubi deſcendit, & uſurpavit oculis inſanam illam & tumultuantem popelli turbam, ubi vitulum aureum, ubi choros vidit; in juſtas iras & vindictam exarſit: *Arripienſq; vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël.* ut qui à Deo vero ad idolum aureum defecerant, & Deo privarentur & auro. Ac deinde illis ipſa reſoluti auri ramenta, in aquam ſparſa propinavit; ut qui aurum immodicè ſitierant, aurum epotarent, eoque tumeſcerent.

Exod. 32. v. 20.

Aliam ab auro ſic epoto pœnam hauſiſſe cenſent Rabbini: credunt enim eos, qui aquam illam aurúmque biberant, ſubflavum auri colorem induiſſe; nimirum ora, frontem, vultúmque totum occuparat emeritus auri fulgor, & in ipſam barbam piloſque defluxerat, aureóque tinxerat colore: ut in eo legeres, quam ab auro labem pœnámque contraxiſſent. Et hoc eſt avitæ ætatis; aliud accipe quod eſt recentioris memoriæ.

Vertebatur à Chriſto annus 1256. cùm Tartari Meſopotamiam ſibi ſubjiciunt, capiúntque Baldas, quod aliis babylon dicitur. Ejus loci cum Saracenorum Sultanus in Tartarorum poteſtatem veniſſet, hoc ei decretum eſt ſupplicium: luculento igne au-

Rain.

rum liquatum ejus ori magna vi & copiâ in[illegible] ut qui vivens per ſummam avaritiam a[illegible] didè pepercerat, moriens aurum prod[illegible] ret, eóque benè potus inter ferventes i[illegible] latices animam effunderet.

Redeo ad priſcas ætates. Tarpeia Romana virgo Capitolium Tarpei patria cuſtodia[illegible] um proditura, à Sabinis in mercedem pet[illegible] ſiniſtris brachiis geſtarent: intelligebat autem [illegible] millas auro gemmiſque graves, quas illi lævo brachio ferebant. Annuerunt illi, & Capitolio potiti [illegible] nem armillarum congeſtu obruerunt necarunt[illegible].

Liv. Dec. 1. [illegible] Plutarch. parte 1. c. 8.

Cui non abſimile eſt illud, quod de Brenno Senonum Duce referri ſolet. Is dæmoniacam mulierem, quæ inſana aviditate monilium, quibus illuſtris erat, Epheſum illi prodidit; urbem ingreſſus jam victor, tanto auro fœminam oneravit, ut ſtudio vivam ac ſpirantem oppreſſerit.

§. V.

Exilium patitur, qui alteri injuſtè exilium intentat.

NOn ferebat olim Juſtina Imperatrix Ambroſios animos, & dignam infulâ tantóque præſule conſtantiam; cujus hoc elogium ipſo Theodoſii Imperatoris ore expreſſum: *Solum Ambroſium novi Epiſcopum, dignum eo nomine. hic veritatis magiſter eſt, qui me docuit quid inter Imperatorem & Epiſcopum intersit.* Hæc Imperator à tanto Magiſtro benè doctus diſcipulus. At non ita doceri potuit Imperatrix: ea ſæpiùs de ſuo Præſide, imò de ſeipſa, deque ſuis ſulicis queri, quòd ex iis nemo unus omnium eſſet, qui ſe ſuáque regna uno liberaret Ambroſio. Cùm eas voces, miſtáſque multo gemitu querelas ingeminaret; eas audiit unus aliquis nomine Euthymius, homo mali nominis & ominis, aſſentator perfidus, doctúſque vel omnes Dominæ nutus obſervare, & iis malè obſequi: quod ut faceret, domum ædi ſacræ vicinam elocat, quadrigam expedit, qua in exilium celeri vectus equo deportaretur Ambroſius. Tantum ſcelus concipere potuit furens fœmina, tantum moliri aſſentator impius: at divina miſeratio, quæ ſuos cingere ſolet eo præſidio, quod non evincet, non diſſipet humana perfidia; invicto animo Præſulem eâ populi coronâ, eâ frequentiâ, eo ſtudio cinxit, ut à ſuis avelli, vel integro anno non potuerit: nimirum is fuit Divinæ Providentiæ ludus: at alia inſolenti invidiæ parata cataſtrophe. Elapſo enim anno Euthymius ipſe, eodem prorſus die quo Ambroſium abripere cogitarat, & ex eadem domo, eodémque curru in exilium deportatus: ita in ſceleſtum caput relabitur pœna; & quos alteri dolos malè cudis, tibi cùm minimè reris, excudis & paras.

Baronius Anno 387.

Neque melior Juſtinæ Imperatricis ſors fuit: prima fuerat doli artifex, etiam ferè prima pœnam ſenſit, & quæ ſacerdotibus exilia minabatur, poſt varios tandem eventus cum filio in fugam verſa, exilium, quod aliis intentabat, coacta eſt tolerare.

§. VI.

Capite minuitur, qui alterum per nefas minuere parat.

DUm Ambroſii pericula legimus, & intentatas ab impiis minas: lubet & iis addere decretum alteri cœlo judice & vindice ſupplicium.

Calligonus Eunuchus, qui Valentiniano Juniori erat à cubiculis, hæc olim jactavit Ambroſio: *Ego,* inquit, *niſi Imperatori obſequeris, te capite minuam.* Cui ſereno vultu, intrepidâ voce, reſpondit Ambroſius: *Deus permittat tibi ut impleas quod minaris: ego enim patiar quod Epiſcopi; tu facies quod ſpadones.* Labitur interea tempus non modicum, & æqua

Genebrad. chronicon.

Ambroſ. Ep. ad Marcellinum.

tanto ſceleri pœna allabitur: negatæ Veneris, impuræ libidinis arguitur, damnatur Eunuchus, & capite plectitur: ita qui Ambroſio ferrum ſtrinxit, nudavit enſem, illum ipſe totis cervicibus admiſit & hauſit. Et iſta hactenus de tanto Præſule: tranſeamus ad alia, quæ vel antiqua, vel noſtra tulit ætas.

§ VII.

E Tauro mugit Tauri crudelis artifex.

PErillum olim inviſum habuit & ſenſit antiquitas, vel ex eo tantùm, quòd novo crudelitatis invento Taurum Phalaridi tyranno ex ære ſic fabrefeciſſet, ut eo incluſi ſubditis ignibus lento & abdito cruciatu mugitus edere cogerentur, & inter miſerandos ejulatus expirare. At hoc ſcelus impunitum non tulit Deus: qui cæteris Taurum æreum, invito quamvis & reluctante ignis elemento incenderat, primus ipſe ſubiit: & ex illo lento igne malè toſtus immugiit: ita in crudele caput ultrix flamma deſævit, ne deinde in alios innoxie deſæviret.

Ita nimirum cœlo Judice ſtatui oportuit, ut conſilium malum, conſultori eſſet peſſimum: quod Claudianus eleganti metro expreſſit:

Claudian. lib 2. in Eutrop.

Quàm bene diſpoſitum terris, ut dignus iniqui
Fructus conſilii primis auctoribus inſtet,
Sic multos fluvia vates arente per annos,
Hoſpite qui caſo monuit placare Tonantem,
Inventas primùm Buſiridis imbuit aras,
Et cecidit ſævi, quod dixerat hoſtia ſacri.
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funeſta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente tyranno,
Senſit opus; docuitq́ ſuum mugire juvencum.
Nullum Eutropius, quam qui ſe protulit antè,
Direptas poſſedit opes, nullumq́ priorem
Perculit exilio; ſolumq́ hoc vite perget,
Auctorem damnare ſuum.

§. VIII.

Pugio nocentem ferit, parcit innocenti.

IN Gallia leviuſculus adoleſcens in jurgia facilis, in vulnera cædeſque præceps, pugioni, qui lottè pendebat è cingulo, hoc inſcripſerat lemma, *Je frappe ſans reſpect*; Nullo diſcrimine pulſo. Diceres exanime rudéque ferrum ſenſiſſe impreſſas ſibi crudelis & impotentis animi notas: nocte enim quadam ad ſeras lucernas, ebrióſque numeros cùm ſaltitat, ludit, inſonit, choreas ducit, ſeſéque volvit in gyrum; è vagina elapſus pugio, graviter hominem pulſavit, feriit, & lethali vulnere affecit: ita nimirum à domino ferire doctus, juſſúſque nullo diſcrimine. De eo quod queraris non habes infelix adoleſcens: à te ſic ferire didicit, ubi ferocientis juventæ typos & characteres accepit.

§. IX.

Laqueo præfocatur, qui alteri laqueum nectit.

A Ferro ad laqueum tranſeo: & hic innocenti ſolvitur, ſtringitur nocenti.

Ex Litteris annuis Anni 1630.

Vertebatur à Chriſto annus milleſimus ſexceteſimus trigeſimus, cùm Tacla Æthiopiæ Prorex, & gener Imperatoris, impio auſu & Chriſti religionem, quam ſuſceperat, abjuravit, & Imperatori datam fidem fefellit, armáque in eum movit: ac primùm inſolita & inviſa barbarie, Abbam Jacobum, hominem Luſitanum, quo hactenus confeſſario uſus fuerat, in vincula traxit, pedéſque invicti Martyris crudeli & arcto vinculo conſtrinxit; ac deinde ei ſpiculum in fauces evibravit. Proregis exemplum ſecuta omnia turba militaris: lanceâ quiſque petiit, perfodit, ac nemo omnium fuit qui in S. Martyrem lanceâ non ſæviret: ita ſexcentos ſupra viginti quinque ictus excepit, ut à capite ad calcem non eſſet niſi vulnus. Divina Juſtitia, quæ ſontes ſequitur, & celeri pede parique pœnâ premit, Deo & Imperatori rebellem Taclam oppreſſit, vinctum in vincula dedit, & capitali ſententiâ damnavit. Ea fuit, ut in fornacem ardentem vivens ac ſpirans immitteretur; ut qui cruces, roſaria, imagines incenderat, & ipſe ab ultrice flamma ignéque periret. Verùm cùm ſimulata fide, videretur & ſibi & Deo reconciliari velle; acerbam illam mortis ſententiam mitiore ſupplicio mutavit Imperator, & publicam tam atrocis ſupplicii ignominiam privatâ morte tegi voluit: ad laqueum enim in carcere damnavit. Factum autem mirabili Dei providentia, cùm è funeſta trabe pendere deberet impius, pro fune, pro laqueo ceſſerit illud ipſum cingulum, quo ante annum uſus fuerat, ut Abbæ Martyris pedes conſtringeret: ita verum illud Eccleſiaſtici: *Qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* Etiam ex vaticinio votóque Regii Vatis, qui huic meritò precatur: *Veniat illi laqueus, quem ignorat.* Eccl. 27. Pſ. 34. v. 8.

§. X.

Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet. Eccl. 27. v. 28.

HÆc olim fatidicâ mente præſenſit Eccleſiaſticus: & ita futurum edixit, ut qui alteri per injuriam ſummúmque nefas lapidem in altum miſiſſet; eodem deinde in caput deciduo obrueretur.

Anno milleſimo octogeſimo quartò, cùm Romæ degeret Henricus Tertius Imperator, in Aventinum montem ſeſe receperat: utque ſibi Deóque vacaret impenſiùs, ad Beatæ Virginis ædem ſæpiùs itare ſolitus.

Invitatus loci opportunitate, ex infima plebe homo nefarius, Imperatori necem moliebatur, ingenſque ſaxum in tranſeuntis caput demittere cogitabat. Sed dum occaſionem avidè captat, dum ſaxum parat, attollit, movétque; impar immenſo ponderi, ipſe cum ſaxo præceps devolvitur, & occumbit: in quem veriſſimè Siracides pronuntiavit: *Qui volvit lapidem, revertetur ad eum.*

Et quia lapidis jam memini, & à lapide ſonti ſupplicium petii, non poſſum, quin hîc attexam & aliud illi non abſimile, quod ex Florimundo refert Drexelius noſter, vir in primis doctus, diſertus, pius; ejus verbis reddam: nec enim pudet à tanto viro & rem ipſam & verba mutuari. In Phaëton. 2. partes, c. 6.

Perrinus è Calvini ſchola homo factioſus, ex ara ſacrum lapidem, in quo Chriſti corpus offerri conſueverat, in infamem ſupplicii locum, ubi rei plectebantur transferri curavit, ut deinceps maleficorum ſanguine tingeretur. Non putabat miſer ſe primam fore victimam ad hoc altare immolandam. ſed neque hîc aliter evenit: conſilium malum conſultori peſſimum. Perrinus ad hunc ipſum lapidem capite truncatus eſt: ut ei quàm optimè conveniret illud Eccleſiaſtici vaticinium: *Qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo.* & hoc Eccleſiaſte pronuntiatum: *Qui transfert lapides, affligetur in eis.* Florimundus Ræmundus l. 7. de orta hæreſi c. 15. Cap. 27. v. 30. Cap. 10. v. 9.

§. XI.

Veneno vitam amittit, qui alteri venenum fundit.

IN malas artes dolóſque ingenioſa ſolet eſſe tyrannis; quod aperto marte aggredi non audet ſcelus, tacitis inſidiis molitur & parat: ut ei nihil tutum, nihil alienum ſit à fraude; ne ea quidem, quæ vitæ tuendæ ſerviunt. Ne multis. Roſimunda Alboini Longobardorum Regis conjux, marito Drexel.

cædem

cædem ita eſt machinata. Venenum miſcuit, obtuliſque è balnois egreſſo. Senſit ille confeſtim, poculo necdum epoto, peſtem membris receptam; placidéque in conjugem converſus: Tu verò, inquit, quod reliquum eſt ebibe. detrectat illa, negátque ſe potu egere; quòd balnei æſtum paſſa non eſſet. at quò recuſat magis, eò Juvenis impenſiùs id poſcit, urgetque: imò ad verba minas addit, ferrúmque ſubiratus intentat. Quid hîc ageret infelix Roſimunda? Duræ neceſſitatis fatique leges: aut ferro, aut veneno pereundum fuit. Stricti enſis fulgor metúſque perculit magis, quàm occulta vis toxici: illo igitur evicta timore, etſi conſcia veneni, hauſit tamen poculum à ſe dilutum: atque unà cum eo extincta eſt. De ea dici potuit, quod olim Attalus apud Senecam: *Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit.* Epiſt. 82.

§. XII.

Qui iniquas leges condit, iis ipſis legum vinculis tenetur, & malè perit.

INiquâ lege nihil noxium, nihil adverſum magis; privata enim, publica, profana, ſacráque omnia, quæ illibata robore ſtare, religione teneri debuerunt, ruunt penitus & labefactantur: priùs tamen quàm concutiantur illa, concuti evertique ſolet impiæ legis auctor; juſto Dei judicio legeque. Exemplo erit Eutropius, qui Arcadio Imperatori à cubiculis fuit, homo flagitioſus in paucis, cui nihil erat ſacrum, nihil inviolabile, nihil invium; ſed profana omnia & pervia: nam & magiſtratus vendebat, & milites calumniabatur, & ipſum ſenatum variis contumeliis impetebat; imò & in templa ædeſque Deo ſacras involabat, latáque lege jubebat eos comprehendi, qui ad templa aráſque ipſas confugiſſent. Vix ea lex promulgata erat, vix in vulgus recepta; cùm peſſimi conſilii tyrannis ſuum tetigit auctorem. Nec enim multò pòſt Eutropius Imperatore offenſo in templum confugit, ad aram ſtetit: ſed inde ſua lege abſtractus, & intempeſta nocte capite plexus eſt: ſic in fontem ſcelera recurrunt ſuum; & æqua fati lege plectitur, qui iniqua alios involvit.

§. XIII.

Sacrilegio ſuo punitur ſacrilegii Reus.

EA quondam ſacrilego decreta fuit pœna: ab omni populo lapidibus peti & obrui debuit; nec ſepulchrum invenire, niſi inter congeſta temerè ſaxa & fatales acervos.

Atque hoc lata lege ſupplicium fuit. Aliud quandoque pro ſceleris ratione exegit Deus. Ne chartam multis onerem, calamúmque longiùs ducam in tam triſti argumento; unum duntaxat in medium proferam, quod ad inſtitutum meum conducere videtur.

Leo quartus Iconomachus, coronam auream carbunculo illuſtrem è S. Sophiæ templo ſuſtulerat, eámque extulerat in caput, ac deinde triumphantis in morem totâ urbe Conſtantinopolitanâ circumtulerat. Spectabant Superi nefandum caput, in quo vix ſacra ſteterat corona, vix luxerat carbunculus; cùm ei gravis innaſcitur incumbitque pœna, quæ ſacrilegum furtum ipſo ſaltem nomine referret: ſubitò enim ex impio capite, velut malorum ſentina, teterrimum ulcus erupit, quod medicis carbunculus dicitur: cujus acri & inſolito dolore perculſus, primùm in febrem; tum deinde in rabiem incidit; deniqe ſacrilegam animam paucos poſt dies inter miſeros ejulatus evomuit. Zonaras annal. To. 4.

Ita nimirum obtinent Divinæ Juſtitiæ leges, ut coronam gloriæ abjiciat is, qui eam per nefas erexit. *Dic Regi, & dominatrici: Humiliamini, ſedete: quo-* Ierem. 13. v. 18. *niam deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtræ;* inquiebat olim Jeremias Sedeciæ, ejúſque matri; cui præſago fatalique calamo prædicebat exitium. quod certè magis in Leonem Iconomachum cecidiſſe videtur.

Anno 1438. Neapolim obſidebat Alfonſus Aragonum Rex, cùm ecce Petrus ejus frater qui armis præerat, tormentum bellicum dirigi mandat in turrim Patrum Carmelitarum, quæ fortè mœnibus imminebat. Globus porrò ingentis omninò ponderis primùm turris partem effregit, disjecitque; tum fortè incurrit in imaginem Crucifixi, quæ in medio templo prominebat. Hæc demiſſo tantiſper capite ictum eluſiſſe viſa; non ita tamen quin & corona illi ſuperpoſita, & aliquid etiam è capillitio decerperetur. Videri poterat abiiſſe innoxius ille tormenti horror, non tamen omninò innoxius, nec ſine ultrice pœna receſſit. Die quippe proximè ſequenti, cùm ex eadem turri, eadémque hora in caſtra hoſtilia exploſum eſſet tormentum bellicum, illius globus in caput impegit miſerandi Principis, itáque & caput, & vitam amiſit, qui in Crucifixi caput etiam leviter offenderat, licet fortè præter mentem: adeò in hoc etiam verum illud, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Bzovius in Annal.

Anno 1644. miles, Haſſus natione, moribus & vita hæreticus in pago Kerſchembruch non procul Noveſio, ſacram ædem ſubingreſſus, ut Crucifixi imaginem vidit, primò ſcommatibus eam impetere, tum inſanis clamoribus, & impia hac voce: *Chriſte, argentum, argentum.* Neque intra fauces, & horrendos clamores amentia ſtetit, & furentis æſtus, exceſſit longiùs, & manum ſchlopeto armavit, exploſitque in ſacrum Chriſti Crucifixi ſimulacrum. Nec impunita abiit mens ſacrilega; mox enim ſpectantibus omnibus nec ſine horrore, corpus impium in quatuor partes diſcerptum manu inviſibili, & vi quadam divina, & quod mireris, ut pœna culpæ par eſſet nec multum abſimilis, cadaver illius omne in quatuor partes diſſectum, atque in Crucis formam compoſitum apparuit, nec ſine Numine, ut qui in Crucifixum dirè peccaverat, & Crucifixi imagine punitus videretur etiam poſt fata. Maximil. Sandeus.

PARS SECUNDA.

Membra, quæ fuerunt olim arma iniquitatis peccato, fiunt arma Divinæ Iuſtitiæ ad vindictam.

BEnè quondam Romanos monuit Apoſtolus: *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes.* Cap. 6. v. 13. Natura nobis eò membra dedit ac compegit, ut iis uteremur benè, & cœlo Deóque pugnaremus. Sed ô malum! ô præpoſteræ cogitationes! ô auſus infandi! peccatum, quod regnat in hoc mortali corpore, iis abutitur, ut cœlo, ut auctori ſuo bellum inferat.

Ita manus ad vulnera cædémque movet, linguam evibrat, ut aliorum famam maledico dente carpat ac rodat: oculos emittit, veſaſque partes in omnes, ut impuros hauriant & venentur amores; eóque quaſi celeres nuntii deferant ad ipſum animæ conclave.

Quod malum graviſſima oratione perſequitur ac deplorat Tertullianus: *Ipſe homo*, inquit, *omnium flagitiorum actor, non tantùm opus Dei, verùm etiam imago eſt: ea tamen & corpore & ſpiritu deſcivit à ſuo inſtitutore. Neque enim oculos ad concupiſcentias ſumpſimus, neque linguam ad maliloquium, & aures ad exceptaculum maliloquii, & gulam ad gulæ crimen, & ventrem ad gulæ ſocietatem, & genitalia ad exceſſus impudicitiæ, & manus ad vim, & greſſus ad vagam vitam,*

aut ſpiritus ideò inſitus corpori, ut inſidiarum & fraudum & iniquitatum cogitatorium fieret. Fit tamen, non ſuapte natura, ſed culpa, ſed malitia. Verùm ut is fiat, ut corpus animo ſit domeſticus & inſidus hoſtis, ut membra arma ſint iniquitatis, erunt tandem etiam aliquando arma Divinæ Juſtitiæ ad vindictam: quod facto per ſingula diſcurſu paucis oſtendo.

§. I.

Dextram amittit, qui dextram perfidus dedit.

IN Cæſarem electus erat Henricus Quartus, cui Radulphus Sueviæ Dux primùm dextram dederat, teſtem amicitiæ, teſſeram fidei, arrham obſervantiæ: verùm, ut multæ in purpura ſunt illecebræ, ut parum conſtans ſibi eſt animus ubi ſe præproperæ ambitioni commiſerit, imperium tandem & Imperatorem ipſum excutere conatur Radulphus: & per ſummum nefas involat in jura Regni, aquilam venatur, affectat Imperium. Res ferro & armis dirimenda fuit: uni prælio commiſſa & jactata totius Imperii alea. quæ quidem Henrico feliciter cecidit; Radulpho infeliciter: vulnus enim lethale accepit, dextrámque amiſit, viditque hoſtili ferro præciſam; quam deinde altera manu prenſans ad Proceres ſuos converſus: *En dexteram*, inquit, *quæ juramentum præſtitit. fœdus ſanxit ac fregit vobis auctoribus: hæc pœnas dedit, dabitis & vos Deo vindici.*

§. II.

Oculis orbatur, qui in ſuos oculos peccat.

NOn ita pridem religioſa & certa fide, noſtrorúmque litteris, rarum Divinæ Juſtitiæ exemplum accepimus; quod tibi eadem fide, benevole Lector, referemus.

Anno 1634. In Hiberniâ, Dublini urbe frequenti & nobili, captivus tenebatur ſicarius quiſpiam: qui ut animo ferox, ut manu promptus; ita lingua pejerus, blaſphemus, impius. Pes illius compedes admittere, manicas ipſa manus induere potuit: at effrenis lingua neque his, neque illis ita coërceri potuit, quin ſæpiùs elaberetur in maledicas illas voces: Diabolus eruat mihi oculos, niſi res ita ſe habeat. Jactabat eas voces inſolenti licentia, frequenti & continuo propè mendacio, à quo factus eſt tandem compos voti malè nuncupati. Cùm enim die quodam ita pejeraſſet impius, derepentè utroque oculo captus eſt, & miſera cæcitate damnatus. adeò cœlo Judice verum illud: Oculis orbatur, qui in oculos peccat.

§ III.

Naſo mutilatur, qui naſum alteri abſcidit,

SEdecim jam annos imperarat Juſtinianus Secundus, cùm ei à Leontio texuntur inſidiæ, vis aperta paratur. *Zonaras.* Eduxerat hic è carceribus prodigam imperii ſanguiniſque turbam, quæ anteactæ vitæ ſceleribus viam ſibi fecerat ad audenda majora. Hac ſtipatus primùm in templum irruit, ac deinde in Regiam ipſam incurrit, ex eáque eductum Juſtinianum naſo fœdè abſciſſo mutilat, & in Cherſonem inſulam relegat. Quod Imperatori decrevit ſupplicium, hoc ei deinde juſto Dei judicio decernet Abſimarus: qui & ipſa tumultuante claſſiariorum turba, Imperator proclamatus, Leontium ex improviſo obruit, capit, & truncato naſo, obſcuro carceri mancipat. Fertur deinde Juſtinianus, ſibi, imperio, priſtinæque fortunæ redditus, acceptæ injuriæ non immemor, quoties naſum emunxiſſet, toties è ſuis hoſtibus, & illius mutilationis auctoribus unum aliquem ferro neciq́ue deſtinaſſe: quibus certè fuit optandum quàm maximè, ne ſæpiùs naſum emungeret Imperator, ne unà & vitam & ſanguinem emungeret.

§. IV.

In lingua punitur, qui à lingua peccat.

CUm ab inſolenti ſuperbia elatum eſſet genus omne hominum; etiam in Superos effrænem & impudentem linguam extulit; dixit enim: *Venite faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum.* (*Gen. c. 11. v. 4.*) Ecce linguæ culpam & impios auſus: quibus ſua de ſuperis orbibus pœna defluxit. Statim enim ex Dei vindicis vox inſonuit: *Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* (*Verſ. 7.*) Cùm à linguæ petulantia libera foret tellus, erat illa labii unius, erat unilinguis: at ubi illius vitium eſt paſſa, caſtigatur diverſitate, quia peccarat unitate. Nimirum omni ævo verum illud Regii Vatis: *Sub lingua ejus labor & dolor.* (*Pſal. 9. v. 28.*) Hebraicè *bhamal vaaven*; *labor & iniquitas*, ut vertit Caietanus, vel *afflictio & vanitas*, ut exponit Vatablus. adeò enim & iniquitas labori, & vanitas afflictioni contermina, ut & ipſa iniquitas labor ſit, & ipſa vanitas afflictio: à qua primùm diviſæ & confuſæ linguæ; tum deinde vel impeditæ penitus, vel etiam evulſæ: hujus & illius exemplum afferamus.

Ex litteris Noſtrorum, qui in Hibernia ſaluti proximorum incumbunt, accepimus unum; quod (*Anno 1634.*) quia recentis eſt memoriæ gratius accidet, quàm ea, quæ ſunt ſuperiorum ætatum. Dublini detinebatur in carcere vir laicus vitæ omninò profligatæ; qui eò tamen audaciæ, impudentiæ, impietatis venit, ut & aliorum confeſſiones excipere, & ore profano ſacra abſolutionis verba proferre auſus ſit. Non tulit è cœlo Deus ſceleratam hominis impudentiam, temerarios auſus, pollutas voces: ne in eas iret in poſterum, ne linguam expediret, eam quibuſdam pœnæ vinculis ita illigavit, ut ſeſe vel in unam voculam ſolvere non poſſet. Ita qui linguam malè ſolvit ut malè abſolveret, eam ſibi aſtrictam & impeditam ſenſit, mutúſque manſit, non ſine ſtupore gemitúque hæreticorum; plauſu verò & lætitia Catholicorum.

Audiſti occupatam ab uno ſcelere linguam; ab alio, de ore, de faucibus evulſam audi, æquáſque Divinæ Juſtitiæ leges ac vias demirare. Gurorantes (*Baronius tom. 5. Anno Chriſti 430.*) S. Eunomium ſua in urbe obſederat & cinxerat: admoverat machinas omnes, & in muros arietarat valido impetu. Una ſolvendæ obſidionis ſpes in Sancto Præſule: in eum erecti omnium oculi & animi: miles obſeſſus detrectare prælium, cives ſubterfugere: nemo unus ſe hoſti murum objicere. Cùm deeſſent cætera, non defuit Epiſcopus: ipſe urbi pro milite, pro duce, pro muro fuit: tantum intereſt quis gregi paſtor invigilet.

Hic fremere & indignari barbari, & cæteros inter Regulus unus aliis petulantior blaſphemâ linguâ cœlos impetere, ferrum & flammas minari: maximè verò templo Divi Thomæ ignes & cineres intentare.

Non tulit magni animi Præſul eam Superis injuriam irrogari, eam Apoſtolico nomini labem inferri: ſeipſum ad muros ſtitit, & ad extremas murorum pinnas admoveri juſſit baliſtam inſcriptam nomini S. Thomæ Apoſtoli: excepit illa ſacrum nomen felici omine, & ingens ſaxum in hoſtem emiſit: ac ne falleret, ne aberraret immiſſus lapis, manum admovit vindex Deus; lapidem telúmque direxit in os blaſphemi Reguli, illud penitus confregit, comminuit, & maledicam linguam cum vulnere, cum ſanguine, cum vita expreſſit.

§. V.

§. V.

A capillorum luxu, ab ambitione, à Venere qui peccat, ab iis & punitur.

LYdiæ populis effuſa erat cæſaries, & comæ laxiores: eas Perſarum Rex reſcindi juſſit, vel ingenti tributo redimi. Admiſerunt illi tributum, & ingenti ære capitis ſpolia redemerunt. Hoc ævo, quo vivimus, non importunum fortaſſe foret ejus generis tributum: reſtringeret inſolentem illam comarum luxuriem, quæ in viris fæminam olet, & nimiam in adoleſcentibus mollitiem. Sed ne abeamus extra fori noſtri limites; iſtis pœna burſam petiit; hæc etiam vitam.

Ab intonſâ & explicata in humeros cæſarie, & pluſquam muliebri in capillos luxu peccarat Abſalom; ab eo funem, & vincula texuit, quibus è quercu hæreret pendulus.

Ab inani gloriæ, faſtúque nimium præcipiti regnum affectarat, & Regis, Ducum, popellique corda inſanâ regni cupidine velut potenti telo transfixerat. Advolavit affectati regni vindex & ultor
2. Reg. c. 18. v. 14. Joab; *tres lanceas infixit in corde Abſalom.* Si Regios optimi parentis animos, ſi genus ſuum, ſi nomen legiſſet Abſalom; erat in ſolo nomine bonum omen, erat officii ratio, erat alta parenti pax: Abſalom enim interpretantur Hebræi, *pax patris.* At infelix adoleſcens & ſui & nominis oblitus, regni patriſque turbo fuit, & invíſa nimium procella, quam excitavit immaturæ ambitionis æſtus. emanarat ille è corde Abſalonis, ex eóque fonte totis campis ſeſe effuderat: nec umquam ſiſti potuit, niſi potenti telo figeretur, & ſiſteretur cor rebellis filii: ita tandem factum eſt, & factum benè; *tres lanceas infixit Ioab in corde Abſalom.* tot enim infigi oportuit, ut tria ſpicula uno corde exciperet, qui & Regis & Ducum & populi, id eſt, trium corda uno ambitionis telo vulneraverat.

Ut ambitioni, ita præproperæ & vagæ libidini ſua fuit pœna. In Venerem præceps ierat Abſalom, torum parentis incenderat, decémque ejus concubinas violarat: ab illa cupidine hanc in ſe
2. Reg. c. 18. v. 15. pœnæ turbam traxit: *Cucurrerunt decem juvenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Impurus amor & cupido, decem omninò tela expedierat, iiſque ab uno decem transfixerat: quot cupidinis tela, quot ſagittarii; tot fuêre Mavorti jacula, tot juvenes armigeri; qui in unum tela mortémque ferrent: nempe quos numeros cenſuit ſervavitque culpa, eoſdem recenſet ſervátque pœna.

Abſaloni jungamus alium, ejuſdem ferè culpæ conſortem: is erit Zambri, qui per tyrannidem Regiam Iſraël occupavit: ſed in eadem miſerè con-
3. Reg. c. 16. v. 18. flagravit. *Ingreſſus enim eſt palatium, & ſuccendit ſe cum domo Regia.* ita ruinam invenit, qui per ſcelus aulam ambivit; & qui in Regiam aſcendit, deſcendit in pyram.

Ab inſana ambitione, ab aulæ incendiis ad Veneris ignes revertor: eos ſenſit Fabius Fabricianus Maximus: is diripiens Tuxium, principem Samnitium urbem, inter opima ſpolia etiam Venerem (quæ apud illos colebatur) invenit, & Romam miſit; idémque ab uxore adultera paulò poſt in-
Coaſſiens in Symb. terfectus eſt. Ita qui vitia in publicum recepit, ſenſit ſe illicò domeſticis malis opprimi.

§. VI.

Qui per ſcelus, alienum ſanguinem effundit, ſuum effundet.

HÆc olim cœlo Judice lata lex: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Huic legi annuit & Chriſtus, cujus hoc eſt effatum: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* *Matth. 26. v. 52.*

Exempla voles? Intentatas Davidi minas accipe. Hæc illi quondam Propheta Nathan: *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio. Quam ob rem non recedet gla-* *2. Reg. c. 12. v. 9.*
dius de domo tua. Non aliunde, inquit Chryſoſtomus, *non foris; ſed ex domo tua. Vnde eſt fons peccati, illinc eſt plaga ſupplicii.*

Huic addo vetus illud, ad culpam quidem infame, ſed ad pœnam celebre, quod de ſeipſo Adonibezech: *Septuaginta Reges, amputatis manuum ac* *Iudic. c. 1.*
pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Agnoſcit ultricem Dei manum, parque tantæ immanitati ſupplicium: captus enim à Juda Duce fortiſſimo, exſis ſummitatibus manuum ac pedum, pœnâ talionis mulctatus eſt.

A ſimili culpa ſimilem pœnam exſolvit immanis Achab, & iſta ab Elia audiit ac ſenſit: *Hæc dicit Do-* *3. Reg. c. 21.*
minus: In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem *v. 19.*
Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. Qui juſti Naboth ſanguinem fudit, eumque ſepulturæ gratiâ privavit; & ipſe ſanguinem dedit, & ſepulchri honore caruit. nempe verum illud D. Ambroſii: *In-* *Lib de Naboth. c. 11.*
humatum pauperem Deus aſpicit; & ideò inſepultum divitem jacere decernit.

Quâ pœnâ ſontes illos Divina Juſtitia plexit; eadem deinde poſteris ſæculis eos omnes oppreſſit, qui fuſo innoxio ſanguine rei tenebantur.

Ne multis te morer in argumento ſatis ſupérque noto & obvio; ſcelus illud animo repete, quod in natali Herodis epulo in ipſas menſas importatum eſt.

De eo ita Ambroſius: *Premium ſaltatricis, mors* *Lib 3. de*
eſt Prophetæ: rapitur ad pœnam convivali tempore, con- *Virgin.*
vivali præcepto; perimitur gladio, caput ejus affertur in diſco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur.

Crudele ſpectaculum ante oculos conſtitutum, caput *D. Auguſt.*
S. Ioannis in diſco: feralis miſſus crudelitatis, propter *ſerm. 116. in*
odium veritatis. Scelus audiſti; pœnam accipe: ſta- *nov. ſer.*
tuetur illa cœlo vindice, & vindice aquæ elemento. Saltitarat olim in Regia, & in polito marmore puella, ſuóque ſaltu caput Joannis extulerat in diſco:
Nicephorus l. 1. c. 20. ſaltitavit deinde in rigenti glacie; quæ ubi puellæ ſceleriſque pondus ſenſit, ſubito quodammodo fatiſcens; primùm diſſolvi & hiare cœpit, mox deinde ſaltatricem haurire, abſorbere; denique rurſum aſtringi & concreſcere, infandumque caput à cervicibus revellere. Vix illud à trunco reſciſſum erat, cùm in ipſa glacie, in rigido aquæ æquore ſubſiliit, fataliqúe ſaltu crudelem olim & impium ſaltum damnavit. Is nimirum à pœna ſolet eſſe ſaltus, qui priùs fuit à culpa.

Et hæc de ſcelere unius puellulæ; quæ ut ſupra ætatem, ſupra ſexum peccavit; ita præter communem naturæ legem debitas ferociæ ſuæ pœnas exſolvit.

Aliud adjicio non minùs crudele & impium tyranni facinus. Habuit Polonia Staniſlaum Epiſcopum, virum omninò magnum, cum bona, cum mala fortuna compoſitum, & in utraque ſemper victorem: ei primùm occultè inſidiari Boleſlaus Poloniæ Rex; tum deinde apertâ vi manuque S. Præſulem impetere: nec ſua tantùm ſede (quod erat injuſtitiæ) ſed & vitâ expellere (quod fuit immanitatis.) Ubi barbarâ immitique Regis manu ferróque cecidit Staniſlaus, ne quid deeſſet ad immane impiúmque facinus, corpus ejus exanime, diſſectos artus, & magnæ mentis exuvias canibus vorandas objecit. ita cœlis iterum auditæ illæ voces, miſtæque gemitibus hæ bonarum mentium querelæ: *Carnes ſanctorum* *1. Machab.*
tuorum, & ſanguinem ipſorum effuderunt, & non erat *c. 7. v. 17.*
qui ſepeliret. Fuit tamen (quæ benigni Numinis in nos cura) fuit aquila, quæ feras à ſacris artubus arceret; & fuit pia Canonicorum turba, quæ pii Parentis, & magni Præſulis Martyriſque diſperſa

 membra

membra colligeret ac ſepeliret. At non erit, infelix Boleſlae, qui te exulem patriæ regnóque reddere, neque adverſus immanium ferarum morſus tueri poſſit: pro admiſſo ſcelere te manet pœna talionis. Eam tibi mortales immortaléſque poſuêre: & ne vana crederes omina, inanes minas; à tuis ipſe ſubditis regno pulſus es, actus in ſylvas & nemora, exul, extorris, vagus, amenſque dum incerto gradu, emota mente ferris, canum dentibus laceratus, diſcerptus interiiſti: nec fuit qui laniatos artus membráque aut colligeret, aut mandaret humo: nimirum exanime putidúmque cadaver, vel ipſa odit horretque tellus; nec ſuo ſinu gremioque tegere aut celare poteſt tantum nefas: pro tumulo tibi erunt concava canum viſcera, feraléſque patentis oris dentiúmque hiatus: ut qui vivens animum caninæ invidiæ ferociæque conceſſiſti; etiam mortuum corpus eidem concederes; ſicque ultima primis conſentirent.

Dubravius in hiſtor. Bohemica.

§. VII.

Per animantia qui peccat, per ea & torquetur.

cap. 3.

EXtat libellus de rebus prodigioſis toto Orbe contingentibus, in cujus parte prima profertur hiſtoria digna poſteris, omnique memoria: illam tibi reddo eadem fide. Anno ſalutis 346. dicitur in Polonia fuiſſe Rex, cui nomen Popellus: utebatur ille frequenti juramento, ſeſéque muribus vorandum devovebat hac jurandi formula: *Niſi res habet ut aio, à muribus depaſtus intercam.* Ad hanc impiam jurandi conſuetudinem accedebant & alia vitiorum monſtra: quæ dum in Rege non ferunt ejus Patrui duo, virtutis & Regiæ æquitatis amantes; benè monent, ut iis modum ponat, & ſceptro purpuráque dignos animos induat. Verùm, ut equus indomitus, nec fræno ſe regi patitur, nec calcaribus urgeri; ſed ut poteſt, ſeſſorem ſuum agitat, excutit, abjectúmque feroce ungula calcat ac proterit. ita Popellus ille moller Patruos ſaluti Regiæ probè conſulentes primò duriùs verbis excepit, ac deinde crudeli morte extinguit, ne ampliùs eſſet, qui in aurem & animum Regia monita immitteret.

Hæc ſcelera diu ferre non potuerunt Superi: dum ex more guláque quotidiana indulget genio, menſis incubat & Baccho; ex ipſis occiſorum corporibus emergunt, excurrunt, & propè evolant infeſta murium agmina; in menſas, in pocula, in Regem ipſum incurrunt, & tenaci fatalique dente corrodunt. Neque Regi ſic undique petito, & à muribus obruto defuit ſollicita Procerum ſatellitúmque turba: pars arcendo hoſti, ferrum vagina eximit, ſtringit, ferit; pars ignem & flammam admovet; pars aquam affundit, & infeſtos murium greges diluere, mergeréque ſatagit.

Sed nulla adverſus Superos vis eſſe poteſt: quem cœlum ad pœnas depoſcit, nec armata ſatellitium turma, nec inferi tuentur; & ferro, & igne, & aqua ſuperior erit divina ultio. Ea porrò etiam fuit, perditúmque Regem murium prædæ pabulóque cedere voluit.

Ita qui in culpæ partem ſæpiùs evocati ſunt mures; in pœnam tandem ultrice Dei manu devocantur.

Priuſquam ab hac murium clade pœnáque diſcedam, illud ſubjungo, quod de Azotiis Scriptura: *Aggravata eſt manus Domini ſuper Azotios. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magna in civitate.* Si quæras cur Azotii Deo judice per mures puniantur; audies ex Auguſtino: *Quatenus qui miſera animalia divino cultu venerabantur, per miſerrima animalia in adventu Dominicæ legis caſtigarentur.*

1 Reg. 5. v. 6.

Lib. 2. de mirabil. c. 7.

Accedit & alia culpæ pœnæque ſimilitudo. Hoc muribus à natura vitium eſt, ut edaces ſint, ut tenaci dente quidlibet arrodant: & is à culpa Philiſtæis genius fuit; erant illi epulones, bibones. quod vitium docet ipſa nominis etymologia: *Philiſthini* enim, id eſt, *potu cadentes*. à potu vinóque ſoluta lingua in maledicas voces erumpebant, ipſúmque Iſraëlis nomen hoc ſcommate vellicabant: *Egreſſi mures de cavernis ſuis, auſi ſunt provocare nos ad prælium.*

Iudith. 4. v. 2.

Hoc fuit Aſſyriorum ſcomma, quod fortè ab Azotiis hauſerant. Et hinc urbe tota, tota regione, pullularunt mures; ut qui per injuriam electum Dei populum mures vocitarant, à muribus illatæ quondam injuriæ pœnam paterentur.

§. VIII.

Filius qui in patrem peccat, à filiis punitur.

AVini potu mentis inops Noëmus jacuit, *& nudatus eſt in tabernaculo ſuo.* Nudum vidit, & irriſit è filiis unus; & hoc paternæ maledictionis fulmen extorſit: *Maledictus Chanaan; ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Hîc incurrit illa quæſtio, Quid commeruit innoxius Chanaan? Cur ea maledictio noxium caput non petit? In parentem parum officioſus fuerat Cham: æquum erat, ut in ſe quoque parum officioſum filium experiretur, juſtáque pœna talionis puniretur. *Quia Cham cùm filius eſſet in patrem deliquit, ob id per filii maledictionem pœnas luit,* inquit Theodoretus. cum quo conſpirat Divus Ambroſius; ait enim: *Ideò improbum habere meruit filium, quia improbus fuerat patri.* Quod primis ſæculis Noëmo; hoc deinde poſteris Iſaaco: caligabat ille, & à ſenio propè lumen oculorum amiſerat. Bono ſeni ita caliganti illuſit Jacob, filius natu minor, & pellibus hœdinis nuda colli manuumque involvit: ea ſpecie fratrem Eſau mentitus, paternam in ſe benedictionem ac primogenita derivavit.

Gen. 9. v. 25.

Quæſt. 58. in Gen.

Lib. de Arca & Noe c. 28.

Quâ parentem arte deceperat, eâdem à filiis deinde circumventus eſt: exuerunt illi Joſephum togâ polymitâ, eámque tinxerunt ſanguine hœdino, miſerúntque ad patrem qui ferret, & diceret: *Hanc invenimus: vide utrùm tunica filii tui ſit, an non?* Quam cùm dubia luce, nutante oculorum acie cognoviſſet pater, ait: *Tunica filii mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Ioſeph.* Hæc nimium credulus ſenex; qui, ut olim bono dolo parentem ceperat, ita modò malis artibus, dolóque ſcelerato à filiis capitur: adeò verum eſt, & omni ævo probatum illud Sapientis: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

Geneſ. 37. v. 32.

Verſ. 33.

§. IX.

Conſilium malum conſultori peſſimum.

BŒotis ex oraculo quærentibus qua ratione rebus ſecundis uteremur? Reſpondit Antiſtita: Rebus uſuros ſecundis ſi impiè agerent. Quo accepto mulierem in rogum conjiciunt: rati ſi oraculum malâ fide edidiſſet, flammas mereri; ſi bonâ, ſe ex oraculo facturos, cremantes ſacerdotem, quod maximè impium videri poterat. Ita exuritur quæ Colchicum dedit impietatis: *ſic ſæpè in magiſtrum ſcelera redierunt ſua.*

Strabo l. 8. Cauſſinus in Symbol.

Eam in rem facit quoque elegans apologus Vulpis quæ timens Leonem & Urſum, utrumque inter ſe commiſit, ut quà dentibus, quà ungulis fœdè ſeſe invicem dilaniarent: ſed huic & illi fraus patuit, & doloſæ vulpis malus ſemper genius; quo cognito ab utroque malè mulctata, mactata, laniata eſt. Itaque qui alteri per fraudem malum cudit, ſibi excudit.

LIBER QUINTUS.

Opportuna peccati remedia.

NOn eſt mei conſilii, ea omnia proferre, quæ ægris animis mederi poſſunt; ſed è multis pauca proponere, quæ & magis obvia ſunt, & faciunt ad fugam peccati.

PROPOSITIO I.

Memoria mortis, præſens peccati remedium.

IN hoc argumento, quod cuique ferè notum & obvium, non eſt animus inferre nova & inaudita; ſed potiùs antiqua & ſæpiùs recantata iterùm ſub oculos ponere; & ſi qua ratione fieri poſſit altiùs legentium mentibus, fideliq́ue memoriæ infigere: quòd ea plurimùm conducat ad vitam benè ac feliciter tranſigendam.

§. I.

Memoria mortis commendatur auctoritate tum profana, tum ſacra.

Eccl. c. 38. v. 23. *Memor eſto judicii mei, ſic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie.*

HÆc ſcripſit & dixit olim Siracides, non tam ſuo calamo oréque, quàm defuncti ſtylo vocéque uſus ad commendandam perennem memoriam mortis; quam judicium appellat: tum quia juſto Dei judicio Adæ poſteriſque omnibus illata; tum quia ex ea præceps ad judicium, Deiq́ue tribunal eſt via: tum denique quia omnium gentium more ac conſuetudine recepta: Hebræis enim judicium idem eſt atque mos & conſuetudo longo jam uſu & experientia uſurpata.

Illius recordationem ex eo commendat; *Sic enim,* inquit, *erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie.* Non ait, mihi hodie, & tibi cras; tum quia craſtinum nemo ſibi audeat polliceri, nemo cum morte inducias paciſci vel uſque mane: tum etiam quia quotidie morimur, & vivi ac ſpirantes vix uno temporis puncto diſtamus à mortuis.

Quod ipſum inſinuarunt Hebræi Sapientes, qui in ſacro idiomate vivos ac mortuos uno tantùm puncto diſtinxerunt: vivos enim appellarunt *metim* per *ſceva*; mortuos autem *metim* per *tſere*, ut indicarent quàm fragile & exiguum ſit bonum, quod vivi obtinemus: ſiquidem puncto uno ſuper alterum poſito à mortuis ſeparamur. quòd ſi demittatur illud, & lateri affigatur, illicò cum mortuis computabimur: tantum intereſt, quî ſcribas & notes illud punctum; à quo tamen dependet longa linea, ſerieſque totius æternitatis.

Ut ea tibi ducatur benè; agedum oculos defige in illud punctum, ex eóque metire ſpatium vitæ, curſum brevioris ævi; &, ſi voles, ipſius æternitatis portum aſpice.

Ita aſpicere te docuerunt ſacri juxtà ac profani ſcriptores. Hos primùm audi.

Philo Judæus noviſſimæ lucis memoriam legit & commendat in avito pióque ritu, quo Princeps Sacerdotum quoties ritè immolaturus accedebat ad altare, jubebatur cinere & aquâ ſeſe priùs expiare. *Cinere,* inquit, *& aqua luſtrari ſacra lux jubet, ut in ſui memoriam redeat.* Incredibile enim dictu eſt quantum illud valeat, non ſolùm ad vitam honeſtè componendam, verùm etiam ad venerandum caſtè Numen, & divina prout par eſt obeunda. Philo de Somniis.

Origenes ad eamdem noviſſimorum memoriam vocat illud, quòd Pontifex Hebræorum ferret tintinnabula in ora extrema tunicæ hiacynthinæ, ut moneretur reſonantem continenter habere noviſſimorum recordationem. Origen. Hom. 9. in Exod.

Ab illis cæremoniarum arcanis, ad Senecam venio: monet ille ſapienter, & Laconicè, ut ſolet, ut quicumque nobis oritur & ſurgit dies, eum ipſi velut occiduum, & vitæ ultimum ſpectemus. *Singulos dies,* inquit, *ſingulas vitas puta.* quis autem ex illa perſuaſione naſcatur fructus, ita deinde aperit: *Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt.* Ecce ſecuritatem obtines, pulcherrimum hujus philoſophiæ fructum: ut enim Græca paræmia ὀρθῶς φιλοσοφεῖν ἐστι τὸν θάνατον μελετᾶν; rectè philoſophari mortem eſſe meditari dixerunt è Græcis Sapientes. quod Latinè expreſſit Cicero, quando *Vitam philoſophorum* dixit *eſſe commentationem mortis.* Seneca Ep. 101. Thuſcul. 9.

Quî autem fieret ea commentatio, apertiùs deinde atque fuſiùs explicat.

Tota, inquit, *philoſophorum vita, commentatio mortis eſt. Nam quid aliud agimus cùm à voluptate, id eſt, à corpore, cùm à re familiari, quæ eſt miniſtra & famula corporis, cùm a Republica, cùm à negotio omni ſevocamus animum? Quid, inquam, tum agimus, niſi animum ad ſeipſum advocamus, ſecum eſſe cogimus, maximeq́; à corpore abducimus. Secernere autem à corpore animum, nec quidquam aliud eſt, quàm emori diſcere. Quare hoc commentemur, disjungamuſq́; nos à corporibus, id eſt, conſueſcamus mori.*

Hactenus ſolita facundia Romanus Orator, ex quo diſces antiquum & novum genus mortis, quo animus cogitatione à corpore ſeparatur; ut deinde reipſa liberiùs aliquando ſecernatur.

Plures eam in rem è profanis evocari poſſent; verùm ad ſacros feſtinat oratio: majus enim ex illis pondus aſſequetur.

D. Bernardus, qui Eugenium Pontificem Maximum primò ut filium amarat, ut diſcipulum excolucrat, deinde ut Parentem, ut Chriſti in terris Vicarium, & totius Eccleſiæ caput ſuſpexit; de ejus ſalute piè ſollicitus, monet ut in illo gloriæ vertice, illa Petri Sede perennem mortis memoriam apprimè colat; ita enim ad eum ſcribit:

In omnibus operibus tuis memento te eſſe hominem: & timor ejus, qui aufert ſpiritum Principum, ſemper ſit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortem tuis oculis aſpexiſti? Ipſi te prædeceſſores tui tuæ certiſſima & citiſſima deceſſionis admoneant: & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem D. Bernard. Ep. 417.

dierum

dierum tuorum nuntiet tibi. Ingi proinde meditatione inter hujus tranſeuntis gloriæ blandimenta, memorare noviſſima tua, quia quibus ſucceſſiſti in ſedem, ipſos ſine dubio ſequêris ad mortem.

Hactenus Eugenio Bernardus: quem in Petri cathedra thronóque ita ſedere voluit, ut quandoque & ſæpiùs ſederet in cinere. In eo ſedit, & alios ut pariter ſederent, graviter & paternè monuit S. Leo, & ipſe Orbis caput, qui ex Eccleſiæ ſpecula, & Veritatis ſede hoc oraculum pronuntiavit:

S. Leo Serm. 5. de Jejun.

Hæc ſollicitiſſimæ meditatis debet eſſe ſapientiæ; ut quoniam breves dies iſtius vitæ, & incerta ſunt ſpatia, numquam ſit mors morituro improviſa, nec inordinatum incidat finem, qui ſe novit eſſe mortalem.

Non erit certè improviſa mors, nec finis inordinatus, quem diu antè quàm accidat aſpexeris atque ordinaris.

Sed audio mihi reclamat & obſtrepit hîc unus aliquis, & illam mortis commentationem omninò utilem, imò neceſſariam cenſet iis quos ſeu arridens fortuna, ſeu Superûm favor & gratia, in altiſſimo dignitatis gradu conſtituerit: ſecus autem illis, qui in humilioribus ſubſelliis, & quaſi in pulvere ſedent. nec enim his periculum eſt, ne ſupra id quod mortale eſt aſſurgat animus.

Non abnuo illis eſſe magis opportunam ſupremæ illius diei noctiſque recordationem, ne ob magnitudinem excellentiſſimæ dignitatis efferantur atque inſoleſcant; verùm etiam aliis quibuſcumque & commodam & ſalutarem eſſe pronuntio, ſtatuóque à nullo umquam Chriſtianorum abeſſe oportere. Hujus meæ propoſitionis auctorem habeo Theodorum, virum in paucis illuſtrem, qui & à Studio nomen tulit, & ſub Leone Armeno ob cultum sacrarum imaginum carceres & vincula paſſus eſt. Scripſit ille epiſtolam ad abſentes fratres ſuos, & è carcere velut è pulpito ſanioris doctrinæ ac veritatis hanc ſententiam extulit: *Semper quidem ad mortem omnia diſponere Chriſtianum oportet.* Aureum ſanè, & ſaluberrimum apophthegma. quod utinam legant audiántque ætates omnes longè conſequentes.

Baron. Tom. 9.

§. II.

Eadem mortis memoria commendatur virorum Principum exemplis.

VArium & dives argumentum ingredior, in quo me calamus dicendíque copia potiùs deſeret, quàm deſtituat ipſa materiæ ubertas ac magnitudo. In qua proinde mihi limites terminóſque præfinire ſtatui, & orationem per omnes ætates ordinéſque vagam ac palantem, ad tria capita revocare.

Primum Imperatores dabit; alterum Pontifices; poſtremum in ſancta & heroina matre conquieſcet.

Curopal. p. 101.

Fuit illud ſapiens conſilium eorum Imperatorum, qui Orientis habenas tenuerunt. Solebant illi in Regio ornamento ſiniſtra in manu texile ferre aureum, ſimile Codici, quod appellabant ἀκακίαν, innocentiam, ſeu criminum vacuitatem. In eo verò textili incluſus erat aggeſtúſque pulvis, ſymbolum funeris, hieroglyphicum mortalitatis.

Eo monebantur Imperatores, ut & ipſi meminiſſent illius antiquæ & fatidicæ vocis: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ejúſque ritè memores in purpura ſceptróque eos gererent animos, qui non tam Imperatores, quàm mortales decere videbantur.

Ingenioſa ſanè & ſalutaris inventio, quæ inſigne illud Imperatorium in effigiem libri compoſuit; ut intelligerent Orbis domini commentationem mortis eſſe quotidianam ſcholam, & doctrinæ longè antiquiſſimæ inſtitutionem, quam in eo pulvere velut aureo codice prælegebant.

Eòdem conſpiraſſe videtur ritus alius cujus meminit Leontius Archiepiſcopus Neapolitanus. In ſolemni eorundem Imperatorum inauguratione, cui ſcenam aperiebat ampliſſima juxta & nobiliſſima Civitas Conſtantinopolitana, medios inter plauſus & theatra admittebantur fabri murarii, qui marmora inferrent varii generis ac coloris, ut ex eorum aliquo ſibi jam inde ſepulchrum moliretur novus Imperator; & in ipſo gloriæ limine, imperii principio ac capite paratam jam ſepulchri molem circumferret animo; hoc uno fortunatus ac felix futurus, ſi ejus memoriam numquam deponeret.

In vitis Patrum.

Ferunt hiſtorici quaſdam eſſe volucres, quas ἐπιτυμβίδιας Galenus appellat, quaſi dixeris ſepulchrales, quæ τυμβον, id eſt, ſepulchrum, in capite gerunt. Felices aviculæ, ſi ad naturæ genium motúmque ratio & intelligentia acceſſiſſet. Feliciores futuri Imperatores, ſi in capite, primiſque initiis potentiſſimæ dominationis, non tam auguſtum, gemmiſque irradians diadema, quàm ſalutarem mortis & ſepulchri memoriam in caput erigerent; eáque arctarent & clauderent nimium quandoque inſoleſcentem animum, impetúmque ac effrænem libidinem dominationis. Ut ea ſeſe ſuos intra limites coërceret. video etiam ab aliis nationibus inde petitum eſſe præſidium.

Galen. lib. 11. de ſimpl. med. facul.

Teſtatur Nicolaus Godignus de rebus Abyſſinorum, Imperatorem illius nationis, qui vulgò Presbyter Joannes appellari ſolet, felicia imperii ſui principia ab opportuna & ſalubri noviſſimorum memoria ſapienter auſpicari. Ubi enim in ſolium ſublimis aſcendit; ſtipatus nobili Principum corona, Patriarcha ei benè precaturus admittitur: ei comites ex antiquo gentis inſtituto legéque quatuor omninò Reges adjunguntur. Enſem primus geſtat diſtrictum; Alter demortui hominis exeſum nudúmque caput oſtentat; Tertius vas terrâ plenum exhibet; Quartus denique foculum cum igne fovet ac nutrit. Ubi ſuo quiſque ſtetit ordine; tum Patriarcha pauca præfari juſſus inter ſolemnes gratulationes plauſúſque populorum, ſingula ſymbola manu prenſat, doctáque lingua, & meditata priùs oratione, quid quæque velint, quid portendant fuſiùs exponit.

Lib. 1. c. 8.

Hic multis agit de imminente morte, fatalíque neceſſitate, quæ ſortitur inſignes & imos, & æquo pulſat pede pauperum tabernas Regumque turres.

Tum deinde abit ad mœſtos cineres, ferale buſtum, juſtíque funeris reliquias; quibus non lacrymas, non oleum, non vinum infundit, ut flammas temperet aut reſtinguat; ſed expreſſam ſepulchri imaginem, defuncti corporis exuvias, telluris onus, putidum ac cinerosum cadaver oculis & animo ſupponit, ut effervescentem imperii libidinem aut ſopiat, aut omninò ſuffocet. Quòd ſi ad eam temperandam non ſatis eſſe videatur aut mortis imago, aut ſepulchri cinis & umbra; tum igne ſumpto ad ipſos inferos prona ac præcipiti oratione delabitur, fuséque de inferorum flammis æterniſque incendiis diſputat. Quòd ſi nec illa languentem frigidúmque animum ad meliora ſuccendant atque excitent; tum denique ad extremum orationis ſuæ diſtricti enſis lucem, ferríque aciem rejicit, multiſque de humana Divináque Juſtitia philoſophatur, vibrátque nudatum enſem, qui ſcelerato vertici ſemper impendet.

Atque hæc eſt illius ſcenæ ſpecies & imago; quam ideò in manus ſumpſi, ut in ea videas, quis ſit, non dico hominis unius, ſed & diverſiſſimarum nationum ſenſus & auctoritas.

A purpura ſceptróque ad ſacras infulas pedúmque tranſeo; & his ſuum à morte pondus ac præſidium

Ut hic tacitus præteream Sanctiſſimos Præſules D. Joannem Eleëmoſynarium Patriarcham Alexandrinum, D. Baſilium Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, qui ſibi etiam vivi ac valentes ſepulchrum extrui voluerunt, iterúmque ac ſæpiùs per temporum feſtorumque intervalla moneri, adhuc imperfectum

Surius in ejus vita.

imperſectum eſſe, juberent porrò perfici; ut, inquam, eos, aliosque ejuſdem pietatis æmulos omittam: at uoum obſcuro ſilentio involvere oequaquam poſſum, quod aliis omnibus ut dignitate, ita & auctoritate exemploque præſtare videatur.

Is eſt Innocentius IX. Pont. Max. de qoo hæc ad ſelicem tanti Pontificis recordationem, & poſterorum exemplum referre ſolebat Claudius Aquaviva Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis.

Cùm eum aliquando officii causâ adiiſſet, ductus eſt in ſecretum conclave, in quo viſebatur expreſſa imago & ſimulacrum quoddam mortis. ad illud, velut ad ſacrum tribunal ſeſe ſiſtere pius Pontifex, excutere animi ſenſa, cogitationes, conſilia, decreta fingere, & de rebus agendis deliberare, ſtatuere, decernere, ſenteotiam ferre io oculis, in conſpectu mortis, itáque ſeipſum alloqoi:

Agedum, anime, ita conſule, ita delibera, ita ſtatue, quaſi jam jam moriturus. Hoc forum magni Pontificis, hæc judicii ſedes, hæc norma æquitatis, hæc rerum agendarum regula fuit. Utinam ad eam ſeſe revocarent, eique foro ac tribunali ſeſe ſiſterent omnes, quibus rerum publicarum onus incumbit, quibus concredita juſtitiæ ſtatera. non ex foret morum ac judiciorum corruptela, nec adeò libero & inoffenſo pede rapina & iniquitas vagaretur. Nimirum ad incorruptum & inviolabile mortis tribunal non venit niſi æquitas & juſtitia. Ad hujus ævi vitæque forum, quod fraudibus doliſque apertum eſt, etiam iniquitas & injuſtitia allabitur. Ne te quoque eadem labes occupet, hanc Summi Pontificis legem, hanc D. Bernardi regulam accipe, quam

Bernard. in ſpec monac. monachis, imò & omnibus ſcripſit: *In omni opere ſuo dicat quiſque ſibi ipſi: Si modò moriturus eſſes, faceres iſtud?*

Sed veniamns ad illud, quod mihi ultimo loco dicendum propoſui: etiam aliquid à muliebri infirmóque ſexu repetamus; & huic placuit perpetua mortis noviſſimorumque memoria. Certè ut aliàs in præſentia taceam, de S. Marcella ad Principiam

Hieron. epiſt. 16. ejus filiam ita ſcribit S. Hieronymus: *Sic ætatem duxit & vixit, ut ſemper ſe crederet eſſe morituram: ſic induta eſt veſtibus, ut meminiſſet ſepulchri, offerens ſe hoſtiam rationabilem, vivam, placentem Deo.* Hæc de illa S. Doctor: cum quo hunc Paragraphum claudo, illudque conficio: Quòd ſi Imperatores, Præſules, Pontifices, heroinæ eâ mortis memoriâ, veluti vitæ duce ac moderatrice uſi ſunt; eſſe profectò quòd eadem utamur & ipſi; quibus non eadem eſt vis animi, non nous vitæ tenor, morúmque conſtantia.

§ III.

Fructus uberes, qui proveniunt ex perenni mortis memoria.

Eccl. c. 7. v. 40. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

NAtura, ratio, ſaniorque philoſophia ſuadet ac probat, finis maximè habendam eſſe rationem; quòd ille principium ſit rerum agendarum; quòd propter illum & in illum agantur omnia; quòd anima ſit, & quaſi vita cæterorum.

Plin. lib 32. c. 2. *Muranas*, ait Plinius, *animam in cauda habere certum eſt: ideoq; ea icta celerrimè exanimari; at capitis ictu difficulter.* Contrà verò noxius ſerpens: animam hic in caput erexit extulitque, ideóqoe, ſi cædis periculum ſit, caput, tamquam unicam vitæ ſedem, abſcondit ac tuetur, caudam cæteráque membra deſtituit, ferróque proſtituit.

Quod murænam inter ac ſerpentem diſcrimen eſt, hoc bonos inter & malos: illi in cauda, hoc eſt, in fine ac noviſſimis, animam ac cogitationem repoſitam habent: hi autem ad vitæ caput, primáque initia & mentem, & operam, & omnia ſtudia revocant, ibique ſiſtunt ac retinent infelicem animum; cui in cauda, hoc eſt, in fine ac oovissimis erit quàm peſſimè.

Nimirum ea fraus eſt, is dolus mali dæmonis; qui ut primùm in auras evaſit ſerpentis ſpecie, ita genus omne hominum ſerpentino vult eſſe genio, non amabili murænæ providentiâ.

Contra tamen pugnat ſapiens, murænas amat, ſerpentes odit; vitam omnem, & purioris vitæ fontem è cauda, hoc eſt, è noviſſimis ſcaturire, & profluere vult. quod ut liquidò appareat, ſtylo calamóque ſequamur rivulos, qui inde dimanant.

Qui primus effluit, hoc dabit bonum: vitam omnem & vitæ curſum reget eâ mortis ac noviſſimorum memoria.

Gubernator aliquis, qui per anciplitea variósque maris æſtus, & tumultuantes Oceani ventorúmque procellas ac turbinea, oavim ſibi creditam regere volet, non in prora, oon in foris; ſed in puppi ut ſedeat eſt neceſſe: ex ea irata maria deſpicit, ventos fallit, inſultantéſque undarum impetus aut declinat molliter, aut frangit feliciter.

Hic Orbis, quo ferimur, mare eſt, & quidem ſævum atque inconſtans; corpus cymba, qua circumvehitur animus; procellæ turbines; venti ſunt mala, quæ nos circumſtant: qui eorum vim impetúmque eludere volet, non conſiſtat io prora, non ſpectet atque attendat natalium ſuorum originem, & plena fumoſis imaginibus atria; non ambulet per fora, per reliquum ſurgentis ævi curſum, ætatiſque floſculos; ſed in puppi meditabundus ſedeat, cogitationémque defigat in ea quæ ad extremum manet inevitabilis fati neceſſitate: ſic omnem vitæ navigationem feliciter abſolvet.

Et hoc primum ab illo bonum eſt, quòd memoria mortis dux ſit totius vitæ mortalis.

Accedit alterum, quòd ſit veluti paſſionum, & recalcitrantis animi frænum.

Oraculum olim coonſuluit Zeno, qua tandem ratione effrænatos libidinis impetus vinceret, moréſque componeret ad omnem æquitatis legem, virtutiſque regulam ac moderationem. Audiit ex oraculo, Abi ad mortuos, illos conſule, illis convive, cum illis loquere, & ſedulus age; & diſces ex iis quæ ſit vitæ inſtituendæ ratio, quid ex virtute, quid ex vitio ſit; quid ex æquitate, quid ex impetu paſſionis. Norunt enim hæc diſcernere mortui, quæ vivi ac ſpirantes ignorarint.

Hoc fortè voluit graviſſimus Pontifex Gregorius Nyſſenus, ubi monuit adeunda ſæpiùs Chriſtiano cœmeteria, eáque appellavit *natura noſtra myſteria*, & humanæ imbecillitatis arcana; è quibus erueres, quid ex vero ſit homo, & qui ſeſe cum Superis gerere debeat modicus pulvis, & onus ſepulchri: qui tamen, quia hæc aut neſcit, aut certè non recogitat, cœlo Superiſque inſultare temerarius audet: non auderet ſanè, ſi ad eas marceſcentis vitæ exuvias, & furentis Libitinæ ſpolia diverteret; numquam eſſet tam meote captus, támque eminentis audaciæ; quam, ut inſinuavi, retundit vel una tantùm mortis memoria: à qua non ſolùm ſui victor redit, ſed & mali dæmonis, quem hoſtem experitur infenſiſſimum. Orat. ſi debeat.

Dicitur olim Antheon immanis gigas, carnea moles, & coloſſus cum Hercule pugnaſſe dubia martis alea, qua modò hic, modò ille vincebatur: ſi enim ſeſe in terram, communem omnium matrem, abjiceret Hercules, ſi illi oſculum figeret, ſuperabatur Antheon; ſin autem à terra, ab amplexu matris avelli ſe atque erigi pateretur, victus illicò cadebat Hercules. Diceres hujus vim omnem ſpémque victoriæ, terræ appreſſam eſſe, & ab illa enaſci.

Fabella eſt, & ingenioſum commentum, umbráque pulcherrimæ veritatis.

Pugna nobis eſt cum immani tartareóque gigante, qui ut ait Job, *reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum, æs: quaſi ſtipulam æſtimabit malleum.* quidni enim æſtimet? Cùm & ipſe malleus ſit, non excoctus & excuſus in Vulcani fornace atque officina; verùm in ipſa ſtyge, ignéque tartareo, à quo in generis noſtri, imò Univerſi malleum effictus. auctorem habeo Bernardum.

Job c. 42. v. 18. 20.

Diabolus, inquit, *tamquam malleus factus eſt, malleus univerſæ terræ. terit electos ad eorum utilitatem: reprobos conterit in eorum damnationem.*

S Bernard. Serm de S. Malachia.

Ne te ita conterat, ne tundat & contundat penitus, ipſi terræ, è qua natus es, lumina affige, memor illius pulveris & luti, è quo natura Deoque opifice formatus es, & in quod à morte reſolveris. Si hæc ultima vitæ ſcena, hic pulvis in oculis, in animo fuerit, ab illa cum hoſte pugna laureatus & victor redibis; nec umquam ſtygii illius mallei vim pondúſque ſenties, numquam perverſis Satanæ ſuggeſtionibus, aut peccato patebis.

Hujus vadem & ſponſorem habes Sapientem: *Memorare*, inquit, *noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Eccl. c. 7. v. 40.

Libera ſanè audaxque ſponſio; vera tamen & fallere neſcia: etſi enim tibi numeraremus annos & ſæcula, quæ olim recenſuit Adam, aliique primæ ætatis homines; etſi ipſam, ſi voles, volveremus, nec evolveremus æternitatem; tamen nec in ea annorum ſæculorúmque ſerie, nec in ipſa quàm longiſſima æternitate peccares umquam; tantum ab una mortis commentatione perennique memoria conceditur beneficium. Ut proinde jure meritiſſimo D. Baſilius, Doctor ſingularis, piæ & beatæ vitæ, eam noviſſimorum cogitationem nominarit φυλακτήριον, *ſalutare quoddam amuletum adverſus omne peccatum.* cui fidem etiam facit Codex ille, aggeſtúſque in eo pulvis, de quo memini Paragrapho ſecundo: dicebatur ille ἀκακία, hoc eſt, innocentia, & criminum vacuitas; quam tibi dabit una mortis recordatio. A qua hoc etiam ad extremum conſequeris boni, ut nulla te capiat voluptas, nulla teneat implexum vitæ illecebra. Ut enim D. Hieronymus, in hac ſchola probè doctus: *Facilè contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum.* Et ipſe Eſau, cæteroquin agreſtis ingenii homo, & abjecta in terram anima, & propè cœleſtium inanis, ubi ſe à fame morti proximum ſenſit, exclamavit illicò, ſeu tædio, ſeu dolore victus: *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Tantum in eo potuit impreſſa à fame imago, timorque mortis. Quòd ſi in illo tantum potuit; quid in te ô Chriſtiane non poterit? Poterit enimverò unum illud, quod cœlum amat, & exſpectant à te Superi, ut humana, caduca, mortalia omnia deſpicias, & pro nihilo ducas: eſt enim ea vis mortis, ut etiam animo tantùm præconcepta rerum omnium contemptum ac deſpectionem inducat; quod eleganti emblemate nobis majores noſtri expreſſere. Pingebant illi inter ſua ſymbola, exeſam nudámque hominis calvariam, ſubjecta hac epigraphe,

Basil. in Hexam. hom. 11.

S. Hieron. epiſt. 103.

Geneſ. 25. v. 32.

Cogitanti vileſcunt omnia.

Vileſcit auri pondus, gemmarum nitor & gratia, gazæque opulentiores, è quibus nihil è mundo exportabis ſicut nihil intuliſti; exibis enim nudus, ut nudus intraſti.

Vileſcit purpura, qua etiam moriens exueris.

Vileſcunt ſceptra, diademata, imperia, quæ etiam à morte depones.

Vileſcit honor omnis, & magni nominis umbra; & quidquid hominum opinione calculóque magnum videtur, id omne vileſcit. Quidni enim vileſcat, cùm videris à morte nihil tibi ex eo reliquum, niſi fortè ſit exigua terræ portio, quæ corpuſculo dabitur, quæ ſepulchro.

Et hoc ipſum eſt, quod Ablavio aulico ſuo, & ſummo juſtitiæ adminiſtro oſtenſum voluit Conſtantinus Magnus Imperator.

Fuit Ablavius Byzantii natus urbe nobili (quæ poſtea à Conſtantino dicta Conſtantinopolis) ex humili loco, abjectáque ſorte, à qua evaſit ad primas in aula dignitates, & propè ad ipſum Imperii culmen; ſecundus quippe fuit à Conſtantino: tantum potuit vel ingenium hominis, vel fortunæ favor, à quo dictus *Fortunæ pila*; ab hac dum tollitur in altum, ſui parum memor eſſe cœpit, & ambitioſus atque avarus in paucis.

Quod ut advertit Conſtantinus, etſi hominem amaret, probarétque in multis, at vitia non amabat, non probabat. Ut ea retunderet, dum fortè in amœna campi planitie auram captat, Ablavio ſuo ſubiraſcens, arrepta in manum haſta, eadem ſex, ſeptémve terræ pedes ſignavit, tum ad Ablavium verſus ait. Ad quid ille ſudor, labórque? Ab hoc & illo quid reliquum? Nec mihi, nec tibi pluſquam ſex ſeptémve terræ pedes; adhuc neſcis Ablavi an etiam hos tibi relinquent fata.

Hæc Auguſtus Imperator, qui rebatur inſanam hominis cupiditatem hac ratione reprimi poſſe, atque coerceri. Et certè reprimi debuiſſet, atque coërceri: at ſecus accidit; nam fortuna ſua ebrius magis ac magis attolli cœpit, & eò quidem ut in Imperii affectati ſuſpicionem venerit. Hinc Conſtantius Conſtantini Magni filius, & in Imperio ſucceſſor, eum è medio tolli juſſit; ſubmiſit enim ex aulicis ſuis facilè principes, qui eum ſpecie honoris adirent, ſalutarénque etiam flexo in terram poplite. Quod ut vidit amavitque Ablavius, ratus ſe in Cæſarem peti, exclamavit illicò. *Ubi purpura?* Cui aulici, eam dare non eſt noſtræ curæ, aut laboris; ſunt in primo domus veſtibulo qui eam apportent. Tum Ablavius. Admittantur, inquit, quàm citiſſimè: admiſſi enimverò; at ſicarii illi, qui pro purpura, purpuream illi per immania vulnera dedêre mortem.

Et hic fuit miſerabilis exitus Ablavii, qui ſi Conſtantinum benè monentem audiſſet, ſi extremas fati leges attendiſſet, & avaritiæ, & ambitioni ſuæ modum poſuiſſet; & mitiore fato in terram, ceu communem matrem, recidiſſet. Ubi recidunt it omnes, quibus de morte cogitantibus *Vileſcunt omnia.*

PROPOSITIO II.

Meditatio Æternitatis opportunum animæ periclitanti remedium.

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. *Pſal. 76. v. 6.*

CUm in lucem prodiiſſet Opuſculum meum morale; è familiaribus unus aliquis mihi amicè objecit, in peccati remediis, quæ propoſueram, ut multa addi poſſent, ita unum illud vel maximè, *Memoriale æternitatis*: quod opportunum & præſens eſt antidotum adverſus omne peccati virus & toxicum; reſpondi idipſum mihi ſemper viſum fuiſſe, & in præſentia ſic videri. Verùm à me conſultò omiſſam eſſe commentationem de Æternitate, quod de ea fusè meminiſſent ſcriptores illuſtres, quibus aliquid adjicere ſupervacaneum videri poterat: quia tamen Amico etiam quandoque importunè monenti parendum eſt; parui non invitus, & ad peccati remedia hoc quoque addendum putavi; etiam vel eò tantùm quòd probè noſſem de æternitate in tempore hoc, ævóque mortali, numquam ſatis dici, imò nec

ſatis

ſatis cogitari: quod ipſum acutè expoſuit Auguſtinus: *Quidquid vis*, inquit, *dicis de æternitate, quia* (In Pſal. 60.) *quidquid dixeris minus dicis: ſed ideò neceſſe eſt aliquid dicas, ut ſit unde cogites quod non poteſt dici*: hoc principis animæ, & magni Præſulis effatum ſuaſit ut etiam ipſe pauca chartulis meis infererem de æternitate: tum quia quidquid alii de illa dixiſſent pro argumento minus erat; tum ut haberet benevolus Lector, unde cogitaret quod non poteſt dici.

§. I.

Quid ſit Æternitas?

Æternitatis ſymbola, deſcriptiones & definitio.

LAboravit Antiquitas ut æternitatis definitionem ac terminum inveniret; nec invenit tamen: ideò ad ſymbola, quædam declinavit, ut illius naturam, vim, durationem, quà poſſet, exprimeret, & luci daret.

Fuit nonnemo, qui pro ſymbolo æternitatis *Æs* ſtatuendum putavit, quod ære vix quicquam eſſe poſſit perennius: eſt enim & duriſſimum & corruptioni minimè obnoxium.

Fuit alius, qui ut meliùs ſapere videretur; ſalem ipſum pro æternitate in menſas intulit: fortè quia & inſulſa condire ſolet, & corpora, quæ imbuerit, à corruptela ſervare & quodammodo immortalia reddere; ut meritò dixerit Philo: (L. de Vict.) *Primus conſervator corporum eſt anima, ſecundus eſt ſal.*

Alii Solem ac Lunam cœleſtibus orbitis infixa eſſe crediderunt, ut mortalibus oculis objicerent ſpeciem aliquam illius perennitatis, ad quam aſpirat immortalis animus. Ita quondam in ſeveri Alexandri Auguſti ſimulacro extare viſus Sol & Luna, cum hac epigraphe, *Perpetuitati.*

Placuit aliis ſedes & thronus velut oſtentum aliquod Æternitatis. Viſitur illud in antiquo nummo, cui impreſſum erat Romæ ſimulacrum in ſede, cum (Pier. l. 49.) hoc lemmate, *Roma æternitas.* Fortè quia ſedes quieti ſervit & otio, quod erit in æternitate.

Ita Propheta Regius ut perennitatem Dei ſui in beatitatis ſede oſtentaret, auditus exclamare: (Pſal. 44. v. 7.) *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi:* Hoc eſt æternitatis, quæ in ſæcula excurrit, nec iis finiri aut circumſcribi poteſt.

Verùm ea ſymbola ut aliquod illius perennitatis veſtigium notent; at eam ut in ſeipſa eſt, non reddunt, non exhibent: ideò ad alia deſcendo.

Æternitas Mathematico dicetur, *circulus, cujus centrum eſt ſemper, circumferentia nunquam.*

Coſmographico *æternitas erit axis ſtabilis & immobilis, circa quem volvitur rota mundi, temporis, & ſæculorum omnium, imò tanta quanta eſt machina univerſi.*

Phyſico verò *æternitas appellabitur duratio ſemper præſtas. Vnum perpetuum hodie*, quod nec reſpicit præteritum, nec ad futurum aſpectat: ideoque fortè melius dicetur *Vnum nunc*, quod præterito, præſenti, ac futuro tempori reſpondet.

Quod ſi iſta è ſchola petita minus placent; dic age cum S. Dionyſio, (Cap. 10. de divin. nom.) Æternitatem eſſe *ævum ævorum*, quod non interit; ſed eodem modo ſemper ſe habet, cùm cætera omnia aliter, atque aliter ſe habeant.

Quod ſi nec in illo hæret ac conquieſcit Æternitatis amans animus: ad extremum cum Boëtio pronuntiet, & dicat: (L. 5. de Conſ. proſa 2.) *Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.*

Hæc eſt illuſtris Patritii ac Philoſophi definitio paſſim in ſcholis ac pulpitis recepta: in qua verba ſingula ſtylo notanda.

Dicitur primò *interminabilis*: quia ut tempori, ut ſæculis, ut ævo ſuus ſit terminus, à natura, Deóque conſtitutus, Æternitati nec ullus eſt, nec verò etiam eſſe poteſt: excurrit illa, & emetitur tempora omnia, ſæcula omnia, ideóque jure meritiſſimo dicitur abyſſus temporum, abyſſus ſæculorum.

Dicitur ſecundò *vita*, quia vitalis ſempérque vivens eſt æternitas, non elanguida, non emortua: illud enim ſummæ perfectionis eſt; hoc autem imperfectionis longè maximæ.

Additur tertiò *tota ſimul*: ut oſtendatur quantum inter æternitatem & tempus interſit; hoc enim nec eſt, nec eſſe poteſt totum ſimul, quia partes habet à natura ſua labiles & fluxas, quarum aliquæ fuerunt, nec ampliùs ſunt; aliæ necdum ſunt, ſed dumtaxat erunt: inter has interjacet unum præſens, inſtans unum, quod non eſt tempus, ſed temporis unio, vinculum, nexúſque fluentis ævi.

Denique pro coronide ſubjicitur *perfecta poſſeſſio*: cui ſcilicet deeſſe poſſit omninò nihil, quod beatæ vitæ ſit, & ſummi boni. Et hoc eſt diſcrimen inter eam fœlicitatem quam nobis ſervat æternitas, & hanc quam objicit præſens vita ævúmque mortale: in illa enim nihil eſt quod deſiderare poſſis; in hoc ſemper eſt quod meritò requiras: ſi enim abundè ſuppetant opes, divitéſque gazas oneret ingens auri pondus; at deeſſe poteſt exiſtimatio nominis adeò expetita, bona fama, honorque inter ſuos: quod ſi & hic adſit; at deficere poteſt ſanitas probáque corporis conſtitutio, ſine qua vix opibus auróque congeſto, vix deliciis ac honoribus frui conceditur: quid enim conferunt illa, ſi negatur frui, ſi neque ab illis ſua gulæ ſint oblectamenta, atque illecebræ, neque ad tuum uſque lectulum aſpirare poſſit aura popularis: quod ſi & illa datur; at deficere poteſt ſcientia, & naturæ totius rerúmque multarum cognitio, quæ præclarum eſt mentis humanæ decus atque ornamentum, & quo ferè uno à belluis diſtinguitur. Quod ſi & ſcientiam, & multarum artium ac diſciplinarum peritiam detuleris: at rurſum deſiderari poteſt una virtus, & à ſupremo Numine infuſa gratia, caritas, aliáque faventis cœli decora, quæ valent ad obtinendam æternitatem: quod ſi nec illa requirantur; at ſaltem neceſſe eſt ut in hoc ævo deſideretur gloria ac beatitas, adeóque & ſummum bonum, quod tibi offeret una perfecta & beata æternitas. Habes ex his, amice Lector, quid ſit æternitas; ſed maximè beata: quod ſi noſſe voles, quid ſit æternitas illa miſeranda, quæ damnatos involvit, occupat, obruit, perdit; eandem tibi definitionem inſcribe, una dumtaxat vocula mutata.

Æternitas eſt interminabilis mortis, tota ſimul & perfecta poſſeſſio.

§. II.

Quos humanæ menti fructus inferat meditatio æternitatis.

DEum inter & infirmos mortales hoc intereſt, quod ille omnia referat ad æternitatem, & ex illa metiatur omnia; his autem fluxa temporis uſura, ævúmque breve pro menſura eſt. Quod ingeniosè oſtendit D. Auguſtinus in illa Pſalmiſtæ verba: *Nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ.* Profunditatem in æternitate ſitam eſſe vel ex uno probat. (Pſ. 91. v. 6.)

Revera, inquit, *fratres mei, nullum mare tam profundum eſt, quàm iſta cogitatio Dei, ut mali floreant, & boni laborent. Nihil tam profundum, nihil tam altum, ubi naufragat omnis infidelis in illa alto, in illa profundo.* Quod autem illud ſit, ex Auguſtino ſi quæras, intelliges eſſe æternitatem; in qua una eſt cogitatio Dei, ut ex illa patiatur bonos in hac vita mala opprimi; exultare & triumphare quàm peſſimos. Et hoc quia *nimis profunda facta ſunt cogitationes Dei. Vbi eſt cogitatio Dei*, inquit idem pius

Interpres, *ad præſens habenas laxat, ſed poſtea aſtringet. Noli gaudere ad piſcem, qui in eſca ſua exultat, nondum traxit hamum piſcator: nam jam ille hamum habet in faucibus, & quod tibi videtur longum, breve eſt: omnia iſta citò tranſeunt: quid eſt longa vita hominis ad æternitatem Dei? Vis eſſe longanimis, vide æternitatem Dei, nam attendis ad dies paucos, & diebus tuis paucis vis impleri omnia. Quæ omnia? Vt damnentur omnes impii, & coronentur omnes boni. Iſtis diebus tuis vis hæc omnia impleri. Implet ea Deus in tempore ſuo. Quid tu tædium pateris & facis? Æternus eſt, tardat: longanimis eſt, tu autem dicis, Ideò non ſum longanimis, quia temporalis ſum: ſed in poteſtate habes, junge cor tuum æternitati Dei, & tum illo æternus eris.*

Hactenus Auguſtinus, ex quo pauca ad animi tranquillitatem objiciuntur: nos abjecti puſiones, homines teruntii, quandoque divinis conſiliis inſurgimus, & invito ac reluctanti cœlo fulmina devoramus, vindicéſque flammas in noxia capita devolvi poſtulamus, querimúrque ſi tardum Numen ad ſui vindictam deſcendat: & hoc quia cogitatio noſtra eſt hujus temporis, nec in profundum delabitur æternitatis. Non ſic Superi, non ſic Deus immortalis: tardat ille, nec impiis ſupplicia, aut bonis præmia decernit: & hoc, quia longanimis, quia æternus, quia profundæ illius cogitationes.

Si peccatori pluſculum laxantur habenæ, ingemiſcimus; ſi eſca etiam mendaci hamo malè infixa ad exigui temporis uſuram conceditur, infremimus atque indignamur: & hoc quia profundæ non ſunt cogitationes noſtræ; ſiſtuntur enim in extrema linea, punctóque temporis, nec in abyſſum veniunt æternitatis: quod ſi venirent illæ, oſtenderent illicò quàm modicum ſit temporis quo datur frui, quàm vana voluptatis eſca quæ tanto damno emitur, quàm inane tædium quod patimur, quàm vacuæ & futiles querelæ, quàm æqua juſtáque Supremi Numinis patientia, quæ etiam peſſimos quoſque ſuſtinet ac tolerat. Hæc inquam omnia in lucem emitterent profundæ cogitationes, ſi venirent illæ in animum noſtrum; ſed quia rariùs deſcendunt, hinc illæ lacrymæ, cæcitas illa, & ſtupor humanæ mentis. Dic enim age, qui es, & eſſe voles candidatus æternitatis; finge tibi, ut alio quoque orationem deflectam, montes aureos, & ſpumantia gemmis maria, & quidquid Indica terra ſinu divite geſtat; finge, inquam, in tuas arcas facili ac prono impete devolvi: & quantum iis uti dabitur? Ad horam, ad annum, ad ſæculum ſi voles: & quantum illud eſt? Ad vitæ metam, ad confinia æternitatis, ad ſepulchrum iſta, nec ultrà: & quid amabo illud eſt? Non arenula ad immenſos montes, non guttula ad Oceanum, non momentum ſtateræ ad pondus infinitum: & tamen illa opum uſura quali quali, vendis, prodigis, & malè perdis æternitatem: & hoc quia profundæ non ſunt factæ cogitationes tuæ.

Sed audio, iterum in voces abis, & excuſationes libidini tuæ contexis improbè: allicit nimirum & irritat aura popularis; fumum facit honos, & favor regius ſollicitat; ſummáque inter aulæ culmina nobile efferre caput, dignum ævo creditur: ſed credis eſſe dignum immortali viro? Tibi ſumma omnia concedo volens lubenſque: ſed quæro quantum in iis exultare dabitur? Ad vitam nec ultrà: quanta erit illa? Cenſebit quinquaginta annos, & ſi placet etiam centum: quid ii ad æternitatem compoſiti; & tamen iis ſalutem & animam venalem habes, æternúmque inglorius perire mavis, quàm vel momento inglorius vivere.

Et hoc quia profundæ non ſunt factæ cogitationes tuæ: Ex fuerunt olim magni illius Herois Thomæ Mori, cui cùm ſummus in aula honos, regiúſque favor & procerum gratia ultrò deferretur, ſi modò aliquid remittere vellet de ingenua & chriſtiana libertate, & in ea remiſſione regis ſui voluntati connivere; è filia (quæ fortè infirmiori puellulæ genio rem æquo acriùs urgebat) quæſivit, quamdiu ille honos, illi faſces, decus illud ſuo nomini præferendum? Cúmque reſpondiſſet illa, fortè ad viginti & amplius annos, ſi tantum excurreret ævi meta: cui ille. Ne ineautus, inſidus, & prodigus mercator, ſi honoribus brevi perituris æternos mutare velim: quid enim anni viginti ad æternitatem; quid illa fœlicitas hujus temporis ad perennes & beatos annos? Scitè dixit olim Lacon unus aliquis Æginetæ beatum ſeſe prædicanti, quod multarum navium Dominus eſſet, *Nihili curo felicitatem è funibus pendentem*: Plutarch. & quæcumque in aula mundóve univerſo eſt felicitas, pendet illa è funibus, quos vel contrahet incertus & mutabilis regum favor, vel præſcindet aliquando adverſa mortis fatíque manus.

Sed ecce iterum reclamas; ſenſum quippe malè ſentientem proritat libido, & blanda nimium voluptas excæcat; ſeu eam in Baccho quæras, ſeu in venere reponas: ſed quamdiu durabit illa?

Da mihi rurſum, & ex inferis evoca Cleopatram aliquam Ægypti reginam, quæ cum Antonio non Lipſ. Admir. l. 4. c. 7. tam jure judicióque, quàm conviviorum luxu decertet, quæ inter cætera fercula planè opipara planéque regia, unionem, quem aure dextra geſtabat, ſingulare naturæ opus, ducentis quinquaginta philippicorum millibus æſtimatum acri aceto liquefactum offerat, & uno hauſtu abſorbeat. Adde ſi Plin. l. 35. c. 12. voles & Clodii Æſopi tragici hiſtrionis patinam quindecim millibus philippicorum taxatam: quod ſi nec illa ad gulæ irritamenta ſit ſatis, adjice & alteram Vitellii patinam viginti quinque millium philippicorum impenſis conditam: nam ei concredita ſcarorum jecinora, phaſianorum & pavonum cerebella, Sueton. in Vitell. c. 13. linguæ phœnicopterorum, murænarum lactes, è Carpathio uſque fretóque Hiſpaniæ per longa maria, æſtúſque petita, hæc & alia deliciarum inventa, portentáque faucibus admove, & in ſeras ebriáſque lucernas extrahe: iiſne te felicem ac beatum eſſe proclamabis? Fortè, quæ tua eſt cæcitas & amentia, id facies; & hoc quia profundæ non ſunt factæ cogitationes tuæ; quia non abis in æternitatem. Sed à ſtulta illa vanitate, luxúque diſcedo, ut te de aliis queritantem audiam: te fortaſſis invaſit ingens morborum cohors, calculo ceu equuleo torqueris, lentam pateris chyragræ podagræque alluviem: ſudas & ureris nimium pertinaci febricula, quæ & cor animæ ſedem, & ſanguinem vitæ fomitem incendit: ab his, inquam, & aliis dum vapulas quàm peſſimè, quereris impatientiùs, operoſiùs ingemiſcis, & mortales, immortaléſque lamentis ac gemitibus fatigas, damnáſque, quod ad tuas querelas ſurdi ſint & obfirmati ſuperi, & hoc rurſum animo tuo vitium inſedit; quia profundæ non ſunt factæ cogitationes tuæ; quia vel unius horulæ ſpatium metiris, nec de æternitate, ut longiſſima ſit illa, vel una leviſque cogitatio ſubit: ſi ſubiret illa, aliter & ſentires, & loquereris. Specta in equuleis, in cataſtis, in ignibus, in rotis, in enſe ferróque Catharinam, Agnetem, Cæciliam, aliáſque infirmo in ſexu, in tenella ætate Virgines: ſpecta Laurentium, Vincentium, Clementem, qui per viginti octo integros annos, carceres, equuleos, ignes, rotas, aliáque crudelis lanienæ inſtrumenta ſunt paſſi pari ſemper animi conſtantia, imò & voluptate. Nimirum hæc omnia ut acerba, atque immania videri poſſent, diluebat detergebatque vel una memoria æternitatis, quam animis ac cogitatione uſurpabant. Hinc illa in tormentis, in ipſa morte conſtantia atque alacritas, piáque pro martyrio æmulatio.

Ad tuam fidem, tuáſque voces provoco, invicta Heroina mater fortiſſima, quæ cùm filium Symphotianum in primo ætatulæ flore ad ſupplicium

rapi

rapi videres, bis ei verbis animos feciſti. *Nate mi memento æternæ vitæ, cœlum ſuſpice, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, ſed mutatur in melius.* Tua quoque appello tempora, tuos animos, voces tuas, ô Theodora Virgo ſanctiſſima, Veſtem exueras in carcere ne pudorem exueres, & cum adoleſcente probè mutaras: nec tibi, nec illi vacua fuit ea caritas: rapitur ille ad ſupplicium non in ſuo, ſed in tuo habitu: nimirum ad martyrii lauream profuit vel ipſa veſte virginem referre, & Theodoram mentiri: ſed quid tibi tum conſilii, quid vocis fuit? Audiamus ore Ambroſio. Ita olim adoleſcentem illum compellaſti, piè de eo queſta: *Non ego te mortis vadem elegi; ſed prædem pudoris optavi: in me lata eſt iſta ſententia, quæ pro me lata eſt. Moriar certe innocens ne moriar nocens: nihil hic medium; hodie ego aut reatus ſanguinis, aut martyr ero.* Hæc illa ſtylo linguaque D. Ambroſii: hæc inquam illa inter vitæ mortiſque confinia, in oculis carnificum & imagine crudelis laniénæ, fatiſque propemodum faucibus: Nimirum ad audendum animos addebat vel una cogitatio æternitatis, quæ linguam ea libertate explicabat, ut tormenta, extremóſque cruciatus, quos horrent ac fugiunt alii, ambiret ipſa impenſiùs, & ingenti niſu ſequeretur: tantum in æternitate eſt momenti: non tantum ad ſupplicia fortiter toleranda, verùm etiam ad opportunos pœnitentis animæ gemitus ac lamenta. Quo in genere percelebre illud, quod à viro Societatis noſtræ in paucis religioſo accepiſſe memini.

Inciderat in hominem prædivitem, cujus nomini parco, quia & ipſe tacendum eſſe cenſuit: hic è tenui fortuna, abjectóque rure evaſerat ad ampliſſimas facultates, quas domi foriſque poſſidebat: ſed quod plerumque ejuſmodi hominibus vitium eſt, malis artibus, doliſque parta omnia, eoque reſtitutioni obnoxia: jacebat è morbo lethali affixus toro; jámque de ſalute, de vita conclamatum videbatur: & quia corpori ſua deerant remedia, placuit animo ſaltem medelam afferre: eam de more, ſarróque Eccleſiæ inſtituto ingerit ordinis noſtri Sacerdos, & ad planam purámque exomologeſim hortatur: paret ille, & animi vulnera ſedulus explicat, totiúſque anteactæ vitæ labes in aures confeſſarii deponit: ſed, ô grande malum! ô implexa peccati vincula! ô avaræ cupidinis retia doloſa! ubi malè parta benè reddi oportere ſubintellexit, tum altum ingemiſcens & illacrymans: næ durum illud, mi pater, inquit, & peracerbum, homini jam inter ſuos bonæ notæ, & ab omni re domeſtica probè inſtructo, quæſita tot annis uno propè momento dimittere, & à ſe abdicare. At inſtat, & urget ille: aliena dimittis non tua, ad ſuos illa dominos redeunt, à quibus fraude doloque ſunt extorta; Quid amabo quereris? quid ingemiſcis? Tum æger profundiùs expirans ſubdit, Quid ad hæc cariſſima conjux? Quid amantes filii? quid familia tota? redigetúrne illa ad primas anguſtias, è quibus me vivo ac ſpirante emerſit: non fiet illud, mi Pater, non fiet, ſtat potiùs ſic emori & æternùm quidem, modò & conjux & liberi vivant opulenti.

Næ ſtultus & inſanus amor, næ prodiga in alios liberalitas: quos ut diligas, teipſe odio habes; quibus ut velis eſſe benè, tibi certè eligis eſſe quàm peſſimè. Hic ſeipſe collegit periclitantis illius animulæ medicus, & pro ea qua erat ingenii ſolertia, id remedii invenit. Æger curando corpori Doctorem medicum evocarat, hominem in paucis peritum & pium: eum convenit Pater: & quoniam depoſita etiam eo judice videbatur ægron vita; rogat, ut quà poſſit, animo & æternitati proſpiciat: annuit ille, & quod in ſe erit futurum ſpondet: Tum Pater, age, inquit, iterum ægrotantis lectulum adi, dic à te excogitata & adhibita remedia omnia, quæ medicorum ſchola proponit; ea irrita ceſſiſſe; nihil ultra à pharmacopolis, aut Galeni & Hippocratis diſciplina peti poſſe: de vita eſſe conclamatum: tamen in ea pharmacorum penuria, medicæque artis inopia, unum adhuc occurrere, quod uxoris & liberorum in Patrem optimum amore ac caritate ducendum; ſed durum illud videri ac difficile, imò & ἀδύνατον. Hic profundiùs æger reſpirare, & languidulam cervicem erigere, ſpiritum vocémque colligere: & hæc paucis. Effer, inquit, effer, quod vel à chariſſima conjuge, vel à liberis haberi poteſt remedium; dabitur illud, ne dubita. Nimirum ut ſanitatis appetens, ita & credulus eſt hujus corpuſculi amor. Tum medicus nonnulla præfatus, remedii genus modúmque ac rationem exponit: Advocetur, inquit, uxor, adſit proles omnis etſi numeroſa; habeo quæ illis ad Parentis jam jam morituri ſalutem expediam.

Ubi lectulum illi cinxêre, tum jubet proferri accendique facem. Ut luculenter exarſit illa, tum medicus concitata & meditata ad ſpeciem oratione, Agedum, inquit, Domina conjux, marito dum potes ſalutem vitámque redona: huic flammæ extremum digiti inſere, tantúmque vim ignis ſuſtine dum è digito vel una ſtilla in ſubjectam pateram defluat; erit illa marito pro remedio, proque incolumitate ac vita. Ad hæc illa palleſcere, tremere, horrere, fugere, ſéque moribundi oculis euro citiùs ſubducere.

Tum medicus ſubridens: dandum, inquit, illud fœminæ genio, ſexuique, in quo defecit ac peccavit natura, dum plus æquo timidum ac timidi animi eſſe voluit.

Vos autem, ô maſcula ſoboles, martiúmque genus, non ſic. Eſt in vobis altior natura, generoſus ſanguis, & animus timori dolorique cedere neſcius: agite igitur, agite, & vos viros probate amantéſque filios: concedite illud morituro Parenti, digitum in albicantem flammulam audacter immittite, durate, dum ex eo humoris aliquid, ſanguiniſque cocti depluat. Hic ſeſe circumſpicere liberi, & alter alterum ad id facinus non voce, ſed oculis provocare. Vocem quippe timor horrórque intercluſerat; imò & animum ademerat: nemo enim unus omnium fuit, qui illud auderet aggredi. Hæc omnia è lecto, ceu mortis proſcenio, aditúque æternitatis ſpectabat æger, nec oculos, nec vocem, nec animum continebat, ut filiis animos adderet. non addidit tamen: exceſſêre illi, ut ſolent fugaces timidique cervi, exceſſit & Doctor medicus peracta jam ex alieno invento conſilióque comœdia.

Tum ſpiritualis Pater, qui hæc omnia non corpori; ſed menti paratat, hominem adoritur, ac ſevero vultu, gravique oratione ita compellat. Téne virum inſortunatum, qui eam tori conſortem nactus ſis, téne miſerum parentem, qui eos ex te liberos genueris; à quibus ne ſanguinis guttam per leviuſculum tormentum, & ignis imaginem impetres: ſed multò magis inſortunatum ac miſerum, qui & corpus ipſum tantum quantum eſt, & animum immortalem, tui partem longè potiſſimam, æternis incendiis donare velis atque immergere; & hoc quidem vel inſano amore conjugis, vel nimia in filios indulgentia; de qua teipſe Judicem facio. Hæres in ultima ævi tui periodo, in confiniis vitæ mortiſque, in primo limine æternitatis: vide amabo, cui velis eſſe æternùm quàm peſſimè, tibine, an conjugi ac liberis.

Vide quid illi tibi in hac mortali vita, vide quid tu illis, tibique in immortali morte. Hic mentis oculos, quos diu velarat cæcus amor, aperuit æger; meliora conſilia iniit: de conſcientia ſeriò cogitare cœpit & malè parta quàm optimè reſtituit, ut ſe divinæ gratiæ, hoc eſt vitæ & beatæ reſtitueret æternitati.

Tantum in moribundo potuit vel unus cogitatio ignis æterni: abjecit ille, quæ tempori malè ſerviebant, & elegit quæ ferrent æternitatem: & nos eadem amplectamur ſequamúrque operoſiùs; quia ut eleganter & ingenioſè Divus Gregorius:

Hom. 3. in Evang. *Æterna nos exſpectant, temporalia nos deſerunt: illa ſunt ante nos, quia ad illa tendimus; hæc poſt nos, quia illa relinquimus.*

Et quia relinquimus, ideò inprimis ſpectanda ea quæ nunquam relinquemus, & quæ nec nos deſerent unquam.

Sic ea ſpectavit aliquando (utinam non ſeriùs) aulicus ille, olim *Carolo* V. Imperatori in paucis carus. Jacebat ille lecto affixus, & in extrema propè vitæ mortalis linea: cùm ad eum venit Cæſar vel honori futurus vel ſolatio; atque ex illo quæſivit, eſſétne in quo ei in præſens opitulari poſſet? exigeret à ſe quod vellet, daturum ſe quàm promptiſſimè. Cui ille, *Auguſte*, inquit, unum à tua majeſtate peto, ut mihi vel unicam vitæ horam concedas, unam in præſentia proroges. Obſtupuit Imperator, & altùm ſiluit; attonito non abſimilis: ut qui à ſe peti ſciret, quod non eſſet in ipſius poteſtate. Ut hærentem, ut ſtupefactum vidit æger, tum ſic ad illum. Tot annos impendi, tot labores exantlavi, tot effudi ſudores, tot pericula ſubii; imò vitam propè omnem inſumpſi in obſequio Cæſaris, qui mihi ne unicam vitæ horam, imò ne momentum quidem elargiri poteſt: & pro Deo qui æternam vitam donare poteſt, ne horam fortè, ut decebat, impendi: ah melius mihi fuiſſet, fuiſſet & conſultius ei ſerviſſe, qui vitam æternam elargiri poteſt. Hæc ille in extrema brevis ævi periodo, quæ & nos in omni vita, ut eam cœlo, & Deo concedamus, mundo, & hominibus aut perpaucum, aut omninò nihil.

PROPOSITIO III.

Conſideratio ultimi Iudicii eſt pro peccati remedio.

Pſal. 16. *Domine ne in furore tuo arguas me.*

HÆ ſunt Regiæ voces, quas olim uſurpabat David, non ſolùm inter arma adverſóſque hoſtium cuneos, cùm mors in oculis eſſet; verùm etiam in alta pace, in luxu & licentia, cùm vita eſſet in deliciis: ſemper enim, ut teſtatur S. Chryſoſtomus, *cum magna cordis punctione inuſtam in animo habuit judicii memoriam, ſemper reputabat, mentéq; aſſiduè revolvebat.* Chryſoſt. lib. 2. de compun. c. 4.

Pſal. 16. Ab illa memoria manarunt illæ voces: *Domine ne in furore tuo arguas me.* quas identidem per dies ſingulos repetebat. Unde & illi Pſalmo titulum inſcripſit, *Pro octava.* Illi ſeptimana fuit omnis ille dies, qui in vita fluxit: octava verò dies judicii, ut quæ hujus ſæculi ſeptimanam conſequatur. Sic illa Regia mens inſtincta & afflata divinitùs, tametſi multis & magnis florens virtutibus, futuri tamen judicii metu percellebatur.

Ab eodem contremuere & ipſæ Eccleſiæ columnæ, primáque lumina, Hieronymus, Auguſtinus. Ille de ſeipſo ita ſcribit epiſtola ad Chromatium:

D. Hieron. Tom. 1. ep. ad Chromatiũ. *Ego in ſcelerum meorum ſepulchro jacens, & peccatorum vinculis colligatus, Dominicum de Evangelio expecto clamorem, Hieronyme veni foras.*

Hic autem cum multis lacrymis, & pœnitentis animæ ſingultu piè & ingenuè confitetur, nihil unquam ſibi majores admoviſſe ſtimulos, ut ſeſe peccati vinculis expediret, emergeret è barathro vitiorum ſuorum, quàm unam imminentis extremi judicii meditationem. *Non me*, inquit, *revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri judicii tui, qui per varias quidem opiniones nunquam tamen receſſit de pectore meo.* Hæc D. Auguſtinus; cui addo Ambroſium, è cujus ſchola ortéque melleo eum divini judicii timorem haurire potuit dignus tanto Magiſtro diſcipulus. S. Auguſt. lib. 6. conf. c. ultimo. *Nihil eſt*, inquit ille, *quod magis proficiat ad vitam honeſtam, quàm ut credamus eum Judicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honeſta delectent.* D. Ambroſ. lib. Offi. cap. 26.

Hinc aptiſſimè D. Baſilius in illa Iſaiæ verba, *Quærite judicium*, docet memoriam extremi judicii eſſe veluti pædagogum præſentis vitæ, qui diſcipulum ſub illius timore, quaſi ſub ferula habeat: ita enim ſeſe explicat vir ſanctus: *Attenta cogitatio arcanorum, necnō formidabilium, quæ in tremendo judicio ſe offerent, pedagogus eſt ad exercendam pietatem.* D. Baſil. in c. 1. Iſai.

Eum in Davide agnovit & amavit Auguſtinus: dum enim alta mente, æqua lance expendit illa verba, *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui;* ait Davidem primùm à Superis Deóque poſtulaſſe timorem eum, qui imperfectus eſt, & qui infanti, hoc eſt, in via virtutis adhuc tenello, eſſet pro pædagogo: tum deinde ambiviſſe & alterum qui perfectus eſſet, omnibúſque numeris abſolutus, & qui à caritate eſſet, adultámque in virtute deceret ætatem. Pſal. 118.

Ab illo prima pietatis rudimenta didicêre viri ſancti; ab hoc diviniorem quamdam Deo duce ac magiſtro ſapientiam accepêre.

Illum ſive dormiret, ſive vigilaret, cenſorem ſuarum actionum & monitorem admiſit S. Gregorius Nazianzenus; ita enim de illo canit:

At parte vigilem maxima vitam exigo, Iambico 9.
Nam dormientem me labor pungit quoque,
Ac ſi ſoporis quidpiam capiam gemis,
Nam ſpectra noctu aſpera metum afferunt:
Cenſura, judex, ſtatis, cui comes tremor.

Ecce quæ ab illo piæ mentis exercitationes, perennes vigiliæ, labor aſſiduus, profundi gemitus, ſpectra horrida ſupremæ illius noctis, & recurſantes animo terrificæ imagines; quæ eum ita vigilem & attentum faciebant, ut ſolet eſſe in ſua ſtatione miles; ita in ſuis omnibus ſeu verbis, ſeu operibus providum, ut qui in horas ſingulas expectaret cenſuram divini judicii; ita denique omni propè culpa liberum, ut nihil omninò eſſet, quod ſeveri Judicis oculos offendere poſſet. Si quid enim affuerat aliquando, illud omne eluebant pœnitentes lacrymæ, devoti gemitus ac ſuſpiria exprimebant, & viſa etiam eminus divini judicii fulmina conſumebant.

Sicuti enim, ut diſertè notat Plinius, *ſerpentum & aliorum animalium, quibus mortifera vis ineſt, cùm fulmine icta ſunt, venenum omne conſumitur.* Ita mens humana eo terrore, ceu fulmine percuſſa, noxas animi omnes virúſque maleficiorum deponit: neque in poſterum eo ſe tangi & infici patitur, etſi ſtygia de palude emergat ſerpens, iterúmque ac ſæpiùs inſiliens, ignita, & toxico infecta tela evibret: hæc enim unâ diſtricti judicii Dei recordatione ceu clypeo adamantino excipit, eludit, ac retundit. Affirmat id Cyrillus Hieroſolymitanus his verbis: *Ignitum ſæpè telum, turpis voluptatis concupiſcentia à diabolo emittitur; ſed fides ſubjiciens menti judicium, & refrigerans mentem, extinguit telum.* Cyrill. Catech. 2.

Illud apprimè noverat D. Joannes, Magiſtri amor ac deliciæ: ideóque cùm fidelibus benè precaretur, *Gratia*, inquit, *vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* non dixit, & *qui futurus eſt* (quod tamen ex Grammaticæ legibus, & orationis humanæ calculo dicere debuit, ut unum idémque verbum per tria tempora inflecteret) ſed addidit, *& qui venturus eſt.* ut non tam regnaturum in æterna beatitate, quàm in noviſſimo die judicaturum ſignificaret; plus enim à judicii formidine, quàm à beatitatis ſpe exſpectabat boni; ideóque etiam Apoc. 1. v. 4.

inter

inter amœnos gratiæ flores, & pacis oſcula, injecit formidandum illud, *& qui venturus eſt.* ut à perenni illius recordatione, & gratia & æterna pax in nos emanaret.

Ut in te quoque emanet, benevole Lector, age, ſtudioſus huic meditationi incumbe, pone tabernaculum animæ tuæ, vitæ tuæ ſedem in valle Joſaphat, in valle, ut ait Joël, *conciſionis* hoc eſt, internecionis populorum, qui concidi ibi debent ut æternùm pereant: ibi, inquam, pedem fige, ubi theatrum erit ſeveritatis, ubi ſedes majeſtatis, ubi thronus erigetur judicantis.

S. Auguſt. de verb. Do. Serm. 22.

Eò te vocat, urget, impellit Auguſtinus. *Recolite,* inquit, *dexteram & ſiniſtram Iudicis noſtri; recolite ubi ſtabunt hœdi, & ubi oves, & apparebit vobis, ubi dextera, ubi ſiniſtra, candida & nigra, luminoſa & tenebroſa, pulchra & deformia, acceptura regnum & inventura ſupplicium ſempiternum.*

Hæc cùm diceret Auguſtinus ſibi ob oculos ponebat horrorem illi judicio undique circumſiſtentem, concitatam æqui Judicis iracundiam, verborum fulmina, impiorum æſtus, irati cœli turbines, diſcedentes terræ hiatus, ignominiam, tabem, exilium, perniciem damnandorum, &, quod malorum omnium ſummum eſt, infelicem perditámque æternitatem. Hanc & tu, innoxiè dum licet, intuere; & benè tibi cautum erit in ſeros, imò & æternos annos.

PROPOSITIO IV.

Timor Dei & pœnarum, peccati medela.

Eccl. c. 2. v. 6.

Serva timorem illius, & in illo veteraſce.

SUnt qui peccatum horreant & averſentur eò tantùm, quòd noxium pœna ſequatur caput; quòd graves & timendæ de ſuperis minæ, quòd cœlum tonet, quòd inferi dehiſcant: & hi ducuntur ſervorum in morem; nec tam capiuntur ſuavi & amabili virtutis illecebrâ, quàm imminentis pœnæ metu retrahuntur. utut ſit, parum intereſt, quî à patrando ſcelere revoceris, ſi modò revoceris.

Pſal. 118.

Hoc ſibi frænum fecit Propheta Regius, ubi à cœlo petiit, *Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui.* nec ſibi tantùm, ſed & poſteris pro fræno eſſe voluit, ne in ſcelus aliquod inciderent.

Pſal. 33. v. 12.

Venite, inquit, *filii, audite me: timorem Domini docebo vos.* In ea verba D. Baſilius: *Cùm te*, ait, *appetitus invaſerit peccandi, velim cogites horribile illud Chriſti tribunal, in quo præſidebit Iudex in excelſo throno: aſtabit autem omnis creatura ad glorioſum ejus conſpectum contremiſcens. Adducendi etiam nos ſumus ſinguli, eorum quæ in vita geſſimus rationem reddituri. mox illis, qui mala perpetrarunt, terribiles quidam & deformes aſſiſtent Angeli, igneos vultus præ ſe ferentes, atque ignem ſpirantes, in homines ſcilicet impios. Ad hæc cogita profundum barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem ſplendore, urendiq; vim habentem, ſed privatum lumine. Deinde vermium genus venenum immittens, & carnem vorans, inexplebiliter eſuriens, neque umquam ſaturitatem ſentiens, atque intolerabiles dolores corroſione iſtâ infigens. Denique, quod omnium graviſſimum eſt, opprobrium illud, & confuſionem ſempiternam: hæc time, & hoc timore quaſi fræno animam à peccatorum concupiſcentia reprime.* Hæc S. Pater pro efficaci peccati remedio eſſe voluit: & voluêre alii viri omninò magni, quos inter Iſidorus Peluſiota, cujus extat egregia monitio. Si carnis, inquit, ſuæ cupiditas & libido adverſum te furit, & inſolentiùs commovetur, *ignis futuri memoriam refrica, & extinguetur. Siquidem libidinoſum hujus vitæ incendium ad fornacem illam tendit.* Ne porrò pervenias, ignis æterni meditationem adhibe, & ignem igne vinces. Salutarem Dei timorem in præſidium advoca, & ſecurus eris.

[illegible] epiſt.

Ita advocare docuit magnus ille Pſaltes cùm Salomoni hæc inter extrema monita adjecit: *Confortare, & eſto vir.* Chaldæus vertit, *& eſto in virum timentem peccata.* vera enim ſtrenuitas & fortitudo eſt timor peccatorum. Is porrò adhiberi debet vel maximè, ubi hoſtis urget, ubi peccati periculum imminere videtur. ideóque benè monuit Moyſes: *Cùm comederis, & ſaturatus fueris, cave diligenter, ne obliviſcaris Domini Dei tui.* Chaldæus explicat, *ne obliviſcaris timoris Domini Dei tui.* nimirum inter epulas multúmque merum facilè ſopitur & extinguitur Dei timor: ubi à vino incaluit, ubi efferbuit animus, & frænum timoris abjicit, & ſeſſorem Deum excutit. Ne excutias umquam, audi Eccleſiaſticum providè monentem: *Serva timorem illius, & in illo veteraſce.* Ne crede juvenilem ætatem, & primos tantùm annos eo timore regi; ſed ultimam quoque ſenectam ab eo ſuſtineri ſcias oportere. Neque verò etiam dixeris, diſcolis tantùm, ac propè perditis eo fræno opus eſſe, ne nimium inſoleſcant & attollantur: ſed etiam juſto cuique & commodum & pernéceſſarium Dei timorem eſſe tibi perſuadeas. ſcitè cam in rem D. Gregorius: *Anchora cordis eſt pondus timoris: & ſicut majoribus & ditioribus navibus majore anchorâ opus eſt; ita quò juſtior homo, majore timore indiget.*

3 Reg. c. 2. v. 2.

Deuter. c. 8. v. 13.

Cap. 2.

6. Mor. c. 24.

Quod ipſum Salomon aureo in emblemate eleganter expreſſit: *Crura ejus* (id eſt, Sponſæ Chriſti, & bonæ mentis) *columna marmorea fundata ſuper baſes aureas.* baſis aurea timor eſt Domini, inquit Ambroſius. in ea pedem figere debet ſponſa, debet etiam quiſquis ad altiora gradum flectit, quiſquis in domo Dei ſeſe in columnam erigere parat.

Cantic. 5.

Petrus, Iacobus, Ioannes, & Barnabas, qui columna videbantur eſſe Eccleſiæ, in ea baſi conſtitêre, inquit Ambroſius.

Ambroſ. ſerm. 5. in Pſal. 118.

Saulus, qui deinde Paulus audiit, vas electionis, columna veritatis, in eadem baſi pedem poſuit, ab eáque ſeſe in tertium uſque cœlum erexit. Ita enim de ſe ille confitetur: *In timore & tremore multo fui apud vos.* In ſacro illo animarum principatu, numquam fuit ſine timore.

1 Cor. c. 2. v. 3.

S. Gregorius Nazianzenus, & ipſe fidei columna fundata ſuper baſim auream, quam ſibi pro innocentiæ firmamento vendicare auſus, hoc uno timore inter hoſtium aſſultus victor; ita enim eos compellat, & in campum evocat: *Probent*, inquit, *expertem eſſe me timoris, & vicerint.* Adeò fixus firmúsque ſtetit in aurea illa baſi, ut inde dimoveri ſe poſſe non crederet, ne ſi fractus quidem illapſus fuiſſet Orbis.

Orat. 28.

Denique columna fuit Huſſæus Vates, patientiæ miraculum, oſtentum fortitudinis, virtutum omnium exemplar longè perfectiſſimum. Venit ille in auream perfectæ conſummatæque vitæ arcem, per oſtium timoris admiſſus; ita enim de ſe loquitur ipſe: *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.* Quid eſt, inquies, vereri? Septuaginta diſertiùs exponunt, omnibus artubus commoveri; ut non levem inanémque metum intelligamus.

Ejus porrò cauſa ratióque hæc fuit, quòd ſciret oculum illum magnum, atque luminoſum æterni Judicis, arbitrúmque mundi, in omnia apertum & intentum eſſe, & ſingula quæ dicuntur & fiunt, æquâ lance expendere.

Eum ſibi immitere, ſibi lucere dum cernit, plurimorum Monachorum pater Agathon, tres continuos dies oculis apertis hæret attonitus, &, ut videbatur, mirum quantum anxius, nec tam cum morbo atque morte, quàm cum animo ipſe ſuo ac cogitatione luctatur: exegerat tamen vitam omnem ſine labe, & glorioſis operibus inclytam; à qua quid expectare aliud potuit, niſi ut eam beatiſſimo

Ruffinus lib. 1 de vit. Patr. num. 1611.

fine

ſine clauderet? Ita de eo benè ominari omnes, ita ſperare, ſibiq́ue polliceri. Hinc ea de cauſa mirantibus ut ſatisfaceret, dixit, ſe in theatro ſub oculis Dei poſitum vehementiſſimè formidare.

Cúmque operoſiùs urgerent quæ forent rationes illius formidinis; duas addidit vir ſanctus. Homo, inquit, ſum; & minimè ſcio utrùm opera mea placeant Deo; tum deinde aliud eſt judicium Dei, aliud hominum.

Hæc opinor eadem cogitatio Arſenium, virum plenum meritis & gratiâ, in ingentem formidinem conjecit. Hic in abitu ex hac mortali vita, cùm lacrymarum vim magnam profunderet, interrogavere viri qui tum aderant religioſi, Non timeret? Quibus ille: In veritate, inquit, timeo: & hic timor ſemper in me fuit, ex quo Monachus factus ſum.

Is nimirum eſſe ſolet genius bonæ mentis. Timet ille *arte, non caſu; voluntate, non neceſſitate; religione, non culpa*, inquit Zeno Veronenſis. Cui conſonat & illud Fulgentii. Religioſus animus, qui ſuus eſt, & Dei, *non timet formidine criminis, ſed robore puritatis, & firmitate virtutis*. Et inde hic timor (ut ad D. Gregorium, unde primùm diſceſſi, redeam) hic, inquam, timor eſt illi pro anchora. *Anchora cordis pondus eſt timoris*. Si enim animus volvitur adhuc iſto rerum mundanarum æſtu, ſi jactatur hujus vitæ fluctibus; eos temperat, eludit, frangit jacta ſalutaris timoris anchora. Ut enim elatè Tertullianus: *Inter ſcopulos & ſinus, velificata Spiritu Dei fides navigat; tuta ſi cauta, ſecura ſi attonita*. Sin autem peracta vitæ navigatio eſt, ſi portus, id eſt, mors, in oculis, & illius vim ſenſúmque timoratæ conſcientiæ ſpe ac cogitatione mollire ſolet: ſatis conſcius quàm verum ſit illud Tertulliani: *Ubi Deus, ibi metus in Deum*. Quis autem ille ſit, & quàm varius; ex iis, quæ adjiciam, facilè perſpicies.

Serm. 6. de Iſai.

Epiſt. ad Monim.

De Idol. c. ultimo.

De praeſc. c. 43.

§. I.

Quid ſit timor Domini?

Initium ſapientiæ timor Domini.

Eccl. c. 1. v. 16.

NOn eſt mei conſilii, timorem illum Domini hîc preſſiùs definire; ſed potiùs deſcribere, & metaphoris quibuſdam, velut alieno penicillo, mutuatiſq́ue coloribus depingere: eum certè ita nobis depinxit Eccleſiaſticus, & Sancti Patres. ex his & illo aliquid in uſus noſtros delibemus. *Initium ſapientiæ timor Domini*, inquit Eccleſiaſticus. quod aliter atque aliter excipiunt Interpretes.

D. Baſilio, timor Domini dicitur initium ſapientiæ, hoc eſt, divinum *inductorium*, & aurea quædam porta, aditúsque ad omne genus honeſtatis, & beatiſſimæ vitæ.

Hebraicè legitur, *reſcit*, à vocula *ros*, id eſt, *caput*, quòd in illuſtri ac divina ſapientiæ imagine idem ſit timor, quod in homine eſt caput, pars prima, & membrum omninò princeps.

Alii vocem Hebræam, *reſcit*, ita exponunt, ut ſignificet *principatum*: ex quo conficies *timorem Domini* ſibi vendicare ſanctitatis arcem, & ſapientiæ principatum.

Denique, quis magna Hebrææ linguæ fœcunditas, reconditáque in ea latent myſteria, *reſcit*, aliis dicitur *primitiæ*. Sicut enim Deo ter Opt. ter Max. rerúmque omnium auctori debentur arborum frugúmque primitiæ: ſic & virtutum, quæ bonæ mentis fructus ſunt, primitiæ Deo conſecrantur: eæ porrò vel petuntur à timore Domini, vel potiùs ſunt ipſe timor Domini. Et hæc quidem ab Hebræo verbo petita ſunt ornamenta, majora aliunde relinquuntur.

In arcano ſermone, qualis eſſe debuit Sapientis, initium idem eſt quod rei flos delibatus, atque perfectio: itáque initium ſapientiæ dicitur *timor*, quaſi apex & colophon ſapientiæ Chriſtianæ, pulcherrimus oculus, gemmáque virtutum; denique velut anima, & quod præcipuum eſt ac præſtabiliſſimum in ſapientia. Sic apud Jobum inſignis bellua dicitur *principium viarum Dei*. & homo apud D. Jacobum *initium creaturæ*; hoc eſt, creaturarum omnium, operúmque Dei nobiliſſimum. Sic & *timor Domini* appellari debuit *initium ſapientiæ*, hoc eſt, plena & conſummata ſapientia. Atque hoc illi à Scriptura decus: accedit aliud à Sanctis Patribus. Iob 40. v. 14.

Tertulliano nominatur *inſtrumentum pœnitentiæ*. Si vel à natura, vel ab arte ſuſtuleris inſtrumenta, & ipſa natura ſine ullo molimine ſtupida hærebit, & artes omnes inertes erunt: ita ſi timorem Domini à pœnitentia removeris; erit illa omnis boni vacua, omnino nuda opere: at ſi timorem ut inſtrumentum adjeceris; tum verò maximarum & pulcherrimarum rerum effectrix erit ac magiſtra. Tertull. de pœn. c. 2.

D. Baſilio ille ipſe timor Domini dicitur *conſcientiæ frenum*. Ubi miſellus homo ſeipſum commiſit ac tradidit concupiſcentiis ſuis, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; vagus ſcilicet, devius, effrænis: eritque talis in ævum, niſi ei injiciatur timor Domini, & *frenum ſanctum Domino*. illo revocabitur à viis ſuis peſſimis: illo regetur, flectetúrque ad omnes cœli nutus & periodos: qui enim aliter vinci ſe patiatur homo, qui ſeipſum exuit, & ad jumenti pervicaciam abjecit? Id ni feciſſet, fuiſſet illi hic *timor Domini* pro pædagogo: ita enim eum indigitat Pachomius in ſua regula, ubi ait: Baſil. in Pſal. 33. Zachar. 14.

Timor Domini nos in ſanctis cogitationibus erudit ſuper decem millia pedagogorum, magiſtrorumq́. Venimus in hunc Orbem, velut in lycæum ſapientiæ, virtutum gymnaſium, & quidem omninò rudes atque ignari: pro pædagogo, pro magiſtro erit *timor Domini*; qui ſuas quotidie prælectiones, ſua præcepta placitáque, velut totidem oracula, in aures, in animos immittet, donabitq́ue tandem in virtutum ſchola nobili magiſterio. Pachomius.

Eo donaſſe fertur Philippum Auguſtum, de quo illud Rigordi præconium: *A prima ætate ſua timorem Domini pædagogum habuit.* De geſtis Philipp.

Eo jam antè donarat Jacobum, magnum illum Patriarcham, qui per quietem vidit mirandam ſcalam, felicium Angelorum ludum, qui reciproco motu per eam ferebantur. Fuit illa tam ſublimis, ut ſuo vertice cœlum attingeret; tam ſancta, ut innixum haberet Deum; tam redundans myſteriis, ut cùm multa ſignificare poſſet, tum verò maximè progreſſum ad virtutem, in cujus veloci primo gradu cœleſtium aſcenſionum, Jacob timorem poſuit; ſibi enim ab illo ſopore redditus, exclamavit: *Quàm terribilis eſt locus iſte!* Ab illo gradu pedem animi ſuſtulit magnus Athleta: & tu, ſi ſapis, virtutis curſum ab eo incipe, & in cœlum evola. Sed abeo longiùs: redeo ad magnifica timoris nomina, illuſtres gloriæ titulos, quibus eum Sancti Patres exornant.

D. Gregorius Nyſſenus timorem vocat *bonorum cuſtodiam*. Tract. in Pſal. c. 8.

D. Bernardus, ut ſolet, blandiùs & amantiùs, dicit eſſe fœcundam virtutum matrem, ſedulámque nutricem, cùm monet è timore pio naſci, & ab eodem enutriri virtutes pulcherrimas, humilitatem, manſuetudinem, patientiam, longanimitatem; quas ubi bellè depinxit, eleganter deinde ſubjungit: *Quem non delectat tam inclyta proles.*

D. Bernardo conſentiunt D. Cyprianus, D. Baſilius: ille timorem ait eſſe *innocentiæ cuſtodem*; hic *ſanctitatis opificem* appellat. D. Chryſoſtomus altiore verbo uſus, etiam ut legiſlatorem commendat, ducitq́ue illud è Prophetæ Regii divinis oraculis monitiſq́ue ſeverioribus; inter quæ fuit illud: *Conſtitue legiſlatorem ſuper eos*; qui ſcilicet à te, ô Deus, S. Bernard. ep. 17. Epiſt. ad Donat. In Pſal. 32. Pſalm. 9.

ô Deus,

ô Deus, ſumme legiſlator, qui à tuis regulis, ſanctiſſimisque legibus recedunt: *Super illos*, inquit, *conſtitue legiſlatorem*; hoc eſt, ut Chryſoſtomus vertit, *conſtitue timorem.* Græcè enim habetur φόβημα, hoc eſt, *timor*, qui nobis eſt pro legiſlatore.

Et hæc quidem omnia mirum quantum commendent timorem illum de quo mihi quæſtio: ſed nihil extollit magis, quàm illud, quòd ille ipſe timor inter auguſta Dei nomina reponatur, imò ſit ipſe quodammodo Deus. Quod innuit vox *Alleluiah* in Davidicis odis tam frequens, & omnium ore celebrata: eſt enim ea compoſita, & in extremo oſtentat *Iah*, è divinis nominibus unum, de quo alius atque alius Auctorum eſt ſenſus.

S. Hieronymus exiſtimat illud ſignificare Deum ut inviſibilem.

Theologi Hebræorum ut creatorem mundi, Rabbi Salomon contendit exprimere Deum ut timendum; quaſi moneamur per *Alleluiah*, hoc eſt, Laudate *Iah*, ſic Deum eſſe omnium votis & ore celebrandum, ut ipſo timore ac reverentia laudetur *Pſal. 2.* magis. Ita concinit ore Regio Vates: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Repetit, inquit S. Hilarius, ſervitii noſtri & timorem exultantem, & exultationem trementem; ut & metum ſervitutis gaudii exultatio temperet, & ne libertas gaudii fines congruæ moderationis excedat.

Eo timore ac tremore ſibi in domo Laban benè *Gen. c. 31. v. 42.* fuiſſe teſtatur Patriarcha Jacob: *Niſi*, inquit, *Deus Patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes.*

Deum appellat timorem Iſaac, id eſt, quem Iſaac habuit pro objecto timoris, imò qui & Iſaaco & bonis omnibus ſit ipſe timor; à quo ut Jacobo benè fuit in domo ſervitutis, ſic & nobis poſteriſque omnibus erit quàm optimè, ſi modò nobis adſit timor Iſaac, Dei timor. quidni autem adſit?

Pauſanias in Arcad. Tanta olim ex terrore Græcos inceſſit religio, ut fulguribus ac procellis Arcades rem ſacram facerent, timoremque pro Deo colerent ac venerarentur: vanè quidem illud & ſuperſtitiosè: nec enim illis Numen, Numiniſque religio aſcribi potuit. At ex vero nobis eſt Deus, qui irato cœlo tonat & fulminat, & cujus timor irruere debet ſuper nos, ne illius immemores peccemus umquam.

§. II.

Timor Dei alius filios probat, alius ſervos arguit.

Rom. c. 8. v. 15. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore.*

1. Joan. c. 4. v. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem.*

N*Umquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam in ſummis excelſiſque verticibus?* Hic ſua ſæcula poſteráque compellabat Sapiens: à quo ſi quæſieris, qui ſummi excelſique vertices? Audies eſſe amorem & timorem: hic ſervos, ille filios evocat. Optandum ut omnes filii; ſervi vel pauci, vel omninò nulli. Sed nimium quantum verum eſt il- *Epiſt. 50. ad Bonifacium.* lud D. Auguſtini: *Sicut meliores ſunt, quos dirigit amor: ita plures ſunt, quos corrigit timor.* Hic antiquæ legis, ille novæ fuit. ita præſenſit olim Oſeas *Oſea 2 v. 16.* Propheta, qui de nova lege & Eccleſia vaticinans, ait: *Vocabit me, Vir meus: & non vocabit me ultrà, Baali.*

Sponſæ olim apud Hebræos, ſponſos compellare ſolitæ duplici nomine: quandoque dicere *Iſci*, id eſt, *vir meus*, quandoque, & ſæpiùs, *Baali*, hoc eſt, *Dominus meus, ſeu poſſeſſor meus.* cujus appellationis hoc eſt diſcrimen, quòd prima amoris ſit oſtentum, altera timoris indicium. *Breviu differentia*, inquit Liranus, *legis & Evangelii: timor & amor.* *Orig. in c. 8. ad Rom.*

Timor parvulis datus eſt tamquam pædagogus; amor adultis ceſſit ut nutritius, ut parens. Ille ut bonus ſit, ſervorum eſt, non filiorum: *perfecta enim charitas foras mittit timorem.* quod D. Auguſtinus declarat apta ſimilitudine lini & ſetæ: *Quando aliquid* *Tr. 9. in 1. Ioan. c. 4. v. 18.* *ſuitur, ſeta priùs intrat; ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non tamen ibi remanet, quia ibi intravit ut induceret charitatem.*

Prima Orbis ætas, lex prima, timorem illum habuit; ſecunda charitatem admiſit, timorem expulit, feliciore profectò ſorte. Probemus illud ex antiquitate, & Scripturæ fide.

Te revoco, mi Lector, ad Orbis cunas, & peccatum primi parentis: ab illo dum fugit, & latebras quærit, fugæ cauſam roganti reſpondit: *Timui eò* *Gen. 3. v. 10.* *quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Non timuit quòd à gratia nudus eſſet, à Deo averſus, Deo infenſus & hoſtis: ſed à pœna nuditatis expavit, ſeipſum horruit, & ficum culpæ pœnæque teſtem amavit. *Notandum*, inquit Rupertus, *quòd culpam ſuam tacuit, & nudum ſe eſſe queſtus eſt: non enim dixit, Timui eò quòd præceptum tuum prævaricatus eſſem; ſed eò quòd nudus eſſem. quàm perverſus hic timor, qui non facti ſui gerere pœnitudinem; ſed ſolùm pœna ſua ſe fatetur habere confuſionem.* Eam porrò labem, & pœnæ potiùs quàm culpæ metum emiſit in poſteros.

Qui ab Adamo ſecundus peccavit, Cain fuit. ubi ille totus à fraterno ſanguine rubuit: nôn ſcelus erubuit, non fratricidium damnavit; ſed imminentem crimini pœnam exhorruit.

Ecce, inquit, *ejicis me hodie à facie terræ, & à facie* *Gen. c. 4. v. 14.* *tua abſcondar.*

Præpoſteræ, ſceleſtæ, impiæ Caini voces. Primùm dolet, & luget ſe à facie terræ ejici; tum deinde à facie Dei. *Timet*, inquit Rupertus, *ne agricolari ſibi non liceat, ne terram, quam ſolam amat, vel præſentem vitam, pro admiſſo facinore perdat.* non timet autem emitti, ejici, exulare à facie Dei; quod tamen erat longè graviſſimum. Nimirum illud eſt vitium perditæ mentis, ut pœnæ malum fugiat, non culpæ.

Ita deinde poſt multa ſæcula Rex Saul, ad illa Samuëlis verba: *Quare non audiſti vocem Domini: ſed* *1. Reg. c. 15. v. 19.* *verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini?* Obſurduit, obmutuit totus: at ubi altiori voce Propheta loqui cœpit, ubi pœnas intentare, ubi vibrare fulmen illud irati Numinis: *Pro eo ergo quòd* *Verſ. 23.* *abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex.* His Prophetæ minis, velut fulmine perculſus, exclamat illicò: *Peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini.* *Verſ. 24.* Pœnitentis animi vocem, quam culpa elicere non potuit, expreſſit vel unus pœnæ metus: ita quem culpa ſenſum adimit, reddit pœna.

Non is juſto cuipiam ſenſus, non is animus eſt: ſed *timor Domini caſtus. quis ille? Non puniri timens* *In Pſal. 18.* *ab eo quem tremit, ſed ſeparari ab eo quem diligit: hic eſt timor caſtus*, inquit Auguſtinus; qui ſeipſum explicat duplici ſimilitudine. Una ducitur ex genio filii ac ſervi, altera ex integritate ſponſæ, & vitio adulteræ. De illa ita habet:

Timet ſervus offendere Dominum ſuum; ne jubeat eum verberari, vel in compedes mitti, in carcere includi, aut in piſtrino conteri. Filius verò timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur: ſed ne offendat gaudium paternum, ne offendat oculos amantis.

Hæc ubi dixit Auguſt. de indole moribúsque tum ſervi, tum filii, déque hujus & illius diſcrimine; tum illud apertiùs oſtendit opportunâ ſimilitudine uxoris, quæ datam marito fidem fallere neſcit; & adulteræ, quæ pudoris repagula fregit, quæ vitium eſt paſſa.

Pone, inquit, *aliquam fœminam caſtam, timentem virum: aliam pone adulteram; & ipſa timet virum.*

Caſta timet, ne diſcedat vir: adultera, ne veniat. Quòd ſi ambo abſentes ſint: illa timet ne veniat; illa ne tardet. Abſens eſt quodammodo ille, cui deſponſati ſumus: abſens eſt, qui nobis arrham dedit. Interroget ſe ſponſa ſi caſta eſt. Interroga conſcientiam tuam: Vis ut veniat, an adhuc vis ut tardet?

Si primum, conjux eſſe dicêris: ſin alterum, ut adultera arguêris.

D. Bernardus ex ſuo genio, ut ſolet, hujus illiúſque timoris diſcrimen exprimit: comparat enim caſtum illum timorem cum vino, cum muſto æſtuante; alium verò cum frigido aquæ elemento; atque: *Serm. de Nuptiis in Can. Gal.* *Divinâ virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem, quando ſervili timori, filiorum alter ſuccedit timor.* Det nobis Deus ſpiri- *Auguſt. in Pſ. 118.* tum illum timoris; *timoris utique caſti & timoris, quo timetur offendi qui amatur.* non enim accepimus ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater.

PROPOSITIO V.

Spes præmii & æternæ vitæ à peccati illecebris revocat.

Prov. c. 14 v. 26. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes.*

BEllè Sapiens dixit: *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes.*

Eſt Dei timor velut fœcunda filiorum parens, quibus pro hæreditate ſpes relinquitur, quâ hujus vitæ curas fallant, & labores ſolentur. Sic medii hærent vivuntque ſpem inter & timorem: & ita vivere docuit Deus Moyſen lata de cœlo lege, quæ ita habet:

Deuter. 24. v. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam: quia animam ſuam oppoſuit tibi.*

Noluit olim juris & legum arbiter Deus, à molitore accipi vel exigi loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam; quia anima, id eſt, vita moli- *9. Mor. c. 16.* toris eſt in mola; de qua D. Gregorius quærit quæ ſit illa mola ſuperior, quæ inferior? reſpondet:

Superior & inferior mola, ſpes & timor: ſpes ad alta ſubvehit; timor autem cor inferiùs premit. una ſine altera inutiliter habetur. Peccatoris ergo in pectore ſemper debent & ſpes & formido conjungi, quia incaſſùm miſericordiam ſperat, ſi juſtitiam non timeat; & incaſſùm metuit, qui non confidit.

D. Gregorio conſentit Petrus Bleſenſis: *Adjuncta, Serm. 21 in Aſcenſione.* inquit, *ſunt molæ, ſpes & timor; inter quas ſemper molitur Chriſtianus.*

Albertus Magnus eòdem revocat trahitque illa ver- *Cap. 47.* ba Iſaiæ: *Tolle molam, & mole farinam.* quaſi diceret: *Fac tibi molam ſpiritualem de duobus molaribus; conſiderando miſericordiam Dei, & juſtitiam ad emolliendum cordis tui duritiam.*

Ubi ea molaribus illis probè attrita & victa ceſſerit; eris in agro, eris in area Domini velut triticum quod ſalutari pœnitentiâ paleas abjicit. *Vt enim* (idem auctor) *per triticum, quod inter molares teritur, ut à paleis emundetur, accipitur vera pœnitentia: per quam homo inter duos molares, ſpei videlicet ac timoris, teri debet, ut à peccatorum ſordibus exuatur.*

Jactabat olim S. Ignatius martyr aureas illas & dignas palma cœlóque voces: *Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Dicat modò quiſquis eſt Chriſtianus: Frumentum Chriſti ſum: quòd ſi non eò gratiæ ac gloriæ evocor, ut pro fide, pro cœlo Deóque dentibus beſtiarum molar; at certè ſpem inter & timorem molar, ut panis mundus inveniar.

Quòd ſi tamen cujuſquam auribus duriuſculè accidant eæ voces, molar, terar, conterar; mollior appellat illa vox ſponſæ: *Læva ejus ſub capite meo,* *Cant. 2 v. 6.* *& dextera illius amplexabitur me.*

In quæ verba Ugo Carenſis: *Læva*, inquit, *ſponſi juſtitia eſt, quæ per timorem fulcit Eccleſiam, ne corruat in peccatum. Dextera ſponſi eſt miſericordia, quæ per ſpem amplexatur & conſolatur Eccleſiam, ne deſperet.* Si ea læva nos fulciat, ſi amplectatur dextera; à cura ſponſi nobis erit quàm optimè. audio enim, exclamat: *Ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Anima, quæ dormit ſpem inter & timorem, nullo rerum turbine excitari, nullo commoveri, nullo concuti poteſt: ſed tuta, ſecura conquieſcit; & ab illa quiete hujus ævi vitæque brevioris libera ſurgit, expedita evolat in cœlum, in Deum, in ſinum beatitatis.

Vadem habeo Prophetam Regium. cecinit ille jam inde ab avitis ſæculis: *Si dormiatis inter medios* *Pſal. 67. v. 14.* *cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* Hæc vita ut longæva ſit ſomnus eſt, & humana omnia levis & fugacis imago ſomni. Dum ille vos occupat, ſi dormiatis inter medios cleros, medias dico ſortes, ſpem gloriæ & timorem pœnæ; tum vobis erunt pennæ, quibus à terra, à luto in cœlum, in Deum evoletis; & eæ quidem columbæ ac deargentatæ, in quibus argenti candor, id eſt, bonæ mentis puritas eluceſcet. Et tandem poſteriora dorſi, id eſt, vitæ, in pallore auri, in fulgore cœleſtis ſapientiæ, in igne caritatis, in luce gloriæ ac beatitatis; quæ à timore Domini, ceu fon- *Prov. c. 4. v. 17.* te fluit, ceu radice ſurgit: *Timor enim Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Et: *Radix ſapien-* *Eccl. c. 1. v. 25.* *tiæ eſt timere Dominum: & rami illius longævi.*

PROPOSITIO VI.

Amor divinæ legis ſcelus omne in odium vocat.

Dilexi mandata tua ſuper aurum & to- *Pſal. 118. v. 117.* *pazion.*

HUnc amorem eodem Pſalmo ſæpiùs expreſſit Propheta Regius: *In via teſtimoniorum tuorum* *Verſ. 14.* *delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.* Et ut perennis ea foret delectatio; Deo ſupplex accidit, & *Verſ. 16.* orat: *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in* *Verſ. 72.* *avaritiam: bonum enim mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti:* ac tandem ab argenti & auri pretio ad gemmarum nitorem ac lucem elabitur. *Dilexi,* *Verſ. 127.* inquit, *mandata tua ſuper aurum & topazion.* Et ne vacuum crederes amorem, ſubjungit quod ab illo dimanat: *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.* Amor divinæ legis & mandatorum inclinavit in odium iniquitatis. & meritò: ut enim nihil argento, auro gemmiſque pretioſius vel nobilius eſſe poteſt; ita nihil divinâ lege ac mandatis illuſtrius & auguſtius.

Salomonem appello Davidis filium, & hæredem amoris paterni: hoc illius monitum tranſmiſſum in poſteros omnes: *Cuſtodi legem atque conſilium: &* *Prov. c. 3. v. 21.* *erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.* Hebraicè pro lege, habetur *eſſentia & ſubſiſtentia*; quòd divina lex cum hac & illa optimè conveniat. Lex eſſentia dicitur; quia ut eſſentiæ rerum Philoſopho dicuntur & ſunt immutabiles, æternæ, indiviſibiles, quibus proinde nihil accedere, decedere nihil omninò poteſt: ita divina lex eſt ejuſmodi, cui nihil addere, detrahere nihil potes. *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant,* inquiebat prima Veritas. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Diſſolvi poterit, & ab igne in cineres reſolvi hæc terræ machina, ſiccari maria, & nudo alveo relinqui: ipſe ſpirabilis aër in ſcintillas excoquari, & cœlorum firmitas diſſolvi poterit,

poterit, communique clade involvi ac labaſcere. Sed in iſto totius Orbis cœlorúmque excidio ſua ſemper ſtabit mole, ſua virtute ſe involvet ac tuebitur divina lex, nec illo Univerſi occaſu connivebit; ideóque illam amat Propheta, illi ſe ſiſtit, illâ ſe firmat ac tuetur.

Accedit & alterum à divinâ lege præſidium: eſt ea bonæ menti, quod ſubſtantiæ dicitur eſſe ſubſiſtentia.

Si Philoſophis, ſi Theologis credimus, ſubſiſtentia eſt ultima ſubſtantiæ perfectio, à qua habet operari poſſe; ſine qua enervis, imbellis, & otioſa penitus. Ita humanus animus omni ſubſiſtentia deſtitutus, nec intelligere, nec velle, nec moveri, nec aliud quidquam operari poterit: *actiones* enim, ut inquiunt Philoſophi, *ſunt ſuppoſitorum.*

Et hoc à divina lege mandatiſque præſidium eſt: dant illa vim roburque piæ menti, ut ſeſe ab hoſte, à peccato explicet & exerat in actiones cœlo dignas atque æternitate. Et hæc fortè ratio cur legiſlator Deus, longam contexens mandatorum ſeriem, Hebræis reliquerit tot præcepta affirmativa, quot ſunt oſſa in humano corpore, ſcilicet 248. totque negativa, quot nervi, nimirum 365. ut vel ea eo doceret, quod corpori ſuſtinendo ſunt oſſa, quod movendo nervi, hoc animæ eſſe ipſam Dei legem ac mandata. Sunt illa animæ vita, *ſunt gratia faucibus.* D. Hieronymus vertit, *Vis & robur faucibus.* faucibus inquam, non ori, & extremis labellis: quia verba quæ è gutture imiſque faucibus, imò & pectore trahuntur, majorem vim habent ad permovendos animos. Et inde Hieronymo teſte lingua Hebræa aliarum facilè princeps; quia plerumque aliæ extremo ore, lingua labelliſque formantur, & leviter excidunt: at verò Hebræa gutturalis eſt: è guttore magna vi niſûque trahitur, cuditur in ipſa propè pectoris officina: à qua vim habet & robur ad commovendos animos.

Et ea vis eſt divinæ legis: ubi ea in fauces, in pectus, in animum admiſſa fuerit; tum emittitur, & audientium aures animóſque magno impetu ferit ac percellit, divinæque voluntatis jubet eſſe retinentes.

Ita lex eſt *gratia faucibus*, id eſt, elegantia, ut vult Liranus: nec enim inſulſum, inconditum ſonum edit, nec auribus duriùs appellit: ſed ſuavi & amabili concentu audientium animos demulcet ac recreat. ita Propheta Regius: *Cantabiles*, inquit; *mihi erant juſtificationes tuæ.* ita leges antiquis cantilenæ dictæ, & apud Cretenſes pueri litteras diſcebant, ac leges numeris muſicis conditas, vel ut earum ſeveritatem hac numerorum ſuavitate lenirent: vel, quod veriſimilius eſt, ut bonarum legum optimam eſſe harmoniam oſtenderent. tantum facit ad aurium illecebras ipſa legum obſervantia, ſuaviſque concentus; qui non auribus tantùm abblanditur, ſed & reliquo corpori, imò & animæ eſt ornamento. Eſt enim *gratia faucibus*, id eſt, *torques*, qui non tantùm ornamento fit, ſed etiam præſidio contra faſcinum occultáſque mali dæmonis inſidias; imò & propugnaculo contra vim apertam, adverſóſque hoſtium incurſus.

Præſidium illud à divina *lege* teſtatur ille ritus priſcæ ætatis, qui pueris olim ac puellis è collo appendit Evangelia, Deique legem contra dæmonis artes malignáſque faſcinationes.

De quo ritu extat illud D. Chryſoſtomi ad populum: *Tu verò*, inquiebat, *Evangelia leges & mandata deſcribas, non auro, non argento; ſed voluntate: ſecurius habebis Evangelium, non extrinſecus, ſed in animæ penatibus ipſam reponens.* Hom. 19.

Eò loci tibi erit præſidio contra malas artes, ſtygióſque dolos: &, ſi voles, etiam propugnaculo, ſi quis aperto Marte te petat.

Ad illud aſpirat, illud inclamat, illud erigit Propheta Regius, adverſo ac tumultuante bellorum æſtu, quo percitus ait: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Chaldæus exprimit, *tu & arca, in qua lex tua.* Hebræi, *tu & arca fortitudinis tuæ.* nimirum divina lex robori eſt, fortitudini, propugnaculo munitiſſimo: quod dum ambit & amat Propheta, exclamat: *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar; omnem viam iniquam odio habui.* Pſal. 131. v. 8. Pſal. 118. v. 127.

PROPOSITIO VII.

Turpitudo peccati ad ejus fugam impellit.

QUamdiu humanus animus hac luteâ mole tegitur, quamdiu ducitur hoc corporis ſepulchro; vix ea capit quæ ſunt ſpiritus; magis autem rapitur iis, quæ ſub ſenſum cadunt: ideóque ut huic noſtro malo connivere videamur, priùs pauca dicemus de turpitudine corporis, quod quantùmque illa ſit malum; tum deinde gradum faciemus ad animæ deformitatem, quæ à peccato enaſcitur.

§. I.

Quantum malum turpitudo, etiam ſolius corporis.

VT pulchritudo amorem, ita deformitas odium parit: eſt enim quoddam naturæ malum; eámque non parentem, ſed novercam arguit. Imò, ſi Galeno credimus, corporis ſpecies etiam ipſa mentis vitia prodere conſuevit: hoc enim in ejus ſchola pronuntiatum: *Natura membra componit prout moribus anima convenit.* Lib. 2. de temp. c. 6.

Medicorum principi conſentit Raſis à medica arte celeberrimus: *Cujus*, inquit, *facies eſt deformis, vix poteſt habere bonos mores.* unde illud Martialis: Lib. 2. c. 38.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laſus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Cenſuit Poëta animo bonum eſſe non poſſe, qui adeò corpore malus & deformis eſſet: eſt enim corpus veluti quædam vagina mentis, vel ipsâ Scripturâ teſte: ubi enim Geneſis capite ſexto legitur, *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt;* Pagninus vertit, *non erit ut in vagina ſpiritus meus.* Ut terſus & præclarus enſis vaginâ rudi & abjectâ recondi non ſolet: ita nec in vili & invenuſto corpore honeſtus & pulcher animus habitat. Unde manavit illud Laertii de Diogene, qui adoleſcentem pulchellum indecorè loquentem conſpicatus: Non erubeſcis, inquit, ex eburnea vagina plumbeum educere gladium? Gen. 6. v. 3.

Conſentit Ambroſius, & ea ipſa corporis ſpecie, quæ paret, evadit ad decus animi, quod latet. *Specie corporis*, inquit, *ſimulacrum eſt mentis, figuraq; probitatis.* 2. de Virg.

Nec fruſtrà doctiſſimi viri dicunt naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari: ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe quantus ille cœleſtis ſpiritus intrarit habitator. ut enim Conſtantini panegyris: *Proceritas corporis, honor capitis, dignitas oris, longè latéq; Principem oſtentant: & licèt ipſa virtus mereatur imperium, virtuti tamen addit forma ſuffragium: illa præſtat ut oporteat Principem fieri; hæc etiam ut deceat.*

Contrà verò, deformitas arcet ab illo honorum culmine regnique faſtigio: ex ea manavit in leges ipſas, in jus civile deductum illud, teſte Baldo & Tiraquello, ut ſi duo, quorum unus deformis, formoſus alter, paribus ſuffragiis pro dignitate certaverint; ea non deformi cedat, ſed formoſo concedatur. Lib. 2 in princ. §. de fortu.

Nimirum leges ipſæ, quæ ſunt veluti quædam interpretes Naturæ, & rectæ rationis adminiſtræ, ei favent. cui natura faviſſe videbitur.

Hanc etiam ob cauſam apud Lacedæmonios ſtatutum fuit, ut filii, qui deformes naſcerentur, admoverentur vilibus officiis; ut quales natura finxerat, tales quoque ars ipſa retineret.

Levit. c. 21. Imò & ipſe Deus vitiati corporis notas videtur horruiſſe: cavit enim ne corpore deformes ſacrificiis templóque deſervirent. Quod etiam uſurpavit *Can. Illiteratos diſt. 36.* Lex nova, quæ eos omnes procul eſſe jubet à ſacris, qui monſtruoſo ſunt & informi corpore, qui manu mutili, qui vel utroque, vel etiam altero oculo malè capti, vel alio affecti vitio, quod & corpori enormi, & aris abſonum ſit atque abhorrens. Et hæc quidem omnia ſatis ſupérque probant turpitudinem etiam ſolius corporis eſſe quoddam naturæ malum, à quo ad animam ipſam duci poteſt argumentum.

§. II.

Quæ turpitudo mentis, & quantum ea ſit malum.

Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudi- *1. Reg. c. 16. v. 6.* *nem ſtaturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

Oſea c. 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.*

NOlim ego adeò ſeverus eſſe cenſor, ut ex aliquo corporis vitio mentis errorem & lapſum arguam. ſcio & ſapientiam ſub vili pallio latere; & puſillo informique corpuſculo quandoque tegi magnos & ingentes animos: nec enim iiſdem vinculis tenetur corpus & animus: etſi plerumque fiat ut corporis vitium in animum quoque derivetur.

Ut ut ſit, hîc non diſputo: lis ea eſt alterius fori; neque mihi proponitur hîc quæſtio de corporis deformitate, ſed potiùs de ea, quæ à peccato pervadit ad animum. Illam unam ſpectant Superi, illam horrent beatæ mentes, & ipſe Deus odit ac deteſtatur: nec ſi pulcher es corpore, ideò apud Superos pulcher es animo.

Pulcher erat Eliab filius Iſai, quem ut vidit Samuel, imperio dignum eſſe cenſuit, & ait: *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abjeci eum: nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Do-* *Ierem. c. 17.* *minus autem intuetur cor.* Et quia *pravum erat cor, & inſcrutabile*; quia doloſum erat & fallax, quia ſinuoſis anfractibus horridum, & quibuſdam veluti labyrinthis implexum: quia grave, præfractum, obſtinatum; ideò abjecit illud Deus.

Erat illi venuſtum corpus, vultus, oculi, frons, totáque corporis compoſitio planè Regia: at non Regia mens erat, quia peccatis invenuſta, fœda, deformis: erat corpus illi *bona domus, ſed animus malus hoſpes*: bona erat navis, ſed gubernator malus. Ut enim bellè Iſocrates: *Si pulchrum tibi corpus, & anima mala, bonam navim habes, & malum gubernatorem.* parum autem intereſt, ut bona ſit navis, ſi modò gubernator eſt malus: ab hoc in vada, in ſyrtes, in ſcyllas, in charybdes incurret navis, *Eccl. c. 11. v. 2.* allidetur, & naufragium faciet. proinde *non laudes virum in ſpecie ſua*: ſpecie dico corporis, ſed animi tantùm: is à virtute & venuſtatem petit, & à vitio turpitudinem mutuatur. Ea porrò tanta eſt, ut nihil turpius, nihil deformius excogitari poſſit. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt*, inquiebat *Oſea c. 9.* Oſeas. & quidem ita Superis Deóque abominabiles, ut non patiatur eos venire in laudes ſuas.

Evocat Deus Orbem univerſum, terras, maria, aera, cœlos, volucres pennatas, imò & ſerpentes ipſos, omnéque reptilium genus in laudes ſuas educit: ut nulla omninò creatura eum taceat, ſed loquantur omnes. In illo totius univerſi clamore, gratóque concentu, unus ſilet peccator; quia *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Qui enim ſpecioſa eſſe *Eccl. 15.* poſſit, cùm non ſit ſpecioſus animus, à quo fluere & derivari debet? Ab hac turpitudine tantus pudor offundi ſolet, ut de eo dixerit olim D. Anſelmus: *Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cernerem* *Lib. de ſimil. c. 19.* *horrorem, & neceſſariò uni eorum deberem immergi: priùs me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem. Mallem enim purus à peccato gehennam intrare, quàm ſorde pollutus cœlorum regna tenere.* Hactenus D. Anſelmus; qui peccatum ex eo tantùm fugit, quòd ſua ſceleri ſit turpitudo, ſua deformitas: quam averſatur, & horret ſibi relictus animus.

Ita Seneca peccatum declinare docuit antiquâ illâ & nobili ſententiâ: *Et ſi ſcirem homines ignoraturos & Deum ignoſciturum; tamen adhuc peccare nollem ob ipſam peccati turpitudinem.* Tu verò Chriſtiane, qui is eſſe & videri vis, cùm jam inde noveris, nec homines ignoraturos, nec Deum ignoſciturum, nec ipſa te lateat peccati turpitudo; audes tamen, audes peccare, & perfrictâ fronte, procacibus oculis, auſúque planè temerario, in tuas libidines ſcelúſque præceps ruere. Vide quis aliquando tibi futurus animus? Quis in fronte pudor? Qui ſtimuli doloris? Quanta conſcientiæ laceræ lanienа? Ubi contra teipſum tuámque impudentiam pugnabit illa Senecæ ſententia: *Etſi ſcirem homines ignoraturos, & Deum ignoſciturum: tamen adhuc peccare nollem ob ipſam peccati turpitudinem.*

§. III.

Vnde tanta turpitudo mentis.

NE eam à natura peti poſſe credas, pauca tibi ſuggeram in aurem de pulchritudine, quam à natura hauſerunt olim & etiamnum retinent mali dæmones, cum ea turpitudine mentis, quæ poteſt eſſe longè maxima.

Certum illud eſt, & in confeſſo apud omnes Theologos, dæmonem ubi tubâ cecinit in cœlo, & ſuperbiæ ſignum contra Deum extulit, ita deturbatum eſſe de ſede beatitatis, ita amandatum ad æternos carceres, ita orbatum gratiæ donis, ut tamen naturalia omnia integra retineret: ab illis paria cum beatis Angelis, cum cœleſtibus mentibus & Intelligentiis habere fatendum; imò fortè & ſuperiora. Si intelligendi vim attendas, ei longè præſtantiſſima: ab ea quamplurima uno conceptu complecti, occultas naturæ rerúmque cauſas acie mentis pervadere & penetrare poteſt.

Singulare & præſtans fuit Origenis ingenium, qui ſimul de rebus quibuſque diverſiſſimis quatuordecim ſcribis eodem tempore pronuntiata dictabat.

Julii Cæſaris celeritas, & intelligendi vis omninò digna fuit, & digna tanto Cæſare, digna purpurâ, & Orbis imperio: literas ille judiciáque de graviſſimis rebus uno eodémque tempore ſeptem Amanuenſibus referebat: ſummâ ſemper & concitatâ animi promptitudine, quam demirata antiquitas ei ſtatuam erexit, quæ una manu nudum tenebat enſem, altera calamum regebat: additum erat hoc lemma, *Ex utroque Cæſar.* ut tamen ejuſmodi fuerit vel Origenis, vel Cæſaris, vel cujuſquam alterius ingenium; non fuit cum unius dæmonis perſpicacitate conferendum.

Et hoc conducit plurimum ad Angelicæ naturæ præſtantiam;

præſtantiam: quam ut aliquod naturæ miraculum ſibi uni aſcribit Deus. ita enim Jobum alloquitur: Job c. 40. v. 10. *Ecce*, inquit, *Behemoth*, *quem feci tecum*. ut enim periti vel ſculptores, vel pictores, ubi ſuis coloribus ac lineamentis imaginem aliquam aut ſtatuam effinxerunt, ſubſcribere ſolent: *Polycletus fecit*, *Apelles faciebat*: ita Deus auctor naturæ, operúmque mirabilium artifex, lubens volensque ſubſcripſit huic operi, dixitque: *Ecce Behemoth*, *quem feci tecum*. Ecce ſpiritus ille jam inſtar elephanti, & immanis belluæ deformatus, in quo parando, fingendo, poliendo, omnem propè naturæ vim ſtudium & operam explicaram. Hujus tabellæ lineamenta, varium & elegans opus, pulchrè deſcribit Ezechiel capite vigeſimo octavo, ubi de illo priuſquam ſceleri conniveret ita loquitur:

Cap. 28. v. 12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*, *plenus ſapientia*, *& perfectus decore*, *in deliciis paradiſi Dei fuiſti*. *omnis lapis pretioſus operimentum tuum*: *ſardius*, *topazius*, *& jaſpis*, *chryſolithus*, *& onyx*, *& beryllus*, *ſapphirus*, *& carbunculus*, *& ſmaragdus*: *aurum opus decoris tui*. *Tu cherub extentus*, *& protegens*, *& poſui te in monte ſancto Dei*, *in medio lapidum ignitorum ambulaſti*. *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ*, *donec inventa eſt iniquitas in te*. Quid illâ tabellâ pulchrius? Quid eo ſpiritu vel elegantius, vel auguſtius excogitari potuit? Quidquid terra cœlúmque decoris habet, quidquid gemmarum maria, quidquid alicujus pretii Orbis univerſus, id ei omne liberali prodigáque manu videtur contuliſſe. Hæc fuit illius ſpiritus gratia, dignitas, majeſtas cùm Dei, cùm ſuus eſſet: at ubi ſceleri ceſſit, mirum quæ ſtrages ab una peccati macula.

Ea de pulcherrimo fecit fœdiſſimum, de Angelo bonóque genio multum amabili, & ineuntis oculis gratioſo, dæmonem fecit aſpectu formidoloſum, & neſcio quo fœditatis horrore terribilem. Et eò quidem, ut una è maximis vel morientium, vel damnatorum pœnis ſit ejus conſpectus & fœditas. Vidiſti quandoque homines in ultima brevis ævi periodo, inter vitæ mortiſque confinia cum morte luctantes, palleſcere, contremiſcere, rigere, variè diducere, contorquere oculos, palpitare, quatere ſeſe, & miſerandum in modum agitare per lectulum; omnia ſudore frigido perfundere, & quandoque vel in horrendos clamores & ejulatus prorumpere, vel altos timendóſque ſingultus imo pectore ducere; eos elicit, & extrema quadam vi exprimit vel unus aſpectus dæmonis, qui in aliena mentitáque ſpecie moribundis apparere ſolet. rem paucis exemplis comprobemus.

Cùm Euſebius S. Hieronymi diſcipulus, vir magnarum omninò virtutum, & vitæ anteactæ meritis clarus, duabus tantùm horis abeſſet à morte, derepentè & brachia jactare, & corpus ſuccutere, & tranſverſis inſpectare oculis, & has voces horrendo cum ejulatu edere: *Non faciam*, *non faciam*. tum deinde ſubito impetu, ingenti niſu & oculos & faciem terræ apprimere, & quaſi fraternæ opia indigus exclamare: *Adjuvate me fratres*, *ne peream*.

Perculit ea vox aſtantium omnium animos, & ingenti miſeratione commovit. Ubi datum aliquid ſtupori & lacrymis; tum ex iis qui aderant unus aliquis quæſivit: Quid habes, mi Pater? Quid habes? Quid ille oris pallor? Quid diſtorta, abjecta lumina? Quid effuſus & impotens clamor? Cui ille: Non videtis, inquit, dæmonum agmina, infeſtóſque tenebriones, qui me debellare totis viribus ſatagunt, & in blaſphemas voces impellere; quibus ego, Deo fretus, reſpondi: *Non faciam*, Epiſt. Cyrill. ad Aug. *non faciam*. Hæc ubi audiêre, urgent magis, quæruntque cur oculos, cur vultum averteret, terræque appritmeret? Quibus Euſebius collecto ut potuit ſpiritu vocéque: Ne dæmonum aſpectus cernerem, qui tam fœdi ſunt ac terribiles, tam portentoſa & immania ſpectra, ut omnes hujus Orbis terrores ac formidines, cum iis compoſitæ, inania quædam & ludiera puerorum terriculamenta videantur.

In eadem epiſtola, unus è civibus Nazaræis à S. Hieronymo luci vitæque redditus, hæc de extrema cum morte lucta referre ſolitus. Cùm eſſet anima in extremis labris, vixque corpuſculo hæreret; objectam ſibi dæmonum turbam, quorum ſpecies adeò tetræ, immanes, horrendæ, ut nihil iis teterius, immanius, horribilius effingi poſſit: maluiſſe ſe, & quemvis alium in ignes, in rogos ire, quàm vel momento tam horridorum ſpirituum aſpectu perſtringi.

Fit tamen illud ſuavi & amabili Dei providentiâ: morienti occurrit dæmonis obtutus, ut eo tamquam expiatorio tormento electorum ſuorum labeculas caſtiget atque eluat.

Cujus argumentum habes in vita Sancti Aichardi auctore Fulberto religioſo. vidit ille aliquando in cœnobio, cui præerat, ſilenti & concubiâ nocte hinc Angelum, inde dæmonem: & Angelum quidem alterâ manu virgam præferentem, ſéque his compellantem audiit: Attende, & oculo nota, quos è tuis religioſis jam dormientibus hac virgulâ tangam & deſignem: quemcumque enim tetigero, illi paucos poſt dies hac mortali vitâ erit excedendum.

Poſtquam hæc monuit, religioſorum dormientium cellas omnes celeri pede luſtrat, & alios quidem virgâ ferit, alios autem prætergreditur, & hi diutiùs ſuperſtites, illi mox à morbo lethali ad mortem rapi videbantur. Priùs tamen ad extremam luctam benè parati, & omnibus Eccleſiæ Sacramentis maturè communiti, non ſine ſingulari Divinæ Miſerationis beneficio.

Ubi fratrum cellas obierat Angelus, ubi quoſdam certæ morti deſignarat; cœlo Superiſque reddi videbatur.

Abiturienti Angelo tardior hærebat dæmon, & monaſterii tectis malus hoſpes inhærebat; cúmque de eo quereretur vir ſanctus, & apud cœleſtem genium expoſtularet opportunius omninò futurum ut monaſterii ſeptis pelleretur, & ad inferos ontoſque carceres dæmon amandaretur; Angelus verò bonus cuſtos & achates, intra cœnobii ſepta limiteſque reſideret: ſubjunxit bonus genius, quod ad detergendum metum faciebat, ne ſibi ſuiſque à malo dæmone metueret: nullam ei in religioſos illos à Deo factam eſſe poteſtatem. Verùm eò tantùm relinqui, ut aſpectu ſuo feroci, truculento, tartareo morientibus occurreret; & ſi quid à vita anteacta labes adhæſiſſet, hoc veluti tormento quodam expiatorio detergeret.

Quòd ſi aliqua dæmonia facies, etiam ementita, etiam adultera, & in aſſumpto corpore tantum turpitudinis, formidinis tantum atque horroris habere poteſt, ut pro tormentis, pro igne ſit bonis animabus: quod, & quale monſtrum, quàm atrox, efferum, immane erit dæmonem non unum, ſed omnes in nativa ſpecie contueri? Tale enimverò illud erit, quod damnatos durius pulſabit & anget, quàm ipſi flammarum vortices, quibus immerguntur.

Ex his porrò ſi iteratò quæſieris, unde in illa tam ardua, tam excellenti, tam auguſta mente ea turpitudo, onde ea labes & horror, quam nec ipſe Sol aſpectabilia, nec humanus oculus, nec ipſi inferi patiuntur; audies id omne, quod in ea vitioſum, quod turpe, quod truculentum eſt, ab uno peccato, ceu malorum ſentina, derivari.

Quæ cùm ita ſint, mirum illud certè, & prodigio ſimile, eſſe mortales inter qui ut turpitudinem omnem nævúmque etiam in corpore oderint, peccati tamen turpitudinem & monſtrum in animo velint & ament. Diſcent illi aliquando, ſeráque

nimium

nimium pœnitentiâ damnabunt præpoſterat illas corpuſculi curas, ubi quoa præſens vita ac libido oculos clauſit, mora ipſa teſerebit. Tu, ne eum illia ferò ſapiaa vide; & , quam à peccato turpitudinem hauſiſti, quàm citiſſimè effunde.

PROPOSITIO VIII.

Pulchritudo virtutis, ejus amorem conciliat, & ingens peccati odium crear.

Est illa naturæ in malum conniventia, eſt abjecta quædam intelligentiæ noſtræ in corpus indulgentia, quâ fit ut ad ſe ipſe vix redeat animus, vix ſe ipſe videat, niſi objectu & obtutu ſui corporis. Ab illo ſeu naturæ lapſu ſeu vitio evenire ſolet, ut ea quæ de humanæ menoa, de virtutia pulchritudine dicuntur vix capiat, niſi ea ſumpſeris petito exemplo à ſpecie corporis; ideóque de illa priùs pauca attingemus, ac deinde tranſire licebit ad animum, ejúsque decus, virtutem.

§. I.

An pulchritudo corporis ſit bonum, & quantum?

PUlchritudini corporia magnam omninò vim aſperſit natura, magnas illecebras indidit, quibus omnium oculi & animi capetentur. Ejus hæc apud antiquoa commendatio.

Hom. 9 de verbis Iſai. Sancti Patres eam appellant magnificum Divinæ potentiæ opus atque donum. τῆς θεοῦ σοφίας ἔργον, divinæ ſapientiæ opua, inquit Chryſoſtomus.

De cultu fœmin. c. 2. Tertullianos cæteroquin gravis cenſor omnium inanitatum, ſeverúſque morum magiſter, tamen illud egregiè pronuntiat: *Accuſandus decor non eſt; ut felicitas corporis, ut divina plaſticæ acceſſio, ut animæ aliqua veſtis urbana.*

Carneades pulchritudinem eſſe dixit *regnum abſque ſatellitio.* ſua latera vitámque ſtipant Reges numeroſo ſatellitio, quo de vita fortunisque tuti ſint ac ſecuri: at ſibi ſatelles eſt, ſibi tutela pulchritudo, cui invidet nemo, blandiuntur omnes.

Lib. 5. de vit Philoſoph. Laërtius pulchritudinem eſſe cenſuit *quavis epiſtolâ efficaciorem ad commendationem.* Quò vocari poteſt illud Quintiliani. Erat Athenia Matrona venuſta planè, & ſingulari ſpecie, quæ in forum, in judicium prodiens à Judicibus extorſit quod Iſperides ſummus orator non impetrarat. Nimirum plus potuit ad commovendos Judicum animos ipſa corporis venuſtaa, cum quadam oris colorisque ſuavitate, quàm excultæ orationia nitor & elegantia. Adeò verum illud publii Syri: *Formoſa ſpecies muta commendatio.*

Lib. 6. de Rep. de qua & hoc Platonis pronuntiatum: *Pulchritudo maximè omnium amabilis, & naturæ privilegium.*

Verùm ut ea de corporia pulchritudine jactari poſſint; fatendum tamen cum Theophraſto eam eſſe *ſilentem fraudem*; imò & cum Socrate, *crudelem tyrannum.* à quo ii cecidêre, quoa hoſtium arma viſque opprimere non potuit: ſcilicet plus in eo roboris, quàm in acie ſtrictóque ferro.

Vim illam roborque venuſti corporis probè noverat Rex Balach, qui aciem ducturus in Iſraëlem, non arma capediri juſſit, non militem educi, non haſtatas acies, & nudo enſe formidandas; ſed imbelle & formoſum genus muliebre: & hoc quidem ex conſilio Balaam, cui jam inde perſpecta vis femineæ pulchritudinis. de qua illud Origenis: *Non virtute militum*, inquit, *ſed mulierum decore pugnandum eſt: nec armorum vigore, ſed mollitie fœminarum. Proculamave armatam manum, & electam congrega ſpeciem puellarum: forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat: vincentur ſpecie qui non vincuntur prælio.*

Hæc ille. ac ne putes gregarium tantùm militem ab illa ſpecie vinci; etiam ipſos Duces ei cedere noveris, licèt terra humanáque ſorte ſuperiores eſſe videantur.

Aquila erat David, aquila Salomon, aquila Sampſon, aquila multi alii, inquit Ambroſius; & tamen ab illa pulchritudine victi, & cœlo quodammodo devocati: tantum in una corporis venuſtate eſt momenti ac roboris ad ſibi devinciendos mortalium animos. *Lib. de reg.*

Quòd ſi externa corporis forma, quam vel ipſa populatur ætas, quæ aut morbo deflorescit, aut vetuſtate extinguitur, quæ triduanæ febris igniculo diſſolvi poteſt; verbo uno, quæ, ut Boëtius ait, *Nitor rapidus eſt, & velox, & vernalium florum mutabilitate fugacior:* ſi tamen in ea vim tantam inſeruit natura; quantam in animi bonis, in una virtutia pulchritudine dicenda erit inſeruiſſe? Si pulchritudo corporia oculorum eſt voluptas; ſi quiſque noſtrûm eâ delinitur & capitur, adeò ut verè dixerit Syneſius: *Naturâ omnes formæ ac pulchritudinis deſiderio tenemur.* quamvis & verum illud Satyri: *Raram facit mixturam cum ſapientia forma.* & hoc Poëtæ: *Lis eſt cum forma magna pudicitia.*

Tamen ut ut ſit, ea delectantur omnes; & licèt illam in ſeipſis non exprimant, in aliis demirantur & laudant: quantò magis & laudari & amari debuit una virtutis ſpecies ac pulchritudo, quæ & ſeipſam, & eum cui inſidet inprimis commendat. ut enim diſertè Seneca: *Virtus magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat.* Ut illa veniat in oculos & amores noſ, è multia, quæ de ea afferri poſſent, pauca ſupponemus.

§. II.

Quantum bonum pulchritudo virtutis?

IESVS autem intuitus eum, dilexit eum. *Marc. 10. v. 21.*

BEnè cenſuit, benè dixit orator Romanus: *Virtute nihil amabilius; quippe cùm propter virtutem eos etiam, quos numquam vidimus, amamus.* *In Lælio.*

Magnæ nimirum in una virtute ſunt illecebræ, potentiáque amoris vincula: quæ & amicos & inimicos occupent ac teneant.

Incurrit aliquando adoleſcens in oculos Chriſti, ab eoque petiit: *Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* Audit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* ſubjunxit ille: *Omnia hæc cuſtodivi à juventute meâ.* *JESVS autem intuitus eum, dilexit eum.* amoris cauſa in aperto eſt. *Matth. 19. v. 16.* *Marc. 10. v. 21.*

Virtus fuit, & exacta mandatorum obſervantia, quæ divinos oculos & amores inflexit potenti virtutis illecebra; quæ non tantùm in amicos ac benevolos animos cadit; ſed etiam inimicos quoſque & quantumvis efferatos allicit.

Habuit olim & luxit antiquitas barbarum & immanem Antiochum, quem non hominem diceres, ſed belluam, & oſtentum immanitatis: ejus effera, & poſt homines natos inviſa crudelitas ſeptem Machabæos, invicta pectora, grandes animas, letho dedit, & per inaudita ſupplicia vitam expreſſit. Ubi ad ſeptimum, tùmque natu minimum, ventum eſt; vel ipſa ſpecie captus, vel tenellulæ ætatis compatiens, miteſcere cœpit tyrannus, & odia in amorem vertit: *Et cum juramento affirmabat, ſe divitem & beatum facturum, & amicum habiturum*; ſi modò petitis annueret, ſi abiret à patriis legibus & inſtitutia. Sed nec annuet ille, nec à fratrum ſuorum conſtantia ſuáque diſcedet: ætate quidem aliis ceſſit, virtute autem & animis nemini cedere voluit. Ea porrò virtus & conſtantia tyranni animos, quantùmvis ab humanitate alienos, demereri potuit, & ſibi benevolos facere; ut enim D. Gregor. Nazianz. *2 Machab. 7. v. 24.*

orationoe

oratione de Machabæis: *Ipſe quoque Antiochus admiratus eſt, converſis in admirationem animis. nam egregiorum hominum virtus hoſtibus quoque ipſis admirationem excitare ſolet, cùm ſedatâ iracundiâ facinus in ſeipſo perpenditur.* ab uno virtutis aſpectu primùm ſtupor, deinde etiam amor enaſcitur. Ut omnium animos invadat ille, proculque pellat mendaces illos voluptatulæ fucos & illecebras: lubet utriuſque ſpeciem & imaginem legentium oculis & animis ſupponere. Petetur illa è Philone Judæo, viro in primis docto & diſerto.

L. de mercede meretricis non accipienda in ſacrarium

Duas, inquit, *noſtrûm quiſque uxores habet in ſuo contubernio: eáſque infenſas ſibi invicem, & animæ domum explentes contentionibus zelotypis. Harum alteram diligimus, quaſi amicam, blandam, & familiarem, quæ voluptas dicitur: alteram odio proſequimur, ut immitem ac tetricam, & nobis minimè benevolam; hæc virtus nominatur.* Tum deinde ſubjicit utriuſque imaginem; & voluptatem his coloribus depingit, hoc habitu in mundi ſcenam emittit. *Illa* (ſcilicet voluptas) *nos accedit cum ornatu meretricio, fracto inceſſu præ mollitie, obtutu laſcivo, inescans animas juvenum, temeritatem & impudentiam præferens in oculis, elatâ cervice ſupra nativam ſtaturam aſſurgens, ridens, cachinnabundaq;, calamiſtrata, & concinnatula, fucata facie, pictis ſuperciliis, recens lota, purpuriſſata, pretioſe floridoq; amicta palliolo, aureo gemmatoq; armillis ſuperba, & inaurium, mundóque muliebri cætero: ſpirans unguenta fragrantiſſima, non tam domum ſuam, quam fora compitaq; diligens, petulans, ſua forma prodiga, aſcititiæ verò avida. Et cum ea domeſtica pediſſequa; vafritia, injuſtitia, nequitia: quibus ſtipata more Principis, ſic pertentat animum.*

Hic longam texit orationem, quâ voluptas in adverſam ſibi virtutem invehitur, & ſuos ad ſe provocat amaſios: eam ex illo accipe, mi Lector; ita habet mutuata Philonis eloquentia.

Oratio voluptatis ex Philone.

Heus tu (inquiebat ſuis amatoribus voluptas) *omnium bonorum humanorum theſauri apud me ſunt reconditi. Divinis enim fruuntur cælites: præterea nihil invenies. ego meos, ſi mecum conſuetudinem habere cupis, proferam, nec invidebo quò minùs utenda fruendaq; continuè depromas pro tuo arbitrio. eorum tibi recenſebo multitudinem, ut aut libenter aſſentias, aut ea ſuapte culpa careas. Apud me eſt relaxatio, ſecuritas, quies, laborum oblivio, utenſilium varietas, vocum modulamina, luxus in cibo potuq;, odorum ſuaviſſimorum plurima ſpecies, amores perpetui, luſus licentiſſimi, coitus liberrimi, ſermones ſine reprehenſione, actiones ſine caſtigatione, vita ſine ſollicitudine, ſomnus molliſſimus, ſatietas inexplebilis. Proinde ſi tibi placet meum contubernium, parata habebis in hoc omnis copia quæcunque delectant maximè: mihi erit curæ ne quid deſideres eſu potúve ſuave, aut oculis auribusq; gratum & naribus. poteris enim rebus omnibus quaſcunque concupiveris, pluribus in abſumptarum locum ſubſcatentibus. ſunt enim in theſauris modò dictis perpetuò virentes arbores, feraces aliorum poſt alios fructuum, recentibus & matureſcentibus, maturos jam ac vietos protrudentibus. Hæc arbuſta nulla unquam externo civilive bello cæſa fuerunt; ſed ex quo primùm è terra fuerunt edita, ab ea tamquam bona nutrice aluntur, fundata profundè fixis radicibus, eiſq; firmiſſimis; ſtirpes verò inde prominentes, ad cælum uſque attollentia: unde rami enaſcuntur manibus pedibusq; animantium proportione non abſimiles: & in his frondes ad ornatum pro comis additæ germinant, fructusq; quorum cauſa paravi tibi cætera.*

Hæc pro ſua cauſa dixit voluptas: cui ne palmam virtus ipſa concedere videretur, in campum, in arenam prodiit, ſeſe in nativa ſpecie oſtentavit, gravémque ad ſuos orationem habuit: & hanc & illam ex eadem Philonis officina, doctoque calamo, velut penicillo, expreſſam accipe, & oculis auribusque fave.

Auditis iis, quæ pro ſeipſa mentiri potuit voluptas; virtus quæ hactenus in abdito ſteterat, *ſed ita tamen ut exaudire poſſet verba æmulæ, verita ne illa fortè mariti communis animum ad ſe ſolam pertraheret corruptum donis, vel oblatis, vel oſtentatis, neve ſpecioſo aſpectu emollitum deciperet, quando aſcititio cultu, & magicis illum allectans demulceretq;, animadvertebat præſtigiis; repentè ſupervenit ingenuo matronaliq; in eſſu gravis, vultu ſerena, genuino quodam pudoris colore ſuffuſa, ſimplex moribus, vita integra, mente ſemper ſui ſimilis, verbis haud blanda ſanam mentem veraciter exprimentibus, decora nativo habitu, moderata geſtu, veſtitu modica, ornata non auro, ſed longe pretioſioribus ornamentis, artibus virtutem decentibus. Comites eam ſequebantur, pietas, ſanctitas, veritas, religio, caſtitas, utraque juſtitia, tum quæ Deo debetur, tum quæ hominibus: juris æqualitas, fides, liberalitas, taciturnitas, ſobrietas, honeſtas, temperantia, manſuetudo, frugalitas, ſanitas, reverentia, fortitudo, generoſitas, ſecuritas, prudentia, providentia, vis conſulendi, diligentia, tranquillitas, comitas, benitas, ſuavitas, humanitas, lenitas, clementia, magnanimitas, beatitas. Dies me deficeret percenſentem ſingularum nomina, protegentium latera domina ſua more ſatellitis. Illa verò ad conſuetam gravitatem compoſita, ſic exorſa eſt: Video hanc impudicam nugatricem & præſtigiatricem ſplendidè ac ſcenicè ornatam, blanditiis te aggredi. Quamobrem cùm odio nativo malos proſequar, verita ne per imprudentiam deceptus mala maxima pro bonis eximiis eligas; non gravabor tibi qualis ſit hæc mulier veriſſime prædicere, ne ſtolidè rejectis rebus utilioribus, inops conſilii tibi accerſas infortunium. Ergo totum iſtum apparatum quo ſe jactat, arca aſcititium. Nihil enim habet proprii, naturiq; decoris; ſed aſſumpſit ſibi adulterinam falſamque pulchritudinem, quæ te in ſuos caſſes pertrahat. Id præmonitum, ſi ſapis, irritam ejus venationem faciet. Delectat illa quidem aſpectu oculos, aures voce demulcet; animam verò, cujus præcipua habenda eſt ratio, non poteſt non lædere, per has aliaſve partes ſe inſinuans. De rebus ſuis quidquid auditu gratum ſciebat, narravit: cætera innumera, ut injucunda malitioſè diſſimulavit, quòd ea quemvis abſtergere queant facillimè. At ego hæc quoque detecta in medium proferam; nec imitabor ipſius vaframenta, ut ſola oſtentem quæ pelliciunt, difficultates verò meas è conſpectu ſubmoveam: imò rebus lætis prætermiſſis ſilentio, quòd ipſas clamaturas ſciam, tantùm onerosis ſuis nominabo vocabulis, ut unda in commodum propoſita, vel hebetioribus qualem ſingula naturam habeant ſint conſpicua. nam quæ ex voluptate commoda videntur præcipua, viliora, deterioraq; ſunt quàm ſi quæ ex me accipiuntur incommoda, ſicut uſu quotidiano compertum eſt: Sed priùs quàm loqui de me incipiam, quantum potero memorabo quæ illa reticuit. poſtquam enim ſuos theſauros percenſuit, colores, voces ac ſonos, ſapores odoreſq;, & vires tactus, cæterorumq; ſenſuum: varios morbos noxáſque non indicavit, neceſſarios eorum antedictarum comites, ita ut ſi aura quadam afflatus ipſas ceperis, mox tenearis laqueo. Sciat velim, ô tu, ſi voluptatis amator fueris, eris & vafer, audax, incompoſitus, inſociabilis, moroſus, iniquus, difficilis, iracundus, pervicax, moleſtus, inobediens, levis, malitioſus, incrudiens, injuſtus, nefarius, ſibi vivens, infidus, fœdifragus, avarus, male moratus, nemini amicus, exul, ſine lare, ſeditioſus, perfidus, impius, profanus, inconſtans, inſtabilis, execratus, piacularis, ſceleſtus, ſcurra, peſtilens, noxius, illiberalis, refractarius, ferus, ſervilis, pavidus, perditus, turpis, probroſus, propudioſus, immoderatus, immodicus, inexplebilis, arrogans, ſibi placens, ſuo judicio ſapiens, ſordidus, invidus, calumnioſus, contentioſus, delator, vanus, fallax, circulator, temerarius, indoctus, inſenſatus, nemini conveniens, inobſequens, contumax, præſtigiator, diſſimulator, ſimulatorq;, cercops, ſuſpicioſus, infauſtus, inſcrutabilis, inevitabilis, pernicioſus, malevolus, inconcinnus, importunus, loquax, nugax, inaniloquus,*

loquax, aſſentator, piger, luctuoſus, durus, meticuloſus, inſidioſus, incircumſpectus, imprudens, improvidus, negligens, imparatus, bonarum rerum imperitus, ſuperfluus, errabundus, offenſator, indiſpoſitus, inacceſſus, guloſus, vagus, futilis, mobilis, doloſus, bilinguis, animi ambiguus impoſtor, ſubſeſſor, petulans, incorrigibilis, ſemper indigus, incertus, circumforaneus, ſeductor, inconſultus, obnoxius, inſanus, faſtidioſus, vitæ avidus, glorioſus, irritabilis, iræ tenax, infenſus, procraſtinator, ſuſpectus, implacabilis, ſuppeditans, male ſperans, lacrymoſus, alienis gaudens calamitatibus, tabidus, adulterinus, informis, machinator, turpis lucri cupidus, amans ſui, ſervitutis patiens, ſimultatis appetens, ambitioſus, de re domeſtica parum ſollicitus, cervicoſus, effœminatus, inanis, profuſus, mordax, pugnax, fatuus, vinolentus, infortunatuſque. Hæc ſunt hujus formoſæ ac exoptatæ voluptatis magna myſteria, quæ libenter omninò tegeret, ne iis cognitis averſareris ejus conſuetudinem: meorum verò theſaurorum copiam & amplitudinem nulla lingua pro dignitate eloqui vacat.

Hactenus audita virtutis oratio, multo verborum nitore reſperſa, multo veritatis & acrimoniæ ſale condita: ea certè, quæ & perſuadere omninò poſſit, & aculeum in audientium animis relinquere. Eam auribus & animo admittas velim.

Interim ad inſtitutum meum redeo: & unum illud demiror, cùm ea ſit virtutis ſpecies, quæ vel unico obtutu ſpectantium oculos non dico capere, ſed rapere poſſit; adeò paucos inveniri, quos occupet & teneat ea pulchritudo.

Nimirum homini eo ſæculo, quo vivimus, id uſu venit, quod olim in re non abſimili Judæis, de quorum genio pauca colliges Lege de cœlo latâ,
Deuter. 21. v. 15. quæ ita habet: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex eâ liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ; ſed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iſte eſt enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.*

Hæc cœlo data lex eſt contra genium & perverſos mores Judæorum. Videbat enim Deus illis facile ac pronum eſſe ut è duabus uxoribus, unam in amoribus, alteram in odiis haberent; quæ etiam in liberos transfunderent contra naturæ leges & jura primogeniti: idcóque benè cavit ut filius dilectæ non præferretur filio odioſæ, ſed ſuum cuique jus cederet, & ſua hæreditas.

Quod illis, hoc pleriſque mortalium evenire ſolet. habent illi uxores duas: una eſt odioſa, altera dilecta: una in amoribus, altera in odiis. Virtus odioſa, gravis, acerba; voluptas dilecta, facilis, jucunda. verùm ut ea ſit non ſuo vitio, ſed tua malevolentia: Cœli tamen calculo, Deique nutu ac ſententia, filius odioſæ præfertur filio dilectæ; quia virtutis opera, voluptatis fœtus, mirum quantum ſuperant & antecellunt. Sunt illa *principium liberorum:* illis debentur cœli primogenita, & in æterna vita ac beatitate cuncta duplicia.

Hoc cœli Deique judicium eſt, à quo diſſentis, incauta, infelix anima: cui ut odioſa conjux eſt virtus; ita & odioſi liberi, odioſa virtutis opera. Et contrà dilecta voluptas, & etiam dilecti voluptatis fœtus. Verùm ut pro hac aura mortali, ævoque brevi perituro dilecti videantur; erunt tamen odioſi in omne ævum & æternitatem, ubi ſenſeris quàm ab his liberis malè ſis parenti.

Ne ſeriùs ſentias, ſi cum ſacris Litteris ſentire non vis, at ſaltem ipſius naturæ & philoſophiæ ſenſum admitte; Ariſtotelem audi: eſt ille naturæ genius, & ocellus purioris philoſophiæ: qui à virtutis ſpecie ac pulchritudine captus de ea ita ſenſit, ita docuit: *Melius eſt mori, quam aliquid facere contra bonum virtutis.* Verum profectò & illuſtre Philo- Ethic. 3.
ſophi pronuntiatum, quod non in lyceo tantùm jactari debuit; ſed & animo altiùs imprimi, & moribus exprimi. Sed, quæ magna eſt philoſophiæ noſtræ labes ac macula, pleroſque in palæſtra, in pulpitis audias, qui quàm optimè doceant, & agant quàm peſſimè. Non illud philoſophiæ vitium eſt; ſed inſolens cupido depravatæ mentis, cui ſuccumbit, & cedit etiam agnita veritas.

Ne huic communi malo & ipſe aliquando involvaris, vide quid naturâ duce, quid ratione magiſtra didicerit Philoſophus: *Melius eſt*, inquit, *mori, quam aliquid facere contra bonum virtutis.*

Tu ne mori, ſed ne pati quidem melius cenſes, adeò molliculus, vecors, & imbellis es, ut contra virtutis bonum facias, ut arma clypeúmque ponas, ubi primùm ſeſe difficultas aliqua aut etiam mortis umbra objecerit. Non ſic Philoſophus, non ſic; arguet ille, damnabitque tam inertes & abjectos animos in tanta fidei luce & gratiæ connitentis opera.

PROPOSITIO IX.

Vigil & apertus Dei omnia contuentis oculus, peccatori frænum eſt.

Appellavit nomen loci illius, Dominus videt. Geneſ. 22. v. 14.

§. I.

Vis & perſpicacia divini oculi.

HOc ſibi perſuadet omnis ætas, hoc loquitur omnis ſapientum ſchola, hoc inclamant pulpita, vigilem & apertum Dei oculum, mortalium generi & rebus omnibus imminere; ut meritò dixerit D. Auguſtinus: *Deus totus oculus, totus manus, totus pes; quia omnia videt, omnia operatur, ubique eſt.* Epiſt. 3. ad Fortun.
Quod ipſum vel naturâ duce ſenſêre ſapientes; quos inter Seneca in eo genere multa ſplendidè eximiéque ſcripſit. *Propè eſt*, inquit, *à te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico Lucili, ſacer intrà nos Spiritus* Epiſt. 41.
ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos.

Thales Mileſius è ſeptem Græciæ Sapientibus unus. *Homines*, inquit, *ſibi perſuadere debent Deos omnia cernere, Deorumque omnia eſſe plena; ut coram iis caſtè & ſanctè vivant.*

Ille ipſe rogatus aliquando num facta iniqua laterent Deos? Sciitè reſpondit: *Ne cogitata quidem: ſecretis enim cogitationibus cœleſte Numen adeſt & intereſt.*

Ea illa perſuaſione factum, ut Ægyptii Deum pingerent quaſi oculum ſceptro imminentem; & Homerus Solem Deum eſſe dixerit, qui omnia videt, & omnia audit; & Jeremias ipſe ſacros inter Vates Deum viderit, quaſi virgam vigilantem. Alii θεὸν ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, id eſt, à videndo nominarunt.

Ex ea opinione, quæ jam inde apud omnes nationes invaluerat, natum illud, ut Syri Deum optimum, cujus natura eſt majeſtas, cujus locus immenſitas, cujus tempus æternitas, cujus vita ſanctitas, cujus vis omnipotentia, opus miſericordia, ira juſtitia, thronus ſublimitas, ſedes humilitas: Deum, inquam, quem talem eſſe voluerunt, nominarint *Gigantem ſæculorum*; quòd omnia ſæcula tranſcenderet, ut ſolet immanis gigas abjectos puſiones.

Alii κόσμον ἰδανικόν, mundum exemplarem appellandum eſſe cenſuerunt; quòd ut mundus omnia ſuo complexu cingit, ſic Deus, maxima univerſaliſque natura, ubique præſens, omnia videns audienſque, cuncta continens, nullius verò ambitu contenta.

Hunc Dei omnia cernentis oculum ſuſpexit magnus ille Abraham, cùm Dei nutu & imperio Iſaacum eduxiſſet

eduxiſſet in montem, cùm ferrum nudaſſet, exertoque brachio ingenti vi niſuque in vulnus incumberet: nudum enſem vidit, & avertit Deus. Hinc
Geneſ. c. 22. v. 14. illi loco nomen eſſe voluit, *Dominus videt, appellavitque nomen loci illius, Dominus videt.*

Ex qua appellatione, teſte D. Hieronymo in traditionibus Hebraicis, in proverbium abiit, ut locus omnis, qui tentationi, qui probandæ virtuti & conſtantiæ ſerviret, diceretur, *In monte Dominus videbit.*

Tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & omnis terra mons eſt, in quo exercetur, & per ardua probatur virtus: ei monti, terræque nomen eſt, *Dominus videt*; ut vel ex eo noveris te ubique terrarum ſub oculis Dei eſſe, illoque ſpectante vel vincere fortiter, vel vinci turpiter.

Si vincis, benè habet; ſi vinceris, æternùm malè. periiſti vel ipſo Dei oculo judice: nec enim ut in humano foro, ita & in divino res agitur.

Audio Imperatores olim ſolitos aſpicere & intueri reos, non palàm & apertè; ſed furtim & per cancellos.

Teſtis eſt mihi S. Athanaſius, qui dum agit de S. Martino Papa, ait: *Ubi eum impius accuſator & judex Imperatori ſiſtendum eſſe duxit: in ſolarium inferri juſſit, ut eum Imperator per cancellos inſpiceret.*

Meritò reorum vultus, animos, & crimina diſpiciunt Imperatores per cancellos, non explicatis & patentibus valvis: ſicuti enim per cancellos proſpicientem neceſſum eſt aliquid latere, oculosque fugere; ita & homines quantumvis perſpicaces ſemper aliquid latet ac fugit. At Dei oculis omnia nuda & aperta, etiam humanus animus; ut enim Divus
Serm. 2. de tempore. Auguſtinus: *Oculos Dei ſimul univerſa cernentis, non abdita locorum, non parietum ſepta ſecludunt: nec ſolum ei acta & cogitata; verùm & agenda & cogitanda ſunt cognita. Iſta vera ſcientia ſummi judicis: iſte eſt tremendus aſpectus, cui pervium eſt omne ſolidum, & apertum omne ſecretum; cui obſcura clarent, muta reſpondent, ſilentium confitetur, & ſine voce mens loquitur.*

Quod argumentum fuſiùs proſequitur Sermone 46. de verbis Domini, ubi de oculo divinæ mentis ita philoſophatur: *Ipſe timendus eſt in publico, ipſe in ſecreto: procedis? Videris. intras? Videris. lucerna ardet, videt te: extincta eſt, videt te: in cubiculum intras, videt te: in corde verſaris, videt te. ipſum time, & vel timendo caſtus eſto: aut ſi peccare vis, quære ubi te non videat, & fac quod vis.*

Hactenus D. Auguſtinus; ex quo habes quæ ſit perſpicacia divinæ mentis, & oculi omnia contemplantis: modò perſpice, quod ab illo humanæ menti frænum, quàm præſens & efficax periclitanti animæ remedium, de quo diſertè D. Chryſoſtomus:
In Pſal. 140. *Ubi eſt Dei memoria, illic eſt peccatorum oblivio, & malorum interitus.*

§ II.

A peccato revocat vel unus Dei conſpectus.

Daniel. c. 13. v. 22. 23. *Anguſtiæ ſunt mihi undique. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.*

SUi Deique parum memor Auguſtinus liberiori quàm par erat vitæ ſe crediderat, multiſque vitiis implicarat: eorum tandem aliquando pertæſus, ſecum ipſe habitare, ſecum loqui, ſecum agere cœpit: quod dum meditatur, incidit in illa verba Pro-
Pſalm. 138. In Soliloq. c. 14. phetæ Regii: *Imperfectum meum viderunt oculi tui. Oculi*, inquit, *tui multò lucidiores Sole, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & in omni loco contemplantes bonos & malos.*

Ex hoc divinæ mentis obtutu & timore concuti & rubore ſuffundi cœpit, & hanc elicere concluſionem dignam philoſopho, dignam Auguſtino. *Cùm hæc diligenter conſidero, Domine Deus meus, terribilis & fortis; timore pariter & ingenti rubore ſuffundor; quoniam nobis eſt indita neceſſitas juſtè rectèque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.*

Hanc neceſſitatis legem mortalibus omnibus impoſitam ſenſit & amavit Tobias ſenior: eámque repoſuit inter extrema monita, quæ filio ſuo in aurem & in animum immiſit. Bono parenti illud uſuvenire ſolet, ubi naturæ cedendum eſt ac neceſſitati; tum ſe ipſe, viréſque colligit, & totum in ultimas amoris voces explicat atque effundit: ſatis conſcius quàm altè imprimi animo ſoleant ultima parentis verba, quæ amantibus filiis pro oraculo, pro præcepto reſervantur.

Ita ergo ſenex Tobias jam morti tumuloque proximus Tobiæ juniori, filio longè ſibi cariſſimo: *Om-* *Tobiæ c. 4. v. 6.*
nibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri. Hæc ille.

Exiſtimabat nimirum pro ea qua erat magnæ mentis intelligentia, perennem Dei omnia videntis oculum, perennem memoriam filio, quem adhuc ſuperſtitem relinquebat, ſatis eſſe, ut ſibi ab omni peccati labe nævoque caveret. & verò ſatis eſſe docuit plurimorum experientia, qui ſibi à Deo præſente, & frænum fecerunt, & pararunt remedium.

Ne omnes ſequar, quod longum & importunum foret; ita ſibi quondam à malis ſenibus, paratiſque pudori inſidiis benè cavit caſta Suſanna. Suſanna Hebraicè lilium ſonat: eſtque ſymbolum & oſtentum caſtitatis; cui ne qua labes ab impuris ſenibus adhæreſceret; ne marceſceret ille floſculus, ne quis infigeretur aculeus, proſpexit divinæ mentis oculus: dum enim ad ſcelus urgeretur, hæreretque vitam inter & mortem, hac voce contra emiſſa cupidinis tela ſibi clypeum fecit: *Anguſtiæ ſunt mihi undique. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* omnium in ea plus potuit conſpectus Domini, quàm vel perdita ſenum libido, vel iræ truces, vel crudeles minæ, vel efferatæ manus, vel denique mors ipſa, quæ ſub immani denſáque crepitantium ſaxorum grandine incumbere potuit. Quòd ſi in Suſanna, in molli fragilique ſexu id potuit; in te uno non poterit? Poterit certè, ſi modò te virum eſſe memineris, & eſſe, qui eſſe vis, Chriſtianum.

Ad caſtas Suſannæ lacrymas, ſidentes gemitus, addo Prophetæ Regii voces, teſtes pœnitentis animi: ubi ſceleris admiſſi puduit, ubi pœnituit, cælos voce, cælos animo petens; *Tibi*, inquit, *ſoli peccavi, & malum coram te feci.* Quid iſtud, invicte Princeps? Quid meditaris? Quid eloqueris? Tibi, inquis, Deus, tibi ſoli peccavi. falleris equidem, falleris.

Peccaſti etiam Bethſabee, quam poſito pudore per ſummum ſcelus oppreſſiſti. Peccaſti Uriæ, quem abjecta fide, omnique poſita humanitate, per ſummam perfidiam atque immanitatem & hoſti, & ferro, & morti objeciſti. Peccaſti populo, peccaſti Solymæ, peccaſti Orbi univerſo, & in conſpectu Solis hujus. Verùm, ut hæc omnia vera ſint, ut ea vidşat ac deploret; perſtat tamen & ingeminat illud: *Tibi ſoli peccavi.* quia parum eſt peccaſſe cæteris: at longè maximum uni Deo peccaſſe.

Hic finio, & ad extremum tibi ſub oculos ſtatuo adoleſcentem, quem poſtera vidit & luxit ætas. Fuit ille prodigus (nec enim alio nomine audiit umquam) vide ut à porcis abeat, ut à ſiliquis abhorreat, à nudis artubus contremiſcat: vide ut ad parentis

pedes cum lacrymis & ſinguItibus accidat. Tum deinde quid cogitet, quid loquatur attende: non ille de malè conſumpta ſubſtantia veniam poſtulat; non de fœda cum meretricibus conſuetudine queritur; non de Venere ſuáque libidine gemit: ſed illud, illud unicum lamentatur ac deplorat, contaminaſſe paternos aſpectus, & ſuum ejus oculis impudenter objeciſſe flagitium, *Pater*, inquit, *peccavi in cælum, & coram te.* Hoc ad ſceleris gravitatem, ad doloris pondus eſt ſatis. Quod illi quondam; hoc tibi in præſens: ſi cum filio prodigo longiùs à Deo, parente quàm optimo abiiſti, ſi contaminaſti paternos oculos; dic, amabo: *Pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis.*

§. III.

Deum quaſi cæcum & abſentem fingit peccator, ut liberiùs audeat peccare.

Pſalm. 72. v. 11. *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?*

Job c. 22. v. 13. 14. *Quid enim novit Deus? Et quaſi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.*

FUit olim illa quorumdam Ethnicorum inſania, qui cùm à virtute, à bona mente, à ſeipſis longiùs exceſſiſſent, etiam à Dei oculis excedere ſe poſſe exiſtimabant: cui errori ut fucum facerent, pro Diis Solem & Lunam ſibi adlegerunt: eo conſilio, ea ducti perſuaſione, quòd modò hujus, modò illius oculos effugerent. De iis ita loquitur D. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi quarta. *Cùm aberraverint quidam ab uno Deo: alii quidem Solem ponebant, ut occidente Sole, noctis tempore ſine Deo eſſent: alii verò Lunam, ut in die Deum non haberent.*

Quod illis olim, hoc pleriſque mortalibus; ſi minùs in animo, at in more repoſitum eſt: ita ut vivant, quaſi crederent Deum ſuis ſceleribus & depravatæ conſcientiæ occidiſſe, nec interdiu, nec noctu prælucere: imò & aliquid amplius ac inſolentius ſibi perſuaſiſſe videntur, dum ita vitam omnem exigunt, ac Deum nacti eſſent ſaxeum aut lapideum, qui nec per immenſitatem intereſſe ſceleribus, nec per ſcientiam cognoſcere, nec per potentiam ulciſci poſſet.

Cùm olim Philiſthæi arcam Domini bello captam intuliſſent in templum Dagon, die inſequenti *invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram*
1. Reg. 5. v. 4. *arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen.* Ecce Dagon idolum laſciviæ ac turpitudinis; quod alii è ligno, alii è luto & argilla meliore, alii argento auróve fictum eſſe voluerunt. iis conjecturis relictus eſt locus, quia Scriptura & materiam & formam hujus
Hom. 20. in Num. idoli ſilentio premit: *Honeſtas conſulens* (inquit Origenes) *ne auditum pollueret audientium.*

Figura illi varia: pars corporis ſuperior hominem, inferior piſcem mentiebatur. Conveniat figura cum nomine: *Dagon* enim ſignificat *piſcem*
Hieronym. *triſtitia ac doloris.*

Ecce Idolum Dagon, ecce Deum peccatoris. eſt ille Veneris & laſciviæ præſes: eſt piſcis homo, qui ab humana ſapientia ad piſcis ſtuporem ac ſtoliditatem degeneravit: eſt mutus ut piſcis, ne peccantem increpet: eſt truncus manibus, ne ſcelus puniat: eſt captus oculis, ne videat; dixit enim in corde ſuo: *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo.* Sunt illæ peccatoris voces, quæ ſonant Epicurum; qui ut liberiùs ſuo indulgeret genio, ſeſéque mergeret infandæ voluptati, Deum humana noſſe, humana curare negavit.

Et verò etiam negat peccator, ſi minùs voce, at re tamen ipſa: Deum quippe relegat è mundo, & intra cœlorum ambitus claudit; ait enim: *Quid* Job 22. v. 13.
novit Deus? Quaſi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat. ubi Deum cœli finibus ita concluſit, ubi terris excluſit, exulem & extorrem fecit; tum quaſi ſuus, & omninò liber inſultat, exclamátque:
Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes Eccleſ. c. 23.
cooperiunt me, & nemo circumſpicit me. quem vereor? v. 25.
At erras, & nimium quantum erras, in ipſa luce, ipſo meridie cæcutiens animula: eſt ſanè quem vereâris, quem exhorreſcas.

Ille eſt cujus oculi de longè proſpiciunt: in cujus conſpectu omnia nuda & aperta ſunt: qui cognoſcit omnia, noviſſima & antiqua: cujus palpebræ interrogant filios hominum. nec interrogant tantùm: ſed etiam quis ſit, probant & indicant, ut per ignem probari ſolet aurum, verúmne ſit an adulterinum. Eos divinæ mentis oculos, cœleſtes palpebras, ſibi ſuiſque cogitationibus apertas & patentes vidit Propheta Regius: *Intellexiſti*, inquiebat, Pſal. 138.
cogitationes meas de longè: ſemitam meam, & funiculum v. 3.
meum inveſtigaſti.

Quod ille ſibi quondam; hoc tibi ex vero dixeris. inviſti peccati ſemitam, texuiſti funiculum & reſtem longam: longam dico ſeriem peccatorum; & illam inveſtigavit Deus.

Ut enim veſtigia ferarum ſequitur & indagat peritus venator: ita tua ſcelera inſanáſque molitiones videt, aperitque Deus ut ſupplantet.

Oculi enim Domini cuſtodiunt ſcientiam: & ſupplan- Proverb. 22.
tantur verba iniqui. nec verba tantùm, ſed & cogi- v. 12.
tationes, ſenſúſque animi quantumvis retruſi. *Omnes quippe viæ hominis patent oculis ejus: ſpirituum* Proverb 16.
ponderator eſt Dominus. Æquâ juſtitiæ lance, æquâ v. 2.
trutinâ non corpora tantùm moléſque carneas; ſed & ſpiritus expertes corporis, expertes ponderis, ponderat tamen & excutit juſtus Judex.

Tu verò, cujus vel maximè intereſt, non examinas, non excutis, non ponderas: ſi enim ea in examen, in animi forum vocares, ſi conſcientiæ velut Judici ſiſteres; non eò prorumperes impudentiæ: quis enim umquam latrones inter & ſicarios tam perditæ profligatæque vitæ fuit, qui in oculis, in conſpectu judicis, à quo damnandus eſſet ad furcam, auderet facinus aggredi? Quæ mulier umquam ita cum pudicitia frontem exuit, ut ſpectante marito fidem frangere, thorum violare, & ſeſe infami adulterio polluere horrori non duceret? Quis umquam filiorum lubens volenſque flagitia ſua parentis oculis commiſit? Cujus aures ſolas conſcientiámque pertimeſcit. Nemo certè, nemo unus omnium fuit qui iſtud auderet: adeò homines inter, vel judicis, vel mariti, vel etiam parentis ſuſpicimus & veremur oculos.

Tu verò peccator auſus es, & etiamnum audes impudenti fronte, efferatâ mente, Deo præſente, ſpectante, minante, in ſcelus proruere, & divino aſpectui peſtilens oſtentum obtrudere: nimirum dixiſti in corde tuo, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.* At videbit, & intelliget: & licèt modò (quæ ejus eſt miſeratio) connivere videatur; ita tamen connivet, ut eodem oculo teſte & judice, æquam tuo ſceleri pœnam deſtinet ac figat.

§. IV.

§. IV.

Non eſt veniâ dignus, qui peccat in conſpectu Domini.

2. Reg. c. 12. v. 9. *Quare contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo.*

Eſther c. 7. v. 8. *Etiam Reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea.*

SI conjux in oculis mariti, ſi filia in conſpectu parentis pudori ſuo vim faciat; humanæ leges & huic & illi occidendi poteſtatem faciunt. *Mœchum*, aiunt, *cum adultero necato: parenti filiam in turpitudine deprehenſam occidendi jus eſto.*

Nimirum tam grave ducitur illud ſcelus, quod vel mariti, vel parentis oculis ab impudicæ conjuge, aut filia obtruditur. Quòd ſi adeò ſeveræ ſunt humanæ leges, inter eos, quos natura ſanguiſque communi vinculo necti voluit: quantum erit, quàm atrox & efferum illud ſcelus, quo puriſſimus ille divinæ mentis oculus, ab expoſito & impudenti mancipio violabitur? Tantum certè, tantum erit, cui nec gratia, nec venia debeatur umquam; ſed truces & acerbæ pœnæ in omnem æternitatem. Et verò hanc peccatoris impudentiam graviſſimo verborum pondere, miniſque, velut emiſſo fulmine caſtigare ſolet vindex Deus.

Peccarat olim David, & alienum thorum per ſummum nefas invaſerat: miſit illicò Deus Prophetam Nathan, interpretem iræ ſuæ, & vatem pœnæ impendentis.

Multa erant capita, eáque gravia, quæ patrato ſceleri vim adderent, & robur immenſum.

Primum efferri potuit & oſtentari longa acceptorum beneficiorum ſeries, quæ Davidem divinæ munificentiæ aſtrictiſſimum retinere debuerant.

Tum deinde flagitium ipſum, à quo vel ipſa purpura erubeſcere potuit. & verò etiam erubuit.

Tum denique, præter maculam inuſtam Regio nomini, vis erat illata alieno thalamo, ſanctáque ædes ac religio matrimonii violata.

Nihil tamen horum recenſet, nihil commemorat Propheta; imò nihil horum obtrudi jubet Deus: hanc ſolam ejus impudentiam, & præſentiæ divinæ in audendo ſcelere contemptum mandat exaggerari: *Quare*, inquit, *contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo?* Quaſi diceret: Quare eò lapſus es impudentiæ, eò veniſti contemptus, ut faceres malum in oculis, in conſpectu Dei tui, ut tam audax & nefarium ſcelus et contemplandum objiceres? Ego tuam iſtam impudentiam, effrontes oculos, & animum alio pudoris tui famæque naufragio ulciſcar. *Tu feciſti abſconditè: ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël.* adeò graviter divinæ mentis oculos offendit & irritat in ejus conſpectu patratum & quaſi ventilatum ſcelus. Nec adeò mirum videri debet: ſi enim nos ipſi, puſilli homunciones, qui & ipſi tamen illi impudentiæ ſceleriſque convenire ſolemus, adeò nos lædi credimus, ſi quis in nos, in faciem aliquâ injuriâ afficiat; quantò magis offendetur Deus, cujus mens & oculus nullo unquam peccati nævo contaminari poteſt?

Rex Aſſuerus cùm ab Eſthere cognoviſſet ab efferato Aman Judæos omnes Reginamque ad necem quæri; irâ percitus ſeſe de menſis poſitiſque epulis eripuit, & in ſubjectum hortum arboribus conſitum, iram quaſi evaporaturus abſceſſit. Ubi ab iura refrixit ſubſeditque motus irarum æſtus, ad epulum redit, conclave ſubiit: at ecce novum oſtentum impudentia audaciæ: vidit Aman ſupra Reginæ lectulum incubuiſſe. ratus aliquid ſubeſſe flagitii, ſe totum effundit in iras, in fulmina, diraſque mortes, & amenti ſimilis exclamat: *Etiam Reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea.* Per me, per Superos, per Deum non faciet. Lictor, inquit, i, manicas injicito, caput obnubito, & infelici arbori ſuſpendito. Ita porrò factum eſt: è ſua trabe, ſua cruce pependit infelix pondus. Quòd ſi vel una ſuſpicio tentati ſceleris, ſi Regiæ domus thorique reverentia, ſi Regis oculus eos irarum motus excitare potuit: quæ cœleſtium irarum fulmina, quas faces non accendet tua illa, peccator, impudentia? Si mortalis homuncio titulis quibuſdam fugacibus adornatus, cætera aliis ſimillimus, vel umbram flagitii in domo ſua, in oculis ſuis non patitur, ad furcam, ad malam crucem, ad mortem illicò depoſcit, & conjugem, & liberos, & genus univerſum eadem propè pœnâ involvit: quid miramur ſi Deus ter optimus, ter maximus, non dico inane peccati ſimulacrum, ſed ipſum impudens flagitium tuum, quod mente, quod oculis haurit, graviſſimis æterniſque ſuppliciis inſequatur? Imò verò, quid non magis miramur illud, adeò lenta tardáque cœlis eſſe fulmina, quæ perdant inviſa Superis capita? Verùm, ut tarda ſint; tarditatem tamen ſupplicii gravitate compenſare ſolent.

Hæc ad extremum intentare volui, ut ſi te à peccato non revocet qui tibi invigilat divinæ mentis oculus; at ſaltem retardet pœna, cuſáque cœlo irati Numinis fulmina.

PROPOSITIO X.

Pœnitentia ſalutaris.

Pater peccavi in cœlum, & coram te. Luc. c. 15. v. 18.

REmedia quæ hactenus propoſui ferè poſita ſunt in nuda ſpeculatione (quæ tamen etiam à peccato potenter avocat.) Unum alterúmve ad[...]ciam, quod ad praxim faciat ac redigatur. Prin[...]m erit *pœnitentia ſalutaris*, quæ petetur à filio prodigo, qui typus eſt à peccato morientis & reſurgentis animulæ.

§. I.

Qua ratione ab optimo Parente filius prodigus, à Deo diſcedat peccator.

AB inſita naturæ lege, à rationis placitis, à Dei ſui ceu magiſtri ſapientis præceptionibus non diſcedit peccator, niſi aliqua fugaci boni abductus & captus illecebra. ejuſmodi plerumque ſunt ea quæ fortunæ dona appellamus: iis olim malè irretitus prodigus ille filius; qui pii Patris hæres impatiens, dum ejus fatigatur ad vitam, nititur auferre ſubſtantiam: & verò re etiam ipſa importunius aufert; ſuo tamen malo, multáque pernicie, & ſi voles etiam aliquo auri opúmque vitio, de quo diſertè D. Chryſologus: Occaſio peccandi.

Facultates, inquit, *unitatem ſcindunt, fraternitatem ſeparant, cognationem ſpargunt, parentum perdunt & violant charitatem.* Serm. 1 de Fil. Prod.

Vis exemplum in prodigo? habes quàm maximè luculentum: ejus ſubſtantiam tenebat pater. quod amoris erat, non avaritiæ; providentiæ, non invidentiæ: eam præproperè extorquet filius, & peregrè proficiſcitur in regionem longinquam, quæ ſit illa, ne quære, eſt peccati regio, ac peccatoris. Primus peccatoris gradus Abire à Deo.

Peccatores, inquit D. Hieronymus, *recedunt à Deo, affectuum non locorum ſpatiis*: illis plus æquo dum indulgent, de ſalute, de cœlo, Deóque cogitationes, curámque deponunt; ſicque ab eo remotiores fiunt, *plus mente quàm loco*, inquit Chryſologus. Quid deinde? Diſſipavit *ſubſtantiam ſuam*, Ep. ad Damaſ. ibidem.

II. Gradus. Bona diſſipare. *Chryſ. ſuprà.* Conceſſas ab authore naturæ divitias in jocos, in pocula, in ſuas libidines fœdè prodigunt. *Ecce quid facit cupiditas ad cenſum preceps; filium tollit è gremio patris, ejicit è domo, eximit patria, ſpoliat fama, exuit caſtitate:* quomodo enim eam non exueret viventem *luxurioſè*; ſi tamen ſic viventem appellare

III. Gradus. Vacare vitiis. poſſumus, ac non potiùs in horas, & momentis ſingula morientem: ut enim Chryſologus (quo in hoc argumento, utor authore)

Suprà. *Mortalis eſt iſta vita, quia moritur virtutibus: qui vitiis vivit, ſepelitur fama, perit gloria: qui manet turpitudini, creſcit infamia;* nec huic tantùm, ſed & dolori ac miſeriæ: *luxuria* enim, *ventri, gula,*

IV. Gradus. Solatio carere. *fames veluti tortor opponitur:* fit quippe fames valida in longinqua peccati regione, in qua ita paſcitur ſcorſus, ut numquam paſcatur animus; ſed famem patiatur plus caninam: nec hanc tantùm; ſed & pudendam egeſtatem, juſto Dei vindicis judicio, qui

Suprà. *filium data facit egere ſubſtantia, qua divitem negata ſervabat; ut penes ſe deficiat habendo, qui penes patrem abundaverat non habendo.* Et hoc eſt aliud à peccato damnum, maligna quædam egeſtas animi, omni prorſus ſolatio deſtituti; cui ut medelam aliquam feciſſe videatur, inſtar filii prodigi, qui à parente

V. Gradus. Creaturis inordinatè adhærere. receſſit, *adhæret uni Civium regionis illius:* creaturis inquam malè cautus inſiſtit, & toto pronus deſiderio affigitur; & vide quid ab illis referat: *mittitur in villam, ut paſcat porcos.*

Suprà. *Sic invenit qui ſe negat Patri, qui ſe committit extraneo, ut ſentiat ſeverum judicem, qui fugit indulgentiſſimum proviſorem.*

Proviſor tibi erat ille ipſe, qui terram viridi amœnáque veſte tegit, qui volucres cœli paſcit, qui piſces liquido in æquore nutrit, qui omni animantium generi curâ providet: & tamen ut is eſſet ab illo longiùs exceſſiſti, ut invenires civem unum aliquem hujus mundi, exulem cœli, ſeverum judicem, exactorem intolerandum, qui te mitteret in villam ſuam.

Villa tibi eſt terra, agreſtis illa, & abjecta habitatio; cui tamen virtute duce cœlum erat domus, & in ea deliciæ, æterna beatitas, cœleſtes intelligentiæ, ipſúmque Numen; à cujus unius aſpectu ita caperetur immortalis animus, ut nihil haberet ultrà expetendum: Et ut tibi in Superûm regna paratæ eſſent eæ opes; tuam tamen ipſe egeſtatem illis prætuliſti, ne videaris infami ſtipendio miſſus eſſe in villam, hoc eſt terram, ut paſceres porcos; ſor-

VI Gradus. Paſſionibus ſervire. didos, inquam, & inſanos appetitus tuos, damnandámque libidinem.

Suprà. *Ita nimirum affectionis deſertor, pietatis refuga, deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur ſervituti, porcorum paſcua lutulenta percurrit, inquieti gregis teritur & maculatur excurſu, ut ſentiat, quàm miſerum ſit, amarum quàm ſit, quietis paternæ beatitudinem perdidiſſe.*

Et verò quam maximè ſenſit infelix ille prodigus,

Luc. c. 15. *qui cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Miſerabili illa ſervitute, intoleranda egeſtate, extremáque famis rabie commotus, & quaſi miſerans Chryſologus ex-

Ibidem. clamat: *Quàm crudele miniſterium, quia neque convivit porcis, qui vivit porcis.* Verùm ut crudele ſit illud, tuum certè, ô peccator, crudelius: quid enim? Nónne tibi quot appetitus, tot porci? Ecquid enim aliud eſt venerem illam tuam & libidinem paſcere, quàm porcum alere, qui totus in luto ac ſordibus volutetur, quid aliud ventrem implere, & aqualiculum curare; quid, inquam, aliud eſt, quàm domeſticum porcum ſaginare, & malè farcire? Et quo tandem fructu, quo proventu? Fortè ut famem expleas, ut ſopias motus omnes prurientis libidinis, ut cupiditates tuas extinguas: at nec explebis, nec ſopies, nec extingues: Vives enimverò porcis illis; at non convives illis: *miſer eris & nunquam non famelicus totus, qui porcorum illorum deficias & eſuries in ſaginam: miſer eris, qui ſqualentis cibi cupies, nec impetrabis qualitatem.*

Hæc cùm in alio, imò & in teipſo agnoſcas infelix & amens homo; age, mane in domo, paternáque cura Æterni Patris, in gremio Matris Eccleſiæ perdura: ſepiat te paterna reverentia, matris componat affectio, & cognatorum, hoc eſt Chriſtianorum rectè viventium amplexibus cuſtodiat.

Eris in eo conſortio ab illa ſervitute liber, immunis eris à labe peccati, quia *inter propinquorum lumina, non valent delicta verſari. propinquorum enim quot oculi, tot lucernæ.*

§. II.

Qua via, quibúſve gradibus ad Parentem filius prodigus, ad Deum peccator redeat?

ITerum inhærebo parabolæ filii prodigi, & ea quæ quondam illi, modò peccatori accidêre, paucis docebo.

Ubi ſeipſe aſpexit prodigus, ubi vili lacerna malè tectum corpuſculum, ubi exſuccas manus, contracta ſenſit ora, & genua præ debilitate nutantia, ubi pro aula regiáque ſtabulum, pro aulæis araneæum opus & tela, ubi pro menſa opipara, paratiſque dapibus, porcorum ſiliquas, & urgentem famem reliquam eſſe vidit: *In ſe reverſus dixit. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo.* *Luc. c. 15.* *In ſe ante redit, ut rediret ad patrem,* Chryſol. *qui à ſe ante receſſerat, cùm receſſit à patre.* Et ſanè *Serm. 2. de Filio Prod.* ad patrem redire non potuit, niſi ante ad ſeipſe rediiſſet. ſic & peccator:

Abit hic à ſeipſo, & dum ſuos ſenſus ſequitur, longius excedit. ex uno diſce quod de cæteris judicium.

Abit animus per oculos, vagámque eorum licentiam, ut ſuos ſequatur & venetur amores: teſtem habeo patientem Jobum, cui ea prima cura fuit, cum ſeipſo ſemper eſſe, ſecúmque habitare, ſenſúſque cuſtodire, ne per illos avolaret animus. Hinc illæ voces indices immaculatæ vitæ: *Si,* inquit, *ſecutum eſt oculos meos cor meum.* quod Hebræi Sa- *Cap. 31. v. 7.* pientes clariùs vertunt, *Si abiit cor meum poſt oculos.* Abit igitur cor ipſum, & affectus omnis vel uno oculorum extra ſe conjectu, & ita quidem ut unà cùm à Deo ſuo diſcedat. quod ipſum vaga aliorum ſenſuum libidine evenire ſolet.

Primus ergo pœnitenti is erit labor, ut ad ſe re- I Gradus. Ad ſe redire. deat, ſeipſe deſpiciat, & ſibi reddatur totus; tum deinde ubi miſeram illam animæ famem adverterit, exhorreſcat, ut qui *à ſe migravit, & ab homine totus* *Ibidem* *tranſiit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Ubi ea primùm in animum venerit, has illicò eliciet voces. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo.* Ita nimirum & dictum & factum oportuit. *Fames revocat quem ſaturitas exulârat: Fames illi dedit pa-* *Ibidem.* *trem ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem?* Quod prodigo tulit, quæ corpus affligebat fames, hoc & tibi afferet, quæ mentem à peccatis obſitam corroſit ſpiritus inedia, hæc à te exprimet eaſdem om- II. Gradus, Emendationem proponere. ninò voces. *Surgam. Jacebat,* inquit Chryſologus, *qui dixit ſurgam, intellexit lapſum. ſenſit ruinam, jacere ſe turpi luxuria reſpexit in lubrico. & ideò excla-* *Chryſ. ſer. 2. de eodem.* *mat, ſurgam.* Huic voci benè ominatæ reſpondit eventus; illicò enim *ſurgens venit ad patrem. Venit,* inquam, *non tam greſſu pedum, quàm mentis inceſſu: longinquum terreni itineris non indiguit, quia compendia viæ ſalutaris invenit. Divinum patrem neſcit viarum curſu quærere, qui fide quærens intra ſibi illum invenit*

eſſe

eſſe præſentem. Et ipſe etiam invenies ſi tuæ ſortis miſertus tandem aliquando dicas.

Surgam, & ibo ad patrem: dicas, inquam non labiis tantùm & inani verborum ſono (quod pleriſque uſu venit) ſed & re etiam ipſa, & obfirmato in benè conceptis animo; qui tibi is eſſe debet, qui fuit olim filio prodigo.

Serm. 3. *Surrexit ille mentis & corporis de ruina, ſurrexit de profundo inferni, cœli alta contingens:* & quos inde tulit fructus? *Apud cœleſtem patrem filius plus ſurrexit de venia, quàm corruit de reatu.*

Es tu etiam eò altiùs aſſurges à pœnitentia, quò à ſcelere tuo profundiùs jacuiſti. Ubi porrò ita ſurrexeris, ſubjunges illud, quod eſt amantis.

III Gradus, Spem in Deum excitare. *Ibo ad Patrem. Qua ſpe? Qua fiducia? Qua pater eſt. Ego enim, inquiebat iterum prodigus, perdidi quod erat filii; ille quod patris eſt, non amiſit.*

Serm. 2. *Apud patrem non intercedit extraneus; intus eſt in patris pectore ipſe qui intervenit & exorat affectus. Urgentur patris viſcera iterum filium genitura per veniam.*

His cogitationibus ſeſe erigit, hac ſpe ſe lactat, hac excitat confidentia, & ſeipſe rurſum magis ac magis urget, atque extimulat. *Ibo,* inquit, *ad patrem meum.*

Sic & ipſe peccator eas neceſſum eſt: ſi fœdè à te proſtitutam optimi parentis ſubſtantiam, ſi anteactæ vitæ crimina, ſi infame tot ac tantis flagitiis nomen attendas, perdidiſti quod erat filii; at Deus tuus, quod patris erat, non amiſit.

IV Gradus, Culpam agnoſcere. Ibidem. Dic ergo, dic age confidenti voce mentéque. *Pater peccavi in cœlum, & coram te.*

Confeſſio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo.

In cœlum ait; quia is, in quem peccatur, in cœlo eſt, nec terrenus pater, ſed cœleſtis: coram illo peccaſti, cui *& in cœlo, & in terra, & ante oculos ſunt omnia quæ geruntur.* Nuda quippe Dei oculis ſunt delicta. non cœlum, non terra, non maria, non abyſſus, non ipſa nox ea velare poſſunt: cujus probè conſcius cum prodigo peccator, ſentit quantum ſit ſceleris, mali quantum, in ipſo Dei peccaſſe conſpectu; & ideò meritò clamat. *Peccavi in cœlum, & coram te:* addit deinde & illud, quod eſt demiſſionis.

V Gradus, Humiliare. Ibidem. *Iam non ſum dignus vocari filius tuus. Non dicit, Non ſum dignus eſſe filius tuus, ſed non ſum dignus vocari filius tuus: quia vocari ad gratiam pertinet; eſſe ad naturam.* & quia hanc propè exuit prodigus, exuit etiam peccator; ad gratiam appellat atque confugit: benéque ſecum actum eſſe credit, ſi qui filius antè fuit, poſtea mercenarius appelletur. cujus infelicem ſortem dum expendit Chryſologus,

Ibidem. *Ecce,* inquit, *poteſtatis ſua filium quò devenit? voluptas luxuria, adoleſcentia libertas, ecce filium quò promovit?*

Orat, obſecrat, obteſtatur, & iterum iterúmque ingeminat illud: *Fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Ut locatione annua ſervitus innovetur, ut labore jugi conditio conducta deteratur, ut die toto in opere ſuſpiret*

Ibidem. *miſera verna mercedis, ut ſit ſemper venditor ſui nec unquam negare ſuam valeat ſervitutem. Et hoc petiit, quia qui penes extraneum ſervam ſenſerat libertatem, penes patrem credit ſibi futuram liberam ſervitutem.*

Verè cenſuit, verè dixit ſervam eſſe peccati libertatem: quæ enim major eſſe poſſit ſervitus, quàm ea quæ paſſionum eſt, quæ cupiditatum; quarum dominatum, ut velis quàm maximè, nec die nec nocte poſſis effugere; quia eas intra te habes veluti dominos ac tyrannos: è contrà verò libera virtutis ſervitus, & glorioſa libertas, ad quam aſpirare te volo, & ſalutari pœnitentia remeare. in eam te vocabit Dei tui miſeratio, ea, qua ſequenti paragrapho oſtendemus, via: illam oculis, illam animo ſedulus contemplare.

§. III.

Quibus viis peccatorem ad pœnitentiam adducat miſericors Deus.

INſiſtam rurſum Parabolæ filii prodigi, & ex ea te ducam in rationes ac vias pœnitentiæ Divinæque Miſerationis: ſtylo præeuntem, itérque ad Patris oſcula atque amplexus notantem, oculis & animo ſequere. *Cùm eſſet longè vidit illum pater ſuus.* Luc. 15.

Verè longè à patre prodigus, longè à Deo peccator eſt longè enim fecit à nobis iniquitates; imò ab iniquitatibus longè nos fecit. Longè eſt *is qui venit, quia nondum pervenit: venit ad pœnitentiam,* Chryſ. ſer. 5. *ſed nondum pervenit ad gratiam: venit ad domum patris, ſed nondum pervenit ad gloriam priſtini habitus vel honoris:* ideóque adhuc longè eſt, nec fiet unquam propior, niſi viderit illum pater, & uno oculorum conjectu traxerit.

Ita *vidit* prodigum *pater ſuus. Vidit,* inquam, Primum *pater ille, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, &* Dei beneficium. *alta à longè cognoſcit. Pater vidit illum, ut & ille pa-* Ibidem. *trem poſſet attendere: patris viſus illuſtravit filii venientis aſpectum, ut tota fugaretur obſcuritas, quæ circumfuſa fuerat de reatu.*

Cùm eſſes in lethali noxa, hærebas in tenebris, altáque nocte, qualis nec Ægyptiis ipſis aliquando incubuit: ideóque nec cœlum ſuſpicere, nec Æterni Patris aut blanditias aut minas ſpectare poſſe videbaris: debuit ipſe prior te videre Deus, ut Deum deinde videres, debuit offuſam oculis & intelligentiæ tuæ caliginem benigniore ſuæ lucis radio diſſipare, alioquin & oculis, & ipſa mente malè captus permanſiſſes. Ita, ut inquit Chryſologus,

Niſi Pater cœleſtis redeuntis filii caduaſſet in vultu, Ibidem. *& totam confuſionis caliginem reſpectus ſui lumine ſuſtuliſſet; nunquam divini vultus vidiſſet iſte filius claritatem:* nec tu videres unquam, niſi te adhuc longè à ſe poſitum aſpiceret Deus. & hoc primum eſt indulgentis cœli beneficium; cui adde etiam alterum tibi cum prodigo commune.

Et miſericordia motus eſt, ſcilicet Æternus Pater. *Movetur ille miſericordia, qui loco non poteſt demo-* Secundum. *veri: accurrit, non progreſſu corporis ſed pietatis affectu.* quid deinde?

Cecidit ſuper collum ejus, non lapſu viſcerum; ſed Ibidem. *compaſſionis. Cecidit ſuper collum ejus ut erigeret ſic jacentem. Cecidit ſuper collum ejus, ut amoris onere onus tolleret peccatorum.*

Eſt illa Dei miſerentis inclinatio: ad eum aſſurgere peccator cùm non poſſit, ipſe ſe demittit, & prono pietatis affectu tendit; imò & totus veluti cadit in collum atque amplexus animulæ pœnitentis, ne illa peccatorum ſuorum onere preſſa in perniciem & infernum cadat. Imò & oſculo dignatur, ut olim Tertium. prodigum filium pius parens.

Sic pater judicat, ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſ- Ibidem. *cula, non flagella. Nimirum delicta non videt vis amoris, & ideò pater peccata filii redemit oſculo, clauſit amplexu.* Sic & tua redimet, claudétque; ideóque ne time, ne fuge tam boni parentis oculos, ne oſcula amplexúſque declina: diſperſeris licèt ſubſtantiam omnem tuam vivendo luxurioſè, & immania cœlo teſte commiſeris flagitia; ea teget, aut diſſipabit vel Ibidem. unicus *Affectus Patris, qui fugat crimina, expellit noxam, cunctam nequitiam & tentamenta propellit.*

Ea ſpe nixus, age, mentem erige, oculos in parentem eleva, & in oſcula genas, brachia in amplexus explica. *Quæ enim hic excuſationis occaſio? Simulatio quæ timoris? Niſi fortè timetur occurſus, terret oſculum, turbat amplexus: & capere ad vindictam, non excipere ad veniam pater creditur, cùm filium trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis. Sed hanc cogitationem debellatricem vitæ, ſalutis inimicam,*

 expugnant

expugnant nimis, nimis auferunt quæ ſequuntur.

Quartum. *Dixit* enim *pater ad ſervos ſuos: citò proferte ſtolam primam, & induite illum.*

Elucet in his vocibus ingens vis amoris, & eximia quædam indulgentiæ largitas: Non enim *dixit unde venis? Ubi fuiſti? Ubi ſunt quæ tuliſti? Quare tantam gloriam tanta turpitudine commutaſti?* Nihil, inquam, horum dixit, etſi dicere potuit jure meritiſſimo (Horum enim reus tenebatur filius) ſed potiùs adjecit illud, quod eſt miſerentis.

Citò proferte ſtolam primam, & induite illum. Vides quia delicta non videt vis amoris: tantam miſericordiam pater neſcit: Delicta qui diſcutit, prodit.

Ne porrò etiam vel ſervis ſuis proderet, hæc ad eos.

Citò, ne ſit amanti mora, proferte ſtolam primam, & induite illum. Ecce *qui ſuſtinuit filii crimina, non ſuſtinuit nuditatem. Hinc eſt quod à ſervis ante veſtiri voluit filium, quàm videri; ut ſoli patri nota eſſet nuditas, quia pater ſolus videre filii non poterat nuditatem.*

Ita ne tuam videat, ô anima, ſtolam primam, id eſt gratiam, quam peccando amiſiſti, in primo pœnitentiæ limine reſtituit. nec illam tantùm: ſed &

Quintum. *annulum dat in manu tua*: quia ſcilicet *paterna pietas contenta non eſt innocentiam reparare ſolam, niſi priſtinum reſtituat & honorem.* Ut autem cum etiam ſerves ſeros in annos; jubet & dari calceamenta in pe-

Sextum. dibus tuis, *Ut calceatus anterioris vitæ tedeas ad curſum*, & à perverſis vitiorum ſemitis abeas quàm longiſſimè.

Et hæc ſunt Dei miſerentis opera, hæ viæ, quibus peccatorem ad gratiam ducit, ac ſi voles ad gloriam ac beatitatem.

§. IV.

Quàm periculoſum ſit non ingredi vias illas ſalutaris pœnitentiæ?

Serm 16 in Matth. UT vulgatum, ſic & veriſſimum illud D. Auguſtini: *Ipſa res eſt, quæ multos occidit, cùm dicunt cras, cras, & ſubitò oſtium clauditur*; oſtium, inquam pœnitentiæ ſalutaris; quod vel unius exemplo probare mihi eſt animus, ut eo docti ſapiant omnes.

Anno 1644. in Gallia vitam agebat vir nobilis, ſed vitiis infamis, hic ab alio etiam primæ nobilitatis provocatus in ſingulare certamen, & letaliter ſaucius. Uxor (utpote in paucis pia) de mariti ſalute ſollicita, religioſum evocat, confeſſionis excipiendæ gratia: advolat ille, ægrum adit, compellat, urgétque ut animum ſacra exomologeſi velit expiare. Renuit ille; imò & quaſi in furias actus, in blaſphemas voces erumpit, in Deum, ac Superos impius. Subducit ſe tantiſper religioſus, ſeceditque in vicinum conclave, Dúmque orat anxius pro infirmi ſalute, ac pœnitentia: cùm ecce ſtrepitum audit, & hunc inter, etiam clamores, atque ululatus; imò & has voces. *Pater mi, Pater mi.* Accurrit ad ægri lectulum, rogat ecquidnam vellet? cui ille interrupta ſingultibus voce. En mihi, inquit, objicitur ſchedula; tum, ecquid in illa? lege, edicque quà potes. Legit porrò, atque edicit illud: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Hic benè monendi, benè agendi occaſionem arripit, moribundúmque monet officii ſui, hortaturque ut & actum contritionis eliciat, & pœnitentia ſalutari vitæ priùs actæ peccata diluat: ſed nihil proficit; iterum ergo recedit, atque ad Divæ Virginis pedes ſeſe abjicit, ruſtatque apud miſericordiæ matrem, ut reo illi miſericordiam impetret: cùm ecce iterum in ejulatus, in clamores, in furias abit æger, inclamátque, uti prius illud: *Mi Pater, mi Pater, citò, citò miſerere.* Adeſt Pater, & ore toto ſpumantem

P. Thomas le Blanc I Les Illes genereux, c. 5.

videt, ac miratur, auditque auxilium implorantem: ſed & inter ululatus etiam juramenta, & blaſphemas in cœlum voces; tum illius miſertus, opportunè, importunè monet, urgetque, adhuc eſſe pœnitentiæ, ac miſericordiæ locum, quamdiu in corpore ſpirat animus. Sed & hoc fruſtra; ait enim ille: videre ſe, & aliam ſchedulam, in qua ſcriptum & illud, impreſſúmque cœli typis *Quæretis me, & non invenietis.* quibus auditis Pater: primùm blanda voce compellat, tum minis agit; ſpémque ponit inter, & metum: ſed & hoc incaſſum; adjicit enim æger etiam illud: *Non moriar, non moriar ex hoc vulnere, nec enim eſt letale*, tum Pater, ecquid ſi moriaris? Age, age, confitere dum tempus patitur, & vita: ſed & hoc fruſtra; ait enim, & mihi injuriam fecero, & militari quo ſum animo, ſi confitear, vel ipſo mortis metu, ſanè ignavum me arguent, ac meticuloſum commilitones mei, ubi audierint me mortis timore ad exomologeſim adactum. Quid hic Pater? iterum abſcedit, & pro infelicis illius ſalute Deum, ac Superos precatur, moxque rurſus & ſtrepitus audit, & clamores, & ululatus, accurrit, hortaturque ad pœnitentiam: ſed audit illud & triſte, & funeſtum. *Iam tempus pœnitentiæ abiit, jam effluxit miſerendi hora*, jam dæmon ingenti volumine deſcripta objicit vitæ anteactæ peccata omnia; imò & animam quaſi uncis quibuſdam è viſceribus extrahit, atque extorquet: quin & oculis objicit ſyngrapham aliam; in qua hæc lego. *In peccato veſtro moriemini.* Hæc ille lamentabili voce atque extrema, à qua in ſingultus, in tremores, in dentium ſtridores, in totius corporis convulſiones exceſſit, atque poſt has etiam è vita; ſicque infelicem animam expuit, & dæmoni reddidit æternis cruciandam incendiis.

Viſa hac funeſta, ac deplorabili tragœdia, primò Pater ad uxorem abiit, & quà potuit, quà licuit ſolari cœpit, atque è caſtello excedere tantum non exanimis: interea cadaver humi malè inſtratum jacet, ita deforme, ita luridum, ita vermibus jam ſcatens, ut vix hominem agnoſceres, & certè homo jam non erat; ſed monſtrum hominis: imò damnati monſtrum; ſic enim animæ jam damnatæ pœna in corpus ipſum evaſerat. Vix è domo abierat Pater, cùm ecce audit illicò revocantem ſe, & hæc ab illo excipit lacrymabili voce. *Redi mi Pater, redi citiùs*; jam enim dæmones duo Domini noſtri corpus exportarunt, & hi quidem ſpecie, formáque moloſſi; deſcenderunt illi per caminum, & per eundem cadaver extulerunt, relicto ſolo ſudario, quo jam erat involutum. Redit Pater, nec cadaver reperit, ſed dumtaxat ſudarium; jam certus & animam, & corpus æternis traditum incendiis, à quorum horrore dum abit, ſimul abit ad uxorem, quæ ad Crucifixi pedes abjecta, madebat lacrymis, à qua ne voculam extorſit, vocem nimirum dolor intercluſerat, & propè etiam ſpiritum: ſed neque hîc ſtetit Dei vindicis manus, anno quippe evoluto, etiam in caſtrum, & damnati illius ædes cœlum deſæviit; fulmine enim tactæ in flammas, ac cineres abiere, & quod ab his reliquum erat, etiam ſubito terræ hiatu abſorptum eſt. Uxor autem (mortua intra annum gemina prole) iis libera in monaſterium ſeſe tranſtulit, cui à Viſitatione nomen, & fama: I modò, amice Lector, & diſce dum licet pœnitere.

PROPOSITIO XI.

Quod ferocienti jumento frænum eſt, hoc animæ peccatrici jejunium.

Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi per orationem & jejunium. *Matth. 17. v. 20.*

MISELLUS erat adoleſcens, quem multis jam annis dæmon inſederat, mali diverſorii malus

hoſpes;

hoſpes; à quo & in corpus & in animum deflexerat ingens morborum cohors, à qua vapulabat quàm peſſimè: nam & in ignem & in aquam ſæpè præceps abjiciebatur, ut ad mala domeſtica, & inſidentes affecto corpuſculo defectus, etiam externa illa elementorum injuria accederet. Fuerat illi adoleſcenti ingens aliquod in mente malum, vaga quædam inconſtantia, æſtus paſſionum dubii & incerti, quales eſſe ſolent lunaticis, qui à Luna lunaticos, hoc eſt inconſtantes, varios, ſtultos, amentesque animi motus ſortiuntur. Erant præterea ſua illi corpori vitia; dura ſurditas, quæ aurium officinam obſederat clauſeratque: & linguæ arcta vincula, quæ mutum & propè elinguem reddiderant. His malis medelam dum quærit officioſus in filium pater, illum Chriſti diſcipulis curandum objicit. faciunt illi de more: auguſto Magiſtri ſui nomine velut potenti divinoque telo utuntur, & in hoſtem illum tartareum ejiciunt, ut ſua de ſede deturbent: ſed nihil promovent, irrita vis omnis, inanesque conatus. Res à diſcipulis ad magiſtrum redit, ab hoc petita tanto malo medela, & illicò impetrata; vix enim ſtygium illum hoſtem verbulo objurgarat Jesus, cùm illius impatiens ab adoleſcente exiit, & ſalvum atque incolumem reliquit. Hinc amicæ illæ diſcipulorum querelæ, & modeſta apud magiſtrum expoſtulatio: *Quare nos non potuimus ejicere illum?* Huic quæſtioni ſatis, dum ſubditur hoc genus dæmoniorum non ejici niſi per orationem & jejunium.

Matth. c. 17. v. 18.

Sed inde rurſum exurgit moveturque difficultas alia; quod ſit iſtud genus dæmoniorum adeò pertinax & Chriſti diſcipulis invictum?

D. Hieronymus credit illud eſſe, quod & inferis, & terris eſt nequiſſimum: alii antiquiſſimum eſſe volunt, quod diu hominem poſſederit, & ſuum quaſi domicilium fecerit: ut enim morbi longo temporis annorúmque lapſu confirmati, & jam inveterati, nonniſi difficillimè curantur; ita, & dæmones, quod jam diutiſſimè tenuerint hoſpitium, ægerrimè deſerunt. & is fuit qui miſerum illum, à prima adoleſcentia occupavit. Alii malunt intelligi dæmonum genus & obſtinatiſſimum & ferociſſimum: alii denique unum aliquem dæmonem, qui & crapulæ, & libidini ſit præſes. & hoc certè non alio telo magis petitur, impetitur, & expugnatur, quàm oratione & jejunio. De hoc in præſentia pauca ſubdemus, dicemúsque quibuſdam vitiis id eſſe congenitum, ut non curentur niſi jejunio, ceu præſenti pharmaco.

Jejunium

Duo ſunt vitia, quibus adoleſcentia, & immaturior ætas ſeſe inclinare ſolet, libido & crapula; Venus & Bacchus, ad quorum aras ſæpè cadit infelix victima. ne ſadas remedio eſt opus: hoc à jejunio exigetur: eſt enim illud D. Baſilio *juventutis pædagogus*: effervefrit illa quandoque, & nimium quantum in malas propagines luxuriat, indocilis regi flectique; ideóque pædagogo eſt opus, & perita magiſtri manu, quæ nutantem illam ætatem in bonum flectat, & ad opportuna, litterarum ac virtutis ſtudia promoveat. Et hæc pædagogo cura incumbit: eadem & jejunio, quod tibi provida Mater Eccleſia ut Pædagogum eſſe voluit, & fidum monitorem, ut ſcelus omne caveas, & virtutem ſequaris. quod ſi fortè minus apud te poſſe velis jejunium, quia pædagogus; plus poterit quia etiam & frænum. ita appellare ſolitus B. Ephrem, magnus ille monachorum parens, & eremi lumen. *Jejunium*, inquit, *frænum eſt monachis; quod qui rejicit, equus inſanus reperietur*. Cum eo loqui & ſentire os illud aureum, cui *Jejunium Angelorum imitatio eſt, ſtabula pretium, alimonia animæ, frænum oris*.

Eſt Pædagogus.

Frænum.

Serm. 1. de Jejun.

O, hominis adeò liberum, patens, effræne eſt, ut ab illo, qui non peccarit, D. Jacobo judice perfectus vir haberi poſſit.. adeò facilis à lingua lapſus, difficilis continentia: eam rurſum aſſequeris à jejunio, quod ori tuo erit, quod indomito jumento eſt frænum. imò quod Orbi lutoſo eſt diluvium.

D. Chryſologus aurea dicendi copia, Jejunium vocare ſolitus *diluvium peccatorum*. *Quadraginta diebus*, inquit, *& noctibus expiaturus terram, cæleſtis imber effunditur: ut quia perire ſibi mundus debebat, gauderet tali baptiſmate ſe renatum. Meritò & nos quadraginta diebus per jejunium currimus ad fontem baptiſmatis & ſalutis.* Seneſcens Orbis magnam omninò ſcelerum labem contraxerat: debuit illa diluvii immenſa aquarum eluvie, & mergi abyſſo circumfuſi undequaque elementi; & nos humiles animæ anno toto multas ſcelerum maculas admittimus: purgari debent illæ ſolemni quadraginta dierum jejunio, ceu optimo animæ diluvio.

Serm. 166.

Diluvium peccatorum.

Quod ſi in liquido & puro elemento non ſatis effundi credis, & in humanas mentes illabi medicam jejunii virtutem; age pharmacopolas adi, Hippocratem & Galenum conſule; vel quod malim, illis omiſſis, Baſilium: ex illo diſces Jejunium eſſe *pharmacum efficax abolendo peccato*. Quod ſi nec ægros animos aſpectas, nec pharmaca iis curandis placent; dic obſecro cum S. Leone *ſemper virtutis cibum jejunium fuiſſe*. Fingit opportunè magnus Præſul, ut corpori, ita & menti ſuum eſſe debere alimentum, quo ſuſtineri, foveri, augeri poſſit ac debeat virtus omnis, quæ ipſi animæ ſit altera, & potior anima.

Hom. 1. de Jejun.

Pharmacum.

Quod ſi à virtute, ceu alarum remigio, altiùs aſſurgere vis, & in cœlos viam tibi facilem aperire, per me, per ſuperos licet, *Jejunium* appella *vehiculum in cœlum*: ita multis ante ſæculis vocitare ſolitus ſanctus Ephrem; ita & D. Ambroſius ore melleo, qui magni Eliæ raptum in Jejunium referri credit; ait enim: *Hoc ad Deum gradu citiùs pervenitur, hoc gradu Elias aſcendit, antequam curru.* Eodem & ipſe aſcendes ſi voles: nec ipſe tantùm: ſed & aliis viam ſternes, clauſoſque cœli aditus reſerabis: eſt enim *Jejunium clavis cœli*: eo Elias obſeratas æreáſque duri, & immitis ætheris fores recluſit. *Vivit Dominus Deus Iſrael*, inquiebat olim, *in cujus conſpectu ſto; ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba.*

Vehiculum in cœlum,

L. de Elia. c. 2.

Cœli clavis.

3. Reg. c. 17. v. 1.

Exaruit æther, tribuſque totis annis imbrem negavit exſuccæ & hianti terræ; donec eum aperuit ſolvitque jejuna unius Eliæ lingua. Nec mirum ſi Jejunio paruit æther, cùm & ipſe Sol ætheris anima, vitáque paruerit: Tua appello tempora, dies tuos, ô Joſue, cùm dicta tua Sol, Orbis oculus, aſpexit, & iis obediens ſtetit: quod altiore cothurno, ſtylóque elatiore extollit Tertullianus. *Stetit*, inquit, *Sol in Gabaon, & Luna in Aialon, ut exaudiret Deus hominem parem Solis*; parem, inquam, à Jejunio; & terris, imò ſeipſo ſublimior factus, ipſi ſoli imperitare potuit, & præcipitem ejus curſum unius imperio voculæ ſiſtere.

Adv. Pſychicos c. 10.

Habes, amice Lector, pauca de Jejunio, & quidem brevi compendio: ea tamen ita velim intelligas ut ſimul cum corpore animus jejunet: parum enim prodeſt ſi eſca ſubtrahitur corpori, niſi & libidini reliquisque vitiis ſuus quoque fomes detrahatur: detrahetur autem ſi cuilibet corporis membro ſua imponatur abſtinentia, quam diſertè imponit D. Bernardus. *Quod ſi*, inquit, *gula ſola peccavit, ſola quæ jejunet, & ſufficit: ſi verò peccaverint & membra cætera, cur non jejunent & ipſa. Jejunet ergo oculus, qui deprædatus eſt animam meam: Jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipſa. Jejunet oculus à curioſis aſpectibus, & omni petulantia; ut benè humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens fabulis & rumoribus, & quæcumque otioſa ſunt, & ad ſalutem animæ pertinentia. Jejunet lingua à detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque ſcurrilibus verbis; interdum quoque ob gravitatem ſilentii, &*

Serm. 3. de Jejun.

ab ipſis

ab ipſis quæ videri poterant neceſſaria. Jejunet manus ab otioſis ſignis, & ab operibus omnibus, quæcumque non ſunt imperata. Sed & multò magis anima ipſa jejunet à vitiis & propria voluntate ſua. Etenim ſine jejunio hoc cætera à Domino reprobantur. Sicut ſcriptum eſt, Iſai. c. 58. *quia in diebus jejuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inveniuntur.*

Hæ ſunt jejunii leges, hæc norma, quam Poſteris omnibus inſcripſit Bernardus, & quam olim in ſeipſa expreſſit Magdalena: peccarat illa ab omnibus membris, nimiis licentiis ac luxuriæ, adeóque iis omnibus Jejunii præceptum indixit; & ut ait Luc. c. 7. Divus Gregorius: *Quod ſibi turpiter exhibuerat, Deo laudabiliter offerebat: Oculis terrena concupierat*, jam eos in fletum ſolvit, & rivulos lacrymarum: capillos effuderat inſana luxuriæ, ut eſſent auræ ludibrium ac vanitatis: jam eos ad Domini pedes abjicit, tergitque amantiùs. *Ore ſuperba dixerat*: jam illud Chriſti ac Servatoris ſui pedibus affigit, & oſculo nectit arctiùs: atque ut Divi Gregorii verbis utar: *quot in ſe habuit oblectamenta; tot de ſe invenit holocauſta. convertit ad virtutem numerum criminum*, ut totum ſerviret Deo in pœna, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Quod in Magdalena pœnitente miraris & amas, hoc in teipſe exhibe, & vitam peccato vacuam exiges.

Finis Operis Moralis de peccato.

SPECU-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

Abel primus mundi peregrinus, & cœli civis; & contra Caïn primus mundi civis, & exul cœli. p. 60, c. 1
Abelis ſanguis ut vox valida. p. 19, c. 2
Abel, id eſt vanitas, & vapor. p. 70, c. 1
Abram cur mutatus in Abraham? p. 75, c. 2. Detracta littera *He*, ex ineffabili nomine Jehova. *ibid.*
Ablavius Bizantinus cur dictus fortunæ pila. Ejus exitus miſerabilis. p. 154, c. 2
Abſalonis ambitio punita. p. 149, c. 1
Abominatio deſolationis in Scriptura quid fuerit? p. 67, c. 2
Abyſſus unde dicta? p. 9, c. 2
Achabo Regi impio mors denuntiatur. p. 95, c. 1
Achaz impio Regi, ipſo die mortis detractæ ſunt decem horæ? an eæ deinde redditæ Ezechiæ Regi illius filio? p. 99, c. 1
Adamus à peccato ut extimuit. p. 115, c. 2
Adæ excuſatio illi & poſteris quàm noxia. p. 25, c. 1
Adorationis vituli aurei pœna ſubflavus auri color in vultu. p. 145, c. 1
Adulterum in adulterio deprehenſum marito an ſit jus occidendi? p. 171, c. 1
Ægyptii plures grandine perierũt quàm ferro, p. 1, c. 2
Ænigma de tribus fortiſſimis: ferro, fabro, febre. p. 99, c. 1
Æternitatis meditatio quos fructus afferat. p. 154 *& ſeq.*
Æternitatis ſymbola, deſcriptiones, & definitio. p. 155, c. 1, 2.
Agathon monachorum Pater tres dies moriturus impendit conſiderationi extremi Judicii. p. 159, c. 2
S. Aichardi monaſterium noctu inambulat dæmon, & bonus Angelus, hic quos virga notat, notat & morti. p. 165, c. 2
Alphonſus Aragonum Rex Neapolim obſidet. p. 147
Alexander Macedo ſe Jove progenitum dixit. p. 76, c. 2
Alexander Magnus imaginem ſuam noluit pingi niſi ab Apelle, ſculpi niſi à Polycleto. p. 66, c. 1
Altaria qui violat ſuper altare plectitur. p. 146, c. 2
Aman ab Aſſuero damnatur ad furcam. p. 171, c. 1
B. Amadæus Sabaudiæ Dux in pauperes effuſus. p. 135, c. 2
Ambitio ut inſatiabilis. p. 75, c. 1
D. Ambroſii elogium illuſtre. p. 145, c. 2
Amici veri quàm rari, vix ſæculo uno par amicorum. p. 128, c. 1
Amicitia quid ſit, & quàm rara inter homines? p. 127
Amicitia divina quantum bonum. p. 128, c. 1, 2
Amicitia vera quantum bonum. *ibid.* c. 2
Amicitia Regum quanti æſtimanda. p. 128, c. 2
Amici tres apud D. Damaſcenum. *ibidem.*
Amicus tibi ſit Deus, iſque ſolus. p. 129, c. 1
Amor divinæ legis ſcelus omne in odium vocat. p. 162, c. 1
Anaſtaſius Imperator hæreticus fulmine ictus p. 1, c. 2
Anaſtaſio Imperatori dempti quatuordecim anni vitæ. p. 110, c. 1
Analogia frigoris, & peccati. p. 26, c. 1. 2
Angelus peccatricis animæ fœtorem non ſuſtinet. p. 112, c. 2
Andragoræ Philoſopho nocuit etiam in ſomnis medicum vidiſſe. p. 98, c. 2
Angelicæ linguæ, & locutio quid ſit, & qui hæc fiat? p. 135, c. 1
Animæ pulchritudo quanta? p. 43, c. 2 Particula eſt divinæ auræ, *ibidem.*
Anima Juſti quaſi Regina. p. 131, c. 1. Ejus ornatus quantus? *ibidem.*
Annulo ſignatorio quæ vis, quæ authoritas. p. 42, c. 2
Anni Juſtorum recenſentur, injuſtorum non. p. 55, c. 1
Antichriſti nomen, nomen peccatoris. p. 70, c. 2
Antichriſto varia nomina dedit Antiquitas. p. 71, c. 1
Antiochi teſſera bene valere. p. 21, c. 2
Antiochi cruciatus à mala conſcientia. p. 119, c. 1
Antigonus Rex orat Deum ut præſidio ſibi eſſet contra amicos, utique fictos. p. 127, c. 2
Antiqui majorum ſuorum imagines exprimebant in cera. p. 66, c. 1
Apellis vox: *Hodie lineam non duxi.* p. 55, c. 2
Aqua eluit, quod aliquando polluit. p. 144, c. 2
Arſenius de ſomno ſic: veni male ſerve. p. 33, c. 1
Arabum parœmiæ duæ quibus innuitur non eſſe differendam pœnitentiam. p. 141, c. 1
Arbor ſcientiæ boni, & mali. p. 87, c. 2
Arca Noë centum annis extructa. p. 9, c. 2
Arcus cœleſtis ſymbolum pacis. p. 2, c. 1
Ardali ara ſomno litata. p. 60, c. 1
Aſinus ſerviens olitori, tum figulo, denique coriario. Apologus. p. 107, c. 2
Aſpidis venenum quàm ſubtile. p. 52, c. 2
Aſpides afflatu ſolo perimunt. p. 31, c. 1
Athlantes Africæ populi nullis inter ſe nominibus diſtinguebantur. p. 78, c. 1
Avaritia quaſi infernus. p. 74, c. 2
Avari, & avaritia quomodo curanda? p. 64, c. 1
S. Audomaro cœcitas pro beneficio. p. 62, c. 2
D. Auguſtinus adoleſcentiæ peccata ut deplorat. p. 10
D. Auguſtinus ut converſionem differt de die in diem. p. 141, c. 1. Ut de eo indoluit. *ibid.*
S. Auguſtino tria fuerunt in votis: Chriſtus in carne, Roma in flore, Paulus in ſede. p. 77, c. 2
Aulicus æger à Carolo V. Imper. petit horam unam vitæ, nec impetrat. p. 158, c. 1
Aures obedientiæ ſymbolum. p. 49, c. 1
Aures anſæ ad virtutem *ibidem.*
Aures cur, & unde ſimiles portis urbium nefaſtis? p. 49, c. 2
Auricula ſummi Sacerdotis cur tingeretur ſanguine? p. 49, c. 1
Aurium ornamenta Dei voces. p. 49, c. 2. Aurium munimenta quæ? *ibid* Auris zeli quæ? Aures quomodo ſæpiendæ ſpinis? *ibidem.*
Auribus aſperſæ venulæ, quæ ſi ſecentur homo ſterileſcit. p. 49, c. 2
Auro punitur, qui auro peccat. p. 145, c. 1

B

Babylonia quid ſit? p. 59, c. 1
Bacchus cur dicatur liber? p. 11, c. 1
Baccho cur noctu ſacra fierent? p. 5, c. 1
Bachananus morti vicinus bacchum ſpirat, & vinum. p. 53, c. 1
Baltaſſari Regi quid portenderint inſcriptæ illæ tres voculæ: *Mane, Thecel, Phares* p. 78, c. 2
Baltaſſaris Regis mors funeſta. p. 53, c. 2
Barlaami cum Principe Joſaphat colloquia. p. 55, c. 1
S. Baſilius Cæſareæ Epiſcopus ſibi vivo ſepulchrum extruxit. p. 152, c. 2
Bedæ Presbyteri cœcitatem venerantur lapides. p. 62
Beliſarii infelix exitus. p. 138, c. 1
Bella, Fames, Peſtis tonſura ſunt generis humani. p. 100, c. 1
Bellum quid, & unde dictum? p. 105, c. 1
Belli quis author? Quæ cauſa? p. 109, c. 2
Bellum cur dicatur virga, & tranſitus virgæ. *ibidem.*

Belli cauſæ: *meum*, & *tuum*. p. 58, c. 1
Belus primus ferreum gladium invenit. p. 105, c. 1
Benedicto I. Pont. Romæ ſtrages mortem attulit, p. 37, c. 1.
Benom, id eſt filius doloris mei. p. 73, c. 1
Beſſi homicidæ ſcelus aperiunt volucres. p. 19, c. 1
Boleſlai Poloniæ Regis crudelitas, & punitio. p. 149 c. 2.
Brennus Senonum Dux avidam monilibus fœminam iis oppreſſit, atque exinanit. p. 145, c. 2

C

CAinus à cæde Abelis timens, ac tremens in omni vita. p. 115, c. 2.
Cain primus induxit in mundum eas voculas: *Meum*, & *Tuum*. p. 58, c. 1
Cain, id eſt invidia. p. 70, c. 1
Caini ſub pedibus terra ſemper contremiſcere. p. 57,
Caini Civitas quæ? p. 57, c. 2. Ejus condendæ ratio. *ibidem*.
Calani Philoſophi libertas, & conſtantia. p. 16, c. 1
Calvini in Deum blaſphemia. p. 138, c. 2
Calvini nomen hebraicè acceptum reddit numerum 666. p. 79, c. 2
Caligula paucis annis abſumpſit ſexaginta ſeptem auri milliones. p. 91, c. 1
Calligonus Eunuchus Valentiniano à cubiculis capite plectitur. p. 145, c. 2
Carpocratiani cur diſcipulorum ſuorum aures dexteras ſignarent. p. 79, c. 2
Capillorum luxus punitur. p. 149, c. 1
Capite minuitur, qui alterum ſic minuere paravit. p 145, c. 2
Carolus VI. Galliæ Rex Anglos expulit. p. 96, c. 2
S. Catharinæ Senenſis objicitur pulchritudo animæ, quæ eſt in gratia. p. 43, c. 2
D. Catharina Senenſis peccatricis animæ fœtorem non ſuſtinet. p. 112, c. 2
Caſtalionis hæretici impudens lingua. p. 53, c. 1
Caſtitas Virgini qua arte ſervata. p. 134, c. 1, 2
Cæmeteria cur dicta ſint naturæ noſtræ myſteria? p. 153, c. 2
Centrum elementorum aliud, atque aliud. p. 83, c. 2
Ceraſtis antiqua Civitas cur dicta Civitas cœcorum. p. 62, c. 2
Character peccati nota ſervitutis. p. 80, c. 1
Character Antichriſti: Ecquis ille? p. 81, c. 1
Character Caini. Ecquis ille? p. 81, c. 2
Chriſma unde? Et quæ ejus vis? p. 39. c. 1
Chriſtus an humani corporis defectus contraxerit, & quos? p. 98, c. 1
Chriſti umbra bonum latronem convertit. p. 7, c. 1
Civitas peccati quæ? p. 57, c. 2
Civitatis ſpolium, & direptio componitur cum anima à peccato letali ſpoliata. p. 132, c. 1
Civitas cœcorum quæ? p. 61, c. 2
Civitas ſomniorum quæ? p. 60, c. 1
S. Clemens Papa 28 annis excruciatus. p. 156, c. 2
Clodii Æſopi patina taxata 15 millibus Philippicorum. p. 156, c. 2
Cleopatræ Ægypti Reginæ luxus in conviviis. *ibid.*
Clodovico Galliæ Regi quæ documenta dederit S. Remigius. p. 96, c. 2
Cœcitas mentis quæ ſit, quæ ejus cauſa, quæ medela? p. 62, c. 2
Cœcitas corporis utrum in malis reponenda. p. 62, c. 1 Exempla multorum, quibus accepta ea cœcitas. *ibidem*.
Cognitio ſui inde provenit, quod ſinguli ad ſua cœci. p. 63. c. 1
Columnæ duæ erectæ à filiis Seth: una ahenea contra aquarum impetus: altera lateritia contra vim ignis, ex duplici excidio mundi declarato ab Adamo: uno per aquam, ſecundo per ignem: iis inſcripta principia ſcientiarum, & Fidei mediatoris. p. 123
Confeſſionis horror oſtenditur exemplo illuſtri. p. 118, c. 1, 2.
Confeſſio peccati, quàm proficua. p. 24, c. 1, 2
Conſanguinei quàm parum proficui morienti. p. 129
Conſcientiæ crudelis, & perennis laniena exemplo illuſtri monſtratur. p. 118
Conſcientia eſt accuſatrix, Judex, Vindex. p. 114, c. 1 eſt vermis. *ibidem*.
Conſcientia eſt ſuipſius cordis cognitio. p. 113. c. 2 Hebræis Ratio cordis: eſt Cenſor, eſt Pædagogus. *ibidem*.
Conſcientia mala ſpina eſt, ſtimulus eſt. p. 114, c. 2 Flagellum eſt, Patibulum eſt, Infernus eſt. p. 115
Conſilium malum Conſultori peſſimum. p. 150, c. 2
Conſtantini Magni in hæreticos zelus. p. 89, c. 1
Conſuetudo in malum, quàm noxia? p. 15, c. 1
Contritio quomodo peccata deleat? p. 120, c. 2
Convivia, & in iis immanis luxus. p. 156, c. 2
Cordis ſitus quis? p. 49, c. 1
Cor humanum hinc, & inde aures habet. p. 49, c. 1
Cor ſapientis cur in dextra? Stulti cur in ſiniſtra? p. 48, c. 1, 2
Cor durum quodnam ſit? p. 138, c. 2
Cor Othoni Imperatori moribundo aperitur miraculo, & Sacro-ſancta hoſtia cor illius ſubintrat. p. 49, c. 2
Cor quomodo abeat poſt oculos? p. 51, c. 1
Corpus humanum eſt limus, ſtatua lutea, lutea domus, carcer animi, antrum, ſpelæum, vinculum, laqueus, ſepulchrum. p. 97, c. 1
Creaturæ omnes pugnant cōtra peccatorem. p. 88, c. 2
Creaturæ omnes ab uno hominis peccato trahuntur in conſortium pœnæ. p. 87, c. 2
Culpæ, & pœnæ magna cognatio. p. 86, c. 1, 2
Curioſitas ut fugienda. p. 50, c. 2

D

DAgon idolum quale fuerit? p. 170, c. 1
Davidis pœnitentiæ ſervit unus Dei conſpectus. p. 169, c. 2
Davidis nomen quàm potens apud Deum p. 64, c. 2
Davidi oblata à Deo tria flagella: Bellum, Peſtis, & Fames, ex iiſque data optio. p. 110, c. 2
Davidis ingens pœna ab adulterio, & homicidio, p. 106, c. 2
Davidis filii quatuor periere. p. 105, c. 2
Degradatio Sacerdotis quomodo fiat, & quo cæremoniarum apparatu. p. 126
Dei miſeratio ut homini mala imminentia prædicit. p. 99, c. 2
Deus cur dicatur menſura ſine menſura, numerus ſine numero, pondus ſine pondere? p. 78, c. 2
Deus cur dicatur mamena, memmeua? p. 37, c. 2
Deo uni ſervatæ 4 claves: Vitæ, Mortis, Pluviarum, & Annonæ, p. 101, *& ſeq.*
Deus cur dicatur delectari numeris? p. 78, c. 1
Deus cur pingitur quaſi oculus ſceptro imminens? p. 168, c. 2
Deus an induret peccatorem? p. 138, c. 2
Deum quaſi cœcum fingit peccator. p. 170, c. 1
Deus cur ab Homero dictus Sol? p. 168, c. 2 Cur & Gigas ſæculorum? Cur & mundus exemplaris. *ibidem*.
Deus viduus apud Romanos quis? p. 32, c. 1
Deus cur à Triſmegiſto dictus eſt circulus, cujus centrū eſt ubique, circūferentia nuſquam? p. 41, c. 2
Deos ſuos antiqui in ſigillis ſuis ferre ſoliti. p. 44, c. 2
Dei ſolius eſt illud Eſſentia à ſe. p. 10, c. 2
Democritus ſibi oculos eruit ut liberiùs ſpeculari poſſet. p. 62, c. 2
Dextera ſymbolum amoris, & honoris. p. 49, c. 2
Dextram amittit, qui dextram perfidus dedit. p 148, c. 1

Dæmon peccatori eruit oculum dextrũ, quo cœlum ſuſpicit, relinquit ſiniſtrum, quo terram. p. 137, c. 2
Dæmonis turpitudo quanta ſit, & unde? p. 164, & ſeq. Ea major tormentis omnibus. p. 165, c. 2
Dæmon morientibus apparens eſt illis pro tormento expiatorio. p. 165, c. 2
Dæmones ut moribundis ſeſe exhibent. p. 165, c. 1
Dianæ Epheſinæ templum incendit famæ cupidine. p. 92. c. 2. Sed fruſtra. ibidem
Diabolus nos eſt. p. 5, c. 1
Diabolus in articulo mortis objicit moribundo librum, in quo ſcripta omnia ejus peccata. p. 124, c. 2
Didymi Alexandrini cœcitas. p. 62, c. 1
Dies pleni qui ſint? p. 55, c. 2
Dies peccatorum cur inania, & vacua? p. 55, c. 1
Dies anonyma quæ ſit? ibid. c. 2
Dies qui dicantur eſſe, qui non? ibidem.
Dies caliginis, & tenebrarum, quis? p. 56, c. 2
Dies peccati dies mali dæmonis p. 57, c. 1
Diluvium cur dictum ſit Dei patientia? p. 140, c. 1
Dinæ quomodo oculis capta? p. 50, c. 2
Diomedis ſtultitia, qui aurea cum æreis commutavit. p. 132, c. 1
Dipſas ſerpentis eſt genus, ſiti enecat. p. 31, c. 2
Divitiarum quàm vana poſſeſſio, & quàm inutilis morienti. p. 129, c. 2
Divitiæ ut obſunt virtuti, & ſaluti. p. 64, c. 1
Divitiæ cur inſtabiles, & variæ. p. 89, p. 2
Divitis avari converſio in morte illuſtris. p. 157, c. 1, 2
Dolor quid ſit? p. 117, c. 2
Dolor repentinus ſæpè mortem infert. p. 37, c. 1
Dolores parturientis componũtur cum dolore peccatoris. p. 117, & ſeq.
Dolor ſtoicis non eſt malum. p. 28, c. 2

E

ELeemoſynæ, & earum exempla illuſtria. p. 135, c. 2
Eliezer, id eſt Dei adjutorium. p. 68, c. 1
Emblemata peccati, & peccatoris. p. 84, & ſeq.
Enos, id eſt Vir invocator Dei. p. 69, c. 2
Epiſcopatus quomodo bonum opus? p. 77, 2. 2
Epulonis, & Lazari diſcrimen. p. 45, c. 1
S. Ephren oculorum cuſtodia. p. 51, c. 2
Eronis monachi lapſus miſerabilis. p 133, c. 2
Eſau, id eſt piloſus. p. 70, c. 2
Eſau ſtultitia vendendo primogenita. p. 132, c. 1
Euſebio D. Hieronymi diſcipulo apparens in morte dæmonum agmina. p. 165, c. 2
Eva quomodo oculis capta? p. 50, c. 2
Eva cur tentata à ſerpente? p. 30, c. 2 Et à quo ſerpente. ibidem.
Eudyminnis ſomnus quis? p. 60, c. 1
Euthymius in eodem curru exulat, quo D. Ambroſium deportare laborabat. p. 145, c. 2
Eutropius Arcadio Imperatori à cubiculis ad aras capitur & plectitur. p. 147, c. 2
Ezechiæ Regis ad Deum oratio. p. 55
Ezechiæ morbus ſaluti fuit. p. 99, c. 1
Excuſatio in peccatis quàm noxia. p. 25, c. 1
Examen conſcientiæ. p. 4. c. 1, 2
Exempli malis vis quanta? p. 96. c. 1
Exilium patitur, qui innocenti exilium intentat. p. 145, c. 2

F

FAma bona componitur cum luce, & ſole. p. 93, c. 2
Fama bona quantum ſit bonum? p. 92, c. 1. Comparatur cum unguento pretioſo. ibid. Quantum malum infamis. ibidem.
Famæ adacta mulier etiam filium occidit, & comedit. p. 104, c. 1
Fames ſpiritalis quid ſit, & quantum animi tormentum? p. 105, c. 2
Fames quid ſit, & quàm immane tormentũ? p. 104, c. 2
Feſtorum violatores quomodo detecti, & puniti? p. 19, c. 2. p. 20, c. 1.
Ferro medicina paratur, & quidem variis morbis? p. 106, c. 2.
Fides ſervanda etiam hoſtibus, violata punitur etiam communi ſterilitate. p. 103, c. 1
Filio prodigo profuit vel unicus Patris conſpectus. p. 169, c. 2
Filiæ Stygis tres, quibus maritus inveniri non potuit: Uni nomen Simonia; alteri Uſura, poſtremæ Furtum: ſed quia hæc nomina averterunt animos, ea mutari placuit: Simonia dicta penſio; Uſura intereſſe; Furtum *Le tour à la mode*. p 68
Filius in patrem peccans à filiis punitur. p. 150, c. 2
Filiæ Sion umbra peccatricis animæ. p 131, c. 2
Filius hebraicè idem eſt ac brachiũ Patris. p. 100, c. 2
Finis quaſi anima, & vita cæterorum. p. 153, c. 1
Flaccus Alexandriæ præſes exul ob ſcelera dolore tabeſcit. p. 118, c. 2
Flagellum peccati fames. p. 103, c. 2
Flagellum peccatoris dolor. p. 117, c. 2
Flagellum peccati eſt morbus. p 97, c. 2
Flagellum peccati ſterilitas. p. 101, c. 2
Flagellum peccati bellum. p. 105, c. 2
Flagellum peccati peſtis. p. 99, c. 2
Flagellum peccati ſervitus. p. 107, c. 2
Flagellum peccati timor. p. 115, c. 2
Flagellum peccati mors. p. 100, c. 1
Flagella fortunæ p. 89, c. 1
Flagellum peccatoris conſcientiæ remorſus. p 113, c. 2
Flagellum peccatoris ſpectra, & tetræ ſcelerum patratorum imagines. p. 116, c. 2
Flagella animi in peccatore. p. 113, c. 2
Flagellum peccatoris vita brevis, & contracta. p. 109 c. 2.
Flagellum peccati animæ fœtor, & graveolentia. p. 112, c. 1
Flagellum ſecundum peccatoris, nominis oblivio, & infamia. p 92, c. 1
Flagellum tertium peccatoris, privatio Regni, aliorumque dignitatis inſignium. p. 93, c. 2
Flagellum peccati mortificatio meritorum omnium præcedentium. p. 132, c. 1, 2
Flagellum peccatoris privatio divinæ amicitiæ. p. 127, c. 2 p. 127. c. 2
Flagellum peccati letalis ſtatus hominis, in quo mereri non poſſit. p. 134, c. 1, 2
Flagellum peccati deperditio gratiæ, & virtutum infuſarum. p. 130, c. 1, 2
Flagellum 12. peccatum eſt peccati pœna, eaque graviſſima, p. 135. Et quomodo? ibidem.
Flagellum 13 peccatoris, ignorantia, & mentis cœcitas. p. 137, c. 1, 2
Flagellum 14 peccatoris, malitia, & obduratio. p. 138 c. 2
Flagellum 15 peccatoris, impœnitentia finalis p. 140 c. 1
Flagellum peccatoris deleri de libro vitæ. p. 123, c. 2
Flagellum peccatoris deordinatio potentiarum animæ, earumque vulnera. p. 121, c. 2
Fluvius ingens in Anglia ſubitò ſubſtitit, & ſe diviſit, ſicco alveo ad tria milliaria. p. 45, c. 2
Fœmina an malum, & quantum? p. 13, c. 2
Fons Ægypti, qui Deiparæ, & Filio ejus exiliit, Ægyptum balſamo fertilem reddidit, maximè ſi eo irrigetur. p. 102, c. 2
S. Franciſcus Aſſiſius ut ſcivit nomen ſuum ſcriptum in libro vitæ per octo dies exiliit. p. 125, c. 2
Fulmina unde, & quæ in iis prognoſtica. p. 1, c. 2
Fur è furca ſuſpenſus derepente ex imberbi barbatus, ex juvene ſenex totus, & canus apparuit, & quæ cauſa? p. 110, c. 1

G

GAlliæ Regnum tamdiu ſtabit, quamdiu in eo ſtabit Juſtitia, & Religio. Ita S. Remigius Clodovæo Regi. p. 96, c. 2
Gallus vigiliæ ſymbolum. p. 61, c. 2. Cur dicatur avis ſolaris. ibidem
Georgius Clarentiæ Comes data optione mortis vino malvatiro mergi, & ſuffocari eligit. p. 53, c. 1
Gerardi fratris D. Bernardi in morte lætitia. p. 133, c. 1
Gilimer Wandalus gravi preſſus obſidione tria a Beliſario petiit: Panē, Citharam, & Spongiam. p. 106
Gratia quid ſit? p. 37, c. 2, & p. 38, c. 1
Gratia quid ſit, quæve ejus vis, ſiq; activitas? p. 134
Gratiæ bonum majus naturæ bono totius Univerſi. p. 41, c. 1
Gratia eſt animæ, quod anima corpori. p. 134, c. 1
Gratiæ quæ adjunctæ virtutes? p. 131, c. 1
Gratiæ juſtificantis miri effectus. p. 40, c. 1
Gratia lux, & candor vitæ æternæ. p. 39, c 1, 2
Gratiæ privatio quantum damnum? p. 43, c. 1, 2
Gratiæ pulchritudo quanta? p. 43, c. 2
Gratia cur dicatur ſemen? & quomodo vita æterna? p. 38, c. 1. Cur ſignaculum Altiſſimi, Fons, Pluvia, Medicina, Animæ cibus? ibidem.
Gratiæ ſigillum, & ejus authoritas? p. 41, c. 1, 2
Gratia veſtis eſt animæ. p. 36, c. 2
Gratiæ vis, & excellentia major dono miraculorum, & gratiis gratis datis. p. 42, & ſeq.
Gratiæ unctio, ejuſque beneficia. p 38, c. 2
S. Gregorius Taumaturgus Neocæſareæ prædicit eiſdem immanem à peſte. p. 101, c. 2. Domus nocte ab Angelo vindice notatæ, & ea lue ſtatim correptæ. ibidem.
Gula vicina luxuriæ. p. 75, c. 1

H

HEli mors uti & filiorum, & unde? p. 110, c. 2
Heliogabali inſania pro mortis genere ſpecioſo. p. 17, c. 1
Henricus III. Galliæ Rex in Paraſitos, & Hiſtriones Anno uno abſumpſit ſex auri milliones. p. 91, c. 1
Henricus IV. Imperator excommunicatur à Gregorio VII. Imperio exuitur: Spiræ mendicat ad templi valvas: Ejus corpus inhumatum abjicitur. p. 90, c. 2
Henricus VIII. Angliæ Rex uno anno templorum & monaſteriorum evertit ad decem millia. p. 91, c. 1 Ejuſdem inſatiabilis avaritia, & auri cupido. Vectigalia ſuper omnem modū, malæ artes, doliq́ue. ibid.
Herculis, & Antheonis anceps pugna. p. 153, c. 2
Hæretici an tolerandi? p. 18, c. 2
Hæretici quàm guloſi? p. 53, c. 1
Hæretici ut ridiculè, & impiè abutuntur Scripturis. p. 53
Heronis monachi lapſus miſerabilis. p. 134, c. 1
Homo quid ſit Philoſophis? 1. Animal plenum conſilii, & rationis, 2 Quoddam totum, 3 Parvus mundus, 4 Naturæ miraculum, 5 Genus divinum, 6 Deus mortalis, 7 Rerum omnium finis, 8 Horizon Univerſi. p. 65 c. 1, 2
Homo cur, & unde umbra Dei? p. 8. c. 2
Homo eſt imago Dei, p. 65. Pictura Dei, p. 66, c. 1 Numiſma Dei, Signaculum Dei. ibidem.
Homo ſeipſum, id eſt Dei ſigillum, & imaginem peccati ſordibus inquinans cujus culpæ, & pœnæ reus. p. 42, c. 1
Homini cur brevior dies, quàm quibuſdam animantibus? p. 54, c. 2
Homines mutati in beſtias. p. 67, c. 1
Homicida, conſcientia continuò objiciente illud: Occidiſti, occidiſti, magiſtratui crimen aperit, & capite plecti rogat. p. 117, c. 1
Homicidium difficile tegitur. p. 19, c. 1
Homicidium, & homicidæ puniti. p. 149, c. 1, 2
Homicidis brevior vita. p. 110, c. 1
Humoriſtæ Academici pro ſymbolo habent nubem, cum hac epigraphe: *Redit agmine dulci.* p. 3, c. 2
Humores quatuor aliquidne patiantur ab aſtris? p. 100, c. 1
Hybernica familia, quæ dicitur Oſſyrienſium; quolibet ſeptennio duos videt, marem ſcilicet, & fœminam in lupos mutari? p. 67, c. 1
Hypocriſis cur dicatur veſtis peregrina. p. 71, c. 2

I

IAcob, id eſt ſupplantator. p. 69, c 1
D. Jacobus peregrinum ſuum tuetur, & pro eo retinendo in libro vitæ ſupplex Chriſto accidit. p. 124, c. 2
Ibyci Poetæ homicidium aperiunt hirundines. p. 19, c. 1
Idololatræ Dei ſui nota, & ſigillo inurebātur. p. 80, c. 1
Jericho quid ſignificet? p. 122, c. 1
JESU nomen quàm potens apud Deum. p 64, c. 2
JESUS quomodo Samaritanus? p. 122, c. 2, Et quomodo ut hic corporis, ſic ille animæ vulnera ſanet? p. 123, c. 1
Jejunium peccatori eſt frænum, Pædagogus, Diluvium peccatorum, Pharmacum, Vehiculum in cœlos, Cœli clavis. p. 174, & ſeq.
Ignis purgat, quod aliquando infecit. p. 144, c. 2
Ignis ſacer an exhibuerit ſpeciem leonis? An non potuerit extingui? An ſine pabulo ſervatus in ſæcula. p. 145, c. 1
Imago Dei eſt ævum, ævi mundus, mundi ſol, Solis autem homo. p 66, c. 2
Impietas cur pingatur nomine mulieris? p. 13, c. 2
Impœnitentiæ finalis exempla illuſtria. p. 143, c. 1, 2
Imperatores Orientis in ſua ſolemni inauguratione mortis monebantur. p. 152, c. 1
Imperatoribus dabatur olim liber, in quo primo præceptum erat ſanitatis. p. 21, c. 2
Inanimata quæ ſerviunt culpæ, ſerviunt & pœnæ. p. 144, & ſeq.
Incarnatio Divini Verbi an neceſſaria. p. 46, c. 1
Incendium Saguntinorum quantum, & quàm miſerabile. p. 130, c. 2. Item & Romanum. Ibidem.
Ingenia ſimilia genio nativæ regionis. p. 54, c. 2
Innocentiæ ſtatus morbos neſciſſet. p. 96, c. 1
Innocentius IX. Pont. Max. in ſecreto conclavi habebat ſimulacrum mortis, ad quod ſe quotidie ſiſtebat. p. 153, c. 1
Joachim Rex nomina deorum ſuorum corpori inuſſit. p. 72, c. 1
S. Joannes Eleēmoſynarius ſibi vivo ſepulchrum extruxit. p. 152, c. 2
Joab juſſus è medio tolli, ob fuſum ſanguinem innocentium Abner, & Amaſa. p. 95, c. 2
Job primò dictus Ob, id eſt Propheta: tum etiam Job, id eſt Propheta Dei: addita ſcilicet litera prima nominis Jehova. p. 75, c. 2
Jobi adverſitas, & patientia. p. 53, c. 2
Jobi cura oculorum & cordis cuſtodia. p. 50, c. 2
Job cæteroquin patiens cur diei natali maledicit? p. 56, c. 2
Jobi calamitas quanta, quanta & peccatoris, cujus ille fuit umbra? p. 130, c. 2
Jonathas à guſtato mellis favo vitæ periculum adit. p. 27, c. 2
Joſephi caſtitas? p. 56, c. 1
Joſeph quo die tentatus à domina. p. 57, c. 1
Iſaac, id eſt riſus. p. 69, c. 1
Iſaacus 4 olim fudit puteos: 1 nomen dedit calumnia, 2 Inimicitias, 3 Latitudo, 4 Abundantia. p. 25. 26, c. 1, 2
Iſaias juſſus ſcribere in bono eventura poſt centum quinquaginta annos. p. 105, c. 1
Iſidorus Abbas, ejuſque monachi, ob ſingularem vitæ innocentiam experter fuere morbi. p. 97, c. 2

Judas

Judas proditor cauſa tempeſtatis in mari. p. 13, c. 1
Judæis à cæde Meſſiæ inſitus fœtor. p. 113, c. 1
Judæa olim ferax balſami, à nece Chriſti in ea, & Jericho creſcere deſiit. p. 102, c. 2
Judæorum perfidia punita fame. p. 103, c. 2
Judæorum parvuli plerumque naſci ſolent ſanguine manu plena p. 34, c. 2
Judices reos non aſpiciebāt niſi per cancellos. p. 169
Judices olim ſententiam laturi ſe abſcondebant; ne ... faciem viderent. p. 129, c. 2
Judicii extremi conſideratio quos fructus afferat. p. 158, r. 1, 2
Julius Cæſar ſimul ſeptem Amanuenſibus litteras dictabat. p. 164, c. 1
Julius Cæſar ſe Venere natum finxit. p. 76, c. 1
Juppiter an ſanguini dominetur, Mars bili, Saturnus Melancholiæ, Luna pituitæ. p. 100, c. 1
Juſtina Imperatrix D Ambroſium in exilium mittere conatur. p. 145, c. 2
Juſtinianus II. naſo mutilatur. p. 148, c. 1
Juſtitia Originalis quid fuerit, & quantum bonum. p. 43, c. 2. Quæ illi addita virtutum decora. ibid.
Juſtitia, & Religio Regnorum firmamenta. p 96, c. 2
Juſtitia ſtant Reges, & Regna. p. 95, r. 2

L

LAconis pueri libertas, & conſtantia. p. 16, c. 2
Laconia reſponſum illuſtre. p. 156, c. 2
Lana lupi dentem paſſa tineæ eſt obnoxia. p. 29, r. 2
Lapide obruitur, qui eo alium obruere paravit. p. 146, c. 2
Latronis boni in cruce converſio unde? p. 142
Laqueo præfocatur, qui alteri laqueum nectit. p. 146
Legum iniquarū conditor ita ipſis legibus perit. p. 147
Lex cur dicatur eſſentia, & ſubſiſtentia? p 163, r. 1
Lepra quid ſit, & quæ ejus ſpecies? p. 22, c. 1
Lepra animi quid ſit, & quàm varia? ibidem
Leproſi habitus quis eſſe debeat? p. 24, c. 2
Leo Iconomachus ob raptam è templo Sophiæ coronam auream carbunculo illuſtrem, carbunculo in capite enato à Deo punitur. p 147, c. 1
Libro vitæ inſcribi quàm optabile. p. 124, c. 2
Liber vitæ, & mortis an detur, & quis ille? p. 123, r. 2
Libro mortis inſcribi quàm horrendum. p. 125, r. 1
Libertas à peccato tollitur. p. 15, r. 1, 2
Libertas Deo quàm ſuavis, & anguſta. p. 108, r. 2
Lingua cur inſtrumentum vitiorum? p. 51, r. 2
Cur dicatur ignis? p. 52, c. 1
Cur dicatur univerſitas iniquitatis? ibidem, r. 2
Lingua cur Hebræis dicatur *Laſcon*, id eſt Leunculus? p. 52, r. 1. Cur inquietum malum? ibidem. Cur venenum aſpidum? r. 2
Lingua cur fiſtula vitæ? Cur calamus Spiritus S p 52 Cur gladius acutus? Cur & ſagitta electa? ibid.
Lingua Dei organum. p. 51, c. 2
Linguarum confuſio unde? p. 58, c. 2. Fuerunt 72 linguæ principes. ibidem.
Lingua punitur qui lingua peccat. p. 148, c 1
Linum ſymbolum nitoris, & patientiæ. p. 30, c. 1
Lucis natura, gratia, & effectus. p. 39, c. 2
Luciano Inſula fuit ſomniorum, in qua incolæ omnes Reges, & Dii. p. 60, c. 1
S. Ludovicus Rex Galliæ quot Sabbathis pedes pauperibus lavat. p 135, c. 2
S. Ludovicus Rex Galliæ maluiſſet infici lepra quàm peccato. p. 23, r. 1
S. Ludovici filius quinto genitus vocatus eſt Ludovicus Triſtans, quod natus eſſet in ſumma matris triſtitia captivo ſcilicet Patre. p. 73, r. 1
Lutheri lingua quàm petulans, & mordicās. p. 52, r. 2
Lutherus adhuc adoleſcens fulmine ictus. p. 1, c. 2
Luxu, & luxuria Roma periit. p. 29, c. 1
Lydiæ populi capillos redimunt ingenti tributo. p. 149, c. 1

M

MAchabæi cur ſepulchris ſuis addiderint naves? p. 94, r. 1
Mahumeti nomen arithmeticè acceptum facit numerum 666. p. 79, c. 2
Manus Tornatiles, aureæ, plenæ hyacintho quæ? p. 53
S. Marcella quotidie mortis memor? p. 153, c 1
Mare ſalis, Mare mortuum vulgo *Aſphaltites* à ſcelere Sodomæ, & Gomorrhæ. p. 102, r. 1
Maria ab æterno ordinata. p. 9, c. 1
Cur dicatur abyſſus? c. 2
Maria cur, & unde nubes, ejus emblema? p. 2, r. 2
Martini Lutheri nomen Saxonicè acceptum reddit numerum 666 p. 79, c. 2
Mauris unde in Hiſpaniam datus ingreſſus? p. 96
Medicus eſſe debet in honore. p. 98, c. 2
Mel cur arceatur à ſacrificio? p. 27, c. 1
Mel in Trapezunte pontica ad inſaniā ducit. p. 27, r. 1
Memoria noviſſimorum eſt amuletum adverſus omne peccatum. p. 154, c. 1. Inducit ad mundi contemptum. p. 154, c. 1
Memoria æternitatis malè parta reſtitui ſuadet, & evincit. p. 157
Meriti definitio, & explicatio. p. 132, c. 2
Milites notabantur in manu. p. 80, c. 1
Et inde dicti manu ſignati. ibidem.
Monarchiæ cur compoſitæ cum quadrigis. p. 94, c. 2
Monſtrum quid ſit? p. 47, c. 1
Morbus eſt fidus monitor. p. 99, r, 2
Morbus omnis à peccato emanavit. p. 96, c. 1
Morbus in Chriſto nec fuit, nec eſſe potuit. ibidem.
Morbi an ſubinde à cœlo, & cœli influentiis. p. 100
Morbi ſunt prodromi, & prænuntii mortis. p. 97, c. 2
Teſtes peccati; imo & pœna. ibidem
Morbi ſæpe ſunt pro peccati remedio. p. 99, c. 1
Mors cur dicatur Teſtamentum inferorum? p. 111, r. 1
Cur teſtamentum mundi? ibidem. Naturæ debitum. c. 2
Mors quomodo intret per feneſtras? p 51, c. 1
Mors corporis cum animæ morte componitur. p. 32, & ſeq.
Mors quid ſit? Ultimus morborum medicus: Mortalium portus: Somnus: Peregrinatio: Echo vitæ: Ultima quæſtionum omnium: Naturæ malum: ſummum malorum: Terribilium terribiliſſimum. p. 32, c. 1, 2
Mors Juſti quàm læta p. 133, c. 1
Mortis memoriæ qui fructus. p. 153, c. 1, 2
Mortis memoria commendatur. p. 151, c. 1
Mortis adeundæ adhortatio à D. Bernardo. p. 113, c. 1
Mortis certitudo, & neceſſitas. p. 100, c. 1, 2
Mortis incertitudo, & caſus varii. p. 111, c. 2
Mortuo homine cur omnis aqua, quæ domi erat effunderetur? p. 44, r. 1
Moyſes primus eſt uſus unctione in Pont. inauguratione. p. 38, c. 2
Mundi, & mundanorum ſomnia. p. 61, c. 1
Mundi, & mundanorum fallax vanitas. ibidem
Murænæ vitam, & animam habent in cauda. p. 153, c. 1
Serpens contra in capite. ibidem
Mutii Scevolæ fortitudo. p. 135, r, 2

N

NAaman Syrus cur in Jordane merſus ſepties? p. 23, r. 1
Naas Ammonites noluit inire fœdus cum Jabes Galaad niſi ea lege, ut eruerentur illis oculi dextri. p. 137, c. 2
Nabugodonozor cur dictus malleus univerſæ terræ? p. 94, c. 2
Nabugodonozor Sedeciam capit, excæcat, & filios obtruncat. p. 137, c. 2
Nabugodonozoris ſtatua ſymbolū Imperiorū. p 61, c. 2

Z 3 Nabugo-

Nabugodonozor an verè mutatus in brſtiã. p. 67, c. 1
Naſo mutilatur qui naſum alteri abſcidit. p. 148, c. 1
Nathan à Deo mittitur ad Davidem. p. 106, c. 2
Natio ſpectanda, & patria. p. 54, c. 2
Naturæ inflicta à peccato vulnera quatuor: Ignorantia in intellectu, Malitia in voluntate, Infirmitas in appetitu iraſcibili, Concupiſcentia in appetitu concupiſcibili. p. 122, c. 2
Nero 14 annis Imperii ſui in ſuas libidines abſumpſit quinque ſupra quingentos milliones. p. 91, c. 1
Neronis immanitas in Romanæ urbis incendio. p. 130, c. 2
Nicolao V. Pont. capta Conſtantinopolis mortem attulit. p. 37, c. 1
Nilus Ægypto eſt quod aliis regionibus cœlum pluvium. p. 63, c. 1
Noë idem eſt quod quies. p. 70, c. 1, & p. 139, c. 2
Noëmus Chamo maledicit. p. 119, c. 1
Noëmi filii terram inter ſe dividunt: Semo Aſia ceſſit, Chamo Africa, Japheto Europa. p. 58, c. 1
Nocte quomodo abutantur filii noctis. p. 5, c. 1, 2
Noctis inſtitutio, & finis. p. 4, c. 1. Nox apta conſilits, *ibidem*. Recollectioni, meditationi. c. 2. Examini conſcientiæ. *ibid.*
Nomen cur non datum niſi priùs circumciſo, cur jam niſi priùs baptiſato. p. 78, c. 1
Nominis imponendi ratio antiqua. p. 68, c. 1, 2
Nominis boni, vel mali quod omen. p. 69, c. 2
Nomina quorundã prohibita ſervis imponi. p. 68, c. 1
Nubes quid ſit? Ejus materia? qui & effectus? p. 1
Nubis, & peccati ſimilitudo. p. 1, c. 1, 2
Nubium differentiæ quæ? Nubes quæ bonæ, quæ malæ? p. 2, c. 1, 2. Quæ earum prognoſtica? p. 3
Numerus peccatoris. p. 78, c. 2
Numerus ſenarius cur homini? Septenarius cur Deo? Octonarius cur Chriſto? p. 79. c. 1
Numerus Juſti cur binarius? p. 78, c. 2
Numerus injuſti ſenarius ter repetitus. p. 79, c. 1, 2
Numeri in Scriptura cur myſterio pleni? p. 78, c. 2

O

Obedientia quid ſit, & unde? p. 49, c. 1, & p. 139
Obſidio Hieroſolymæ ſub Tito Imperatore, infanda calamitas. p. 104, c. 1, 2
Oculi fabrica mirabilis. p. 50, c. 1
Oculus in animali ultimus oritur, & primus moritur: Et quæ cauſa? p. 63, c. 1
Oculi cur, & unde hominis inimici? p. 62, c. 1
Oculis cur datus viſus, & fletus? p. 51, c. 2
Oculi cur dicantur, & ſint animi prædones? p. 50, c. 1
Cur portæ Solis? p. 51, c. 2
Oculi Dei Auguſtinum à vita liberiore revocãt. p. 169
Oculus Dei ſemper vigil, & apertus eſt peccatori frænum. p. 168, c. 1
Oculis Dei omnia patent. p. 159, c. 1
Oculi ſtultorum quomodo in finibus terræ? p. 51, c. 2
Oculis orbatur, qui in ſuos oculos peccat.? p. 148, c. 1
Oculi non defigendi in fœminas. p. 51. c. 1
Odorum vis, ac ſuavitas voluptatum eſt illecebra. p. 111, c. 1
Odor hæreticorum eſt in Beelzebuth. p. 113, c. 1
Occaſiones peccandi vitandæ. p. 64, c. 1, 2
Oleum confecit Moyſes ad unctionem Pontificum, quod miraculosè duravit ad annos nongentos. p. 38, c. 2.
S. Olympius Abbas, ut exhorruit conſcientiæ vermem. p. 114, c. 2
Onam, ſecùndo genitus Judæ filius, id eſt iniquitas, & dolor. p. 86, c. 1
Opera bona ſola proſunt morienti. p. 119, c. 1
Operis boni quantus valor? p. 132, c. 2
Origenes 14 ſcribis ſimul dictabat. p. 164, c. 1
S. Oſwini Regis feſtum violantes, ut puniti etiam miraculo. p. 19, c. 2

P

Paupertas flagellum peccatoris. p. 89, c. 2
Phalaris tyrannus tauro æreo reos includi, & torreri jubet. p. 145, c. 1
Paſſiones animi comparantur cum ventis. p. 135, c. 1
Pauli, & Juſti notio. p. 75, c. 2
Paulus vir Prætorius accuſatus, quod annulum ſignatum icone Tiberii obſcœno vaſculo admoviſſet. p. 41, c. 2
S. Paulus nuda propemodum anima. p. 113, c. 1
Paulus ex Saulo dictus communione quadam cum Meſſiæ nomine. p. 75, c. 2
D. Pauli converſio. p. 77, c. 2
D. Paulo cæcitas ut profuit. p. 62, c. 1
Pauli nomen à græco παύειν, id eſt quieſcere: alii à Paal, id eſt operatus, ſicque Paulus idem eſt ac operarius. p. 76, c. 1
D. Pauli vox quaſi tonitru. p. 77, c. 2
Panis Hebræis dicitur *Miſan*, id eſt fulcrum, baculus, ſcipio. p. 103, c. 2
Peccatum eſt macula moralis. p. 36, c. 1
Peccatum eſt nihil. p. 10, & ſeq.
Peccati, & umbræ mortis ſimilitudo. p. 7, & ſeq.
Peccatum eſt mors. p. 31, c. 1
Peccatum eſt privatio debitæ pulchritudinis. p. 43, c. 2
Peccatum eſt Chriſticidium, Deicidium. p. 33, c. 2
Peccatũ eſt difformitas cum natura rationali. p. 47, c. 1
Peccatum eſt monſtrum. c. 2
Peccatum umbra mali dæmonis. p. 8, c. 1
Peccatum, & peccati pœnam hebræi una voce *Robets* exprimebant. p. 86, c. 1
Peccatum eſt gutta mellis, & mare fellis. p. 27, c. 1, 2
Peccatum eſt reatus pœnæ. p. 46, c. 2
Peccatum eſt privatio gratiæ. p. 37, c. 1
Peccatum eſt averſio à Deo, & elongatio. p. 44. c. 2
Peccatum peccati eſt pœna. p. 113, c. 2
Peccata ſunt zizania. p. 17, & ſeq.
Peccatum eſt immane pondus. p. 18, & ſeq.
Peccata ſunt funes, & vincula. p. 14, & ſeq.
Peccatum eſt ſerpens. p. 30, c. 1, 2
Peccatum eſt ſeparatio à Deo, & quantum illud malum? p. 11, c. 2
Peccatum eſt ærugo, & tinea. p. 29, c. 1, 2
Peccatum devoratorium ſalutis, Exitii vorago. p. 9, c. 2
Peccatum eſt umbra mortis, umbra mali dæmonis. p. 6, c. 1, 2.
Peccatum eſt vox ſanguinis: eſt clamor validus. p. 19 & ſeq.
Peccata ſunt quaſi ciſternæ diſſipatæ. p. 25, c. 2
Peccatum eſt nox. p. 4. & ſeq.
Peccatum eſt morbus. p. 20. Eſt frigus. p. 26, c. 1, 2
Peccatum eſt lepra. p. 22, & ſeq.
Peccata Capitalia ſeptem, ſunt ſeptem lepræ. p. 23, c. 2
Peccata Phariſæorum ſcripſit Chriſtus in terra. p. 125, c. 2
Peccati centrum, & quod illud? p. 83. c. 2
Peccati ſervitus quàm gravis, & ignominioſa. p. 108
Peccati debitum quantum? p. 46, c. 1, 2
Peccati ſervitus quanta? p. 16, c. 1
Peccati dimenſiones quatuor, altitudo, longitudo, latitudo, & profunditas. p. 83, c. 1.
Peccatum Illyricus finxit eſſe ſubſtantiam nigram. p. 36, c. 1
Peccatoris nomen anonymum. p. 78, c. 1
Peccatorum nomina ſcribuntur in pulvere. p. 125, c. 2
Peccatores unde, & quomodo anonymi? p. 92, c. 2
Peccatoris nomen, nomen eſt beſtiæ. p. 72, c. 1
Peccatoris cor, ut Titii jecur rodit conſcientia. p. 114, c. 2
Peccatoris character. p. 79, c. 2
Peccatori nulla poteſt eſſe voluptas. p. 15, c. 2
Peccator ut ſemper timidus, ac tremens. p. 116, c. 1
Peccatoris ſtatua, ſtatua ſalis. p. 81, c. 1

Peccatoris

Peccatoris imago adumbrata in eo qui deſcendebat ex Jeruſalem in Jericho. p. 122, c. 1
Peccato mortali an aliqua pœna par eſſe poſſit? p. 47 c. 1. An aliquod puræ creaturæ meritum? ibid.
Peccandi gradus qui ſint? p. 178, c. 1, 2
Peccatoris cœcitas. p. 63, c. 1, 2
Peccati, & peccatoris turpitudo quanta? p. 44, c. 1
Peccator numiſma diaboli. p. 65, c. 1
Peccatoris nomen quale ſit? p. 68, c. 1, 2
Peccatoris nomen Benoni. p. 73, c. 1
Peccator imaginem gerit beſtiæ. p. 66, c. 1, 2
Pele hebraicè, id eſt Meſſias? p. 75, c. 2
S. Pelagiæ libertas verè Chriſtiana. p. 15, c. 2
Pericles orator dictus fulgurare & tonare. p. 78, c. 1
Peſtis inter omnia Dei flagella graviſſimum. p. 100, c. 1
Ejus origo varia. ibidem.
Peſtis infanda cum ſæviret Athenis, habito conſilio ara erecta eſt *Ignoto Deo*. p. 101, c. 2
Inde malum minui, & extingui cœpit. ibid.
Peſtis acerba Romæ ſub S. Gregorio Pont. Max. in qua viſæ ſagittæ de cœlo lapſæ. p. 101, c. 1
Peſtis cur dicatur mors? ibidem, c. 2
Peſtis horrenda Neocæſareæ ob publicos, infameſque ludos. p. 101, c. 1
Pes ſuperbiæ quis? p. 5, c. 1. Et cur pes, non pedes? p. 54, c. 1
Petrus Aragonum Rex 12 cereos accendit, & 12 Apoſtolorum nomina inſcripſit, & filio ſuo nomen indidit, qui ultimò defeciſſet. Fuit autem D. Jacobi cereus. p. 69, c. 2
Petrus ambulans ſupra mare unde mergi cœpit? p. 12, c. 2
S. Petri umbra quàm ſalubris? p. 7, c. 1
D. Petro oblatum è cœlo linteum animalibus plenum, & quid illud portenderet. p. 29, c. 2
B. Petrus Damianus à Nicolao II. Pont. miſſionem impetrat. p. 59, c. 2
S. Petrus Abbas Clarevallenſis oculos vocabat ſuos inimicos. p. 51, c. 1
Phocæ Imperatoris injuſtitia, & libido à Deo vindice punita. p. 96, c. 2
Placilla Imperatrix in pauperes effuſa. p. 135, c. 2
Pœnitentiæ partes. p. 37, c. 1
Pœnitentia ſera quàm dubia, quàm periculoſa, quàm rara. p. 141, c. 2.
Pœnitentiæ dilatio quàm periculoſa ſit oſtenditur illuſtri ſanè exemplo. p. 174, c. 1
Pœnitentia ſalutaris, & quæ ad eam viæ? p. 171, c. 1, 2
Pœna talionis à Deo decreta, & probata experientia. p. 144, & ſeq.
Pontifices unguntur in vertice; Reges in fronte. p. 38, c. 1. Et quæ cauſa? ibid.
Pontifex creatus in Veteri Teſtamento expers erat omnis morbi. p. 97, c. 1
Præceptorum trangreſſio, & pœna. p. 122, c. 1
Priami filia ut amans libertatis. p. 18, c. 2
Pudor in confeſſione peccata chartæ committit, traditque D. Baſilio. p. 120, c. 1, 2
Pudor nuditatis in Ammone monacho etiam miraculo probatus. p. 119, c. 2
Pudor à peccato; imò & natura ingenitus, p. 119, c. 2
Pudor etiam à morte in Mileſianis Virginibus. ibid. c. 2
Pudor peccatoris in die judicii coram Deo, & hominibus. p. 111, c. 1
Pudor in Confeſſione oſtenditur exemplo puellæ, quæ vitium paſſa? p. 120, c. 1
Pudenda ſcelera Deus objicit in pœnam. p. 119, c. 2
Pugna à pugnis dicta, nimirum iis ſolis pugnabant veteres. p. 105, c. 1
Pugio nocentem ferit, parcit innocenti. p. 146, c. 1
Pulchritudo corporis quid ſit, & quantum bonum? p. 166, c. 1
Pulchritudo virtutis hujus amorem conciliat, & peccati odium creat. ibidem.
Pulchritudo mentis, quæ eſt à gratia, & virtute quantum ſit bonum? ibidem, c. 2
Pyramides Ægypti 90 annorum opus. p. 9, c. 1
Pyrrhus Epirotarum Rex ſanitatem à Deo precatur, & nil aliud. p. 21, c. 2
Pygmenius Presbyter Romanus de ſua cœcitate gloriatur. p. 62, c. 1
Phyſionomia quid portendat? p. 49, c. 1

R

Radulphus Sueviæ Dux ob perfidiam in Cæſarem à Deo punitus. p. 148, c. 1
Recidiva in peccatum quaſi lepra recurrens. p. 22, c. 1
Regibus præclara documenta inſcribuntur. p. 96, c. 1
Regnorum inconſtantia, & volubilitas componitur cum mari, cum quadrigis. p. 93, c. 2. cum navibus. p. 94, c. 1
Regum Purpuræ ſæpiùs ſanguine rubent, quàm murice. p. 94, c. 2
D. Remigii umbra capitur hæreticus Arianus. p. 7, c. 1
Roma dicine poſſit Civitas vanitatis? p. 59, c. 2
Romæ ſub S. Gregorio Magno peſtis extincta ope D. Virginis elata ejus imagine à S. Luca depictæ. p. 101, c. 2
Romulus Marte genitum ſe finxit. p. 76, c. 1
Roſimunda Alboini Longobardorum Regis uxor venenum ebibere cogitur, quo maritum ſuſtulerat. p. 147, c. 1

S

Sacerdos ſit ſine macula. p. 63, c. 1, 2
Sacrilegorum punitio exemplaris. p. 147, c. 2
Sanctorum invocatio prodeſt ad aperiendum cœli aditum. p. 64, c. 2
Sacrilegio ſuo punitur ſacrilegii reus. p. 147, c. 1
Sal Antiquis ſapientiæ ſymbolum. p. 82, c. 2
Salem divinum appellavit Homerus, Plato ſacroſanctum. p. 82, c. 2
Sampſonis amor quàm inſanus? p. 50, c. 2
Sampſonis vincula unde? p. 14, c. 1
Samuel, id eſt à Deo impetratus. p. 68, c. 1
Sanitas quantum bonum? p. 21, c. 1
Satisfactio pro peccato an fieri potuerit vel ab homine, vel ab Angelo? p. 46, c. 1, 2
Saulus à σαλὸς, id eſt inquies, commotio, fluctus, & æſtus maris. p. 75, c. 1
Saul ut timens ſibi à Davide, malaque conſcientia. p. 116, c. 2
Saul cur dicatur regnaſſe duobus annis? p. 55, c. 1
Saulus à Scheol, id eſt infernus. p. 74, c. 2
Saulis regnum unde diſſiſſum? p. 94, c. 2
Saulus & Paulus, id eſt poſtulatus, & vocatus. p. 74
Sauli & Pauli diſcrimen. p. 46, c. 1
Scedaſi facinus illuſtre ad vindictam duarum Virginum filiarum, ſuarum vi oppreſſarum. p. 95
Scribendi ratio ab Antiquis uſurpata, eaque alia, atque alia: 1 In foliis arborum; 2 In ceris; 3 In membranis, quæ dictæ pergamenæ à Pergamo Rege; 4 in papyro. p. 183, c. 2
Semei mors, & ſupplicium à Salomone exactum. p. 122, c. 1.
Senectus non annis æſtimanda; ſed virtutibus. p. 55, c. 1
Serpens qui hominem necarit, cavernam ſuam deinceps ingredi non poteſt. p. 31, c. 1
Serpentis genius doloſus, & vafer. p. 30, c. 2
Servitus Dei quàm honorifica. p. 108, & ſeq.
Servi Chriſtiani apud Indos notantur littera C. p. 80 c. 1
Servi notabantur litteris ſui Domini, & hinc dicti ſunt litterati. p. 70, c. 2
Servitus quantum ſit malum? p. 15, c. 1. Morte pejus. *ibid.* Ut eam refugerunt generoſæ mentes. *ibid.*
Servitus ante peccatum nulla. p. 107, c. 1. Nomen iſtud culpa meruit, non natura. *ibid.*

Servitu-

Servitutis ingentia mala. p. 107, c. 1.
Servitutem morte graviorem cenſuere Lacedæmonii. ibidem, c. 2
Ser nomen hebræis eſt *nachor*, quod contiono agitari ſignificet. ibidem.
Sicario, & homicidæ apparet puer, qui hæc illi: *Cur me occidiſti.* p. 117, c. 1
Siderationes quid ſint? p. 100, c. 1
Sigillis tria deferebantur: 1 Honos, 2 Fides, 3 Authoritas. p. 41, c. 2
Sigillatores qui apud Antiquos. p. 80, c. 1
Siſara à potu lactis periit. p. 28, c. 2
Sigiſmundus Imperator à Theodoro Archiepiſcopo Colonienſi audit morbos eſſe vias ad virtutem, & beatitatem. p. 99, c. 2
Silentium in Confeſſione quàm noxium. p. 25, c. 1
Simonia malum omen. p. 68, c. 1
Sodomitas obruit pluvia ignea, & ſulphurea p. 102, c. 1
Sodomorum, & Gomorrhæ clamor quid ſit? p. 20, c. 1
Solis lux an major ſeptem primis diebus, quàm modò? p. 88, c. 1
Solem aliqui Deum elegerunt, ut noctu eſſent ſine Deo: alii Lunam, ut pariter interdiu eſſent ſine Deo. p. 170, c. 1
Soloni cur Civitates dicantur habitacula miſerorum, imò miſeriarum? p. 66, c. 1
Somnus peccati qui? p. 33, c. 1
Spes præmii, & æternæ vitæ à peccato revocat. p. 162
S. Staniſlai Epiſcopi & Martyris mors, & ſepultura. p. 149, c. 2
Superbia inſolens in affectandis nominibus altis. p. 76, c. 1
Suſannæ animos fecit unus Dei conſpectus. p. 169, c. 2
Sultanus Saracenorum captus à Tartaris juſſus aurum liquatum haurire in pœnam ſuæ avaritiæ. p. 145, c. 2
Syracuſani ſervis ſuis inurebant equi notam. p. 80, c. 1
Samii noctuæ; Athenienſis ſavenæ; Genus erat navis. ibidem.

T

TArla Æthiopiæ Prorex, & oſor Chriſtianorum ut Imperatori rebellis morte luit, & igne perit. p. 146, c. 1
Tarpeia Virgo Romana armillis obruta necatur. p. 145, c. 2
Tauri artifex è tauro mugit. p. 146, c. 1
Templum Salomonis miraculo clauditur, & miraculo aperitur. p. 64, c. 2
Tentatio carnalis quomodo ſuperata? p. 134
Tepidorum vox. p. 140, c. 2
S. Theodora veſtem mutat in carcere cum adoleſcente. p. 157, c. 1
Theodoricus ob cædem Symmachi ſpectris turbatur. p. 117, c. 2
Theodorus IV. Imperator fit Clericus, miraculis à morte inclareſcit. p. 21, c. 2
B. Thomæ Herefordienſis Epiſcopi oſſa arida in oculis interfectoris recenti manât cruore. p. 19, c. 1
Thraſylla Athenienſis naves omnes, quæ ad portum appellebant ſuas putabat. p. 60, c. 1
Tiberius pœnam capitis ſtatuit in eos, qui annulos ſignatos icone ſua in lupanaria intuliſſent. p. 41, c. 2
Timor quid ſit? p. 115, c. 2
Timor Dei, & pœnarum, peccati medela. p. 159, c. 2
Timor Domini cur initium ſapientiæ. p. 160, c. 1, 2
Timor Domini conſcientiæ frænum, Pædagogus, Cuſtodia bonorum, Innocentiæ cuſtos, Opifex ſanctitatis. p. 160, c. 2
Timor alius eſt filialis, alius ſervilis. p. 161, c. 1, 2
Hujus, & illius diſcrimen. ibidem.
Timor, & Amor læva eſt, & dextra ſponſi. p. 162
Tiridates Armeniæ Princeps mutatus in porcum. p. 67, c. 1
Titii jecur ut arrodit vultur. p. 114, c. 1, 2
Titi Cæſaris pietas, & miſeratio erga obſeſſam Hieroſolymam. p. 104, c. 2
Titi Imperatoris beneficentia. p. 55, c. 2
Tonitrua unde? p. 1, c. 2
Trajani Imperatoris effatum illuſtre. p. 95, c. 1
Turris Babel, & ejus extructio p. 58, c. 2. Ejus altitudo aſcendit ad milliare germanicum, id eſt tris noſtratia. p. 58, c. 2
Turpitudo mentis quantum ſit malum. p. 164, c. 1
Turpitudo peccati in ejus fugam impellit. p. 165, c. 1
Turpitudo corporis quantum malum? ibidem.
Tyrus cur, & unde Civitas vanitatis? p. 59, c. 2

V

VEneno tollitur, qui alteri venenum parat. p. 145, c. 2
Veſpaſianus cur dictus tonsre? p. 78, c. 1
Veſtium diſſiſſio apud Antiquos mali ominis p. 94, c. 2
Vetula apud Ariſtophanem, corpus ſuum vult humari in cella vinaria ſub vaſis epiſtomio. p. 55, c. 1
Victimæ cur notarentur ſigillo. p. 80, c. 1
Virtutis ſpecies, & oratio p. 167, c. 2
Virginitatis violatæ ultor eſt Deus. p. 95, c. 2
Virginitatis exemplum illuſtre in duabus Virginibus licet paganis. p. 95, c. 1, 2
Vita cur Antiquis longior, Poſteris brevior? p. 109
Vitæ brevitas ex homicidiis, & furtis orta. p. 110, c. 1
Vitæ brevitas, & incertitudo. p. 141, c. 2
Vitellii patina æſtimata 25 millibus philippicorum. p. 156, c. 2
Viticæ Regis Hiſpaniarum tyrannis, libido, atque impietas. p. 96, c. 1
Umbra quid ſit? p. 6, c. 1. Quæ illius vis ſeu in bonum, ſeu in malum. ibidem.
Unionis natura, & pretium. p. 39, c. 1
Voluntas propria cur dicatur lepra? p. 24, c. 1
Voluptatis ſpecies, & oratio. p. 167, c. 2
Urbano Pont. capta ſolyma mortem attulit. p. 37, c. 1.
Uxor Loth quomodo verſa in in ſtatuam ſalis? p. 81
Uſualdi Angliæ Regis eleëmoſynæ profuſæ. p. 135, c. 2

X

XAntii à Romanis obſeſſi ſeipſos occiderunt, ne venirent in ſervitutem. p. 107, c. 2

Z

ZIzania in Scriptura quid ſint? p. 17, c. 1
Zeno mortuos conſulebat. p. 153, c. 2

FINIS.

PH 11656

R. P.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

SPECVLVM ECCLESIASTICORVM AC RELIGIOSORVM.

Et in eo monumenta venerandæ Antiquitatis, opportunaque morum documenta.

Grandis dignitas Sacerdotum , ſed grandis ruina eorum ſi peccant. Lætemur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum. Non eſt tanti gaudii excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimioribus corruiſſe.

D. Hieronymus lib. 13. in Ezechielem cap. 44.

REVERENDISSIMO PRÆSULI AC DOMINO,

D. MICHAELI VANDERSMISSEN,

SACRÆ THEOLOGIÆ LICENTIATO;

IMPERIALIS ATQUE EXEMPTI MONASTERII

SANCTI TRUDONIS ABBATI DIGNISSIMO;

EIUSDEMQUE OPPIDI DOMINO;

TOPARCHÆ

IN HELCHTEREN, SENY, ALEM, HALMAELE, DONCK, BORLO, BUVINGEN, &c.

PATRONO SUO AC MECOENATI SALUTEM AC FELICITATEM.

PRIMA editio hujus Operis lucem aſpexit ſub auſpiciis Reverendiſſimi Præſulis, ac Domini D. HUBERTI A SVETENDAEL Deceſſoris Veſtri bon. mem. Secunda non exibit è prelo niſi ſub Nomine, favore, gratiâque REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ. Erit uti ſpero non ingrata, vel ex eo quòd ſecundæ cogitationes ſoleant eſſe meliores primis; & ſecunda editio purior atque auctior. Hac ſpe fretus eam Nomini Veſtro inſcribendam putavi. Cui enim potius? Certè ſi monaſterii (cui ex merito præes) lucem, ac ſpendorem intueor, exemptum video, atque Imperiale, quod dignitatis eſt inter alia ſummæ: ſi ejus Tutelares ac Patronos, primius in

in oculos incurrit *S. Trudo*, Abbas longè ſanctiſſimus, qui & Monaſterio, & Urbi nomen fecit, atque ab inſigni zelo, animarumque proventu Hasbaniæ Apoſtolus audiit. *S. Eucherius*, qui è religioſæ ſolitudinis apud Vos quiete; ad Epiſcopatus Aurelianenſis faſtigium, & curas abſtractus eſt, ac deinde eidem monaſticæ vitæ ex ſuo voto redditus, ut divinis in ſancto ſilentio & vita privata frueretur deliciis. *S. Libertus*, qui adhuc puer aquis hauſtus, & ſuffocatus à *S. Rumoldo* vitæ redditus, & monaſticen deinde in Ulmeto profeſſus, ad *S. Trudonis* ſeceſſit, ibi vitæ reliquum acturus; denique ad ejuſdem Divi aram à Nortmannis occiſus Martyrii palmam invenit. *S. Beregiſus*, qui è Condruſio in Hasbaniam emiſſus, Sacchinium, ubi ſanctam vitam agebat *B. Trudo*, tantum in ejus ſchola profecit, ut propter eximia virtutum decora & *Pipino* Principi carus eſſet, & ſuperis carior ob illuſtrem vitæ morumque ſanctimoniam, quam à *S. Trudone*, ejusque Aſceterio hauſerat. Et hæc eſt Veſtra Gloria, hæc antiquiſſimi juxta ac nobiliſſimi Cœnobii decora, & ſacras aliò duxiſſe Colonias, & Eccleſiæ Univerſæ & Præſules dediſſe ſanctiſſimos, & invictos in terris pugiles, ac Martyres, ſub quorum tutela ac præſidio, ſecuri Deo, cœloque viveretis: utque ita vivatis, aſpirent Superi & REVERENDISSIMAM DOMINATIONEM VESTRAM & ſibi, & ſuis diutiſſimè ſervent incolumen.

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Leodio 10. Auguſti 1667.

Humillimus ac devotiſſimus cliens, & ſervus in Chriſto

JACOBUS LOBBETIUS è Societate IESU.

REVERENDISSIMO PRÆSULI AC DOMINO, D. HVBERTO ASVETENDAEL, SACRÆ THEOLOGIÆ LICENTIATO, IMPERIALIS ATQUE EXEMPTI MONASTERII SANCTI TRUDONIS ABBATI DIGNISSIMO, EIVSDEMQVE OPPIDI DOMINO,

TOPARCHÆ IN HELCHTEREN, SENY, ALEM, HALMAELE, DONCK, BORLO, BUVINGEN, &c.

PATRONO SVO AC MECOENATI SALVTEM AC FELICITATEM.

SCITE pronunciavit è Philoſophis unus aliquis: *Speculum oculus eſt artis, ſicut oculus ſpeculum eſt naturæ.* Ut puſillus ſit orbis oculus, in eo tamen colliguntur Urbes & Orbes, & ipſa ſpecies ideaque totius aſpectabilis Univerſi: ita licèt exiguum ſit ſpeculum, exhibet nihilominus objectarum ſibi quarumcumque rerum imagines, ſint illæ cujuſcumque molis atque magnitudinis. Exhibet inquam, & ſi quæ in eis pulchritudo, formæque gratia; ſi quæ è contra turpitudo ac deformitas, illam fideliter reddit: Et hoc quidem præcipuè in uſum commodumque generis noſtri; ut videlicet homo, qui alia à ſe videt omnia, ſeipſum autem non videt, videat beneficio vel unius ſpeculi: à quo etiam & alterum illud habeat, ut ſi quis in vultu ſit nævus, ſi quæ macula, eam illicò advertere poſſit atque eluere: imò verò (quod mirabere magis) in eo etiam cognoſcere, in omni vita atque ætate quid deceat, quidve dedeceat. Pro hac aſſertione, Senecæ fidem atque auctoritatem appello: *Inventa*, inquit, *ſunt ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret. multa ex* Lib. 1. Natura. hoc conſecuta: *primò notitia ſui, deinde & ad quædam conſilium. Formoſus, ut vitaret in-* quæſt. c. 17. *famiam; deformis, ut ſciret redimendum eſſe virtutibus quidquid corpori deeſſet: Iuvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi: Senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.* Hæc Seneca è muſæolo ſuo quondam emiſit, vel ut poſteros doceret, quis ex naturâ & ratione deberet eſſe ſpeculorum uſus; vel ut eos perſtringeret, qui plus æquo formæ amantiores, de eâ ad ſpeculum diſputant etiam ad horas & dies: quod hujus ætatis vitium eſt: à quo remotiores eſſe nos dum volo, ſimul etiam opto, ut quod ab iſtis ſpeculis homini cuilibet ad formæ examen eſt, hoc Eccleſiaſticis ac Religioſis ſit ad mores ab illo ſpeculo, quod exiguo volumine molior; ut ſcilicet in eo aſpiciant ſeſe, notentque ſedulò, ſitne in ipſorum animis is qui debet eſſe decor, ſintnè ea virtutum ornamenta, quæ illam vitæ rationem quàm maximè deceant; an è contra ipſis inſideat nævus aliquis, turpiorve macula, quæ ſacratiorem illum ſtatum, ceu Eccleſiæ faciem inficiat atque devenuſtet

Dum autem iſtud apud me ipſe meditor, & hoc ſpeculum meum animâ & ſpiritu vacuum, hominum oculis exponere paro; in mentem ac cogitationem incurriſti (REVERENDISSIME PRÆSUL) tanquam vivum ac ſpirans Trudonenſis Eccleſiæ ſpeculum. Dicam enim quod ex vero dici poteſt ac debet: ad inſulam pedumque evectus es amabili Dei

Sap. 8. providentiâ, *quæ diſponit omnia ſuaviter*; & in ea dignitate, quæ tuos inter eſt longè maxima, mirâ morum ſuavitate, ita te probare cœpiſti, ut ab illo honoris culmine de humanitate nihil omninò deceſſiſſe, acceſſiſſe plurimùm videatur.

Lib. 4. Ep. 7. Dixit olim Ennodius: *Qui faſtum in ſublimitate caſtigat, docet ſe meruiſſe quod adeptus eſt.* Et ita hactenus docuiſti, docebiſque (uti ſperamus) dum vives. Hoc enim ſpondet appenſa tuis armis hæc teſſera: *Omnia ſuaviter.*

A qua primùm petenda eſt illa oris tui, animique, ceu ſpeculi, dignitas, cujus gratiam ac ſplendorem mirum quantum auget eruditio planè ſingularis, quâ tuos inter emines, donatus etiam laureâ Theologicâ; à qua virtutem cum doctrina (quæ duo Præſulem faciunt) ita nectis ac maritas, ut dubium ſit utra vincat, aut vincatur. ſed parum intereſt: vincit utraque, dum vincitur. Verùm de his pro merito tuo ſanè parciùs; pro modeſtia tua plus ſatis: Sentio enim me tacitè moneri, ut à Te Tuiſque laudibus diſcedam, oculoſque ac mentem altiùs erigam, ducamque in domum æternæ Beatitatis; è qua Cœnobii tui divi Tutelares lucent, lucebuntque in ævum omne tanquam ſpecula mortalium oculis expoſita, ut in iis præclara magnarum virtutum ornamenta, & ſeu gratiæ, ſeu etiam gloriæ ſplendorem ac lucem aſpiciant, ſtudeantque impenſiùs æmulari; atque imprimis S. TRUDONIS Abbatis omninò Sanctiſſimi, qui & Monaſterio & Urbi nomen famamque fecit. Tum etiam S. EUCHERII Epiſcopi Aurelianenſis, ab innocentiâ morum, vitæque integritate multò celeberrimi, tum deinde S. LIBERTI Martyris inclyti, qui ſolum illud ſuo ſanguine & imbuit, & ſacravit: tum denique S. BEREGISII propter eximia virtutum decora Pipino principi longè cariſſimi: cujus auſpiciis conditum Andaini Cœnobium quod poſtea D. HUBERTI dictum multa cœli gratiâ, multiſque prodigiis celebre.

Ita nimirum factum eſt (& factum benè) ut è Trudonenſi Cœnobio ſacræ ducerentur Coloniæ, novaque & Cœlis & Terris aſſurgerent ſanctiſſimorum virorum Aſceteria, quæ illi debent prima & Religionis & Sanctitatis ſuæ fundamenta. De quibus R. P. V. gratulor, voveoque ut nobis, ut tuis omnibus, ut Legiæ, Patriæ tibi amantiſſimæ, quàm diutiſſimè vivas; ut in te, ſeu Religioſæ Vitæ ſpeculo, ſeu etiam Parente ac Præſule, habeant filii tui (viri ſanè Religioſiſſimi) quod aſpiciant, quod ament, quod imitentur. Et hæc ſunt vota, quæ cum meis ac meorum officiis in manus R. P. V. lubens volenſque depono.

REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS VESTRÆ

Leodii 27. Febr.
Anno 1640.

Cliens ac ſervus in Chriſto

JACOBUS LOBBETIUS
è Societate IESU.

INDEX
QVÆSTIONVM ET PARAGRAPHORVM.

CAPUT PRIMUM.
Quæ genuina Clerici Etymologia? pag. 1
§. 1. *Prima Etymologia nominis Clericus.* ibid.
§. 2. *Secunda Etymologia nominis Clericus.* 2
§. 3. *Tertia Etymologia nominis Clericus.* 4

CAPUT II.
De tonſura Clericali. 5
§. 1. *Vnde tonſura Clericalis originem ſumpſerit?* ibid.
§. 2. *Rationes, ob quas Clericis imponitur tonſura.* 6
Prima ratio. ibid. *Secunda ratio* ibid. *Tertia ratio.* 7
Quarta ratio. ibid. *Quinta ratio.* 8. *Sexta ratio.* 9
Septima ratio. ibid.

CAPUT III.
De Coronâ Clericali. 9
§. 1. *Quid ſit Corona, & unde dicta?* ibid.
§. 2. *Quæ coronæ inſtitutio? Quæ ratio inſtitutionis.* 10
Prima ratio. ibid. *Secunda ratio.* ibid. *Tertia ratio.* ib.
Quarta ratio. ibid. *Quinta ratio.* ibid. *Sexta ratio.* 11
Septima ratio. ibid.

CAPUT IV.
De tempore, & die ordinationis. 12
§. 1. *De tempore, quo Ordines conferri ſolent.* ibid.
§. 2. *De Sabbatho, in quo ordinari ſolent Clerici.* 13
Genuina etymologia nominis Sabbathum. ibid.
Rationes cur ex Eccleſiæ inſtituto Ordines dētur in Sabbato. 14
Prima ratio. Quies ab opere ſervili. ibid.
Secunda ratio. Quies & ſeceſſus ſpiritalis. 15
Tertia ratio. Sabbatiſmus, ſeu annua veneratio primæ conſecrationis. ibid.

CAPUT V.
De Sacramento Ordinis. 16
§. 1. *Sitne in Eccleſia verum Ordinis Sacramentum?* ibid.
§. 2. *Quot ſint Ordines, & unde petatur eorum numerus?* 17
§. 3. *Rationes à ia deducta ex myſterio numeri ſeptenarii.* 18
Prima ratio. Septenarius numerus eſt ſacer. ibid.
II. ratio. Septenarius numerus à Majeſtate nomen habet. 19
III. ratio. Septenarius numerus Virgo. ibid.

CAPUT VI.
De veſtibus ſacris, quibus induuntur Ordinibus initiati, & quid ea portendant? 20

PARS PRIMA.
De veſte Levitarum & Sacerdotum antiquæ Legis. 21
§. 1. *Quid ſuperhumerale, ſive Ephod?* 21
§. 2. *Quid eſſet Rationale?* ibid.
§. 3. *Quid Vrim & Tummim; Doctrina & veritas in Rationali & quæ ab illo futurorum præſagitio?* 22
§. 4. *Quid tunica hyacinthina, mala punica cum tintinnabulis?* 23
§. 5. *Quid tiara, & quæ ejus inſcriptio?* ibid.
§. 6. *Cur ineffabile Dei nomen in fronte geſtaret Pontifex? Quæ religio, quæ vis in eo nomine?* 25
§. 7. *Tiara byſſina ſacri capitis ornamentum.* 26
§. 8. *Annulus pontificiæ dignitatis, poteſtatis, & cōjugii inſigne.* 27
§. 9. *De virga Aaronis, & baculo paſtorali.* 28

PARS SECVNDA.
De veſtibus Clericorum ac Sacerdotum novæ Legis. 29
§. 1. *De veſte Clericali.* 30
§. 2. *De calceis quos induunt ſacris operaturi.* 31
§. 3. *De amictu Sacerdotali, ceu galea ſalutis.* 32
§. 4. *Manipulus fletus & doloris.* 33
§. 5. *Stola immortalitatis.* 34
§. 6. *Cingulum caſtitatis.* 35
§. 7. *Alba ſacerdotalis, ceu lorica Iuſtitiæ.* 36
Prima Iuſtitiæ lex. ibid. *Secunda Iuſtitiæ lex.* 37
Tertia Iuſtitiæ lex. ibid. *Quarta Iuſtitiæ lex.* 38
§. 8. *Caſula erit pro ſcuto Fidei.* 39
§. 9. *Liber Evangeliorum in manu erit pro gladio.* 42
§. 10. *Quomodo gladium illum ſpiritus, Dei verbum, vel retundere, vel infringere conati hæretici.* 44

CAPUT VII.
De divinis Officiis. 45
PARS PRIMA. De ſacro-ſancto Miſſæ ſacrificio. ibid.
§. 1. *Sitne Miſſa novum, an antiquum nomen?* ibid.
§. 2. *Quæ notio & etymologia hujus nominis Miſſa?* 46
§. 3. *Quæ Miſſæ inſtitutio?* 47 *Author.* ibid. *Tempus.* 48
Locus. ibid. *Ratio inſtitutionis.* 49
§. 4. *Quid Miſſa, & quæ ejus partes?* 49
§. 5. *Sintne probandæ Cæremoniæ divini hujus Sacrificii?* 50
§. 6. *Dies & hora ſacrificii.* 51
§. 7. *De Templo & loco ſacrificii, reverentiaq́ ei debita.* 52
§. 8. *De ſitu Templorum ad Orientem.* 53
§. 9. *Sanctorum nomini Templa inſcripſit tota antiquitas.* 54
§. 10. *De Altaris nomine, materiâ, conſecratione.* 55

CAPUT VIII.
De cæremoniis Miſſæ, iis præſertim, quæ in actione conſiſtunt. 56
§. 1. *Iejunium naturale.* ibid.
§. 2. *Lotio manuum ante ſacrificium, ſacramq́ cōmunionem.* 57
§. 3. *De ſigno Crucis.* 58
§. 4. *De triplici oſculo, altaris, libri, & pacis.* 59
Rationes cur Sacerdos altari, libro, & Diacono oſculum præbeat. 60
§. 5. *De elevatione manuum.* 61
§. 6. *De Sacerdotis inclinatione.* 63

CAPUT IX.
De Cæremoniis Miſſæ; iis maximè, quæ verbis exprimuntur. 64
§. 1. *De introitu.* ibid.
§. 2. *De Pſalmo* Judica, *& Confeſſione generali Sacerdotis.* ibid.
§. 3. *De verſiculo,* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. 65
§. 4. *De ſacris illis vocibus,* Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon. 66
§. 5. *De hymno,* Gloria in altiſſimis Deo, &c. *Luc.* 2. 67
§. 6. *De ſolemni illa ſalutatione,* Dominus vobiſcum. ibid.
§. 7. *De Collecta, & voce hebræa,* Amen. 68
§. 8. *De Epiſtola, Graduali, Tractu, Verſiculo, Proſa, Evang.* ib.
§. 9. *De Symbolo.* 69
§. 10. *De Præfatione.* 70
§. 11. *De hymno triumphali,* Sanctus, Sanctus, Sanctus. 71
§. 12. *De nomine, authore, & ſacro ſilentio Canonis.* 72

CAPUT X.
De Beneficiis. 73
§. 1. *Quid ſit beneficium Eccleſiaſticum, & quis illius capax?* 73
§. 2. *Quæ ætas beneficio Eccleſiaſtico ſit idonea?* ibid.
§. 3. *Beneficiario è triplici ſchola petenda ſtudiorum & ſcientiæ ratio.* 74
§. 4. *Inſignis morū probitas, & inculpata vitæ anteactæ ſeries.* 75

CAPUT XI.
De Horis Canonicis. 77
§. 1. *De nomine Horarum Canonicarum.* ibid.
§. 2. *De numero & ordine Horarum Canonicarum.* ibid.
§. 3. *De tempore, quo horæ Canonicæ legi debeant.* 79
§. 4. *De loco & ſitu corporis legendis Horis convenienti.* 80
§. 5. *Qui obligentur ad Horas Canonicas?* 81
§. 6. *Quale peccatum ſit Horarum omiſſio?* ibid.
§. 7. *Qui & quales beneficii fructus?* 82
§. 8. *Quæ attentio requiratur in Horis Canonicis, ut Eccleſiæ præcepto fiat ſatis.* ibid.
§. 9. *Quæ attentio requiratur in legendis Horis, ex virtute ac perfectionis ſtudio?* 83
§. 10. *Quis piè Horas Canonicas recitantibus cœlo propitio favor? Quæ benedictio?* 85

CAPUT XII.
De Reſidentia. 86
§. 1. *Quale ſit præceptum Reſidentiæ?* ibid.
§. 2. *Quæ commoda naſcantur ex Prælatorum Reſidentia?* 87
§. 3. *Quæ incommoda oriantur ex Prælatorum abſentia?* 88
§. 4. *Examinatur ea excuſatio, Paſtores & Epiſcopos per Vicarios regere, & gregem ſuum paſcere.* 89

§. 5. Simo-

§. 5. *Similitudines & exempla, quibus altè Præſulum animis ea obligatio reſidendi imprimatur.* 90
§. 6. *Quæ Præſulis incumbat obligatio ſuos viſitandi?* 91

CAPUT XII.
De aliis boni Præſulis & Paſtoris officiis. 94
I. Officium boni Paſtoris. *Amor & Charitas.* ibid.
II. Officium boni Paſtoris. *Vigilantia.* ibid.
III. Officium boni Paſtoris. *Oves potiùs amet quàm vellus.* 96
IV. Officium boni Paſtoris. *Omnibus omnia factus, ut omnes ſalvos faciat.* ibid.
V. Officium boni Paſtoris. *Animam ſuam ponat pro ovibus ſuis.* 97

DISPUTATIO THEOLOGICA ET MORALIS.
De bonis Eccleſiaſticis eorúmque dominio, atque uſu. 98
QUÆSTIO I. *Quid ſint bona Eccleſiaſtica?* ibid.
QUÆSTIO II. *An Clerici beneficiarii habeant dominium bonorum merè Eccleſiaſticorum, & quorum?* 99
QUÆSTIO III. *Quis eſſe debeat bonorum Eccleſiaſticorũ uſus?* 108

APPENDIX.
Ratio condendi Teſtamenti, & inſtituendi heredes, ex Salviano Epiſcopo Maſſilienſi, Viro è Doctrina ſingulari, ab Eloquentia nervoſo, & vita ſanctitate inter Antiquiores illuſtri. 103

ARGUMENTUM, PARTITIO
ET FINIS TOTIUS OPERIS.

IN hoc opere, mihi animus & conſilium fuit, ex ipſo nomine, natura ac ſunctionibus Ordinis Eccleſiaſtici, tanquam è viſceribus cauſa, eruere opportuna formandis moribus documenta, ut in omnium oculis eſſent ea bona mentis decora, quæ illos ornare debent, quos amabilis Dei Providentia ſuis aris admoverit.

Ut autem in hoc argumento, aliquo rerum ordine nexúq; procederem, putavi ab infimis ad ſumma mihi gradum eſſe ponendum. Itaq; primum initium duxi à Clerico, ejuſq; etymologia, Tonſura, & Corona: tum ad ſacros Ordines, quibus initiatur, aſcendi: tum etiam ex ipſa veſte, quâ corpus illius tegitur, evaſi ad
De Opif. Hom. c. 4. *animum, cui (ut ait D. Gregorius Nyſſenus) pro veſte eſt ipſa virtus: tum denique paucis attigi præcipua ſtatus illius munia; qualia ſunt SS. Miſſæ ſacrificium, Canonica Horarum officia, aliaq; his affinia; in quibus quis eſſe debeat religioſæ mentis æſtus, è ſacris cæremoniis deduxi. Et hæc de argumento mihi propoſito: de titulo etiam pauca.*

Placuit in fronte hujuſce Libri aſcribere illud, Speculum Eccleſiaſticorum ac Religioſorum; *quia & his & illis ſuus olim fuit, atque etiamnum eſt, ſpeculorum uſus: quem ne damnes, amice Lector, attende quid ab illis æterna Dei ſapientia voluerit derivari.*

Exod. c. 38. v. 8. *Ex ejus nutu ac præcepto altare holocauſti fabricavit Moyſes, & fecit, illi,* labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum.

Quæ porrò fuerint ea ſpecula, cujuſq; materia, lis eſt inter Authores, eáque adhuc ſub judice. Sunt enim qui velint fuiſſe è puro nitentiq; cryſtallo: ſunt qui ex ære ſolido fuſa, quibus ſcilicet eâ loci ac temporis Iudææ
Lib. 3. de vita Moyſis. *mulieres uti ſolitas teſtatur Rabbi Abraham & Philo Iudæus, cujus hoc eſt de illis luculentum teſtimonium.* Specula, ad quæ formam curare ſolitæ, ſponte, nemine jubente, Deo dedicaverunt; hæc ad ſe delata opifex in unam maſſam conſuderat: *vel, quod malim, appenderat ad labrum æneum, veluti deſumptum à mundo muliebri pium anathema. Sed quos, inquies, in uſus? id in aperto eſt & clara luce; ut videlicet Sacerdotes operaturi ſacris, ſeipſos prius in illis ſpectarent, diſcuterentq; probè, num fortè eſſet aliquis in facie nævus, aut macula, quæ eam deturparet.*

Quod ſi ea corporum cura fuit, quæ eſſe debuit animorum? certè quàm maxima. Et verò hanc unam ſpectabat ille ritus, monebátque, ut ab illorum munditia, ad horum cultum nitorémque procurandum, eo ſpeculo, tanquam oculo, ducerentur.

Atque hoc ipſum eſt, quod exiguo opere meditor: ſacra quippe Chriſtianorum adyta ſubituris, ſpeculum offero, ad quod conſcientiam, ceu animæ faciem, examinent, videántque num is ſit in ea decor, is nitor qui Ordini Eccleſiaſtico ac Religioſo conveniat, qui ſuperos oblectet, qui Dei ter Opt. ter Max. conſpectum non reformidet. Videbunt autem ſi ſeipſos vel de nomine noverint, ſedulóque perpenderint quis debeat eſſe Clericus, Religioſus, Sacerdos, Paſtor, Præſul: & quæ horum, atque illorum officia.

Ea porro omnia in hoc volumine, velut in ſpeculo, proponenda duxi, ad virtutis ſtudium, & cultum animorum, cui comparando, ex vitæ ſuæ inſtituto, Eccleſiaſtici omnes adlaborare tenentur; tum quia in eos tan-
In Conjurat. Catilinæ. *quam in ſpecula quædam animata cæteri mortalium oculos conjiciunt; tum quia (ut in ſimili Saluſtius) etiam ipſi* magno imperio præditi in excelſo ætatem agunt, & eorum facta cuncti mortales novêre: *ideóque ejuſmodi eſſe oportet, quæ omnibus ad bonum ſtimulo eſſe poſſint, atque exemplo. Hoc ſi impetrem, ampla erit exiguo labori merces, & tibi,* benevole Lector, *magnus à cælo proventus; quem ſi non aſſequar, non dubitabo cum Salviano dicere:*

Hoc ipſum infructuoſum ſaltem non erit, quod prodeſſe tentavi. Mens enim boni ſtudii ac pii voti, etiamſi effectum non invenerit boni operis, habet tamen præmium voluntatis.

JACOBI

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
SPECVLVM
ECCLESIASTICORUM
AC RELIGIOSORVM.

Et in eo monumenta venerandæ Antiquitatis oportunáque morum documenta.

AD USUM CONCIONATORUM.

CAPUT I.
Quæ genuina Clerici Etymologia?

DE Clerico duo quæri poſſe videntur.

Primùm quid nominis? Deinde quid rei? De hoc, & illo aliqua mihi erit diſceptatio, cáque ad illius ordinis dignitatem majeſtatemque inſtituta.

§. I.
Prima Etymologia nominis Clericus.

FUIT olim illud in more poſitum, ut nemo unus alius præficeretur, nemo in ſacra profanáque dignitate ſublimis conſiſteret, niſi is cui ſors & fortuna dediſſet. Ita mihi cæteros inter author eſt Plutarchus: *Ut in Democratia*, loquit, *cui ſorte contigit imperium, eum oportet imperare: ſic in vita hominum, quod ſors dederit boni conſulendum.* (In moral.) Ita ſanxit olim Plato cùm ageret de Republica benè conſtituenda, ſorte ſtatuendum quis cui imperaret. (Dialog. 5.) Et verò ea inſtitutio non videtur à ratione bonóque communi aliena; ſortes enim in manibus Dei ſunt, ab eo verſantur in eam partem, & ſeſe in ea capita inclinant, in quæ ſuaves & mitæ divinæ providentiæ leges inclinarint. Secus omninò fit cùm ab avito parentum ſanguine, à natali luce petuntur hæreditates, atque obveniunt imperia; tum enim ei acquieſcendum, quem tibi maternus uterus effuderit, ſit quamvis ille ſtupidus, ſit bardus, ſit inops arduæ mentis: ſit à natura, ab ingenio potiùs abjectus ad haram, & paſcendos porcorum greges armentaque; quàm erectus ad aulam, ad purpuram, ſceptrúmque, & hominum imperia deſtinatus: naturæ in eo cedendum eſt, natalique neceſſitati. Non ita cùm imperia cœlo, divinæque ſorti committuntur, tum enim in ea non incurrit in terris, niſi qui priùs in cœlorum faſtis iis fuerit aſcriptus. Ita, ut è ſacris paginis unum aliquem petam, cœleſti divináque ſorte in Regem Iſrael electus eſt Saül, populóque eum (1. Reg. c. 16. v. 10.) ſumma poteſtate præfectus. Quæ ad thronum Regium, ſceptrumque via fuit, eadem deinde ad Pedum & Infulas, ſacraſque dignitates.

Teſtis erit Mathias, qui in ſortem venit, ſortéque in Apoſtolatum: primus ille Clericus fuit, ab eóque cæteri poſteris ſæculis ſuccedentes Clerici nomen & appellationem conſecuti. Hujus propoſitionis authorem habeo D. Auguſtinum: *nam & Cleros*, inquit, *& Clericos hinc appellatos puto, qui ſunt in Eccleſiaſticis gradibus ordinati, quia Mathias ſorte electus eſt, quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum. Clericus enim dicitur à κλῆρος, id eſt, à ſorte, quia ſorte in ſortem Domini aſſciſcitur.* (In Pſal. 67.) Nimirum habet illud amabilis Dei providentia, ſortes regit, flectitque ad commune bonum. Quæ autem & cujus generis illæ ſortes, inter Doctores ſua lis eſt, eáque adhuc ſub Judice.

Salmeron, Sanchez, aliique pauci, credunt fuiſſe numerum calculorum, ac ſuffragiorum, à quibus Mathias undecim Apoſtolis annumeratus, & veluti communibus calculis in eam Eccleſiæ dignitatem cooptatus. Verùm ea deligendi ratio parum conſentit cum ſorte; quæ vel ex ipſa nominis intelligentia, inditáque vi aliud ſonat. Ideóque magis conſonat cum communi tritáque ſortis appellatione S. Dionyſius, qui cenſet fuiſſe oſtentum aliquod divinum, & S. Antoninus, qui radium cœleſtem in Mathiæ caput illapſum. (In Eccl. Hierarch. cap. 5. 3. Parte tit. 6. c. 2.)

Ita plerumque ferunt cœli leges & pacta: cùm quis è pulvere ſaccóque in ſacratiores Infulas, è tenebris obſcuráque nocte in lucem ampliſſimæ dignitatis evocatur, favente Superûm aura, demitti ſolet ſignum aliquod, quod hominem prodat objiciátque caligantibus mortalium oculis. Sic ad tyaram Pontificiam evectus eſt S. Gregorius ſpecie igneæ columnæ, ceu diſertâ cœli linguâ. Sic ad eandem ſummi Pontificis majeſtatem; electus S. Fabianus oſtento niveæ columbæ quæ è Superûm arca in orbis hujus aſpectabilis eluviem emiſſa: cùm non inveniret ubi quieſceret pes ejus, in ſacratiſſimi viri caput elapſa conquievit: quod ipſum à D. Mathiæ ſorte obtigiſſe piè credit Dionyſius Carthuſianus, penes quem ſit ea fides & perſuaſio: Tutius alii ſortem illam exiſtimant fuiſſe donum aliquod prophetiæ, aut ſapientiæ divinioris cœlitus aſpiratum: quamquam nec illud alii probant, maluntque fuiſſe puram putamque ſortem, quam tamen omnipotens Dei manus dirigeret: & hi quidem fortè magis genuinè & appoſitè de illa ſorte philoſophantur. Verùm ut ut ſit, parum intereſt: ab illa certè dictus eſt Clericos, id eſt ſorte electus.

Tu quoque, qui in eam ſortem veniſti, ab ea diceris Clericus, hoc eſt electus, non hominum ſuffragiis, ſed Superùm calculis: non caſu, ſed divino conſilio è toto mortalium genere ad id dignitatis aſſumptus. Aſſumptus, inquam, etiamſi voles per miraculum, per donum altioris ſapientiæ, à qua do-

ceris ea ſapere, quæ Dei ſunt, non quæ mundi, ... amœnam & benè ominatam columbæ ſpeciem, cœleſtem dico Spiritus Sancti afflatum, à quo fortunatum omen futuræ aliquando fœlicitatis, ſi tamen in ea ſorte conſiſtas, vitámque exigas conſonam tuæ vocationi, de qua magnificè & claré Apoſtolus: Ad Coloſſ. c. 1. v. 12. *Gratias*, inquit, *agentes Deo, & Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.*

Memores & gratos animos ſpectat amátque Paulus. Et hæc prima clericalis officii ratio; alteram adnectit Eccleſiaſticus: ita enim ritè monet. Cap. 17. v. 24. 25. *Cognoſce juſtitias, & judicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis, & orationis altiſſimi Dei. In partes vade ſæculi ſancti cum vivis, & dantibus confeſſionem Deo*; Initium ducit à cognitione juſtitiarum & judiciorum Dei, quæ præſcribunt quid æquitatis ratio poſtulet: tum altiore cothurno aſſurgit, & in ſacra militia jam aſcriptum Clericum, uno etiam verbulo monet, quid deceat, quid dedeceat talia ſtipendia merentem. *Sta*, inquit.

Vox omninò militaris, quæ ſuadet in acie ſtandum & in eodem veſtigio, aut vincendum fortiter, aut glorioſè moriendum: militi enim turpis eſt fuga; nec tergum objicit, ſed frontem oſtentat generoſa turba. Quod ipſum ſuos olim docuêre Lacedæmonii qui militibus jam jam cum hoſte congreſſuris modò ſoleas, ſive calceos plumbeos inducebant, ne fortè ad capeſcendam fugam *pedibus timor adderet alas*; modò anchoras navali fune ex collo religabant, ſolóque altiùs infigebant: ut ſi fluctuaret animus, leviſque ac timidus effugii locum aſpectaret, vel à pedibus teneretur appoſita plumbi mole, vel à collo fixus ad ſacram & militarem anchoram hæreret, cadenſque pro patria, pro laribus ac ſocia generoſo ore morderet terram, gloriæque portum inter concives ſuos inveniret.

Quòd ſi in acie, profanáque palæſtra ea lex impoſita, ea ſtandi aut moriendi injecta neceſſitas, quantò magis in ſacratiore militia, cui nomen jam dedimus, ſtandum nobis erit *in ſorte propoſitionis*, propoſita, inquam, quæ audit ſors *propoſitionis*: metaphora ducta à panibus *propoſitionis* quos ita appellare placuit, quòd hebdomade tota manerent in menſa Domino propoſiti.

Sic & Clericus obſtinato animi propoſito omnem reliquæ vitæ curſum exigere debet Deo ſuo in ſancta vocatione propoſitus, nec unquam in profanas menſas, profanos, inquam, uſus inſerri.

Hoc ſi aſſequatur, ibit in *partes ſæculi ſancti*, hoc eſt in virtutes, inſignémque gratiam ſanctorum, quorum hæc præclara monita poſteritati commendanda.

Rogavit olim quidam S. Antonium, *Quid faciam ut Deo gratus efficiar?* Cui vir ſanctus tria præſcripſit: primum hoc fuit. *Deum ſemper præ oculis habe*: Alterum. *Quodcumque opus aggreſſus fueris, S. Scripturæ teſtimonio illud confirma.*

Tertium denique. *Quocumque in loco conſederis, non te citò inde moveris, ſed in eo permane: hæc tria ſerva & vives.*

Apophteg. SS Patrum. Hæc S. Antonius, cui conſonat & illa S. Ephrem ad ſuos adhortatio. *In quo vocatus es opere firma anchoras ac funes, ne in pelago navis tua paulatim impellatur, & tunc docebit te experientia, quali pace in portu conſtitutus fruerïs.* Hunc ſi oculis, ſi animo Adhort. 4. aſpectas, iterum moneo *Sta in ſorte propoſitionis*, ut ab illa vadas in *ſæculum* ſanctum, ſæculum, inquam, ſanctæ beatæque æternitatis.

§. II.

Secunda Etymologia nominis Clericus.

Sunt alii qui Clerici appellationem, & etymon aliò vocant, credúntque eò dici quòd de ſorte ſit Domini, ſortémque, id eſt hæreditatem, à Domino conſequatur. Nimirum olim ſtatuit Deus ut ſacerdotibus ac levitis nulla obveniret hæreditas, nulla bonorum poſſeſſio. Verba legis hæc erant

Dixit Dominus ad Aaron, In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos, quia ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſraël. Num. c. 18. v. 20. Deus Opt. Max. cui militat æther, cui panduntur & fluunt immenſa maria, cui ſuas opes, ſua ſpolia, frugéſque terra concedit, cui ſummo jure, ſummo in omnia dominio debetur quidquid uſquam locorum habet hic orbis aſpectabilis, (quæ ejus in puſillos indignosque mortales indulgentia fuit) tria tantùm ſibi ſervata voluit, Primitias frugum, decimas, & ſacrificia, ſive victimas quæ in ara caderent. Ea deinde in Sacerdotes ac Levitas effusâ liberalitate tranſtulit, itáque dicuntur illi adiiſſe ipſam Domini ſortem ac hæreditatem.

Hic exultant hæretici noſtri temporis, Cleróque inſultant improbè, jactantes antiquum illud, Clericos ſolis decimis contentos vivere oportere, divino jure omni hæreditate privari: ſed advertiſſe debuerant, legem illam cæremonialem eſſe; & cùm cætera ejus generis abolitam penitus, atque è ſacrarum legum ſerie expunctam: ſed invidia huic hominum generi oculos vel oppreſſit, vel clauſit; ſola lingua ad maledicendum expedita, os apertum & patens.

Sed ecce iterum immurmurant, & ad antiqua divináque jura addunt humanas leges, Cæſarúmque conſtitutiones, quibus Clerici prohibentur adire hæreditates, imò & legata pia capere. Eas Cæſarum ſanctiones ac decreta non ſine magno animi ſenſu excepit olim & legit Ambroſius, quod viderentur ordini ſacro inſignem aliquam ignominiæ notam inuſſiſſe. Hæc ſunt D. Ambroſii verba. *Soli ex omnibus Clericis jus commune clauditur, à quo ſolo pro omnibus votum commune ſuſcipitur: officium commune defertur: nulla legata, nil gravium viduarum, nulla donatio.* Cont. Symmach. Has ubi querelas gravi, ut ſemper aliàs ſolet, modeſtóque ſtylo expoluit mellifluus Doctor, tum ſubjicit dignam animo ſuo ſuáque ſententiam; qua Clericos omnes vel erigat, vel moneat. *Malo*, inquit, *nos pecunia minores eſſe, quàm gratia.* Nimirum illa huic ævo brevi ac perituro vix malè ſervit, hæc æternitati proſpicit, paratque divitias, quas non deterat, non exedat ulla temporum inclinatio, ulláque ſæculorum vetuſtas. Et hanc tamen, quæ primo loco reponi debuit, hæretici in poſtremis ponunt, illam in oculis, in amoribus, in pretio habent, ideóque illâ capti ferre non poſſunt aliquem à pecunia, à cenſibus Clericali ordini ſplendorem ac præſidium accedere. Repetunt iterum, ac ſæpiùs ingeminant detritas illas & obſoletas Judæ voces: *Ut quid perditio hæc?*

Ante bella Bohemica Comes Palatinus, cùm fortè Monachii ageret cum Duce Maximiliano, vidérétque in ſacris ædibus appenſa anathemata, lampades, & candelabra argento fuſa, immenſique ponderis ſacræ illius opulentiæ impatiens, adjecit illicò. *Ut quid perditio hæc?* Cui Bavarus, pro ſereniſſima, auguſta, id eſt, Bavarica pietate ac ſolertia, ſcitè reſpondit: *Domine cognate, iſta ſunt verba Iudæ.* Utinam ea æquis auribus exciperent hæretici noſtri temporis, non ea foret maledicendi licentia; à qua priuſquam diſcedam, ſtylum ad avita Judæ tempora revocabo.

In domum Simonis ſeſe immiſerat Magdalena, &, ut erat Domini ſui amans ac reverens, ad ejus pedes ſeſe abjecerat, multóque lacrymarum imbre eos jam laverat, imò & unguento pretioſo probè imbuerat: effuſi liquoris fragrantiam læti admittebant convivæ, probabat Servator optimus, ipſæ auræ, & vicinus aer eâ demulceri capíque videbatur:

at eâ

ut eâ non demulcetur, non capitur unus Judas, cujus anima in marſupium abjecta, tota auro nummiſque incumbebat. Hinc importunæ illæ voces, & iniquæ querimoniæ. *Vt quid perditio hæc? Poterat enim unguentum iſtud venundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus.*

Hæc olim jactavit impius Judas fucatâ & adulterinâ pietatis ſpecie; nec enim unguenti pretium effundi in pauperes voluit, ſed ſuo marſupio & inſanæ libidini avaritiæque mancipari. Ita penitus hæretici noſtri temporis, ubi ſentiunt piorum munificentiâ aliquid æris, aliquid unguenti pretioſi effundi in Chriſti pedes, pedes evangelizantium pacem, tum verò nauſeabundi atque indignabundi apud ſemetipſos infremunt & in reluctantes auras ex ipſis inferis evocant illas Judæ voces. *Vt quid perditio hæc?* Poterant ea Chriſtianæ beneficentiæ fluenta in egenos derivari, poterant ea Chriſti pedes, pauperes, inquam, eluere, & è miſeris indigentiæ ſordibus eripere: ita miniſtelli hæretici, non tam in egenos benevoli, quàm in Clerum & Romanam Eccleſiam quàm peſſimè affecti, mallent illam in ſqualore, & ſitu paupere jacere, quàm aureis Regum Cæſarúmque gazis attolli & nitere: & hoc ut dixi, non virtutis ſtudio, ſed odio religionis.

Ad quod etiam ſpectant calumniæ Petri Molinæi Miniſtri Sedanenſis, qui pro inveterata ſua in maledicendo licentia, jactat & Pontificem & Romanum Clerum à prima ſua inſtitutione deſeciſſe, nec ampliùs uſurpare poſſe illud Petri. *Aurum & argentum non eſt mihi.* Imò & ſubjicit illud petulanti lingua, Pontificem ſummum poſthabitâ litterâ Dominicali, *numerum aureum ſectari*, inſimulans avaritiæ & immenſæ cupiditatis.

Verùm meminiſſe debuerat illius, quod olim naſcens Eccleſia vidit, ſuſpexit, amavit, cùm primi Chriſtiani ad pedes Apoſtolorum abjecti ſuorum prædiorum pretia, & proventus omnes effunderent, adeò ut Ananiæ & Saphiræ ſubito interitu ſteterit eorum tantùm partem obtuliſſe, reliquam mendaci linguâ ſuppreſſiſſe.

De avita illa pietate ita Chryſoſtomus: *Magnus* (Hom. 11 in Act.) (inquit) *honor, quandoquidem non in manus, ſed ad pedes Apoſtolorum ponebant.*

Cujus honoris demiſſioniſque rationem alio loco hanc reddit. *Non ad manum ipſorum ponebant, ſed ad pedes, declarando fidem & pietatem & reverentiam* (Hom. 27. in Ep. ad Cor.) *quam habebant Apoſtolis; & quod majoris ducebant quod ab eis reciperentur, quam quod ab eis darentur dona.* Hæc S. Doctor ex totius Antiquitatis ſenſu, primóque naſcentis Eccleſiæ ſpiritu, cujus meminiſſe debuerat Molinæus, ut & antiqui illius Oraculi de Eccleſia Cleróque nobili. *Erunt Reges nutritii tui, &* (Iſai. c. 49. v. 23.) *Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.*

Denique meminiſſe debuerat & alterius ejuſdem Prophetæ vaticinii. *Ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem & generationem, & ſuges lac* (Iſai. 60 v. 16) *gentium, & mamilla Regum lactaberis*: quæ verba ad ipſam Romanæ Eccleſiæ majeſtatem referri volunt Sancti Patres. Et verò inſigni ſua munificentia jam inde à primis ſæculis retulerunt, probaruntque pii Cæſares Regéſque. Tua appello tempora, tuos annos, Auguſte Cæſar, Cæſarúmque maxime, Conſtantine. Vix enim è ſacro ſonte elutus abieras, cùm in uberes & inexhauſtos beneficentiæ fontes erupiſti; fontem illum, qui corporis animæque ſaluti fuerat, ornaſti, ditaſti, beaſti.

E Porphyretico lapide ingens vas fuit, quod in- (Baron. anno Christi 324.) trinſecus argento puriſſimo veſtiebatur eo luxu ac pondere, quod libras argenti caperet tria millia & octo.

In fontis medio aſſurgebat columna Porphyretica, quæ phialam ſuſtinebat ex auro puriſſimo librarum omninò quinquaginta: in ea illucebat lampas balſamo gravida, & plena, quæ ſacrum alebat ignem.

In fontis labro viſebatur agnus aquam è vaſe excipiens & effundens, iſque ſolido auro librarum triginta. Ad agni dexteram conſpicuus erat Servator noſter è puro argento librarum ſeptuaginta ſupra centum. Ad agni lævam eminebat Sanctus Joannes Baptiſta, & ipſe ex argento factus, pondo librarum centum; hinc & inde latera ſtipabant, lympháſque ubere cornu fundebant cervi ſeptem argento fuſi, ſinguli octingentis libris graves: quibus accedebat thymiamaterium ex auro ſolido, pondere librarum decem, cui lucem & ſplendorem addebant gemmæ majores ſupra quadraginta, omnes ex ultimo Oriente, & divite gaza petitæ.

Hæc tua fuit munificentia, hæc auguſta pietas & religio, magne Cæſar, quæ te Cœlis amabilem, terris illuſtrem fecêre: cujus æmuli orbe toto fuêre viri Principes, Orbis lumina, Reges potentiſſimi.

Habes in Gallia Carolos, Dagobertos. In Hiſpania Alfonſos, Ramiros, Petros, è quibus hic Aragoniæ Regnum Romano Pontifici vectigale fecit. Habes in Hungaria Stephanos, Ladiſlaos, Ludovicos, quorum adeò effuſa liberalitas fuit, ut tertia Hungariæ pars Eccleſiæ, Cleróque ceſſerit. Mitto alios, Italiæ, Germaniæ, Poloniæ, Bohemiæ, Daniæ, Norwegiæ ſuſos Principes.

Verùm ut alios omittam, vos tamen præterire nec debeo, nec poſſum, Catholicæ quondam Angliæ, decora, Reges inclyti: Téque in primis Inna, quem in purpura, ſceptroque magnum ſuſpexit Anglia; majorem, poſito diademate, in vili lucerna, & religioſo pulvere. Tu ad cætera regiæ munificentiæ pietatiſque decora, hoc quoque adjeciſti, ut non ipſe tantùm Romano Pontifici, Cleróque tributum penderes, ſed & Anglia tota D. Petro annuè (Baron. anno Christ. 740.) etiam per domos ſingulas vectigal, & denarium, piæ ſervitutis pretium, exſolveret. Tenuit ea tributi ratio ad annum uſque milleſimum quingenteſimum trigeſimum tertium, quo Henricus Octavus, & eam extinxit, & ſuave Eccleſiæ Matris jugum excuſſit, unáque ingentem & religionis & ſacrarum ædium ruinam traxit, adeò ut uno anno dicantur ad decem templorum & Cœnobiorum millia everſa, ſolóque æquata. Ita quod multis ſæculis extulit Romana religio pietáſque, hæreſis effera uno anno dumtaxat diruit, abſumpſit, diſſipavit. Hæc nimirum ſunt hæreticæ pravitatis trophæa, hæc ſpolia, hæ ſtrages, quas amat & facit avara miniſtrorum manus, & calumniis devota lingua, quæ ad Cleri opes ac majeſtatem iterum ac ſæpiùs ingeminat illud: *Vt quid perditio hæc?*

Verùm ut videat non perdi, non perperàm abjici, non malè proſtitui, quæ iis conceduntur qui altari ſerviunt, producam etiam è profanis ſeu teſtimonia, ſeu exempla, quæ probent publicis ſtipendiis, annuo cenſu foveri, & ornari debere eos omnes, qui ut Deo diviſque vacent, aliis ſibi interdicunt.

Certè etiam apud Æthnicos jura civilia permittebant hæredes inſtitui Deos ipſos fictitios, Jovem, Herculem, Martem, alióſque ſexcentos, modò vel (Ulpian. libello titulorum tit. 22.) Senatuſconſulto, vel Principum conſtitutionibus Dii fuiſſent approbati: quæ gentium munificentia à Diis ipſis ad eorum quoque Myſtas eſt derivata.

Unum accipe è profanis, ex eóque diſce quis nationum etiam barbararum ſenſus. Dajiri Japonum Imperator Bonziis ſuis tredecim valles addixit, longo tractu diffuſas, ipſo ſitu amœniſſimas, & terræ, cœlíque genio fœcundas atque amabiles. Quibus addidit in reditus annuos ducenta aureorum millia, inſuper & oppida duo, quorum incolæ teneantur diebus ſingulis Bonziis deferre cibos omnes etiam coctos, & probè conditos.

In iis vallibus ſumptu publico erecta idolorum

ſana ad tria millia, octingenta, totidémque Bonſiorum cœnobia. Et ne putes ejuſmodi ſana ſitu & ſqualore horrida, qualia volunt hæretici: in templo, & ara principe viſitur idolum prægrande, lamina tectum aurea: habet illud tria capita, brachia verò quadraginta, totidémque manus. Hoc idolum ambiunt mille quingenti coloſſi, in quibus eminent tot idolorum ſtatuæ, hominis forma & magnitudine omnes aurea lamina tectæ, & gemmis illuſtres. Hæc ſunt Ethnicæ munificentiæ prodigia, hæc in muta ſimulacra, ipſóſque Cacodæmones veneratio, quam ideò huic meo operi inſerere volui, ut videant hæretici non eſſe alienum à natura, ratione, ſenſúque communi omnium nationum, ut hominibus Deo ſacris obveniant opulentæ hæreditates.

Et quia huic errori ſuo præſidium petierunt à Cæſareis conſtitutionibus ac decretis, non poſſum quin eiſdem verbulo faciam ſatis. Ut concedamus illud ad retundendam inſolentem quorundam Clericorum avaritiem, atque famem, Imperatores olim prohibuiſſe, ne vel pia legata admitterent, vel hæreditates aſſequerentur: ut, inquam, concedamus illud; ut etiam fateantur hæretici neceſſum eſt, pios deinde Cæſares ea decreta revocaſſe, ne aut in ſacrum ordinem injurii, aut in Superos minùs pii viderentur. Legi poteſt ſuper ea re Epo Boëtius I. V. Doctor, & in celeberrima Duacenſi Academia quondam Profeſſor, libro ſecundo heroicarum quæſtionum.

L. Privilegia c. de Sacroſanctis Eccleſiis. Legi poteſt & commendari pronuntiatum illud Juſtiniani: *In Eccleſiis dotandis optimam eſſe menſuram donatarum rerum immenſitatem.*

Eſt tamen unum, alterúmve, quod Clericorum nomini animóque memori inſcribi velim.

Primùm, ut longiùs abſint à nimia rerum caducarum appetentia. Ut enim Theodoſius in novella *Novella 41.* titè pronuntiat: *Decet eum qui Sacroſanctis deſiderat inhærere myſteriis, fide magis divitem, quàm facultatibus adprobari.* Alterum, ut ſi rerum potiantur, divitéſque numerent cenſus, meminerint ſe eorum non tam Dominos, quàm œconomos ac diſpenſatores adhiberi. Eum ſe credidit Auguſtinus, qui in hoc argumento mihi erit inſtar omnium: etſi enim Epiſcopus eſſet nobiliſſimæ civitatis, divitiáſque haberet propè invidendas, eas tamen non tam ſuas, quàm Christi & pauperum eſſe ducebat.

Aug. Tract. 6. in Ioan. *Noſtis*, inquit, *fratres mei, quia villa iſta non ſunt Auguſtini; & ſi vos non noſtis, & putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, Deus novit, ipſe ſcit, quid ego de villis ſentiam, vel quid ibi ſufferam.*

Hæc D. Auguſtinus, à quo diſces illud: non affici, non affigi terris, villis, poſſeſſionibus: tum etiam alterum ex ejus calamo hauries: ſi tibi ex illis fuerint ſuperflua; ea in Christi pedes, pauperes inquam, abjici, effundique oportere. Itat in primis monet exemplo Magdalenæ: *Unge pedes IESV bene* *Aug. Tract. 50. in Ioan.* *vivendo: Dominica ſectare veſtigia: capillis terge: ſi habes ſuperflua, da pauperibus, & Domini pedes terſiſti. Capilli enim ſuperflua corporis videntur. Habes quod agas de ſuperfluis tuis. Tibi ſuperflua ſunt, ſed Domini pedibus neceſſaria. Fortè in terra Domini pedes indigent.*

§. III.

Tertia etymologia nominis Clericus.

Pſal. 15. v. 5. 6. Pio quodam exceſſu mentis ac lætitiæ victus Propheta exclamat: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.*

Ex humili rure, pauperéque tecto in Solymæ Regiam divitéſque gazas evectus erat David; non humana ſorte, ſed divino conſilio, & amabili providentia: de qua tamen non gaudet, non exultat, non ſibi, ſuiſque gratulatur; ſed de hoc uno vel maximè, quod Dominus eſſet pars hæreditatis ſuæ, portio calicis, præclari funes, à quibus immenſa hæreditas; non ea quæ mortalibus obvenire ſolet, quæ eſt exigui ruris, anguſtique ſoli; non etiam ea quæ Geniis immortalibus, quæ eſt effuſa Cœli vaſtitas, ſuperum Regia, ſedes beatorum: hæc enim omnia ut puſillo homini magna videri poſſunt, ei certè magna videri non poſſunt, cui nota ſit & perſpecta Dei magnitudo, quæ quia Davidi in oculis, in animo erat, de ea una miris inceſſit gaudiis, & in memores aures emiſit illud. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei:* meritò dixit *calicis mei*: tum ut innueret ſibi à Domino abundè provideri de cibo, potúque, déque vitæ neceſſariis; tum ut alluderet ad antiquum morem, quo portiones hæreditatis in calicem mitti, & ex eo ſorte extrahi ſolebant: quo ſpectant illa verba filii prodigi ad Parentem: *Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit*; *Luc. c. 15. v. 12.* tum denique ut tacitus inſinuaret æſtum illum divini amoris, à quo vocatus erat in eam Domini ſortem, ac hæreditatem.

Hujus porrò ſupernæ beneficentiæ ſymbolum eſt calix, qui Caſſiodoro interprete dicitur à calore, quòd eo veteres calidam biberent: fuit ille calix omninò calidus, non muſto, non mero æſtuante; ſed calore, ſed luce, ſed igne divinæ munificentiæ, à qua venit David in Domini hæreditatem, in partem beati calicis, & funes extendit in præclaris; vel ut Hieronymus vertit *in pulcherrimis*; ut Aquila, *in venuſtis*; ut Chaldæus, *in dulcedine*; ut alii, *in optimis*: antiquo rurſum more, quo hæreditas, omniaque terræ portio fune deſcribebatur, iſque fortunatus dicebatur, cui funes cecidiſſent in præclaris, cui amœna, fertilis, ſalubria regio obveniſſet.

Atque hæc ad Davidem & priſca ſæcula ſpectare videntur: quod ſubjungam noſtræ ætatis eſt, Ordinis noſtri; cujus nomini appendi poteſt hæc epigraphe:

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: quod facit ad laudem, ad dignitatem, ad majeſtatem Clericalis ordinis, cui non terra, non maria, non æther, non cœli ſpatia ſunt hæreditas; ſed Dominus.

Quærant alii, ſibique metiantur in terris ampliſſimas poſſeſſiones, ſcribant nomina ſua in terris ſuis, hic ſe dicat Dominum à monte, ille à valle ſibi nomen famámque faciat, alius à Palude ſignari ſe velit: Clerico hoc unum pro nomine, pro hæreditate, pro titulo honoris inſcribitur. *Frater Paulus Carraja in mor. Theo.*

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Excurrant alii in regiones exteras, trajiciant immenſa maria, novos venentur orbes: Clerico plus ſatis unum illud. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.*

Religioſus olim è Dominicana familia Virginis Matris amantior in fronte operis ſui palmam ſculpi & erigi voluit, cui media inſideret Deipara: ſubjecta epigraphe:

Ipſa mihi ſatis, ſi mihi ſatis.

Quod ille Virgini, quod Matri indulgens appinxit amor, hoc Clerico veritas adjiciet mutatâ dumtaxat voculâ.

Ipſe mihi ſatis, ſi mihi ſatis.

Vadem habeo ex eadem religioſa D. Dominici familia Doctorem Angelicum, S. Thomam Aquinatem, quem omnes ſcholæ Theologorum loquuntur & pulpita: Scripſerat ille juſſu Pontificis ſummi, cujus arbitrio legéque vivebat; ſcripſerat, inquam, opuſculum pium de venerabili Sacramento; cúmque accuratè elucubraſſet, legendum expoſuit, probandúmque, non hominum calculis, aut ſententiis, ſed certiore divinæ ſapientiæ oraculo, ac ſuffragio Deihominis, Christi Jesu, à quo has è cruce voces excepit.

Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam mercedem à me petis.

Liberæ voces, opulentæ, aureæ, divinæ: ad quas in puriore Christi ſchola, altioréque lycæo creatus Doctor.

Non

Non aliam Domin[illegible], quàm ſeipſum.

Doctæ, piæ, magnificæ voces, dignæ cedro, dignæ quæ Clericorum omnium animis imprimantur. Legerat nimirum Angelicus Doctor, ſenſeratque quid ſibi eſſet nominis, & quæ vis in una Clerici vocula, à qua ſors Deus, & hæreditas de qua ex vero jactare potea illud.

Ipſa mihi ſatu, ſi mihi ſatu.

CAPUT II.

De Tonſura Clericali.

PAuca dixi de nomine Clerici: Ad rem ipſam venio, mihique propono quæ Clericum faciant. Ea duo eſſe perhibentur. Tonſura, & Corona.

§. I.

Unde Tonſura Clericalis originem ſumpſerit?

FUerunt apud Hebræos plures hominum ordines divino obſequio ſingulari quadam ratione mancipati.

Primus eorum fuit, qui toti in tabernaculi aut templi miniſteria incumbebant; ii cenſebantur Sacerdotes ac Levitæ.

Alter eos habuit, qui in ſacrarum Scripturarum cuſtodiam & interpretationem erant deputati: ii fuerunt Phariſæi, Scribæ, Legiſperiti, quorum cura, primúsque labor is fuit, ut populo divina Scripturarum oracula prælegerent, ortóſque ex iis difficultatum nodos evolverent.

Tertius eos recenſuit, qui è vulgo ſelecti, in purioris vitæ & altioris ſanctitatis exemplum videbantur evocati. Cujus generis fuêre, Rechabitæ, Eſſeni, & Nazaræi. Ut alios in præſentia omittam, quia nihil faciunt ad inſtitutum noſtrum, de Nazaræis ac Levitis nonnulla delibabo.

Fuerunt illi inter Judæos facilè principes tum ex nomine, tum ex ipſa inſtituti ratione, tum ex authore ac parente ſui ordinis, qui non alius à Deo fuit.

Dicti porrò Nazaræi, hoc eſt ſeparati, conſecrati, coronati, à verbo *Nazar*, quod ſeparare, conſecrare, coronare ſignificat. Votum eorum antonomaſticè dictum eſt *magnum*, quia, ut inquit Philo, *Nazaræus ſeipſum dedicat: ideò magnum hoc votum appellatur; nihil enim quiſquam poſſidet ſeipſo pretioſius, qua poſſeſſione tunc ceditur.* De Sacrif.

Leges illis impoſitæ etiam variæ. Prima fuit de non bibendo vino: quia vinum fel Draconum, & venenum *aſpidum inſanabile*: quia, ut ait Ambroſius, *multi reliquorum ſerpentum veneno curantur, nemo ebrietate.* Altera fuit de non tangendo mortuo, ut dum ab omni funerea contagione juberentur abſtinere, etiam à peccato, cui mors imminet, longiùs irent. Deuter. 32. v. 33. Ambroſ. l. de Helia c. 14.

Tertia fuit lex de cæſarie nutrienda: ea cœlo judice lata in hunc modum. *Omni tempore ſeparationis ſuæ novacula non tranſibit per caput ejus, uſque ad completum diem quo Domino conſecratur.* Hactenus expreſſa verba legis, ex qua conficies illud: Nazaræos olim primùm comam aluiſſe, & effuſam in humeros cæſariem, deinde poſt longam & inſignem vitæ continentiam capillos poſuiſſe, eóſque ſacrationibus flammis in ſacrificium tradidiſſe: & is ritus fuit declaratio quædam ſanctiſſimo Numini facta, & veluti pignus ſanctificationis. Ritus ſanè illuſtris, & divina lege compoſitus, atque deſcriptus; in quo ſine dubio fuerunt adumbrata, quæ deinde in Eccleſia Dei vivos colores, & plenam lucem ſunt conſecuta: ſic enim poſteris ſæculis deinde ſancitum eſt, ut ſicuti Nazaræi capillos reſcindere atque adolere jubebebantur, *ut perfectionem devotionis ſuæ Domino conſecrarent*: ita & Clerici, jam inde ab Apoſtolis, Eccleſiæ principibus, juſſi ſunt comas deponere, ut vel ex eo ſe intelligerent in omni vita Deo conſecratos, & novi generis Nazaræos: hoc eſt, ſeparatos, conſecratos, coronatos: ſeparatos quidem à vulgo, & communi vivendi ratione, ſeparatos à mundo, Deóque uni conſecratos, & hoc quidem voto maximo: ut enim Origenes: *Hoc eſt votum Nazaræi, hoc eſt votum Clerici, quod eſt ſuper omne votum: nam filium offerre, vel filiam, aut pecus, aut prædium, hoc totum extra nos eſt. Semetipſum Deo offerre, & non alieno labore, ſed proprio placere, hoc eſt perfectius & eminentius omnibus votis, quod facit imitator Chriſti. Ille enim dedit hominibus terram, mare, & omnia quæ in iis ſunt. Sed poſt hæc omnia, ſemetipſum dedit.* Idem quà poteſt audet & molitur Nazaræus, molitur & Clericus: ſeipſum Deo devovet, eóque vetus Nazaræus, ſeparatus, conſecratus, coronatus audit; ſic enim ſeparari, & conſecrari ſumma laus & corona gloriæ. Sed ad aliam hujus inſtituti originem tranſeo; neque enim de illa conſentit inter authores. Num. c. 6. v. 5. Hom. 24. in Num.

In re antiqua, & dubia ſuus cuique ſenſus, ſuum eſto judicium, modò à religione & pietate non aberret. Sapit enim hic, quiſquis piè ſapit.

Ita ſapere ſe autumant qui hanc naſcentis Eccleſiæ cæremoniam revocant ad ritum conſecrationis Levitarum, quem his verbis exprimit Scriptura. *Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ*: quod ad mores traducit S. Gregorius gravi ut ſolet eloquentia: *Pili carnis*, inquit, *ſunt quælibet ſuperflua humanæ corruptionis. Oportet ergo Levitas pilos carnis radere, quia is qui in obſequiis divinis aſſumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Unde & Levitarum pilos radi præcepti ſunt, non evelli: raſis enim pilis in carne radices remanent, & creſcunt iterum, ut recidantur: quia magno quidem ſtudio ſuperflua cogitationes amputandæ ſunt, ſed tamen funditus amputari non poſſunt; ſemper enim caro ſuperflua generat, quæ ſemper ſpiritus ferro ſollicitudinis recidat.* Hactenus D. Gregorius, cujus rationis momentum infrà fuſiùs expendemus: interim quid ſentiant alii, paucis audiamus: ſunt enim qui hunc ritum ſpectaſſe credunt ad morem Prophetarum; quos ut plurimùm ad purioris animi indicium, & magnarum rerum ſignificationes raſis capitibus fuiſſe Scriptura meminit. Ita quondam Ezechiel cùm à cœlo vocaretur ad fundenda genti ſuæ oracula, & Dei voces per ampliſſima regna ſpargendas, hæc à ſuperis audiit. *Et tu fili hominis ſume tibi gladium acutum radentem pilos, & aſſumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam.* Jubetur gladium acutum, ſive novaculam per caput & barbam ducere, id eſt barbam capillóſque radere. Num. 8. v. 7. Junius Clement. de Conſ. 1. 2. Ezech. c. 5. v. 1.

Ita deinde Zacharias è minoribus Prophetis unus, longa poſt ſæcula, obſcuro ſolo erutus, & luci redditus; inventus eſt raſo capite, colore vivido, nihil omninò læſus à præteritorum annorum vetuſtate, ſepulchríque injuriis. Sozom. l. 9. c. ultimo.

Ita denique Eliſæus, Eliæ magni diſcipulus, ſpirituum hæres, Erebi domitor, & tot prodigiorum ſtupendus artifex, & ipſe raſo capite fuit: quod ipſum indicarunt petulantes illæ puerorum voces: *Aſcende calve, aſcende calve.* Ea porrò calvities in eo naturæ vitium arguit; ſed Prophetæ morem oſtendit: in quem convitio dum incurrit inſolentior grex puerorum, maledictionis fulmine percuſſus, etiam in Urſi dentes incurrit. *Egreſſi enim ſunt duo Urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos.* 4. Reg. c. 2. v. 23. 4. Reg. c. 2. v. 24.

Ab hoc Prophetarum more, ritúque ſacratiore, nonnulli volunt deductam Tonſuram Clericalem: quæ ſententia ſi vero proxima eſt, plurimum conducit ad hujus ordinis dignitatem ac ſanctitatem: arguit enim Clericos cœlo propitio, auráque ſuperûm benigniore electos eſſe, ut aliquando Prophe-

tarum more genióque divina edicant oracula, ſpargántque in vulgus omne Dei ſui voces; quo quid illuſtrius, quid ſanctius conferri poſſit non video.

Alii tamen aliò conſilia flectunt. putantque Tonſuram capitis emanaſſe ex inſigni injuria illata quondam D. Petro Apoſtolorum Principi. Cùm ille Antiochiæ diceret ad frequentem populum, inſana plebecula in contumeliam Chriſtiani nominis ei capitis verticem abraſit: quæ injuria ei ad decus verſa eſt æviternum: primùm enim ipſe eam turpitudinis notam omni diademate potiorem ratus, in omni reliqua vita ſimilem capitis & crinium habitum retinendum eſſe cenſuit. tum etiam in legem abiit, ut Clericus omnis ſibi verticem raderet, & cum ſuo capite conſentiret. Ita quod D. Petro dedecori & ignominiæ fuiſſe videbatur, ſuavi Dei providentia honori, ſummæque gloriæ ceſſit. Ejus inſigne, notamque vertici impreſſam dum geſtat Clericus, meminerit etiam Chriſti opprobrium in capite, in animo, in amoribus geſtare, in eóque prima naſcentis Eccleſiæ lumina, authores Fidei, progenitores religionis imitari. Et hæc dicta velim de ipſa inſtitutione, à qua ad illius rationes delabor.

Beda in Hiſtor. Angl.

German in Theor. rer. Eccl.

§. II.

Rationes, ob quas Clericis imponitur Tonſura.

IAm inde à temporibus Apoſtolorum invaluit ille ritus, ut Clericis attonderetur coma. & hoc quidem ſine ulla ſcripta lege, ſolo uſu, & conſuetudine. Cùm enim Apoſtoli legatione pro Chriſto fungerentur, & aperti cœli præconium facerent, Chriſtiani omnes in eorum exemplo, & traditione conquieſcebant: Nimirum erat illis mens alia, genius alius, quàm ſitis, qui hæreticos noſtri temporis in tranſverſum agit: hi enim litteræ malè inhærent; & Scripturæ typos amant, mutóſque characteres: illis Apoſtolorum vita & exemplum viva lex erat; majorúmque traditio fidem faciebat, ad quam tamen etiam aliquando acceſſere ſummorum Pontificum ac Conciliorum decreta, ne quod de mente Eccleſiæ dubium ſuboriri poſſet. Videri poteſt de hoc argumento Concilium Carthaginenſe IV. canone 34. Agathenſe c. 20. Aquiſgranenſe c. 1. Lateranenſe ſub INNOCENTIO II. c. 18. Denique Tridentinum ſeſſione 23 de reformatione c. 6. quibus addi poteſt SS. Patrum authoritas, vitæ morúmque regula, & teſtis venerandæ antiquitatis: D. inprimis Dionyſii quem pubeſcens Eccleſia vidit & amavit. D. Chryſoſtomi quem adoleſcens Eccleſia genuit & luci dedit: aliorúmque Patrum luculenta ſuper ea re teſtimonia proferri poſſunt: ſed ea mihi omittenda putavi; neque enim hic ſeveram diſputationem inſtituo, ſed potiùs apis matinæ more modóque ex illis Sanctorum Patrum arcolis, floſculos lego, quibus Clerico ſuaveolentem virtutum coronam parem & contexam: quod ut molliùs faciam, hujus inſtitutionis rationes inquiro.

De Eccleſ. Hier. p. 2. c. 3.

In c. ad Cor. n. 2.

PRIMA RATIO.

DIxit olim ex antiquis nonnemo, comas laxiores ventorum & auræ temporis ludum eſſe, imò ludibrium: ego verò mollitiei, levitatis, ac vanitatis argumentum eſſe pronuntiabo: adeò enim in illis ludit, ſibique illudit leviuſculos adoleſcentum animus; quibus indici poteſt ea lis, quæ olim Cœlo teſte Jove arbitro & judice, capræ barbaiæ ab hirco mota dicitur. Ita habet non inelegans apologus, de quo Poëta:

Barbam capellæ cum impetraſſent à Iove,
Hirci mœrentes indignari cœperunt,
Quod dignitatem fœminæ æquaſſent ſuam.
Quibus è ſolio Jupiter.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et uſurpare veſtri ornatum muneris,
Pares dum non ſint veſtræ fortitudini.

Hæc vatis ore calamóque reſpondit Jupiter, litémque diremit: at non æquè dirimi poteſt ea lis, quæ adoleſcentibus, imò, quod mireris ac lugeas, nonnullis Clericorum intentari poteſt: quod comptos habeant capillos & madentes, de quibus ad ſpeculum diſputant, certántque etiam ad horas, non ſine nota ſui ordinis, cui nihil molle, nihil quod fœminam olet conceditur; ſed virile, ſtrictúmque robur relinquitur.

Fœminis certè gloriæ ducitur, ſi comam nutriant. Hoc enim eis integumentum, & divinum veluti peplum natura dedit, ut præcipuam muliebris mundi dotem, adeò propriam, ut vix mulier naturaliter calva fieri poſſit, ut docet Hippocrates, & tota medicorum ſchola. Viris autem iſtam mollitiem, capillorúmque luxum eadem parens natura negavit, nec concedet unquam, niſi quædam à depravatis animi affectionibus, virilis animi fiat inclinatio: qualis ea fuit, quæ Lydiæ populis olim incubuit. His erat effuſa cæſaries, & comæ molliores, quas Perſarum Rex reſcindi cùm juſſiſſet, aut tributo redimi; admiſerunt tributum, & ingenti ære ſpolia capitis redemerunt: quod inſignis ſtultitiæ ac vanitatis fuit. Ut ab ea quàm longiſſimè abſint Clerici, jubentur comam reſcindere, capillorum luxuriem abjicere, & cum ea quidquid in animo mollitiei aut vanitatis ineſſe poteſt: ut iis apprimè conveniat effatum illud magnæ mentis. *Regnum mundi, & omnem ornatum ſæculi, contempſi propter amorem Domini mei IESU Chriſti, quem vidi, quem amavi, quem credidi, quem dilexi.*

Plin. l. 2. c. 37.

SECUNDA RATIO.

PRimæ rationi conſona eſt & altera, quam ſubjicio. Tonſura tacitè monet Clericum ſuperflua terrenaque reſecare, quorum ſymbolum ſunt capilli: ſunt enim ſuperflua naturæ, imò illius excrementa. Ut in mundo magno & ſublunari duplex eſt halituum copia; quidam humidi & calidi, qui ſolis æſtu è locis humentibus excitati, in rorem, in pluviam ſolvuntur; dicunturque Philoſophis vapores: alii ſicci & calidi, quos eadem vis è terræ elemento ad ignitarum impreſſionum materiam eduxit; vocanturque exhalationes. Ita & in homine, qui parvus mundus eſt, quidam ſunt halitus humidi, opportuni ad conciliandum ſomnum, aliáque naturæ munia: quidam ſicci, qui in pilos, ungues, & cornua accreſcunt, oriunturque ex fuliginoſa & terrea quadam exhalatione, quæ cutis ſpiramentis impacta addenſatur in minuta corpuſcula, quos capillos vulgò dicimus. Ea quo etiam conficies eò uberiores fore capillos, quò major fuerit illorum halituum & excrementi copia.

Quod corpori, hoc & animo: ſua illi excrementa ſunt, ſua vitia, ſuæ affectiones pravæ, quas unà cum capillis deponere jubetur Clericus: cui ne ſola à me ſit fides, ab Auguſtino pondus momentúmque faciat. Ita loquitur libro de contemptu ſæculi.

Caput radere, ſignificat cogitationes terrenas & ſuperfluas à mente reſecare: quia ſicut capilli non ſunt pars corporis, ſed quædam ſuperfluitas procedens à corporis humore: ſic bona temporalia non ſunt nobis naturalia, ſed aliena & ſuperflua. Unde Sacerdotes minimam partem capillorum in capite retinent, ut per eorum abraſionem ſe minimam terrenorum ſollicitudinem agere deſignent.

Sed & alia capillis ſignificatio, eáque myſtica, quam paucis indicat Ambroſius in illud Magdalenæ, quæ Domini ſui pedes lacrymis lavit, capillis terſit: *Bona*, inquit, *lacryma, quæ non ſolùm noſtrum poſſunt lavare delictum, ſed etiam verbi cœleſtis rigare veſtigium. Bona lacrymæ, in quibus non ſolùm redemptio peccatorum, ſed etiam refectio eſt juſtorum.* Hæc ubi lacrymis illius

Matth. c. 26.

L. 6. Luc. c. 7.

illius dedit, tum pœnitentis animæ capillos explicat, docetque qua ratione Domini pedes extergant. *Expande*, inquit, *capillos, ſterne ante eum omnes tui corporis dignitates*, quarum nimirum capilli ſymbolum eſſe dicuntur. Certè negari non poteſt illud longa multarum nationum conſuetudine firmatum, cùm aliquis ex Regibus, auguſtáque ſtirpe in plebeium ordinem redigeretur, aut cuipiam è domo regia regni adeundi ſpes adimeretur, ſtatuta die tondebatur, erátque vulgare & notum abdicationis ſignum, ſive illud voluntate propria ſuſcepiſſet, ſive alieno imperio adactus admiſiſſet.

Ibid.

Eò pertinet illud Chlotarii, qui captis dolo Clodomeris filiis, ad Clotildem matrem Arcadium miſit, qui una manu forficem, altera nudum enſem præferret, facerétque optionem, ut quod vellet illa filiolis ſuis eligeret. Stupuit illa, hæſitque parumper anceps quid cui præferret: pateretúrne infami forfice regiam cæſariem exſcindi, unáque ſpem omnem ampliſſimi dominatus; an ferrum in cariſſima pignora, innoxiáſque cervices immitteret. Ubi datum aliquid ſtupori, dolori, lacrymis, derepentè ſtrictum enſem prehendit, forfices abjecit, mortémque filiorum longè amantiſſimorum tonſuræ prætulit. Ita caput injuſto impióque ferro dedêre teneræ animulæ, ſpes regni, matris amor ac deliciæ, in primo ætatulæ flore; erat enim ſeptennis unus, decennis alter: ſed illud inſanæ ambitioni ac crudelitati datum eſt; hoc pietati ac religioni.

S. Greg. l. 3. c. 18. de geſtis Francorum.

Bulgarorum Rex cùm recèns Eccleſiæ Catholicæ adjunctus eſſet, ut aliquo indicio ſuam erga ſedem Apoſtolicam ſubmiſſionem ac devotionem teſtaretur, reſectum propria manu crinem legatis Apoſtolicis tradidit in datæ Fidei teſſeram, & ſignum ſervitutis: adjecítque hæc verba digna cedro.

Anaſtaſius bibl. in commonit. in præf. ad ſynodum.

Omnes Primates, & cuncti populi Bulgarorum terræ, cognoſcant ab hodierno die me ſervum fore poſt Deum Beati Petri, & ejus Vicarii: hoc eſt ſucceſſorum ejus. Hæ fuerunt regiæ voces, teſtes magnæ mentis, quæ ſeſe quodammodo purpura, & corona exuit, ut fidem indueret, & inſignem erga Chriſti Vicarium pietatem proderet.

Et hoc ipſum Clerici teſtatum volunt, ubi crinem ſecant, capillúmque abjiciunt: ſeſe libera & expedita mente ita devovent ſanctæ Sedi, ita illius ſervituti mancipant, ut omninò paratos ſe oſtendant, & regna, & imperia, & primas Orbis dignitates ponere, imò ſpem omnem ea aliquando recuperandi unà cum capillitio reſecare: quod ſine dubio ardui eſt animi, & humana omnia infra ſe deſpicientis.

Vidit olim Gallia, & luxit Chararicum cum adoleſcente filio, Clodovæi juſſu attonſum, & illum quidem Presbyterum, hunc diaconum conſecratum; ſed & illius iras excepit, & hujus voces audiit: ita enim de illata vi querenti Patri, reſpondit filius: *In viridi ligno hæ frondes ſucciſſæ ſunt, nec omninò areſcunt, ſed velociter emergent, ut creſcere queant. Utinam qui hæc fecit, tam velociter intereat.* Liberæ voces, quæ & illi & Parenti vita ac ſanguine ſtetêre: indices tamen non ſponte ſuſceptæ, ſed per vim ac injuriam impoſitæ ſervitutis.

Non is Clerico eſt animus, non ea vox: ultrò ſeſe abdicat mundi regno, ut altius, auguſtius, divinius Chriſti regnum inveniat: libertate ſæculi ſe privat, ut Chriſti jugum ac ſervitutem admittat; ſervitutem dico omni libertate potiorem: ut enim diſertè Ambroſius:

In Pſal. 118. ſerm. 16

Pretioſa hæc ſervitus quæ virtutum conſtat expenſis.

Glorioſa ſervitus, quâ pro nobis ſervivit & Chriſtus, è cœli regia in terræ caſas abjectus. *Beata ſervitus quâ & tu ſervis. Vocatus es liber ut ſervus eſſes Chriſti. Utraque conditio optima, eſſe ſub Chriſto, ſub quo & pretioſa ſervitus & glorioſa libertas.*

In Pſal. 118. ſerm. 3.

Pretioſa ſervitus, quia tanti ſanguinis pretio comparata. Glorioſa autem libertas, quam nulla ſervitus culpæ, nulla peccatorum vincula conſtringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia, degeneris nexu ſervitutis addicunt. Ejus notam cum tonſura clericali in corpore accepiſti, age, labora, enitere, ut ad animam uſque pervadat, ejúſque ſervum te faciat qui pro te, cùm liber eſſet, ſervus eſſe dignatus eſt.

TERTIA RATIO.

DUci poteſt & alia Tonſuræ ratio ex ipſo more ſenſúque Antiquitatis; invaluit enim ea conſuetudo apud nonnullas nationes, ut qui fidem alteri obligaſſet ſuam, eam reſecto capillo traderet: erátque ritus ille, pignus & arrha datæ Fidei, eáque longè certiſſima.

Ita Longobardi, Francique eo more uſi ad ultima ferè tempora, ut mihi author eſt Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus; qui agens de fœdere inter Rothrocum Cenomanenſium Comitem, ejuſque parentem ſic loquitur: *Ac ne ſimulatoriè loqui putaretur, abſciſſos de capite ſuo capillos matri ſuæ tranſmiſit.* *Epiſt. 19.*

Ubi quis in Clerum aſciſcitur, unà etiam vocatur ut miniſter ſit, ut diſpenſator myſteriorum Dei: *quæritur autem inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.* Ut is eſſe & inveniri debeat Clericus, etiam data fide, ſacróque fœdere ſeſe aſtringit, capillum ſecat, & Eccleſiæ, tanquam bonæ matri, tranſmittit in pignus & artham ſuæ fidelitatis. Quod ſi illam rationem non improbas, neque hanc, ut opinor, improbabis.

QUARTA RATIO.

TOnderi Clericum in ſignum luctus, mœroris, ac pœnitentiæ: & hanc & illum inſinuat Divus Paulinus ad Severum ſcribens:

Nos adeant, inquit, *& reviſant conſervuli, & compâres noſtri, non veſtibus pictis ſuperbi; ſed horrentibus ciliciis humiles: nec chlamyde curta leves, ſed ſagulis palliati: nec balteo, ſed veſte ſuccincti: nec improba attonſi capitis fronte criniti, ſed caſta informitate capillum ad cutem caſi, & inæqualiter ſemitonſi, & deſtituta fronte præraſi, & ornatu pudicitiæ inornati.* *Epiſt. 7.* Hactenus Paulinus de Tonſura Monachorum, è quibus nonnulla ad Clericalem transferri poſſunt, ut ea quoque pœnitentiæ teſtis, humilitatis nota, luctus indicium ſit.

Certè etiam apud Gentiles abraſio capitis ſymbolum fuit lugentis atque mœrentis animi: quod ipſum veterum monumenta prodidêre.

Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxores capita raſiſſe teſtatur Suetonius, & hoc quidem in ſignum magni luctus, & ingentis mœroris, quieorum animis incumbebat. *Sueton. in Caio Calig. c. 5.*

Id etiam conſueviſſe Argivos mœroris cauſa teſtatur Herodotus; quod Lucianus affirmat de Syris, qui funera, fatalémque pompam raſo capite ducere ac celebrare ſoliti. Et hic omnium propè gentium mos fuit, ſi Romanos exceperis, qui quòd tonſa barba ac capite ſolerent incedere, in maximo luctu capillum & barbam promittebant: quod de Julio Cæſare ſic tradit Suetonius. *Herodot. l. 1 Hiſtor. Lucian. de Dea Syria.*

Diligebat uſque adeò, ut audita clade Tituriana, barbam capillumq; ſummiſerit, nec ante ea dempſerit quàm vindicaſſet: & de Auguſto. Cùm audiſſet cladem Varianam in Germania acceptam. *Adeò*, inquit, *conſternatum ferunt, ut per continuos menſes barbâ, capilloq; ſummiſſo caput interdum foribus illideret.* *Sueton in C. Julio. c. 27.*

Imò verò etiam apud Romanos rei mœroris cauſa capillos demittebant; nec illi tantùm, ſed & omnes illis ſanguine juncti, ut hac ratione etiam ſe in luctus, juſtique doloris ſenſum ac communionem venire teſtarentur. *Plin. l. 7. Epiſt. 27.*

Neque ſolùm is gentium barbararum mos fuit; ſed & earum, quibus annuente cœlo majus aliquod

Fidei

Fidei lumen affulſerat, & illæ hoc ritu conceptum animo dolorem exprimebant. Sic mortalium omnium patientiſſimus Jobus, ubi ſuarum cladium nuncios accepit, ubi gravi ruina oppreſſas proles, obruta ac ſepulta cariſſima pignora: *ſurrexit, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adoravit.* (Job c. 1. v. 20.)

Sic etiam Iſraëlitis ore præſago nuntiat Iſaias ingentem calamitatem, & ab ea luctum cœlo vindice impendentem. *Vocabit*, inquit, *Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum ſacci.* (Iſaias c. 22. v. 12.) Calvitium ſtatuit, velut indicium immanis luctus, ad quem etiam invitat Michæas. *Decalvare*, inquit, *& tondere ſuper filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum ſicut aquila.* (Mich. c. 1. v. 16.) Samariam appellat, & alloquitur Propheta, vultque in ſignum imminentis mœroris, deſolationis atque excidii, tonderi & dilatare calvitium: ſed inſtar Aquilæ.

Aquila jam ſenio marceſcens, & propè confecta, veteres plumas toto corpore dimittit, ſeque decalvat, & depilat, moxque novas induit: itaque abſſœta & elanguida ſenectute, fœcundæ & animoſæ juventuti redditur; ideóque ſymbolum eſt pœnitentiæ, & pœnitentis animi, qui à dolore luctuque vitæ malè anteactæ eò deſcendit, ut veteres plumas, id eſt pravos mores, & inveteratam longo uſu conſuetudinem deponat. Et hoc ipſum molitur ac facit Clericus ubi comam reſcindit; teſtatur enim quis animum occuparit ſenſus, quis dolor, quis luctus pœnitentis & ad meliora aſpirantis animæ: renovat, ut aquila, juventutem ſuam; &, ut ait Chryſoſtomus, *veterem hominem deponens, novum, qui in Creatoris agnitionem renovatur, aſſumit.* (In p. 102.)

Eadem etiam de cauſa ſtatuit tertia Synodus Toletana, ut publicè pœnitentibus, in primis Epiſcopus, vel Preſbyter caput tonderet, ut ſic in cinere, & cilicio pœnitentiam agerent: (Cap. 12.) Sed hoc, inquies, etiam laicis commune, nec ſine prævia labe nævóque inuri poteſt: demus aliquid quod & Ordini ſacro ſingulare ſit, & omni macula liberum, imò magnarum virtutum ornamentis illuſtre. Erit illud, ſi aſſeruerimus quod ex veritate dici poteſt, ideò tonderi Clericum, ut primùm ſua, tum etiam aliorum peccata deplorare diſcat, pro iiſque tanquam obnoxiis divinæ Juſtitiæ, reiſque æternæ mortis, inſigni commiſeratione ac pietate lugere.

Quod olim à Joële docti myſtæ antiquæ legis, de quibus illud Prophetæ: (Joël c. 2.) *Inter veſtibulum, & altare, plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent, Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* Ea nimirum eſſe debuit Sacerdotum ac miniſtrorum illius legis in peccatores indulgentia, ea commiſeratio, is æſtus pietatis, à quo dum caleret animus, in lacrymarum fluenta ſolverentur oculi. Majorem certè oportet eſſe Myſtarum novæ legis, quæ non lapidi duróque ſaxo inſcribitur; ſed teneræ cordis tabellæ, ceu molli ceræ Dei digito imprimitur: utque imprimi etiam in ipſo corporis habitu oſtendatur; datur Subdiacono, & Sacerdoti manipulus, qui modò facit ad ornatum, olim pietati ſerviit; & ſtrophiolum fuit ad excipiendas tergendáſque lacrymas, quas inter ſacrorum myſteria fundebant miniſtri Domini: nobis certè, quod cum venia ac rubore dictum velim, mirum quantum abſimiles: quis enim hoc, quo vivimus ævo, inter divina Miſſarum ſolemnia, ita totus incaleſcit, & accenditur ruentis populi commiſeratione, ut in lacrymas effundatur & colliqueſcat. Sed iſta parcius neque enim hic ſeverum cenſorem agimus; ſed è veterum monumentis, eiúſque venerandæ antiquitatis, quis Clericus eſſe debeat, inquirimus. Quod ut aſſequamur, demus aliqua hujuſce pietatis exempla, quæ vel ſua, vel etiam aliena ſcelera lacrymis eluant.

Qui ex avita memoria primus occurrit, is eſt regius Vates & Paſtor bonus: quid ille? *Lavabo*, inquit, *per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*, (Pſal. 6. v. 7.) in Hebræo eſt, *natare faciam lectum meum, ſtratum meum liquefaciam*, eo nimirum impetu, eo torrente fluebant lacrymæ, ut pœnitentis ora non tenuiter irrigare, non modicè lectum eluere viderentur; ſed ea copia diduci, ut in iis quodammodo natare, imò mergi poſſet: tantùm potuit ab admiſſo ſcelere pœnitentis: quam *audiant*, inquit Chryſoſtomus, *qui lectos habent argenteos, qualis erat lectus Regis, non ex gemmis conflatus, non ex auro contextus; ſed ablutus lacrymis.* (Chryſoſt. in eum locum.)

Hæc aurea ſancti copia Chryſoſtomus, qui eoſdem lacrymarum fontes iis aperiri vult, quos eædem peccati ſordes commaculant.

Sed antiquæ & veræ D. Auguſtini querelæ; multi enim ſunt qui flenda faciunt, & ipſi flere neſciunt: *Quis*, (inquit S. Doctor) *ſtupris deditus, flagitiis involutus lavat per ſingulas noctes lectum ſuum? neſcit flere qui flenda committit, & cùm ſit ipſe lacrymabilis, non habet pœnè lacrymas ſua.* (Aug. ſer. 7. in Pſal. 118.)

Quod ſi non putes iis te querelis peti, quòd jam antè laxaris amaros illos pœnitentis animi latices, à quibus amas ſuaviores; eos tibi fundet amor, & in ſinum devotæ mentis immittet; utque immittat ulteriùs, dic age cum Auguſtino. *Da, mihi Domine, evidens ſignum amoris tui: irriga lacrymarum fontem jugiter manantem: ut ipſa quoque lacryma tuam in me teſtentur amorem, ipſa prodant, ipſa loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit ſe à lacrymis continere.* (Aug. l. med. c. 36.)

Benè ait, ipſa loquantur lacrymæ, nam & interdum lacrymæ pondera vocis habent; ideóque ſcitè monuit Jeremias. (Thren. c. 2. v. 18.) *Deduc quaſi torrentem lacrymas, per diem & noctem non des quietem tibi: neque taceat pupilla oculi tui.* Ubi illa pro ſe locuta fuerit, & lacrymas tanquam pœnitentiæ, amoriſque voces in cœlum emiſerit; tum etiam pro aliis loquatur, & fluenta ſolvat.

Ita ſolvit non ſemel ſervator optimus, qui riſiſſe viſus nunquam, fleviſſe ſæpiùs. (Joan. c. 11.) Lazaro mortuo, & altè ſepulto illacrymatus eſt: Civitati Jeruſalem à peccatis obrutæ, & à pœnis obruendæ, lacrymas infudit: (Luc. c. 19.) Judæ infandam, & poſt homines natos inauditam proditionem meditanti, humentes oculos reſolvit; *turbatus enim eſt ſpiritu*, hoc eſt interprete Chryſoſtomo, *lacrymatus eſt.* (Joan. c. 13. v. 21.) tantum potuit vel unicum ſcelus, ut ipſi Deo lacrymas elicuerit inſigni prodigio vel amoris, vel commiſerationis.

Ita deinde à magiſtro benè doctus diſcipulus, vocatus à Jeſu Paulus, in copioſos lacrymarum fontes erupit, ut vel ovium ſibi commiſſarum maculas detergeret, vel arentia duráque corda molliret. *Per triennium*, inquit, *nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm.* (Act. 20. v. 31.) Uberes lacrymæ, quæ non abjectam, non arentem terræ ſuperficiem irrigant, ſed animos præcelſos, & cœlo natos. Fœlices lacrymæ, quæ roris inſtar cœleſtis, ita fidelium mentes imbuunt, ut fructum efferant Deo dignum & æternitate. Beatæ lacrymæ, quæ in ipſos Æterni Patris oculos admiſſæ, parata jam in manibus vindicis juſtitiæ fulmina temperant atque extinguunt: quàm fœlix & beatus is erit, qui tis ſeu Chriſti, ſeu Pauli lacrymis ſuas quoque infuderit. Sed ad alteram hujus inſtitutionis cauſam feſtino.

QUINTA RATIO.

FUit olim, eritque in ævum Tonſura nota humilitatis, animique demiſſionem, & opprobrium Chriſti inter mortales amantis; & quia ii erant Apoſtoli, ii Clerici & Monachi, ſtudio humilitatis eum habitum elegerunt, qui vilium eſſet & deſpicatiſſimorum hominum: & hoc quidem ut inaniſſimæ mundi pompæ nuntium ſe remiſiſſe teſtarentur.

Et

Et verò abraſionem capitis, dedecoris & infamiæ ſignum fuiſſe prodidit tota Antiquitas, ſacræque litteræ variis in locis tradiderunt. Ubi elato hominum ſupercilio, & inſolente ſuperbia, ad juſtas iras, vindicémque manum evocatus eſt Deus; hæc ferè vel intentare, vel immittere ſolet ſupplicia, quæ & malo oppoſita ſint, & medelam faciant: ita nimirum à natura, ab arte comparatum eſt, ut ſicuti contraria contrariis curantur, & calida frigidis, frigida calidis temperantur: ita effervescens ſuperbia, inſigni aliqua abjectione probróque demittatur penitúsque frangatur. Sic olim Iſraëlis luxum, vanitatem, & cœlis ipſis inſurgentes animos edomuit vindex Deus, monuitque priuſquam faceret ore fatidico magni Prophetæ: *Inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput calvitium.* Quibus verbis calamo notat duo ſymbola impendentis calamitatis ac humiliationis: ſcilicet ſaccum & calvitium. Ita nimirum communi nationis illius ſenſu receptum illud, ut protenſa Cæſaries, honoris inſigne eſſet ac gloriæ; decalvatio abjectionis & ignominiæ. quod ipſum in leges quoque evaſit: hæ enim ad pœnas, quibus ſontes afficiendi eſſent, etiam raſionem capitis ad probri & ignominiæ cumulum addiderunt. Sic in novella 58. Leonis Sapientis Imperatoris ſtatuitur, eos qui ſanguinem animalium comedunt, eſſe ad publicam ignominiam ad cutem uſque tonſura notandos: ſic in Martyribus damnatis ad metalla factum teſtatur D. Cyprianus: hi enim ludibrii cauſâ abraſionem capitis patiebantur: præterea ita tonſi, & raſi undique moriones, & abjectiſſimi quique mimi inducebantur in theatrum, ut in omnium oculos, linguas, probraque incurrerent. eos Nonnius Marcellus appellat *Calvos mimicos.*

Amos c. 8. v. 10.

Balſam. ad can. 67 ſyn. in Trull.

Epiſt. 77.

Cùm is eſſet hominum ſenſus; Monachi & Clerici, quorum auribus & animis inſonuerat illud Apoſtoli, *Nos ſtulti propter Chriſtum*, hujus Tonſuræ modum ſecuti, qui ſuſceptæ vitæ rationi, ſtudióque demiſſionis Chriſtianæ conveniret.

Ad prima illa tempora memori mente recurrat Clericus, tum ad ſeipſum redeat, ſeipſum examinet, atque excutiat num eo conſilio, ea mente tonſuram admittat, ut ſit in eo demiſſionis index, & clara profeſſio humilitatis?

SEXTA RATIO.

MEntem aliò vertit magnus Dionyſius, qui ab Apoſtolis purioris ſapientiæ fluenta hauſerat: docet ille capillorum tonſuram ſignificare vitam *puram & candidam, nullo vitio & artificio fucatam*, impedimentis omnibus nudam & ſpoliatam, in qua libera mens, & undique expoliata, è capite velut arce ac domicilio mentis, magnarúmque cogitationum, Deum authorem ſuum ſpectet, atque ad illum ardenti ſtudio contendat: & hæc ratio facit ad mores & præclara virtutum documenta. Accedat

De Eccleſ. Hierarch.

SEPTIMA RATIO.

ERit illa conſona vocationi Clericorum, illiuſque ordinis commoda dignitatémque commendabit: commoda quidem, ex eo, quòd in illum ordinem quiſquis aſſumptus eſt, evaſit ille ex hoc mundo velut turbulento mari, & in tuto tranquillóque portu ſpei ſuæ ac deſideriorum anchoram fixit. Invaluit olim ille mos apud veteres, ut qui è naufragio enataſſet, caput raderet: habet mundus ſyrtes ſuas, habet & charybdes, ſcopulos habet: ad hos alliſa juventus naufragium frequenter patitur; ad illas adhæreſcit, lentáque, ſed periculoſa, ſed fatali vertigine ita convolvitur, ut primùm in vitiorum omnium barathrum demergatur, tum in ſalutis diſcrimen, æternámque damnationem præceps ruat: ab hac & illo revocat Ordo Clericalis, dum è mundi voluptatibus, & ſæculi obſequiis, vocat in Dei cultum, atque obſequia; quibus cùm fueris ſemel mancipatus, liber evadis. Et iſta ad illius ſtatus commoda pertinere videntur; ad dignitatem, quod tonſura libertatis nota, & inſigne ſit Chriſtianæ nobilitatis. Apud Romanos certè comam ponere libertatis indicium erat, ſalutis ac nobilitatis: & hinc qui à ſervitute libertatem conſequebantur, raſo capite pileum excipiebant.

Quod illis olim, hoc in præſentia Clericis uſu venit: abeunt illi à dura & abjecta mundi ſervitute, tranſeunt in ſuavem ac decoram libertatem filiorum Dei; utque accepta libertatis nota ſic tranſeant, raſo capite pileum Clericalem admittunt, unáque inſigne Chriſtianæ dignitatis ac nobilitatis; à quo etiam in Civili jure ac legibus Imperatores Auguſti, *Clericos, Reverendiſſimos* appellarunt.

Et hæc quidem de Tonſura fuſiùs perſequi placuit, tum ut pateret quis fuerit ſenſus Antiquitatis, tum ut non leviter perſtringerem Clericos illos cirratos calamiſtratoſque, qui non ſine injuria ſui ordinis, notáque bonæ famæ muliebrem in morem comam alunt: quos etiam ſua ætate arguit D. Hieronymus gravis morum Cenſor. Sic enim illos pingit & pungit. *Crines calamiſtri veſtigio rotantur, digiti de annulis radiant: tales cùm videris, ſponſos magis æſtimato, quàm Clericos.*

CAPUT III.

De Corona Clericali.

IN ipſis adhuc Eccleſiæ cunis, Simon Magus cùm videret ab Apoſtolis, heroibus noſtris, emanaſſe tonſum quoddam inſtituti genus; invidia quadam animi excellere cupientia, & potentem Chriſtianæ religionis dominatum imminuere, novum & ipſe tonſuræ genus excogitavit, & pro corona effigie perfecta, quadrum induxit: de quo meminit venerabilis Beda, magnum Anglicanæ Eccleſiæ lumen. Is nimirum omni ævo genius fuit eorum, qui ab Eccleſia defecerunt, ut illius æmuli eſſent, & veluti ridiculæ quædam ſimiæ, quæ pios ritus etſi non exprimerent, effingere tamen conarentur. Ut explodantur illi, ſimulque probetur pia illa Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ inſtitutio, nonnulla ſubjungam de Corona, de ejus nomine, authore, ſolidiſque rationum momentis, quibus ea niti videtur.

L. 5. Hiſtor. Angl. c. 22.

§ I.

Quid ſit Corona, & unde dicta?

DE Corona dicere meditanti, ſuccurrit primùm quid ea nomine ſit, & cujus etymologiæ; tum cur ea vertici Clericorum impreſſa?

L. 9. Orig. 30.

Ad primum quod attinet, Authores in varias abeunt dividunturque ſententias.

Iſidorus Coronam dici putat à choro, quod effecta ſit ad ordinem & imitationem illius chori, qui olim circum aras ducebatur.

Feſtus coronam appellatam credit, eò quòd cohonoret eum cui imponitur: itaque corona dicetur quaſi cohonora. Hæ ſententiæ ex en fortaſſe nonnullis diſplicebunt, quòd non placeat illa aſpiratio: ſi enim ab illa prodiit corona, cur eam depoſuit? Ut in ea ſententiarum pugna leviorem partem ſequamur,

Dicemus cum Carolo Paſchali, Coronæ nomen deductum à voce græca κορυφὴ, id eſt ſummitas arcus, & vertex orbis: hæc enim etymologia conſonat magis, conſentitque cum ipſa coronæ figura, quæ ſphærica eſt. Sed parum eſt quid nominis; de eo certent grammatici, litémque inter ſe moveant: nobis de reipſa erit diſceptatio: unde, & qua ratione corona in Clerici verticem aſcenderit.

L. 1. de Coron. c. 2.

§. II.

Quæ Coronæ inſtitutio? Quæ ratio inſtitutionis?

QUæ hoc paragrapho & ſequenti dicturus ſum, intelligi velim de Corona tum Clericali ac minima, tum ſacra & Sacerdotali paulò laxiore, tum etiam Epiſcopali ac Pontificia longè omnium ampliſſima: de qua primum quæri poteſt, quis illius author; tum quæ ratio inſtitutionis? Satis conſtat inter authores Catholicos, Coronæ initia ab ipſis Apoſtolis petita, & communi traditione in poſteras omnes ætates continua ſerie deducta: quidquid hic reclament hæretici noſtri temporis novatores & venerandæ antiquitatis inimici. Videri poteſt ſuper ea re D. Dionyſius, Chryſoſtomus, & Baronius tomo primo ad annum Chriſti octavum ſupra quinquageſimum, quem dum conſulis, tranſeo ad ipſam inſtitutionem, illiúſque rationes inveſtigo.

De Eccleſ. hierar. c. 2. & 3.

In 1. ad Cor. c. 11.

PRIMA RATIO.

CRedunt nonnulli Apoſtolos Eccleſiæ Principes, ad communem omnium gentium conſuetudinem reſpexiſſe, apud quas Sacerdotes divinis rebus operabantur coronati: unde & στεφανοφόροι ſunt appellati. Cenſebant nimirum illi rem divinam & melius fieri, & Numini gratiorem eſſe, ſi publicus rerum adminiſter corona eſſet redimitus. Erant autem ex coronæ aliæ atque aliæ, pro cujuſque nationis ingenio atque affectu. Athenis quidem aureæ, Romæ floreæ: nec has nec illas amarunt Eccleſiæ primipili, paupertatis amantes, & longioris ævi, imò æternitatis candidati.

In auro divitiæ & luxus; in floribus labilis & fluxa pulchritudo: nec hanc, nec illas ſectari voluerunt Apoſtoli, ſacrorúmque diviniorum Myſtæ, ſed illas efformarunt pilorum abſciſſione, id eſt abjudicata rerum labentium cupiditate, & eraſis futilibus cogitationibus, quæ mentem inficiunt, & quas aiunt ſapientes per capillos ſignificari. Ex quo conficis ſacroſanctæ Religionis noſtræ adminiſtros, non floris, ſed virtutibus coronari oportere. Sed de his fuſiùs deinde dicemus.

SECUNDA RATIO.

ALia eſt de hac quæſtione ſententia, quæ nihil è profanis ducit, ſed è ſacro fonte puriores latices haurit ac propinat. Ea eſt Albini, Flacci, & aliorum, qui Coronam Clericalem ab Apoſtolis inventam & excogitatam eſſe contendunt ad imitationem ſpineæ coronæ, quam Deus-homo JESUS-CHRISTUS, generis noſtri inſtaurator optimus in die deſponſationis ſuæ circumtulit; ut Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici meminerint eſſe ſe ſub ſpinoſo capite ſub quo membra non convenit eſſe delicata.

Meminerint deinde, ſe Chriſti imitatores eſſe debere, & velut ſecundos humani generis ſervatores, qui proinde boni communis cauſa, ſalutiſque mortalium minimè horreant ſpinarum, id eſt, difficultatum aculeos, probra, contumelias, verbera, mortémque per ferrum & ignes, perque acerba quantumvis ſupplicia exigendam.

Certè hos animos quærit & amat ipſa corona Clericalis, animos Chriſto Servatori ſuppares, quos vel in ipſa voce legere poteris: dicitur enim Græcia παπαλύτρα, à Græco λύτρον, quod pretium redemptionis ſignificat: etſi enim Sacerdotes atque Epiſcopi pro humano genere pretium redemptionis, de ſuo quaſi ære non pendant: tamen poteſtate clavium ſibi commiſſarum pretium illud è divinis Chriſti gazis depromptum, aliis applicant: idcóque dicuntur & ſunt ſecundi generis humani ſervatores, quos prodit, & populo viſendos oſtentat ipſa corona, index acceptæ poteſtatis, notáque magnarum virtutum, quibus Clericorum animos ornari oportet. Et hinc ad alias rationes delabor.

TERTIA RATIO.

DIximus Simonem Magum pro figura ſphærica quadram inveniſſe, & ſuorum Clericorum verticibus impreſſiſſe: Quam enim potiùs? Homo erat ſordidus, qui etiam Spiritum Sanctum pecuniâ venalem credebat, ideóque amabat figuram quadram, & habentem angulos; quia, ut ſcitè D. Bernardus, *Vbi angulus, ibi ſordes.* Et Eccleſia ſphæram ambit, & ſuorum capitibus incidit, quod ea angulos non patiatur, adeóque neque & ſordes.

Quæſivit olim D. Chryſoſtomus, cur olim ſponſi, in ſolemni nuptiarum pompa coronati incederent, & reſpondit id factum eſſe in pulcherrimum pudicitiæ argumentum & honorem. *Ideò*, inquit, *coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ ſigna ſint, quod videlicet antea libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur.* *Chryſ. Hom. 9. in 1. Timoth.*

Quod ſi illi in caſtimoniæ argumentum gloriosè coronati, longè glorioſius Clerici: illi enim poſt nuptias in thalamo geniali coronas ponebant, & caſtitatis lilia quodammodo devenuſtabant: hi autem nec coronas unquam ponunt, nec ſinunt marceſcere; ſed illibatum & perennem caſti animi vigorem conſervant, utque ſervent tenaciùs, etiam caſtimoniæ voto ſeſe obſtringunt: ut in eos quàm optimè cadat illud Regii Vatis. *Super ipſam efflorebit ſanctificatio mea*: in ſacra lingua, *ſuper ipſum efflorebit Nazaræum meum*: vel ut vertit D. Hieronymus, *Corona mea*; corona inquam, albentibus caſtimoniæ liliis contexta, quæ floreat in omnem æternitatem. Et hoc primum pulcherrimæ virtutis eſt decus; accedit alterum: pro quo ſit *Pſal. 131. v. 8.*

QUARTA RATIO.

COrona ſymbolum eſt veritatis; quia ut figura ſphærica angulos non habet, ita nec veritas: ut doctè advertit Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. *Epiſt. 2.*

Inter figuram ſphæricam, aliáſque omnes hoc intereſt, quod aliæ angulos admittant, & in iis occultos quaſi ſinus ac diverticula. At verò circularis ſimplex eſt, aperta, explicata, nec angulos patitur, ideóque veritatis hieroglyphicum eſt.

Ex illo ſenſu, judicioque de natura veritatis factum exiſtimo, ut Hebræi ſapientes ineffabile Dei nomen circulo inſcripſerint ſupponendo *camets* tribus *Iod.* docebant enim ex arcana ſua, ſacraque theologia bonitatem eſſe in centro, veritatem in circumferentia.

Ita porrò ſe res habet: Dei bonitas eſt in centro, imò ipſum centrum, à quo duci debent omnes lineæ humanorum actuum, & ad divinam veritatem tanquam ad illius circumferentiam flecti: hoc uno certè recti, fœlices, beati erimus, ſi omnes vitæ noſtræ lineæ, dies omnes & anni, cogitationes, verba, opera à divina bonitate ceu centro ducantur, ad eámque reducantur. Si pro circulo circumferentiaque vitæ mortalis ſit ipſa divina veritas, ſi extra illam ne lineam, ne vitæ punctum trahamus. Hoc certè docet ac teſtatur corona capitis noſtri, index & nota veritatis, quæ non ſinit ſe falli mendacibus hujus mundi pollicitationibus, ut à ſummo bono, ſummo vero, id eſt, Deo deflectat.

QUINTA RATIO.

FUit olim inter Academicos agitata illa quæſtio, quæ figura foret omnium perfectiſſima? Itum eſt in varias ſententias.

Pro quadratâ ſtetêre Philoſophorum nonnulli, quòd ea firmitatem deſignaret, uti contra circularis inconſtantiam. Unde ſapientia in quadrato hærens,

hærens, fortuna globo pendens à veteribus pingebatur.

Pro ſphærica tamen pugnavit Ariſtoteles, & tota Peripateticorum ſchola, ſaniórque pars Philoſophorum: & meritò.

Primùm enim figura circularis omnes alias ſuo ſinu claudere & continere poteſt; ipſa verò à nulla alia claudi & circumſcribi poteſt: deinde figura ſphærica omnium prima, adeóque perfectiſſima: primam eſſe ex eo convincit Philoſophus, quòd una linea contineatur, aliæ verò omnes pluribus componantur. Unum autem & ſimplex pluribus & compoſito prius eſſe debet.

Denique cuilibet lineæ rectæ aliquid ſemper addi poteſt; aliquid detrahi, circulari verò nihil addi poteſt, nihil detrahi: & inde illa imperfecta, hæc perfecta eſt, imò ſymbolum aliquod perfectionis. Et hinc ad inſtitutum meum redeo. Sicuti Cœlo, utpote primo & perfectiſſimo corpori, tribuitur figura circularis: ita & Clericorum Ordini, utpote primo ac perfectiſſimo corona vertici inciditur, ut ex ea pateat, cùm è vulgo evocantur in eum ſtatum, ſimul invitari ad ſingularem aliquam & eximiam perfectionem.

Etſi enim omnibus communes illæ Chriſti voces, illa cohortatio, *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*; maximè tamen Clerico, viriſque Apoſtolicis propria, qui ipſomet oraculo primæ Veritatis *lux* ſunt *mundi*, & parvi ſoles, quibus ut luceant exemplo bonæ vitæ, ut ardeant æſtu charitatis, etiam coronæ, veluti parvi ſoles imponuntur, multò illuſtriores illis pulchræ vetuſtatis regibus, qui ad prodendam imperii ſui majeſtatem, & ſplendidiſſimæ gloriæ magnificentiam radiis ſolis pro corona utebantur. Erant illi tenues radii, & emendicatus deforis fulgor: at Clerico intrinſecus eſt fons luminis, virtus in animo, ſtudiúmque perfectionis in amoribus, quod etiam in verticibus honoratis, velut ſublimibus polis circumferunt, divino ſanè ac cœleſti augurio, cùm è mirabili Salvatoris elogio lumina ſint Orbis terrarum.

[Matth. 5. v. 48.]

SEXTA RATIO.

NOn ſine cauſa, & conſilio magnæ mentis, ſcripſit olim Beatus Petrus *regale eſſe Sacerdotium*, quod jam inde à primis ſæculis ad hæc uſque tempora ſic audiit.

[1. Pet. 2. v. 9.]

In ipſa naturæ lege primogeniti familiarum, earum quoque erant Sacerdotes: etſi quidem illæ magnæ eſſent, & amplæ, etiam Principes ac Reges: In lege Moyſis Synagoga Judæorum dicta *regnum Sacerdotale*; vel ut Hebræus legit, *regnum Sacerdotum*: quod vel maximè convenit Eccleſiæ, in qua ex vero Sacerdotes etiam Reges; tum quia Chriſtus ejus Author, Sacerdos eſt, & Rex univerſi; tum quia victima, quam ſacris manibus immolat, regalis eſt ac divina, tum denique quia ſumma ei indita poteſtas, ſummus etiam in animos dominatus. Regibus certè hujus ævi quidquid dignitatis, majeſtatis potentiæque fortuna aſcripſit; ea vel luteis urbium ſeptis continetur, vel in ſola mortalium corpora ſeſe explicat atque effundit: at Sacerdotalis evadit ad ipſas animas immortales, iiſque cœlum vel aperit, vel claudit: quæ regia, divina ac ſumma quædam eſt poteſtas; de qua magnificè S. Ignatius: *Sacerdotium*, inquit, *ſumma eſt omnium bonorum, quæ in hominibus conſiſtunt*: cætera enim bona è terra lutóque petita huic ævo brevi ſerviunt: at Sacerdotium ſuas è cœlo haurit opes, commiſſis ſibi clavibus regni cœlorum, à quo Sacerdotes omnes coronati incedunt, ut & regiam & Sacerdotalem dignitatem præ ſe ferre videantur: regiam dico, non quæ à maris dominio, à terræ regno ducitur, ſed quæ à cœlo in honoratos vertices deſcendit: de dignitate Levitarum, de tribubus ad ſacrificium aſcendentibus cecinit olim David. *Illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini*: ſeu ut vertit Chryſoſtomus, *ſceptra, ſceptra Domini*: dignus enim eſt ſceptro, qui Deo ſacrificat; imò divino oraculo, congregatio ſacrificantium dicitur *ſceptrum Domini*. Ita enim quondam Aaroni Deus. *Fratres tuos de tribu Levi, & ſceptrum patris tui ſume tecum.* Sceptrum vocat Sacerdotii dignitatem, quæ quolibet imperio ſceptróque quàm maximè antecellit.

[Exod. 19. v. 6.] [Epiſt. ad Smyrn.] [Pſal. 121. v. 4.] [Num. 18. v. 2.]

Ut mihi videatur amabilis & auguſta libertas magni Pontificis INNOCENTII III. qui ad Imperatorem Conſtantinopolitanum ſcribens, ut oſtenderet quantum Pontificia Sanctitas, Cæſarum majeſtati præſtaret: hanc cum luna, illam cum ſole componit; eóque trahit illa verba Geneſeos. *Fecit Deus luminaria magna, luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus ut præeſſet nocti.*

[L. 1. Decret. Ep. ad Imp. Conſt.] [Gen. c. 1. v. 16.]

Illud in prima hujus Univerſi molitione Deus, hoc in ejus reparatione Deus-homo, fecit: *luminare majus*, ſcilicet Pontificem, qui præeſſet diei; id eſt immortalibus animis, atque æternitati, quæ occaſum non videt: *luminare minus*, videlicet reges ac Cæſares, qui præeſſent corporibus, & nocti hujus vitæ mortalis: *ut quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcatur.* Hactenus oraculum magni Pontificis: quem ne pro ſeipſo magis quàm pro Ordine loqui putes, è profanis Regibus unum producam, qui de profana ſacráque majeſtate proferat, quid ſentiat. Is erit Rex Agrippa, qui ad Caium Cæſarem ita ſcribit.

Avos, inquit, *Proavóſque Reges habui; & ex his etiam aliquot ſummos Pontifices: quam illi dignitatem pluris faciebant, quàm regiam, rati quanto Deus antiſtat homini; tanto Pontificatum regno excellentiorem: ad illius enim curam divinas res, humanas ad hujus pertinere.*

[Philo de Legatione ad eundem Caium.]

Audiſti quo in loco apud mortales fuerit Sacerdotium; audi, quo in honore apud immortales. Movet D. Chryſoſtomus illam quæſtionem. Cur ſtella Magos Reges ad Chriſti cunas duxerit? Cur deinde ab iis reduxerit Angelus? Reſpondet illud dignitati regiæ, hoc Sacerdotali majeſtati ac ſanctimoniæ fuiſſe concedendum.

Nec jam, inquit, *eos ſtella, ſed Angelus ſuſcipit, qui ſcilicet adorando facti fuerant Sacerdotes cum ſupplicatione, etiam muneribus oblatis.*

[Chryſ. hom. 7. in Matth.]

Ita Regibus obſecuta ſtella, Sacerdotibus Angeli, magnæ illæ mentes, & ſupremæ cœlorum Intelligentiæ: ut ex eo conficias quantum ſtellam inter & Angelum intereſt, tantum Regem inter & Sacerdotem intereſſe.

Ad hoc ipſum diſcrimen revocari poteſt & illud, quod olim pro Sacerdote major Deo ſuperiſque litaretur victima, quam pro Rege, ſi fortè tam hic, quàm ille deliquiſſet: Ita enim ferebant verba legis.

Si Sacerdos qui unctus eſt peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino. At verò ſi peccaverit Princeps, offeret hoſtiam Domino hircum de capris immaculatum.

[Levit. c. 4. v. 3.]

Hæc expreſſit olim Moſes, ut ex dignitate victimæ, exprimeret ipſam Sacerdotis dignitatem unáque ſub oculos poneret, quanta ab illius peccato inferretur clades, quæ ſcilicet in eo non hæret (quod ipſum ſolum grave foret) ſed ad populum quoque tranſit (quod eſt longè graviſſimum.) Et iſta hactenus pro regali Sacerdotio, & corona, dignitatis ſymbolo atque ornamento: venio ad poſtremam pro ea rationem, in qua etiam finem facio.

SEPTIMA RATIO.

EST corona ſymbolum gloriæ ac beatitatis, cujus aliquod ſimulacrum dum geſtamus in capite, memores æternæ coronæ reddimur.

Eam rationem extulit D. Hieronymus. Coronam, inquit,

inquit, habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ 12. q. 1. c. duo ſunt. *in ſignum regni, quod in Chriſto expectatur.*

Crediderunt nimirum Divi illi Patres, piorum mentes excitari ad cœleſtis & opulentiſſimæ coronæ cupiditatem, quam in luce & omnium propè oculis eſſe poſitam viderent. Habet enim ſuaves & miras illecebras vel una tantùm obtinendæ gloriæ recordatio. Hebræi quondam bis leguntur coronam in caput extuliſſe in præclarum effuſæ lætitiæ argumentum.

Lyranus. Primum quidem cùm à Deo legem tabulis inſcriptam acceperunt; tum enim ita omnibus inceſſarunt lætitiis, ut vix ipſi ſeſe caperent, tanto, tamque mirabili ſuperûm beneficio præ cæteris mortalibus obſtricti: in cujus indicium coronas ſibi texuêre, & lætis impoſuêre verticibus. & hæc una floreis ſertis feſtiva dies: altera fuit cùm à longa, & immani Ægypti ſervitute, in libertatem evocati, & terræ promiſſæ jam proximi.

Aſcenderat Iſrael in montem *Amana*, è quo promiſſæ regionis amœnitatem, ubertatem ac delicias oculis haurire poterat. Vix ſub aſpectum venerat fœlix ille terræ tractus, totque votis expetita regio, cùm in lætitiæ ſignum ſibi ſerta fecit populus omnis, eáque circum tempora duxit; ut lætior, & ornatior promiſſam ſibi hæreditatem adiret: Si tantum potuit in populo, cæteroquin duræ ac ferreæ cervicis, vel unus illius ſoli proſpectus; quid non poterit in Myſtis ſacrationibus, certa fide, ſpéque jam uſurpata cœli regia? Poterit certè, quod illud olim in Iſraële potuit; & meritò amplius: Sacerdotis animo, frontique regiæ inſcribuntur hæc verba: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ejus requirent de ore ejus:* neque enim ejus animo contineri celarique debuit, ſed in os elabi atque aſcendere, & per illud ſacratiore fandi copia in populum derivari: eo quippe fine Dei legem accipit Sacerdos, ut & ab illa coronam mereatur accipere. Hujus atque illius indicium eſt corona, quam capite circumgeſtat: legis videlicet amor ac cuſtodia, ſpes gloriæ ac libertatis. ad quam obtinendam ſi labore pugnáve ſit opus, ad eam animos facit corona, quæ in medio vitæ curſu, & periculis laborioſis, in furentium tyrannorum barbarie, in quotidianis ſudoribus, in ſollicitudine omnium Eccleſiarum, dulciſſima æternæ gloriæ memoria ac recordatione mentem reficit.

Eandem ob cauſam improbus dæmon, æmulatione quadam divinæ ſapientiæ, ſimile quippiam in mithræ ſacris excogitavit, in quibus gladius, & corona proponebantur, ut infandis illis ſuperſtitionibus initiati, & *mithræ*, ut dicebantur, *milites*, coronæ recordatione, nec ferri aciem, nec horribiles alias corporis vexationes formidarent.

Ita in divinis Myſtis fieri neceſſum eſt: cùm oberrarit animo corona æternæ gloriæ, cùm in vertice inſederit aliquod illius veluti expreſſum veſtigium; piam mentem extimulabit ad altiores de beata vita cogitationes, ad illius amoris æſtus, ad luctam ſacratiorem, ad bravium iis promiſſum, qui ſub corona Clericali poſiti certarint fortiter, vicerint fœliciter, glorioſè triumpharint.

Et hæc ſunt, quæ de corona dicenda mihi occurrerunt; ſupereſt modò, ut quoniam ea nota eſt eximiæ amplitudinis, index honoris, pignus ſanctitatis, eloquium venerationis, per illam vos orem atque obteſter, ut ſub corona conſtituti, ea dignam vitam omnem exigatis.

Ita ſuos olim obteſtari magnus Auguſtinus; *Per coronam tuam*, hoc eſt per ſacroſanctum munus Sacerdotis, per venerandam illam, auguſtamque dignitatem, cujus argumentum eſt corona. A ſeipſo, ab Eccleſia, a Deo procul exceſſerat Proculianus Epiſcopus Donatiſta. quem ad ſe, ad Matris Eccleſiæ gremium, ad Dei miſericordiam revocat Auguſtinus, obſecratque his verbis:

Per coronam noſtram vos adjurant veſtri, per coronam veſtram vos adjurant noſtri. Ut nimirum tibi officióque tuo reddaris: ita per eandem coronam te tibi reddi volo, quiſquis ab ea per profligatos mores, & indignam hoc ordine graduque vitam, abiiſti. Auguſt. Epiſt. 147.

CAPUT IV.

De tempore, & die ordinationis.

HActenus dixi de Tonſura & Corona Clericali, à qua Clericus audit; ſupereſt modò, ut elabar longiùs, gradúmque faciam ad Ordines, quibus initiari ſolet, admittique ad ipſas aras, divináque miniſteria.

Priùs autem quàm aliquid de ſacris Ordinibus attingam, occurrunt nonnullæ circumſtantiæ, quæ ad eorum vel dignitatem, vel ſanctitatem plurimum conducere videntur. Eæ porrò ſunt tempus, & dies ordinationis ab Eccleſia præſcriptus.

§. I.

De tempore, quo Ordines conferri ſolent.

VSque ad tempora Simplicii Papæ, dicuntur Romani Pontifices ipſo menſe Decembri Ordines contuliſſe. Invaluit deinde conſuetudo ipſo jure firmata, ut darentur per ſabbatha quatuor anni temporum: in quo duo videntur digna luce, accuratáque cenſura.

Cur enim divina providentia, quæ Eccleſiam moderatur ac regit, & ad ea, quæ Sacramentorum ſunt, veluti manu ducit; cur, inquam, è tota menſium ſerie, quæ uno anno evolvitur, quatuor tempora deſignavit?

Ne temerè caſúve factum putes, ne humano judicio calculóve decretum; ſed certo ac deſtinato divinæ providentiæ conſilio, ut etiam ab illis temporibus ſua ſacris Ordinibus dignitas accederet atque reverentia.

Ut ſeſe univerſi Dominum oſtentaret Deus, ut probaret effatum illud: *Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus:* ex omni genere primitias ſibi offerri, conſecrarique voluit. Pſ. 49 v. 2.

Qui primus ex humano connubio naſcebatur puer, is ipſo natalium jure Domino dicabatur, ut illi gratæ hominum primitiæ; nec eorum tantùm, ſed & brutorum animalium, ſed & plantarum atque frugum.

Quod in illis, hoc & in temporibus obſervatum. Habet annus quatuor omninò tempeſtates: ex his Deo Opt. Max. tanquam ævi temporisque Domino, veluti primitiæ quædam offeruntur.

Ineunte vere, adultóque Martio, cùm primùm enaſci & virere cœperint omnia, ſolemne trium dierum jejunium indicitur, ut illius tempeſtatis authori, ſupremóque Domino gratiores veris primitiæ dedicentur.

Accedente deinde Junio, cùm altior exurgit æſtus, ſolque purior incumbit vertici, tres rurſum alii dies jejunio ſacrantur, ut ſuas quoque Domino primitias æſtas ipſa devoveat. Suas etiam vices Autumnus habet; ſuas legit temporum exuvias, ubi fructus ubere manu copiáque legerit.

Denique ſuum & triſtis hyems locum obtinet, aurásque gelidas tempeſtati ſuæ conſonas dicat, ſeveróque jejunio conſecrat.

Hæ ſunt temporum primitiæ, in quibus ex Eccleſiæ inſtituto dantur Ordines, ut ii qui illos admiſerint, ſciant ſe è toto hominum genere quaſi primitias Deo offerri oportere; in quo certè plurimum eſt dignitatis ac religionis: Certè ſi frugibus ſuus eſſet ſenſus, ſi brutis ſua mens, ſi tempori ſua conſilia, gauderent utique ſe non profanis, ſed ſacris uſibus addici; non homini, ſed Deo conſecrari.

Ea

Ea lege gaudeat is, qui ad ſacros Ordines divino beneficio fuerit aſſumptus.

Et hæc prima ratio è quatuor illis temporibus petita: accedit deinde & altera quæ luce clariùs oſtendit qui eſſe debeant qui ad Ordines evocantur.

Conſecrantur ii vere, ut virtutibus, ceu foliis, & floribus tegantur & niteant.

Conſecrantur æſtate, ut eminentiori charitate, ceu ſole excocti, dignos cœlo proventus faciant.

Conſecrantur Autumno, ut fructus bonorum operum demetant.

Conſecrantur denique etiam hyeme, ut collectam ſpiritalis vitæ annonam ac ſementem in longa patientia, per aſpera perſecutionum frigora, conſervent tamen in gremio providæ mentis, iiſque fruantur in Domino.

Duci poteſt & alia hujus inſtitutionis ratio ad Clericorum mores efformandos, ad præclara magnarum virtutum ornamenta; quæ quatuor illis temporibus notari quodammodo deſcribique videntur.

Ea petuntur à virtutibus, quas Theologi Cardinales appellant, quòd in iis velut in cardine vertatur vita. Sicque à tempore ſuæ ordinationis monetur Clericus, ut iis ſeſe virtutibus ornet ac muniat.

Sit in primis illi ſingularis prudentia, quæ doceat, quæ perſcribat quid in una quaque te ſequendum ſit, aut fugiendum.

Sit æqui rectique tenax Juſtitia.

Sit temperantia appetituum domina, paſſionum Magiſtra.

Sit in rebus arduis fortitudo, quæ quantumvis dura ac difficilia vel molliat, vel frangat.

Et hæc quidem ſunt animi decora, quæ ſub quatuor illis temporibus tegi voluit ſuavis & amabilis Dei providentia. Sed & aliud occurrit, quod ad Eccleſiæ præſidium plurimum conducet.

Quatuor anni tempora nobis exhibent offeruntque quatuor Evangelia, quæ jam inde noſſe, quæ pervidiſſe, quæ deinde tueri ac defendere debet is, qui eò dignitatis vocatur, ut ſactis aris per ſuſceptos Ordines aſſiſtat.

Viſum illud in primitiva Eccleſia, ut initiati nihil haberent antiquius, nihil commendatum magis, quàm ut illa cœli oracula, divináſque ſcripturas evolverent; quippe ſatis intelligebant quod etiam Iſidorus aſſeruit, divinarum litterarum ſtudium eſſe

L. 2 Ep 73. *ἐφόδιον τῆς σωτηρίας*, *viaticum ſalutis*.

Ut nihil in præſentia attingam de dignitate Scripturæ ſacræ, quam Chryſoſtomus ait excipi oportere *velut oracula de Cœlo miſſa*. Beatus Cyprianus tamquam *ſancta & adorabilia verba*. Ut iſta, inquam, miſſa faciamus, taceamúſque etiam S. Boniſacii Epiſcopi & Martyris, qui petiit à locuplete virgine aureis ſibi litteris deſcribi Epiſtolas S. Petri, *ob honorem, & reverentiam Scripturarum*, producam nonnulla monita Sanctorum Patrum quibus initiatos urgent atque obteſtantur, ut à divinarum litterarum lectione, diligentique meditatione nunquam recedant.

De Sanct. Petri pag. 400.

Baron. Tom 9.

D. Hieronymus qui vires omnes, ætatémque in evolvendis ſcripturis attriverat, ſuáque doctus experientia didicerat, quantum in iis eſſet momenti, tum ad vitam ſanctiùs inſtituendam, tum ad efformandos fingendóſque Chriſtianorum mores, grave illud monitum ſuis litteris inſcripſit. *Divinas Scripturas ſæpiùs lege. Imò nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur: diſce quod doceas.*

Hieron. ep. 2.

D. Hieronymo pondus addet Ambroſius: ille forti, hic mellea & ſuavi, ut ſolet, eloquentia, quæ ſic habet: *Cœleſtium Scripturarum eloquia diu terere ac polire debemus, toto animo & corde verſantes, & ut ſuccus ille ſpiritualis cibi in omnes ſe venas animæ diffundat.* Quibus verbis inſinuat magnus Præſul, Myſtas omnes, ſacriſque deputatos, & jejunos & propè ſame enectos fore, niſi cœlo lapſas animi vires aſſidua illa Scripturarum lectione reficiant.

Ad illa Sanctorum monita, gravéſque præceptiones, addi poſſent & exempla, à quibus momenti plurimum ac ponderis accederet. Sed hic per tranſennam tantùm hoc argumentum attingo. Plura qui volet legat Myſtagogum R. Patris Ludovici Creſollii opus ſanè varium, doctum, pium, in quo neſcias quid mireris magis, an argumenti dignitatem, an ſtyli nitorem & elegantiam.

Profert ille Honoratum Maſſilienſem Epiſcopum, qui aſſiduâ lectione, ita divina ſcripturarum oracula perviderat, ita animo, tenacique memoria comprehenderat, ut à Gennadio dictus ſit *Armarium ſcripturarum*. Producit deinde Nepotianum, de quo illud D. Hieronymi teſtimonium. *Lectione aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum bibliothecam fecerat Chriſti.*

Gennadius. in Catal.

Hieron. Ep 2.

Affert denique & illud ſummi Pontificis de Sancto Antonio de Padua oraculum, quo ſuditi *Arca teſtamenti*, quaſi copioſo mentis ſuæ ſinu teſtamentum utrumque complexus eſſet. adeò concio tota, quam exceperat Pontifex, Scripturæ ſacræ floſculis aſperſa, imò contexta: nimirum ex abundantia cordis os loquebatur: ea quæ oculis, quæ animo ſacrarum ſcripturarum lectione hauſerat, eructabat.

In vita S. Antonii

Caſſian col. 14. T. 10.

Optandum eſſet hac qua vivimus ætate, ut ſacri Myſtæ, & quicumque altari ſerviunt, eſſent & ipſi *Armarium ſcripturarum, bibliotheca Chriſti, Arca teſtamenti.* Sed antiquæ, veræ tamen querelæ ſcriptoris cujuſdam Chriſtiani apud Euſebium. *Multi ſunt, qui relictis & depoſitis ſacrarum litterarum ſtudiis, omni cura & cogitatione in geometriam incumbunt; tanquam de terra editi, de terra loquantur.*

Lib. 5. cap. ultimo.

Non ſic legere, non ſic loqui docuit Eccleſia, morum magiſtra: illa ex ipſo Ordinum ſuſcipiendorum tempore, docet quid legere, quid loqui, cui potiſſimum ſtudio incumbere debeas; nimirum ſcripturarum, & Evangeliorum hiſtoriis, tanquam demiſſis è cœlo litteris atque monumentis. Sed iſta hactenus à tempore petita. Accedamus propiùs ad ipſum diem, quo jubet Eccleſia ordinationes fieri: eſt illa ſabbathum. quæ cauſa? Quæ myſterii ratio ex ea ad inſtitutum noſtrum derivari poteſt?

§. II.

De Sabbatho, in quo ordinari ſolent Clerici.

VT quæ ſub eo latent arcana eruamus, atque in lucem emittamus, agitanda primùm erit quæſtio de voce *ſabbathi*; tum, de ejus in ſacris paginis commendatione, à qua Ordini noſtro decus non exiguum addetur.

Genuina etymologia nominis Sabbathum.

HAnc vocem *ſabbathum* à *ſabbo*, id eſt Baccho deductam olim crediderunt Ethnici, ut mihi author eſt Plutarchus.

L. 4 Sympoſ q. 5.

In eam opinionem venerunt, ex eo quòd Judæos adverterent inter ſacrificandum variis compotationibus deditos; hinc eos Bacchi cultores, & à Baccho, qui *ſabbus* dicebatur, ſabbathum dictum eſſe crediderunt. Error is fuit, cui occaſionem dedit inſana Judæorum temulentia.

Ex vero autem vox illa *ſabbathum* originem habet ab Hebræo *ſabbat*, id eſt ceſſavit, vel requievit: indéque ſabbathum, quies eſt, atque operis intermiſſio.

Hunc orbem univerſum, elementa, Cœlos, & quidquid iis aut regitur aut volvitur, molitus eſt Deus diebus omninò ſex, non ampliùs: à quibus ab opere novo data quies, & opportuna ceſſatio; eáque die ſeptimo, quæ jam inde ſabbathum audit, auditque

auditque modò. Ab illa quiete benedixit ei Deus, hoc eſt laudavit, commendavit, approbavit. Vel, ſi mavis, benedixit, id eſt, ſanctum & feſtum eſſe decrevit in ætates omnes longè conſequentes. Hoc enim Adamo primum ab ipſomet authore Univerſi, datum eſt in mandatis ut dies ſeptimus ſacer, & feſtus eſſet, dicatúsque recolendæ memoriæ illius beneficii, quod in orbis fabrica acceperat homo. Quod præceptum deinde ab ipſo Moyſe non tam datum eſt quam inſtauratum: facilè enim cum ipſa ſæculorum inclinatione fit aliqua morum pietatisque inclinatio; quæ ut erigatur, novis præceptis eſt opus.

Exod. c. 31. v. 13.

Ea Dei nutu juſſúque Iſraeli indixit olim Moyſes his verbis: *Videte ut ſabbathum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris.* Eæ voces divino oraculo editæ mitam in Judæorum animis indidere ſabbathi religionem, cui ne deeſſent, etiam ſabbathulum de ſuo addidere: cùm enim neſcirent quo momento aut inciperet, aut deſineret ſabbathum (momenta enim temporis & oculos noſtros, & cogitationem fugiunt) hora una citiùs auſpicabantur cultum ſabbathi, & hora una tardiùs finiebant; adeò in ejus obſervantia cultúque religioſi fuêre Judæi: à quibus certè habet unde erubeſcat Chriſtianus, qui dies Dominicos, feſtóſque ita vel parcè colit, vel prodigè violat.

Alietum in quo ſacram ſabbathi æſtimationem teſtati ſunt Judæi, eſt quod ab illo dies omnes hebdomadæ nominandos cenſuerint: ita enim eam in ſuos dies deſcripſere. Prima ſabbathi, ſecunda ſabbathi, tertia ſabbathi, quarta ſabbathi, quinta ſabbathi, ſexta ſabbathi, denique & ſabbathum: ut in ſingulos ſeptimanæ dies ſua tranſiret ſabbathi reverentia.

Ad ejus obſervationis normam Gentiles hebdomadam quoque in dies diviſere, eóſque ſuorum Deorum nomina præferre voluerunt. Prima dies audiit dies Solis, ſecunda Lunæ, tertia Martis, quarta Mercurii, quinta Jovis, ſexta Veneris, ſeptima Sabbathum. vana certè ſuperſtitione. Sibi enim perſuadebant, Diis iſtis omnia deberi. A Sole ſpiritum ſe haurire opinabantur, à Luna corpus, à Marte fervorem, à Mercurio ſapientiam, à Jove temperantiam, à Venere voluptatem, à Saturno tarditatem, quæ ſuum rebus omnibus conſilii pondus adderet.

Ut horum omnium memores gratique viderentur, dies omnes, quibus ævum hoc mortale deſcribitur, eorum nominibus probè, improbè notandos eſſe cenſuerunt. vana certè, & futili ratione: quam ut è ſacris faſtis, Cleríque tabulis eraderet Eccleſia, primum Hebdomadæ diem Dominicum appellavit, quia Domino ſacrum, reliquos Ferias dixit; quia ſuos Clericos omni die ceſſare voluit, & ab opere ſeculari feriari, uſquedum affulgeret Sabbathum, hoc eſt longa quies æternitatis.

Et hæc ad Sabbathi notionem cultúmque faciunt, à quibus redeo ad ſacros ordines, quæróque cur ii Sabbatho potiùs, quàm alio quovis die conferantur.

Rationes cur ex Eccleſiæ inſtituto Ordines dentur in Sabbatho?

PRIMA RATIO.

Quies ab opere ſervili.

IN oculis, in manibus eſt ratio. dies Sabbathi myſterio ſervit: docet enim Clericum, cùm primùm ad Ordines aſcendit, debere ab opere ſervili quieſcere.

Quænam, inquies, ea ſunt opera ſervilia?

Non ea crede, quibus implicantur manus, & obruuntur humeri; ſed potiùs ea, quibus malè diſtinetur & occupatur immortalis animus: ea, inquam, ad quæ trahimur impotenti tyrannide paſſionum noſtrarum, de quibus Ambroſium audi facondè differentem.

Ambroſ. l. 2. Epiſt.

Eſt, inquit, *qui cum paucioribus præſit, pluribus Dominis, & gravioribus ſervit: ſervit enim propriis paſſionibus, ſervit cupiditatibus ſuis, quarum dominatum, nec nocte fugere poteſt, nec die, quia intra ſe Dominos habet, intra ſe ſervitium patitur intolerabile.*

Ut autem abeamus ab illo ſervitio, ab illis Dominis, ſeu potiùs tyrannis, qui opera ſervilia liberæ menti imponunt, monet ipſa dies Sabbathi, quæ ſui nominis etymologia quietem indicit; primùm à paſſionibus, earúmque operibus; tum etiam à curis, nimiáque ſollicitudine rerum hujus ſæculi, vitæque mortalis, à qua ut diſcedamus, etiam urget Paulus, vas electionis, Gentium Doctor. *Nemo*, inquit, *militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.*

Ad Timoth. 2. c. 2. v. 4.

Ea porrò ſunt vitæ negotiationes, tractationes vulgarium rerum, quæ ad victum, ad rem familiarem, ad commutabilia fortunæ bona pertinent, unde exiſtit avaritiæ labes, aliæque animi cupiditates inflammantur. Iis ſeſe implicare non debet, qui Deo militat: miles enim, qui ſub aliquo Principe ſtipendia meret, nec mercaturam curat, nec agriculturam exercet, nec ſeſe abjicit ad opificium, aliáſque domeſticas curas. Imò nec de victu adeò laborat: nimirum ea cura penes eſt Duces ac Principes: militia eſt armis intendere, ſpectare prælia, victorias meditari. Unde & militibus olim vetitum fuiſſe conjugium probat Tacitus, & ſuo ævo cœlibes fuiſſe author eſt Tertullianus: ita nimirum fieri oportuit, ne qua familiæ cura diſtraheret, ne uxoris aut prolium amor à bello revocaret. *Mens enim devota prælüs non debet aliis cogitationibus occupari*, inquit Caſſiodorus.

Lib. 14 in exhort. ad Caſtitatem.

Lib. 1 Var. Ep. 7.

Quod ſi eos qui mundo, terriſque militant, à rebus ſæcularibus penitus abſtinere neceſſum eſt: multò magis hi, qui cœlo merent atque æternitati, rebus inanibus contemptis, abjectáque cura ſæcularium, ſacris tantum operari, & amore Numinis curare cœleſtia, procúlque à terrenis recedere debent. Ad eos enim ſpectat illud Iſaiæ: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini qui fertis vaſa Domini.*

Iſa c. 52.

Vaſa Domini ferunt, inquit D. Gregorius, *qui proximorum animas ad æterna perducendas in ſuæ converſationis fide ſuſcipiunt. Apud ſemetipſos ergo quantum debeant mundari, conſpiciant, qui ad æternitatis templum vaſa viventia in ſinu propria ſponſionis portant.*

D Greg. 2 p Paſt c. 2.

Quod ſi fortè ab illo ſeceſſu, & negotiorum ſæcularium turba, quæ verè animos inquinat, & polluit (quis enim, ut aureo ore Chryſologus, *Per vitiorum gurgites impollutus incedit? Quis carnis negotia, vitæ cauſas, actus mundi ſine querela peragit?*) ſi te, inquam, ab illo ſeceſſu, ab illa quiete, & ordinationis tuæ Sabbatho avocat importuna amicorum turba, ſi aliqua ſanguinis commixtio, & ut videtur neceſſitudo quædam; die age cum Romano ſapiente: *Non vaco ad iſtas ineptias: ingens negotium in manibus eſt.* Negotium dico Cœli, ſalutis, æternitatis, & immortalis Dei.

Seneca. Ep. 49.

Quod ſi ſapientis illius voces, & propè Chriſtiana oracula, amici, parentéſque plus æquo importuni non audiant; ſponſam appella, & de cœleſti ſede evoca. Audient heroinam illam divinam cautam omni rerum abjectarum colluvie: exaggerabit illa, atque opponet animi ſui, tuíque votum, dicétque: *expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Cant. 5. v. 3.

Hæ ſunt voces, juſtáque excuſatio, quam prætexit ſponſa, id eſt, mens Deo & ſacris aris devota. *Expoliavi me tunica mea*; ea inquam, quam à primis parentibus Adamo & Eva acceperam. Fecerat illis Deus tunicas pelliceas, & induerat eos. Meritò pelliceas eſſe oportuit, & mortuorum animantium

Gen. c. 3.

exuvias

cauvias; ut quia à peccato mortui, & beſtiarum inſtar ad paſtum abjici, & hujus ævi mortalia curis vacare debuerunt, eáſque unà cum tunica pellicea, cum veſtibus mortalitatis erant in poſteros emiſſuri. Verùm eas fœlici forte exuit ſponſa, exuit animus Deo ſacer, ideóque cum illa è lectulo quietis ſuæ ac Sabbathi iterum ingeminat illud. *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa: lavi pedes meos,* (affectus, inquam, & abjecti animi propenſiones) *quomodo inquinabo illos?* Quomodo ad priſtinas ſordes, ad amorem vilium rerum, tractationémque redibo; ab iis jam inde piè ac beatè ſpoliatus, & undique lotus, per me, per ſuperos, redibo nunquam, nunquam abjecta tunica induar, nunquam lotos pedes inquinabo. Hæc decreta magnæ mentis, hæc quies, hic Sabbathiſmus.

SECUNDA RATIO.

Quies, & ſeceſſus ſpiritalis.

ALterum ad quod nos tacitè vocat Sabbathum ordinationis noſtræ, eſt otium ſpiritale, ſeceſſus opportunus, & pia dierum aliquot ſolitudo, ad quam etiam nos ipſa natura, ratio, neceſſitas, majorum exempla allicere videntur.

Naturam ipſam cōprehendere evincit illud, quòd etiam illam amarint Ethnici.

Romanus Orator Tullius non exiſtimavit eum eſſe liberum, qui huic otio non vacaret: *Mihi*, in-
2. de Orat. quiebat, *is liber eſſe non videtur, qui non aliquando nihil agit.* Eam porrò libertatem ut aſſequeretur, in Tuſculanum ſuum ſecedere ſolitus; ut qui Romæ Reipublicæ fuerat, in ſuo Tuſculo ſuus eſſet: ita enim ſcripſit olim: *Moror in Tuſculano meo ſemiliber.* Nimirum à Reipublicæ curis, ab æſtu negotiorum, aliquid de nativa libertate quodammodo deceſſerat, quod ab illo ſeceſſu accedebat.

Ciceronem imitatus Seneca de ſeipſo ita loquitur:
Epiſt. 81. *In hoc ſeceſſu me recondidi, & fores clauſi, ut prodeſſe pluribus poſſem: nullus niſi per otium dies exit, partem noctium ſtudiis vendico: non vaco ſomno; ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadenteſq; in opere detineo. Seceſſi non tantùm ab hominibus; ſed etiam à rebus, & primum à meis. Poſterorum negotium ago, illis aliqua, quæ poſſent prodeſſe, conſcribo.*

Et Senecæ fuit ſeceſſus illius ratio, ut poſterorum negotium ageret, ut aliqua conſcriberet, quæ poſſent prodeſſe: nobis autem alia longè, potiorque cauſa. non enim poſterorum, aut temporis hujus negotium agimus; ſed noſtrum, ſed æternitatis: nec ea meditamur, aut ſcribimus, quæ aliis; ſed quæ nobis ſeros in annos prodeſſe poſſunt. Quæ verò ſint ea, diſce ex S. Paulino Epiſtola ad Severum ſibi familiarem, quæ ita habet:

Epiſt. 5. *A fori ſtrepitu remotus, ruris otium & Eccleſiæ cultum placita in ſecretis domeſticis tranquillitate celebrari, ut paulatim ſeducto à ſæcularibus turbis animo, præceptiſq; cœleſtibus accommodato, proclivius ad contemptum mundi, comitatumq; Chriſti, jam quaſi de finitima huic propoſito via demigraverim.* Hæc ſibi ſeceſſus illius commoda propoſuit vir ſanctus. Primum fuit Eccleſiæ cultus: dum enim piis exercitationibus excolitur Præſulum animus; & Eccleſiam ipſam in præcipuis ſuis membris excoli eſt neceſſe.

Alterum fuit inſignis animi tranquillitas; ut enim adverſo ventorum impetu turbantur maria, iiſque tacentibus ſubſidunt, & conquieſcunt. Ita animus inſolente illo negotiorum foriſque ſtrepitu concutitur, atque agitatur, eóque ſedato, ſibi, & tranquillitati redditur; itaque pacato mentis ſinu cœleſtia præcepta molliùs ac fœliciùs excipit, & ad contemptum mundi, Chriſtique comitatum excitatur.

Eandem ſeceſſus illius cauſam habuit attulitque D. Hieronymus Epiſtola ad Celantiam. *Ita habeto,* inquit, *ſolicitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas. Eligatur tibi opportunus, & aliquantulum à familia ſtrepitu remotus locus, in quem* Epiſt. 14. *tu velut in portum quaſi ex multa tempeſtate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus, ſecreti tranquillitate componas. Tantum ibi ſit divinæ lectionis ſtudium, tam crebra orationum vices, tam firma & preſſa de futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes facilè hac vacatione compenſes. Nec hoc ideò dicimus, quo te retrahamus à tuis: imò id agimus, ut ibi diſcas, ibiq; mediteris qualem tuis præbere te debeas.* Hactenus D. Hieronymus, cum quo ſentiunt alii Sancti Patres, qui ut hunc ſeceſſum otiúmque liberæ mentis amarunt: ita & de eo locuti magnificè; ut non ſolùm exemplo invitarent, ſed etiam verbo.

D. Gregorius Nazianzenus, qui ſæpiùs ita ſecedere ſolitus, ut ſeipſum inſpiceret, atque exploraret, illam ſolitariæ mentis exercitationem appellat, Orat. *In morbis animi medicinam.*

S. Aper Tullenſis Epiſcopus, *familiare ſecretum taciti ruris*, quod etiam ipſe pia conſuetudine petebat.

D. Paulinus ſui ævi miraculum, altiore verbo S. Paulinus. uſus, *Cœleſtem officinam* vocitabat. Rogatus autem ep. 29. quid in ea officina cudi debeat, reſpondet: *Inſtructioni ſanctæ vacare, & incendere ſtudiis ſpiritalibus.* Verbo uno *formare in ſe Chriſtum.*

D. Leo non à tiara Pontificia tantùm, ſed à doctrina & vitæ ſanctimonia magnus, ſolitudinem illam inſcribere ſolebat, *Aulam mentis, in qua* (mens) *divina vacet ſapientia, & omni ſtrepitu terrenarum ſi-* S. Leo ſer. 8. de jejunio. *lente curarum in meditationibus ſanctis*, deliciis lætetur æternis.

Iſaias in divinis Scripturarum oraculis, otium il- Cap. 58.
lud dixit eſſe Sabbathum delicatum: Ad illud re vo- v. 13.
cat, imò cogit illa dies qua primùm ſacris inſignitus es honoribus: fuit illa Sabbathum, quod vel ſolo nomine te quietis illius admoneat.

Erit illa quies, *animi medicina*: ut enim corpus ipſum lapſu ætatis ac temporis vitium contrahit, noxioſque humores, quos arte medica, opportuniſque pharmacis evacuari neceſſum eſt: ita & animus cupiditatum ſuarum ignibus, ceu febribus æſtuat, vitiúmque patitur.

Ei porrò remedio erit illa ipſa exercitatio, quam propono: ne eam reſpue, néve te ab animi robore & valetudine Nazianzeno firmiorem crede: uſus ille hac medicina, & tu utere: erit etiam illa pro ſecreto familiari, quo arcana mentis jam ſparſa colligas, & ad ſeipſa revoces. Erit & *officina cœleſtis*, in qua fingas & excudas ſcutum Fidei, galeam ſalutis, gladium ſpiritus, quo & hoſtem petas, & omnia ejus tela vel eludas, vel frangas. Erit *officina cœleſtis*, in qua ardeat, atque æſtuet ignis divini amoris, à quo deinde Chriſtum in teipſo efformes, qui fortè à liberiore vita, gelúque rigidi pectoris malè fuerat deformatus. Erit *aula mentis* in qua libero pede, liberis, inquam, affectibus ambules, & Deo pleniùs deliciis fruaris æternis. Erit denique *Sabbathum delicatum*, in quo parentur eſcæ, coquatur panis, in cujus fortitudine aſcendas, non dico uſque ad montem Dei Oreb; ſed ad cœlum uſque, ad ſedem gloriæ, thronum beatitudinis, Sabbathum æternitatis.

TERTIA RATIO.

Sabbathiſmus, ſeu annua veneratio primæ conſecrationis.

IAm inde à prima hujus Univerſi molitione benedixit Deus diei ſeptimo, id eſt Sabbatho, eumque ſanctificavit, id eſt feſtum ac ſolemnem Adamo, poſteriſque eſſe voluit, ut ſic in ætates longè conſequentes abiret memoria creationis, quæ etiam omninò decet diem illum quo primùm per manus Pontificias inaugurati ſumus: ex vero enim in illa die

die abiimus in *novam in Chriſto creaturam*, ut diſertè 2. Cor. 5. inculcat Paulus, & ipſa loquendi ratio; jam inde à primis ſæculis, à ſacris hiſtoriographis uſurpari ſolita. Ubi enim recenſent illi geſta ſummorum Pontificum, ubi ſacras Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ordinationes; vulgò utuntur hac voce: *Creavit* Epiſcopos per diverſa loca tot, *Creavit* tot Presbyteros, Diaconos; ut hac loquendi formula inſinuent eos ex illo die quodammodo creatos, & recreatos eſſe, atque omninò in novam tranſiiſſe creaturam. Quod ſi ita eſt, dies ille benedictus, ſacer ac feſtivus eſſe debet, annuáque ſolennitate recolendus, ne unquam tanti beneficii memoria ex animo dilabatur. Et certè jam inde à primis annis is videtur fuiſſe tenor, & lactea ſenſus pietatis, quo ſacrati myſtæ, & diem illum ſedulò colere, & ſe ad omnem muneris ſui partem inſtaurare.

6. Appello prima Eccleſiæ lumina, auguſtáque nomina, quibus diem illum albo fœlicique calculo notaverunt Sancti Patres, Græci enim dixêre *ἑορτὴν*, id eſt, feſtum, Latini *diem natalem*. Leo magnus, *Natalitium diem, & annua feſta Paſtoris*. S. Ambroſius *natalem Sacerdotii*. S. Auguſtinus *diem ſolennem Epiſcopatus: diem anniverſarium ordinationis*. Gregorius Turonenſis *ſolennitatem natalitii*. Hilarius Papa *natalis feſtivitatem*. Petrus Chryſologus *feſta natalitia*.

Cenſebant nimirum iſti Patres lucem illam ſibi natalem, qua in ſacros ordines fuerant aſcripti. Et meritò: ſi enim ea natalis cenſeri debet, à qua habes eſſe, multò magis ea à qua benè eſſe ſortitus es.

Et hinc alterum exurgit beneficii caput, ex quo huic plus debeas, quàm illi.

Ab hac enim nactus es eſſe quoddam cœleſte ac divinum; ab illa tantùm relinquitur mortalis quædam & humana conditio, nihilo cæteris hominibus ſuperior. Nimirum ea dies, quæ tuæ inaugurationi illuxit, eò te evexit, ut in aliquam Dei ſimilitudinem, & beati Numinis communionem admittereris, & humanam quodammodo depoſuiſſe videreris.
Pſal. 81. Audiſti enim ipſo primæ Veritatis teſtimonio. *Ego dixi: Dii eſtis*. Et, *ipſe Deus ſtetit in Synagoga Deorum*. id eſt, Sacerdotum: quam nominis majeſtatem ag-
Conſt. Apoſt. l. 2, c. 26. novêre Sancti Patres Apoſtolis propiores, è quibus Clemens Romanus Sacrorum Præfectum, cultúſque divini magiſtrum vocare ſolitus *Terreſtrem Deum*.

De Eccl. Hierar. c. 2. Et magnus ille ab Areopago Dionyſius eam vim Sacerdotii Chriſtiani eſſe prodit, ut *Pontifex Deus fiat, inter homines divinus, & Numine ſacroſancto plenus*: quæ perſuaſio non tantùm ab Eccleſia, viriſque ſanctis recepta ex pio quodam exceſſu mentis, guſtúque divinorum; verùm etiam ad barbaros uſque dimanavit, eorúmque animos auguſta quadam illius ordinis majeſtate commovit.

L. 12. c. 45. Nicephorus gravis author ſcribit Theotimum Scythiæ Epiſcopum à virtute, & mirifica dignitatis amplitudine in ea fuiſſe opinione, ut paſſim ab Hunnis appellaretur *Deus Romanorum*.

Imò jam inde ab exordiis mundi invaluit ea appellatio, ut Sacerdos Deus diceretur. Clemens Romanus ex Apoſtolica traditione refert juſtum Seth vocatum eſſe Deum, quòd religione præſtaret, & primus Sacerdotio fungeretur: primus enim cœpit invocare nomen Domini, adeóque primus Sacerdos, primus in terris Deus.

Ex quibus omnibus id tantùm confici velim, diem ordinationis, diem Sacerdotii natalem eſſe: in ea quippe deſiiſti quodammodo eſſe quod eras, & eſſe cœpiſti quod non eras: factus enim, ut cum Apo-
2. Cor. c. 5. v. 17. ſtolo loquar, *In Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt; ecce facta ſunt omnia nova*.

Ea porrò novitas, is divinorum natalium ſplendor facit ut eum diem æſtimemus nobis verè fuiſſe ſabbathum, id eſt, ſacrum, feſtum, ſolennem, cui ut olim ſabbatho benedixit Deus, & quem omninò ſanctificavit.

Ut autem ea Dei benedictio, & ab illa ducta ſanctitas duret in ſeros annos, imò excitetur & augeatur magis; viſum eſt eum diem anniverſaria devotione recolere, ut ſi fortè lapſu temporis aliquid de prima illa ſanctitate exciderit, reparetur.

Eam rationem affert D. Paulus ad Timotheum, quem in hunc modum invitat. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*.

Sicut ſopitus ignis, & ſub obſcuro cinere latens, ſenſim imminuitur, atque interit: ita igneus ardor, fervórque enthens, qui in die ordinationis excitatus fuerat, facilè tegitur multo temporis cinere, à quo niſi ſuſcitetur, obruitur, & omninò perit.

Suſcitatur autem annua illa devotione, & grata primi illius ſabbathi memoria.

Ad eam antiqui Patres tria olim contuliſſe leguntur, quæ R. P. Ludovicus Creſollius in ſuo Myſtagogo, ea qua cætera ſolet dicendi copia, fuſiùs explicat: ego paucis attingo.

Primùm enim, qui natalitia celebrabat ſua, divinis ſacris operabatur, & tanquam novus Aaron in ſancta veniens: non quidem fulgentibus in gemmis inſcripta Tribuum nomina, ſed religioſo in pectore admiſſa populi Chriſtiani vota deferebat.

Tum ſacram è pulpito habebat concionem, in qua diſerta lingua, accenſo ſpiritu de Sacerdotii præſtantia, de muneris ſibi impoſiti magnitudine, de Eccleſiæ dignitate multis diſſerebat.

Tum denique re divina perfecta, & votis ritè piéque ſolutis, tribatur convivium, quod non tam effuſa vini copia, & varius ciborum apparatus, quàm liberalis & innocua modeſtia condiebat. Id epulum, & quæ ex eo fluebat honeſtiſſima ac ſuavis reliquæ diei hilaritas, à D. Chryſologo nominatur *Sacerdotum gaudia*. A D. Leone *communis lætitia* appellatur: ita ad omnes omninò fideles illius diei feſtivitas emanabat. Ut ab illis ad te etiam derivari patiaris, urget ipſa dies ſabbathi, quæ te primum Sacerdotem, novámque in Chriſto creaturam vidit, ſuſpexit, amavit.

CAPUT V.

De Sacramento Ordinis.

IN hoc argumento duo mihi tractanda propoſui. Primum ſitne in Eccleſia verum Ordinis Sacramentum? Tum quis Ordinum numerus, & quæ numeri ratio?

§. I.

Sitne in Eccleſia verum Ordinis Sacramentum?

LUtherus, qui ab ordine ſuo transfuga diſceſſerat, *In lib. de* & in immane chaos, confuſionemque perditæ *Capt. Babyl.* mentis totus exceſſerat; inſolenti temerarioque auſu *c. de Ordine.* negavit Ordinem inter Eccleſiæ Sacramenta reponi oportere.

Calvinus, etſi pleriſque in locis duo tantùm Sacramenta ſtatuiſſe videatur, Baptiſmum, & Cœnam; tamen libro quarto Inſtitutionum, agnoſcit Ordi- *cap. 4.* nationem eſſe Sacramentum, verum illud quidem, non tamen fidelibus omnibus commune.

Ego cum hoc aut illo congredi nolim: nec enim cum hæreticis contendere hoc loco fuit animus; ſed tantùm libellum pium meditari & excudere.

Quod ut aſſequar, id ſtatuo, quod inter Catholicos extra controverſiam eſt. Ordinem eſſe verum Sacramentum.

Illud probat evincitque ratio; eſt enim ſymbolum, ſeu ritus externus annexam habens promiſſionem gratiæ, & quidem ex mandato, atque inſtitutione divina;

divina: quæ tris ad verum Sacramentum & requiri & ſufficere in confeſſo eſt apud omnes. Pro ritu, ſymbolóve externo, habes manuum impoſitionem.
1. Cap 4. de qua Apoſtolus ad Timotheum: *Cum impoſitione manuum Presbyterii.*

Pro divinæ gratiæ pacto, certáque promiſſione ſpondet idem Apoſtolus dum ad eundem Timotheum ait: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Pro mandato, divináque inſtitutione illud accipe,
Act. 20. quod in actis Apoſtolorum habes. *In quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos.*

Ad hanc illius Sacramenti inſtitutionem addi poteſt ipſe ſenſus Eccleſiæ jam inde à prima origine: legetur ille è Sanctis Patribus, è quibus duos tantùm produco.

D. Chryſoſtomus facunda ut ſolet mente, aureóque calamo, libro tertio de Sacerdotio hæc ſcripſit ad illius Ordinis fidem ac majeſtatem.

Sacerdotium in terra peragitur, ſed in rerum cœleſtium claſſem, ordinemq́; referendum eſt. Atque id perquam meritò: quippe non mortalis quiſpiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, ſed ipſe Paracletus ordinem ejuſmodi inſtituit.

Agnoſcat hic Lutherus, & ſuſcipiat Sacerdotii characterem & gratiam, cujus artifex eſt ipſa Dei potentia, quæ ſola hunc ordinem orbi noſtro efferre potuit; damnétque ignaviam, imò, & perfidiam ſuam, qua hanc à ſe muneris olim impoſiti dignitatem abjecit, fœdéque per errores ſuos proſtituit. Sed ne longiùs: è Sanctis Patribus unum adhuc audiamus: is erit D. Gregorius, à rebus præclarè geſtis omninò magnus, qui hoc de Ordinis gratia protulit teſtimonium.

Lib. 4. Reg. c. 5. *Is qui promovetur, benè foris ungitur, ſi intus virtute Sacramenti roboretur.*

Denique pro coronide adjicio Concilii Tridentini definitionem ac decretum, quo dicitur anathema ei, qui Ordinationem aut negarit eſſe Sacramentum, aut figmentum quoddam humanum eſſe pronuntiarit.

Mitto cætera, quæ eam in rem fuſiùs inter ſe diſputant Theologi.

Quis autem è ſeptem ordinibus in Sacramentis reponendus ſit, alterius eſt fori, & ſcholæ Theologicæ, cui relinquo; quia hic non ago Theologum, ſed ea tantùm quæ ad mores conducunt ſequor: id tamen affirmo paucis; quod communi Doctorum calculo conſtitui ſolet.

Sacerdotium, Diaconatum & Subdiaconatum eſſe Sacramenta, ideóque inter majores & ſacros ordines numerari.

De aliis autem ſua ſit inter Theologos lis atque contentio: ego in præſentia iis conſultò ſuperſedeo; quia ad meum inſtitutum nihil conferre videntur.

§. II.

Quot ſint Ordines, & unde petatur eorum numerus?

COmmunis Doctorum ſententia ſeptem recenſet hac ſerie. Ordo *Sacerdotii, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris, Oſtiarii.*

Si ex me quæras unde deſumatur ea ſeries, is numeros Ordinum? Audies quod in quæſtione non abſimili olim Judæi audierunt. Agitabatur inter fideles ea quæſtio, deberéntne gentiles Chriſtiani circumcidi, legémque Moyſis obſervare. Coactum ſuper ea re Jeroſolymis concilium, anno à Paſſione Chriſti decimo ſexto. Ei præerat D. Petrus Eccleſiæ Princeps, & caput; aderat D. Jacobus Hieroſolymitanæ urbis Epiſcopus; aderat & Paulus vas electionis, qui hoc D. Petri effatum è Cathedra Ve-

ritatis extulit *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris.* Act. c. 15. v. 28.

Et hoc Eccleſiæ Petrique pronuntiatum Antiochiam retulit Paulus & Barnabas, cui illicò omnes velut oraculo de Cœlis emiſſo acquieverunt.

Et tu pariter acquieſcas eſt neceſſe, ubi intellexeris Eccleſiam, (quæ divinæ ſapientiæ ſpecula, Fidei ſedes, columna, & firmamentum eſt Veritatis) ſeptem omninò Ordines recenſere. Ubi animo memori, oculóve etiam, ſi voles, ingreſſus fueris auguſtum illud, ſacrúmque conclave, ſeu concilii Carthaginenſis quarti, ſeu etiam Tridentini, legeriſque quid in eo ſentiant, quid loquantur evocati è toto orbe Patres, ſeptem ii Ordines numerant: tu ſi ſapis nec pauciores ama, nec plures ſectare: ſed in ſeptenario numero conquieſce. Et certè quidni tutus conquieſcas: ſi enim, ut benè arguit Theodorus Epiſtola ad Leonem Papam; ſi, inquam, Paulus *præco veritatis, tuba Sancti Spiritus, ad magnum Petrum concurrit, ut iis, qui Antiochia de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem: multo magis nos, qui abjecti ſumus, & puſilli ad Apoſtolicam veſtram ſedem currimus, ut Eccleſiarum vulneribus medicinam à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos eſſe convenit.*

Si ita ſaperent hæretici noſtri temporis, non ea inter illos lis foret ac contentio; non ex cavillationes, & controverſiarum inexplicabiles labyrinthi, quibus non evolvitur, ſed involvitur, imò etiam obruitur nuda & ſimplex veritas, cui teſtimonium redderet ſupremus Judex, Eccleſiæ caput, & controverſiarum arbiter.

Sed longiùs elabor ab argumento: ad inſtitutum revertor, & ſecundam adjicio rationem, quæ ſeptem in Eccleſia Ordines ſtatuat & probet. Ea petetur ex officiis ſingulorum. Ab infimo ad ſummum, gradum faciemus. Infimus ordo eſt Oſtiarii, cujus officium eſt templum aperire, claudere, cuſtodire, fideles admittere, repellere infideles, & aliqua excommunicationis cenſura notatos procul à ſacro limine arcere: hinc ei ab Epiſcopo traduntur ſacræ ædis claves, cum hac gravi & ſevera monitione.

Sic age, ſic vive, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Lectoris munus eſt legere in nocturnis officiis ea quæ è veteri teſtamento proponuntur. Inde ei ab Epiſcopo liber offertur hac verborum formulâ, quæ ad plures cùm fuerint, ita dirigitur.

Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei benè adminiſtraverunt ab initio.

Exorciſtæ (qui latina voce adjurans, increpans dicitur) incumbit manus ſuper Energumenos imponere, exorciſmos Eccleſiæ legere, & dæmones è corporibus, velut ex alienis hoſpitiis, expellere. Ideóque è manu Epiſcopi librum accipit exorciſmorum adjectis ad eum cæteroſque hiſce verbis.

Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenos, ſive baptiſatos, ſive Catechumenos.

Acolyto (qui latinè ceroferarius, ſive acceſſor luminum dicitur) hæc impoſita cura, ut luminaria ad ſacrificium præparet, & teneat: maximè verò cùm prælegitur Evangelium; inſuper, & urceolos cum aqua & vino Subdiacono tradat; quod ut ſedulò faciat, ab Epiſcopo unà cum aliis hæc audit.

Accipite ceroferarium cum cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.

Subdiaconi prius in Eccleſia labor eſt, oblationes in templo Domini à fidelibus factas ſuſcipere, calicem & patenam ad altare Dei deferre, ideóque calicem vacuum, patenamque de manu Epiſcopi accipiens audit illud, audiunt & alii.

Videte cujus miniſterium vobis traditur, ideò vos

 admoneo,

admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis. Ubi hæc excepit ore Pontificis, tum ſacrum ab eodem accipit amictum hac verborum lege.

Accipe amictum, per quem deſignatur caſtigatio vocis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Tum deinde manipulus in brachium ſiniſtrum immittitur, animoque ac fideli memoriæ committitur monitum illud.

Accipe manipulum, per quem deſignantur fructus bonorum operum.

Induitur deinde tunica; illudque haurit auribus. *Tunica munditatis, & indumento lætitiæ induat te Dominus.*

Deniq́ue accipit librum Epiſtolarum, & dum unà cum aliis manu tangit, hæc audit.

Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis.

Acceſſit enim ad officium Diaconi Epiſtolæ lectio, quæ tamen ab eo in primitiva Eccleſia non fuit uſurpata, ſed tum demum cùm Diacono Evangelii lectio eſt præſcripta.

Diaconi (qui hebraicè Levitæ, latinè miniſtri, ſive aſſumpti ſive offerentes appellantur) debent ex muneris ſibi impoſiti dignitate, aſſiſtere Sacerdoti, ſacra altaris myſteria peragenti; imò & Evangelium populo prælegere. Hinc & illi excipiunt ab Epiſcopo hæc verba.

Accipite poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis. In nomine Domini.

Sacerdotis denique (qui & Presbyteri, id eſt ſenioris nomen accepit) officium eſt, immortali Deo, ineffabile, ſacroſanctum divinumque ſacrificium offerre, & ſacras inter aras corpus & ſanguinem Chriſti conſecrare, qui ad id muneris, & dignitatis hac ab Epiſcopo forma initiari ſolet.

Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, miſſamque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini.

Et hæc de numero Ordinum dicta ſunt ea eorum officiis: ſubdamus quæ ex alio capite rationes occurrunt.

§. III.

Rationes aliæ deductæ ex myſteriis numeri ſeptenarii.

Erit fortaſſe nonnemo, qui hunc numerum Ordinum referri volet ad ea myſteria quæ in ſe complectitur numerus ſeptenarius. Ea fusè, & operosè deducit Philo Judæus libro de mundi opificio. Ex illo pauca petemus.

PRIMA RATIO.

Septenarius numerus eſt Sacer.

Primum quod ad hujus numeri lucem gratiamque facit, eſt quod Antiquis ſanctus ſit appellatus, quòd ejus uſus etiam in ſacris frequens: eo quippe ſuperi, Deusque viſus eſt delectari.

Ubi magnus ille multarum gentium Parens Abra- Gen. c. 21.
ham fœdus inire voluit cum Abimelecho: *ſtatuit ſeptem agnas gregis ſeorſum.*

In pretium putei, & circumjacentis agri dederat Abraham Abimelecho opimos greges, quibus deinde addidit, & ſecrevit agnas ſeptem.

Si quæras cum Abimelecho, *Quid ſibi volunt ſeptem agnæ iſtæ, quas ſtare feciſti ſeorſum?* audies ex Abrahamo, *Ut ſint mihi in teſtimonium*, in ſignum initi fœderis, & Fidei datæ acceptæque teſſeram,

Et meritò in ſymbolum fœderis, quod ſacrum, & inviolabilè eſſe debuit offeruntur ſeptem agnæ, innoxia animalia, numero ſacratiore ac divino, cujus myſteria jam inde pervaſerat Abraham: nec enim credibile eſt ſecreviſſe ſeptem agnas, neque pauciores, neque plures, niſi eo numero magnum Fidei fœderisque Sacramentum portendi cenſuiſſet. Habes ex eo, numerum ſeptenarium ſerviviſſe firmandæ Fidei; accipe quod inſuper & religioni ſerviat.

Gemuerat Hebræus ſub immani Ægyptiorum ſervitute: ubi eam divina manu opitulante excuſſit, in perennem accepti beneficii memoriam juſſus eſt Deo ſervatori immolare *Phaſe*, edere paſchalem agnum, & ſeptem diebus azima comedere: ita enim ferebant Exod. c. 12.
verba legis. *Septem diebus azyma comedetis.* Ecce v. 15.
ſeptenarius numerus, qui gratitudini, qui religioni præſcribitur: utpote ſymbolum gratitudinis ac religionis. Adjiciamus & alterum quod ad inſtitutum noſtrum plurimum conducit.

Ubi Aaron, filiique initiandi fuerunt Sacerdotio, hæc inter cæteros ritus Moyſi præcepit Deus. *Sep-* Exod. 29.
tem diebus conſecrabit manus eorum. Sacra ſcilicet un- v. 35.
ctione, qua ad divina deliniri, & parari manus: nimirum jam inde Sacerdotio, altarique ſacer & devotus erat ille numerus ſeptenarius: ut proinde mirum videri non debeat, etiam ſeptenario ordinum numero Eccleſiam delectari.

Sed abeamus à ſacerdotio, veniamus ad victimas: & illas eodem numero amavit Deus.

Fuit apud Habreos ſolennis dies, & feſtus tubarum, in quo, ut alios ritus omittam, per dies ſeptem offerendi agni anniculi, immaculati ſeptem: adeò hoc oumero gaviſum Numen, ut eum ſibi & in diebus, & in victimis diſcribendum eſſe cenſuerit. Quod ſi voles hunc numerum ab aris ad arma transferri, & ipſe vindex ſcelerum Deus tranſtuliſſe viſus. Ut Jerichontinam civitatem, Iſraëli Deoque rebellem ſubigeret ultria ſupeiûm manus, hoc numero ut machinis murali uſus: juſſit enim ſeptimo die Sacerdotes tollere ſeptem tubas, quarum uſus erat in Jubilæo, ſeptieſque circuire civitatem, & tubis clangere. Mirum dictu, viſuque! immanes illæ turrium moles, ingenteſque murorum minæ, ad clangorem tubarum ſeptem concuſſæ, conquaſſatæ, dirutæ, inſolentem fecere ruinam.

Sed iſta hactenus de myſteriis oumeri ſeptenarii; ſupereſt ut paucis ea ad ordines traducamus.

Quiſquis ad eos admiſſus es, cum Eccleſia Matre, cum Chriſto Parente, cum Authore Deo fœdus pepigiſti, fidem obligaſti, etiam ſolenni voto ſi ad ſacros Ordines tranſiviſti, tibi commiſſi, tibi traditi theſauri Eccleſiæ cœli claves, divinæ gazæ meritorum Chriſti, eorum diſpenſator es: *quæritur* autem *inter* 1. Cor. c. 4.
diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. v. 2.

Fidelis erit, inquit Theophylactus, *ſi herilia bona* Theophil.
ſibi non vindicet, & attribuat, ut non veluti Dominus in Luc. c. 12.
res tractet; ſed veluti aliena, & herilia diſpenſet: non v. 42.
ſua eſſe ducens, quia ſunt heri; ſed è diverſo quæ ſua ſunt, heri eſſe.

Fidelis erit, inquit Bernardus, ſi neceſſitatis, ſi utilitatis proximorum rationem habeat; ſi ex Domini ſui nutu ac voluntate, quæ ſui muneris & ordinis ſunt, faciat, non vanæ gloriolæ ac turpis lucri gratia. Ut enim pulchrè Bernardus ad Eugenium: *Ubi neceſ-* Bernard. l. 3.
ſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas pro- de conſid.
vocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas dico communis, non propria; nam cum nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.

Ne ejus aliquando reus arguaris, Fidei datæ monet vel ipſe numerus ſeptenarius ordinum, quibus initiatus es.

Monet deinde gratitudinis ac religionis: Eras ut olim Hebræus in ſæculo, in Ægypto, id eſt atra peccati ſervitute: abea te eduxit Deus, voluitque ut comederes azyma, ederes paſchalem agnum, ad eum immolandum per ſeptem ordines evocatos: proponunt illi, cenſentque ſeptem dies conſecrationis tuæ,

quia,

quis, ut inquit Hugo Victorinus, *ſeptem ſunt dona Spiritus Sancti: alium dat m habet ſapientia, alium intellectus, alium conſilium, alium fortitudo, alium ſcientia, alium pietas, alium timor.* Ecce qui tibi, quàm amœni, quàm ſancti, diviniq́ue ſurgant dies illi ſeptem conſecrationis tuæ, qui cum aurea, ſacraq́ue luce, cœleſtium donorum influentias vehunt, donaq́ue ſeptem Spiritus Sancti: quibus ut gratus vivas, urget & ille tuorum ordinum numerus, qui etiam te victimam habet, facitq́ue, imò ſi neſcis Athletam, pugilemq́ue Chriſti, qui Jerichontinam civitatem, mundum inquam, à Deo ſuperiſq́ue averſum edomet, atque ſubjiciat verbo oris ſui, clangore Evangelicæ prædicationis. Certè ut Athleta habearis, & ſis, rogat pia Mater Eccleſia, ubi conſecrationis tuæ chriſma ſolenni ritu benedicit. Ita enim omnipotentem alloquitur.

Lib. 3 de ſacram. partis 7 c. 6.

Domine Deus in tuo nomine fiat hæc creatura jam chriſma, & habeatur ut chriſma, forma crucis, ſignum frontis, ſacri titulus bellatoris; in hoc chriſmate mulceatur auditus, purificetur viſus, ut talibus ſtipendiis Chriſti milites decorati, atque ambroſio rore madidi, imperanti ſerviant, non ſuadenti, & ſignati chriſmate ſancto ſigniferi eſſe mereantur cœleſtes.

Sic orat Eccleſia, ſic exorat Mater, & ab illa onctione Presbyteros ſuos in Athletas efformat, & in campum pulveremq́ue glorioſos emittit. Sic quippe ore magnifico teſtatur Ambroſius.

Ambroſ. l. 1. de Sacram. c. 2.

Occurrit Presbyter, unctus es quaſi Athleta Chriſti, quaſi luctamen hujus ſæculi luctaturus: profeſſus es luctaminis tui certamina: qui luctatur, habet quod ſperet ubi certamen, ibi corona.

SECUNDA RATIO.

Septenarius numerus à majeſtate nomen habet.

ALterum, quod in eo genere ſtatui poteſt, eſt illud, quod ſeptenarius numerus à majeſtate nomen habeat. Primi nominum impoſitores, optimè ſapientes vocarunt hunc numerum ἀπὸ τῦ σεβασμοῦ, ab inſita majeſtate, honeſtateq́ue.

Lib. de Mundi opific.

Majeſtatem ex eo petit Philo Judæus, quòd Author naturæ Deus poſtquam univerſus hic mundus perfectus eſt, opera, laboreq́ue ſex dierum, diei ſeptimo, honorem addidit: benedixit enim diei ſeptimo, & ſanctificavit illum. Sanctum, inquit, appellare dignatus eſt, ut eſſet feſtus, non unius populi regioniſve; ſed in univerſum, omnium omnino populorum ac regionum. Itaque ſeptenarii feſtivitas ſola digna eſt, ut dicatur popularis feſtivitas & mundi natalis.

Ex hoc ſeptenarii majeſtatem oſtendit Philo: & ego Ordinis noſtri dignitatem ex iiſdem mutuabor. Eſt enim Sacer ille Ordinum ritus ejuſmodi, unde ducantur alta nomina; nomina plena gloriæ, decoris, amplitudinis.

Verſ. 8.

D. Judas Apoſtolus in ſua canonica, iis omnibus, qui ſacris aris aſſiſterent, vel præficerentur, tribuit *majeſtatem.* Invehitur in eos, qui Religionis noſtræ miniſtros pro nihilo putarēt, & ait *Majeſtatem blaſphemant.* Concedit illis inſuetum quoddam genus amplitudinis, ſuſpiciendam authoritatem, celſiſſimam dignitatis ſedem, verbo uno *majeſtatem.* S. Gregorius Pontifex eorumdem munus gradumq́ue nominat *gloriæ locum.*

In Paſtor. parte 1. c. 11.

Orat. de Sacerd.

B. Ephrem ſacratos Ordines appellat *donum altitudinis.*

In 4. d. 2. 5. q. 2.

D. Thomas *Eminentiam gradus.* Quærit Angelicus Doctor, utrum mulier aliqua ſuſcipere ſacros Ordines poſſit? Res ea Catholicos inter ac hæreticos olim in diſputatione poſita. Apud Cataphryges & Priſcillianos (ut teſtatur Epiphanius) mulieres in Epiſcopi Presbyteriq́ue gradus adlegebantur: apud Catholicos, ad Ordines iis negata via, præcluſus omnis aditus, ratione magiſtra, natura indice; ut enim doctè D. Thomas. Cùm ſacrorum Ordinum initiatio in quadam eminentia gradus hominem conſtituat, ea in fœminam cadere non poteſt, quæ jure ipſo, & à natura ſubjicitur. Mulier eſſe quidem Regina poteſt, & orbis terræ imperio Auguſtæ nominis ſceptro inſignis, & corona dominari; capere Ordines non poteſt.

Ex illo ſenſu de dignitate ac majeſtate Ordinum Eccleſiæ, factum ut in linguæ ſanctæ inſtitutione, vox eadem Hebræa & Sacerdotes ſignificet, & Principes.

Hic ego paucis tecum queri velim, quiſquis cœlo propitio in eum gradum per Ordines tibi viam feciſti; & tamen in iis vitam agis ad vitia pronam ac præcipitem, abjectam, & diſſonam tuæ dignitati. in quo certè, non tibi tantùm; ſed & aliis malum creas. ut enim verè Sidonius Apollinaris. *Eſt hæc quædam vis malis moribus, ut innocentiam multitudinis devenuſtent ſcelera paucorum.* Ita etſi Clericos inter, & ſacris imbutos, ſint quamplurimi non ſolùm à gradu, ſed à virtute ſublimes ac præcelſi; eorum tamen lux, & ſplendor omnis offuſcatur, imò obruitur aliorum tenebris, maligna ſcelerum nocte, in quam vertuntur illæ querelæ Jeremiæ Vatis. *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum:* vel ut Chaldæus habet: *Effuſa ſunt margarita ſancta.* Quæ ſint illæ, inter Theologos ſua diſceptatio.

Lib 7. in Conc.

Thren 4. v. 1.

Hebræi & Rabbini ſuo in Regem amori nimium indulgentes, credunt fuiſſe guttas ſanguinis è vulnere Joſiæ Regis defluentes, quas pro ſua in Regem obſervantia, religioſè in templo cuſtodivit Jeremias, & babylonici hoſtes contumelioſè diſſiparunt.

D. Hieronimus interpretatur de lapidibus pretioſis, qui in Sacerdotali veſte collucebant, & quos profana manu attigit, evulſit, & barbarico furore diſſeminavit.

Opportunius gloſſa, per lapides ſanctuarii intelligi vult Sacerdotes. Hi enim (ut inquit D. Gregorius.) *in platearum ſunt capite ex honore ſanctitatis:* at ubi eam per ſcelera poſuerint, deſinunt eſſe *lapides ſanctuarii, margarita ſancta,* fiuntq́ue rudes & impoliti lapides platearum, in quarum capitibus abjiciuntur & conculcantur: Atque utinam ita conculcarentur, ut ſibi tantùm exitio eſſent, non etiam aliis offendiculo. Sed ingens eſt illud malum. ii qui Cœlo indice poſiti ſunt in capitibus platearum, ut docerent quæ anguſta via, quæ virtutum, quæ cœli ſemita; oſtendunt exemplo ſuo, quæ via lata, quæ ducit ad perditionem. Audi D. Bernardum huic malo (ut aliàs ſolet) piè ingemiſcentem: audi loquentem, & in viam meliorem redi, ſi fortè ab ea declinaſti.

Lapides, inquit, ſanctuarii, id eſt Sacerdotes ſunt in capitibus, id eſt in introitu latarum viarum; docent enim populos per prava exempla ingredi vias latas quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum inferni. Quod quàm alienum ſit à tuo inſtituto, quàm diſſentaneum Ordini tuo, videris ipſe, qui coronam in capite geſtas indicem regiæ ſacræq́ue majeſtatis.

TERTIA RATIO.

Septenarius numerus virgo.

ALiud eſt, in quo ſeptenarium numerum præ cæteris commendat Philo; hoc nimirum quòd ſolus inter numeros virgo ſit.

Lib 1. leg. alleg.

Probat è duplici capite. Primò quod ſeptenarius numerus nec ullum numerorum ex ſe gignat, nec viciſſim ab aliquo eorum gignatur.

Secundo, quia die ſeptimo nec quicquam gignere, nec gigni natura dedit.

Eam ob cauſam Pythagorici numerum hunc aſſimila-

aſſimilabant Virgini ſine matre natæ; quia illa nec partu edita eſt, nec unquam pariet. Ea fuit Bellona, ſive Pallas, quam è Jovis cerebro exortam Poetæ veteres fabulantur.

Et hoc Ordinibus ſacris convenit quàm optimè, varias ob cauſas, è quibus prima duci poteſt ex eo, quòd Ordines illi hominem diſponant ad Sacerdotium, cui omnium gentium, omnium ſæculorum calculo germana caſtitas. Appello vel ipſam Ethnicorum fidem. Veſta nonniſi Virginibus ſua ſacra committebat. Apollo ſicut à ſuo limine profanos arcebat & impuros; ita ad ſua oracula nonniſi Sibyllas, caſtitatis eximias cultrices, admittebat.

Jovis Sacerdotes in Creta caſtam ducere vitam, ut teſtatur Euripides; hinc illud Ovidii.

1. Faſt. *Caſtus Jovis ade Sacerdos.*

Cybeles Deorum mater nonniſi eviratos Sacerdotes ſuis ſacris adlegebat, ut ſi minus virtute, at ſaltem neceſſitate adacti ſeſe continerent. Idem ferè de cæteris Ethnicis eſto judicium, quibus id in primis fuit perſuaſum caſtos eſſe debere Myſtas, vel hoc uno nomine, quod ſacrificiis aſſiſterent: quo in genere ut antiquum, ita mirum illud, quod refert D. Auguſtinus, ſe, cùm Evangelii prædicandi cauſa in Æthiopia vagaretur, incidiſſe in populos Idololatras, & partus naturæ monſtruoſos; carebant enim capite principe membro, & ſede majeſtatis, oculoſque in pectus abjecerant. Horum Myſtæ quidem conjugati, ea tamen erant continentia, ut nonniſi ſemel in anno uxores ſuas attingerent, quo die etiam ſacrificio abſtinebant. Horum continentiam ubi ſuſpexit & amavit Auguſtinus, tum æſtu quodam orationis, & ſtylo concitatæ mentis in Chriſtianos invehitur, eoſque pungit. *Grandis*, inquit, *Chriſtianorum miſeria: ecce pagani Doctores fidelium facti ſunt, & peccatores & meretrices præceſſerunt fideles in regna Dei.*

Tom. 10 ſerm 97 ad Fratres in Eremo.

Eadem orationis vi, & caſtæ eloquentiæ nervo uſus Tertullianus: *Achaa*, inquit, *Junoni virgo ſortitur. Quæ Delphis inſaniunt nubere neſciunt: viduas Africanæ Cereri aſſiſtere ſcimus, duriſſima quidem oblivione matrimonii adlectas.* Hæc ubi de eorum continentia præfatus eſt, tum grandi elatoque cothurno in impuros Sacerdotes inſurgit. *Hæc*, inquit, *diabolus præcipit, & auditur: provocat nimirum Dei ſervos continentia ſuorum, quaſi ex æquo: ô continentiam gehennam Sacerdotum.*

Lib. 1 ad Uxor. de monogamia c. 6.

Ibid.

Grande certè & deplorandum eſt malum! Ingens ferreuſque ſtupor! caſtitatem ſuis ſacrificulis diabolus præcipit, & auditur: Chriſtus ſuis commendat, imò & præcipit, nec auditur: dicere continentiam gehennam eſſe Sacerdotum, cùm ſolatium, & in mundi carniſque æſtu refrigerium eſſe debuiſſet.

Dicuntur olim Patriarchæ veteres, ferè ad puteos & fontes aquarum matrimonia inveniſſe: ſic Iſaac, ſic Jacob, ſic Moſes, juxta puteorum latices, & puriora fontium conjugia invenere, non caſu non fortuna, ſed deſtinato divinæ providentiæ conſilio, ne inter æſtuantia concupiſcentiæ ignes, ſed potius inter ſcaturientes cœleſtis gratiæ fontes matrimonia contraxiſſe viderentur.

Gen. 24. 29. Exod. 2.

Quod illis hoc ſacratioribus Myſtis uſu venire ſolet: his fœlici ſacroque connubio Eccleſia ſponſa obvenit, non ad æſtus & incendia carnis; ſed ad defæcatos angelicæ continentiæ fontes, à quibus mundi ad divina myſteria accederent.

Et hinc eſt altera ratio, quam affert Iſaias: *mundamini*, inquiebat, *qui fertis vaſa Domini.* Si mundos eſſe voluit Iſaias vel eò tantùm quòd ferrent vaſa Domini; quàm enimverò munditiem exegiſſet ſi non vaſa Domini, ſed ipſum ferre Dominum exandiſſet? Certè ſi vaſa ſacra, ſi auguſta ciboria, ſi anathemata religioſa, hierothecæ venerandæ, eum animi nitorem requirunt; quantò magis qui iis capitur Dominus? Non patitur ille impuris manibus, polluto corde circumferri.

Cap. 52.

Notum illud, quod ſcriptis edidit D. Gregorius Turonenſis. Impurus Diaconus cùm argenteam turrim, ſacram videlicet hierothecam, in qua venerandum Chriſti corpus continebatur, ad aram ferret, indignatus eſt mundi Servator flagitioſiſſimis illis teneri manibus. Ipſa turris per medium aera evolavit, & divinitus ad altare contendit; nudum & inanem relinquens Diaconum quem antè pudor & continentia reliquerat. Quidni enim improbis illis pollutiſque manibus ſe eriperet Salvator optimus, qui ſub ſacro panis velo in amoris ſcenam elabitur, & miniſtros ſuos in ea velut actores exhibet.

De gl. Mart. c. 86.

Et hæc alia eſt cauſa, quæ pudorem illum amat, virgineamque mentem conſentaneam ipſi numero Ordinum, quod iis initiati religioſis ac divinis operibus perpetuò occupentur: ideoque, ut dicit D. Ambroſius: *Mundiores debent eſſe cæteris, quia actores ſunt Dei*; non comici, aut tragici, niſi fortè velis eſſe tragœdiam amoris ac charitatis, quæ tragicam illam & cruentam ſcenam aperuit in Calvariæ theatro, & modò incruentam oſtentat in ſacroſancto miſſæ ſacrificio, in quo Eccleſiæ miniſtri actores ſunt, & genuinam illius tragœdiæ imaginem exhibent; ne tam antiqui, tam novi actus memoria unquam evaneſcat, ſed in dies, in horas refricetur, & hominum oculis objiciatur: in iis enim ſolis in Chriſto luſit divinus amor, & modò etiam ludit.

In 1. ad Timoth. c. 3.

Accedit, & alia ratio, quæ nitorem illum pudicitiamque conciliat, quòd ſacri Myſtæ Deo ſint proximi, aut certè proximi eſſe debeant. *Incorruptio*, autem *facit eſſe proximum Deo*, proximum cœlo: ut enim rectè D. Ambroſius, *In cælo patria eſt caſtitatis, hic advena, ibi incola eſt.* Cui conſonat ore aureo Chryſoſtomus, qui Virgines ducit in communionem Angelorum: *Semper*, inquit, *eſt Angelis cognata virginitas: in carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis. & ſi vultis ſcire, angelicam gloriam acquirere, majus eſt quàm habere: eſſe Angelum fælicitatis eſt; Virginem eſſe, virtutis. Virginitas enim hoc obtinet ex viribus quod habet Angelus ex natura.* Sed de his ſuus adhuc erit dicendi locus.

Sap. c. 6.

CAPUT VI.

De veſtibus ſacris, quibus induuntur Ordinibus initiati, & quid ea portendant?

PRiuſquam agam de divinis officiis, quibus Eccleſiæ miniſtri mancipantur, præmittam nonnulla de veſtibus ſacris, ſine quibus ad aram prodire eſt nefas. Et hoc quidem eo conſilio, ut intelligas dum iis tegitur & ornatur corpus, etiam animum virtutibus tegi atque ornari oportere. Sunt enim eæ veſtes aperta virtutum ſymbola, ad quæ revocari poteſt illud Prophetæ regii: *Sacerdotes tui induant juſtitiam, & Sancti tui exultent.* Imò ſi voles etiam ſunt arma, quibus probè tectus, in campum erumpat Athleta Chriſti, & in Eccleſiæ hoſtes depugnet acriter, vincatque fœliciter.

Pſal. 131.

De hac pugna, armorumque genere loquitur Apoſtolus, dum hæc ad Corinthios, poſteraſque ætates emittit. *Induite vos armaturam Dei.* Quæ ſit illa deducam ex Apoſtolo, & ad ſacras veſtes transferam; ſi tamen prius pauca præmiſero de veſtibus miniſtrorum & Sacerdotum antiquæ legis, ut ex iis liquidò appareat perperàm hæreticos noſtri temporis damnare Romanam Eccleſiam, quòd ſacris veſtibus utatur, quibus abutuntur impii, ut variis in locis non ſine ſtomacho, & juſto doloris ſenſu vidimus.

2. Cor. 10.

PARS PRIMA.

De Veſte Levitarum & Sacerdotum Antiquæ Legis.

Gen. c. 28. v. 2. HÆc olim Moyſi Deus dedit in mandatis: *Facies veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.* Dicitur ea veſtis ſancta, tum quia oleo conſecranda; tum quia dicata divino cultui, tum denique quia nonniſi à ſanctis, id eſt Sacerdotibus uſurpanda. Subjicitur deinde, quod ad decus facit illius ordinis, ſit illi veſtis *in gloriam, & decorem*, qua miniſtrantium Domino, qua ſacrorum numerum. Et quia veſtis erat alia, atque alia, ſubdemus nonnulla, quæ & opportunam Antiquitatis memoriam renovent, & novitatis arguant hujus ævi hæreticos, qui ſua templa & aras, ut haras amant, & ſquallidum ac ſordidum miniſtrorum ſuorum pallium.

§. I.

Quid ſuperhumerale ſive Ephod?

DIvina providentia, quæ amat unicè decorem domus ſuæ, ſacro Moyſis calamo, accuratoque penicillo deſcribit ac depingit, quæ Aaroni, quæ poſteris ſucceſſoribus velit eſſe indumenta.

Primum eſt illud, quod latina voce, *ſuperhumerale*; hebraica *Ephod*, appellatur: de quo magna inter Gen. c. 46. ex vet. Teſt. Authores lis eſt ac contentio; ex eo orta, quòd ut ait D. Auguſtinus: *Ephod unum quidem nomen eſt, ſed non unam rem ſignificat.*

Aliis enim *Ephod* dicebatur armariolum quo Sacerdotes ad interrogandum Deum utebantur: aliis Epiſt 130. ad Marcell. thuribulum, quod & D Hieronymo placuit: aliis denique ſimulacrum; ita Gedeon creditur ædificaſſe & erexiſſe *Ephod* ex auro puro, quod & idololatriæ Judic. c. 8. v. 27. occaſionem dedit, & Iſraëlem in ruinam traxit. Hæc de una voce diſceptatio pugnaque ex eo naſci potuit, quòd hebræa lingua ut fœcunda ſit, ita multas habeat radices, è quibus dum ducitur, una eademque vocula in varias pugnanteſque trahitur ſignificationes, quas accuratius excutere non eſt hujus loci, meique inſtituti. ſit Interpretum iſte labor curaque: ego in præſentia & ſentiam & loquar cum communi Doctorum opinione, dicamque Ephod eſſe veſtimenti genus, quod *ſuperindumentum* ſeu *ἐπωμὶς ſuperhumerale* ſeu *ἐπένδυμα*, hoc eſt *ſuperius pallium* vocari poteſt. Erat porrò aliud atque aliud: minoribus Sacerdotibus ac Levitis, imò & Laicis, ſi quando 1 Reg. c. 2. verſ. 18. admitterentur ad ſacra: erat Ephod linea veſtis. Ita *Samuel miniſtrabat ante faciem Domini, puer, accinctus Ephod lineo.*

Ita David poſita purpura ſceptroque exultabun- 2. Reg. c. 6. v. 14. dus ſaltabat coram arca Domini, & ipſe *accinctus Ephod lineo.* At verò Pontificale, cui ſacra quædam majeſtas inſidebat, aliud omnino, & mirum quantum excellentius viſebatur Ephod: de quo hoc ſcri- Exod. c. 28. v. 6. pturæ pronuntiatum. *Facient ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito*, opere textili, cui gratiam conciliabat amœna quædam colorum varietas, ex hyacintho, cocco, purpuraque petita, ad quam accedebat auri pretium fulgorque: cui etiam lucem addebant nitoremque duo Oceani ſidera, duo terræ oculi, duæ gemmæ, ſeu lapides onychini, in quibus inſculpta nomina filiorum Iſraël legebantur.

Verſ. 12. Erat Ephod Ordini Pontificio in decus & gloriam; Iſraeli, ut ſcriptura loquitur, in *memoriale*; Aaroni ob *recordationem.* Ut enim diſertè Venera- Lib. 3 de Tabern. c. 4. bilis Beda, divino conſilio, ſuavique Numinis providentia factum, ut ſummus Sacerdos, nomina duodecim Patriarcharum humeris aſcripta circumgeſtaret, quatuor potiſſimùm ob cauſas.

Una, ut quoties incurrerent in oculos ea heroum, Patrúmque nomina, toties animo recurreret grata, & formandis moribus opportuna Fidei magnarúmque virtutum, quibus illi, in omni vita enituerant, memoria.

Altera, ut duodecim tribuum Iſraëlis, quarum hi authores ac progenitores extiterant, in ſacrificiis meminiſſent.

Tertia, ut ipſe populus, qui ſuorum Parentum nomina Sacerdotis humeris inciſa uſurparet oculis, moneretur iiſdem inſiſtendum eſſe veſtigiis, quæ heroes illi magni pridem triverant, viámque fecerant ad eximiam quandam in Præſules obſervantiam, in ſuperos pietatem, in Deum Opt. Max. religionem.

Denique, ut vel ex eo noſſet Præſul ſibi ſubjectas animas, earúmque onera humeris valentibus eſſe deportanda. Et hæc ab inſculptis illis nominibus ducuntur morum documenta.

Alia à candore, nivéque qua præſtabat in minoribus ſacrorum miniſtris.

Primum enim lineum illud Ephod, ſymbolum & indicium pœnitentis animi: ut enim veſtis linea aſſuſa aqua à ſordibus eluitur; ita mens peccati lutum ac maculas multo lacrymarum imbre, geminóque oculorum fonte expurgat. ita de illo cenſuit, ita locutus eſt Divus Hieronymus:

Quod Ephod illud lineum atque candidum figuravit, oſtendit candidum effici poſſe, qui per pœnitentiam nomen Domini invocans nigredinem peccati diluerit. In Pſal. 98.

Alterum quod à lino virtutis probandæ ſumitur argumentum, eſt candor animi, ſincera quædam ingenuitas, & inſignis morum caſtimonia, de qua Venerabilis Beda. *Accinguntur*, inquit, *Sacerdotes tunicis lineis, ut caſtitatem habeant: non ſericis, non laneis, quæ ex animali mortua ſunt; ne ſcilicet caſtitas aliquid mortuum ſapiat.* Lib 3. de Tabern. c. 8.

Deniqúe linea tunica indicium fuit longævæ patientiæ, quia ut linum innumera ſuiipſius patitur detrimenta, ut candorem illum induat: ſecatur enim, maceratur, flagellatur, tunditur, diffringitur, pectitur, torquetur: ſic animus, ut candorem illum niveæ caſtæque mentis aſſequatur, labore multo teri debet & atteri: Sed hoc calamo notaſſe ſuffecerit; veniamus ad rationale, quod oracula explicabat, & longam futurorum præſagitionem, cujus modum ac rationem inquiremus.

§. II.

Quid eſſet Rationale?

HÆc eſt altera veſtis Pontificis, & ſacratiſſima pars ipſius *Ephod*, id eſt ſuperhumeralis, omniumque veſtium Sacerdotalium.

Audit ab hebræis *choſen*, à græcis *λόγιον*, à latinis rationale, quod quaſi mentis ac rationis particeps, reſponſa atque oracula redderet: figuræ fuit quadrangularis, conſtans tela duplici, ut quatuor ordines gemmarum admittere poſſet ac ſuſtinere: vel ut opinatur Rabbi Salomon apud Abulenſem, ut Quæſt 14. in cap. 28. Exod. inter illos duplicatæ telæ ſinus immitteretur nomen Domini tetragrammaton in aurea lamina artificiosè elaboratum: ſenſet enim Rabbinus ille, ſummum Sacerdotem non tantùm in fronte (quæ magnæ mentis eſt janua) appenſum geſtaſſe ineffabile Dei nomen: verùm etiam in pectore, in corde amoris ſede atque officina: ſit illi ſua opinio, quam nec omnino probo, nec etiam improbo: in re obſcura ſuus quandoque Rabbinicis inventis dari poteſt locus, modò ad vanas & inanes obſervatiunculas non deflectant: interim elabor ad ea, quæ rationali vel appenſa, vel inſcripta:

Appenſi videbantur *quatuor Ordines lapidum.*

In primo verſu erat lapis ſardius, topazius & ſmaragdus. Verſ. 17.

Verſ. 18 *In ſecundo carbunculus ſapphirus & jaſpis.*
In tertio ligurius, achates, & amethiſtus.
Verſ. 19. *In quarto Chryſolitus, onychinus & berillus incluſi auro per ordines ſuos.*

Hæc Scriptura teſte, Deo judice & arbitro, quem utinam audiant Calvini Lutheriq́ue aſſeclæ: qui cùm ſint Epicuri de grege porci, aras non amant, ſed haras, & incultum templorum ac Sacerdotum ſquallorem & ſitum: nec ferunt ſine nauſea & ſtomacho auream illam Eccleſiæ Romanæ in ſacra ſupellectile majeſtatem: ſaltem eam legant in myſtis antiquæ legis, & ex ea aliquid dignitatis ac ſplendoris ad novam gratiæ legem accedere potuiſſe fateantur: Sed deſcendo ad ea quæ gemmis
Verſ. 21. illis inſcripta. Erant illa, *nomina filiorum Iſraël, qua portabat Aaron in rationali judicii ſuper pectus ſuum,*
Verſ. 29. *quando ingrediebatur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.*

Et hæc Scripturæ verbis ac fide; è qua naſcitur Quæſtio, an gemmis illis duodecim inſcripta fuerint nuda nomina filiorum Iſraël, an verò gentilia eorum ſigna ac ſtemmata?

D. Hieronymus credit tam in duobus onychinis, quam in 12. gemmis rationalis, inciſas non ipſorum nominum litteras, ſed notas quaſdam & ſigna hieroglyphica, Ægyptio more: ea vulgò arma, inſignia, & ſtemmata gentilitia vocitamus: quæ ſententiá ſi vera eſt, Tribus Juda cum ſuis exhibebat ſpeciem Leonis.

Dan cum ſociis tribubus effigiem volantis Aquilæ; Ephraim bovis; Ruben hominis.

Malunt alii fuiſſe pura, puta nomina ſingularum tribuum: quod certè cùm ipſis Scripturæ verbis magis conſentire videtur: ut ut ſit, hîc non diſputo: neque enim interpretem ago; ſed ex iis Scripturæ floſculis aliquid ad mores delibo, & ex illis conficio, ſummum Sacerdotem, bonum Præſulem ac Paſtorem hac una nominum ſerie admoneri, ut animarum ſibi commiſſarum nomina circumgeſtet, non humeris tantùm, eorum oneribus veluti ſuccollando; verùm etiam in corde, hoc eſt, in amoribus, in ſedula memoria circumferendo.

§. III.

Quid Vrim & Tummim Doctrina & veritas in Rationali, & quæ ab illis futurorum præſagitio?

DOctrina & veritas inſcripta Rationali, exprimitur duabus vocibus hebræis *Vrim & Tummim*, de quibus tanta inter Theologos ac Interpretes eſt controverſia, ut mirum ſit in duabus voculis adeò luſiſſe hominum ingenia; dubia ſemper, nutantia & incerta quò calculum jacerent.

Rabbi Abraham ex ſuo ſenſu ac judicio, ſtatuit fuiſſe duas laminas: auream unam, quæ indicium eſſet divini amoris; argenteam alteram, quæ ſignum puritatis ac caſtimoniæ, quam in ſuis Myſtis amant voluntq́ue ſuperi.

Rabbi Salomon fuiſſe nomen tetragrammaton quod & in corde ſuo ferre debuit ſummus Sacerdos, & cura ſtudioq́ue paſtorali in aliorum corda, animosq́ue inferre.

Rabbi Ben-eſra ſphæram cœleſtem amavit, eamq́ue ſummo Sacerdoti in rationali appenſam voluit, eo Superûm conſilio, ut ad cœleſtia erigeret ſeſe, & omnes animi motus ad cœli divorumq́ue motus ac nutus componeret.

In Deut. c. 33. Arias Montanus & Procopius volunt fuiſſe duas gemmas eximii cujuſdam nitoris; non ex iis, quas in littus evolvunt maria, quáſve parit terræ ſinus; ſed à divina manu ſingulari quodam beneficio in ſacros uſus productas, & Moyſi in manus datas, ut ſuo ſplendore luceq́ue claritatem & veritatem referre viderentur.

Cui ſententiæ affinis eſt ea, quæ Anaſtaſio Niceno tribuitur, & *Vrim* ac *Tummim* habet pro Adamante miri nitoris & elegantiæ: cujus eximia vis erat ad effectus futuros populo demonſtrandos. Si enim ſummo Sacerdoti ſancta ſanctorum ſubeunti nigreſceret ille lapis, lucemq́ue contraheret, arguebat à peccato pollutum fuiſſe populum: ſin autem è contra albeſceret ut nix, oſtendebat quæ in populo munditties, quis candor eſſet animorum. Quod ſi ſanguineo colore tingi videretur, portendebat irato cœlo fulmina, cædes & ſtrages Iſraëlis: & ſecus, ſi inſolito ſplendore enicaret, omen erat propitio Numine magnum aliquod & ſingulare beneficium eſſe conferendum: Ita Zachariæ dicitur ſupra modum illuxiſſe, ut portenderet imminere Orbi Baptiſtam aliquem, lucernam agni, & auram indicem ſolis, hoc eſt divini Verbi Orientis. Gen 31. in Script.

Oleaſter, Lyranus, Abulenſis autumant *Vrim & Tummim* fuiſſe illas ipſas duodecim gemmas rationali inſertas; quæ ſi niteſcerent, oſtendebant populo placatum & propitium fore Numen, ſeu in caſtris hæreret ad ſarcinas, ſeu arma in hoſtem ferret: ſin autem obſcurarentur illæ, & aliquam ſui luminis defectionem paterentur, jam inde portendebant aliquid ſiniſtri Iſraëlis capitibus impendere.

Et hoc cœlo judice miraculum, cui aliud addunt hebræi, litteras ac characteres his lapidibus inſcriptos prominuiſſe, & inſigni prodigio ita coire, ita inter ſe commiſceri ſolitos, ut in iis reſponſa legeres, ad ea, quæ Sacerdos divina oracula inveſtigans, à Deo petiiſſet.

Ita Davidi eveniſſe credunt, cum Ephod applicari voluit, Numenq́ue conſuli, deberéme in unam è Civitatibus Juda aſcendere, nécne? Eo enim loci 2. Reg. 2.
ac temporis credunt reſpondiſſe Dominum: *ale*, hoc eſt, aſcende: quam voculam iudicem oraculi, teſtem divinæ voluntatis, cenſent efformatam è tribus litteris, quæ illicò ex Ephod, è geminis eminere ac quodammodo prodire viſæ ſunt. Una fuit *Ain* ex nomine *Simeon*; Altera *Lamid* ex nomine *Levi*; Tertia *Iis* ex nomine *Iehuda*: quod ſi verum eſt; inſigne profectò miraculum fuit; ſin minus, ingenioſum eſt Rabbinorum commentum.

Cui non abſimile eſt illud Hugonis, qui contendit fuiſſe characteres rationali inſcriptos, quos cùm Pontifex commiſcuiſſet, in iis legebat expreſſa reſponſa eorum, quæ à cœlo exigebantur. de quo Lectorem judicem & arbitrum facio.

Cyrillus in collectaneis procul abit ab illa gem- Cap. 24.
marum gratia, cœleſtiumq́ue prodigiorum beneficio, docetq́ue *Vrim & Tummim*, *doctrinam & veritatem* Sacerdotis pectori non fuiſſe inſcripta; ſed magis animo: putat enim ea fuiſſe cognitionem ſpiritualem divinaq́ue lumina, quæ Sacerdotis mentem & vim intelligendi mirum quantum acuebant cùm pectori ſuo *rationale* appenderet: diceres illi divinitus inſitam eſſe vim animo affundendi cœleſtem lucem, & altiores humanis viribus cogitationes, quæ etiam in longè poſita, in futuros eventus excurrerent.

In hac ſententiarum pugna, & obſcura antiquitatis nocte, quæ arcana illa tegit ac velat, tutius eſt ſequi quod magis obvium, nec remotum à communi ſenſu, ſcripturæq́ue fide atque authoritate.

Erit illud, ſi dixerimus *Vrim & Tummim* fuiſſe ex vero duas illas, voculas, *doctrinam & veritatem*, Rationali, divino juſſu, inſcriptas. Hanc interpretationem amant ut germanam & planam ipſa Scripturæ verba, nec aliam facilè patiuntur: ita enim ferunt. *Pones in rationali judicii doctrinam & veritatem.*

His ornari, niteréq́ue debuit Sacerdotis mortale pectus & magis ipſe immortalis animus, ut ex illis ſua illi Ordini dignitas, majeſtaſque, ubi populo

pulo innotuiſſet eam eſſe Divinæ Providentiæ rationem, eas cœli leges & pacta, ut ſacrato Pontifici ineſſet doctrina, quæ incultæ plebis dubia ſolveret, diſſiparet ignorantiæ nebulas, & veritatis luci ſolique redderet; utpote delecta à Deo ſedes doctrinæ ac veritatis ad effundenda diviniora cœli oracula. Ex quibus omnibus conficies illud *Vrim* & *Tummim* non fuiſſe oraculum; ſed indicium oraculi & acceptæ à Deo poteſtatis.

Ea quippe ſummum Pontificem decebat quàm optimè.

Æliano teſte, apud Ægyptios ſummus Sacerdos, qui & populi Judex, appenſam è collo geſtabat
L. 4. c. 14. imaginem ſapphiti, in qua legebatur hæc Epigraphe. *Veritas*. Eſt ſapphirus cærulei cœleſtiſque coloris, eoque oportuna tabula, ſedeſque veritatis, quæ è cœlo, è Deo eſt, imò etiam ipſe Deus, qui & veritas.

Et Pontifex alter veluti in terris Deus, Dei certè Vicarius, ideoque doctrinæ & veritatis expreſſa quædam imago eſſe debet.

Viſebatur apud Ethnicos Fidei ſimulacrum, in quo honor viri forma expreſſus, veritati, quæ virginis ſpecie fingebatur, manum porrigebat: his medius intererat amor, generis humani corculum ac deliciæ.

Ingenioſo ſanè invento, quod tacitè monet veritati honorem & amorem deberi, vel ſi mavis, fidem (qua nihil in terris utilius) niti veritate, honore, amore; ex quibus fluxit vulgata illa paræmia. *Hominum fidem* (adde ſi lubet & divorum ac Dei) *veritas parit, honor ſuſtinet, amor nutrit*. Et hæc omnia Sacerdotis Ordinem mirum quantum commendant, in quo, unà cum veritate, quæ etiam, teſte Pythagora, *homines Deo proximos facit*, & fides & honor, & amor ſedem adlegêre: amor, inquam, non tantùm Dei; ſed & proximi cum inſigni quodam animarum zelo; quem etiam indicat vox *Vrim*, quæ non tantùm illuminationem ſignificat, ſed & inflammationem ac zelum, qui populos ſibi ſubjectos ad Dei legem & amorem accendat.

Vrim enim hebraicè & lucem & ignem ſignificat, indeque dicitur Abraham eductus de *Vr*, hoc eſt de igne Chaldæorum.

Et is debet eſſe Sacerdos; educere debet commiſſum ſibi gregem de Ur, de igne Chaldæorum, de flamma vitiorum, de æſtu libidinis, de communi vanitatis incendio: quod ut faciat, ſit oportet lucerna ardens & lucens, qualis olim fuit Joannes, de quo Scriptura. *Erat lucerna ardens & lucens*: quæ verba ſuo more dum piè expendit Bernardus: *Benè ait lu-*
In anim. Io-ann. *cerna ardens & lucens: eſt enim tantum lucere vanum; tantum ardere parum: ardere atque lucere perfectum eſt*. Quod ut apertiùs explicet, æqua judicii lance perpendit eam verborum ſeriem. *lucerna ardens & lucens: non ait lucens & ardens; quia Ioannis ex fervore ſplendor, non fervor prodiit ex ſplendore: ſunt enim qui non eò lucent, quia fervent; ſed magis fervent ut luceant: at iſti planè non fervent charitatis ſpiritu, ſed ſpiritu vanitatis*; quem procul abeſſe vult à ſummis Eccleſiæ Præſulibus: quia ut magnificè ſcribit ad Eugenium Pont.
Lib. 2. de Conſid. Max. *Monſtroſa res eſt gradus ſummus & animus infimus: ſedes prima & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus & fructus nullus*.

§. IV.

Quid tunica hyacinthina, mala punica cum tintinnabulis?

TErtia veſtis, quæ ad ſacrum Pontificis ornatum accedebat, erat tunica hyacinthina, ad cujus fimbrias pendebant mala punica cum tintinnabulis. Singulis ſua voluit ineſſe myſteria quæ humanis in ſymbolis ludit Divina Providentia. Et quidem à tunica hyacinthina, quæ violaceo cœleſtique colore eſt imbuta, monendum eſſe cenſuit ſummum Sacerdotem debere illi ineſſe animos terra omnique rerum mortalium colluvie ſuperiores ac planè cœleſtes.

Mala punica, quæ uno ſub cortice claudebant multa grana, fidei unitatem, vel ſi mavis variam virtutum exundantiam uno charitatis velo ac munimine probè tectam deſignabant: tintinnabula, ſacro, ſolemnique tinnitu dum aſtantium aures feriunt, etiam animos pulſant, & ad ſingularem quandam Æterni Numinis reverentiam componunt: indeque etiam Pootificem moneot, quod totus debeat eſſe vocalis.

Tanta, inquit D. Hieronymus, *debet eſſe ſcientia & eruditio Pontificis Dei, ut & greſſus ejus, & motus, & univerſa, vocalia ſint. Veritatem mente concipiat; & toto eam habitu reſonet & ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina ſit populorum: abſque tintinnabulis enim, & diverſis coloribus, & gemmis, floribuſq; virtutum, nec ſancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere*.

Pro ea, qua eſt ingenitæ mentis ſolertia, ex hoc ſacratiore ritu duo conficit magnus Eccleſiæ Doctor: vocalem eſſe debere Antiſtitem, oon lingua tantùm, ſed & operibus, exemplóque vitæ ſanctioris: quia, ut ait S. Iſidorus: *Doctrina operum umbra*: quantum enim intereſt corpus inter & ejus umbram; L. 3. Ep. 359.
tantum umbram inter, & opera neceſſe eſt intereſſe. Eſt umbra ſimulacrum inane corporis, illúdque quaquaverſum ſequitur: eo creſcente creſcit; deficiente, deficit: ita doctrina, ſi acceſſerint opera, altior eſt ac potentior, futilis & omnis boni vacua ſi illa deceſſerint.

Teſtes hujus propoſitionis habeo horoas magnos, ſanctos, Antiſtites, quorum hæc pronunciata, hæc è pulpito cathedraque veritatis oracula.

Divus Auguſtinus, cujus eloquentiam, & dicendi vim agnovit ac ſuſpexit Antiquitas, ita pronunciat. L. 4. de Do-
Vt obedienter audiatur concionator, quantacumque grandi- ctrin. Chriſt.
tate dictionis majus pondus habet vita dicentis. c. 27.

Cum Auguſtino conſentit, & aurea fandi copia conſpirat Chryſoſtomus, cujus ea vox de bonis operibus, & purioris vitæ exemplis. *Hæc eſt ratiocinatio,* Hom. 1. in
cui contradici non poteſt, quæ fit per facta: de ea quæ 2. ad Cor.
per verba effunditur ſua ſemper reſtat lis ac contentio: ſi non omnes, at quàm plurimi reclamant.

Factis ne unus omnium reclamat; quia ut disertè D. Cyprianus: *Efficacius vita, quàm lingua teſtimo-* Libello de
nium eſt, habent opera linguam ſuam, habent facundiam dupl. Mart.
ſuam etiam tacente lingua. Et hæc de bono exemplo mihi injecit ſonora illa & loquax tintinnabulorum ſeries, quæ oram ſacræ veſtis adlambebat; ab illa aſcendo ad ſacram ſummi Sacerdotis tiaram, de qua etiam quæſtionem inſtituo.

§. V.

Quid tiara, & quæ ejus inſcriptio?

PRiuſquam evadam ad ineffabile Dei nomen tiaræ Pontificis inſcriptum, præmittam pauca de variis Dei nominibus apud Hebræos uſurpari ſolitis; tum ad ipſius nominis etymon elabar.

D. Hieronymus, cujus ætas omnis addita bonis artibus, ſtudiiſque trita, extrema demum ſenectus Ep. 136.
hebraicis diſciplinis conceſſa; epiſtola ad Marcellam ingenioſè eruit ſcribitque decem omoino Dei oomina.

Primum eſt *El*, quod Aquila interprete ac magiſtro, fortem ſignificat.

Secundum eſt *Eloha*, quod Deum Univerſo, Parentis in morem, providentem, Regis in modum, normamque gubernantem, & ad Judicis rationes calculoſque judicantem, oſtentat.

Tertium

Tertium eſt *Elohim*, quod eſt plurale nominis *Eloha*

Quartum eſt *Sabbaoth*, hoc eſt exercituum & copiarum, ſcilicet Deus ac Dominus. ut enim in illis ſeſe effert & jactat Regum Cæſarumque potentia, quæ Regna & Provincias armis fatigat, armataque hominum manu terras ac maria tegit atque obruit: ita ſe his omnibus ſuperiorem oſtendit Deus, qui ex verò ita copiarum dux eſt, ita exercituum Dominus, ut ad omnem ejus nutum ſeſe inclinet victoria, eoque palmas vertat, quo verterit Deus *Sabaoth*, *Deus exercituum.*

Quintum eſt *Elion*. Hoc eſt excelſus: non eo tantùm quòd in excelſis, in cœlis ſuum quodammodo domicilium fixerit (quo ſpectat antiquus jurandi ritus levando manus in cœlum) verùm quia tum natura, tum agendi vi, tum inſita perfectione excelſiſſimus eſt: natura quidem, quia primum & ſummum ens, à quo cætera entia. Agendi vi, quia cauſa prima, à qua pendet omnis creata cauſarum ſecundarum ſeries. Denique perfectione, quia Deus ſumma & infinita perfectio.

Sextum nomen, * Esr aſcerie*, hoc eſt Sum qui ſum, & hoc ſingulare ac proprium Dei nomen, in quo à creaturis diſcernitur, quibus pro nomine eſt illa inanis vocula. *Non ſum.* Deus, inquit, S. Dionyſius *eſt ævum ævorum, & rex ſæculorum; quia ipſe eſt eſſe exiſtentibus, & ipſum eſſe exiſtentium, & exiſtent ante ſæcula.* De nobis dicitur. *Dies mei ſicut umbra declinaverunt; omnes tanquam aqua dilabimur.* De Deo, *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient: tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.* In quem locum doctè S. Auguſtinus. *Æternitas*, inquit, *eſt Dei ſubſtantia, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi jam non ſit. Nihil eſt futurum quaſi nondum ſit; quia non eſt ibi, niſi eſt.* Quam Dei opt. max. notionem ab Hebræis hauſiſſe videntur Ægyptii, apud quos in fronte templi hoc legebatur Dei emblema. *Ego ſum quod fuit, quod eſt, quodque futurum eſt. Velum meum nemo unquam revelavit.*

Cap. 1 de div. nom.

Pſal. 101.

Septimum Dei nomen eſt *Adonai*, id eſt Dominus.

Octavum, *Saddai*, liberale, munificum, ſuave, amabile, maternum, lacteum nomen, quod nonnulli trahunt ex articulo *Schin*, & *Dai*, hoc eſt abundantia & cornucopiæ.

Finxerunt olim veteres elapſas à Cœlo Nymphas, quas cornucopias vocabant, quòd ubere cornu, floſculos ſuos, divitias, voluptates, nomen, famam, honores, bona omnia in mortales oras effunderent. Figmentum eſt à vero alienum: ex vero illud. Deus eſt nobis inſtar cornucopiæ, eumque ſe dici & haberi vult: imò ſi voles mollius aliquid & amabilius, eſt *Saddai*, hoc eſt mammeus: cujus etymon deducunt Hebræi à radice *Scad*, id eſt mamma: itaque *Saddai* eſt Deus, & totus mammeus.

Antiqui Vates, quibus animus & calamus in ducta commenta facilis ac fœcundus erat, naturam effingebant hoc ſchemate. Erat ei ſpecies, quæ Deæ eſſe ſolet, liberalis, amœna, & propè divina: ſinus apertus & patens, è quo prominebant & defluebant undique mammæ, ad quas advolare liquido æthera volucres, toto Oceano adnare piſces, & continenti univerſo adrepere, advenire, accurrere reliquum animantium genus omne, hominesque ipſos Orbe vago ſparſos prono ac præcipiti curſu eò deferri vidiſſes, & ſtillantes undique mammas excipere, exſugere, epotare. Huic porrò id nomen eſſe voluerunt *Dea Rumina*: Antiquis enim *ruma* idem eſt quod mamma.. Hujus meminit D. Auguſtinus de Civitate Dei. Dabitur illud poëticæ licentiæ & ingenioſo commento; ſed hoc veritati facilè concedetur, Deum Orbi eſſe quod illis natura, Deum eſſe juſto quod infanti mamma:

E mamma gravida, diſtentoque ubere, lac emanat, quo primis in annis, teneraque ætatula paſcatur & alatur infans (nec enim alio cibo capi poteſt ac ſuſtineri infantia) quæ ſi fortè in gemitus, in lacrymas ſolvatur, mox eas affuſo lacte diluit, mergitque gemino mammarum fonte: itáque inter ubera ſopitur & ſilet omnis æſtus, omniſque lacryma penitus exareſcit. Quod illi ætatulæ propenſa mater, quod ubera, quod mammæ faciunt, hoc nobis in omni vita facit Deus. Infirma eſt quæcumque nobis in hoc mundo vertitur ætas, infantia eſt: ali debet & foveri divino ubere, cœleſti lacte, divinæ, inquam, miſerationis, quæ nobis aperto patentique cœlo depluit. Hoc lactis diluvio, hoc fonte mergitur, hoc torrente rapitur omnis mœror, edaces curæ, dolores quantumvis acuti: hæc inter ubera conquieſcit animus, æſtusque deponit.

Quod ſi ex me ſtudioſiùs inquiras, quæ ſint illa Dei ubera, quæ mammæ. Attende quid olim explicatis cœli valvis viderit diſcipulus ille, quem diligebat Dominus.

Fui, inquit, *in Dominica die, & audivi poſt me vocem magnam, tanquam tubæ, dicentis: quid vides? Et converſus, ut viderem, vidi ſeptem candelabra aurea: & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea.* Apoc. c. 1. v. 2. 13.

Hic impenditur ingenioſus Interpretum labor, deſudatque induſtria, ut exploret & eruat, quis ille filius hominis? Quæ candelabra? Quæ zona? Quæ mammæ.

Candelabra ſeptem, ſunt ſeptem Eccleſiæ, ſeptem Epiſcopi, quos inter medius aſſurgit ſimilis filio hominis Chriſtus JESUS, ad cujus æmulationem factum, ut etiamnùm Romanus Pontifex, iſque unus, ubi ſolemni ritu, pompaque ſacris operatur, circum ſe in altari habeat ſeptem candelabra. Eſt nimirum in terris Chriſti Vicarius, medius inter ſeptem candelabra, hoc eſt Epiſcopos omnes, quibus eminet ac præſidet. Sed quæ zona? Et cur aurea?

Aretas zonam eſſe vult ſymbolum Divinæ clementiæ, quæ iram pectore conceptam ſtringit ac retinet.

Rupertus notam regiæ dignitatis.

Albertus, divinæ ſapientiæ; Abbas Joachim, pietatis; Chryſoſtomus, caſtitatis; Ribera, charitatis. cui conſentio; ideo enim aurea, quia aurum eſt nota divinæ in nos charitatis Sed ad rem propiùs: Quæ tandem mamma? Viegas credit, duas à Chriſto pendere mammillas, hinc miſericordiæ, inde juſtitiæ: dextra fluit, & exſugitur lac indulgentiæ & miſerationis. Siniſtra funditur lac juſtitiæ & correctionis: hoc acrius eſt; ſuavius illud: & hoc & illud infanti, id eſt homini, ſalubre.

Pererius aliò vertitur, & ait, duæ in Chriſto mammillæ, ſunt mens & voluntas: illa cincta eſt auro ſapientiæ; hæc charitatis: utraque lac homini ſudit: illa doctrinæ; hæc gratiæ uberioris.

Ecce quo potamur lacte, quibus paſcimur uberibus.

Magnum quiddam & illuſtre ſibi dixiſſe viſus eſt Iſaias, ubi in alto mentis exceſſu, & prophetico ſpiritu de Eccleſia cecinit. *Erunt Reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: ſuges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis:* magnum, inquam, & illuſtre ſi terram ſpectes, & ea quæ in Orbe aſpectabili miramur puſilli mortales: at ſi cœlos ſuſpicias, ſi divinæ caritatis æſtus, ſi Deum ipſum qui tuo inclinat amori, novum illud, & auguſtum, cœleſte, divinum audies. Erunt cœlites nutritii tui, & beatæ mentes nutrices tuæ; ſuges lac cœlorum, & mammilla Dei lactaberis: quod ſi illa lactaris, age, illum unicè ſancteque deperi, ſtringe, amplectere, & Cap. 49. v. 60.

illud

Proverb. c. 1. v. 10. illud audi: *Si te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Si mundus te lactat, ſi putida caro, ſi voluptas, ne acquieſcas ei: non ſunt illæ nutrices tuæ, non eſt hæc mater tua, ſed noverca. Deus unus eſt nutritius, eſt mater, eſt mammilla. illi caput, os, animumque inclina, & inter illius ubera, amores dico, requieſce. Sed his cœli deliciis datum eſt ſatis; ad alia Dei nomina tranſeamus: ex iis

Nonum eſt *ia* ſive abbreviatum *Iehova*, quod decimum eſt Dei ter Opt. ter Max. nomen, nomen tetragrammaton, nomen ineffabile; de cujus etymologia diſputant inter ſe Hebræi, & ex illis Theologi noſtri.

Oleaſter illud deducit à radice *hava*, id eſt contere: unde *hova* contritio, ut *Iehova* contritor eſſet ac diceretur.

Id nomen Omnipotenti Deo convenit quàm optimè; ut qui Pharaonem, & Ægyptios, dura capita ac cervices elatas, divina vi, manuque contriverit: Gen. c. 17. v. 1. ad quam ſpectat illud epinicium Moſis: *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.*

Magis arridet aliis, probaturque hoc ipſum nomen derivari à radice *hava*: quod ſignificat *eſt*: quo uno portenditur ipſa Dei eſſentia, ipſa eſſentiæ abyſſus, & pelagus inexhauſtum: quod erui non poteſt, & in lucem dari aptius, quàm hac una vocula, *eſt*.

Lib. 1 de Cœlo. Sic ariſtoteles vel ipſa duce natura, cùm Dei definitionem efferret, pronuntiavit eſſe *ens exiſtens*: quia Deus à ſe eſt, & ab illo cætera: pelagus eſt, principium & fons omnis eſſentiæ: creata omnia veluti rivuli ab illo deducti. Ita Triſmegiſtus de Dei nomine dum quærit, ait. *Deus unus nomine non eget, eſt enim ens ſine nomine.* Et hæc per tranſennam de variis ſupremæ illius ac Divinæ Majeſtatis nominibus dicta velim: ad inſtitutum meum, à quo paululùm digreſſus ſum, revertor.

§. VI.

Cur ineffabile Dei nomen in fronte geſtaret Pontifex? Quæ religio, quæ vis in eo nomine?

Exod. c. 28. v. 36. ITa ferebant verba divinæ legis. *Facies & laminam de auro puriſſimo: in qua ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino.*

Exhibebat in area nobili, auri luce ac pretio inſcriptam hanc epigraphen, *Sanctum Domino.* Vel ut hebræa habent, *Code: Laihova*, ſculpes *ſanctitas Iehova*: quaſi diceret, Inſculpes laminæ hoc emblema: *Sanctitas Domino.* quam enim potius inſcriberet altiſſimi Sacerdos, vel Deo, vel ſibi? Eſt ſanctitas ita Deo propria, ita illius eſſentiæ inſita, ut abeſſe nullo modo poſſit. Eſt Sacerdos, cœli ac Superum myſtes, ſupremi Numinis in terris miniſter: ei litat, & ſacrificia ſtatis temporibus exhibet, quæ ut ſancta ſint, oportet. Eſt illi auguſtum, cœleſte, divinum nomen pro corona, pro diademate, pro ſole frontis, pro galea capitis; quæ eum tegat ac protegat. Eſt in eo nomine unde ſibi apud populum gratia ſit & honos. Unde majeſtas ſacra, unde ſua virtus animo, ſuum corpori præſidium, ſua vis & arma, unde bonorum omnium affluentia, & miraculorum indita poteſtas. Hæc enim omnia brevi compendio legis, quicumque hanc epigraphen uſurpas oculis.

Reverentiam ex eo colliges, quòd è Judæis nemo unus omnium, illud nomen effari & eloqui auderet unquam: quo factum, ut ſi cuipiam ſacras paginas evolventi occurreret illud; non exprimebat lingua: ſed alia premebat mente, & in ejus locum ſubſtituebat aliam Dei ſui appellationem qualis fuiſſet, *Adonai*, aut *Elohim*. Tanta fuit apud illos divini illius nominis reverentia, tanta religio; quam ne ſcrupuli alicujus, nedum ſuperſtitionis damnare audeas: Audi & illud, quod non ſine ſtupore, ac rubore excipere poteſt ætas noſtra; quæ auguſtum ſacratiſſimum, & ſummè venerabile Dei ſui nomen ita prodigo & impio ore ſæpiùs effundit: audi, inquam, & ſi potes in omnium aures, animoſque ſparge illam ſanctiſſimi nominis reverentiam.

Septuaginta Interpretes, quorum in exponendis ſcripturis mens Deo plena, & calamus Spiritus Sancti, ceu ſcribæ velociter ſcribentis; ii inquam Interpretes, dum ex hebræo græcæ dictioni Scripturam reddunt, ubi incurrit nomen illud tetragrammaton, eo (quod ſummæ modeſtiæ fuit ac venerationis) omiſſo, ſupponunt *κύριος*, aut ei affine nomen, à quo non ita ſibi timeat animus, calamuſque verecundus & pius.

Imò quod amare magis ac imitari ſtudeas, ipſi Apoſtoli primipili, primaque lumina naſcentis Eccleſiæ eadem religione ducti, etiam ſuppreſſere eam Creatoris ſui appellationem, & pro ea in poſteros emiſere aut Dominum, aut aliud illud illi cognatum nomen quod auribus tutius ac facilius accideret.

Ex hoc avito more, inditaque religione, primùm manavit illud, ut è Judæis nemo omnium noſſet, quî pronuntiari deberet; ex quo Lucanus ſui ſcommatis occaſionem ſumpſit, ubi de Deo Judæorum agens, dixit. *Incerti Iudæa Dei.* Philo l. 3 de Vita Moyſis.

Alterum deinde ex eodem fonte fluxit, ut uni ſummo Sacerdoti liceret illud efferre: & hoc quidem in ſacris tantùm, aut ſolemni benedictione, aut cùm ſubiret ſancta ſanctorum.

Aliud quod addi poteſt ad boni ſenis, & magni Simeonis laudes, eſt quod ille omnium ultimus hoc nomen pronuntiarit; cùm & Chriſtum ſervatorem in ulnas accepit, & ora reſolvit in cygneas illas voces: *Nunc demittis ſervum tuum Domine.* Ab illo tacuere cæteri: diceres impoſita linguæ vincula, ne ſe explicarent in Dei nomen, quæ Dei filium non confitebantur.

Poſtremum quod illius religionem auget, & apud poſteros commendat: eſt quod illi ipſi Judæi, ſi quando ſolemni juramento extorqueri debeat veritas, & obteſtandum Dei nomen, nunquam ipſum uſurpent, ſed ejus duntaxat litteras hac ferè formula. *Iuro per Iod, he, vau, & hod*, quæ ſunt litteræ quibus componitur ineffabile, & tetragrammaton nomen: tanta eos invaſit reverentia, tam amabilis ſtupor divinorum; quem utinam induerent ætates omnes longè conſequentes.

Venio ad præſidia nominis illius, ad virtutum decora, ad gloriam miraculorum illi quodammodo adnatam.

Ubi infelix Cain fraterno ſanguine ſuas infecit manus, ubi tam novum & inſolens ſcelus erubuit terra, ſeſeque in pœnam paravit; *poſuit Dominus* Gen. c. 4. *Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet* v. 15. *eum.* Hîc in ſcholas & pulpita evadit una quæſtio; quod illud ſignum? Nonnullis placet fuiſſe unam è litteris divini nominis *Iehova*, ſcilicet litteram *He*, quæ littera tutelæ fuit, ne quis eum attingeret, ubi inciſum fronti cœleſte nomen, veluti teſſeram, agnoviſſet; quæ ſententia ſi vera eſt, etiam in ſeros annos fratricidæ præſidio fuit vel una ſacroſancti nominis litterula. Tantum in ea eſt momenti ac ponderis etiam apud eos, quos omnibus ſuppliciis, ipſiſque inferis profligata vita jam addixerat.

Quod ſi improbis inde quæritur à pœna libertas; probis certè ingentia quædam virtutum enaſcuntur ornamenta. Juvat unius alteriuſve meminiſſe.

Lex naturæ unum in paucis habuit patientem, imò patientiæ miraculum: Is fuit Jobus, in quo luſit divinus amor: erat enim vir rectus, & ſecundùm cor Dei. Quod ita illi patuit, ut inſigni caritatis prodigio & nomen illi mutarit in melius, & unam è ſuo ineffabili nomine litteram detraxerit;

quam illi inderet: ea fuit littera *Iod*: cùm enim antea diceretur *ab*, id eſt Propheta, audit poſtea *Iob* hoc eſt Propheta Dei. De quo nonnulli, neſcio, an verè, pię tamen philoſophantur, dum volunt ab illa divini nominis litterula acceſſiſſe ſingularem illam patientiam, aliaque præclara magnarum virtutum ornamenta.

Cui affine eſt & illud, quod in Abrahamo plerique commendant. Illi primo nomen Abram, id eſt pater excelſus, deinde Abraham, hoc pater multarum gentium: unde, inquies, ea propago, ea generis longævi ſeries, quæ Deo etiam ſponſore, & ſtellas æthere toto ſparſas, & arenas ad littora fuſas æquaret? Si illis autem fidemque concedas, ſuadebut ab inſita è divino nomine littera *He* eam omnem fertilitatem emanaſſe; ſed iſta liberius fortaſſis jactantur quàm verius: ſit penes illos fides & dictorum authoritas. iis ego pondus nec addere velim, nec etiam detrahere.

Tranſeo ad vim aliquam miraculorum eidem nomini *Ichova* quodammodo congenitam. Virga Moſis prodigioſa fuit, & inſignium miraculorum effectrix: nam & maria dividere, & ſiſtere fluentes aquas, & adverſo cœlo nimbos, grandines & fulmina devocare, & tuti propè naturæ imperitare: ſed unde ea vis indita, unde tantum in naturam, imò & ſupra naturam imperium? Toſtatus refert in admirabile nomen Jehova, quod ipſa inſcriptum præferebat; erat enim quadrangula, & in ſingulis angulis unam hujus nominis litteram oſtentabat.

In cap. 4. Exod. Ille ipſe Moſes à prodigiis utroque in Orbe notus, Ægyptium legitur occidiſſe, non manu, non *L. 1 Strom.* ferro; ſed, ut ea Rabbinis refert Clemens Alexandrinus, ſolo nomine *Ichova*, quod ipſe intimo pectore altoque ſpiritu pronuntiavit: adeò illi nomini pervium Ægyptii pectus, & in vitam mortemque jus fuit: ſed hoc, inquies, triſte ac funeſtum eſt; aliud accipe quod lætius ac mollius appellet.

Saül in purpura ſceptroque, in ampliſſimi regni deliciis agitabatur maligno ſpiritu, ſpiritu inſani mœroris ac triſtitiæ. Chelim docta manu pulſabat David, & à Saule recedebat malignus genius: *1. Reg. 18.* crederes ſuaves illos Davidis modulos ferre non poſſe, & verò etiam non potuit. Sed quid adeò turbulentum illum ſpiritum pulſat ac ferit? Sunt qui cantui tribuant, ſuavibusque numeris: multum enim valet cantus ad componendos animi motus ac tempeſtates, ad dæmones abigendos. Ita S. Antonius pſalmorum verſiculis dicitur prædonem animorum ea corporibus, velut alieno hoſpitio, ejeciſſe. Sunt alii qui Davidis virtuti meritisque aſcribant: ſunt etiam qui nomini *Ichova*, cujus lineamanta in Davidis cheli expreſſa fuiſſe credunt; ita Valderama, penes quem ſit illius miraculi fides, ut & hujus, quod in Rabbinis legiſſe me aliquando memini.

In eorum oculos, imò & invidiam incurrerat ea fama viſque miraculorum, quæ dum in vivis eſſet, patrarat Chriſtus, nec ut vellent, ea ignorare, aut diffiteri poterant. Veritati, quæ luce meridiana clarior elucebat, cedendum erat: at non omnino cadet invidia: & livor edax dente carpet, tangetque quod abſumere, & exſorbere non poterit: jactabit enim commentum illud, Chriſtum iis portentis, ac prodigiis ſupra cæteros mortales claruiſſe, vel hoc uno tantùm, quod nomen *Ichova*, aliis ineffabile, ipſe unus effari poſſet. Tantam ei vim ineſſe crediderunt etiam ad patranda miracula.

Et hæc dicta velim, non ut iis ex me fidem aſtruam, authoritatem conciliem; ſed tantùm ut ex his intelligat prudens Lector, quæ apud Antiquos fuerit divini nominis opinio, quæ fama, quæ religio.

§. VII.

Tiara byſſina ſacri capitis ornamentum.

HÆc olim præſcribente cœlo, auribus, calamoque excepit Moſes, & in chartam effudit: *tiaram byſſinam facies*, decus ſacrati Deo verticis. *Exod. 28. v. 39.* De hac aliqua inter Authores controverſia. Sunt enim qui tiaram Pontificis contendant fuiſſe pileum; ſunt qui vittam tantummodo deſcribant.

Joannes Villalpandus credit fuiſſe faſciam, ſeu *In cap. 24. Ezechiel.* vittam, qua Sacerdotes & reges coronari ſoliti. Olim enim Imperatoribus, non aliud erat diadema, quam vitta byſſina cingens & ſtringens caput, & in dorſum effuſa; ut videre eſt in Antiquis Cæſarum imaginibus. Et hoc fortè aſcribi potuit juſtæ parſimoniæ illius ætatis, quæ à luxu faſtuque veſtium erat aliena, à qua degenerarunt ſæcula conſequentia, quæ ſuorum regum Cæſarumque capita auro gemmiſque non tam ornarunt, quàm onerarunt. Sed iſta quæſtio querelaque eſt alterius fori; diſcedamus ab illa, & in præſentia dicamus Tiaram, Cidarimque Pontificum, in pilei formam efformatam fuiſſe: ita enim illam depingunt qui iis ſæculis fuere proximi, & oculis uſurpare potuerunt ſacram illam Pontificis in veſte Tiaraque majeſtatem.

Joſephus certè curioſus Judaicæ Antiquitatis interpres & ſcriptor, ſacram illam Cidarim ita deſcribit *Pileolo quali & cæteri Sacerdotes utebantur, ſuper quem alius extabat ex hyacinthe variatus, hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectantur calyculi (ſive folliculi florum) aurei, quales videmus in herba, qua hyoſciamus dicitur.* Hæc Joſephus, quem cum aliis conciliare potes, ſi dixeris illi pileolo etiam abjectam fuiſſe faſciam byſſinam, quæ è Cidari dependeret. Sed his ego ſtudioſius non immoror, magis amo opportuna ex illis morum vitæque documenta.

Prima hominum ætas, eaque magis innoxia, & ſimplicitatis amans, nudo capite inceſſit, verticemque apertum & ſoli & aquiloni & omnibus injuriis aëris objecit.

Poſtea molliora ſæcula caput texêre, vel valetudinis cauſa, vel ex medicorum placitis ac perſuaſione.

Hippocratis imago pilei umbella tegi ſolita, cujus ratio hæc à nonnullis redditur, quòd omnium primus caput pileo velarit: an ea cauſa ex veritate ſit neſcio. hoc ſcio, pileum etiam ſervire dignitati tum profanæ, tum ſacræ. ut de illa taceam, de hac pauca ſubnectemus.

Tiara triplici ordine aſſurgebat, ut efferret eminentiorem Regibus dignitatem: de qua illud aurea eloquentia Chryſoſtomus.

Sacerdotium principatus eſt ipſo etiam regno venerabilius ac majus. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, *Hom. 5. de verb. Iſai.* *neque veſtes aureas; umbra ſunt iſtac omnia, vernisque floſculis leviora.*

Ac ne videatur hæc inani verborum jactantia, non autem rationum momentis ac pondere in medium proferre, cauſam ſubjicit illius pronuntiati. *Quamquam*, inquit, *nobis admirandus videatur thronus regius ob gemmas affixas, & aurum quo obcinctus eſt: tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitur; nec ultra poteſtatem hanc quicquam habet authoritatis:* oculis illudit auri fulgor & pretium, gemmarum tutor & gratia, ſideribus ipſis æmula aliæque regiæ fortunæ phaleræ fucum faciunt, & in corpora mortalia, in res abjectas & luteas authoritatem injiciunt: at non evadunt ad immortales animos, ad cœli gazas, ſtellatas arces, divorum beata tecta, ad quæ tamen aſcendit Pontificum ſuprema authoritas: quam ubi enim regia componit mellitâ eloquentiâ Ambroſina, ait: *magis Sacerdotium regna, quàm aurum plumbo prælucere.* *Lib. de dign. Sacerd. c. 2.* Eſt nimirum altiſſimi Sacerdos, veluti medius cœlum

lum inter & terram, Deum inter & homines: quod ipſum in ſede Petri, cathedraque veritatis agnovit INNOCENTIUS III. & hoc ex ea oraculum edidit. *Qui eſt inter Deum & hominem medius conſtitutus, citra* Serm. 2. in Conſec. Pont. *Deum, ſed ultra hominem: minor Deo, ſed major homine.* Hanc ſibi ab illo Ordinis inditam majeſtatem agnovere magnæ mentes, Infula Pedoque dignæ. Ut cæteros taceam, unus erit inſtar omnium, Iſque Leontius Tripolis Lydiæ Epiſcopus, de quo Baronius in ſuis monumentis.

Tom. 3. ann. Dom. 325. §. 16. Evocatus ille fuerat ab Euſebia auguſta, fœmina alti ſpiritus, & inſolentis ſuperbiæ: ea nimirum occupare ſolet anguſtas animas, inepta ſceptris capita; quæ plus æquo attollit, cùm deprimere debuiſſet, ac modeſtiæ legibus ſubdere: Ut ad eas revocaret Auguſtam, moneretque quod eſſet inter Purpuram Pedumque diſcrimen; ita paucia fertur reſpondiſſe. *Si me ad te venire volueris, debita Epiſcopis reverentia ſervata, ego quidem ingrediar; tu autem ſtatim de ſublimi iſto ſolio deſcendens, reverenter mihi obviam procedas, & caput meum manibus ſupponas benedictionem acceptura: ac deinde ego ſedeam, tu reverenter aſtes, cùm juſſero, dato ſigno ſeſſura. Si hæ tibi conditiones placuerint, veniam ad te: ſin alio modo, non tam multa dabis, ut nos honore Epiſcopis conveniente neglecto, divini Sacerdotii inſtitutum violemus.* Hæc Leontius ſcripſit, hæc dixit pro ingenita ſibi libertate, ſacrique Ordinis ac rituum omnium obſervantia: ob quam vulgò dictus eſt *Eccleſia regula.* Et quia erit fortaſſe unus aliquis qui pro ſe loquentem Epiſcopum non audiet; audiat ille, & ab Auguſto Cæſarum longè maximo diſcat quæ Epiſcopis, quæ Eccleſiæ Præſulibus debita ſit obſervantia.

Conſtantinus Imperator, quem ut Auguſtum ſuſpexit Orbis, ut Parentem amavit primùm naſcens Eccleſia, ita cum Epiſcopis ſeſe geſſit in omni congreſſu, ut & ipſis aſſurgeret, nec ſederet ipſe, niſi prius illi conſediſſent. Noverat nimirum Auguſtus Imperator pro ingenita ſibi à Deo mente, quantum Purpura à Pedo paſtorali diſtaret.

Baron. ſupra. Novit etiam, nec ſine periculo ſuo, cœleſtique prodigio ſenſit Valentinianus Imperator cùm enim Martino Epiſcopo aſſurgere dedignaretur, derepentè è ſella vindex ignis erupit: à quo ne incenderetur, ne in cineres iret totus, aſſurrexit vel invitus. ita flammæ ceſſit, qui dignitati Epiſcopali non ceſſerat; & cui aſſurgere prius erubuit, ad ejus pedes ſupplex accidit: adeò verum illud, quod tantò antè Iſaias animo præviderat, & de Prælatis novæ legis cecinerat. Iſai. c. 49. *Reges vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.*

Ad primum ſpectaſſe videtur edictum illud Theodoſii & Valentiniani Imperatoris, dignum omnino, quod aureis litteris in lapide adamantino ſcribatur, ad omnium Poſterorum memoriam ac documentum. P. Sirmond. ad Sidon. Theodo. l. 4. c. 5. Ita habet. *Audemus Sacerdotes cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat.* Ea Imperatores illos invaſerat Sacerdotii veneratio, ea Ordinis illius reverentia, ſacraque majeſtas, ut eos non ſine timore nominare auderent, nedum aſpicere & alloqui: ratio tantæ ſubmiſſionis eodem edicto exponitur, quia *omnis terra eis caput inclinat.* Imò ad eorum pedes abjicit quidquid altum ac ſublime habet, ut indubitatum ſit & illud Iſaiæ: *pulverem pedum tuorum lingent.* Quo in genere ſpectandum illud & illuſtre facinus Caroli magni Galliæ Regis, & Imperatoris ter maximi. Eccleſiæ clavum regebat Hadrianus Pontifex; imperii gubernacula Carolus tenebat: hic ut Romam venit, ut de Eccleſiaſtica libertate, de ſede Petri quàm optimè meritus, ita exceptus eſt quàm magnificentiſſimè. Obviam ivere militares turmæ, equitum robur, & Romanæ nobilitatis decus omne. Ipſe Pontifex Clero honorato ſeptus in ſummis gradibus Eccleſiæ D. Petri conſedit; primulo in atrio ſuperbis operibus exornato. Ut venit Rex Carolus lectis Regni Principibus, & armato militie comitatus, ſic ad eum locum acceſſit, quaſi ad ſolium ipſius Divinitatis, Numenque auguſtiſſimum adire videretur: Primùm enim illuſtri animi demiſſione ſeſe pronum in terras proſtravit, tum ad ſingulos gradus pedetentim adrepens, eos humaniſſimè oſculatus eſt: tum ubi ad opperientem ſe Hadrianum advenit, demiſit ad pedum oſcula, tum denique in paternum ejus ſinum, præſidiumque D. Petri, ſe, liberos ſuos, & florentiſſimi regni fortunam conjecit. Habet in eo Gallia, quod Regum ſuorum ſubmiſſionem, & in ſanctam ſedem obſervantiam amet, ſuſpiciat, & in poſteras omnes ætates emittat. Habet & Orbis univerſus quod probet, imitetur; habent & ii, quos eò dignitatis benignius cœlum evexit, in quo immenſam, & mirum quantum profuſam æterni Numinis in ſe liberalitatem demirentur, ſtudeantque ſub infula, ſub tiara, ita vitam omnem exigere, mores componere, ut nihil ſit, quod à ſacratiore illa majeſtate abhorrens videatur.

§. VIII.

Annulus pontificiæ dignitatis, poteſtatis, & conjugis inſigne.

AD ſacræ veſtis decora, acceſſit annulus, vel Rationalis ornamentum (ut in Hebræis Pontificibus) vel digitorum gratia, (ut in Romanæ Eccleſiæ Præſulibus) Hujus & illius rationem hic indagamus, ut ex ea aliquid ad inſtitutum noſtrum derivetur. Exod. c. 28. v. 27.

Omnis ætas omniſque ratio annulum cenſuit eſſe dignitatis inſigne, imò notam nobilis proſapiæ, & veluti teſſeram animi de Republica benè meriti.

Romani rectè publico quondam edicto cavêre ne quis è vulgo annulum indueret, niſi re benè geſtâ ex ſenatus conſenſu is ei honos deferretur. Hoc vero decus primò delatum audio legatis exterarum gentium, quæ cum Romanis fœdus iniiſſent, ac deinde equeſtri ordini, denique iis omnibus ac ſolis, quibus obtigiſſet pro ſalute patriæ, & agere, & pati fortia, quod Romanum erat. Inde Auguſtus Cæſar, ut ſuis militibus adderet animos, & ſpe ampliſſimi favoris erigeret, omnibus aurei annuli uſum conceſſit; & Titus Livius ſecundo bello contra Carthaginenſes, memorat equites Romanos ab Hannibale ad Cannas cæſos eſſe eo numero, ut cæſorum annuli tres integros modios oppleverint; quos omnes in triumphi ſpeciem, & victoriæ partæ monumentum Hannibal Carthaginenſibus tranſmiſit.

Fuit deinde & annulus imperii nota, & hæreditatis adeundæ teſſera; unde Imperatores morti proximi, annulum ſuum ei concedere ſoliti, quem ipſi hæredem inſtituiſſent. Ita Auguſtus Tiberio donaſſe legitur. Ita & Pharao annulum tuliſſe de manu ſua, & inſerviſſe digito innocentis Joſephi in ſignum attributæ ei regiæ poteſtatis.

Fuit & aliis nationibus ſuus annulorum uſus & honos. Ut ad Carthaginenſes redeam, illud in eis fuit ſingulare (quod Plutarchus in Hannibalis vita memorat) ut tot digitis annulos insererent, quot ipſi prœlia ſubiiſſent, quot de hoſte victorias reportaſſent. Amabant nimirum veteres illi, quibus in oculis erat virtus, in animo gloria, hæc virtutum decora, hæc rei præclarè geſtæ monumenta.

Volunt aliis annulum eſſe perfectæ & paternæ reconciliationis argumentum. quod ex Evangelio conſtat: Ubi enim ad ſe, ad parentem rediit Adoleſcens ille Prodigus; genitor miſeratione pleniſſimus eùm perdito filio veniam dediſſet, cum ſtola prima juſſit continuò *date annulum in manum ejus.* Luc. c. 15.

Verùm utut hæc ita ſint ex variarum gentium more rituque, apud quas alius atque alius fuit annulorum uſus; certè communis ſenſus & opinio probat annulum, arrham eſſe & pignus ſponſalitium. Solebat enim ſponſus ſponſæ mittere annulum, quem pronubum vocabant, vel pignoris loco, vel in ſymbolum amoris.

Lib. 13 Nat. Hiſt. c. 1. Is teſte Plinio, ſua ætate ferreus erat, & ſine gemmâ: nimirum ei pro gemmâ, pro luce, ſoleque erat amor, ferro, hoc eſt duris aſſueſcere ſolitus: ideoque inſtitutum olim fuit, ut in digito medico ſiniſtræ manus geſtaretur, quod in eo digito vena eſſet ad cor ipſum, amoris ſedem, rectâ perveniens.
L. 10. c. 10 Cujus rei luculentus author eſt Agellius; ait enim, ſectis apertiſque per anatomen corporibus repertum eſſe nervum quendam tenuiſſimum ab eo digito ad cor hominis tendere, propterea que eo honore viſum eſſe dignum, ut qui continens & quaſi nexus cum principatu cordis videretur.

His ita ex totius Antiquitatis ſenſu, ex Authorum fide, ex veritate conſtitutis, veriſſimum erit illud effatum: Annulum in Pontifice, in Præſule dignitatis, imperii, reconciliationis, ſacrique conjugii ſymbolum eſſe.

De dignitate quæ mortalibus ſuperior, immortalibus propè par dici potuit, multis antea diſſerui, ideoque ad alia propero.

L. de Ioſeph. c. 7. D. Ambroſius cenſuit annulo ornari Pontificea ut *ipſi ſignent alios.* Alludit ad annulos ſignatorios, quibus notæ iis rebus imprimebantur, quas tutas, & ſecuras volebant. Et hæc poteſtas noſtris Pontificibus communis, ùt qui electos ſignant ad vitam beatam, eoque ſigno liberos ac ſecuros de ſalute faciunt.

Quod ſi quandoque (quæ hominum eſt inconſtantia, & ſumma infœlicitas) à patrato ſcelere, iis infeſti ſuperi, iratum Numen, parata toto æthere fulmina; interveniunt Epiſcopi veluti conciliatores divinæ mentis, & pacificatores potentiſſimi ad excutienda divinis è manibus concitatæ juſtitiæ fulmina.

Sed iſta ad authoritatem, ad ſummum immortales jus, imò ad aliquod in cœleſtes, Deumque ipſum, imperium faciunt; hoc ad amorem teſtificandum conducit.

Epiſcopum inter & Eccleſiam illud intercedit vinculum, quod ſponſum inter & ſponſam videri poteſt; & eo fine conceditur annulus, quem Tertullianus etiam *pronubum* appellat, utpote pignus amoris, & individuæ ſocietatis: debent enim Epiſcopi curam Eccleſiæ, ſeu ſponſæ habere, ejusque bonum ac felicitatem in corde ferre, ut illam quaſi virginem caſtam exhibeant, ſerventque Chriſto Salvatori.

Lib. 9. Fuit olim inter veteres recepta conſuetudo, ut maritus ſuæ uxori cuſtodem apponeret, quem Apuleius, *Sequutorem* appellat; quod ut umbra corpus, ſic matronam ille ſequeretur. Non ſic boni & fideles Epiſcopi, quibus Eccleſia ſponſa: ejus ipſi cuſtodes eſſe volunt, nec alienæ fidei committunt tam ſacrum Chriſti depoſitum: Et jure ſanè æquiſſimo: unus enim Paſtor, alii mercenarii; unus ſponſus, alii ſterili famulitio addicti, qui ſua quærunt, non quæ ſponſæ: at bonus Præſul qui ſponſi nomine gaudet, ejusque vim amicam, & ſuavia amoris incendia patitur, adhæret ſponſæ ſuæ lateri, reſidet in Eccleſia ſibi commiſſa, ea puræ caritatis legibus omnia in ejus bonum ac felicitatem diſponit: utque diſponat, ei creditur annulus, inſigne nobilis animi, decus imperii, authoritatis nota, ſymbolum effuſæ caritatis.

§. IX.

De Virga Aaronis, & baculo paſtorali.

VUlgò jactari ſolet illud: *Honos alit artes.* quod quàm veriſſimum eſt, ſi moderata ſit illius cupiditas, ſi ſeſe rationis gyro coërceri patiatur: at ſi ſe effrænæ gloriæ, inanisque jactantiæ libidini committat, ſi ea ſe ſinat abripi; tum verò non artes alit, ſed lites movet, alit diſſidia, & ingentes animorum excitat diſſenſiones.

Ne diſcedam ab argumento mihi propoſito, gravis olim in tribubus Iſraël orta eſt contentio, de ſupremi Sacerdotis officio ac dignitate. Dum eam ſibi quiſque arrogare ſtudet, Core, Dathan, Abiron, Num. 16.
& Hon ſuperba in Moyſen & Aaronem extulere capita; & ut eſt inſolens ſuique impotens regnandi libido, per fas nefasque in ſacra jura involare, in aras evadere, & conceſſam à ſuperis uni Aaroni dignitatem eripere conantur. At vindex è cœlo Deus, cujus oculus, manusque mortalibus ſemper imminet, ut elatos deprimat, abjectos elevet, Core, Dathan, Abiron ſubitò ac repentino terræ hiatu abſorpſit, vivis eripuit, Inferis dedit, eorumque aſſeclas ultrice flammâ devoravit.

Hoc ubi Divinæ Juſtitiæ datum eſt, tum ne qua in poſterum moveretur quæſtio; ſacram illam Sacerdotii majeſtatem ſorti committendam eſſe cenſuit legiſlator Moſes, juſſitque ſingulas tribus, vel potius ſingulos tribuum Principes, virgas ſuas proferre, eisque nomen aſcribere, ac deponere, in tabernaculo fœderis, ut cujus virga arida & exſucca germinaſſet, is unus Sacrorum Princeps, Sacerdos, Pontifex haberetur. Annuêre omnes divinæ ſorti ac conſilio, virgas extulêre, ſtatuêre coràm Domino; à quo contra naturæ vim, temporis leges & pacta, germinavit ac floruit unius Aaronis virga, eoque prodigio Sacerdotem vel ipſo cœlo judice, creavit.

Fuit ea virga Aaroni, quod noſtris Præſulibus eſt Pedum & baculus Paſtoralis, videlicet index acceptæ à Deo authoritatis, poteſtatis, doctrinæ: fuit deinde alia à virga Moſis, qua Ægypto plagas intulit, qua mare diviſit, qua tot annuente cœlo & ſtupente terra prodigia patravit. Fuit denique amygdalina, uti & cæterarum tribuum virgæ, imò ex eadem amygdalo deciſa, ne quod in ea ab aliis diſcrimen eſſet, cui id miraculum aſcribi poſſet.
L. 6. c. ult. De ea paulò aliter ſentit Rabbi Salomon apud Galatinum; illum audi. *Virga illa, qua* Moſes & Aaron miracula faciebant in terra Ægypti, & poſtea in deſerto floruit, ab ea arbore exciſa eſt quam Deus oſtendit Moyſi in deſerto, ut aquæ amaræ dulces fierent.

Et hæc arbor exciſa fuit ab arbore vitæ, quæ in Paradiſo ſita erat, Angelorum manibus, quam miſerunt Adæ, cùm ille miſiſſet filium ſuum Seth ad Paradiſum, miſericordiam Dei imploraturum de ſuo peccato. Dixerunt Angeli ad Seth, ut plantaret hanc arborem, quæ quamprimùm fructum faceret, miſericordiæ Dei in eum deſcenderent, aperirenturque portæ cœli, quæ obſeratæ erant. Hanc autem arborem, ſeu potius ramum, accepit Seth, plantavitque in deſerto, quam poſtea Moſes in deſerto invenit, & ex ea virgam ſuam excidit, ideoque virga Dei dicta eſt: cùm autem veniſſet Iſraël ad Mara, neque illius aquas (erant enim amaræ) bibere poſſet, Deus oſtendit illi hanc arborem, ut aquas illas redderet dulces. Et hæc eſt arbor illa, in qua Moyſes ſerpentem æneum poſuit, per quam Deus univerſum Orbem ſalvum facere inſtituit, & mittere miſericordiam ſuam ſuper Adam, cùm venerit Rex Meſſias; tunc enim hæc arbor fructus geſtabit; quibus ſecondò aquæ amaræ efficientur dulces, purgabuntque primum peccatum, omniaque delicta quæ fecerunt; *factique ſunt homines:* Innuis nimirum hic author eam eſſe arborem, è qua deſumpta crux Servatoris, è qua generi noſtro ſalus ac vita. Verùm cùm ea redoleant Rabbinorum fabulas ac commenta, iis fidem nec habeo, nec haberi volo. Magis probo

fuiſſe

fuiſſe de vulgari & obvia arbore decerptam virgam, ſeu ſcipionem, qua ut viatores, aut Paſtores ovium uti ſolent.

Ea porrò triplici miraculo claruit, ne quis fortunatæ illi, divinæque ſorti fidem negare auderet.

Primùm enim virga arida & ſicca ſeſe exoneravit in turgentes gemmas, baccaſque; tum etiam eodem tempore, nullo naturæ otio ex ipſæ baccæ ſeſe explicarunt in flores; tum denique illi ipſi flores, in fructus uberes, maturos, & quaſi multo ſole benè coctos converſi ſunt: quæ omnia negaſſet natura, niſi vis altior acceſſiſſet.

Et hæc patrata miracula, ut Aaroni cederet ea ſummi Sacerdotii dignitas ac veneratio: quæ ut in poſteros quoque tranſiret, cenſet Abulenſis eam virgam ad annos & ſæcula duraſſe meliore ſucco plenam, ornatam floribus, fructibus fœcundam; tum ut eſſet ævo longè conſequenti rei jam geſtæ monumentum; tum ut illius familiæ decus atque ornamentum, & veluti teſſera quædam divinæ electionis.

Sed erit aliquis naturæ curioſus indagator, & divinorum myſteriorum ſedulus interpres, qui ex me quæret, Cur è tota arborum propagine, electa ſit una amygdalus, è qua decerperetur virga tot prodigiis illuſtris. Ne crede id caſu factum, ne cæca & præcipiti manu deciſum ramuſculum: erat alia manus, eaque ſuperior, quæ manus regeret, uti objectas ſortes. Ea Dei fuit, quæ amygdalum præ cæteris arboribus elegit. Sed cur, inquies, amygdalum?

Eſt in natura, eſt in divina mente ratio: ex illa hæc. Amygdalus prima inter arbores floret, prima baccas & flores oſtentat; unde hebraicè dicitur *Scaked*, hoc eſt evigilans, quòd omnium prima poſt longam hyemem evigilet & floreat. Nimirum hyems eſt plantis, quod homini ſomnus ſilens, & quaſi mortua. Diceres adulta hyeme exſuccas, exanimes, emortuas arbores & plantarum genus omne; vel ſaltem crederes longo & lethali ſomno ſepultas: adeò nullum vitæ latentis indicium edunt: At ubi primùm lenis aura, zephyri molles, vernique ſolis favor & radii aſpirare & appellere cœperint; tum verò ſopitas vires excitant, reconditas hyberni ſucci divitias educunt, effundunt ſeſe in germina, in floſculos aperiunt, & in fructus ſpargunt uberrimos.

Ita primum omnium erumpit, ſeſeque excitat amygdalus, inter arbores veluti primogenita: imò, quod in ea mireris, etiam emarceſcit ultima, nec folia deponit, nec florum honeſtatem atque ornatum, nec fructuum nativas opes amittit, niſi poſtrema. Et hoc indicat in Aarone jus quodammodo primogenituræ, & Sacerdotii longævam perennitatem; de qua ore florido D. Ambroſius. *Virga Aaronis*, inquit, *quid aliud oſtendit, niſi quod nunquam Sacerdotibus marceſcat gratia, & in ſumma humilitate habeat in ſuo munere commiſſæ ſibi poteſtatis florem.* Et hæc Aaronem ſpectavere prodigia; quæ ſubdam etiam poſteros.

Lu. 13. 12.

Monuit enim virga amygdalina, quæ debeat eſſe Paſtorum vigilia; eſt enim illa vigiliæ ſymbolum, ut apertè liquet ex imagine olim Jeremiæ exhibita. Ait ille non ſine ſtupore ac miraculo. *Virgam vigilantem ego video*; vel ut alii vertunt, *Virgam amygdalinam ego video*, quòd & hæc & illa oculata ſit & vigil, doceatque eum vigilem eſſe oportere, cui Deus eam conceſſerit.

cap. 1.

Eſt præterea amygdalus Indicæ patientiæ ſingularis: cùm enim prima frondeat, floreatque; etiam prima rigidos adhuc aquilones, nimbos graves, grandines aſperas patitur. Et Præſul, in cujus manu Aaronis virga, paſtoralis baculus, patiens ſit oportet, & obduratum adverſis pectus: ferat ille pro fide, pro religione, pro cœlo Deoque, acerrimas perſecutionum hyemes, graves tyrannorum æſtus atque tempeſtates; neque tamen ea iis decuti patiatur aut amœnam ſpei viriditatem & frondes, aut virtutum magnarum flores, aut bonorum operum fructus amittat; ſed cœlo atque æternitati reſervet.

Deinde amygdalus ſuadet in Præſule ſtudium pœnitentiæ, utque cum venia utar ea voce, mortificationis: eſt enim amara amygdalus, & amara pœnitentia, ſuavis fructus.

Denique virga, nota eſt authoritatis, & index altioris imperii; quod venerantur & adorant illuſtres animæ.

Teſtis erit luculentus Patriarcha Jacob, qui in extrema vitæ periodo, cùm diſceſſum è ſenili corpore jam ambiret anima hæreretque propè in extremis labris *adoravit Deum converſus ad lectuli caput*: vel ut Septuaginta vertunt, *adoravit faſtigium virgæ ejus*, ſcilicet Joſephi filii ſibi longè cariſſimi. Gen. c. 47.

Quæ autem fuerit ea virga, alta nox, & denſæ tenebræ: ſunt qui velint fuiſſe virgam judiciariam, qualis eſſe ſolebat Ægyptiis. Referebat ea ſceptri ſpeciem, in cujus vertice viſebatur ciconia in progenitores annoſos ſemper pia & miſericors, ideoque ſymbolum miſerationis; in baſi autem hippopotamus, ſive equus marinus, in parentes, quos enecat, crudelis & impius: quæ ſymbola Judicem monebant, ut à ſe procul amoveret immites animos, & miſericordes accerſeret. Crediderunt alii virgam illam Joſephi, quam adoravit Jacob, ſceptrum fuiſſe regium, cui imminebat vigil, patens & explicatus oculus; index & ſymbolum vigiliæ, quæ Reges ac moderatores decet.

Contenderunt alii eam virgam fuiſſe è nuda quercu, qualis Plutarcho teſte, Regibus olim ac Principibus fuit; in cujus vertice explicabantur tot folia quercus, quot ipſi regnaſſent annos, quot ſibi ſuiſque imperiis provincias adjeciſſent.

Verùm ut ut ſit de ea Joſephi virga, qualis qualis demum ea fuerit, eam certè cultu & adoratione quadam dignam putavit emoriens Jacob.

Sciebat nimirum, & ſenili providaque mente hauſerat, quod in ea decus, quæ ampliſſimæ dominationis authoritas, quam etiam in filio colere, venerari, imò & adorare debuit ipſe parens.

Et hic Aaroni virgæ, Pedo, baculoque paſtorali debetur cultus: eſt enim ille index & nota acceptæ à Deo poteſtatis, eſt virga Judicis, virga regni, ſceptrum ejus dominationis, quæ non in fortunis hæret aut corporibus, ſed ad ipſos quoque immortales animos aſcendit; ut ſuprà oſtendere me memini. Ideoque eum Jacobo ſenex quiſquis benè ſapit, adoret faſtigium virgæ paſtoralis, & in ea divinam quandam poteſtatem agnoſcat.

PARS SECUNDA.

De veſtibus Clericorum ac Sacerdotum novæ Legis.

Divina Providentia, quæ amat decorem domus ſuæ, eum in miniſtris ſuis, ipſoque cultu corporis ſervari voluit: Moyſemque per quadraginta integros dies diſcipulum habuit, docuitque facere pontificalia & ſacerdotalia indumenta, eorum normam ac rationem accuratè deſcribens: ea deinde ſua manu texuit ipſa ſoror Moſis Maria, ut non animum tantùm, ſed & digitorum opera Domino altarique conſecraret. Ex pia horum æmulatione atque inſtituto, jam inde ab Apoſtolis emanavit in nova lege ille ſacrarum veſtium ritus cultuſque, quem ita hic perſequemur, ut ex eo opportuna morum, vitæque rectius formandæ, documenta trahamus.

§. I.

De veſte Clericali.

ALia Clerico veſtis eſt in uſu vitaque communi, alia in ſacrificii miniſterio: de hac dicemus infra fuſiùs; de illa modò paucis.

In habitu corporis, ut etiam in aliis, medium teneas eſt neceſſe: ſita enim in medio virtus, vitium ad extrema rejicitur ut ea devites ac fugias: pone nimium in veſte luxum, & ſordes horre, habeque in oculis ac animo, quod de D. Bernardo jactari ſolet. *In veſtibus ſemper ei paupertas placuit, ſordes nunquam.* (In vit. l. 3 c. 2.) Etſi Monachus eſſet, mundi turbatumque fugiens, & amans ſolitudinis ac cellæ religioſæ; tamen & ſordes averſari, & laſcivientem veſtium pompam æquè damnare. & meritò: nec enim nævo caret ac macula, comptulorum illa quæſita nobilium indumentorum venuſtas; nec à cenſura immunis ac libera eſt inamœna quædam veſtitus ſpecies, pædor ac horror inſignis.

Eo certè quo vivimus ævo pauci ab hoc peccant; ab illa notantur quàm plurimi, in quos vertitur antiqua illa melliflui Doctoris querela. *Cernitur in nonnullis Sacerdotibus veſtium cultus plurimus; virtutum, aut nullus, aut exiguus*: (S. Bernard. epiſt. 42.) quam labem ſuæ etiam ætati inuſtam gemit, & aculeata oratione pungit D. Hieronymus; ait enim. *Omnis his cura de veſtibus, ſi benè oleant, ſi pes laxa pelle non folleat*: (Epiſt. 22.) animus autem qui in primis curis eſſe debuit, ponitur in poſtremis: hoc nimirum mortalibus vitium eſt, & perverſa naturæ inclinatio, à qua ſi poſſumus revocare, noſtræ curæ eſt ac laboris.

Igitur ad inſtitutum ut redeamus, quid antiqua tulerit ætas, quid noſtra tueri debeat, videamus.

Una alteraúe exurgit quæſtio: quis amandus in veſte clericali color? Quæ deinde materia? Quæ forma?

Eſſeni, qui formam quandam religionis habuerunt, à cæteris diſcreti proprio genere indumenti, ſolitíque, ut ait Joſephus, *albati incedere.* Exiſtimabant nimirum eum colorem facere ad ſimplicitatem & animi candorem demonſtrandum: verùm ut lapſu temporis in alia quoque judicia labuntur homines, viſus ille color parum conſentaneus ſacro Ordini Clericali: color enim candidus aut affectabatur à philoſophis ad vanam ſapientiæ oſtentationem; aut Dynaſtarum erat proprius, & eorum, qui omnium rerum abundantia florerent, quòd lætitiæ, gloriæ, triumphi color haberetur, & eximiæ felicitatis. Unde apud Hebræos nobilis dicebatur *Ben chorim filius candidorum.*

Neque etiam primis Eccleſiæ temporibus placuit niger & atratus color: hic enim tum pertinebat vel ad fæcem populi, quem Fabius Quintilianus *Pullatum circulum* appellat; vel ad monachos, qui ſe ab omni humano conſortio ſejugantes toti erant in cœleſtium rerum commentatione: à qua etſi non alieni forent Clerici; à veſte tamen diſtingui diſcernique voluerunt: quod ut aſſequerentur, arriſit medius quidam color: is fuit violaceus (qualis etiamnum in uſu eſt in Curia Romana) & hic in exordio novæ legis paſſim uſurpari ſolitus. Poſtea tamen cum Monachi ad Hierarchiæ Eccleſiaſticæ communionem admiſſi fuerunt, atque in Clerum ritè & piè cooptati, myſtæ plurimi pietatis ac demiſſionis amantiores, non eorum modò virtutes admirandas; ſed veſtis quoque genus coloremque amare cœperunt. Nec immeritò: eſt enim niger color modeſtiæ ſignificandæ opportunus, index luctus ac pœnitentiæ, quam etiam præ ſe ferre debet Ordo Clericalis.

Et iſta hactenus de veſtium colore. De materia ſubjiciamus pauca. Nihil in ea lautum ac molle ſit, nihil ſtructum exquiſito artificio, nihil umbilicis tumidum, aut ſollicitante copia ſuperfluum, nihil ad ſæculi elegantiam compoſitum: lanea plerumque ſit veſtis, non bombycina aut ſerica delicata: niſi fortè hanc exigeret ſingularis quædam perſonæ aut dignitatis ratio, cui modum ſtatuet decora modeſtia, decus ingenuæ mentis quæ ſupra ſortem aſſumi nihil omninò patietur. Et quia materiæ pretiúque, quod in veſte quæri poteſt, memini, non poſſum quin adjiciam illud; Splendida & inſigni quodam inſtructu viſenda indumenta potiùs facere ad probrum & dedecus, quàm ad ſplendorem ac dignitatem: omnibus enim hoc à natura inſitum eſt, ut ea oderint ac damnent, quæ ſeu à perſona, ſeu à ſtatu aliena videntur: quo in genere lepidum illud & aculeatum, quod memorat Jonvillus in vita Sancti Ludovici: & ex illo Creſollius noſter. Robertus Sorbona (qui Pariſiis templum ſapientiæ, collegiúmque inſtituit, cui & nomen fecit) cùm olim ageret cum Ludovico nono Chriſtianiſſimo Galliæ Rege, videreturque exquiſitiùs ornatus quàm modeſtiæ ordiníſque ratio pateretur; Jonvillus Dynaſta clariſſimus, idémque facetio & liberiori ingenio vir, cùm hominis veſtem lautiorem intueretur, acceſſit propiùs, & fimbriam regii paludamenti cum illius Doctoris veſte compoſuit conjunxitque; & ad hominis contumeliam publicè pronuntiavit. Sorboneum pallium pretio & pulchritudine regiam chlamydem exæquare. Hic primùm, ut in re nova accidere ſolet, ſubortus riſus, plauſúſque Aulicorum, dein gravior Sorbonæ cenſura, denique pudor, qui in ora vultúmque Doctoris illius aſcendit, modeſtiámque etiam in veſte præferre docuit: bonus ſanè magiſter pudor, & opportuna ſcholæ verecundia, quam etiam ab aula in lycæum referas. Sed ne fuſiùs de materia veſtis; de forma etiam nonnulla ſubdamus: nam & in hac peccare quis poteſt: in ò & reipſa peccant longè plurimi, qui non nativo, ſed peregrino; non Clericali, ſed ſæculari habitu utuntur, non ſine nævo & probro ſui Ordinis: quis enim Clericum, quis ſacris initiatum agnoſcat in veſte breviori & conciſa, quæ vix genua tegit? quis in thorace, caligiſque nudis, quales etiam viro conjugato uſui eſſe poſſunt? Nemo certè, nemo unus omnium Clericum eſſe pronuntiabit, qui ſolis oculis credet: qui enim pronuntiaret? Certè ut ea vellere ovis, ita ea veſte Clericus agnoſci debet. Ea (Later. ſub Innoc. III.) ex primæva Eccleſiæ inſtitutione, ex SS. Patrum oraculis, ex Sacroſanctis Conciliorum (Lateranenſis & Tridentini) decretis, talaris eſſe debet. (Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de Reform.)

Vide an ſacratioribus illis ſummorum Pontificum conſtitutionibus ac ſtatutis acquieſcendum potiùs non ſit, quàm aut imperito vulgi judicio, vanitati & mollitiei quorundam Eccleſiaſticorum; juniorum maximè, quos non tam pietas & virtutis ſtudium in Ordines immiſit, quàm pingues beneficii proventus, & amor non dico Eccleſiaſticæ, ſed otioſæ & vacuæ à curis vitæ. Vide, inquam, & quibus parendum magis attende: unáque excipe fulmen illud Sophoniæ Prophetæ in eos, qui cùm Deo ſacri ſint, profano utuntur amictu: *Viſitabo*, Inquit, *ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.* (Sophon. c. 1. v. 8.) Eos arguit, quibus cùm Numen honeſtiſſimam dignitatique concolorem veſtem conceſſiſſet, finitimarum gentium imitatione, induebant purpureum ornatum, aut ſimile quippiam peregrina profanaque manu elaboratum: quos ait Deus ſe *viſitaturum*, id eſt, graviter ac ſeverè puniturum: Quantò magis in ea qua vivimus lege (lege, inquam, gratiæ ac charitatis, in qua vel ex veſte peti debet quæ vivendi ratio, quæ norma ſanctitatis) eos damnabit ac puniet, qui non propriis & profeſſioni accommodatis, ſed peregrinis & alienis velamentis utuntur. Sed iſta parciùs: Virum bonum ex minæ non tangunt, ſed nuda & aperta veritas, inſtitutique ratio allicit ac demulcet.

§. II. *De*

§. II.

De calceis quos induunt ſacris operaturi.

PEs in homine infima pars eſt corporis: ei pro indumento calceus, à quo incipiam & gradum faciam ad aliam ſacrarum veſtium ſeriem; & quidem primo excutiam cujus rei ſymbolum ſit calceus; tum altius aſcendam & quæram, quem Sacerdos ſacris operaturus induere debeat calceum, ut illæſo pede tranſeat in montem Dei & colles æternitatis.

Primis illis ſæculis, & avitæ memoriæ ſymbola in pretio, in amoribus fuere. his enim latentes animi ſenſus, & præclara magnarum virtutum documenta tegebant: & quidem ut hæream in argumento,

Calceus ſymbolum erat libertatis: ſi quis vel à natura, vel à fortuna, vel adverſo marte ſervus factus eſſet, incedebat ille pedibus nudis, ut lis proderet captivitatem, miſeramque, ſub qua jacebat, ſervitutem.

Imminebat Iſraëli gravis & timenda ſervitus, immaneque jugum Ægyptiacæ captivitatis: ut eam oſtenderet Divina Miſeratio, quæ humanis malis præludere amat; illud Iſaiæ dedit in mandatis. *Vade & ſolve* Iſai. c. 20. v. 2. *ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis: & fecit ſic; vadens nudus & diſcalceatus.* Tenuit ea vivendi ratio (ut multis placet) tres omnino annos & Iſraëli miſerandam ſervitutem portendit. A qua ubi diu gemuerunt, tandem libertate donandi audierunt illud. *Calceamenta habebitis in pedibus veſtris.* Quaſi tacitè id innueret Deus, Hactenus oppreſſi jacuiſtis ſub infanda & miſerabili ſervitute, nudo pede inceſſiſtis; modò calceos, unàque libertatem induite: & hoc ab illis bonum.

Eſt deinde & aliud. Calceus ſymbolum dicitur uſucapionis, poſſeſſionis, imperii.

Habuit nimirum omnis ætas, omnis propè natio ſua ſigna humania in contractibus. Apud Hiſpanos in Iob. c. 2. v. 4. olim chirothecarum projectio, nota erat jam aditæ poſſeſſionis, ut teſtatur Pineda.

Ex quo ritu in caſtra, in acies abiit ille mos, ut ſi dux aliquis urbem obſediſſet, eaque ſuis munita vallis, confiſa propugnaculis, freta militum vi ac robore, deditionem negaret, adverſus belli dux intra urbis illius ſepta chirothecam projiceret, illoque ritu ſe eam urbem ſuam facere teſtaretur.

Ex illo Antiquitatis ſenſu, & dominii ſymbolo, Rabbi Emmanuel explicat illum pſalmiſtæ locum. Pſal. 149. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum, in manicis ferreis.* Erant illæ manicæ, chirothecæ militares, quas qui in hoſtes ejicit, iis jam ſe dominari palam oſtendit.

Quod Hiſpanis chirotheca, hoc Judæis olim fuit calceus. Si quandoque adeunda erat poſſeſſio, ſi jus firmandum, ſi acquirenda regna, qui in ea calceum immiſiſſet, eorum jus ac poſſeſſionem adire cenſebatur. Ita quondam Propheta Regius regni ſui limites fineſque dum extendit. *In Idumæam*, inquit, Pſal. 59. v. 2. *extendam calceamentum meum*, id eſt poteſtatem, dominium, jus regni. Contra verò, ſi quis calceum depoſuiſſet, hoc ipſo jus adeptæ poſſeſſionis depoſuiſſe videbatur. Ita divina lege cautum eſt, ut ſi Deut. c. 25. v. 5. frater defuncti fratris ſemen excitare nollet, duceret eum mulier ad portas civitatis, ad quas olim jus dici ſolitum, ibique cum calceis exueret in faciem ſpueret, ſicque omni jure privaret.

Accedit & aliud à calceo ſymbolum, & argumentum effuſæ lætitiæ, ut è contra diſcalceatio mœroris index & nota lugentis animi. Ita ſuadent ſacræ Paginæ, ipſaque primæ Veritatis oracula. Erat Ezechieli defuncta uxor, eam lugere vetatur Propheta, ideoque audit, Cap. 24. v. 17. *Corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis.*

Et hæc in foro calceorum ſymbola; at in ſago & militia, alia ab illis petita documenta: videlicet conſtantiæ, fortitudinis, & invicti animi: Qui nudis eſt pedibus, ille ſubtimidè & pedetentim incedit, ne offendat, ne concipiet, maximè ſi per aſpera & ardua petrarum loca fuerit procedendum: at qui benè calceatus eſt, expedito & illæſo pede etiam per abrupta & invia fertur.

Sed hactenus Antiquitati conceſſum eſt ſatis: ab hoc luteo & mortali corpore tranſeamus ad animum: ut enim illi, ita & huic pes ſuus, ſuus eſt calceus.

Pes animi eſt ejus affectio: ut enim hanc corporis molem portant & circumferunt pedes; ita & animum ſuæ affectiones efferunt, & quidem omni pedite, omni equite imò & aquilone velocius, ut qui etiam in uno momento rapiant ab ortu in occaſum, ab una ſolis domo in aliam, ab Orbe in novos Orbes, à terra in cœlum. Ne porrò malè rapiant, ſuus illis debet eſſe calceus, quo coërceantur. Eo te induit atque ornat provida Mater Eccleſia, cùm ad aras aſcendis.

Cùm eſſes in ſæculo, ſæcularibus implexus curis, nudo eras pede, quia ſervus tuarum paſſionum: ubi te in ſua miniſteria vocavit Deus calceo donavit & libertate filiorum Dei, voluitque ut ſubter te eſſet appetitus tuus, & tu dominareris illius. Cùm eſſes in ſæculo, in Idumæam, extenderas calceamentum tuum, tibi terra ſors erat atque poſſeſſio: at ubi veniſti in ſortem Cleri, calceo te Deus extulit, ut ipſe eſſet hæreditas tua, tua poſſeſſio, ut exultabundus cum Propheta dicere poſſes. *Dominus pars hæreditatis* Pſal. 15. v. 5. *meæ, & calicis mei, tu es*, ò Deus meus, *qui reſtitues hæreditatem meam*; cœlum, inquam, à quo per peccatum excideram: erat illud hæreditas mea, ad quam animo & votis redire contendam, ubi calceos; pios, inquam, affectus excitabo, terra lutoque ſuperiores: ab iis capta veluti jam cœleſtis patriæ poſſeſſione, immiſſiſque in cœlum calceis, imò ſi volés & manibus, exclamabo moræ impatiens: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?*

Cùm eſſes in ſæculo, dies propè omnis erat inanis & vacua, dies nubila ab affuſa triſtitiæ mole, quæ toties animo incumbebat, quoties aliquo te ſcelere pollueras: at ubi dignus effectus es qui aris ſervires & Deo; tum liberâ mente, ſecuraque conſcientia vultum explicaſti & cœpiſti primùm gaudere in Domino. *Non in ſæculo*, inquit Anſelmus, *ſed in Domi-* In c. 4. ad Philipp. *no: id eſt, non in iniquitate, ſed in veritate; non in flore vanitatis, ſed in ſpe æternitatis.*

Eam certè concipis ubi ex Eccleſiæ inſtituto calceum accipis. Ecce quæ ab illo tibi ſunt, & quàm præclara morum documenta: quæ dum ſpectat, amatque in ſponſa, animarum ſponſus; exclamat, *quàm* Cant. 7. v. 1. *pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis*,

Hic mihi injicitur dives argumentum, quæ ſit illa filia Principis, & quæ illius calceamenta? De his ſua inter Sanctos Patres lis eſt, eaque adhuc ſub Judice.

D. Chryſoſtomo ejuſmodi calceamenta ſunt vita Hom. 24. in Ep. ad Epheſ. optima, morum integritas, & illibatus hujus mortalis ævi tenor.

D. Hieronymo, calceamenta ſponſæ, eſt ipſa caſtitas & intactus puræ mentis decor, cujus greſſus omnes, affectus omnes, defæcati, mundi, pulchri in calceamentis filiæ Principis; vel ut habet alia lectio, *filia Aminadab*, id eſt, populi ſponte offerentis. Virginitas enim non neceſſitatis eſt, ſed libertatis; non præcepti, ſed conſilii.

Divo Anſelmo calceamenta ſponſæ, eſt auſtera Lib. contra Iovin. pœnitentia, quæ corpus edomat & affectiones omnes pravas debilitat, penituſque frangit. Aliis calceamenta ſunt ipſa Dei præcepta, & ſi voles etiam conſilia; per quæ mens libera & amore ſponſi excitata currit: ita ab iis currere doctus, qui cecinit, *Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum.*

Rectè

Rectè ait; *cucurri*: nec enim in via virtutis lento, plumbeo, interruptoque pede eundum eſt; ſed veloce, ſed alto, ſed continuo, niſi in ea clangueſcere, imò & penitus deficere velis.

Ariſtoteles, cujus pectus naturæ veluti armarium nominare jure poſſum, in problematis ſuis quærit *Sect. 1. q. 18.* Cur deambulationes breves & interruptæ magis defatigare ſoleant? Reſpondet hanc è natura, hominisque conſtitutione rationem erui poſſe: quia dum ſubſiſtitur, refrigeſcunt in corpore ſpiritus animales, quibus omnis motus peragi debet; at ſi longior curſus, ſugeſcunt magis atque excitantur. Eſt vita ad virtutem, ad immortalitatem curſus, in eo ſi hæres, ipſa mora lenteſcit, torpeſcit, imò evaneſcit ſpiritus charitatis, à quo omnis melioris vitæ motus: at ſi in cœpto tramine ſemper progrederis, ipſo temporis curſuſque lapſu animatur magis atque efferveſcit.

Caſſiodorus ea ſponſæ calceamenta credit eſſe mortis memoriam, quam ex eo trahit, quòd calcei è pellibus mortuorum animalium conſuantur.

Et hæc Interpretes fundunt in illa ſponſæ calceamenta, de quibus ad extremum adjiciam D. Gregorii ſententiam, cui calceamenta eſt ipſa Evangelii præ- *Isai. c. 52. v. 7.* dicatio, de qua illud Iſaiæ: *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, & prædicantis ſalutem.* Sunt ii pedes Apoſtolici, qui non humili adrepunt ſolo, non valles amant, non abjecta ſectantur; ſed figuntur in montibus, in deſideriis collium æternorum, ad quos aſpirare docuit Ezechiel dum ex ſponſi voto, oreque ad *Cap. 16. v. 10.* ſponſam ait: *Calceavi te hiacyntho*: violaceo cœleſtique colore calceos, id eſt, affectus imbui; tum ut vita tua & ſpes omnis terris ſuperior, in cœlis eſſet, ubi & ipſe ſponſus, tuus amor ac deliciæ; tum ut præcelſos ac regios animos indueres, concolores hyacintho, qui regius eſt color. Et hæc ſunt virtutum magnarum decora; quibus tegi ornarique mens debet, dum corpori calceus Sacerdotalis inſeritur.

§. III.

De Amictu Sacerdotali, ceu galea ſalutis.

SAcerdos ubi amictum capiti ſuo injicit, ita ſuperos omnes, Deumque orat: *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos diabolicos incurſus.* Hìc mihi erit agitanda una quæſtio, nodoa onus diſſolvendus, Quæ ſit ea galea ſalutis? Exiſti- *Cap. 6.* mo eam ea convenire, de qua Paulus ad Epheſios ait: *Galeam ſalutis aſſumite*: ſed etiam de hac ſua eſt inter Authores controverſia. Sunt enim qui vertunt *σωτήριον*, *ſalutarem*. Vox Hebræa eſt *ieſca*, quæ ſalutem ſignificat: quaſi verò galea non modò ſalutaris, ſed & ipſa quoque ſalus eſſe videatur.

D. Hieronymus, qui profundiùs in Scriptura pedem figit, textuſque varios explorat, ex Græco textu explicat. *περικεφαλαίαν σωτηρίου* galeam Salvatoris: ut inſinuet Apoſtolus Salvatorem nobis eſſe debere pro galea, quæ caput noſtrum ambiat, ſervet, tueatur.

Et iſta de nòmine quæſtio; de re certè ipſa ſatis inter, ſe conſentiunt Interpretes: galeam illam eſſe ſpem ſalutis; ſeu etiam eſſe voles decus illud animi, virtutem theologicam, ſeu etiam ipſum Salvatorem, quem ut ſpem habes, ut galeam aſſumis.

Contra hanc inſolenti auſu, impio niſu, ſcelerata voce incurrunt & arietant Lutherus & Calvinus; qui cùm ſeipſi exuiſſent galea Salvatoria, galea bonæ ſpei, & deſperationem induiſſent, alteque admiſiſſent in animum, eam quoque in Salvatorem ipſum transferre voluerunt.

Lutherus certè, homo ad omnem impietatem natus, ad omne ſcelus proſtitutus, hanc labem & maculam inurit Servatori noſtro, ut eum aſſerat omninò deſperaſſe, & à ſe procul abjeciſſe galeam ſalutis, nedum ea cæteros ornaſſe. Hæc ſunt ipſius verba, quæ ſtylo notare placuit, & huic membranæ ferè renitenti imprimere, ad æternam ipſius ignominiam. *In Pſ. 22.* *Niſi dixerimus*, inquit, *Chriſtum ſimul ſummè juſtum & ſummè peccatorem, ſimul ſummè mendacem & ſummè veracem, ſimul ſummè gloriantem & ſummè deſperantem, ſimul ſummè beatum & ſummè damnatum, non videre poſſumus quomodo à Deo ſit derelictus.* Hoc impudens & audax Lutheri facinus, hæc impia vox, atrox blaſphemia in Chriſtum, Dei filium, Servatorem longè ſanctiſſimum: in qua certè peccat contra naturæ leges & pacta, contra prima Philoſophiæ principia, cõtra placita Theologiæ, contra torrentem SS. Patrum, contra conſcientiam & veritatem. Aſtruit enim in uno Chriſto re etiam ipſa conveniſſe & conſpiraſſe ſummè contraria.

Eſt illud Ariſtotelis pronuntiatum, eſt illa ſanioris Philoſophiæ vox: *contraria ab eodem ſubjecto ſeſe mutuò expellunt*: ita frigus expellit calorem à ſua ſede, & calor frigus evincit.

Contra hanc naturæ legem, Authorum Fidem, rationis lumen, componit Lutherus in uno Chriſto ſummam juſtitiam cum ſummo peccato, ſummam veracitatem cum ſummo mendacio, ſummam gloriam cum ſumma deſperatione, ſummam beatitatem cum ſumma damnatione.

Videte quod ſceleris portentum, quod monſtrum hominis, qui non tantùm omnes naturæ leges infringere audeat; ſed & ipſi Servatori, ipſi Deo inſultare, & immaniſſimi ſceleris colluvione fœdare. Ut mirum ſanè videri debeat, Orbe toto inveniri potuiſſe vel unum aliquem adeò abjectæ ſortis, deſperatæque ſalutis hominem, qui ejus doctrinæ auditor & aſſecla eſſe voluerit. Voluerunt tamen (quæ ſumma eſt miſeria) voluntque etiamnum plerique: imò voluit & ipſe Calvinus mali corvi malum ovum, qui cùm & Chriſtum & galeam ſalutis abjeciſſet; audet & eadem exuere Servatorem ſuum, & ſumma deſperatione obruere. Profert enim in ſuis inſtitutionibus, & in pugillares ac ceras effundit hanc de Chriſto blaſphemiam, *Chriſtum dires etiam in anima cruciatus damnati ac perditi hominis ſuſtinuiſſe.* *L. 2. Inſtit. c. 16. §. 10.* Et quia ad has voces, & aures lacerantur, & animi perhorreſcunt, ut ſtuporem illum, ſacrumque horrorem ſiſtat, tam impiæ propoſitionis rationem adjicit: *Deſperatione obrutum ab invocando Deo deſtitiſſe.* *In cap. 27. Matth.*

Tractat eò loci Calvinus illa Chriſti expirantis verba: *Eli, Eli, lamma ſabacthani, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Ab illis verbis iterùm clamans voce magna, expiravit, vitamque poſuit veluti piacularem hoſtiam pro ſalute generis noſtri. Calvinus, qui prodigium illud amoris ſuſpicere ac venerari debuit impiè ad flagitium detorquet, dum vult ita clamantem deſperaſſe & deſperatione obrutam animam exhalaſſe. Sed diſcedamus ab iis ſcelerum monſtris: adhæreamus magnis illis Divis, Paulo & Hieronymo, ipſumque Chriſtum fateamur nobis eſſe galeam ſalutis, qua in hac vitæ militia, inter adverſos hoſtium cuneos, æſtuſque armorum, tuti & ſecuriſſimus. Quod ſolatio, quod honori debet eſſe ſacratioribus Eccleſiæ miniſtris, qui unà cum amicto, Chriſti præſidium, quaſi ſalutis galeam altis capitibus imponunt, & ſimul cum eo ſpem æternæ vitæ ac beatitatis. Et hinc tranſeo ad alteram ſententiam quæ galeam ſalutis contendit eſſe ſpem firmam æternorum. Varia apud Antiquos fuere ſpei ſymbola.

Romanis floſculus ſpei bonæ ſymbolum fuit, maximè verò lilii gratia candorque; quem in variis nummis expreſſerunt.

In nummo Imperatoris Claudii, Publii, Titi, eminebat Dea, quæ pallam læva ſuſtinebat, dextra jactabat lilium cum hac epigraphe: *Spes publica.*

In

In Titi, Claudii nummis ſpectabatur eadem Dea, hoc aſcripto lemmate. *Spes auguſta.*

Denique in Hadriani nummo Dea lilium jactabat, hac adjecta inſcriptione. *Spes populi Romani.* Ita illa animavit Romana pubes, & iis leſeın ſpem meliorem erexit.

Hujus rationem offert natura, altiorque culmus quo aſſurgit, ſe humili ſolo erigit, & floris ſui honorem lilium explicat, odoremque diffundit.

Alterum bonæ ſpei ſignum tulit eadem Antiquitas, & luci dedit: fuit illud *Anchora*, de qua vas electionis Paulus: *Fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis, ubi præcurſor introivit pro nobis Ieſus.* Ad Hebræos c. 6.

Hoc mundo, velut irato mari jactamur, alternos æſtus patimur, & impiorum malevolentia velut adverſo vento procellíſque agitamur. Hos inter fluctus, tumendoſque turbines, *ſpem habemus ſicut anchoram animæ tutam ac firmam.*

Eam jacimus, non in arena, non in profundo; ſed in ſummo: eſt enim illud diſcrimen inter ſpem bonorum & malorum, quod hi ſpei ſuæ anchoram abjiciant in terras fluctuantes, leves, arenoſas, demergant in profundum fluentis aquæ, id eſt vitæ fortiſque mortalis at illi ſpes omnes ſuas jaciunt in ſummo, in cœlo Deoque figunt.

Aliud divinæ ſpei hieroglyphicum eſt galea: illud à militia armiſque petitum.

Eſt caput ſedes omnium ſenſuum, eſt domicilium magnæ mentis, eſt officina altiſſimarum cogitationum. quod ideo tegi debet, & armari *galea ſalutis*, id eſt ſanctæ ſpei; quæ cum galea rectè componitur quod enim hæc capiti, hoc illa eſt animo.

Caput cætera corporis membra ſervat, movet, regit, tuetur; ideoque plurimum intereſt ad hominem totum ut illi benè ſit: ſi enim ei ab inflicto vulnere ſit malè, ſi ferro cadat, eodem caſu concidunt omnia membra.

Caput hominis eſt ipſa mens, cogitatio, intentio, amor: ab illis ducuntur & pendent actiones cæteræ. debet proinde illa mens & amor obtegi *galea ſalutis*, ſpe diviniore, qua cogitationes, omneſque animi & affectionum impetus in Deum flectat, verſetque velut in finem ſcopumque beatitatis. Et hoc orat, atque utinam exoret Sacerdos cùm ait. *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis, ad expugnandos diabolicos incurſus.*

§. IV.

Manipulus fletus & doloris.

VBi manipulum brachio inſerit Sacerdos, ſibi ubere ac propitio cœlo elabi poſtulat copioſos lacrymarum imbres: ut impetret, hac ſupplex utitur oratione: *Merear Domine portare manipulum fletus, & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.*

Lacrymas amat ambitione ſacratus Myſtes, conſcius tum vitæ malè quondam actæ, tum iniquitatum populi, cujus vices hac in parte agit. Et verò quid aliud eò loci ac temporis efflagitet, cùm ſeſe apparat ſacrificio, quod pro eluendis Univerſi maculis offerri ſolet. Certè quotquot terra pœnitentes tulit, quotquot pro ſe, pro aliis Oratores cœlum aſpexit; ii omnes in lacrymas fuêre effuſiſſimi.

Judæa Davidem ſceleri indulgentem primùm eſt paſſa; deinde lacrymantem vidit, & indoluit: audiit enim non ſine mæroris ſenſu regias illas pœnitentia animi voces. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* In Hebræo eſt. *Natare faciam lectum meum, ſtratum meum liqueſaciam.* Pſ. 6. v. 7. Diceres ei oculos abiiſſe in fontes, torrentes, imò & ipſa lacrymarum flumina ac propè maria, quibus non eluitur modò, ſed innatat, ſed immergitur.

Iiſdem deinde merſus & Petrus de quo unum illud: *Flevit amare.* Non meminit Scriptura humilis confeſſionis, quæ tamen non abfuit, non gemituum & ſingultuum animæ à dolore fatiſcentis; non auſteræ pœnitentiæ, à qua in cinere, & cilicio dormiit: ſed tantùm fletus. Nimirum, ut benè Chryſoſtomus, *Linguam præcurrebant lacrymæ*, eæque pro voce, pro ſuſpiriis, pro ſalutari erant pœnitentia. Vidiſti qui pro ſe, pro ſuis olim delictis in uberes lacrymas exceſſerint; vide modò qui etiam pro aliis facti cœlo ſupplices & oratores. Matth. 26. Hom. 24. in Ep. ad Epheſ.

Habuit enaſcens Eccleſia Paulum, inter Apoſtolos ultimò genitum, eumque amavit ut Benjaminum, ut pupillam oculi. Et hic in lacrymas profuſus: crederes illi uni incubuiſſe aliorum omnium ſcelera, ut ea ſuo fletu ſacroque imbre detergeret. Ita enim de ſe ipſe loquitur. *Per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm.* Quem locum æquis oculis dum legit Chryſoſtomus, & æqua judicii lance penſat; attonito ſimilis exclamat. *Ex quonam fonte tanta emanarunt fluenta, ut ex illius oculis lacrymæ?* Act. c. 20. v. 31.

Ubi fontes omnes in jus quodammodo certamenque cum lacrymis Pauli vocavit, putavitque iis jam ceſſiſſe, & palmam dediſſe, tum ait: *Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis? Eumne qui eſt in Paradiſo, qui irrigat univerſam terram? ſed nihil dices æquale.* Audet Chryſoſtomus torrente aureæ eloquentiæ, Pauli lacrymas fontibus omnibus anteponere, etiam ubertate fluendi, & paſſim agrorum irrigatione. Nimirum in Paradiſo ſurgentis Eccleſiæ erant Pauli lacrymæ quod fons ille è Paradiſo in reliquam terræ ſuperficiem emanans. Hic perenni rore, aquarumque exundantium fluxu, arentes terras irrigabat, & maligna ſterilitate damnandas donabat ubere fructuum copia: at Paulus hiantia peccatorum corda, & ſteriles animas opportuno lacrymarum imbre ita perpluebat, ut & herbeſcentem boni exempli viriditatem, & amœnos virtutum floſculos, & redundantes gratiæ gloriæque fructus, in cœlum, in horreum æternitatis efferrent. Tanta in illis lacrymis, in illo fonte, imbreque vis fuit. *Portabat* nimirum Paulus, *manipulum fletus, & doloris; ut cum exultatione reciperet mercedem laboris*; ſalutem animarum, quibus excurrebant lacrymæ, fletuſque effundebatur. Sed hic, inquies, amarus eſt; qui ſi minus ſapit, excipe quas olim fudit bibitque lacrymas Sanctus Ignatius. Hic inter ſacroſancta Miſſarum ſolemnia totus à tenero ſenſu pietatis colliqueſcere, totus in fletum reſolvi, & eo quidem ut non ſemel oculorum & cæcitatis periculum adierit, neceſſumque ei fuerit ut à Domino peteret lacrymarum frœnum, vimque laxandi cùm vellet, aut coercendi, cùm ita ad tuendas vitæ reliquias videretur. Poterat ille cum Davide dicere: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Vel ut habent Septuaginta. *Exitus aquarum deſcenderunt oculi mei.* Pſal. 118. v. 136. Habet nimirum, inquit Ambroſius, *Habet hoc vis ſummi doloris*, imò & amoris, *ut cum lacrymis, oculi quodammodo ipſi videantur deſcendere; eò quòd tanta vis lacrymarum ſit, ut putentur oculi in fletus reſolvi, & in lacrymas effundi.*

Ad eam profuſionem nos tacitè invitat manipulus, quem brachio circumferimus. Et priſci Sacerdotes hac de cauſa ſudario utebantur; nos manipulo de quo Amalaricus. *Propter effuſionem lacrymarum tergendam fertur ſudarium*, quod Beda *mappulam*, nos *manipulum* dicimus. Eo uſus Antiquis, & nobis erit duas ob cauſas; una, ut excipiat lacrymas, quas inter ſacra myſteria devotio piuſque animi ſenſus elicit. Lib. 2. de Eccleſ. c. 24.

Altera, ut Eccleſiæ miniſtros avocet ad ſocios gemitus, ad ſingultus pœnitentiæ, ad lacrymas pro peccatis populi ubertim effundendas. Eſt enim jam inde à primis ſæculis, & Prophetarum calamo hæc ſcripta Sacerdoti lex. *Inter veſtibulum & altare plorabunt*

Ioel. c. 2. *bunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo tuo.*

Parcet enimverò, parcet lacrymis: ſunt enim illæ veluti ſpongiis ad eluendas vitæ perperàm actæ maculas. *In Pſ. 50.* *In codice*, inquit Chryſoſtomus, *ſcripta ſunt peccata tua. Spongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ ſunt. Effunde lacrymas, & potëris ea delere.* *Malach. c. 3. v. 2.*

Sunt lacrymæ, *herba cœleſtis illius fullonis, quæ veſtes ſervorum ſuorum detritas à ſorde quotidie purgant.* *Epiſt. 11. ad Fratres in Eremo.* Ita Auguſtinus ſua benè doctus experientia.

Sunt lacrymæ, ut eleganter Petrus Cellenſis, *naufragium vitiorum, portuſque naufragatorum.* *L. de panibus c. 12.* A tuis peccatis, ceu elatis ac tumultuantibus undis, tibi videbaris naufragium facturus: & verò feciſſes, niſi lacrymarum eluvie, ceu meliore naufragio, illud ipſum ſcelus obruiſſes.

Sunt deniq́ue lacrymæ pro Baptiſmo altero, quo maculæ jam inde à primo vitæ limine contractæ deterguntur: ita immanem illam Petri labem, infanda perjuriis, & abnegati per ſummum nefas Domini, illatamq́ue cœlo injuriam eluerunt illæ ipſæ lacrymæ. *Serm. 9. de Paſſ.* Fœlices, inquit Leo, *fœlices, Sancte Apoſtole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam abnegationis, virtutem ſacri habuere Baptiſmatis.*

Non illiùs tantùm quod in aqua peragitur; ſed etiam, quod ſtupeas, ejus quod fuſo ſanguine perficitur. Non paterer è calamo meo in chartam effluere propoſitionem illam, niſi pro ea vadem ac ſponſorem haberem D. Chryſoſtomum, qui quot ore ſyllabas, tot Orbi voluit ſacratioris eloquentiæ fontes.

Hic pro aurea facundiæ ſuæ licentia, lacrymas pœnitentis animæ cum Baptiſmo ſanguinis componit. Da mihi hominem aliquem in quem confluxerit omnis ea peccatorum eluvies, quæ Univerſo ſparſa eſt; is eam effuſo, Chriſti cauſa, cruore, vitaq́ue per ſupplicia extorta, detergere poteſt: Tanta vis in ſanguine, ſanguiniſq́ue Baptiſmo vel ipſo cœlo Judice.

Dicamnè peccatori lacrymas id eſſe quod Martyri ſuus eſt ſanguis: dicam enimverò. *In Pſal 50.* *Dicam*, inquit Chryſoſtomus, *tibi quid valeant lacrymæ; attende diligentius. Quid Martyribus majus, qui animam ſuam ponunt pro amico ſuo? Grandis gloria martyrum. Martyres effundunt ſanguinem, peccatores effundunt lacrymas. Meretrix illa non fudit ſanguinem, ſed fontes lacrymarum profudit & delevit peccata ſua.* Et hæc de piarum mentium lacrymis, quibus calamum meum imbui *manipulo* Sacerdotalis, pietatis ac commiſerationis inſigne.

§. V.

Stola Immortalitatis.

VBi ſtolam ſibi circumponit ſacris Ordinibus initiatus, ita ſuperos Deumq́ue compellat. *Redde mihi, Domine, ſtolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis.* Natura Deuſq́ue in prima Univerſi molitione hominem ediderat à corpore omninò nudum, probè tamen ab innocentia, ceu veſte ſtolaq́ue, tectum.

Ab hac erat illi amœna ſedes, & propè beata Paradiſi regio, in qua molles auræ, zephyri lenes, purus, & defæcatus aër; blanda omnia & amabilia. Nihil erat quod corpori grave & noxium, quod valetudini, vitæq́ue immortali injurium appellere poſſet. Hæc bona Adamo dederat Orbis infantia, tota lactea, doli malive neſcia, in qua quamdiu hæſerit incertum.

Beatus Ephræm eo labitur, ut velit fœlicem illum innocentiæ ſtatum, unum tantùm diem duraſſe, creatus enim homo die veneris hora nona matutina, Paradiſo pulſus hora tertia pomeridiana, qua & peccavit: brevis ſanè modicaque voluptas: una dies, quæ & hominem fœlicem vidit, & miſerum luxit; Paradiſi colonum & hoſpitem habuit, & exulem extorremq́ue emiſit.

Toſtatus credidit Adamum altero à creatione die, id eſt ſabbatho peccaſſe, & amœna regione depulſum. Pererius Paradiſi Dominum & cultorem facit ad octo dies, quibus retinuit innocentia, tum octavo peccati reum, & ſuæ ſedis exulem.

Alii quadraginta dies numerant: ut quia lapſis deinde ſæculis ſecundus Adam in deſerto fuit quadraginta diebus, dicatur & primus tanto temporis intervallo in Paradiſi deliciis fuiſſe. Alii moram faciunt longiorem, & ducunt in annos: volunt enim tot annis Adamum in Paradiſo fuiſſe, quot in terris Chriſtus, adeóque annis triginta tribus, eóque amplius.

Hæc ſententiarum Authorumq́ue inter ſe pugna facit ut res adhuc ſub lite ſit, & in alta nocte: Interea dum aſpiret dies, certiorq́ue lux veritatis affulgeat, media gradiamur via, dicamúſque quod vero propius eſt, Adamum octo diebus in Paradiſo fuiſſe.

Addamus deinde, quod extra controverſiam eſt: peccato illi adhæſiſſe infana pœnarum monſtra; ſtatim enim eum invaſit labor, ſudor, Soli malignitas, morborum infanda cohors, mors denique ipſa, ultima miſerabilis vitæ meta, & centrum malorum omnium.

Cùm ab innocentia ſuus eſſet Adam & Dei, nec morbum de nomine noverat, nec mortis telum: illum è corpore velut mali officina peccatum evocavit, & hanc Deus in orbem invexit: ſenſit enim illud Dei vindicis fulmen, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ab eo ceſſit conceſſa vitæ immortalitas, & conſtans beatioris ævi tenor, & ſucceſſit amara mors, & inconſtans ac varia morborum eluvies, quæ vitam vel miſeram facit, vel omninò perdit.

Et quia tanti mali, & avitæ cladis meminit Sacerdos, optatq́ue, quà poteſt, in priſtinum gradum reſtitui, ſupplices cœlo manus extendit, oratq́ue. *Redde mihi, Domine, ſtolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis*, & quæ illi prima fuit, poſteriſq́ue omnibus prima eſſe debuit.

Ubi adoleſcens ille Prodigus abiit in regionem longinquam, & ab ea quà luxuria, quà fame, quà miſerus excſos ad ſe, ad parentem rediit, ab illo audiit: *citò proferte ſtolam primam.* *Luc. c. 15.* Eam nimirum abjecerat infœlix adoleſcens, paternæ ſubſtantiæ bonorumq́ue mirum quantum prodigus: immemor injuriæ, memor clementiæ, paternæq́ue commiſerationis, iterum iterumq́ue ingeminat illud bonus parens. *Citò proferte ſtolam primam.* Quæ ſit illa? Ne crede eam eſſe unam, qua corpus mortale tegitur; ſed & aliam maximè qua immortalis ornatur animus, qua ſummam apud ſuperos invenit gratiam.

Eam è terris in cœlos ipſos dum efferret Chriſtus, à ſuperis omnibus, à beatarum ſedium accolis excepit illud: *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine virtutis ſuæ.* *Iſay. c. 63. v. 1.* Quis ille ſi quæris, diſces ex Auguſtino. *Hic eſt*, inquit, *ille candidus & roſeus, hic eſt ille, qui non habuit ſpeciem neque decorem. Infirmus in laqueo, fortis in ſpolio; vilis in corpuſculo, armatus in prælio, fœdus in morte, pulcher in reſurrectione: candidus ex virgine, rubicundus in cruce; fuſcus in opprobrio, clarus in cœlo.* *Serm. 178. de temp.*

Si rurſum quæris unde ea ſpecies, ea lux, quæ ſidera vincat, quæ ſuperos omnes attonitos habeat? Intelliges eſſe à ſtola immortalitatis, quam devicta morte, calcatis inferis induerat. Si deniq́ue cur victi inferi? Cur ad pedes abjecta mors? Audies, quia *lavit in ſanguine uvæ pallium ſuum*, & ſtolam ſuam fuſo cruore diluit. *Gen. c. 49. v. 11.*

Erat ea ſtola mortale corpus, quod ab immenſo illo ſanguinis profluvio immortalitate donatum eſt, erat *pallium Eccleſiæ, quam corpori ſuo junxit*, inquit Iſidorus ut eſſet ſine labe, ſine macula, ſine ruga, & quam aliquando immortalitati reddet. Eam dum expectat

& plè ambit Sacerdos, lavet & ipſe in ſanguine uvæ, in ſanguino Chriſti pallium ſuum, & ab illo vitam hauriet, & ſtolam quam petit immortalitatis.

§. VI.

Cingulum Caſtitatis.

Ad Epheſ. 6.

HÆc olim forti mente, martioque calamo ad Epheſios Paulus. *State accincti lumbos veſtros.* Nimirum jam inde ab ipſis Eccleſiæ cunis, primaque infantia, bella moveri ſenſit, adverſaque vidit agmina; in quæ ne inermis & imbellis incurreret Chriſtianus miles, arma cudi atque expediri juſſit, & ſua quemque ſtatione conſiſtere. *State*, inquit, *accincti lumbos.* Hæc prima ſacræ militiæ lex, in eam quiſquis venit, ne ſeſe terria abjiciat, ne ſegnis lentuſque ſedeat. Sed ſtet in pedes.

Imperatorem ſtantem mori oportere cenſuit ex Antiquis nonnemo; ego verò chriſtianum militem & ſtantem vivere, & ſtantem mori oportere verius dixero: & certè etiam dixit Apoſtolus.

Ne quis porrò animo projectior, eam ſtationem detrectet, ea eoque damnare audeat, quòd hoſti obvia ſit, quòd periculis adverſoque ferro pateat; arma, cingulumque producit magnus in Chriſti militia heros & generoſus Athleta Paulus: illudque ab eo accipit Sacerdos ſacris operaturus, vel ut in hac vita mortali peregrinus, vel ut cœleſtis ſponſus, vel denique ſi mavis ut miles, ut Chriſti pugil futurus.

Hinc illæ voces plenæ animi ac pietatis: *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiæ & caſtitatis.*

Quamdiu in hoc orbe pedem figis, terra tibi exilium, patria cœlum eſt; in hoc tendis per avia, & invia, per ardua locorum ac difficultatum, quas ut ſuperes cingulo opus eſt.

Certè ex divino nutu ac præcepto Hebræus eo uſus fuit, cùm ex arido Ægypti ſolo, duraque ſervitute excederet in terram Chanaan, terram lacte, & melle manantem: Tum enim audiit divinum illud oracu-

Exod. 2. 12. v. 11.

lum. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus.*

Quiſquis hic agis, & hunc aërem ſpiras, ſi neſcis terra tibi Ægyptus eſt, ſitiens & arenoſum ſolum, extorris, & exul regio, in qua longa ſervitute duriſque laboribus exerceris. Egredere ex Ægypto, elabere ex his vinculis, teque patriæ meliori, id eſt libertati, & cœlo redde: utque reddas, accinge lumbos tuos, & baltheum ut peregrinus indue, imò ſi voles, etiam ut ſponſus.

Inter varios ritus, quos olim in ſponſis ſpectavit Antiquitas, morum Fideique magiſtra, hic etiam fuit, ut nova nupta cingulum geſtaret, eòque probè cingeretur: nec ulli illud ſolvere datum eſt, niſi marito, ipsâ nuptiarum die, toro conjugali, quo primum ſolvi virgineus pudor, & marceſcere innocuæ ætatis floſculus, quem hactenus intactum, illibatumque ſtrinxerat, ſervaratque cingulum, inſignis caſtimoniæ certiſſimum argumentum.

Habet in eo ritu, quod legat atque imitetur Clericus accinctus cingulo caſtitatis. Legit in eo divinæ bonitatis inclinationem, portentumque caritatis, à qua eo ſeſe abjecit altiſſimum Numen, ut puſillæ homuncionis unius animulæ ſponſus eſſe & dici vellet, & quidem ſponſus ſanguinum: nec enim illud nomen ſibi fecit, niſi effuſo per atrocia ſupplicia ſanguine: & illud eſt quod in iis ſponſi typis legere, quod amare debet anima, Chriſti ſponſa.

Habet & illud quod imitetur, arctiſſima cinguli, id eſt caſtæ mentis vincula, arrham amoris, ſignum datæ & acceptæ Fidei, quam nulla manus tangere, nedum ſolvere audeat. Hoc cingulo teneri voluit Deus tribum Levi, quam ſibi præ cæteris ſacram & ſponſam elegerat, vel ipſo nominis indicio.

Levi Hebraicè idem eſt, quod *electus* vel *aſſiſtens Deo*, vel denique, quod mavelim, *Levi*, *eſt meus.* Hæc enim omnia jactat unum idemque nomen, quod non aliquo linguæ lapſu, hominumque inſtituto inditum crede, ſed ſingulari Numinis providentia, quæ in nominibus ludere amat, & futuris bonis præludere.

Audiit illa tribus electa, aſſiſtens, Deique tota, à ſingulari ſtudio caſtitatis, quæ in illa eminere debuit, imò & legi.

Erat Rationale Sacerdotis duodecim gemmis illuſtre, & in ſingulis ſingula tribuum nomina affabrè inciſa; atque ut cætera taceam, Levi nomen exprimebat eximia Smaragdi unius area. Quæ enim potius?

D. Hieron. Tom. 3. l. de veſt. Sacerd.

Valeriano teſte, Smaragdus ſymbolum eſt caſtitatis, ut qui nec venerem nec libidinem patiatur. Ferunt enim ejus eſſe naturæ, ut ſi quis eum geſtet, & veneri vacet, illicò diſrumpatur & pereat totus: tantum illius odium etiam in lapide, gemmaque ſenſus experte imprimere natura potuit. Atque utinam in iis impreſſiſſet, quos venire voluit in ſortem Levi, nobilem Clerum, Deique hæreditatem: tum enim convenitet quàm optimè idem nomen *Levi*, electus, aſſiſtens, Dei totus. Erit autē is à caſtitate, à qua illi inſcribet Deus, *meus es*, & meum tibi appingetur nomen.

L. de Smaragdo.

Fuit ille cœli ludus: viros ab inſigni virtute illuſtres in divini nominis communionem aſcivit. Davidi quondam in uxorem ceſſerat Michol ex Saülis placito: verùm ut varia regum ſtudia, dubiuſque favor, contra pacta, legeſque conjugii, filiam ſuam alteri viro tradidit, cui nomen *Phalti* filio Lais; poſtea verò inclinata in Davidem meliore fortuna, Iſboſeth in eo parente æquior, ſororem ſuam Michol Davidi reddi voluit. *Tulit eam à viro ſuo Phaltiel filio Lais, ſequebaturque eam vir ſuus plorans uſque Bahurim.* Hæc eſt ſumma, & brevis hiſtoriæ ſeries, in qua Sancti Patres, qui omnes Scripturæ apices explorant, ſtudioſè quærunt, cur primùm ille cùm uxorem acciperet dictus *Phalti*; cùm vero eandem Davidi redderet, Phaltiel appellatur? Cajetanus ait: Phalti quidem, ut Saüli cederet, accepiſſe Michol in conjugem, ab ea tamen omninò abſtinuiſſe, & intactas illibataſque ſervaſſe tori leges.

1. Reg. c. 25. v. 44.

2. Reg. c. 3. v. 15.

Quæ continentis caſtæ mentis, adeò ſuperis omnibus Deoque placuit, ut ab illa venerit in conſortium partemque divini nominis; & qui prius apud mortales *Phalti* vocabatur, apud immortales *Phaltiel* audiret: quod ad ſummam continentiæ laudem facere videtur. Ita nimirum cœlo amabilis, imò adorabilis caſtitas: quam etiam agnoviſſe viſus eſt David, qui ut poſteros ad illius amorem accenderet, ita ore regio monebat:

Apprehendite diſciplinam; vel ut alii: *oſculamini filium*; vel quod omnium optimè ad meum inſtitutum nonnulli vertunt, *Adorate virginitatem.* Quidni enim ei debeatur adoratio, cui & ipſum Dei nomen conceditur? Sed cur inquies, hoc unum *el*, cur non alia nomina, quæ ſupremo rerum Moderatori aſcripſit Antiquitas? Res non vacat myſterio.

Hebræis auguſtum illud divinumque nomen *el*, idem eſt ac *fortitudo & victoria.* Hæc caſtitati manus & palmas concedit: eſt enim ea fortis & victrix, eòque fortior, qui aperto marte, explicatiſque copiis, ferro & igne urbes edomat. Sponſorem habeo Sapientem, cujus ea voces. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Et omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Ab illo robore puræ mentis invaluit ille mos apud Romanos, ut ſi Imperator curru triumphali vectus, inter feſtivos plauſus, & acclamationes, inter ſpolia, hoſtiumque exuvias, occurreret vel uni virgini è Veſtalibus, ei de via cederet.

Prov. c. 16.

Eccl. c. 26.

D. Hieron. l. cont. Jovinian.

Quod virginitatis robori laureæque debebatur; major enim illius triumphus, quàm armorum: & ſe ipſe, carnemq; indomitā vincere auguſtius eſt, quàm

haſtatas acies & inimica agmina ſubjugaſſe. Ut proinde mirum videri non debeat, ſi magnus ille Chriſtianæ militiæ dux & anteſignanus, ubi ſuo militi arma parat, det cingulum, quo lumbos ac renes, luxuriæ veneriſque ſedem, cingat, obſideat, fræoet, penituſque edomet.

§. VII.

Alba Sacerdotalis, ceu lorica Iuſtitiæ.

DUrandus, aliique Patres qui Romanæ Eccleſiæ myſtas veſtibus ſacris, ceu armis tegi munirique volunt adverſus hoſtium incurſus, albam iis concedunt pro lorica, ceu camiſia militari, quæ corpus operit ac velat. Neque verò improbari poteſt ea veſtium, & armorum allegoria: priùs tamen quàm probetur, præmittamus pauca de materia, de colore, quo nitet alba, oculoſque ſpectantium allicit.

Infelix Adam à peccato non tam corpore, quàm animo nudus, ut illius artus à mala conſcientia tremulos firmaret, pudoremque qui iis ſpargi cœperat

Gen. c. 3. v. 7. tegeret, conſuit folia ficus, & ſibi Evæque conjugi fecit periʒomata, malo fortaſſe conſilio, ut viridibus indutus foliis, vernantem ætatem teſtaretur. ſed perperam: verno colore nitere non poteſt ætas, quæ vel ab uno ſcelere marceſcit. Et certè Adamo Evæque ſtatim emarcuit: venit enim Deus *ad auram poſt meri-*

Verſ. 8. *diem*, qua parte ſol in occaſum tendit, ut vel ea eo occaſum illis portenderet; & pro vernantibus foliis, *fa-*

Verſ. 21. *ceret eis tunicas pelliceas:* has enim præ cæteris aptavit, vel ut extrinſecus belluina veſte uterentur, qui intrinſecus belluinos animos admiſerant, vel ut in veſte mollitiem luxumque fugere docerentur, vel quod malim, ut è pellibus mortuorum animalium & ipſi mortis admonerentur.

Sacerdoti qui novum hominem induit qui ſecundùm Deum creatus eſt, alia Divorum nutu parata veſtis, eaque non è pellibus, ſed è lino. *Quod* ut ait venerabilis Beda, *de terra procreatum, longa jam exercitio, ſuum pervenit ad decorem, ideóque candidiſſimam caſta mentis mortificationem deſignat.*

Lanea veſtis è carne gignitur, linea de terra virgine: hæc aris naſcitur; illa haris innutritur, & ex animali mortuo detrahitur: ideoque minus eſt apta Sacris uſibus, ac Sacerdotibus, quorum vita nullum habere debet cum carne commercium, nihil *mortuum ſapere*, ut piè, doctéque advertit Beda. Et hæc de materia per tranſennam attigiſſe ſuffecerit, uti & pauca de colore ſubjeciſſe.

Eſt ille candidus & niveus, index candidæ & ſinceræ mentis, teſtis lætitiæ, exultationis, imò & beatitatis. Ita quondam eo colore ſua veſtimenta tingi voluit Servator optimus, cùm in monte Thabor *reſplenduit facies ejus ſicut ſol: & veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix.*

Ita deinde cæleſtes genii ad ſepulchrum Magdalenæ pro Domino ſollicitæ ſeſe objecerunt, ut eo candore luctum atramque veſtem monerent eſſe deponendam. Iis denique ab eadem cœli nive candeſcere voluit Agnus puras illas virgineaſque mentes, quas

Apoc. c. 7. D. Joannes in receſſu vidit ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni amictas ſtolis albis: quas enim aptius induerent beatitatem jam conſecutæ? Certè ſi in hac mortali vita, dies cæteris fœliciores calculo albo ſignari placuit, non diſplicebit eodem colore tingi ævum omne beatitatis.

Et iſta de colore Albæ Sacerdotalis dicta velim, ut myſta cum eò ſimul aſſumat candidos mores, exultantes animos & geſtientes ſpe præconceptæ jam beatitatis. Quod ſi ab illa niveæ mentis lætitia etiam ad luctum aliquem rapi te velis, & in Alba Salvatoris tui opprobrium videre ac lugere; non ero ab eo alienus, facilèque patiar te Alba indui, ut recurrat animo veſtis alba, qua per ſummum nefas ſe ludibrium inſanus Herodes Chriſtum ut amentem militari turbæ objecit irridendum: ſic enim etiam venies in partem illius ignominiæ, in quam eò loci ac temporis Dei filius, cœli honos ac deliciæ, viſus eſt incurriſſe. Sed quia hæc Alba apud Antiquos etiam audit militaris camiſia; ab ea calamum aliò duci permittes, & ad caſtra ſacramque aciem detorqueri.

Ubi ſacræ militiæ tyronem cingulo Paulus aſtrinxit, tum loricam expedit, eamque Juſtitiæ ac æquitatis, qua pectus, cordis & vitæ ſedem, muniat, hoſtique reddat impervium: *ſtate*, inquit, *induti loricam* Ad Epheſ. 6.

Iuſtitiæ. Ulpiano *Iuſtitia, eſt conſtans & perpetua vo-* v. 14.

luntas jus ſuum cuique tribuendi. Eſt illa virtus decus

& ornamentum humanæ mentis, domiciliumque in L. Iuſtitia D. de Iuſt. & Iure.

voluntate fixit, illamque ſuo quaſi pondere eò inclinat ac trahit, ut quod ratio, quod æquitas & jura poſtularint, id cuique ex recti bonique lege concedatur.

Eam Juris periti partiuntur in commutativam, diſtributivam, legalem; & ſi pateris, etiam vindicativam.

Commutativa eſt, quæ privatum cum privato ita nectit, ut ſuum huic & illi jus cedat.

Diſtributiva Rempublicam ſpectat, & capita; fonteſque publicæ beneficentiæ ita dirigit, ut non fluant in immeritos. Et hæc maximè cadit in viros Principes, Iudices ac Magiſtratus.

Legalis civem cum Republica ita jungit, ut illius bonum velit ac procuret, tanquam illius pars membrumque magni corporis.

Vindicativa animadvertit in delinquentes, & æquam ſceleri pœnam conſtituit.

Hæ partes Juſtitiæ, hæc Virtutum ſeu præſidia, ſeu ornamenta, quibus ſacratioris diſciplinæ milites, duces, Pontifices decorari vult Apoſtolus. Et certè meritò: ſunt enim iidem & Eccleſiæ Principes, & totius populi Iudices, quibus eo nomine vel maximè convenit Iuſtitiæ ratio atque æquitatis, cujus leges hic deſcribemus.

PRIMA JUSTITIÆ LEX.

COmmune bonum ſpectet Juſtitia, neque ſeſe anguſtis quibuſdam limitibus contineri patiatur; ſed effundat quaquaverſum, & omnes omnino complectatur.

Hujus legis & æquitatis ſymbolum aliquod agnoſcit & amat D. Ambroſius in Euphrate. Ea amœna Paradiſi ſede in arentem reliquæ terræ ſuperficiem affluxere quatuor omninò flumina, Ganges, Nilus, Tigris, Euphrates; quibus quatuor præcipuarum

virtutum hieroglyphica volvi credit; *flumina*, inquit, Lib. de Paradiſo c. 3.

iſta, quatuor quædam ſunt fluenta virtutum. In Gange Prudentiam, in Nilo Temperantiam, in Tigri Fortitudinem, in Euphrate Juſtitiam laudat & cõmendat.

Tum deinde hanc injicit quæſtionem, cur tribus illis fluviis certæ deſcribantur regiones, quas alluant, & fœcundent; Euphrati verò nulla præſcribatur terræ plaga, ſolum omninò nullum, quod præterfluat, & ſuis aquis imbuat? Scriptura teſte Ganges Indiam, Nilus Æthiopiam, Tigris Syriam lambit: at de Euphrate altum in ſacris paginis ſilentium. Quæ cauſa?

Ne crede id caſu factum, ne ſuſpicare è Moyſis calamo excidiſſe: & ſi certè excidit, amabili Dei providentia dicetur excidiſſe, ut in eo pulcherrimæ virtutis imaginem expreſſam agnoſceres, & antiquum aliquod Juſtitiæ monumentum.

Juſtitiam inter aliaſque virtutes hoc intereſt, quod hæ uni quodammodo ſuppoſito ſuo ſtudeant, uni ſerviant, & conſulant: Juſtitia aliis vacat quàm maximè.

Prudentia dictat, quid ubi, in quaque occaſione faciendum, quid ſequendum, quid fugiendum.

Temperantia, iram, & libidinem, alioſque inſolentes animi motus æſtuſque regit ac coërcet.

Fortitudo timorem expellit, & nimiam abjectæ mentis demiſſionem erigit ac ſuſtinet. Itaque à Prudentia,

dentia, Temperantia, Fortitudine uni tibi eſt benè: ſed à Juſtitia aliis quàm optimè; neque enim teipſum, tuumque bonum hæc attendit, ſed, ſed aliorum jura, commoda, facultates aſpicit, & tuetur; atque à ſe quodammodo abit, ut in alios tranſeat, eorum ſaluti, incolumitati, bonoque proſpiciat.

Ne verò uni mihi ſit fides, juvat audire quid de ea ſentiat, quid loquatur Ambroſius. *Euphrates*, inquit, *Latinè fœcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur; præferens quoddam inſigne Iuſtitiæ, quæ omnem paſcit animam. Nulla enim virtus abundantiores videtur habere fructus, quàm æquitas, atque Iuſtitia, quæ magis aliis, quàm ſibi prodeſt: utilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens.* Quod ne cuique diſſonum & abhorrens videatur, rationem aliam ſubnectit diſcrimenque nobile. *Quia*, inquit, *ubi prudentia, ibi & malitia: ubi fortitudo, ibi iracundia; ubi temperantia, ibi intemperantia plerumque eſt, aut alia vitia ſunt. Ubi autem Iuſtitia, ibi concordia virtutum eſt cæterarum.*

Hæc ſuavi quodam eloquentiæ fluxu in Juſtitiæ laudes derivavit Ambroſius, è quo illud ad mores, vitamque benè componendam accipis: quod prima Juſtitiæ ratio, æquitatiſque officium ſit, publica jura, commodaque privatis anteferre; nec unum ſpectare ſed multa. Ad hanc æquitatis normam alluſit nomen *Rabbini*, quod populi Doctores, controverſiarum arbitros ſignificat. *Rabbi* enim Hebraicè, id eſt *multus* à radice *raman*, hoc eſt multiplicari, quòd Doctor, & Judex quodammodo multiplicari, multus eſſe debeat, ut ab illo multis benè ſit. Et hoc quidem ex Juſtitiæ lege.

Sed eſt magna hujus ſæculi labes ac macula, ſuis ferè quiſque commodis ſtudet, nec publicis indulget, niſi aliquid in rem domeſticam, fortunamque augendam deducere poſſe videatur: quiſquis is eſt, noverit ſe à prima recti juſtique regula diſceſſiſſe.

SECUNDA LEX JUSTITIÆ.

EST & altera Juſtitiæ lex, quæ ferè è prima naſcitur. Ea eſt ejuſmodi; ne in foro, in judiciis, in onerum ac beneficiorum diſtributione ulla perſonarum ratio habeatur.

Hanc æquitatis regulam inclamat omnis ætas, humana divinaque jura loquuntur. Hoc Iſrael quondam poſitum in mandatis. *Nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam; quia Dei judicium eſt.* *Deuter. 1. v. 17.*

Antiquis oculus Juſtitiæ ſymbolum fuit, quòd hujus & illius magna foret conſenſio. Eſt oculus ſpeculum naturæ, res ſibi objectas exhibet, & animo reddit earum ſpecies ac ſimulacra; quæ ut fideliter referat, amat certam in objecto diſtantiam: ſi enim hue nimium removeri contigerit, non videtur; & contrà, ſi nimis propinquum, ſi oculo imminens fuerit, non percipitur. Vult nimirum oculus ſibi convenientem & æquam in rebus objectis diſtantiam; quam niſi dederis, nec tibi eas videre atque intueri dabit.

Quod oculo, hoc & Juſtitiæ. Noſſe voles cur quandoque & ſæpius caliget Judicis oculus, cur ex vero bonoque oblatas ſibi cauſas, & divitum pauperumque jura non referat, cur in uno beneficus, liberalis, prodigus; in alio parcus, avarus, ſordidus? Hæc in luce eſt ratio.

Pauperes à Judicis oculo longiùs abſunt, quàm ut videri poſſint; divites autem propiùs adſunt & incumbunt, quàm ut & ipſi perſpici queant: hinc cæcutit, atque aberrat oculus, ipſaque ratio amorque ab æquo deflectit. Nec mirum: *ubi enim errat oculus, ibi errat affectus*, inquit Ambroſius. Ne porrò hic, aut ille erret, Deum audi hæc præſcribentem. *Nulla erit diſtantia perſonarum; ita parvum audietis ut magnum: neque accipietis perſonam; quia Dei judicium eſt*, non hominum: Dei enim vices gerit, qui in throno judicaturus ſedet: & quia ut rectè Sapiens, *Cognoſcere perſonam in judicio non eſt bonum*; Rationem hanc adjicit D. Bernardus, *qui cognoſcit in judicio faciem, à facie Dei ſtare non poterit.* Ideòque benè monuit Ægidius Diaconus in libro de regimine Principis. Ne hic ſpecularis eſſet, ſed opacus. *Prov. c. 24. v. 23.* *Lib. 1 de conſider.*

Specularis eſt, qui ſpeculi in morem facies intuentium excipit: opacus eſt, qui nullius ora, vultumque in ſe imprimit exprimitque: Et is debet eſſe Princeps, Judex & fidelis diſpenſator beneficiorum Dei: apprimè opacus, qui nec divitis, nec pauperis imaginem ſibi apprimi patiatur, nec ab hac aut illa à ſua ſtatione dimoveri. Ut eam æquæ mentis conſtantiam aſſequatur, meminerit ſe ſemper eſſe ſub oculo ſupremi Judicis, & illo ſpectante conſultandum, deliberandum, ſtatuendum eſſe; *quia Dei judicium eſt*; in quo nihil eſſe poteſt alienum, nihil abhorrens ab æquitate.

Audio Conſtantinopoli, eò loci ubi Principes Provinciarum jus dicunt, supernè videri Imperatoris ſuggeſtum, è quo veluti per cancellos ſpectare, & audire poſſit, quid rerum in Camera agatur. Ex qua perſuaſione fit, ut qui juri dicundo præſunt, ſemper anxii trepidique conſiſtant, quaſi in oculis & auribus Imperatoris conſtituti. Si ad continendos animos & æquam Juſtitiæ lancem, tantum afferre poteſt imminens unius Principis etiam mortalis oculus; quantum æquitatis accedere poterit, ſi Judicis oculo, auribus, animo, ſemper incubuerit vigil, apertus, explicatus divinæ mentis oculus, in cujus luce ſoleque pateſcit forum omne, explicantur lites quantumvis obſcuræ & intricatæ, aperiuntur conſilia ac judicia, & quiſquis eſt occultus ſenſus animorum? Et hæc de oculo Juſtitiæ; erit enim fortaſſe nonnemo, qui eam cæcam eſſe malit, quàm malè oculatam. Et verò majores noſtri Juſtitiam pinxêre virginem velatis oculis juſta lance omnia ponderantem: cujus moris æmuli Thebani Judicum ſuorum imagines in foro abſque manibus & oculis conniventibus effinxêre. Connivent oculi, ne in eos admittantur externæ illæ phaleræ, hominum ora, vultuſque à quorum intuitu connivere & annuere ſolet animus, & à recta ſemita diſcedere.

Sunt deinde ſine manibus, ne vel munera capiant, vel iis ſubdolè capiantur. Is enim ſolus, authore Themyſtio, *Verus eſt Iudex, verus Princeps, qui auro eſt inexpugnabilis*: & qui, ut ait Bion Philoſophus, ſtudet è magiſtratu diſcedere non ditior, ſed clarior.

Quo in genere, noſtro ſæculo illuſtre fuit exemplum Thomæ Mori Judicis æquiſſimi, Invictique Martyris. Huic olim vidua, cui litem adjudicarat, obtulit poculum aureum: accepit ille quidem; ſed, ut erat ingenio facili ac faceto, illud vino replens ei præbibit ac reddidit. *Cap. 3. Vitæ ejus.*

Ita nec aurum tenere, nec auro teneri potuit incorruptus Judex, cui jus ipſum & una æquitatis ratio pro auro, & pretio fuit. Et talis eſſe debet, inquit Petrus Ravennas, Juris miniſter, ut in ejus manu nullius authoritate perſonæ titubet aut vacillet libra Juſtitiæ, nullo pondere ſeſe deprimi, ultra quàm oporteat, patiatur. *In Epiſtola quadam.*

TERTIA LEX JUSTITIÆ.

EA eſt, ut non perſonæ, non dignitatis, non potentiæ, non fortunarum ratio habeatur; ſed ne ſanguinis quidem, & amicitiæ eorum, quos nobis natura conjunxit, & caros fecit; plus enim tribuendum eſt juri, quàm ſanguini. Hujus æquitatis legem tum in Deo rerum omnium moderatore, tum in Chriſto ſupremo mortalium Judice ac Sacerdote videamus. De illo cecinit olim Propheta Regius, *Miſericordiam & veritatem diligit Deus.* In Hebræo legimus, *Semes Vmaghen Iehova. Sol, & ſcutum Deus.* *Pſ. 83. v. 12.*

Componitur Deus cum Sole ac ſcuto. & certè quàm aptiſſimè. Sol, ille aſpectabilis orbis oculus,

ex æquo ſurgit, lucet, eſlet, ardet omnibus, etiam impiis, nefandis, ſacrilegis, quos cœlum odit ac deteſtatur: ſcutum verò non modò caput tegit ut galea, non pectus tuetur ut thorax, non crura velat ut ocreæ; ſed quaquaverſum flectitur, ad omnium membrorum tutelam & incolumitatem. Eum ſe mortalibus oſtentat Deus factus omnibus quod orbi Sol, quod militi ſcutum; nam & malos, à ſeque averſos, perfundit tamen beneficentiæ ſuæ radiis, & ſuo præſidio tuetur, ſi ſeriò reſipiſcant, & ſuaves atque amicas divinæ Juſtitiæ leges amare ac timere diſcant.

Eandem æquitatem & pronum in omnes affectum Chriſtus oſtendit: viſus enim D. Joanni in medio
Apoc. c. 1. v. 13. candelabrorum aureorum, id eſt Eccleſiarum, quæ ſunt veluti candelabra aurea in domo Dei. In horum medio conſiſtit ac hæret, ut omnibus communis ſit, & ad nullum accedat propriùs, à nullo longiùs recedat.

Eandem æquitatem aperit illud elogium, quod Servatori jam inde ab avitis ſæculis inſcripſit David,
Pſ. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Cur, inquies, ſecundum Melchiſedech, non autem ſecundùm Aaron? Iſta ad rem meam ratio facit. Quia ut Melchiſedech nullo cognationis tangebatur affectu, utpotè dictus *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*: ita & Chriſtus nullo ſanguinis ſenſu poterat commoveri. Et hinc quoque factum, ut ſicuti qui nullo trahuntur affectu, dicuntur illi è lapidibus, rupibus, è ſaxis verius excisi, quàm cæterorum hominum more viaque progeniti.

Virg. *Genuit te cautibus horrens*
Caucaſus.

Ovid. Et, *Natus es è ſcopulis*, canebant olim Vates: ita Chriſtus ab Iſaia dicitur è petra naſci. *Emitte*, inquiebat olim cum alto gemitu, *Agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti*: de petra emittitur, quia
Cap. 16. v. 1. expers amici ſenſus, expers affectus, quem vitioſa natura cuique noſtrûm ingenerat: ſolo rationis ductu ſola Patris Æterni voluntate, trahi ſe ſinit, ut in hunc potiùs quàm in illum divinæ gratiæ fontes, cœliique beneficia diducat. Quod ſatis ſuperque patuit, ubi de Eccleſiæ capite, de ſummo Præſule ac Paſtore quæſtio incidit: eam dignitatem ſuperis æmulam, imò & invidendam, naturæ non dedit & conſanguinitati; ſed Petro, quo cum nulla illi erat ſanguinis communio. Ita fecerat olim Moſes, Iſraëlis Legiſlator & Princeps: cùm enim ſibi vita officioque cedendum videret, Principatum commiſit Joſue, qui erat ex aliena tribu, ſcilicet Ephraim; Pontificatum verò non in duos filios, quos ei natura dederat, ſed
In c. 1. Epiſt. ad Titum. in Aaronem tranſtulit: *Ut ſciremus*, inquit D. Hieronymus, *Principatum in populis, non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ.* Secus omninò fit hoc quo ſpiramus ævo, plerumque enim officia, beneficia, dignitates, ſanguini conceduntur, non vitæ; & qui plus æris habet, quod in patronos effundat, & malè prodigat, ille opima beneficia invenit, & in Crucifixi patrimonium involat: contrà quod ratio pugnat, & Sanctorum Patrum veneranda authoritas; è quibus (ne omnes ſequar) extat illud Divi Gregorii Nazian-
Orat. 3. zeni oraculum, dignum cedro: *Sacrum imperium, non fortunæ præda, ſed virtutis præmium eſt.* Et hoc
Lib. 3. Ep. 25. Ambroſii: *Non generis nobilitas, ſed morum eligatur gratia, & virtutum prærogativa*; quia, ut divinè ille
In c. 31. in Exod. ipſe Præſul, *Præferenda eſt religio neceſſitudini, pietas propinquitati. Ea enim eſt vera pietas quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus.*

Qui eam non præfert, ſibi primum ſcelus accerſit, ſuis cladem, Eccleſiæ ruinam, quod & ſummum eſt malum, & genus amentiæ intolerabile: Quia, ut
Hom. 10. veriſſimè S. Valerianus, *ſtultitia genus eſt aliis feciſſe lucrum, & ſibi paraſſe ſupplicium.*

QUARTA LEX JUSTITIÆ.

AB hac ſinus ubique erit animus, ſemper liber, recti juſtique tenax: te, ſi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Neſcit enim timere, aut labi, quiſquis juſtus eſſe didicerit. Ut proinde jure meritiſſimo dixerit Simonides Philoſophus, Virum juſtum eſſe quaſi cubum, qui ad omnem volubilis fortunæ motum firmus ſtanſque obſiſtit; non vertitur, aut volvitur, ut ſolet rota, ad omnem auræ ſibilum, caſumque inclinantis fortunæ. Sortitur eam conſtantiam invictumque arduæ mentis robur à momento ac pondere legum ſuarum, quibus ſeipſe confirmavit, & adverſus inconſtantiæ tela, veluti lorica Juſtitiæ induit, ut nulli cedat, nullius vim incutſumque extimeſcat.

De legibus ævi ſui, vel potius de hominum judiciis ac mollitie queſtus eſt olim Solon; rogatus enim *quid eſſet lex?* ſubjunxit. *Aranea tela*: ſi quid in eam leviuſculum inciderit, arctè retinetur; ſi quid autem gravius immiſſum ſit, reſciſſâ penitus fractâque telâ elabitur: nimirum araneæ telâ implicatur muſca gracilis, non carnea elephanti moles.

Ita tum temporis, inquiebat ſapientiſſimus Solon, Reipublicæ accidiſſe videbatur; debilitata jam, abjecta ac proſtituta Juſtitia, legum vis omnis, & nervus fractus eſſe credebatur: ſi quis enim in leges peccaſſet, earum vinculis tenebatur, ſi modò levis & nullius momenti homuncio foret, ſi Irus aliquis, & opibus amicisque vacuus: at ſi potentior unus aliquis, ſi amicorum gratia ac favore ſeptus, ſi multo auri pondere gravior; excidebat ille è legum vinculis; nec iis, quamvis eſſet reus & noxius, teneri poterat, quia lex iis erat *aranea tela*. Verùm hoc convitium, hæc labes legibus inuri non debet; ſed hominum vitio ac malevolentiæ aſcribi: certè à natura, à ratione, à Deo alia planè legibus vis indita, alia viris juſtis & invictis Eccleſiæ Præſulibus eſt firmitas.

Eorum exempla qui volet, conſulat antiqua ſæcula, & primas naſcentis Eccleſiæ cunas.

In illis legetur Nathan unus aliquis, qui liberâ mente, voceque explicata, Davidi ſuum ſcelus in os objecit, & leges æquitatis ac pudicitiæ fuſo per nefas ſanguini, violatoque toro oppoſuit: Legetur Azarias Sacerdos, qui Regem Oziam; Helias Theſbites, qui Regem Achab; Joannes Baptiſta, qui Herodem increpuit, juſſitque immaculatas fraterni tori ſervare leges. In his autem Chryſoſtomus & Ambroſius, duo Juſtitiæ fulmina: ille Eudoxiam Auguſtam; hic Imperatorem Theodoſium perculit, docuitque quantum intereſſet Cæſarem inter & Epiſcopum, & quàm juſta infractaque in magno Præſule in delinquentes ſeveritas. Et hæ olim Eccleſiæ decora, hi ſacræ militiæ principes, quibus ſimiles multos, imò & omnes eſſe vult D. Bernardus. Ita enim ſcribit ad Eugenium Pont. Max. Eos amo voloque Præſides, *qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptiis Moyſen, fornicantibus Phineen, Heliam idololatris, Heliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiatoribus Chriſtum*: Ecce, quam optat in iis ſeveritatem, & in reos animadverſionem, quam neque purpura velet ac tegat, neque ſceptrum eludat, neque vis ulla & authoritas retardet aut infringat.

Hos juſtæ ſeveritatis aculeos in Petro & ſucceſſoribus agnoſcit D. Ambroſius: quærit enim cur aliis Apoſtolis rete ſolùm jacere, eoque piſcari datum eſt D. Petro, eique uni præterea hamus in mari, in horto gladius conceſſus?

Pro Apoſtolis, quibus ultrò jubente Domino explicantur retia, reſpondet. *Benè Apoſtolica inſtrumenta, piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt ſed reſervant.*

Pro Petro autem: quis Præſulum eſt non ſolùm retii peccatores illæſos & incruentos capere, ſed etiam pungere,

pungere, & hami lingua denteque eruentare, cùm ita fert neceſſitas & ideo ſoli Petro permiſſum in horto gladium educere, ferire auriculam impii ſatellitis, eamque reſcindere; quia Prælatorum eſt, non tantùm verbo, ſed & ferro peccandi licentiam coërcere. Eo etiam utantur in Petri ſede ſucceſſores, aliique Præſules cùm opus erit, ne in eos jactetur illud, quod in inſignem Hebræorum deſidiam verſum eſt. (1 Reg. c. 13. v. 22.) *Non eſt inventus enſis, & lancea in manu totius populi, excepto Saul & Ionatha filio ejus.* Non eſt inventus gladius Iuſtitiæ in manu Prælatorum, qui putrida & noxia corpori membra reſecaret; & hinc ſerpit ſerpetque malum, & Eccleſiæ univerſæ perniciem creabit.

Sed erit fortaſſe unus aliquis, qui me ex eo arguet, quòd nimia Præſules ac Sacerdotes altiſſimos armem ſeveritate: mallent ipſi lenitatem: & illam ipſe malim, ſi ea ſe duci quis patiatur: at ſi hanc exeuriat & violet, ſeveros animos & juſtè vindices appello ac volo. Eos certè etiam voluit Heliæ Prophetæ magni diſcipulus parentis optimi & ſpirituum hæres Eliſæus, qui (4 Reg. c. 2. v. 9.) id unum ab illo petiit: *Fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Quis ille quæris? Severitas eſt, & lenitas: hæc pœnitentes & ſupplices excipit ac ſinu fovet ut puſionem ſuum blanda mater: illa rebelles & inſolentes arguit ac ferit ut gravis cenſor & judex.

(Levit. c. 9.) Hæc magnarum virtutum decora, Præſulumque ornamenta digito notavit Deus, ubi è mactata pecude juſſit duas partes Sacerdoti reſervari, armum dextrum, & pectuſculum. (Int. 9 l. 1. Reg. c. 9. v. 23.) *Quid in armo niſi fortitudo ſignatur actionis*, inquit D. Gregorius: Quid in pectuſculo (quòd amoris eſt ſedes) niſi paterna caritas figuratur? Et hæc & illa Sacerdotalis eſt muneris, neceſſumque eſt ut tam hanc quàm illam in omni vita exhibeat: hanc quidem in filios, quos nutrit & lactat ut indulgens piaque mater: illam in ſervos contumaces, quos pro meritis punit, ut ſeverus pater, juſtus judex, & regali Sacerdotio ac poteſtate donatus.

Erat enim & armus cibus regius: Ita quondam Samuele teſte, & arbitro, Sauli datus armus in epulum. (1 Reg. c. 9. v. 24.) *Levavit enim cocus armum, & poſuit ante Saul.* Erat tamen magnum omnino diſcrimen inter armum qui Sauli & regibus appoſitus, & qui Sacerdoti: huic enim cedebat armus dexter, quo prodebatur fortitudo, non ea tantùm, qua alios vinceret; ſed ea quoque qua ſeipſum, quæ longè maxima eſt: at Sauli datus eſt armus ſiniſter, quia etſi ipſe regia poteſtate hoſtes ſuperavit ſubjugavitque, ipſe tamen à ſeipſo victus fuit, nec ſui victor: quod genus fortitudinis ſacrum eſt, non profanum; ideoque Sacerdoti maximè conveniens. Sed hactenus ſatis de animi conſtantia ac fortitudine, quæ Juſtitiæ cognata eſt, ſociaque paternæ lenitatis; quibus ornatus Præſul audiet, quod olim Baſilius magnus apud Nazianzenum: *Duorum lapidum naturas imitabatur: factus erat percutientibus adamas, diſſidentibus magnes.*

Hæc Gregorius de Baſilio in oratione funebri: Erit enimverò Baſilius, erit & quiſquis eſt Præſul *Percutientibus Adamas*, ab animi robore, à conſtantia invictaque fortitudine indomitus, ferroque cedere neſcius: at *diſſidentibus*, atque errantibus à via veritatis, eamque aſpectantibus *magnes* erit, cujus influentiis & amica vi ita trahetur, ut in ovile Chriſti redeat ovicula palabunda & perdita. Ex hæ ſint exuviæ, hæc corona gloriæ, quam tibi portendit Alba Sacerdotalis, quam ſuperinduis. Ab illâ ad caſulam venio.

§. VIII.

Caſula erit pro ſcuto Fidei.

(Lib. 3. Ration.) Durandus, qui ſacras myſtarum veſtes ad militiam & arma detorquet, pro ſcuto Fidei caſulam, ſeu planetam objicit.

Ego in præſentia in ejus ſententiam ibo, ut ex ea deſcribam quod ſit illud Fidei ſcutum, quo Sacerdos armatus hoſtium tela vel eludit vel retundit, ſibique viam ſternit ad victoriam, ad trophæa, ad lauros æternas.

Fuêre Antiquis alia atque alia Fidei ſymbola. Theophylacto *fides eſt oculus.* Eſt oculus ſpeculum naturæ: & fides oculus eſt ac ſpeculum quoddam divinitatis: eam enim quamdiu in via ſumus, tendimuſque ad terminum beatitatis, fide, ceu oculo ſuperiore ac divino percipimus, ejuſque arcana myſteria, & ſecretiora conſilia penetramus. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*, inquiebat olim David. (Pſal. 118.)

Aliud Fidei ſymbolum eſt manus, quæ apprehenditur ut teſſera & arrha fidelitatis: ita qui alteri manum dedit, fidem quoque dediſſe cenſendus eſt. Ex eo fluxit ſolemnis ille ritus, ut qui Deo fidem addixiſſet, ejus quoque nomen in manu, tanquam obvia, patenti, & explicata Fidei tabula inſcriberet. Ita, Iſaia teſte, fecit olim Hebræus cùm in captivitatem babylonicam foret abducendus: ne ſimul cum ſolo animum religionemque mutaſſe videretur, Dei ter Opt. ter Max. nomen manibus incidit. *Hic ſcribet in manu ſua, Domini ſum ego.*

Ea ſcribendi ratio, Fideique nota, ab Hebræis ad Chriſtianos longiùs emanavit. In primis Eccleſiæ initiis, cùm efferveret ſtudium religionis, æſtuaretque recens effuſus Chriſti ſanguinis; fideles, quibus altior erat animus, certamenque pro fide jam præconceptum, candente ferro vel fronti vel manui ſuaviſſimum & amabile Chriſti nomen inſcribebant, ut mihi autor eſt Procopius, & ipſe oculatus teſtis: Quæ Fidei teſſera, notaque religionis etiam pervaſit ad Japones extremi orbis incolas, quibus uſitatum & ſolemne eſt, vel crucis notam, vel auguſtum JESV nomen fronti imprimere: ſic ea natio æmula eſt avitæ pietatis.

D. Paulus in panoplia militis Chriſtiani pro Fidei ſymbolo ſcutum offert. *In omnibus, inquit, ſumentes ſcutum Fidei.* (Ad Epheſ. c. 6.) Et meritò pro ſcuto fides educitur: ducamus illud è veterum monumentis. Dum caſtra metaretur Iſraël, ſtarentque tribus in quatuor acies diviſæ, ſingulis ſuum erat ſcutum, inſigne Fidei, ſymbolumque religionis, etiam noſtræ, ſi Lyrano credimus.

Tribui Ruben pro ſcuto erat hominis figura in area, ſeu campo rubro picta & eminens. Ea jam inde exhibebat veſtigium aliquod Incarnationis divini Verbi, in qua duæ naturæ, divina & humana, tot intervallis diſſitæ, novo & propè inſolenti amoris prodigio in unam Æterni Verbi perſonam convenêre.

Tribus Ephraim in ſcuto taurum extulit in campo rubro & cruento: & ille Chriſti patientis figura fuit: ductus enim ut nova caritatis victima, & in ara crucis, ceu area cruenta fœdè pictus, crudeliter deformatus & conciſus.

Tribus Juda leonem in ſcuto habuit ſparſis jubarum comis in area, ſeu campo viridi exultabundum: & ille imago fuit Chriſti reſurgentis; *vicit enim Leo de tribu Iuda*, & victor à morte, ab inferis rediit.

Denique tribui Dan ceſſit Aquila, regia volucris, in area, ſeu campo candido expreſſa, & corona illuſtris: & illa ſymbolum fuit Chriſti aſcendentis, cujus viam neſcire ſe fatetur Sapiens. *Ignoro*, inquiebat, *viam Aquilæ in cœlo*, hoc eſt, ut una voce Interpretes, viam Chriſti in ſublime aſcendentis. (Prov. c. 30.) Et hæc fuêre ſcuta, quæ jactarunt olim quatuor illæ tribus inter cæteras facilè Principes, & in iis auguſta fidei noſtræ ſymbola: Sed cur, inquies, in ſcuto expreſſa? Hic eſt cardo propoſitæ mihi quæſtionis; in qua id ſtatuo, Fidem nobis eſſe quod militi ſcutum: hoc corpus omne tegit, & immiſſa hoſtium tela excipit,

Ad Epheſ. 6. v. 16. tetundit ac frangit. Et hoc ipſum animo præſtat Fides, ideóque, inquiebat olim Paulus: *in omnibus ſumentes ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.*

Quod ipſum præſago ſpiritu longè antè cecinit Regius Vates; an enim: *Scuto circumdabit te veritas ejus*, & fides veritatis germana ſoror; imò ſi voles & ipſa veritas, à qua probè tectus non timebis à timore nocturno: hoc eſt à ſpectris, & horrificis imaginibus, quæ plerumque ſomniantibus oberrare ſolent: vel, ut vult Hieronymus, ab errore in fide, & hæreſi, quæ timor nocturnus dicitur, quia lucem fugit, & noctem amat ſibi concolorem: vel ab occultis inſidiis, ut credit Euthymius: vel denique, ut alii, ab extremo judicio, cui ſenam aperiet non concubia, adulta tenebræ. *Dies enim Domini, quaſi fur in nocte, ita veniet.* Et ab hoc tamen non timebis, quia Fidei, vitæque tuæ comes timor, timorem illum horroremque ſupremæ illius noctis expellit. *Primus in orbe timor Deos fecit*, inquiebat ex Antiquis nonnemo; qui vocem θεὸν ἀπὸ τῦ δέυς, id eſt à timore dictam voluit. Qui hunc Dei timorem à Fide haurit, non timebit ille *à timore nocturno.*

Neque à ſagitta volante in die. Seu illam eſſe voles vanam gloriolam cum Bernardo, ſeu diurna & aperta pericula cum Chryſoſtomo, ſeu amœnam ridentis fortunæ lucem cum Bellarmino; ab ea certè non timebis, quia *ſcuto circumdabit te veritas ejus.*

Neque etiam *timebis à negotio perambulante in tenebris*: ſeu illud, cum Hieronymo credas eſſe peſtem, luemque malignam in tenebris ambulantem, mœſtoque funere ſingulas domos notantem: ſeu cum Chaldæo interprete, velis eſſe mortem, & mortalitatem; ab ea certè non timebis.

Imò neque *ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Ex quo nonnullos invaſit ea opinio dæmones eſſe qui manè, ſubortiente luce; alios qui meridiè, adultaque die; alios denique, qui veſperi, inclinata jam luce, nocteque homines impetant; vel alios eſſe qui perflent ab Oriente, alios qui à Meridie: & hi valentiores: ii fuerunt qui quondam everterunt domum fi-

Joc. 1. Iob. v. 19. liorum Jobi, & una ruina eos oppreſſerunt: flarunt illi à meridie. Ita cenſuit Origenes, à quo ut diſcedam, dicam potius cum Euthymio, dæmonem meridianum eum eſſe qui acediæ & luxuriæ præeſt: perculit ille Davidem, & evertit magnum illum heroem ipſa jam meridie, quo non Solis hujus amicam & innoxiam lucem immiſit, ſed inimicas noxiaſque veneris ac libidinis faces incendit: ſi iis divinorum judiciorum fidem ſcutumque timoris objeciſſet David, non eam ab illis cladem perpeſſus fuiſſet: Tu ne eodem dæmonio meridiano incaleſcas & pereas, ſume in omnibus ſcutum Fidei, in quo poteris omnia nequiſſimi tela extinguere.

Illud certè ſemere te docuit prima lux, quam aliquando aſpexiſti. Apud Lacedæmonas erat uſu moréque gentis illius receptum, ut pueri recens nati ſcuto deponerentur: forte ut jam inde ab illa ætatula, dieque prima martios & ferreos haurirent animos, duriſque laboribus aſſueſcerent, dum eos naſcentes, non mollis anſer leveſque plumæ, non cunæ graciles exciperent; ſed rude ferrum, ſcutumque militare, quod deinde adulta jam ac pubeſcente ætate Lacænæ mulieres, quarum decus & elogium hoc fuit: *Sola Lacæna viros pariunt*: illæ inquam matres, illæ viragines cùm filios ſuos in arma, in adverſas hoſtium acies, emitterent, illud ipſum ſcutum, quod naſcenti ſedes ac torus fuerat, efferre offerréque filiis, & addere illud dignum Lacænæ matris: *Aut cum hoc, aut in hoc.* Paucula voces, ſed animi, ſed roboris, ſed gloriæ pleniſſimæ. Te, inquiebat Lacæna mater, te, filii, in hoſtem emitto, pro patria, pro focis & aris pugnaturum: unum è duobus à te peto, & hoc quidem vel jure meo, vel patriæ lege ac caritate: aut cum hoc ſcuto victor redi; aut in hoc ſcuto pro tuorum ſalute fortiter occumbe. Ut enim te abjecto ſcuto, imbellem, ingloriumm, profugum recipiam adducar nunquam, ſi modò ea ſim, quæ eſſe velim Lacæna mater. Hæc illa paucis ad filium.

Eadem tibi in aurem & animum effudit pia Mater Eccleſia. Lubet illius diei luciſque meminiſſe, quæ tibi prima fuit, & qua ad ſacram ædem ſacroſque fontes delatus es.

In ipſo templi limine hanc tibi primam quæſtionem Sacerdos movit. *Quid petis ab Eccleſia Dei?* Cùm ab ætatula infans eſſes, pro te fari potuit debuitque Patrinus, & hæc reddere *fidem*. Eam nimirum petebas non voce, ſed animo, ſed futuris adulta ætate votis, ut ea tibi eſſet in hac vitæ militia pro ſcuto, quod ut te naſcentem excepit, ita & viventem tuebitur, morientemque coronabit, ſi modò illud audis & ſervas. *Aut cum hoc, aut in hoc.* Aut cum hoc in alta pace vive, ſi ita vivere conceditur: aut in hoc fortiter occumbe, ſi tyrannus pro religione, pro Fide, pro Deo jugulum petit; in hoc inquam & Eccleſiæ Matri, & cœlo reddere; futurus in morte, quàm in vita glorioſior.

Sed quæ, inquies, eſt illa Fides quam ut ſcutum tibi tradit Eccleſia, pro filiis ſuis piè ſollicita mater. Luthero Fides eſt exanimia, mortua, & ſine operibus: ita enim hanc ſuam mentem variis in locis expreſſit infidelis & impius doctor. In caput ſecundum ad Galatas ita loquitur: *Sola fides neceſſaria eſt, ut juſti ſimus, cætera omnia liberrima, neque præcepta, neque prohibita.*

Quod ipſum confirmat, ubi agit de libertate Chriſtiana: *Bona opera*, inquit, *non faciunt virum bonum, neque mala malum; ſed ſola incredulitas.* Ex illis duobus pronuntiatis, has ducit trahitque concluſiones malus omninò logicus.

Prima nullam habendam eſſe rationem meriti, nullam bonorum operum curam, ſtudium virtutis omninò nullum.

Altera, peccatis omnibus quantumvis atrocibus aperiendam eſſe viam, laxandaque fræna: ſi enim ſola Fides neceſſaria ut juſti ſimus; certè neque ſpes, neque caritas, neque religio, neque caſtitas, neque temperantia, neque fortitudo, neque prudentia, neque virtus alia in neceſſariis ad juſtitiam, ad beatitatem eſt reponenda. *Cætera enim*, ait, *omnia liberrima, neque præcepta, neque prohibita.* Itaque Luthero judice & doctore, furta, rapinæ, cædes, homicidia, fratricidia, parricidia, fornicationes, inceſtus, ſacrilegia, blaſphemiæ, & ſi quod aliud aut in terris, aut in inferis eſſe poteſt peccati genus, ſi quæ ſcelerum monſtra, ea liberrima ſunt, neque prohibita: hæc enim concluſio ex illa Lutheri propoſitione deduci poteſt ac debet, ut facilè advertet à logica etiam vel leviter tinctus: quod quam à natura, à ratione, à communi hominum ſenſu, ab humanis diviniſque legibus diſſentaneum ſit, nemo non videt.

Sed quia erit fortaſſis unus aliquis, qui has concluſiones, à vero bonóque alienas, meas eſſe volet, non Lutheri; ideo iis omiſſis produco alia illius principia. Quamquam, ut dicam ingenuè quod ſentio, ſentitque probus omnis, eæ non meæ ſunt, ſed ipſiuſmet Lutheri: qui enim ut cum Philoſopho loquar ſtatuit ejuſmodi antecedens ex quo neceſſitate quadam, conformique argumentationis regula, ea trahatur conſequentia; næ ille non antecedentis tantùm, ſed & conſequentiæ author eſt habendus: Verùm ne iſtis implicemur, cùm in aperto, in luce omnium ſit impia mens Lutheri; eam certè aliis locis ſole clarius exponit; ita enim habet:

Quod ſi cœlum apertum viderem, idq́, culmo ſolummodo de terra ſublato mereri poſſem; culmum nequaquam vellem tollere. Nollet ignavus, iners, impius, culmum, paleámve leviorem è terra tollere, ut cœlum,

mereri,

mereri, cœlum ſibi omnino clauſum recludere poſſet: adeo horret fugitque vel ipſum meriti nomen bonaque opera odit ac deteſtatur. Infælix Lutherus, verè culmus paleáque ex area Domini excuſſa, & igni æterno reſervata.

Ab ea hæreſi longiùs excedit. In colloquio Iſſebiano, Fol. 367. ut omnia benè de ſuperis merendi principia, anſamque omnem tollat, decem Dei præcepta è medio tollit, eradit ex divinis tabulis, ex orbe eliminat: imò, quod ſtupeas ac deteſteris, ea facit malorum omnium ſcaturiginem. *Tollantur*, inquit, *de medio decem præcepta, & ceſſabunt omnes hæreſes. Nam decem præcepta ſunt fons, ex quo velut ſcaturigine omnes hæreſes emanarunt.* Hæc ſacrilego Lutherus ore, hæc mente nimium quantum libera, & præceptis ollis teneri neſcia evomuit, ut everteret ſacras leges, Superûm præcepta, quæ animorum noſtrorum vincula ſunt, & Reipublicæ benè conſtitutæ nervus: quem ſi diſſolvis, unà omnem generis noſtri ſocietatem, quæ ſine lege ſtare non poteſt, diſſolvas, diſſipes, perdas eſt neceſſe. Sed Luthero parum eſt Reipublicæ jura omnia peſſundare, dum ſibi expeditam & facilem ad peccandum viam faciat. Et certè facit quà verbis, quà re etiam ipſa: illa audiamus. Ubi Dei ter Opt. ter Max. legem, ubi totum naturæ ſenſum, dictamenque rectæ rationis ita ſuſtulit; tum habenas ſceleri laxat, & in vitia totus effunditur, imò quà voce, quà ſcriptis alios omnes ad eadem audenda ſcelera invitat ac propellit. Et primùm Melanchtonem diſcipulum ſuum ita hortatur malus omnino magiſter. Epiſt. 238. *Eſto peccator, & pecca fortiter.* Hic pedem oculumque figat pius lector, & æquus arbiter, ſanæque doctrinæ æſtimator perpendat illa verba. *Eſto peccator*, non qualis qualis; non levi culpæ obnoxius, aut timidæ noxæ; ſed forti, ſed audaci, ſed immani & portentoſæ: eam amat urgetque in ſuis aſſeclis, in Melanchtone Lutherus: ita enim inſtat miſſa ad eum epiſtola. *Pecca fortiter.* Hæc ubi invitis typis mandavit Lutherus, ubi ex hæreſis ſcholis, à cathedra impietatis declamavit: tum abit longiùs, nec tantùm in diſcipulorum ſuorum aures animoſque effundit illa inſanæ doctrinæ placita; ſed & in omnes alios ſpargi vult, Orbemque univerſum: ſic enim ſcribit tomo Fol. 170. ſecundo. *Blaſphemias, parricidia, contemptum Dei, adulteria confidenter committant.*

Et quia homini etiam in pura putaque natura, conſtituto, & rationis compote, hæ voces duriuſculæ videri poterant, ne minus verbo ſuaderet quàm urgeret exemplo; pudenda ſcelera, quæ olim ſecretis confeſſarii auribus depoſuit, in lucem effert: non ex æſtu doloris ac pœnitentis animæ, non ex ſtudio Chriſtianæ demiſſionis, ut olim Auguſtinus; ſed inſana quadam atque intolerabili jactantia, effronte vultu, inverecundo calamo, quo aliis facem præferat ad ſcelera quantumvis atrocia: ſic ergo de ſeipſo loquitur & ſcribit. *Doctori Staupitio ſæpè confeſſus ſum; non de mulieribus, ſed verò atrocia & ſolida facinora.* Fornicationes, adulteria, inceſtus ſacrilegos, præpoſteram libidinem non reponit in peccatis; non dignatur humili & verecunda confeſſione, ſed iis ſilentio menteque ſcelerata ſuppreſſis, tantum exponit atrocia & ſolida facinora: & in iis reponit omnem ſanctimoniam Evangelii ſui; ita enim ſubjicit tomo quarto. Fol. 305. *Non aliter, ſunt veri & germani ſancti, quàm ut fortibus & atrocibus peccatis obnoxii.* Ecce veram & germanam ſanctitatem Lutheri & Lutheranorum, fortia & atrocia peccata. An ſic Sancti Apoſtoli; Sancti Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, aliique quos Romana Eccleſia colit? Judicet æquus lector, videatque quantum interſit, inter Doctores ſectariorum hujus ævi, & Eccleſiæ Romanæ atque orthodoxæ.

» Quod ſi inſanis illis Lutheranæ dementiæ & impietatis opinionibus, objicias irrefragabilem Scripturæ fidem & authoritatem, ſi illud D. Jacobi oraculum. *Vis autem ſcire ô homo inanis, quoniam Fides ſine operibus mortua eſt.* Cap. 2. Si deinde & illud ad pondus adjicias, quod ſubjungit. *Tu credis, quoniam unus eſt Deus? Benè facis, & Dæmones credunt, & contremiſcunt*: neque tamen vel ipſo Lutheri calculo ac ſententia dæmones ſancti ſunt, niſi cœlos cum inferis mutare, & omnia ſuſque deque vertere velis. Si inquam hæc aliaque loca his affinia opponas, ex iiſque evincas ad ſanctitatem non ſufficere nudam putamque fidem, niſi eam bona opera conſequantur: Lutherus una manu nodos illos omnes ſolvere ſe credit, una regula metiri ac detorquere: hanc enim pro ſana & inſana Scripturam intelligentia regulam ſtatuit. *Hæc tibi norma & regula eſto, quam in Scripturis ſacris intelligendis ſequaris. Ubicumque jubet Scriptura bona opera facere; tu id ſic intelligas: quod Scriptura prohibet bona opera facere.* O contortam, ô inſulſam, ô impiam Lutheri regulam, ô ſtolidum hominis ingenium, ô mentem inſanam, ô delitia aberrantis cerebelli! Quis enim adeo bardus ſit, inops animi atque intelligentiæ, qui non videat hæc inter ſe pugnare: unam, eandemque paginam, eadem omninò verba, & Scripturæ oracula idem prohibere, idem jubere; imò dum jubet, prohibere. Nemo certè eſt, ne grammaticus quidem, qui vel ipſam nominum notionem adverterit, qui non illicò judicabit, hic pugnam eſſe verborum, imò & rerum diſſidium. Sed eſt ille hæreticorum genius: ſecum ipſi pugnant, & cum natura, cum veritate pugnare videntur, & lucem tenebras, bonum malum, amarum dulce pronuntiant, & omnia ſuſque deque ſine lege miſcent & pervertunt.

Nobis autem, quibus aperitur purioris Fidei oculus, pateſcunt ipſa Scripturarum oracula, alius eſt ſenſus, alia mens & intelligentia. Certumque illud D. Jacobi pronunciatum: *ſicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & Fides ſine operibus mortua eſt.* C. 2. v. 26. Ut illa vivat, adde ſpiritum, & bona opera adjice: *Fides enim vidua eſt quæ operibus non nubit; & malè credit, qui credit tantum: ſicut*, ut piè meditatur Bernardus, *inutiliter flos apparet, ubi non ſequitur fructus*; Serm. 51. in Cant. ſic gratiæ recuperandæ, & acquirendæ gloriæ, quæ illius eſt fructus, inutilis eſt Fides, quam non ornant, & frugiferam ipſa reddunt opera. Eam frugem, eum Fidei operumque nexum inſinuant veſtes illæ duplices, quibus omnes domeſtici mulieris illius fortis induti ſunt. *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*, Prov. 31. v. 21. inquit de ea Sapiens. *Veſte duplici: una operis, altera mentis*, ut explicat Rabanus. Lib. 8. in Prov.

Quod ſi eâ tu quoque induaris, erit tibi Fides pro ſcuto, à quo præſidium in hac vitæ mortalis militia, & decus ac ornamentum in immortali beataque ſede nanciſcaris.

Fuit olim ſcutum inſigne quoddam gloriæ ac honoris, ex quo factum, ut Imperatores ſuos milites pro re benè geſta donarent ſcuto; ipſique milites, cùm necdum eſſet uſus coronæ, parta demum victoria ſcuto coronabantur.

Ab illo ritu legeque militari hauſit Eccleſia diadema capitis, illuſtreque ſcutum, quod quaſi vertici beatorum imminens appingi ſolet. Probat illud magnos illos heroas, & grandes animas in hac brevioris ævi militia pugnaſſe fortiter, viciſſe fæliciſſimè, palmamque tuliſſe in longa illa & beata Æternitate. Ut & tu aliquando inter laureata illa ſanctorum agmina cenſearis, ſcutumque cœleſte auguſto vertice geſtes; vide ut tibi Fides, eaque à caritate, à gratia, à bonis operibus viva, ſit pro ſcuto, tibique dictum crede. *Aut cum hoc vive, aut in hoc morere.*

§. IX.

Liber Evangeliorum in manu erit pro gladio.

CUm reliquum fere corpus omne ab armis probè tectum ſit, ne inermis & iners ſit manus, ei pro gladio, quem verſet, dari ſolet liber Evangeliorum, *Ad Epheſ. 6.* *gladius ſpiritus, qui*, interprete Apoſtolo, *eſt verbum Dei.*

Ut arma Chriſtiano militi commendent ſacræ paginæ, maximè tamen gladios extollunt & laudant, eoſque ferè tres.

1. Reg. c. 21. Primus eſt gladius Goliath, cui hoc lemma aſcribi placuit: *Non eſt huic alter ſimilis.*

Fuit Goliath carnea moles, & immanis veluti coloſſus, qui per ſummam impudentiam inſultabat caſtris Iſraëlis: è quibus non eſt inventus unus aliquis, qui manum manui, pedem pedi conferret, tantum ſui vel ſtuporem, vel metum excitarat. In communi illa trepidatione caſuque, non armorum, ſed animorum, affuit ovium paſtor unus, iſque puſillus David, qui in campum deſcendit; venitque in ſingulare certamen: armis quidem impar, viribus & lacertorum toris multum inferior; at animo, & in Deum fiducia longè ſuperior. Illi pro armis fuere quinque lapides, quos è limpido torrente ſibi delegit in fundam primùm ac deinde in hoſtem miſit. Lapidibus illis, ſi Philoni credimus, inſcripſit nomina quinque Patriarcharum; ſcilicet Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Moyſis, & Joſue.

Ubi in arenam ventum eſt, è pera, quæ de collo pendebat, eduxit lapidem unum, cui commiſſum erat Joſue nomen, bono ſanè ac fœlici omine. Joſue enim JESUM & Salvatorem ſignificat, ut jam inde noſſet David, noſſet Iſraël omnis, à vero Joſue, ab uno JESU & arma, & victoriam eſſe repetendam.

Ubi à lapide ſolo inſtratus Goliath, caput ei ademptum gladio proprio, iſque in monumentum victoriæ appenſus in tabernaculo, & in trophæum nobile erectus.

Alter gladius, cujus etiam meminit Scriptura, eſt *2. Reg. c. 1.* gladius Saulis, de quo hoc eſt elogium: *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorſum; & gladius Saul non eſt reverſus inanis.*

Jaculator omninò peritus fuit Jonathas, qui ſua tela ita torſit, ita vibravit fœliciter, ut nullum excideret, nullum excuteretur; ſed infigebat ille vel hoſti, vel ſcopo ad quem collimabat.

Peritus etiam & fœlix Saulis gladius, qui è prælio non eſt reverſus inanis; ſed plenus ſanguine, & madens cruenta hoſtium cæde.

Tertius gladius, quem ab acie, ab inſitâ vi, ab hoſtium ſtrage & victoria prædicat Antiquitas, eſt gladius Gedeonis. De eo hæc in ſomnis è Madianitis unus aliquis accepit; quod ſtatim proximo expoſuit, ut Oedipum inveniret. Hæc fuit amœna imago ſomnianti objecta:

Judic. 7. 7. *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volvi, & in caſtra Madian deſcendere: cumque perveniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubvertit, & terræ funditus coæquavit.*

Non fuit illud ſomnium naturale, quod inſitâ vi, aut ſpeciebus rerum à ſenſibus acceptis evenire ſolet.

Non fuit etiam dæmoniacum, à malo dæmone immiſſum & impreſſum phantaſiæ dormientis; ſed divinum: nec enim oberravit ea ſpecies homini ſopito, niſi divina vi, quæ typos illos phantaſiæ impreſſit, à quibus futura nunciarentur. Ea porrò fuere hujuſmodi, & hujuſmodi interpretatio: *Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia caſtra ejus.*

Hic incurrit una quæſtio, quæ ſimilitudo, quæ cognatio panis ſubcinericii, & gladii Gedeonis? Ne multis in ea morer, peti potuit ex quadam Hebræarum vocum ſimilitudine: panis enim Hebraicè dicitur *Lechem*, & *Lacham*, id eſt pugnare. Ea vocum affinitas fortè fecit, ut panis pro pugna, pugnæque inſtrumento, hoc eſt gladio, ſumeretur. Verùm ſit ille labor, ea cura penes Interpretes; ego ad rem meam venio.

Evangelii liber, Deique verbum, quod docta ſacraque manu geſtat Diaconus, erit illi pro gladio, quo adverſas Eccleſiæ orthodoxæ acies petat, diſſipet, perdat: eſt enim *gladius ſpiritus, verbum Dei*. Eo armatus Iſaias bellicum canit, & de Meſſia vaticinatur, effertque vim illius verbi: *Poſuit*, inquit, *os meum* *Cap. 49.* *quaſi gladium acutum.*

Sunt qui cognationem linguæ & gladii ducant ex quadam ſimilitudine hujus cum illa; exhibet enim lingua ſpeciem gladii utraque parte acuti, & è palato, tanquam è vagina ſeſe exerit, atque in vocem explicat.

Malim tamen eam ab inſita vi atque efficacia derivare: in martio pulvere nihil adeò ſtragem edit atque gladius. Quamdiu eminus agitur, ſive tormentis majoribus è nitrata nube Mars tonet, ſive minoribus denſa globorum grando depluat, ſive tenſo arcu devolent ſagittæ; non tanta ab iis hominum clades: at ubi certatur cominus, ubi pes pedem premit, & manus manum, ubi ſtricti enſis fulgor acieſque non oculos modò, ſed & corpora percellit, ferroque dirimenda pugnæ alea; tum verò nutant acies, diſturbantur agmina, & plurima ubique cædes ac mortis imago. Ea nimirum in ferro vis eſt. Nec minor in Dei verbo.

Dicitur olim magnus ille Legiſlator Moſes Ægyptium interfeciſſe gladio oris ſui, unicoque verbulo. Memorant Rabbini (ut antè dixiſſe memini) Moyſen valido ſpiritu, contenta voce protuliſſe ineffabile nomen Jehova; à quo velut fulmine percuſſus Ægyptius illicò concidit: ſed quia de hoc dubia fides, cenſet D. Hieronymus Ananiam & Sapphiram expiraſſe percuſſos ore gladii, unáque Petri voce. Credit etiam Elymam ad Pauli voces excæcatum. Erat ille inſignis Magus, qui ſuis præſtigiis & malis artibus multos faſcinabat, Pauloque ac Barnabæ fortiter reſiſtebat; in quem intuens Paulus, minace vultu, ardentibus à zelo divinæ gloriæ oculis, hoc ore, ceu ſacratiore vagina emiſit: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non* *Act. c. 13.* *deſinis ſubvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus.*

Hæ Pauli voces, hic concitatæ orationis ſtylus in oculos Elymæ Magi emiſſus, ei & lucem & ſolem hunc aſpectabilem ademit. Melius aliquantulum actum cum felice Præſide, qui Paulo diſputante de *juſtitia, de caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus* *Act. 24. v. 25.* tonitru ultrà audire noluit: adeo acies illius gladii & oculos & animos feriebat. Ut porrò vox tua ita ſeu ad terrorem, ſeu ad ſalutem feriat, conſonet voci Pauli, de qua ita magnificè Chryſoſtomus. *Cœlum etſi tamdiu ſit ad viſum expoſitum, non eam habet perſuadendi vim, quàm Paulus eſt tam brevi Chriſti fidem vulgando aſſecutus; ut ad ſe terrarum Orbem traheret univerſum.* Trahes & ipſe, ſi tibi cum Paulo, cum CHRISTO lingua ſit gladius, & utraque parte acutus.

Viſus hic Joanni exultans in medio ſeptem candelabrorum aureorum. Vox illius tanquam vox aquarum multarum: ecce ut profundum inſonat Dei verbum.

Erant ei in dextera ſtellæ ſeptem. ecce lucem ac ſplendorem divinæ vocis.

De ore ejus exibat gladius utraque parte acutus. ecce vim & energiam Evangelicæ prædicationis. Quis ille gladius quæris? Theodoro Abbati apud *Coll. 6. c. 10.* Caſſianum, ancipite gladio pugnat Chriſtianus miles.

qui

qui æquo eſt animo ad læta & triſtia, ad proſperam adverſamque fortunam, ad laudes & vituperia.

Is fuit olim patiens Jobus, dextra ſiniſtraque pugnare doctus & vincere: dextra quidem, cùm eſſet in ampliſſima fortuna, ſeptem filiorum parens, pes claudo, oculus cæco. Siniſtra verò cùm filiis orbus, bonis omnibus exutus, afflicto, exeſo, laceroque corpuſculo ſaniem raderet, & adverſæ fortunæ piè inſultans, diceret. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, quare mala non ſuſtineamus?

Is deinde fuit & Joſeph in proſperis patri gratior, fratrum amantior, Deo ſuperiſque acceptior. In adverſis caſtimoniæ fideique retinens, & illatæ quondam injuriæ immemor. Pugnarunt Heroës illi, principes animæ, *per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris*: (2. Cor. c. 6.) & ita pugnet eſt neceſſe, qui cœlo & beatæ æternitati pugnare geſtit ac vincere.

Sed & aliùs eſt gladius anceps, & utraque parte acutus: gladius, inquam oris & operis: eo certat, qui non voce tantùm Deo militat, ſed & opere, exemploque vitæ ſanctioris.

Ita præliari docuit Servator optimus, qui cœpit facere & docere, potens in opere primùm, deinde & in ſermone. Ita nos & verbo & exemplo docuêre Sancti Patres. D. Hieronymus Epiſtola ad Nepotianum, (Epiſt. 2.) ſacrum Oratorem his inſtruit. *Non confundant opera tua ſermonem tuum. Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat. Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſq; concordent.* Hujus concordiæ, conſenſuſque oris cum manu, verbi cum opere cauſam affert, tum è propriæ conſcientiæ ſinu, tum ex partibus boni Oratoris petitam: ex illa quidem, quia, (Epiſt 16. ad Principiam) *Erubeſcit quamvis præclara doctrina, quam propria reprehendit conſcientia; fruſtraq; ejus lingua prædicat paupertatem qui Crœſi divitiis tumet.* Ex hoc autem, quia (Epiſt. 83 ad Oceanum.) *Rhetores*, inquit, *definiunt Oratorem qui ſit vir bonus, docendi peritus. Perdit enim authoritatem docendi, cujus ſermo opere deſtruitur.*

Quod ſi in profano Oratore, qui auribus tantùm blanditur, & plerumque auram captat popularem, cum eximia docendi peritia parem vitæ integritatem exigunt Rhetores, negantque eum eſſe, qui hac aut illa caruerit: quanto magis tam hanc, quàm illam in ſacro Oratore deſiderabunt? De quo aureum illud effatum eloquentis Chryſoſtomi. *Magnus præco veritatis in cœlis homo, in terris Angelus*, homo quidem in cœlis à natura, quia à virtute, à morum caſtimonia, ab elatione piæ mentis, in terris Angelus fuit. Et is eſſe debet, qui manu Evangelium præfert, qui ore facundo explicat, tonatque è pulpito. Et hoc quidem, quia in ſublimi quodam arduoque vitæ gradu conſtitutus eſt, in quo ſi mores dignitati ſuppares non exhibet, eadem illi modò objiciet Deus, quæ olim peccatori. (Pſal. 49. v. 16.) *Quare tu enarras Iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

Epiphanio teſte, cùm Origenes Jeroſolymis diceret (L. 2 contra Hereſes, hæreſi 64.) ad confertam populi turbam, ſuavique ac forti, ut aliàs ſolebat, tonaret eloquentia, fortè incidit in hunc Davidis locum, & ſubitò obmutuit: nimirum vocem interclusit dolor, creber anhelitus, alta ſuſpiria fatiſcentis animi, & ingens vis lacrymarum, quæ in genas, in ora pluere, & verba vix concepta mergere atque obruere.

Ingens erat auditorum turba, docta magnum illum oratorem ſequi & amare; erant enim in eo magnæ ac potentes verborum illecebræ, & ingens nervus eloquentiæ, quem ubi ſubito illo luctu, lacrymiſque accidi viderunt, nec ipſi gemitus ac lacrymas tenere potuerunt; ſed & ſuo infuderunt oratori. Meminerat ille ſe non ita pridem, cùm Alexandriæ eſſet, non tam ſponte, quàm tyrannorum minis, paucula thuris grana Deorum ſimulacris incendiſſe: hinc illi gemitus, illæ lacrymæ, illi ſingultus pœnitentis animæ, quæ ſibi per ſummum probrum objici audiebat illud: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Quod illi quondam, hoc & tibi modò, ſi in eadem es navi, ſcyllaque peccatorum; & tamen profano impioque ore & Dei tui juſtitias enarras & teſtamentum aſſumis. Et hoc eſt ſecundum caput, ex quo conficio præcones divini verbi pugnare debere ancipiti gladio, oris ſcilicet & operis. Hos D Gregorius Nazianzenus oratione funebri in S. Baſilium vocat ἀμφιδεξίους, ambidextros, qui & vita certant & eruditione: ab hac aures pulſant, ab illa commovent animos auditorum, magnamque reportant victoriam, quam præſago ſpiritu longè antè cecinit Propheta, dum ait. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* (Pſal. 90.) Latus ſiniſtrum eſt recondita quædam rerum peritia, cum nitore orationis, dicendique copia: ab illa cadunt mille, hoc eſt multi dant manus, & animos concedunt facundæ linguæ: at verò à dextris tuis, id eſt à morum innocentia, ab integritate vitæ, à luce, ſoleque altioris animi, ab exemplo bono cadunt decem millia, hoc eſt longè plurimi: neque enim ea vox quæ lingua fingitur & auras inanes verberat, vim habet ad concutiendos hominum animos, ſed ea quæ virtutis eſt & rei benè geſtæ: hæc & auditores etiam longè poſitos evocat, & amabili trahit virtutum illecebra, facitque ut quem exemplo ſuo præeuntem viderint, ſequantur quam avidiſſimè. Ut enim disertè Bernardus: *Hoc eſt dare voci ſuæ vocem virtutis, cùm quod ſuades, prius tibi cognoſceris perſuaſiſſe.* (Serm. 59. in Cant.) Quod quam verum eſſet, ſibi ſociiſque ſuis altè impreſſum voluit, imò & verbo & facto docuit Joannes Fernandius, Comes ſociusque S. Xaverii. Hic in Japonia, inculta regione & tenebris obſita diu hæſerat, exiguo, imò nullo propè fructu: ſeipſe verterat partes in omnes & omnem diſſerendi facultatem, qua tamen pollebat quàm maximè, explicarat; ſed ſurdis auribus & obduratis animis: ad verba, quæ incaſſùm ſæpiùs effuderat, addidit exempla vitæ ſanctioris, inſigniſque patientiæ. Die enim quodam cùm in trivio ad confertam turbam, concionem haberet Sacer orator, Japonum unus aliquis cæteris petulantior in faciem (Hiſtoria Societ. Lib. 12. num. 14.) ejus expuit: videri poterat & verò etiam erat inſolens facinus, & immanis quædam injuria, à qua expectari poterat & fulmen concitatæ jam orationis, & tonitru vocis, & iræ vindices. Eas tamen non dedit animus ſeipſo & omnibus injuriis ſuperior. Modeſtè enim & ſputum deterſit, & ſolitum orationis curſum tenuit, neque verbulo ſibi illatam injuriam eluit, neque aſperiore vultu latentem in mente ſenſum oſtendit. Ea viri modeſtia & patientia ad eam horam Japonicis oris non viſa, ita commovit & rapuit ſpectantium animos, ut & ſibi quiſque diceret & aliis prædicaret. Non poſſe à vero bonoque aberrare doctrinam, quam ea patientiæ firmaſſent exempla. Exinde Fernandium ſuſpicere, amare, audire Japones, & bonis ejus præceptionibus acquieſcere: adeo verum illud Senecæ: *Longum iter per præcepta; breve & efficax per exempla: quia homines amplius oculis quàm auribus credunt.* (Epiſt. 16.) Ita (ut alios prætercam) credidit ex Auditoribus unus aliquis, qui dimiſſa concione, domum ad Fernandium venit, cognitiſque probè legibus inſtitutiſque Chriſtianis, Amangucianorum omnium primus Chriſtianus efficitur. Ab hoc fonte atque initio ducta eſt poſtea tot Japonum ad Chriſtiana ſacra converſio, ut appareret quantò ſint potentiora ad perſuadendum virtutem facta quàm dicta. Sed inſtitutum curſum teneamus, videamuſque ſitne alius SS. Patribus gladius anceps.

Hugoni de S. Victore, gladius Chriſtiani militis, Paſtoris boni, anceps eſſe debet, ut bonos à malis, oves ab hædis dividat atque diſcernat: reſecetque membra putrida, ne ſua tabe, quod reliquum eſt corporis, inficiant: ideoque bonus Paſtor Bernardo medicus audit; qui ut corpus ſervet, membrum

noxium acie novaculæ ſecat, & opportunam medicinam adhibet. *Sciunt*, inquit, *boni fideleſq́; Propoſiti languentium ſibi creditam animarum curam, non pompam: medicos ſe & non Dominos agnoſcentes, parant conſilium adverſus phreneſim animæ, non vindictam, ſed medicinam.* Hanc quidem, ſi patiatur æger ſibi corruptum ſanguinem elici; illam, ſi remedia reſpuit neſcius ſalutis: tum enim pius vindex alteram ancipitis gladii aciem expedit, & à corpore Eccleſiæ reſcindit ac ſeparat. Hoc gladio opus ea qua vivimus tempeſtate, cùm bonis mali, Catholicis hæretici permixti viſuntur.

Quæſt. ult. in Ezech.

Eucherio gladius anceps Divinæ Juſtitiæ conceditur: ille corpus ab anima dividit & ſuas inferi pœnas: illi quidem breves ac fluxas; huic æternas decernit. Hunc gladium maximè timere docuit Chriſtus: *Nolite*, inquiebat, *timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent quid faciant: oſtendam vobis quem timere debeatis. Eum timete qui poteſt & corpus & animam mittere in gehennam, ita dico vobis hunc timete.* Aliis pro gladio ancipiti placet actio, placet & contemplatio: utráque valere debet miles Chriſtianus, qui armata manu cœlum petit.

Julio Cæſari quondam exhibita ſtatua lauro virenti redimita, quæ dextra rotabat gladium, ſiniſtra calamum regebat: ſubjecta erat hæc epigraphe: *Ex utroque Cæſar.* Oſtendebat illa Cæſarem & manu, & mente, & calamo, & ferro, & arte militari, & liberalibus diſciplinis plurimum valere. Ita neceſſum eſt, ut ſacrorum miniſter & actione polleat, & altiſſimarum rerum contemplatione, ſibique cum Jacobo & Liam & Rachelem felici connubio jungat. Lia. Hebraicè laborem ſignificat; Rachel quietem: ſit tibi labor in actione, quies in contemplatione; eſt mutua quædam hujus ac illius neceſſitudo: non enim poteſt *oculus dicere manui opera tua non indigeo.* In oculo vis perſpiciendi, in manu agendi facultas eſt: quæ, ut inquit D. Gregorius Nazianzenus, inter ſe quaſi temperata eſſe debent, quia nec contemplatio per ſe animam perficit, nec philoſophia occupata in agendo ſatis eſt utilis; ſed hæc illi juncta ſit oportet.

1 Cor. 12. v. 12.

Orat. 13. in Cant.

§. X.

Quomodo gladium illum ſpiritus, Dei verbum, vel retundere, vel infringere conati hæretici.

CUm ſatis intellexiſſent omni ævo hæretici, gladio ſpiritus, verboque Dei jugulum ſuum peti, errores excidi, maloſque dolos ac fraudes eludi; eò vires omnes intenderunt ſuas, ut illud vel retunderent, vel infringerent; vel ſi id aſſequi non poſſent, certè adulterarent quam maximè: quod ut facerent, primùm aut omnes, aut pleroſque Scripturæ libros è ſacris paginis expunxerunt, aut fœdè mutilarunt ac detruncarunt, aut denique ex ſuo genio, privatoque, ut aiunt, ſpiritu, ſunt interpretati; itaque falſa veris, profana ſacris, humana divinis commiſcuêre, & ſuſque deque vertêre omnia: de ſingulis pauca attingamus. Simoniani, Manichæi, Albigenſes vetus Teſtamentum, quantum eſt, è librorum ſacrorum ſerie ac catalogo ſuſtulerunt, & pro fabulis anilibus habuerunt. Theodorus quidam Mopſueſtiæ Epiſcopus, Prophetas omnes rejecit & procul amandavit.

Nicolaitæ pſalmos Davidicos habuêre ut profanas cantica, poëticos æſtus ac deliria. Hebræi in ſuo Talmud librum Job in ſterquilinium cum authore ſuo abjici voluerunt & proſtitui.

Tit. de Patriarchis & Prophetis.

Lutherus Virgulæ, & abdomini natus in convivialibus ſermonibus madida jam lingua, ebris mente nutante calamo Eccleſiaſten abjecit, quod eum Salomon in extrema ſenectute mulierum amoribus jam depravatus conſcripſiſſet, nec adverrit cum Hebræis & Hieronymo eum exaraſſe, ut & vanitatis quam hauſerat, & pœnitentiæ quam ſpectabat, in eo poſteris daret argumenta. Caſtalion repudiavit cantica canticorum: eaque voluit ſcripta, non Dei ſpiritu, ſed æſtu quodam impotentis libidinis, quæ in molliculas amoris voces & illecebras effluit. Ut huic ſuæ hæreſi patrocinium nomenque faceret, argutè notavit in canticis, ne ſemel quidem exprimi auguſtum Dei nomen, quo tamen alii libri ſacri reſperſi ſunt. Verùm advertiſſe debuerat datum illud divino amori: in aliis enim Scripturæ voluminibus egit Deus cum ſynagoga ut ancilla, ideoque ea nomina protulit, quæ reverentiam, quæ timorem incutiebant: at verò in canticis cum Eccleſia ut ſponſa loquutus eſt; ideò ſuppreſſit ea nomina, quæ majeſtati, quæ timori ſervire debuerant; expoſuit autem quæ amori in nos ſuo divinæque indulgentiæ. Porphyrius Danielem impugnavit, non ratione, ſed maligna & pertinaci mente calamoque. Calvinus ne aliis ea in parte cedere videretur, & ipſe malignum unguem in ſacros libros immiſit, ex iiſque Eccleſiaſticum, & libros Machabæorum eraſit. Et hi ferè ſunt, qui veteris Teſtamenti tabulas quà voce, quà ſcriptis elidere & authoritatem iis detrahere conati ſunt: ita nimirum in iis ludit ſibi ſemper conſtans hæreticorum inconſtantia, & acrioris mendaciſque cenſuræ libido, quæ etiam novum Teſtamentum invaſit, ut nihil eſſet ab ea liberum & intactum.

Fauſtus hæreticus, contra quem acriter pugnat Auguſtinus, omnia Evangelia impugnavit, eaque non à viris Apoſtolicis, ſed ab impoſtoribus ſcripta clamitavit. Alogiani tres Evangeliſtas receperunt, Matthæum, Marcum, & Lucam; Joannem ex eorum numero eſſe noluerunt, quod eorum hæreſi contrarius eſſe videretur: ita Evangelii illius lucem ſolemque horruerunt noctuæ & abjecti tenebriones. *L. 32, c. 16.*

Ebion, & ipſe impius hæreticus, ſolum Mathæum ex Evangeliſtis probavit. Cherinthus ſolum Marcum; Marcion Lucam, eumque unum; denique Valentinus Joannem tantùm admiſit; cæteros à fide, à veritate alienos eſſe pronuntiavit. In hujus partes inclinavit etiam Lutherus: Cerdon & Tatianus Apoſtolorum acta pro apocriphis habuêre.

Ebionitæ D. Pauli Epiſtolas damnarunt; & ipſum Paulum, qui primæ veritatis oraculo audiit vas electionis, per ludibrium græculum hominem atque apoſtatam vocitarunt.

Lutherus Epiſtolas Divorum Jacobi & Judæ in ſacris admittere renuit; quia iis videt ſe ſuamque fidem exanimari.

Et hæc quidem ſunt, quæ hæreticorum inſana carpendi libido variis in locis ſparſit: ego hîc collegi, ut in iis hæreſeos inconſtantiam legas ac damnes: ſimulque agnoſcas eos à malo ſpiritu regi, qui ut primus divinarum vocum oracula mendace lingua, auſuque temerário violavit, ita & hæreticos, aſſeclas ſuos, violare docuit.

A prima Orbis molitione cùm eſſet homo in Paradiſo voluptatis, affuit ei ſerpens invidus & Evæ parenti noſtræ hæc pauca locutus. *Cur præcepit vobis Deus?* Hebraicè *aphki*, etiamne præcepit? Dubiè loquitur & quaſi interrogando: DEUS autem non ſic: ex vero enim affirmarat & præceperat. Eva jam Infecta hoc ſerpentis ſibilo, cjus quodammodo ſpiritum hauſit, & omnium prima ſacræ Scripturæ verba adulteravit. Subjecit enim. *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Hæc poſtrema verba addit de ſuo, ut augeat, & exaggeret divini præcepti inclementiam, quo vetabantur non tantùm comedere, ſed & tangere. Hoc autem indulgens Dominus non inhibuerat.

Addit deinde & alterum mendacium: *ne fortè moriamur*: dubiæ fidei vocula, *fortè*; hanc è ſuo cerebello adjicit fœmina, à qua primò Scriptura vitium paſſa: ejus æmuli ſunt hæretici, uti & mali dæmonis,

qui

qui & ipſe Scripturis malè ludere doctus, etiam cum Servatore, cui olim in deſerto hæc in aures ingeſſit. Pſalm 90. *Mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim: Angelis ſuis Deus mandavit de te.* Hoc telum jacit, in quo, præterquam quod perperam eum locum interpretatur, ſequentia verba ſubdolè reticet; *Vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Hanc mali dæmonis artem & dolum expendit D. Bernardus: *Animadvertite*, inquit, *& videte, quoniam ſubticuit malignus & fraudulentus, quod malignitatis ſuæ commenta diſſolveret. Nempè ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Nunquid & in præcipitiis? Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere ſe deorſum? Non eſt via hæc, ſed ruina; & ſi via eſt, tua eſt, non illius.* Eſt nimirum, eritque in ſæcula is genius Cacedæmonis, eritque & hæreticorum, Scripturæ verba ad inſanos ſenſus vel detorquere, vel mutilare; vel etiam pervertere, quod & à Judæis antè factitatum.

Sentiebant illi è veteri Teſtamento, maximè verò Prophetarum oraculis, multa, eaque illuſtria peti argumenta, quæ in poſteras ætates efferrent Meſſiæ adventum, vitam, mortem, aliaque fidei noſtræ capita: quæ ut peſſundarent, in hoc uno deſudarunt, ut opus illud ſacrum, quantum erat adulterarent, eaque loca expungerent, quæ Fidei Chriſtianæ myſteriis authoritatem aliquam conciliare videbantur. Laborarunt in illo opere totis ferè quadringentis annis, & eò quidem, ut toto Orbe vix inveniri poſſent exemplaria duo, quæ inter ſe convenirent: adeo pertinax in malo labor, levis & inconſtans falſitas; à qua cùm Judæi audirent quàm peſſimè, omnibusque in ſcholis ac pulpitis vapularent, tandem anno Chriſti octavo ſupra quingenteſimum in Palæſtina, urbe Tiberiadis concilium è peritiſſimis Rabbinis coëgerunt; in quo primum inventa puncta, quorũ author & princeps fuiſſe dicitur Rabbi Aaron, & Rabbi Aſer: ſed neque iis punctis nitari potuit & affigi veritas, quæ etiam ab illis vitium paſſa: adeo nihil tutum ab injuria quod humanũ ſit, nihil ab invidiæ & æmulationis malevolentia immune eſſe poteſt nihil ab hæreſi & inſigni Judæorum perfidia intactum, ſacrum ſit licèt & inviolabile. Providerat tamen longè antè divina miſeratio: ducentis quippè & triginta annis Philo de vita Moyſis l. 2. c. 9. antequam in Orbe hoc viſeretur Deus homo, Philadelphus hebræa Biblia græcè reddita, opera ac labore ſeptuaginta duorum Interpretum.

Erant Iſraëli Tribus omnino duodecim? è ſingulis electi viri ſex à prudentia, à doctrina, ab hebrææ, græcæque linguæ peritia inter ſuos facilè principes: convenêre illi in Inſula Pharos, quæ imminet Alexandriæ Ægypti, & modò celebris eſt nomine ac fama Septuaginta duorum Interpretum, in quorum memoriam quot annis in Inſula Pharos indicuntur feſti dies, ad quos non Judæi modò, ſed & Chriſtiani per longa maria & periculoſos Oceani tractus enavigant: ut videant ac venerentur ex locorum veſtigia, in quibus primùm eluxit germana & vera Scripturæ Sacræ interpretatio: tantum poteſt in bonis mentibus amor veritatis, & ſacrorum librorum veneratio: quæ ut omnium animis altiùs inſideat, unaque eorundem Interpretum fides & authoritas clarior evadat; non erit importunum huic membranæ inſcribere, quæ eò loci ac temporis miracula ſpectavit ſtupuitque Orbis univerſus.

Primum fuit ejuſmodi, quod duobus diebus non amplius Septuaginta duo illi ſeniores totum ... Teſtamentum ex Hebræo in Græcum idioma tranſcripſerint; mirabili ſanè ſtupendaque celeritate, quam non attingat ulla vis ingenii, ulla manus exprimat, ullus calamus effingat, niſi quem regat abripiatque Dei digitus.

Huic miraculo acceſſit & alterum: quod etſi loco eſſent diſſiti, nec inter eos ulla, aut verborum, aut calami communio fuiſſet; tamen ſacra Biblia expreſſere & poſteris edidere: non eadem tantum fide, eodem ſenſu; verùm etiam, iiſdem omninò verbis, imò & charactere, typiſque adeò ſimilibus, ut juratus etiam affirmares una manu, uno calamo exarata omnia. Quod prodigium cum plauſu, ſacroque ſtupore tum patuit, cùm expedito opere inter ſe convenêre omnes, & ſuas ſinguli Interpretationes, quaſi totidem ſymbola contulêre. Nimirum eorum ſpiritus, intelligentias, manus, calamoſque moderabatur mens altior ac divina, ut & eadem conciperent, & in tabulas emitterent.

Secus omninò faciunt hæretici, apud quos tot ſententiæ & explicationes ſunt quot capita; quibus in pœnam venit quod olim ædificantibus turrim Babel, confundit Deus linguas eorum, & ut clato cothurno Chryſoſtomus: *Quia abuſi ſunt vocis & Scripturæ unitate, caſtigantur diverſitate.*

CAPUT VII.

De Divinis Officiis.

VBi ſacra ornatus veſte ſteterit Sacerdos, è ſacrario ſolemni pompa ad aras educitur, ut immortali Deo ſacrificium offerat, accinentibus hinc inde alterno choro muſicis, à quibus, ex pio Eccleſiæ inſtituto, diurnum nocturnumque horarum penſum exolvitur. De hoc & illo mihi erit brevis diſceptatio; in qua ne me damnes, amice Lector, quaſi actum agam, ſtylumque ducam in argumento ſatis ſuperque trito; ne me, inquam, inauditum accuſes & carpas: nec enim actum agere, aut in alienam meſſem falcem immittere, aut ab aliis decantata repetere eſt animus.

Scio viros magnos, Scriptoreſque illuſtres longè ante me ceris incubuiſſe, & doctis membranis inſcripſiſſe multa de Miſſæ ſacrificio, ſive ex ſenſu ſcholæ, altioriſque Theologiæ principiis, ſive ex ſacrorum rituum norma ac regulis: ſed nemo, quod ſciam, eò collimavit, ut ex illis ea tantùm delibaret, quæ facerent vel ad formandos mores, vel ad inſignem Myſtarum noſtrorum ſanctitatem, ex ipſo Miſſæ ſacrificio, diviniſque officiis, vel ut è natura & cauſæ viſceribus eruendam: quod unum tamen ut hactenus ſpectavi, ita in iis, quæ bono genio duce ſubſcribam, ſpectabo, & in unum illud incumbam totus, ut & educantur è tenebris venerandæ Antiquitatis monumenta, & in fronte ſacrificantium præclara morum documenta imprimantur: quod dum aſſequi laboro, tu mihi benevolos animos concede.

PARS PRIMA.

De ſacroſancto Miſſæ Sacrificio.

DE eo primùm quæri poteſt quid nominis, tum deinde quid rei, tum denique quæ illius cæremoniæ, qui ritus opportuni ad mores ex lege divina & ſacrorum munerum decore effingendos?

§. I.

Sitne Miſſa novum, aut antiquum nomen?

NOn ita pridem in Gallia Miniſtellus aliquis in Sacerdotem Catholicum incidit, ex eoque quæſivit, cui rei potiſſimum vacaret: ſubjunxit ille Miſſæ Deo immortali offerendæ: hic ſubriſit Miniſtellus, & ſatis opportunè, nactus hominem plus æquo ignarum, callidè quærere & urgere cœpit: quid nominis eſſet *Miſſa*, quæ ejus notio, & unde petita. Cumque hîc ex ignorantia ruboreque ſubticuiſſet Sacerdos: tum quaſi victo inſultans Miniſter. Egregium ſanè, inquit, ſacrificulum, qui ſacrificium & Miſſam, quam in dies ſingulos peragit, ne de nomine quidem noverit: ablegandum eſſet hoc genus hominum ad grammaticam, ut in ea vocum ſuarum notionem

notionem & etymon inveniret; ſed nimirum non inveniret: eſt enim Miſſa novum, inſolens, Papiſticum nomen, antiquis ſæculis inauditum, atque etiam grammaticis ignotum. Sic ea quæſtio in riſum abiit, in ſcommata & calumnias, quas ſuo more genioque Miniſtellus ille in Papiſtas, Romanamque Eccleſiam conjicere cœpit: ſunt enim hujus farinæ homines in paucis facundi & dicaces, ubi nemo eſt, qui verboſam illam eloquentiam & maledicendi prurigìnem coërceat nervo ſanioris doctrinæ ſacræque eloquentiæ: ego etſi ab illa minus inſtructus; dicam tamen, & ea Antiquitatis fide nonnulla eruam teſtimonia, quibus ea calumnia diluatur, pateatque Miſſæ nomen, non eſſe novum inventum, ſed à majoribus noſtris uſurpatum.

Ut nos arguerent novitatis, ipſi Novatores finxerunt Miſſæ nomen, primùm à D. Gregorio excogitatum & in ſacras tabulas admiſſum: eſt tamen inſignis ea calumnia inuſta nomini bonæque famæ tanti Pontificis: ea vero enim Miſſæ nomen jam inde à primis ſæculis, ipſaque propè naſcentis Eccleſiæ infantia audiri cœptum: producamus in medium luculenta veterum ſuper ea re teſtimonia.

Clemens Romanus, qui paſſus anno Domini ſecundo ſupra centeſimum Epiſtola tertia meminit hujuſce nominis. *Sacrificare*, inquit, *& Miſſas celebrare non licet, niſi in iis locis, in quibus Epiſcopus proprius juſſerit.*

Apud Burchardum l. 5. c. 27.

Ei conſentit Evariſtus, qui vixit anno Domini duodecimo ſupra centeſimum: ita enim habet: *Omnes baſilicæ ſemper cum Miſſa debent conſecrari.*

De conſecrat. d. 2.

Conſonat Alexander, qui Evariſto ſucceſſit, vixitque anno Domini vigeſimo primo ſupra centeſimum. Hic in Epiſtola ad Orthodoxos, capite quarto, & canone, *in Sacramentorum*, apud Gratianum, ita loquitur.

In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, Paſſio Domini miſcenda; ut ejus cujus corpus & ſanguis conficitur, Paſſio celebretur.

Hoc fuit decretum, hoc oraculum magni Pontificis, è quo hæc ad fidei noſtræ lucem audiant Novatores. Primùm oblationes à fidelibus primis illis ſæculis fieri ſolitas, ne nos in ita & novitatis & avaritiæ inſimulent; tum Miſſarum ſolemnia & in illis Chriſti corpus & ſanguinem confici credant, edocti teſtimonio calculoque venerandæ Antiquitatis.

Anno Domini 142.
Anno 155.
Anno 166.
Anno 175.

His addi poſſent longa ſerie ſecuti ſummi Pontifices, Teleſphorus, Hyginus, Pius primus, Soter, aliique quos ſtudio brevitatis omitto, ne chartam onerem multis teſtimoniis, in argumento ſatis obvio & noto. Videri poteſt ſuper ea re Gratianus. Et Romanum Concilium ſub Sylveſtro anno Domini vigeſimo quarto ſupra ter centeſimum. Carthaginenſe ſecundum anno ter centeſimo nonageſimo ſeptimo. Arelatenſe tertium anno quadringenteſimo quinquageſimo tertio, aliaque Concilia, in quibus leges antiquum & venerandum Miſſæ nomen & fidem conſenſumque totius Antiquitatis, cui reluctari ut novum eſt, ita inſolens atque intolerabile.

Certè ex hæreticis hujus ævi fatentur pleríque omnes fidei dogmata, ritusque ac inſtitutiones tribus quatuorve primis ſæculis illibatas fuiſſe, licèt poſtea labente ætate collapſas velint, non ea veritate, ſed ex ſuo genio: de quo ut in præſentia non querar, aſſumo tamen quod ultro mihi conceditur, & cùm primis illis ſæculis auditum ſit Miſſæ nomen, non novum, ſed antiquũ eſſe concludo: ſinioque cum illuſtri D. Hieronymi teſtimonio, qui & ipſe aurea & incorrupta ſæcula ſpectavit: ita porrò ſentit ac loquitur:

In cap. 12. Prov.

Notandum autem, quod etſi impiis poſt mortem ſpes veniæ non eſt, ſunt tamen qui de levioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti ſunt, poſt mortem poſſunt abſolvi, vel pœnis videlicet caſtigati, vel ſuorum precibus & eleemoſynis, Miſſarumq; celebrationibus.

§. II.

Quæ notio & etymologia hujus nominis, Miſſa?

CAthulicos inter & hæreticos non tantùm de antiquitate vocis eſt quæſtio, ſed & de ipſa notione, germanaque etymologia.

L. 4. Inſtit. c. 18 § 8.

Calvinus vir ut perſpicacis, ita maligni ingenii, contendit Miſſam appellatam eſſe à mittendis in medium muneribus, quaſi ſimbolis quibuſdam, unde fieret ſacra cœna: itaque confundit Miſſam cum Agape primorum Chriſtianorum, in qua pauperibus epulum parabatur. In hanc ſententiam ivit Calvinus, ut etiam iret in tacita dicteria, carperetque ſuo more Sacerdotum avaritiam, quibus in Miſſa oblationes dari ſolent.

Kemnitius aliò vocat etymon vocis illius *Miſſa*; aitque eſſe Deum, arcem & robur Antichriſti, id eſt, Papæ: quod ut ſuadeat, addit mira quadam providentia factum ut Miſſæ nomen cum Deo Antichriſti conveniret. Hic à Daniele appellatur *Mahazim Deum* (inquit Propheta) *Mahazim in loco ſuo venerabitur.*

Hanc doctrinam primum impuro ore, impudenti lingua evomuit Lutherus, & patenti faucium hiatu excepit Kemnitius, & in reluctantes auras emiſit: ſed errat impius, & nimium quantum errat.

Primùm enim quæ cognatio, quæ affinitas ac ſimilitudo Mahuzim cum *Miſſa?* Nulla ſanè, niſi quam effingit Antichriſto cognatus animus. Deinde Rex ille qui colet Mahuzim dicitur eò loci futurus Rex Aquilonis, contra quem ibit Rex Auſtri, ipſique Romani aciem movebunt; non igitur Rex ille eſt Papa, qui Romæ ſedem domiciliumque fixit. Ut ergo iſta miſſa faciamus; ad ſententias quæ vero propiores ſunt accedamus.

Albericus cenſuit Miſſæ vocem è Græco deductam: ſed nuſquam apud Græcos hujus nominis eſt uſus. iis dicitur Liturgia & Synaxis. Veroſimilius illi, qui derivant ab Hebræa lingua: ſed & inter eos opinionum eſt pugna & diſſenſio.

In Pſal. 101.

Petrus Viegas Miſſam trahi putat ab Hebræa voce *Maſſah*, quæ panem azymum ſignificat. Eo uſus Chriſtus in ultima cœna, qua panem azymum in corpus ſuum vertit: cujus memoria ut excederet in longè futuras ætates, etiam ipſum nomen retineri placuit mutata litterula, ut pro *Maſſah*, Miſſa diceretur, omiſſa aſpiratione *he*, quæ aliquid habet aſperitatis, alienæ ab hoc ſacrificio, in quo ſumma ſuavitas, & magnæ divini amoris illecebræ.

Aliis tamen magis placet Miſſam derivari à Miſſah, id eſt, oblatio. & hæc interpretatio convenit quàm optimè: hic enim Chriſtus, ut Apoſtoli ore verbiſque loquar, *tradidit ſemetipſum oblationem & hoſtiam.* Ea primùm oblata fuit in cruce cùm innocentiſſimus agnus ad occiſionem ductus eſt: tum deinde in altaribus Eccleſiæ Catholicæ immolatur, ut tridentini Patres cum omni Antiquitate definiunt: de ea divino ſpiritu Paulus. *Una*, inquit, *oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos.* Unam vocat oblationem ut apicem omnium ſacrificiorum, religionis florem, & perfectiſſimam divini cultus rationem. Et hæc quidem ea illa opinione, quæ ea Hebræo fonte deductum voluit auguſtum Miſſæ nomen: nonnullis tamen magis ſapit Latina ſcaturigo, quæ eò ducit, ut probet effluere à verbo *mitto*. Sed cur ab illo inquies? Hic iterum hæret aqua, dubiaque mens quò ſe flectat: ut enim in aliis fœcunda ſunt hominum ingenia, ſeſeque in diverſas opiniones effundunt; ita & in hoc argumento latiùs ſpargunt.

Ad Ephes. 5.
Seſſ. 22. c. 1.
Heb. 10.

L. 2 de ſacra.

Hugo de S. Victore putat ideò Miſſam appellari, quòd in ea totius populi preces & vota in cœlum mittantur, & puris Sacerdotum manibus immortali Deo ſiſtantur, veluti per Legatos & totius generis noſtri inter-

Internuntios. Qua de re aurco orationis flumine Petrus Chryſologus: (*Serm. 26.*) *Sacerdos*, inquit, *verſatur inter altaria: ſemper peccatorum cauſat, dolores populi ſuſcipit; fert, offert, ingerit preces; accipit, refert, reſtituit impetrata: ex homine totus in Angelum ſubſtituitur.* Vide quàm nova, quàm auguſta, quàm divina propè metamorphoſis: in Miſſa quodammodo deſinis eſſe, quod tamen es à natura, homo; & à gratia, incipis eſſe, quod non es, Angelus, id eſt, humani generis apud ſuperos nuntius, mediator & interpres quodammodo cœleſtium monitorum, qualem ſe deſcripſit olim Moſes: (*Deut. 5. 5.*) *Ego*, inquiebat, *ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos: ut annuntiarem vobis verba ejus:* quod veluti exponens S. Hieronymus cùm attingit illud Malachiæ oraculum in quo Sacerdos Angelus Domini exercituum appellatur. (*In c. 2. Malachiæ.*) *Angelus*, inquit: *id eſt, nuntius Dei Sacerdos veriſſimè dicitur, quia Dei & hominum ſequeſter eſt, ejusq. ad populum nuntiat voluntatem.* Hoc ſanè maximam & ſingularem ſacrorum hominum dignitatem amplitudinemque illuſtrat: ut qui non ora tantùm ſint populi, ſed ipſius quodammodo Divinitatis.

Quod ipſum Sacerdotii munus veluti proprium agnoſcit D. Paulus, & de ſeipſe ad Corinthios ſic prædicat. (*2. Cor. 5. 5.*) *Pro Christo legatione fungimur.* Verè legatione functus Paulus, qui in ipſam cœli regiam admiſſus, inde rediens divina ad nos retulit oracula: verè legatione fungitur & Sacerdos, qui ad aras divinaque ſacrificia ſublimius omni mundo eminet; Legatus univerſitatis, cujus proprium eſt in auguſto ſanctuario, ut ait D. Gregorius Nazianzenus, (*Orat. 23.*) *ſacrum Deificationis munus obire.* Sed de hoc ſuo etiam loco fuſiùs; revertor ad nominis etymon, à quo paululum digreſſus ſum.

Magiſter ſententiarum, notum in ſcholis nomen, autumat huic divino ſacrificio inditum Miſſæ nomen, quod ad illud è cœleſti proſcenio, Beatorum ſede, Dei throno mittatur Angelus qui præſens aſſiſtat. In eam quoque opinionem deſcendit D. Chryſoſtomus, aliique Eccleſiæ Sanctiſſimi Patres, qui cœleſtium ſpirituum choros, illo maximè tempore divinum ſacrarium complere crediderunt. Sic enim quodam in loco diſſerit Chryſoſtomus menſæ Euchariſticæ prædicator in paucis magnificus. *Per id tempus & Angeli Sacerdoti aſſident, & cœleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt.* Hæc ubi calamo aureo ſcripſit Chryſoſtomus, tum memorat viſum mirabile unius ſenis, viri à virtute, à Dei donis longè ornatiſſimi, qui illo tempore ſe vidiſſe aiebat multitudinem Angelorum ſacrum altare circumdantium. Erat illis niveus in veſte candor, lux amœna in oculis, in fronte Sol aureus index majeſtatis, cui devotionem conciliabat humilis demiſſio: qua magnæ illæ mentes capita inclinabant, ut milites Imperatori ſolent. In hac fœlicium mentium ſocietate conſiſtis, quiſquis ei ſacrificio vacas. Vide ut cum beatis illis genus, tibi ſit timor caſtus, pudoris comes & reverentis animi ſubmiſſio.

Rupertus Abbas, quem olim Legia ſuum habuit, (*Lib. 2. de Offic. c. 23.*) & in celeberrimo D. Laurentii Cœnobio Religioſum in paucis amavit, ac deinde Tuitienſi Monaſterio Patrem ac Præſulem dedit; exiſtimat dictam eſſe Miſſam, quia in ea accidentium & ſpecierum Sacramentalium velo tegitur victima è cœlo miſſa, & in cœlum tranſmiſſa.

Pater Æternus è cœleſti beataque ſede, è ſinu quodammodo Divinitatis ſuæ Chriſtum in mortales oras emittit, ſiſtitque ad ipſa Sacerdotis verba, ut olim ad Joſue voces ſolem ſtare fecit oblitum quaſi ſuæ velocitatis. Tum deinde eundem Chriſtum, ceu hoſtiam ſuperis acceptabilem & propitiando Numini peridoneam in ſtellatas arces, aurea tecta, beatarum mentium domicilia Sacerdos ipſe tranſmittit: ab illa unius, ejuſdemque victimæ miſſione in terras, emiſſione in cœlos Miſſa & nomen & pondus & ſanctitatem & venerationem accepit.

Bellarminus non minus à virtute doctiſque ingenii monumentis, quàm à purpura galeroque illuſtris, (*Lib. de Miſſa, c. 1.*) Miſſam nomen inveniſſe putavit à miſſione ſive demiſſione populi: videntur in eam opinionem manu ducere illa verba, quæ ad ſacrificii calcem adjicit Sacerdos. *Ite, Miſſa eſt*, quaſi diceret, abire jam licet, peractum omnino ſacrificium.

Ita quondam in profanis gentilium ſacris ſubjiciebat ſacrificulus hæc extrema verba: *Ilicet*, id eſt, ire licet: ut nonniſi cum bona venia populus excederet. Et hæc de ipſo nomine paucis agitaſſe ſuffecerit; modò ad rem ipſam propiùs appello, deque ſententiis jam allatis Lectorem Judicem & arbitrum facio: ſibi quam volet, eligat.

§. III.

Quæ Miſſæ inſtitutio?

Multa ſunt, quæ pium hoc ac divinum ſacrificium mirum quantum commendant. Primum author, à quo manavit, tum deinde tempus quo peragi placuit, tum etiam locus, tum denique perſonæ, & circa eas habita ratio modusque inſtitutionis.

AUTHOR.

Author eſt Deus Immortalis, Dei Filius, Deus homo, reparator generis noſtri, à quo neceſſum eſt hoc ſacrificium miram hauſiſſe ſanctitatem ac venerationem. Habent artes ac ſcientiæ ex ſeipſis lucem aliquam, ſed eam quamplurimum augent ex authorum nomine, fama, dignitate.

Grata eſt eloquentia & potens ad demulcendos animos: at gratior quia fluit à Tullio Oratore Romano, viro in primis diſerto.

Profunda eſt Philoſophia, & quia ignotas ac latentes veritates eruit, admirabilis; at mirabilior cùm eam aperit Ariſtoteles, purior ac perſpicatior naturæ ocellus.

Utilis eſt medicina, & corporibus reparandis, fovendæque vitæ nata; at utilior, quia Galeno & Hippocrate ut Principibus gaudet.

In honore eſt Juriſprudentia, quia legum inventrix, moderatrix Reipublicæ, juſti rectique tenax; at in pretio magis, quia Bartholos, Baldos, Juſtinianos habet inventores, magna & auguſta nomina.

Imò verò artes ipſæ mechanicæ ab authoribus ſuis gratiam ſplendoremque mutuantur: ita Scriptura fabrilem artem in opera æris ac ferri commendat ab inventore Tubalcaim.

Quod ſi profanæ illæ ſcientiæ, arteſque huic ævo mortali tantùm utiles, ex eo nomen obtinent; quantò magis ea, quæ ad diviniorem ſapientiam, ad ſuperûm cultum, ad Dei ter Opt. ter Max. religionem ducunt, Authori ſuo debent, quidquid adipiſcuntur ſanctitatis, atque majeſtatis.

Laudatur Abel, qui primus omnium legitur Deo litaſſe, primitias frugum obtuliſſe: & quia Abel erat, hoc eſt innoxia, candida, grataque cœleſtibus anima, ideò reſpexit Deus ad Abel & ad munera ejus.

Laudatur Enos, qui primus invocare cœpit nomen Domini.

Laudatur Abraham, excelſus pater, & multarum gentium parens, qui filium, quem unum ſibi natura dederat, obtulit, ferro ſuppoſuit & amanti buſto, docuitque quid pro Deo audeat & poſſit Pater.

Sed vel maximè laudandus eſt JESUS, qui docuit atque extulit quod nulla unquam ſenſit ætas. Se nimirum ipſe hoſtiam fecit atque obtulit etiam poſt fata, acerbamque crucem, ne cum vita ſpirituque mortali, victima placando Numini opportuna deficeret.

ficeret. Ab illo divini amoris exceſſu, authoriſque majeſtate, neceſſum eſt huic ſacrificio immenſum quiddam acceſſiſſe gratiæ, amoris, dignitatis, majeſtatis.

TEMPUS.

ACcedet & à tempore ſua laus ac commendatio. Erat illud Paſchæ, quod Judæis celeberrimum, quo præteritorum beneficiorum memoria revocabatur, & quo prima futurorum dabantur auſpicia.

Tempus erat & illud quidem nimium brevis ævi ſupremum; dies decretoria, dies ultima, qua ſeſe in filios explicare ſolet Parentis amor, qua ultimas Teſtamenti tabulas condere, qua filiis ac hæredibus bona legare, qua graviſſima negotia agitari & expediri ſolent. & tamen cùm in ea eſſet vitæ periodo, in iis anguſtiis, inter vitæ mortiſque confinia; noſtri tamen vel maximè memor & amans JESUS Miſſæ ſacrificium peragit, & peragendum proponit in ævum omne, ne amori, ne effuſæ caritati dies ulla ſæculumúe finem poneret.

Fuit Antiquis epulum amicitiæ, quod teſte Athenæo dicebatur τέλος φιλίας, extremum & finis amicitiæ: in eo hoſpes pateram prenſare manu, ſibi ſanguinem è vena elicere, largè fluentem excipere, & ex eo primus bibere ac deinde cæteris convivis prælibandum offerre. Dicebatur autem id convivium, amicitiæ finis, vel quia amicis in extrema dabatur menſa, vel quia non poteſt ultrà provehi amicitia, neque ſeſe copioſiùs effundere, quàm ſi ſanguinem, in quo eſt vitæ ſedes, effundat. Fuit illud humanæ amicitiæ qualecumque argumentum: at hoc divinæ eſt caritatis, quod in extrema vitæ cœna Chriſtus exhibuit; ſui, ſanguiniſque mirè prodigus. Et hæc à tempore laus petita.

LOCUS.

NEc minor à loco dabitur ornatus. Fuit enim *cœnaculum grande ſtratum*, pro quo non erit importunum aliquam rei tum geſtæ ſeriem caponere, calamumque ad ea loca revocare.

Cùm immineret ſolemnis Agno Paſchali dies, diſcipulos ſuos emittit Servator optimus. *Ite*, inquit,
Matth c.26. v. 22. *in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit; Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.* Hic in ſcholas & pulpita vocari ſolet quæſtio? Quis ille, quem Chriſtus anonyma voce appellat *quemdam*? Hieronymus & Beda reſpondent eò loci ac temporis, quo novum parabatur Paſcha, quo cœna Euchariſtica atque epulum Agni, neminem nominatum eſſe, certo conſilio ac decreto, ut omnes ex eo intelligerent non unum aliquem, ſed omnes omninò mortales ad novum à Chriſto Paſcha devocari.

D. Ambroſius aliò ſententiam calamumque ducit; & ex vulgata illa trita, abjecta, anonyma voce colligit appellari quemdam, quod pauper, ignobilis,
In c.22. Luc. adeoque inter homines innominatus eſſet. *Sine nomine*, inquit, *deſignatur, ut pauper & ignobilis æſtimetur.*

Verùm, quod bona tanti Doctoris venia dictum ſit, videtur illud parum conſentire cum iis quæ ſubjicit Sacer Hiſtoriographus, virum illum quemdam, habuiſſe cœnaculum magnum ſtratum: certè homunciones infimæ ſortis, & ad extremas propè paupertatis anguſtias ac ſordes abjecti, non ſolent offerre cœnacula illa magna, ſtrata, aulæis veſtita, non ad neceſſitatem tantùm, ſed ad luxum ac dignitatem: incolunt illi humiles caſas, abjecta tecta & nudo ferè teguntur Jove. Nec ſic ille homo *quidam*. Certè ſi de hoſpite ex amplo nobilique tecto non inanis ſit conjectura, eum & opulentum & inter ſuos magni nominis fuiſſe conficiemus. Et hoc in luce eſt; in nocte & ſilentio illud quis fuerit. Ita voluêre Hiſtorici ſacri, qui ejus nomen obſcurâ voculâ ſuppreſſêre; è qua nihil erui poteſt, niſi ductis conjecturis.

Nicephorus credit hominem illum fuiſſe Inquilinum earum ædium, quas D. Joannes Evangeliſta à Caipha in monte Sion ingenti ære coëmerat venditis quas in Galilæa habebat ampliſſimis facultatibus. Lib. 1. c. 28.
Hæc authoris illius conjectura, quæ quo nitatur argumento, non video.

Theophylactus ait hominem illum quemdam fuiſſe Simonem Leproſum, eumque Lazari patrem, apud quem ſex ante dies cœnarat Servator optimus. Neque hoc cum loco convenit; hic enim Bethaniæ fixerat ſedem, ille autem Jeroſolymis.

Ideoque ſi ſuus in dubio conjecturæ detur locus, dicemus virum illum quemdam fuiſſe è Judæis unum aliquem, eumque prædivitem, Chriſto familiarem in paucis, imò & diſcipulum, ſed occultum: Is eſſe potuit aut Joſephus ab Arimathia, aut Nicodemus aliquis. Certè quiſquis is fuit, Chriſto fuit ab amoribus & ſecretis: ei quippè dicitur, *Magiſter dicit.* Hæc ad diſcipulum vertuntur, *Tempus meum propè eſt*, mora mea in januis eſt: & hæc produnt hominum admiſſum ad ſecretiora Domini ſui arcana, ut qui ea è verbulo caperet. Et iſta pro inſtituto ſatis. Venio ad illud, quod ſpectavi quàm maximè. Cur Deus homo, qui primam lucem in paupere tecto vilique ſtabulo aſpicere voluit, qui vitam omnem reliquam iis paupertatis anguſtiis arctari, ut ipſe ea vero queri poſſet: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Cur, inquam, is filius hominis adeo paupertatis amans ac retinens, in ultima cœna, in occaſu vitæ, in mortis limine, cœnaculum grande & ſtratum ſibi ſuiſque delegerit?

Ne tibi perſuade id temerè caſúve factum; ſed de ſtatuto conſilio, certiſque illius providentia, quem nec caſus, nec fortunæ cæcutientis impetus regit & abripit. Erat nimirum eo loco celebranda primùm cœna Euchariſtica, erat edendus verus Agnus, erant auguſta potentique manu creandi Myſtæ novi ac Sacerdotes, erat exhibenda ſcena divini amoris: debuit proſcenium eſſe nobile, ornatum, auguſtum. Et verò enituit & cœnaculi opulentia ac dignitas in tota illius ſupellectile, pro qua hoc erit inſtar omnium, quod calix, quo tum uſus Servator noſter; calix, inquam, qui primus pretioſo Chriſti ſanguine imbui, rubere, calere debuit, effictus eſſet è lapide pretioſo, cui pretium lucemque addebat auri fulgor nitorque. Viſitur ille Valentiæ, ad illius diei ac beneficii monumentum. Patina verò, quæ ſacrum Chriſti corpus ſub albicanti panis ſpecie excepit: & illa è conſimili materia affabrè facta Genuæ ſervatur. Ea nimirum eſſe debuit Euchariſtici ferculi dignitas, & cœnaculi opulentia ac majeſtas.

Valeant modò hæretici noſtri temporis, quibus profana fana, & aræ haræ ſunt. Non ea Chriſto ſacrificanti fuit, non inculta tecti moles, non ſtabulum egens, nudum, immundum; ſed cœnaculum grande, ſtratum, aulæis ornatiſſimum. Ejuſmodi certè eſſe voluit, ut illud ſpectarent ætates omnes longè conſequentes, & ad illius inſtar ſua ditiori huic ſacrificio tecta molirentur. Senſerunt illud majores noſtri & principes animæ, quorum pius labor in eo ſudavit, ut ſua ſacris ædibus ſtaret majeſtas, ſua ſupellectili eſſet opulentia.

Hos inter enituere Juſtinianus Imperator, qui cùm animum adjeciſſet ad divinam aram quàm magnificentiſſimè extruendam, quidquid terra, marique pretioſum, quidquid in Orbe rarum fuit, id omne auguſta voluntate & munificentia contulit. De quo juvat audire Cedrenum. *Fecit ſacram menſam ex auro,* In Juſtiniano.
argento, & omni gemmarum genere, è ligno & metallo, & aliis rebus omnibus, quæ terra aut mari, toto denique in Orbe in pretio ſunt.

Ejuſdem pietatis animique fuit Placilla Auguſta, In funere
quam D. Gregorius Nyſſenus inſigni laudis præconio Placillæ.
exornat,

exornat, dum ait cum Placilla extinctum & velut ſepultum *Altarium ornatum.* Crederes ab illâ vitam & ſpiritum accepiſſe, & cum illa mortuum & conſepultum.

Ejus munificentiæ, aureæque majeſtatis in ſacra ſupellectile, in calicibus, meminit D. Ambroſius, dum ait *Infuſum auro ſanguinem Chriſti irrutilaſſe.* Meminit Auguſtinus, qui cenſuit non alteri magis loco, quam Eccleſiæ pocula pretioſa convenire. *Si calicem,* inquit, *inveniſſes in terra, donares illum Eccleſia Dei:* donares, inquam, non jam donatum raperes, ut avara, ſacrilega impiaque manu faciunt hæretici.

L. 2. Offic. c. 28.

Epiſt. 42.

Quos hîc ſiſterem libens, ut vel levi ſaltem oculo ſpectarent, quis fuerit ſanctorum ſenſus quis ſpiritus naſcentis Eccleſiæ, quæ majeſtas, quam etiam ſuſpicere ac vereri debuerunt vel ipſi Eccleſiæ hoſtes: quos inter Fœlia Regii theſauri cuſtos ſub Imperatore Juliano. Hic cùm in templum Antiochenum veniſſet ad ſacra Eccleſiæ vaſa diripienda, videretque ingentem ciboriorum copiam, & calicum & complurium donariorum tum magnitudinem, tum elegantiam, ſtupore attonitus & propè amens exclamavit: *Ecce quàm ſumptuoſis vaſis filio Mariæ miniſtratur.*

Theodoret. l. 2. c. 11.

Hæc illi ſtupor, & ſacræ opulentiæ admiratio expreſſis verba: utinam & piam mentem impreſſiſſet, ut ſacrilegas manus, à templis, altaris, à ſacris vaſis abſtinuiſſet. Verùm avaritia, libido, impietas ut animum, ita & manus ad furtum, ad rapinas, ad ſacrilegia ſolverat, uti etiamnum ſolvit hæreticis noſtri temporis, qui altaria à ſuis majoribus probè veſtita & ornata, nudare, ſpoliare, diripere conſueverunt, dum non ferunt æquis oculis auream illam Eccleſiæ Romanæ majeſtatem, quæ tamen à prima Chriſti cœna initium duxit. Sed illi non ſunt de peculio Chriſtis at potius de grege Antichriſti.

RATIO INSTITUTIONIS.

VIdimus Chriſtum primum novæ legis Sacerdotem litaſſe calice nobili ac pretioſo; ſupereſt ut breviter attingamus qua ratione, quo ritu. Is certè fuit, qui liquido demonſtraret tum quæ foret illius ſacrificii dignitas, tum majeſtas Sacerdotum, quos eo loco ſupremos ſacrorum opifex Chriſtus ſacris initiare voluit. Primùm enim à menſa ſurrexit, & ſedere juſſit abjectos homunciones, à fortuna pauperrimos, ab arte piſcatores: tum deinde linteo præcinxit ſe, & aquam eorum pedibus infudit, lavit, terſit, & fortè oſculo dignatus eſt.

Quis, inquies ille, qui à cœna ſurgit, aſſurgit piſcatoribus, & ad pedes proſtratus eluit?

Chriſtus eſt reſtaurator humani generis, in cujus manu poſita noſtrûm omnium mundique ſalus univerſa.

Chriſtus eſt author tot mirabilium, patrator tot miraculorum, cujus nutus audiunt irata maria, cujus voces cum ſilentio excipiunt aliàs ſurdi & inſolentes Euri, ad cujus imperia pateſcunt Inferi, & mortuos ac ſepultos luci vitæque reddunt.

Chriſtus eſt cui miniſtrant Angeli, puriſſimæ illæ cœlorum Intelligentiæ; quæ etiam pavent & contremiſcunt ad nutum ejus.

Chriſtus eſt Patris Æterni dilectus omninò Filius, Deus ipſe, ejuſdem etiam individuæ conſors naturæ, potentiæ, majeſtatis, ſapientiæ, Deitatis particeps; cui Sol & Luna, gemini orbis oculi, minora ſidera, cœlique gemmæque lucentes ſurgunt aſtra matutina; cui immenſa graviſque terræ moles, effuſa maria, liquidus æther, ipſaque elementa & totus Orbis ſupplex ac venerabundus accidit. Et hic tamen piſcatoribus aſſurgit, ſervilem in morem linteo ſeſe accingit, aquam miniſtrat, luteis homunculorum pedibus advolvitur, eos affuſa puriore lympha ſedulus eluit, detergit, & fortè veneratur oſculo.

Deus bone, qui tandem illi quibus ſeſe ad ea officia ſubmittit JESUS? Num Angeli? num Cœli Principes? num beati Spiritus? num altiſſimæ, Deoque proximæ mentes? Minimè verò: nihil horum audias, nihil videas in ſacra illa Servatoris ſcena: qui ergo demum illi? è qua rerum creatarum ſerie? è quo cœli terræque tractu? Homunciones ſunt, ſi naturam ſpectes, è communi luto argillaque malè ficti; ſi fortunæ bona, ad infima quæque deturbati. Atque ut ii ſint, iis tamen honoris cauſa aſſurgit, etiam vel ipſe rerum omnium molitor Deus. Erant nimirum creandi novi myſtæ, novi Sacerdotes, itáque evehendi in aliquam divini Nominis honoriſque communionem: hinc deprimitur Deus, ut homo elevetur.

Ab illa die luceque ſacratiore, quo ad initiandorum pedes viſus eſt proſtratus Deus, manavit in Eccleſiam, in poſteras ætates, in regias mentes magnus ille de Sacerdotio ſenſus, ingens æſtimatio, demonſtratioque honoris, cujus argumenta ſpectavit omnis Antiquitas, aureaque Conſtantini ſæcula, ipſoque in primis authore, cujus hoc pietatis, hoc demiſſionis eſt argumentum dignum omni memoria.

Cùm ageretur Concilii Nyceni Synodus, ipſe religioſiſſimus Imperator, tamdiu pedibus inſtitit, donec omnes Patres conſediſſent, & tunc, ut hiſtorici verbis utar, *non aliàs ſedere ſuſtinuit, quàm ſacroſanctum Sacerdotum thorum annuiſſet.* Nec cæteris altiore ſolio, ſed ſede humili ac depreſſa etiam infra pedes ac veſtigia Sacerdotum. Hæc Auguſtus & pius Imperator, qui ſenſerat etiam Dominum ad piſcatorum, & initiandorum tantùm pedes aliquando in genua accidiſſe.

Acta Concil. Nyceni & Hiſt. Trip.

Leguntur in Cœlis Seraphini famulantium more ſtare coram Deo ſuo: ſic eos olim vidit Iſaias. *Seraphim*, inquit, *ſtabant*: At Apoſtoli, aut Sacerdotes etiam in cœlis cum Deo ſedere dicuntur: teſtor illud Chriſti apud Evangeliſtam oraculum. *Cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Stare famulorum eſt, ſedere Dominorum; ea illis Angeli, ex his Sacerdotes etiam in hoc beatis mentibus ſuperiores, Deoque proximi: quam ſacrorum hominum altitudinem ſcitè expreſſit Jeſſæus Propheta hoc oraculo. *Secundùm altitudinem tuam, Deus, multiplicaſti Filios hominum*: vel ut explicat Chryſoſtomus, *elevaſti, extuliſti*: imò ut elevares, efferreſque magis, teipſe depreſſiſti. Ut non videatur mirandum illud, quod de Sacerdotio dixit Iſidorus Peluſiota, eſſe *divinum quiddam.* Et *omnium quæ inter homines expetuntur, velut extremam metam.* Quocum convenit & illud S. Ignatii, invicti Martyris. Sacerdotium, *omnium bonorum quæ in hominibus ſunt, apicem eſſe*; & cum Tertulliano, *honorem ſanctificatum à Deo.*

Iſaia c. 6. v. 2.

Matth. 19. v. 28.

Pſalm. 11. v. 9.

L. 2. Ep. 52. Ep. 71.

Epiſt. ad Smyrn. Exhort. ad caſt.

Et is ſenſus fuit aureæ illius ætatis, à quo ſi deſecêre poſteri, non eò factum, quòd Sacerdotali dignitati aliquid deceſſerit; ſed quia multum de Sacerdotum vita, moribus, ſanctitate detractum eſt.

§. IV.

Quid Miſſa, & quæ ejus partes?

ESt Miſſa actio Sacerdotalis, qua ex Chriſti inſtitutione in ejus Paſſionis memoriam, panis & vinum in ejuſdem Corpus & Sanguinem convertuntur, & illa ſub iiſdem ſpeciebus Deo immortali pro vivis ac defunctis offeruntur & conſumuntur.

Eam Theologi diſtinxerunt in tres omninò partes. Prima eſt ab initio ad Offertorium uſque: & hæc olim dicebatur Miſſa Catechumenorum, quia illis licebat illi parti intereſſe, non ſine cauſa, providoque Eccleſiæ, ceu bonæ Matris, conſilio.

Primùm enim per introitum diſponebantur eorum animi, & ad divina capeſſenda parabantur: tum deinde collecta, eis erat oratio, piaque in Deum elevatio:

elevatio: tum etiam prælegebantur Prophetæ, aliaſve Scripturæ ſacræ oracula, quæ ipſos noſſe oportebat: tum Evangelium proponebatur, & in eo præcipua viventis ac patientis Chryſti myſteria: tum denique feſtis ſolemnioribus adjiciebatur fidei ſymbolum: & hoc quidem ea prima inſtitutione, ut Catechumeni in fide, in Prophetis, in Evangelica hiſtoria inſtruerentur. His ritè peractis emittebantur; nec enim licebat ultrà ſacrificio intereſſe.

Altera pars eſt ab Offertorio ad ipſam Communionem, & ea complectitur conſecrationem, quod primum, princeps ac nobiliſſimum illius ſacrificii decus.

Tertia denique à Communione ad finem, & ea quoque pro acceptis à Deo, ſuperiſque beneficiis grati animi memoriam continebat.

Hic à Theologis agitari ſolet, eaque ſolemnis quæſtio; in qua potiſſimum actione divini illius ſacrificii ratio repoſita eſſe videatur? Sunt qui velint in devota Hoſtiæ oblatione: ſunt qui in Conſecratione: ſunt etiam qui in Communione: ſunt denique qui in iis omnibus perfectum ſuiſque numeris abſolutum ſacrificium eſſe contendant: ita in diverſas abeunt ſcinduntur que ſententias: ego malim in una Conſecratione reſidere. Verùm quia eam evolvere non eſt hujus mei inſtituti, verbulo tantùm indicaſſe ſuffecerit. Maneat ea quæſtio, ea lis penes Theologos: agitetur in ſcholis, ſileat in pulpitis; in his enim ea tantùm quærimus, quæ ad mores faciunt; quæ verò altiſſimæ commentationi ſerviunt, & intellectui tantùm lumen aliquod ſubtilioris ſpeculationis objiciunt, ea alium in locum rejicienda exiſtimamus. Interea dum illud nobis conceditur; ſingulas auguſti illius & ſacratiſſimi ſacrificii cæremonias, ea qua ſolemus brevitate, percurremus: ſiſtemuſque in iis maximè, in quibus ſeſe offerent opportuna morum documenta: leget in illis ſacrorum præfectus, quæ ſit officii muneriſque ſibi impoſiti ſanctitas, dignitas, majeſtas.

§. V.

Sintne probandæ Cæremoniæ divini hujus ſacrificii?

IS plerumque genius eſt hæreticorum, quod non probant, maledico dente carpunt, & in circulis ſuis vellicant, aut contra detonant in pulpitis. ne omnes producam,

Lutherus etſi non omninò improbet, & à Miſſa abeſſe nolit cæremonias omnes, ait tamen tum eam fore magis conformem conſonamque illi, quam Christus inſtituit, quò ſimplicior ea fuerit, pauciores que cæremonias admiſerit. *L. de capt. Babyl. n c. de Euchar.*

Docet deinde eas ſine fide, ſua nimirum & Lutherana, eſſe potius *irritabula impietatis quàm officia pietatis.* Hæc blaſphema lingua effutiit Lutherus, cui etiam conſonat Calvinus, mali corvi malum ovum. Etſi enim fateatur cæremonias Miſſæ eſſe longè antiquiſſimas, imò cœpiſſe non ita procul à temporibus Apoſtolorum; eas tamen appellat *Rubiginem cœnæ Domini*: dicitque natas eſſe ex quadam prurigine & procacitate humanæ mentis, quæ ſe continere non poteſt, quin in Dei myſteriis, ſacriſque, ludat ac laſciviat. Hæc impio ore evomuit Calvinus, atroque calamo notavit. *Lib. 4. Inſtit. c. 17.*

Sed & alterum eſt, quod Calvino ſtomachum & nauſeam movet: inferri in Eccleſias, in ſacra templorum adyta, in ipſas aras vaſa è puro auro argentoque conflata, non aſpicit æquis oculis: non animo ſuſtinet divitem illam & auream incruenti ſacrificii opulentiam. Ne porrò videatur avaritiæ ſtudio ſacris aris pretioſam illam ſupellectilem detraxiſſe, nudaſſeque auro templa, producit duo loca Sanctorum Patrum, è quibus errori ſuo patrocinium quærere & facere conatur: non facit tamen, ſi ea ex vero ſenſu, genioque authorum examinentur.

Primum eſt D. Ambroſii, qui mellea fortique eloquentia ſic olim ſcripſit. *Aurum Sacramenta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur.* *Lib. 2. Offic. c. 28.*

Alterum eſt Acatii, qui dicitur ſic aliquando locutus: cùm accuſaretur, quod ſacra vaſa in pauperum uſus vendidiſſet, ſubjecit vir pius. *Deus noſter neque diſcis, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit.* *Lib. 7. Hiſtor. c. 21.*

Hæc pro ſua cauſa Calvinus afferre ſe credidit, ut pium illum Eccleſiæ luxum impugnaſſe, imò evertiſſe videretur, atqui ea ipſo ſenſu antiquitatis. Verè tamen non impugnat, nedum evertit; ſed potius tuetur ac ſtabilit; tantumque evincit illud (quod ipſi ultrò concedimus) licere ubi pauperum neceſſitas exegerit, etiam ſacra vaſa conflare ac vendere, quia ea ad ſacrificium omninò neceſſaria non videntur, & ea pedibus ſuis, id eſt, pauperibus ſervire Dominus patitur, imò & amat quàm maximè. Et illa vis eſt, ille nervus Ambroſianæ ſententiæ, ille ſcopus Acatii, ille ſpiritus Orthodoxæ Eccleſiæ, quo afflati hæc dixêre, hæc ſcripsêre Doctores illi & poſteris legenda tradidêre. Atque utinam eodem oculo animoque evolviſſet Calvinus, qui ex illis Sanctorum areolis ac floſculis non mella legit; ſed fel elicit, venenumque exprimit, quo incautum lectorem inficiat ac perdat: ſimilis araneæ, quæ è ſuavi florum gratia atque odore inſulſum & lethale virus colligit, quo muſcas prætervolantes & ſuis laqueis irretitas enecet; ſic iſte leviuſculos animos fucata illa ac mendaci doctrina captos, retinet; & toxico ſuo, non è natura, ſed è fide, Deique ſui gratia, cœlique tabulis tollit.

Omitto illa, quæ contra Eccleſiæ cæremonias, majorumque in iis traditiones agitant evolvuntque hæretici noſtri, torrentis inſtar, in quo certè pugnant cum natura, quæ inſito lumine præſcribit in ſacrificiis aliquos ritus, alios atque alios pro eorum diverſitate aut gentium recepto more. Pugnant cum Antiquitate, quæ cæremonias illas admiſit, imò ſub gravi præcepto etiam Deo Judice, Moyſe interprete, ſibi impoſitas *Cap. 15. 18.* ſenſit, ut videre eſt in libris Numerorum variis *19.* capitibus, quæ pias illas obſervationes ac præceptiones legentibus obvias exhibent. Pugnant & ipſi ſecum, dum modò has, modò illas amandant, non tam ex rationis lege, diviniſque placitis, quàm perverſa ſua voluntate, maledicendi licentia & importuna quadam prurigine Eccleſiæ Romanæ contradicendi. Eam hoc loco fuſè perſequi non eſt animus, tum quia pro mea cauſa loquitur natura, clamat ratio, & ſenſus totius Antiquitatis decertat, tum quia in hoc opere mihi cum ejus farinæ hominibus litem indicendam non putavi, ut qui tantùm ea conſecter, quæ ad mores, vitamque rectè inſtituendam conducunt, & iis prodeſſe poſſunt qui ſacris illis myſteriis à cœlo ſunt deſtinati.

Igitur ut ad rem ipſam propiùs accedamus, animum colliget amicus Lector, advertetque è ſacratioribus cæremoniis, quæ huic ſacrificio adhiberi ſolent, nonnullas eſſe quæ voce ac verbis exponuntur: & hæ pro ſeipſis quodammodo loquuntur, ſeipſæ exprimunt & latentem ſenſum animis vel auditorum vel ſacrificantium immittunt: ideoque de iis parciùs agemus. Aliæ ſunt, quæ in actione aliqua poſitæ ſunt; quæ quia occulta quædam, arcanaque myſteria continent, nec ſub aſpectum ſenſumque cadunt, eas fuſius explicare atque evolvere mihi conſilium fuit: quod ut faciam, à die, loco, aliiſque auguſti hujus ſacrificii circumſtantiis ordiar.

§. VI. Dies

§. VI.

Dies & hora ſacrificii.

DE luce, quam vel maximè ſpectavit amavitque hoc ſacrificium, conſtat inter Authores eam fuiſſe diem ſolis, quam Chriſtiani deinde Dominicam appellarunt. Ejus meminit Scriptura, meminere *Act. c. 20.* viri Apoſtolici. *Una Sabbathi*, inquiunt, *cùm convenissemus ad frangendum panem.* Unam Sabbathi vocant primam Sabbathi Hebræo more, qui Sabbathum pro tota hebdomade recenſebant, & quibus una Sabbathi dicebatur, quæ à Sabbatho prima ſurgebat. In ea primævi Chriſtiani convenire ſoliti ut ſacris intereſſent: & ea fuit omni ævo, omni loco lucis illius religio atque obſervantia: cui aliis in locis acceſſit & Sabbathum, imò & hebdomadæ dies omnis, *Epiſt. 118.* ut teſtis eſt Auguſtinus. Erat nimirum pius ille ardor animorum, qui primis illis Eccleſiæ temporibus eminebat, cùm omnes Chriſtiani diviniore muſto pleni viderentur: quidni enim pleni viderentur? quidni enim pleni eſſent, qui quotidie ad auguſtum Euchariſtiæ poculum, ad ſacram menſam, ad epulum Domini accedebant, ab eoque, altiore quodam ſpiritu afflati recedebant? Viguit illa Chriſtianorum omnium conſuetudo quàm diutiſſimè: nam etiam *Hier. Ep. 28.* tempore S. Hieronymi uſus fuit quotidianæ communionis, tum in Italia, tum in regnis ad Occidentem, incredibili omnium bono ac felicitate: ſed tandem aliquando lapſu temporis, labente etiam ſenſim pietate, ſeſe remiſit illa vis avitæ pietatis, & elanguit æſtus ille animorum: hinc minus frequens eſſe cœpit uſus ſacratioris epuli: & quidem ævo ſuo *Hom. 5. 1. ad Timoth.* teſtatur D. Chryſoſtomus multos communicaſſe diebus Veneris, Sabbati, Dominica, *atque in feſto Martyrum.*

Sed neque hîc ſtetit ille fervor: ita enim ſenſim defloruit pia conſuetudo, ut neceſſe tandem fuerit Eccleſiam decreto ſuo annuam communionem ſancire; adeo refrixerat pietas & imminutus ardor animorum, quibus ſanè (quæ ſumma eſt iniquitas & ſtupor inviſus) minus ſæpè proſpicimus, quam ipſi corpori mox in cineres abituro; huic enim quotidianus conceditur cibus, qui tamen illis negatur. Hinc juſtæ magni Præſulis querelæ, & aculeata D. Ambroſii *Lib. 6 de Sacram. c. 4.* oratio. *Si quotidianus eſt cibus, cur poſt annum ſumis?* Pungit eò loci Chriſtianos, & verò etiam pupugit Sacerdotes, à quibus ea remiſſio devotæ mentis; cùm enim & ipſi refrigerata caritate minus ſæpè ſacrificarent, eorum exemplo & alii ea quoque Sacramenta rariùs uſurpare cœperunt. Ut ſaltem ad prima Eccleſiæ capita, ſacrorum Principes, Sacerdotes, inquam, ea conſuetudo revocetur, à majorum exemplis præſidium, à ratione ſtimulum petam.

Quotidiana illa ſacrificii hujus oblatio videtur ex ipſa Chriſti inſtitutione dimanaſſe; dixit enim diſcipulis ſuis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ poſtrema Domini verba ita excepêre, ut eam ſibi pietatis legem impoſitam crederent, quotidiano ad aram ſacrificio litandi. Sic D. Andreas Chriſti & in vita & in morte æmulator magnificus, cùm ad crucem vocaretur, ait, ſe omni die immortali Deo Agnum immaculatum obtuliſſe: cujus exemplum ſecuti Hierarchæ & Sacerdotio inſtructi, nihil antiquius habuêre, quàm ut quotidie rem divinam facerent. Ut omittam Cyprianos, Ambroſios, alios- *Lib. 7. c. 27.* que ſexcentos; at unum Zenonem Conſtantiæ Epiſcopum præterire non poſſum, de quo Sozomenus teſtatur, quod etſi centeſimum ætatis attigiſſet annum, nunquam tamen neque matutinos, aut veſpertinos hymnos, neque aræ divinæ miniſterium omiſiſſe: non potuit in ſenili frigidoque corpore ſeneſcere aut remitti ſenſus ille pietatis. atque utinam in nobis non intepeſceret aliquando. Certè ſi majorum exempla ſequi lubet, ſi rationem audire, nunquam elangueſcet.

Primùm enim hoc ſuo quaſi jure repetit ipſa conſecratio, qua, interprete D. Paulo, *conſtituitur* Pontifex ac Sacerdos *in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* *Hebr. 5. v. 1.*

Et hinc ad populum emanat, pro eoque militat altera ratio: cùm enim (ut diſertè notat D. Chryſoſtomus) *pro univerſo terrarum Orbe Legatus*, & quaſi *Lib. 6 de Sacerd. c. 4.* deprecator ex ipſa muneris ſibi impoſiti ratione ſit ordinatus, neceſſum eſt ut eo ſeſe onere liberet, agatque quàm optimè omnes officii ſui partes; niſi in populum, in Eccleſiam, in Orbem univerſum injurius eſſe ac videri velit: ita quippè hic de illo queri & expoſtulare poteſt. Quiſquis Pontificia aut Sacerdotali dignitate donatus es, id eſſe te ſcias, quod perituris, aut periculo proximis eſt Servator unus aliquis: tibi mundus omnis incumbit, tibi commiſſa populi ſalus & incolumitas, concredita miſerorum vita, dati libelli ſupplices, quos in ara deponas, & objicias ſupremæ illi menti, à qua miſeriis noſtris modum finéque præſtolamur. Nos urgent ac fatigant effuſæ terris acies, infeſta Martis agmina, diſtrictique enſis fulgor; nos perdit ac vaſtat ſæva lues, fames eviſcerat, exedunt miſeriæ, publicæque calamitates obruunt, ad quas pondus immenſum addit ex ipſis Inferis evocatus Dæmon antiquus animarum prædo: In hac malorum omnium colluvie, pelago dolorum, multaque ſuœſtæ mortis ac noctis imagine, te unum, ô quiſquis es Sacerdos, te inquam unum aſpectat miſella turba, nutans Orbis & propè periturum genus omne hominum: tuam illi opem expoſcunt, fidem implorant, pietatem obteſtantur, ſacrificium expectant, quo placetur iratum Numen, excutiantur parata cœlo fulmina, & ingruentia terris aut etiam Inferis mala ab eorum cervicibus amoveantur. Et certè amoveri poſſunt vel una ad ſacras aras litatione, vel una oblatione Agni immaculati, quem tu pauculis verbis, ut vivæ ac valentis vocis oraculo è cœli regia devocare potes: & illud improbus, durus, immitis generi tuo, tuo ſanguini negandum putas? Non putabis enimverò ſi te eum eſſe memineris, quem te terra cœlumque eſſe volunt. Hactenus pro ſe ſuiſque incolis oravit Orbis, & qui in terris ſpirant mortales: audi & eos qui expirarunt; clamant & illi, eoque altiùs quò profundiùs: Cùm primùm mortale corpus exuimus, à Deo vindice in obſcuros carceres & ex piatorios ignes ablegati fuimus; ibi hæſuri ad extremum debitum, & mirum quantum ab illis flammis arſuri. Earum vim & incendia mitigare, frangere, imò & extinguere potes vel unius oblatione ſacrificii: quod quantum erit beneficium, vel ipſa ſupplicii gravitate, vel ex beatæ æternitatis adeptione metiri potes, cui tu viam aperies & clauſos aditus reſerabis. Hæc in faventes auras, &, ſi pateris, aures tuas & animos emittunt ex ipſis inferis defunctorum parentum & amicorum manes: quos ut audias, ſuadet, imò cogit communis ſanguis, & quæ eſſe debet afflictorum miſeratio, quæ utinam te in dies omninò ſingulos ſiſteret ad aram, vocaretque ad ſacrificium: Quamquam etiam ad illud te invitat ipſa Dei tui reverentia, cultus, gratia, gloria, cui tantum detrahis, quantum huic ſacrificio videberis detraxiſſe. Ac ne meis tantùm verbis credas, quid de hoc ipſo argumento, officiique tui ratione ſenſerit D. Bonaventura, paucis excipe: hunc in modum divinè olim monuit. *Cùm Sacerdos non ex reverentia, ſed ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipſo* *L. de Miſſa c. 5.* *eſt privat Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, & ſeipſum medicina & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates.* Hæc pius Doctor congeſſit argumenta, quibus tuum illud pectus concuteret & ani-

quam in te ſuſcitaret pietatem, de qua hæc calamo noiſſe in præſentia ſuffecerit. Addamus pauca de hora ſacratiſſimæ Miſſæ deſcripta: eſt de hac nonnulla quæſtio & diſſenſio horum temporum ab Antiquitate.

Veteres olim celebrabant Miſſam ab hora tertia, quæ nobis eſt duodecima poſt meridiem, ad nonam quæ ex noſtra ſupputandi ratione eſt ſexta. ſed tum temporis jejunium protrahebatur ad eam uſque horam, occaſumque ſolis hujus, ne mortalem eſcam aſpiceret daretque, priuſquam immortali cœleſtique pabulo refectos eſſet immortalis animus.

Quandoque etiam mos invaluit celebrare poſt occiduum ſolem, idque duobus tantùm diebus; feria quinta in cœna Domini & Sabbatho Sancto: aliàs etiam adulta mediaque nocte, ut in Natali Domini. Modò recepta ea conſuetudo, ut non offeratur ſacrificium niſi ab aurora ad meridiem. Et hæc de tempore ac hora: propero ad locum ſacrificio opportunum.

§. VII.

De templo & loco ſacrificii, reverentiáque ei debita.

INvaluit olim hæreſis Manichæorum, quam deinde ſecuti Meſſaliani, qui templa omnia & altaria execrabantur, contra naturæ & rationis placita, communem propè gentium omnium morem, & ipſa cœli oracula ac præcepta, quæ locum aliquem ſacrificiis offerendis opportunum ſacrumque eſſe voluerunt. Ne omnia conſecter, apud Judæos ea quondam lata lex Deo Judice; ut nemini omnium liceret immortali Deo litare extra eum locum, quem ipſe ſibi deſcripſiſſet.

Deuter. 12. v. 4.

Is porrò primum fuit tabernaculum, una ſacrificii ſedes, quæ tenuit à Moyſe ad uſque Salomonis ædem: ad illud evocabatur quiſquis æterno Numini erat immolaturus: ſecus ſi feciſſet, lata jam è cœlo lege capitia ſupplicium incurrebat: adeo grave fuit extra tabernaculum victimas obtuliſſe. Ab illo deinde erectum templum Salomonis quod ſacrificia, victimas & holocauſta admiſit, publicumque cultum ac immortalis Dei venerationem, ex illo oraculo ad Salomonem, *Elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii*, à quo ita ſacer & religioſus habitus eſt ille locus, ut extra eum Deo ſacra facere nefas eſſet, profanum, hæreticum: inde Samaritani, qui in monte Gariaim templum erexerant, eoque ad ſua ſacra aſcendebant, pro hæreticis vulgò reputati.

Levit. c. 17. v. 3.

2. Paral. c. 7. v. 2.

Joſeph Lib. antiq. c. 7.

Rationes divinæ illius inſtitutionis, in oculis, in manibus ſunt.

Una ducitur ex ipſo naturæ ſenſu & ingenita quadam animorum conſenſione: dum enim ſtatuta ædes ſacra, ad quam ſæpiùs convenirent Judei, ſimul conſultum eſt conjunctioni animorum & fraternæ caritati, quæ fovetur & augetur illa unius ejuſdemque templi communione: nihil enim magis favet amicitiæ, quàm frequens illa conſuetudo, de qua antiquum illud & verum pronuntiatum. *Melior eſt vicinus juxta, quàm frater procul.* Ideoque, ut inquit Ambroſius: *Amici plerumque ſe benevolentia quiſque committit, quàm fratris neceſſitudini: tantum valet benevolentia, ut plerumque pignora vincat naturæ.*

Prov. 27. v. 10.

Ejus cauſa in promptu eſt; illa videlicet neceſſitudo, quæ à loci vicinitate & frequenti congreſſu peti ſolet. Ut enim ad diſſociandas amicitias multum poteſt loci diſtantia, juxta vulgatum illud, *Non ſunt amici qui procul rus incolunt*; ita ad integrandas firmandáſque confert plurimum ejuſdem loci communio, quam Judæis eſſe voluit Deus, ut eſſet inter eos ſicut templi, ita & animorum unio. Altera divinæ hujus legis ratio fuit, ut ſacrificiis uno in loco præſtita, Deum unum loquerentur. *Unus Deus*, inquit Philo, *nonniſi unicum ſibi dicari poſtulare videtur*, L. 2. de Monar. b.

Acceſſit & aliud pondus à nativo Judæorum ingenio: erant illi pro ingenita ſibi levitate faciles, imò præcipites ad idololatriam, in quam proni abiiſſent ſi diverſis in locis Deo ſacrificaſſent.

Et hæc pro Judæis militabat ratio; alia Chriſtianis imponitur: non arctantur illi intra tabernaculi unius templique anguſtias; ſed Orbe toto ſacras ædes & ſuperis, & immortali Deo erigunt, ut locus omnis pietatem ſpiret ac religionem: ut publico ac ſolemni ſacrificio Numen Æternum colant; non ter in anno, ut olim Judæi, ſed in dies ſingulos, dum ubique ferè locorum occurrunt templa, quæ bonas mentes muneris ſui moneant & provitent ad quotidiana officia pietatis.

Ex quibus conficies, quos ob fines extruantur ſacratæ ædes, quæ ſicuti quatuor nomina ſortiuntur, ita & quatuor fines obtinent.

Unus eſt ad ſacrificandum Deo: & hinc dicuntur templa.

Alter ad orationem & pios æſtus devotæ mentis: & hinc audiunt oratoria.

Tertius ad Martyrum reliquias, exuvias magnarum mentium, religioſè aſſervandas: & ab iis inſcribuntur baſilicæ.

Quartus denique, ut in iis Dei verbô & Sacramentis alatur ac reficiatur populus: & ab illa eſca ſpirituali Eccleſiæ ſunt, & nominantur. Videri poteſt de hoc argumento Bellarminus: ego interim ad alia propero fingendis probè moribus opportuna; & in templis quatuor à Liturgis ac Chriſtianis requiro animi munditiam ac nitorem, reverentiam ſingularem, eximiam modeſtiam, corporiſque, oris, ac geſtuum omnium compoſitionem; denique & altum ſilentium.

Tom. 2. l. 3. de cultu SS. c. 4.

Ad illam arduæ mentis puritatem revoco morem illum antiquum, quo majores noſtri ante fores & templorum veſtibula cantaros & ſalientes aquas habere voluerunt, quibus oraturi & templum ingreſſuri manus lavarent.

Manavit ea conſuetudo à Judæis, Legiſlatore Moyſe, cui præcepit Deus ut labrum æneum conficeret, quo Aaron & filii ejus pedes abluerent, non corporia tantum; ſed & animi, ejúſque quàm maximè: quia ut diſertè Tertullianus, ſeverus morum cenſor: *Quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſed ſpiritu ſordidato orare?* Nulla enimverò eſt ratio: ut proinde exſibilandus videatur Saladinus, qui capta Jeroſolyma & Chriſtianis ſuperatis, cùm ex omnibus piis locis unum Salomonis templum reſtare voluiſſet, in illud ingreſſurus aqua roſacea ſeſe laviſſe fertur: ea quidem corpus elui, manus olere potuerunt; at animus ſordere potiùs ac fœtere. Sed de hoc infrà latiùs, ubi ex profeſſo quæram de ſacro ritu lotionis manuum ante ſacrificium; hîc innuiſſe plus ſatis.

Exod. c. 30.

De Or. c. 11.

Eundem animi nitorem teſtatur nivea illa veſtis, qua olim & etiamnum linteati ac candidati ad aras procedunt Liturgi: monet illa, ut quæ corpori, eadem animo aptetur veſtis. Beatas mentes ac cœleſtes genios amaſſe legimus hanc indumentia ſuis nivem, ſi quando mortalibus oculis mutuato ad tempus habitu, apparuerunt: eſt nimirum ille color conſentaneus & cœlo & cœleſtibus incolis, quos & natura, & gratia, & gloria puriſſimos fecit ac beatæ æternitatis candidatos: & eos amat Eccleſia, amant Sancti Patres, imprimiſque D. Gregorius Nazianzenus, qui candidata illa miniſtrorum agmina ita eleganter metro depingit.

Veſtibus in niveis aſtabat turba miniſtra,
Splendorem referens agminis Angelici.

Venio ad reverentiam ſacris locis debitam, eamque tum ex ipſorum Gentilium recepto more, tum è ſingulari primorum Chriſtianorum demiſſione colligo.

Apolog. 2. p. 74. Gentiles certè, ut mihi teſtis eſt Juſtinus Martyr, ingredientes in fana ſolebant calceos deponere: audierant nimirum illud quod olim Moyſi divinum Numen, *Solve calceamenta de pedibus tuis*: cujus ratio deinde ſubjiciebatur, Locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt: audientes illius oraculi, ea quadam templorum veneratione; & ſacri aditus reverentia calceos ponebant, unaque faſtum omnem & pravas animi affectiones abjicere ſe velle teſtabantur.

In c. 3 Exod. Idem Lyrano teſte fecêre Saraceni, qui prima templorum limina nonniſi nudis pedibus attingebant. Alii templorum aditus religiosè ſalutare: hinc illud Plauti. *Limen ſuperum inferumq́, ſalve ſimul & vale.* Alii denique templorum veſtibulis non ſolùm figere oſcula; ſed & capita attundere: quo alludit illud Tibulli:

Non ego ſi merui dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus:
Non ego tellurem dubitem perrepere ſupplex,
Et miſerum ſanctis tundere poſte caput.

Ethnicis addi poſſunt & Judæi, apud quos tanta fuit illius templi, quod à Salomone perfectum eſt, obſervantia, ut ne parietes quidem contingere po-
Orat. 29. pulo licuerit, ut mihi author eſt D. Gregorius Nazianzenus; eamque ob cauſam alii parietes veluti profani ædificati ſunt, qui ſacros illos attingerent.

Similis aliqua, ſed pia magis ſacrorum locorum veneratio primos Chriſtianos occupavit: quorum religio ante ipſum templi aditum devota quadam demiſſione prælucebat: ſolebat enim ad illius limina procumbere, deoſculari, & preces inibi fundere: quorum morem, cultumque reverentiæ pleniſſimum aliè prædicat os aureum: An non videtis, inquit, *Quot homines templi hujus veſtibula oſculantur? Hi quidem pronis capitibus abjecti, alii verò manu contingentes, tum eandem admoventes ori?* Neque mihi dixeris eam infimæ plebis devotionem fuiſſe: ſed & è curia purpuratos, & è ſacro Pontificum cœtu infulatos, & primis in Orbe dignitatibus illuſtres id officium pietatis uſurpaſſe noveris: de his & illis canit Prudentius.

Ipſa & ſenatus lumina,
Quondam Luperci & flamines,
Apoſtolorum ac Martyrum
Exoſculantur limina.

Imò, quod in ampliſſimo totius Orbis dominatu, quod in purpura ſceptroque ſuſpicias, eò Auguſti venêre religionis, ut ſibi multum honoris ac gloriæ datum exiſtimarent ſi ad ipſa templorum veſtibula, glorioſos cineres & ſanctarum mentium exuvias poſuiſſent, & in iis ſepulchrum inveniſſent.

Appello Auguſtos manes, duo Orbis Chriſtiani lumina, Conſtantinum & Conſtantium: de quibus diſerta lingua ita ſcribit Orator aureus.

Conſtantinum magnum magno ſe honore affecturum exiſtimavit ejus filius Conſtantius, ſi in veſtibulis collo-
Hom. 26 in 2. ad Cor. *caret piſcatoris, ut quod in regiis janitores ſunt regibus, id in ſepulchris reges ſint Piſcatoribus. Et illi quidem veluti ipſius loci Domini intus habitant: hi verò tanquam accolæ ac vicini præclarè ſecum agi putant, ſi janua ipſis aſſignetur veſtibularis.*

Hactenus Chryſoſtomus, ex quo duo conficies in Logica Chriſtiana benè peritus, Piſcatorum veſtibula eſſe præſtantiora quàm ſint Imperatorum palatia.

Alterum, quæ ex Cæſarum Orbiſque ſenſu debeat eſſe intima penetralium & templorum religio, ſi tanta eſt veſtibulorum reverentia.

Tranſeo ad aliud, quod & ſacrorum miniſtris, & Chriſtianis omnibus velim eſſe commendatum: eſt illud eximia quædam in templis modeſtia: eam prodit externa ac decens corporis compoſitio, cum quadam geſtuum ſuavitate ac gravitate, quæ & cuſtodes Angelos deceat, & Deum intimè præſentem ſuſpicere ac revereri videatur. Eam unicè amarunt Sancti Patres ac religionis noſtræ Præſules: quos inter Liberius ſummus Pontifex, cùm in frequenti lectiſſimaque procerum corona, B. Marcellam D. Ambroſii ſororem caſto velo inumbraret, inter alia religioſæ vitæ morumque documenta. & illud inſcripſit, ne ſpuendum, ne tuſſiendum, ne ridendum in iis locis, in quibus ſacratioribus cæremoniis Deus coloretur. Hoc fuit tanti Pontificis oraculum dignum cedro. *Tu in miniſteriis Dei gemitus, ſcreatus, tuſſes, riſus abſtine.* *D. Ambroſ. l. 3. de Virg.*

Hoc fuit effatum religioſi Præſulis, quod S. Ambroſius ad omnem poſterorum memoriam ſcriptis mandavit. Ab illo abſunt longiſſimè hac ætate noſtra plerique; quos ideo credas adiiſſe ſacra templorum adyta, ut in iis graveolenti ſtomachi ſentinam & cloacam exhauriant atque exonerent, & qua indecenti ſcreatu, qua tuſſi impotentiore, parietum latera fornicesque quatiant & propè lacerent: ii verò quàm maximè, qui in ſacris officiis inſolenti riſu labra diſſolvunt, omnemque, quæ eſſe debuit religionem peſſundant: Et hinc deſcendo ad poſtremum, de ſilentio in ſacris ædibus religiosè ſervando.

Fuit illud Pythagoreorum, Ægyptiorum & ſapientum omnium dogma; Deum ſilentio colendum eſſe. Ut enim eleganter Eunapius, *Silentium myſteriis congruum, & ſacrorum Præſide digna taciturnitas.* *In Ædeſ.* Et eò quidem ut Valentinianis hæreticis ſilentium dictum ſit veluti fons & caput divinitatis: aiebant enim ex Bytho & ſige hoc eſt ſilentio, aliorum omnium Deorum ſobolem natam eſſe: Malè illi quidem ad religionem & fidem veri Numinis; verùm ad propoſitum meum non omninò malè: melius tamen Propheta David, qui unà & ad Dei laudes & ad ſilentium evocat. *Te decet*, inquit, *hymnus Deus in* *Pſal. 64.* *Sion*: vel ut vertit S. Hieronymus. *Tibi ſilentium laus Deus in Sion*: ut ex eo intelligas eximium quoddam eſſe laudis genus animi oriſque ſilentium; ad quod ut invitarent Antiqui, in templis expreſſam ſilentii imaginem erexêre. Videri poteſt de hoc argumento Myſtagogus Ludovici Creſſolii, opus ſanè doctum, varium, pium. Ego hìc ex illo aliiſque pauca delibavi, & veluti in faſciculum collegi, ut tibi ex eo amplam meritorum gloriæque coronam nectas, quam efferas in templo adeptæ quondam beatitatis.

§. VIII.

De ſitu Templorum ad Orientem.

EX antiqua Eccleſiæ ritu atque inſtituto templa ſic extruuntur ut Solem aſpiciant Orientem: in quo diſſentit à Synagoga Judæorum & Salomonis æde, in qua locus ille, qui dicebatur *Sancta Sanctorum* vergebat ad Occidentem. *Exod. c. 8.*

Ejus ratio alia atque alia proferri ſolet: D. Thomas Angelicus Doctor duas ponit.

Adoratio, inquit, *ad Occidentem fuit introducta in lege ad excludendam idololatriam, nam omnes Gentiles* *1. 2. q. 102. art. 4. ad 5.* *in reverentiam ſolis adorabant ad orientem.* Ne in eò oraturi Judæi conſentirent, ſolem ipſi ſpectabant Occidentem.

Subjicit deinde cauſam aliam è figura typoque petitam: *Quia totus ſtatus priſci teſtamenti ordinabatur ad ſignificandam mortem Chriſti, quæ figurabatur per Occaſum.*

Hæc S. Doctor, ut probet non ſine rationis nutu legeque factum, ut Salomon Sancta Sanctorum direxerit ad Occidentem.

Quod ſi quis dixerit eò reſpexiſſe, quò unà cum antiqua lege ac Synagoga occidere debuerit, non erit à myſterio vacuus, à ratione alienus.

Chriſtiani jam inde à naſcente Eccleſia ſecus omnino fecerunt; cenſuerunt enim quantum loci natura

paieretur, enitendum ut ſtare tenderet ad Orientem: cujus inſtituti cauſas hîc inquirimus. In iis olim ſudavit pius ſanctorum labor, & authorum plurimorum doctæ commentationes.

D. Baſilius antiqua Chriſtianorum conſuetudine receptum ait, ut orationem facturi ſeſe vertant ad Orientem, eumque animo & oculis uſurpent: ut hac corporis compoſitione & luminum conjectu innuant ſe requirere & aſpirare ad primas ſedes, ad antiquam patriam, ad Paradiſum terreſtrem, è quo hominis unius noxâ exciderunt.

Erat ille in Eden ad Orientalem plagam, ad quam anhelat meos pia, patriæ amantior. Ita plerumque ſolent peregrini & exules converſo tramite lumina retroflectere, & in patrias ſedes oculos, unaque & animos conjicere, ſeſeque vel illo aſpectu ſolari: vel ad repetendos patrios penates excitare.

Gen. c. 47. Ita quondam Jacob emoriens languidulam cervicem, natantes in morte oculos, caputque grave & annoſum convertit ad lectuli caput, quod erat ad Orientem, flectebatque in terram promiſſam, cui exules Hebræi ſeſe, adorantes, inclinabant; tum ut illius memoria in oculis eſſet, tum ut exilii, malorumque incumbentium molem ſuaviſſimo hoc patrii cœli ſolique aſpectu levarent. Et hæc ratio ducitur è natura & amore patrio.

Aliam ad mores vocat S. Auguſtinus; cenſet enim ad Orientem vel ipſo duce oculo precantes rapi. quod Oriens vulgata hominum opinione cæteris Orbis partibus præſtet: eoque tacitè monemur optima quæque ac præſtantiſſima in Dei honorem cultumque deſtinare.

Huic affinis eſt ratio quam de hoc inſtituto extulit S. Athanaſius. Admonemur, inquit, nos convertere ad excellentem naturam: ea porrò eſt Oriens, utpote lucis regio, Solis thalamus thronusque, & ſurgentis Orbis oculus; cùm è contra Occaſus noctis ſit ſedes & plaga tenebrarum: ab hac jubemur diſcedere, ad illam accedere non ſine myſterio.

Interprete Propheta regio peccator eſt in Occidente, Deus autem in Oriente. Illic olim fuit Saulus de quo D. Auguſtinus. *In Occidente vetus, in Oriente novus; in Occidente Saulus, in Oriente Paulus.* Hom 14. inter 50 Ideoque neceſſum fuit, ut Chriſtus, qui ſurgebat in Oriente, valido clamore geminaret illas voces *Saule, Saule*: quia Saulus erat in Occidente, à Chriſto, à luce, à ſole ſuo quàm longiſſimè diſſitus: ab eo revocatus eſt in Orientem, & qui in Occidente vetus, in Oriente novus fuit, qui in Occidente Saulus, in Oriente Paulus audiit.

Ut ii quoque nos audiamus, abeamus quàm longiſſimè ab Occidente, convertamur ad Orientem: ita monet, ita urget Auguſtinus. Avertere, inquit, ab Occidente, convertere ad Orientem: ita longè Pſal. 102. v. 12. ante monuit Jeſſæus Vates: *Quantum diſtat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras*: Sed hæ rationes etiam Judæis communes fuere; demus alias, quæ propiùs ad Chriſtianum inſtitutum accedant.

Nos, qui à Chriſto Chriſtiani dicimur & ſumus, ad Orientem vergere debemus: quia ex verò Chriſtus eſt Oriens. Teſtor Zachariæ fidem & oraculum. Hic inter alia magnifica, auguſta, divina Meſſiæ nomina, reponit illud: *Oriens eſt nomen ejus.* Cap 6 v. 12. Et ipſe de ſeipſo extulit illud Servator: *Ego ſum lux mundi*; eam ſpectamus, dum Orientem aſpicimus & ab illo lucem aliquam diviniorem, quæ non oculis, ſed animo appellat.

Accedit & alia ratio index amoris, teſſeraque divinæ in nos charitatis. Si nonnullis credimus, in cruce moriens Salvator averſa facie fuit à Jeruſalem, averſa etiam ab Occidente; converſa verò ad Orientem, ut jam inde benignis oculis annueret Orienti, ejusque incolas ad ſuaviſſimos brachiorum amplexus, ad oris baſia vocaret: & quia Chriſtianus quiſquis eſt amat illos amplexus Dei ſui morientis, & cum ſponſa ingeminat illud amantium. *Oſculetur me oſculo oris ſui*; ideo flectit oculos ad Orientem, ut ad Chriſti Crucem, amabilem illam faciem, conniventes in morte ocellulos, amoris amplexus, charitatis baſia aſpiret. Et illa à Cruce morteque Liberatoris noſtri mutuata ratio: hæc ab ejus in cœlum aſcenſu; cùm enim è terris viam ſibi ad ſuperos faceret, ad Orientem Solem elevatus eſt, eoque converſi diſcipuli Magiſtrum ſuum ad Orientem adorarunt; & inde manavit in Eccleſiam pia illa conſuetudo, ut qui vota preceſque Deo fundit, vultum & oculos vertat ad Orientem, & animo Chriſtum ſequatur, ad cœlum & ſuperos toto cordis impete anhelet.

Denique pro coronide poſtremam hujus aviti ritus cauſam affert D. Damaſcenus, quod Chriſtus, cui ab Æterno Patre datum eſt in mortales judicium, venturus ſit ab Oriente. Ita quondam inſinuaſſe viſus D. Matthæus: dum enim ultimam illam perituri Orbis periodum legit, & Judicis adventantis ſpeciem exhibet; cum componit cum fulgure, quod evicta, diſruptaque nube, ingenti niſu erumpit, evolat ab Oriente, & ſumma montium terrarumque juga concutit repletque immani gemitu atque horrore. *Sicut fulgur exit ab Oriente, ita erit adventus filii hominis.* Matth. 24. Et quia hunc in ultima mundi ſcena, in qua vertitur cardo longiſſimæ æternitatis, nobis propitium eſſe volumus, ideo preces ad Deum fuſuri declinamus ad Orientem, tum ut etiam vivi ac ſpirantes in medio vitæ curſu meditemur, & æqua lance pendamus ſupremum illum Orbis actum; tum ut illius probè memores ita vitam omnem exigamus, ut eò loci ac temporis ſalus nobis in tuto ſit.

Ecce quàm variæ, quàm piæ hujus inſtituti rationes, quàm provida Mater Eccleſia, quæ ex ipſo templorum ſitu, tot myſteriorum nos admonet.

§. IX.

Sanctorum Nomini templa inſcripſit tota Antiquitas.

SUccurrit hîc una difficultas, quam Bellarminus aliique tractant recepto in ſcholis more ſtyloque: ego iis omiſſis reddam, quæ ſacro ſufficiant oratori.

Obganniunt Hæretici & Catholicis obſtrepunt vel eo nomine tantùm, quod templa ſoli Deo dicanda, etiam hominibus & puſillis mortalibus ex eodem nobiſcum luto malè compactis erigantur: in quo nos arguunt idololatriæ: videamus an rectè.

In ea quæſtione, quæ nobis cum hæreticis intercedit, fatemur ingenuè cum D. Auguſtino templa ſoli Deo extrui: & hoc docet natura, ratio probat; ædificantur enim templa, ut in iis ſacrificia fiant, ea porrò uni Deo deferuntur.

Sortiuntur tamen à Sanctis aut virgine Deipara appellationem, tum ob ſacram eorum memoriam, imagines, reliquias, apparitiones quæ ibidem aliquando contigerunt, tum etiam ob eorum apud Deum patrocinium.

Et ne illud hujus ævi figmentum clamites, Hieronymum audi: urſit ille quondam Vigilantium, & Lib cont. Vigil. modò teipſum perurget. *Ingredere*, inquiebat, *baſilicas martyrum, & aliquando purgaberis*, à tua hæreſi, & perverſis opinionibus, poſtquam ibi pios manes, ſacroſque cineres colueris.

Eòdem te vocat Auguſtinus: dum enim ait, *Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat*; unà etiam te monet, ut & ipſe L. 20. cont. Fauſtum c. 21. concelebres, niſi cum Fauſto, quem ibi arguit, Chriſtianus eſſe & haberi deſieris, veluque pugnare cum tota Antiquitate, quæ appellationem & nomen templia

templis indidit à ſanctorum memoria & religioſa ſolemnitate, quàm vides non eſſe hujus temporis, ſed jam inde ab ipſa Eccleſiæ infantia uſurpatam.

Et quia non minus exemplis, quàm verbis tuta eſt fides, tibi produco naſcentis Eccleſiæ lumina, fidei morumque magiſtros: quid illi?

D. Jacobus major, Beatæ Virgini, quæ ſibi in columna juxta fluvium Iberum apparuerat, templum ædificavit; & hoc quidem annuente, imò jubente ipſa Virgine Dei Matre, quæ tamen adhuc agebat in vivis: quod Deiparæ Jacobus ejus amans in pau-
Baud. 25. April. cis, hoc S. Marcus Evangeliſta D. Paulo Apoſtolorum Principi, adhuc inter mortales agenti, cui Alexandriæ ſacram ædem dedicavit.

Ecce quid ſenſerint, quid egerint primipili Eccleſiæ, Orbis columina, religionis & fidei ſatores: quos erroris arguere, non dico temeritatis, ſed & profligatæ erit amentiæ. Ab illis hausêre poſteri quidquid in eo genere oſtendêre pietatis

Silveſter, magnus omninò Pontifex, baſilicas à Conſtantino Imperatore ſumptu planè magnifico extructas Divis Petro & Paulo dedicavit. Damaſus Beato Laurentio, invicto Martyri. Liberius Virgini Matri. Innocentius Sanctis Gervaſio & Protaſio, fortiſſimis Eccleſiæ pugilibus. Alii aliis ſacras ædes inſcripſerunt, prout occaſio pietaſque tulit; quam maledico dente carpere, in circulis vellicare, calamo notare, indoctum, inſulſum, impium eſt: ſed ne longiùs ſtylum ducamus in argumento ſatis obvio: pauca de altaribus ſubnectamus, ut ſua illis ſtet religio ac reverentia.

§. X.

De Altaris nomine, materia, conſecratione.

DE altari prima quæſtio erit, quid nominis; altera quid rei: à qua veniemus ad illius authorem, materiam, conſecrationem ac cultum.

Feſtus opinatur altare dici ab altitudine: veteres enim Diis ſacra faciebant in ædificiis à terra ſublimibus ac elatis; hoc fortè conſilio, ut in iis quiſquis litaſſet, alto ac ſublimi eſſet animo, nec terris abjectus adreperet.

L. 15. Etym. c. 14. Iſidoro appellatur altare, quaſi alta ara, in qua victimæ authori rerum omnium Deo immolabantur. Unde altare Hebraicè vocatum eſt *Mizbeach*, à radice *zabach*, hoc eſt mactavit, quod altare ſedes eſſet, in qua animalia mactabantur.

Nominabantur autem ara vel ab ardendo, quod in ea arderent victimæ; vel à precibus, quas Græci ἀρὰς appellabant, conſona omninò voce, quia orario ab ardore, ab igne devoti pectoris calere & ardere debet.

Hic velim pedem oculumque figat quiſquis ad altare aſcendit; legat ille quid in eo nominis, quid in ſe ardoris: derivatur ara ab ardendo. Ardeat ergo quiſquis aræ ſit proximus, calcat æſtu devotionis, æſtuet igne caritatis. Hoc enim vel ipſa nominis ſui etymologia tacitè monet & urget ara.

Et hæc de voce diſceptatio: de authore etiam ſtatis. Qui primus altare extuliſſe legitur, is fuit Noë: terris & ſibi à diluvio redditus *ædificavit altare Domi-*
Gen. c. 8. v. 20. *no*: quamquam & veroſimile ſit etiam Abelem alioſque in altari ſacrificium obtuliſſe, licèt ejus Scriptura non meminerit. Sed ad rem ipſam tranſeamus.

Altare ex uſu Eccleſiæ, & decretis ſummorum Pontificum, ſolidum ſit oportet, non inane & concavum; lapideum ſit, ſacroque chriſmate delibutum ac conſecratum: quæ cauſa?

Inter altare veteris & novi Teſtamenti hoc intereſt, quod illud intrinſecus eſſet inane & concavum, atque è terra, vel rudi & impolito lapide; hoc autem ſolidum & politum. Cur Divina Providentia hoc inter utrumque diſcrimen eſſe voluit?

Hæc olim de altari lex. *Altare de terra facietis mihi.* Cur, inquies, è terra, ex opere lateritio? Hic labo- Exod. c. 20. v. 24.
rat gemitque Rabbinorum induſtria, & in ſuas quiſque flectitur opiniones.

Rabbi Abraham ait altare ferro aut ſcalpello non attingi, quia nefas erat partes ferro abraſas in terram excidere, tanta ſacris aris inerat reverentia.

Rabbi Moſes, ne ex fruſtris ſacratiorum lapidum ſimulacra ſibi fingerent idololatræ, iiſque ad magicas artes abuterentur.

Rabbi Simeon ideo credit ferrum ab altari removeri, quòd hoc propagandæ hominum vitæ erectum ſit, illud autem maligno Mortalium ingenio inventum ut ætatem ac vitæ filum impreſſa vi reſcinderet.

Huc etiam ſpectat illud, quod in templo Salomonis nullus omnino fuerit ferri uſus. *Malleus &* 3. Reg. c. 6. v. 7.
ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cùm ædificaretur.

Sapientis id conſilium fuit, ea ratio, quòd ferrum ad hominum perniciem ac cædem comparatum divino cultui ſervire non debeat: quod ipſum advertiſſe videntur Ethnici, quorum ea lex teſte Tullio. 2. de Legibus.
Æs & ferrum aceto à delubris, ut duelli inſtrumenta, non ſunt.

Eòdem ferè collimat Plutarchus, qui ait templa In civil. Inſtit. quædam fuiſſe, in quæ ingredientes aurum omne relinquebant, ſi quod fortè ſecum haberent; ferrum autem nulli in fana introeunti permittebatur: ſapienter omnino conſtitutum, ut potentiſſima duo vitiorum inſtrumenta tollerentur; illud avaritiæ, hoc immanitatis.

Malunt alii tum temporis altaria è terra, vel in- Serrarius in Ioſue c. 8.
ſecto lapide erecta, ne ſi è polito marmore, ex argento auroue conflata eſſent, ut apud Gentiles motis erat, Judæi ad idola faciles ac proni deflecterent: & illa ex inconſtanti Judæorum ingenio hauſta videtur ratio; hæc ex ipſorum ſacris.

Voluit amabilis Dei providentia altare ſibi tum fieri è terra, vel rudi lapide, ut vel hoc uno innueret antiquæ legis ſacrificia ac victimas rudes fuiſſe, & velut informes typos illius ſacrificii, quod in nova lege, vel in ara Crucis, vel in altari erat offerendum.

Eòdem revocari poteſt & illud, quod olim altare inane eſſet ac vacuum, modò plenum ac ſolidum; cujus rationem inveſtigare noſtri eſt inſtituti, cùm illæ vel ad dignitatem ſacrificii, vel ad mores ritè componendos plurimum conferant.

Primùm igitur altare lapideum ſit oportet ex inſtituto Silveſtri magni Pontificis, tum quia Chriſtum refert & excipit, qui Apoſtolo interprete *Petra eſt*: 1. Cor. c. 10.
tum ut ævum ſuſtineat, tempuſque longiſſimum; tum denique ut doceat Sacerdotes, qui in eo ſuperis Deoque litant, debere eſſe ſolidos, firmos, & adverſus inſultantes hoſtium impetus obduratos; non autem molles, & in malum flecti faciles, non etiam terreos & leviuſculos, qui pulveris inſtar quavis aura circumferantur: hoc enim alienum eſt à petra, è qua exciſi ſunt, Chriſto, cui quodammodo congeniti.

Sit deinde altare è polito lapide, qui hujus ſacrificii nitori, elegantiæ, dignitati ſerviat, doceatque ſacrificantis animum terſum, mundum, politum eſſe oportere.

Sit denique conſecratum: conſecratur autem non tantùm Sacerdotali benedictione, ſed & oleo ſacro, & mictione Chriſmatis: qui ritus jam inde à ſæculis, à Jacobo Patriarcha dimanavit.

Horrebat ille atroces fratris ſui minas & crudeles iras, quas dum fuga declinat, feſſus de via obdormit: dormienti ac ſopito objecta ſcalæ ſpecies, quæ imò pede terram, ſupremo vertice cœlos attingebat; per eam ibant, redibantque veloces Angeli: quos dum

occluſis

occluſis à ſomno ſenſibus, ſed aperta vigilique mente contemplatur Jacob, ſibi tandem ab alto ſopore
Gen. c. 28. v. 17. reſtitutus, exclamat: *Quàm terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli.* Tum deinde ut perennis foret lucis illius, objectæque ſpeciei memoria, lapidem, cui indormierat, erexit in titulum, ex quo manavit in poſteros ea communis appellatio, qua primævi Chriſtiani Eccleſias à ſe erectas titulos nominavere, à titulo, hoc eſt ſigno Crucis, aut ſancti nomine, cujus honori eas inſcripſiſſent. Ita Eccleſia S. Praxedis vulgò dicitur titulus S. Praxedis, & ſic de aliis, à quibus ipſi Cardinales Eccleſiæ Principes ſibi nomina titulosque fecere.

Meritò lapidem illum Jacob erexit in titulum, hoc eſt monumentum accepti beneficii, tum quia lapis ille amabili Dei providentia ſtetit in monte Moria, monte Calvariæ, in quo futuro quondam ſacrificio præludebat Deus. Primùm enim in eo, ſi Rabbinis credimus, curſus Abel prima cœlo victima: tum in eo ſtetit Abraham, & innoxius Iſaac genua poſuit, ſertoque caput ſuppoſuit; tum denique in eo obdormivit Jacob, ut jam inde portenderat aliquando fore, ut in eo obdormiret, oculosque dura morte clauderet Jacobo potior Dei Filius. Chriſtus JESUS.

Acceſſit & altera ratio erigendi lapidis in titulum, in monumentum divinioris ſolennii: eſt enim ea Hebræorum opinio Jacobum tres ſibi lapides extuliſſe, & capiti ſuppoſuiſſe, ac deinde ſtupendo miraculo factum, ut illi in unum, eundemque lapidem convenerint: quod ſi ita eſt, ſymbolum aliquod fuit Triadis & unitatis; Triadis perſonarum, & unitatis naturæ: ſicque primus titulus, primum altare authore Patriarcha Jacob Deo uni & Trino erectum fuit.

At quomodo, inquies, erectum? Qua ratione? Quo ritu? Evigilans ab myſtico illo ſopore Jacob, ex urbe *Luzan*, quæ deinde ab eodem *Bethel* audiit, oleum extulit, lapidem imbuit, eaque unctione Deo ter Opt. ter Max. ſacravit.

Ab illa die, ritúque ſacratiore fluxit in Eccleſiam pia illa conſuetudo, ut altaria ungantur oleo, ab eoque ſanctitatem ac reverentiam accipiant: quod
Can. omnes de conſecr. d. 1. deinde etiam abiit in præceptum, adeo ut nefas & lethale ſcelus habeatur celebrare ſine altari hac ſacra cæremonia conſecrato.

Eſt porrò oleum illud & unctio, ſignum aliquod ſpiritualis pinguedinis, ſymbolum eſt gratiarum, quæ ab altari in nos effluunt; ſi tamen ii ſumus qui eſſe debemus ſi nobis cor, amoris ſedes, altare ſit, ſi manus bonorum operum effectrix ac magiſtra pro altari ſtatuatur.

Metaphraſ. 7. Ian. Dicitur olim B. Lucianus in carcere uſus ſuo pectore pro altari; quo in iis anguſtiis carebat.

Niceph. l. 8. c. 31. Dicitur & Theodoretus Cyri Epiſcopus manibus Diaconorum pro altari uſus. Et huic & illi venia danda. Erat enim B. Luciani pectus altare vivum ac ſpirans, erant innoxiæ Diaconorum manus nobilia quidem altaria, ſed plena ſpiritu ac vita altiore: atque utinam nobis eſſent eæ manus, in quas toties illabitur evocatum quodammodo cœlo Numen, Deus homo: id, eſſet pectus, in quo ut ara nobiliori quieſcit auguſtum & divinum Chriſti corpus; è quo manat oleum devotæ mentis ac miſerationis.

CAPUT VIII.

De Cæremoniis Miſſæ, iis præſertim, quæ in actione conſiſtunt.

§. I.

Iejunium naturale.

PRiuſquam agam de ritibus, ſacriſque Miſſæ cæremoniis, erunt nonnulla præmittenda de jejunio naturali (id eſt dici integræ à media ſcilicet nocte, ad uſque tempus & horam ſacrificii) quod à ſacratioribus Myſtis exegit Eccleſia.

Ei certè reclamat Lutherus, aitque eſſe articulum Papæ, & Papiſtas merè fatuos & ſtolidos appellat, qui jejuno ſtomacho ſynaxim percipiant, vultque liberum cuique videri & eſſe: hæc ſunt Lutheri ſcommata. *Nos autem illos merè fatuos & ſtolidos appellamus, & communionem liberam habemus ſive per diem, ſive per noctem; ſive manè, ſive veſperi: apud nos non peccat qui modeſtè ederit aut biberit antè communionem.* Lib contra R. g. Angliæ.

Quis autem cenſendus ſit modeſtè ediſſe aut bibiſſe, explicat in libro de formula Miſſæ, dum ait: Ne quia crapula ructet, aut diſtento ventre pingueſcat. Hæc illi modeſtia eſt & ſobrietas ſacris epulis prævia: in qua præceptione rigidus ſibi viſus eſt interpres & Doctor, ut qui plerumque & infamem crapulam eructaret, & dilatato ventre non ſaginari modò, ſed propè crepere rumpique videretur.

Ne porro videatur Lutherus id ſine ratione jactaſſe, erroris ſui patrocinium ſumit ab exemplo Chriſti, qui & Sacramentum hoc inſtituit & ſumpſit ipſe, imò & diſcipulis ſumendum obtulit etiam poſt cœnam, & liberalem quidem.

Ut huic argumento fiat ſatis, primùm id ſtatuimus: Non omne Chriſti exemplum etiam nobis in exemplum trahi, multoque minus in præceptum, Chriſtus prius circumcidi voluit, dein à Joanne baptizari; an ideò rectè conficies Chriſtianum primò debere circumcidi, deinde baptiſmi aquis ac fluentis elui?

Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit ac diſtribuit poſt cœnam typicam & eſum Agni Paſchalis; an hinc in Chriſtiana logica concludes etiam typicam illam & Paſchalem cœnam epulo Euchariſtico præmitti oportere?

Sed illa, inquies, abrogata eſt, ceſſitque menſæ diviniori. Et hoc volo, tibique lubens concedo: ſed & tu mihi illud cedito, menſam illam tuam, cui incumbis totus, vinum liberale, quo mades & effluis, catholico jejunio concedere oportere. Sed audio, reclamas, recalcitras, & pleno ventre de jejunio diſputas, & in illud inveheris ac debaccharis: nec mirum, ventri natus es & abdomini; hujus es ſervus & mancipium: nec ut velis jejuno ſtomacho ſapere poſſunt divina: at aliis ſapiunt qui ſe non Baccho mergunt; ſed muſto replent diviniore.

Ex iis fuit Auguſtinus, qui hunc Eccleſiæ Romanæ morem, jam inde à primis ſæculis uſurpatum magnificè prædicat. *Placuit*, inquit, *Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi; nam ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur.* Ep. 118. c. 6. Carthaginenſe III. can. 29.

Contra hunc morem Orbis univerſi pugnat Lutherus, contra ſanctorum placita, contra venerand a Conciliorum decreta, contra ſenſum Antiquitatis: quem ne impugnet magis; audiat ille, & ſi ipſis inferis altè inſepultus audire non poſſit, at ſaltem audiant ejus aſſeclæ Lutherani, & æquis oculis aſpiciant, quid pro ſeveriore jejunio ſenſerint, & ſcripta ediderint Ethnici, ac Judæi impiæ licèt duræque cervicis. Bracarenſe I can. 16. Toletanum VIII can. 2. Conſtantienſe ſeſſ. 13.

Amphiaraus Ethnicus homo à natura ipſa edoctus, edixit ut Sacerdotes qui reſponſa clarè à Diis excipere, & hominibus reddere voluerint, integrum diem à cibo, triduum à vino abſtinerent. Volaterr. lib. 8.

Cenſebat nimirum ad ebrias & temulentas voces obmuteſcere ſuperos, nec oracula reddere mortalibus niſi ſobriis, imò & jejunis. Venter enim benè fartus caret auribus, nec Divorum linguas admittit, etiam ex ipſa Ethnicorum opinione.

Videamus quæ & Judæis perſuaſio. D. Baſilio teſte Sacerdotes olim non ingrediebantur tabernaculum niſi jejuni, ut majore fiducia Deum orarent Hom. de jejunio.

atque

atque exorarent. Occuparat illos ea opinio, jejunæ linguæ cœlum aperiri & patere; claudi verò & negari ſtomacho pleno. Inde jejuna lingua audiit cœli clavis.

Ea fuit Eliæ magni, quæ cœlos pro libito vel aperuit vel occluſit. Hæ enim illius voces: *Vivit Dominus Deus Iſraël in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia niſi juxta oris mei verba*: quæ verba liberæ & arduæ mentis dum amat miraturque Ambroſius ait: *Elia jejuno ore vox emiſſa cœlum clauſit ſacrilego populo Iudæorum*: crederes jejunæ linguæ parere cœlum & aſtra, benignosque ſiderum omnium influxus adſtipolari: quod certè vel maximè patuit in magno illo Heroë, Iſraelita Duce Joſue, cujus paucas voculas, easque jejunas, ſol ipſe exaudiit, ſtupuit, ſtetit. *Stetit*, inquit Tertullianus, *Sol in Gabaon, & Luna in Aialon, ut exaudiret Deus hominem parem Soli*. Par fuit Soli, quia non minus quàm Sol jejunabat, & abſtinentia ſua Orbi univerſo prælucebat.

3 Reg. c. 17. v. 1.

In caus. Iejun.

Cont. Psychicos c. 10.

A Joſue redeo ad Eliam, quem ſolemne jejunium etiam ſupra cœlum & Solem evexit. De quo Ambroſius: *Hoc gradu*, inquit, *Elias aſcendit antequam curru*. Et iſta faciunt ad vim jejunæ linguæ mentisque: Hæc ad religionem & ſacrorum reverentiam.

Lib. de Elia c. 2.

Fuit ille quondam mos Antiquis, & ſanè pius ac religioſus, ut etiam de lege ad juramentum adacti, illud non emitterent niſi jejuna ſaliva, ad obſervationem Divini Nominis, quòd efferre repente a vino potuque lingua à ſacris videbatur alienum.

Quod ſi ea veteres omnes tenuit opinio, ea jejunii obſervantia ac religio; neceſſum eſt fateamur, primùm Lutherum & Lutheranos omnes Neotericos eſſe, & ab antiquitate degeneres; deinde & alterum illud, pio more ritùque inductum in Eccleſiam, ut Sacerdos ſacris non aſſiſtat niſi jejunus.

Debet ille ut Legatus totius populi vota excipere, Deoque reddere; atque à cœlo reſponſa & velut oracula referre: debet ad miſerationem flectere Superos omnes, & inſtar Eliæ alicujus ſolvere, laxare cœli repagula, opportunumque gratiarum imbrem, ſolutis divinæ munificentiæ nubibus, in terras, in arida ac hiantia mortalium corda demittere. Debet ut alter Joſue, non ſolem, facem illam & oculum Orbis; ſed ipſum lumen æternum, luminis fontem, abyſſum, Deum hominem, potenti verbo ſiſtere: debet uſurpare non nudum modò Dei ſui nomen; ſed ſacroſanctas ac Deificas illas voces: voces longè ſuperiores etiam iis, quibus olim in prima rerum molitione, è nihilo evocatus Orbis prodiit. Dixit olim Deus, & facta ſunt: dixiſſe, fuit etiam feciſſe: ſed quid amabo? Cœli regiam & aſperſa ſuperis Orbibus ſidera, flammasque, immenſam aquarum abyſſum, liquida maria, terræ molem, & ſi quid ea portatur: at dicit Sacerdos, & factum eſt Chriſti Corpus: quod tantum à cœlo, terra, aqua, elementis, univerſoque dignitate diſtat; quantum inferi à ſuperis, humana à divinis, ima à ſummis. Debet denique Sacerdos cùm ad conſecrationem accedit, ad cœlum quodammodo ipſum accedere; imò cœlo quaſi ipſo cœleſtibusque accolis cingi: in illa inquam hora (quam S. Pater Epiphanius *terribilem horam* appellat) lucidi ætheris Orbes aperiuntur, deſcendunt Angeli, circumvolant cœleſtium ſpirituum chori, & ſeſe terris inclinat Paradiſus, ut eo veluti capiatur Sacerdos, & in illum evadat abſtinentiæ gradu, ceu curru devectus inſtar alterius Eliæ. Et hæc in præſentia afferre placuit pro ſacro illo jejunii ritu, quem ſacrificanti pia Mater Eccleſia indicendum putavit.

Orat. de Resurrect. Christi.

§. II.

Lotio manuum ante ſacrificium, ſacramque Communionem.

DE hac manuum lotione aliquid verbulo antè inſinuavi; modò ex profeſſo fuſiùs agam, ex eaque præclara deducam morum documenta.

Aaroni ac filiis ejus hanc olim Moſis calamo legem inſcripſit Deus: *Facies labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum, ponesque illud inter tabernaculum teſtimonii & Altare, & Miſſa aqua lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus ſuas ac pedes.*

Exod 30. v. 18. 19.

Ea lex cœlo judice lata à Judæis tranſiit ad Gentiles: ad quorum morem alludit illa Heſiodi parœmia: *Illotis manibus ſacra tractare nefas.*

Imò placuit ſuavi Divinæque Providentiæ, eum quoque ritum in nova ac Chriſtiana lege uſurpare: Sacerdotes enim ſacris operaturi, jubentur priùs manus eluere: imò & ſub ipſum ſacrificii tempus abluunt, adnectuntque votum illud Regii Vatis: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* Et hæc Sacerdotii cæremonia ſingularis; illa etiam aliis fidelibus communis.

Pſal. 25.

In primitiva Eccleſia Chriſtiani omnes templum ingreſſuri & communicaturi, manus lavare ſoliti; quem in uſum pro foribus templi viſebatur vas ingens aquæ opportunum ſacræ illi lotioni, cujus loco in præſentia ad templi fores ſervatur vaſculum aquæ luſtralis, quo non tam corpus quàm animus eluitur.

Illius autem avitæ inſtitutionis duplex ratio fuit. Una quidem, quia tum temporis Chriſtiani ſacram Euchariſtiam non ore (ut modò uſus obtinuit) ſed manibus excipiebant, domumque deportabant: ideoque probè lotas & puras eſſe oportebat, ut quæ ſacrum illud vitæ melioris viaticum exciperent.

Altera, eaque potiſſima cauſa hæc fuit, ut illa lotione manuum, corporisque munditie, monerentur quæ deberet eſſe animi mentisque puritas, candor illibatus, & eximia quædam continentia, ad quam vocari poteſt ea lex antiqui Teſtamenti Sacerdotibus impoſita, qua jubebantur tempore vicis ſuæ, ab uxoribus licitaque aliàs veneris abſtinere: ut mihi author eſt Beda & Theophylactus.

In c. 1. Luc.

Imò, Philone teſte, eo tempore non domi ſuæ, ſed in domibus atrii templi habitabant, ne aliqua legali immunditia foris ſeſe contaminarent.

Lib. de Monarchia.

Ad eandem munditiei & caſtimoniæ legem, traduci poteſt illa conſuetudo, qua in Eccleſia Latina Sacerdotibus conjugium interdicitur: de quo D. Ambroſius quæſtionem movet, cur in antiqua lege conceſſum illud, negatum in nova?

Ut nodum illum ſolvat, reſpondet: Quia in veteri lege Sacerdotes rarius & per vices templo ſerviebant; in nova autem quotidie miniſtrant. *Sacerdotes*, inquit, *die noctuque pro plebe ſibi commiſſa oportet orare. Mundiores ergo debent eſſe cæteris, quia actores ſunt Dei.*

In c. 3 Ep. 1. ad Timoth.

Quod ipſum argumentum feliciſſimè tractat & perſequitur D. Auguſtinus: quærit enim. Cur, ſi licet & bonum eſt nubere, Sacerdoti non liceat? Ut illi dubio faciat ſatis, hæc ſubjicit:

Quia debet mundior eſſe quàm cæteri, quia ſancta ſunt quæ adminiſtrat. Nam ſicut ad comparationem lucernæ, tenebræ non tantum obſcuræ ſed etiam ſordidæ ſunt; ad comparationem autem ſtellarum, lucerna caligo eſt; ad ſolis verò comparationem, ſtellæ nebuloſæ ſunt; ad Dei autem claritatem Sol nox eſt: ita quæ ad nos licita & munda ſunt; ad Dei dignitatem quaſi illicita & immunda ſunt.

Lib. quæſt. utriuſque Teſtam.

Hæc Chriſtiana eloquentia D. Auguſtinus, ut luce meridiana clarius oſtendat, quàm purus eſſe debeat caſtusque Sacerdos, Dei ter Opt. ter Max. adminiſter.

Lucerna eſt in domo Dei, ideoq́ue ſuper candelabrum poni debet, non ſub modio conjugii.

Stella eſt infixa Eccleſiæ, tanquam cœlo novo.

Sol eſt poſitus in firmamento hujus ævi mortalis. Ideoq́ue & lucernâ defœcatior & ſtellâ purior, & ſole ipſo lucidior ſit oportet. Eſt lux ipſa ſolis hujus aſpectabilis & nobiliſſima cœleſtium corporum affectio, quæ nullo vicinorum corporum appulſu, nullis qualitatum externarum contagiis infici poteſt ac ſordeſcere.

Et luci cognatus eſſe debet Sacerdotum animus, qui nullam impuri amoris colluviem, ſordes omninò nullas patiatur: vel ob id tantùm, quòd divinis Miſſarum ſolemniis propiùs interſit, quòd aris aſſiſtat, quòd epulo Dominico participet.

Ob eandem ſacrorum reverentiam, adorandamq́ue Euchariſtiæ majeſtatem, video quondam alicubi prohibitum, ne qui erant in communi vita, legitimo alioqui matrimonio copulati, totius Quadrageſimæ tempore conjugii uſum adhiberent; qui id feciſſet, minus pius & religioſus videretur.

Hom. 16. Hinc illa S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi. *Nam, ut quidam ſapiens ait, ſimiliter reatus eſt fideli Chriſtiano diebus Quadrageſimæ etiam cum propria uxore concumbere, ſicut & carnes in eâ ſumere.* Hæc illæ. Utq́ue videas ac mireris quis fuerit illius ætatis ſæculiq́ue ſenſus, quis Patrum animus, zelusq́ue caſtimoniæ; Concilium Eliberinum unius anni pœnam iis imponit, qui deſtinatò vacarint rei uxoriæ, & hoc genus voluptatis experti ſint eo Quadrageſimalis jejunii tēpore, quo ad ſacram ſynaxim diſponi debet animus.

Cap. 9. Neque dixeris eam tantùm unius Concilii mentem fuiſſe: fuit & illa ſanctiſſimorum Pontificum, quos inter Nicolaus Papa: reſponſis ad conſulta Bulgarorum ſignificat eam eſſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut Chriſtiani omnes in Quadrageſima communicarent, & proinde omni carnis voluptati renuntiandum monet.

Quod ſi voce monitisq́ue Patrum, ſi oraculo magni Pontificis, etiam conjugatis tam diuturna continentiæ lex imponitur, ut ſe ad pias precationes & divini corporis communionem apparent; quanta hominum Deo ſacrorum continentia eſſe debet, ut dies ſingulos altari ſervire poſſint, & tractare veneranda illa & ipſis Angelis tremenda myſteria. Pro quorum uſu ac reverentia benè cecinit

In Act. c. 30. Arator Diaconus: *Eccleſia nunc alma fides, ſine fine pudicos Pontifices jubet eſſe ſuos.*

Et certè Divus Dionyſius, magna illa tuba reſonantis cœli, negat ullum admittendum eſſe ad Pontificium Ordinem & dignitatem Sacerdotii, qui non

De Eccleſ. Hier. c. 2. profiteatur *ſe mundum & ſanctum, ad ea quæ ſancta ſunt, atque pura tractanda venturum.* Quidni enim mundus ſit & ſanctus qui elata voce pronuntiat ac profitetur aſcendere ſe ad montem, ad tabernaculum Altiſſimi?

Magnus ille gentium Pater Abraham, dum in montem cum filiolo Iſaac ſacrificaturus pergeret, aſinum & ſervos ad illius pedem, ad abjecta vallium loca conſiſtere juſſit, ut ſuo exemplo doceret, quo pede, quo comitatu Sacerdos alta montium, & pretioſa ſacrificii myſteria ſubire debeat, ut in iis alter Iſaac, eò longè potior, Æterni Patris filius hoſtia immoletur. Nimirum ad ea admitti non poteſt aſinus, aut ſervus; ſervile & aſininum ingenium, ad gulæ paſcua, ad fœdas voluptates abjectum: qui enim admittatur qui aſcendit in tabernaculum, non vetus illud, in quo fumus tantùm aut nebulæ aut evaneſcens gloria majeſtatis, non arca ophireo auro illuſa, non manna rorifero ex aëre concretum, non muti Cherubim; ſed auguſtiora longè ac diviniora: ea ſcilicet, in quibus pro arca, pro manna, pro rore, pro Cherubinis, ſit ipſe Deus, fons vitæ, & ſedes majeſtatis.

§. III.

De ſigno Crucis.

Ubi ad altaria pedem ſteterit Sacerdos ſacra Miſſarum ſolemnia inchoaturus, primùm ſe munit ſigno Crucis; de quo mihi ſuccurrunt tres, eæq́ue præcipuæ inprimis quæſtiones.

Una de numero; altera de ſede; alia denique de myſteriis, præſidio, virtute, gloria, quæ ab illo ſigno ſeu corpori, ſeu animo infigitur.

De numero id obſervat Mycrologus, ſignum L. de obſerv.

Crucis in Miſſa quandoq́ue ſemel, quandoq́ue ter, Eccl. c. 14.

quandoq́ue etiam quinies exprimi, numero ſemper diſpari, nunquam pari. Quæ cauſa?

Hæc eſt in oculis & manibus: ſemel efformatur, ut divinæ naturæ unitatem repræſentet; ter, ut perſonarum Trinitatem; quinquies, ut ad quinque Chriſti plagas memor, gratus & pius animus revocetur: ecce quæ in numero religio, quæ religionis expreſſa ſpecies. Nos in ipſo Miſſæ principio altiora myſteria à Cruce ordimur, & illam ſemel in fronte fingimus, ut ea notetur Divinæ naturæ unitas: Æthiopes autem in ipſo ſacrificii limine ter ſeſe ſignant, ut ternario numero Trinitatem deſignaſſe videantur: Et hæc de numero, ejusq́ue ratione.

Venio ad ſedem Crucis, parteſq́ue corporis quæ illâ muniuntur. Eæ ſunt frons, os, & pectus: has enim potiſſimùm ſignare majores docuerunt; non ſine Numine & conſilio rationis ac pietatis pleno.

In fronte ſignata hæc myſteria Sancti Patres commendant.

D. Auguſtinus liberam atque explicatam fidei Con. 3 in

confeſſionem. *Non ſine cauſa*, inquit, *ſignum ſuum* Pſal. 30.

Chriſtus in fronte nobis fieri voluit, tanquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobrium Chriſtianus erubeſcat. Quod ſi ea cuilibet Chriſtiano communis eſt ratio; Sacerdoti certè vel maximè ſingularis, cujus propria fidei profeſſio, quæ pudorem ruboremq́ue in fronte neſciat, niſi eum velis à fuſo Chriſti causâ ſanguine creatum.

Ea quondam fuit magni Præſulis, invicti Martyris S. Macedonii Cōſtantinopolitanæ urbis Epiſcopi, qui inſignem illam fidei notam, religionisq́ue teſſeram, & vivus & mortuus uſurpavit. Cùm enim exanime

Niceph. l. 16. jaceret corpus, claro & illuſtri prodigio, elata manu

c. 26. ſignum Crucis fronti impreſſit: ut non animus tantùm in cœlis agens vita beatiore, ſed etiam in terris eo vacuum corpus ab hoc ſigno ſuam in Chriſtum fidem teſtaretur.

D. Chryſoſtomus aliò conſilia flectit, & notatam à Cruce frontem refert ad gloriam ſplendidiſſimi ornamenti, quo præ cæteris eminere debent ſacrorum præfecti: Ii certè in divinis oraculis dicebantur olim à Davide *filii Core*, hoc eſt, interprete

D Auguſtino, *filii Paſſionis, filii Crucis: portantes in* In Pſ. 11.

fronte, quod inimici in loco Calvariæ fixerunt, & quod modò Reges ac Cæſares oſtentant in diademate. Et hæc eſt Sacerdotum gloria, hoc ſacratæ frontis decus, hoc nobile capitis diadema.

A fronte pudoris ac majeſtatis ſede deſcendit manus ad os & pectus, & tam huic quàm illi ſalutis ſignum inſcribit.

Ori quidem, ne lingua, quæ à natura corrupta in malum volubilis eſt, quæ flamma vorax, quæ univerſitas iniquitatis, ſeſe in ſcelus, in maledicas & cœlo ingratas voces aperiat atque diſſolvat.

Pectori denique, quod cordis eſt receptaculum, domicilium amoris & affectionum propè omnium officina, crux appingitur, ne ullas appetituum imagines, ullos amoris typos à ratione, à Cruce, à Deo alienos in ſe excudi patiatur. Et hæ pro tribus illis corporis partibus militant rationes, à quibus venio ad alia myſteria, quæ in eo ſigno nitere cœlum Deusq́ue voluit.

Primum

Primum videtur ab antiqua conſuetudine ac religione deriuatum. Pontificibus Hebræis id ſacrum ac ſolemne fuit, oſtentare in fronte laminam auream, in qua ſcriptum legebatur auguſtum, ineffabile, divinum Dei nomen *Iehova*, quod illis reverentiam, populo religionem commendaret.

Quod in veteri lege Pontifex, hoc & in nova Sacerdos: præfert ille atque exhibet in fronte, janua mentis, ſignum Crucis, ut ex eo noveris quod Altiſſimi ſit miniſter, quod illius nomen in lucem, in ſolem efferat, & ab illo ſibi authoritatem atque obſervantiam conciliet.

Et hoc primum in eo myſterium clauditur: addo & alterum, quod invenit S. Hieronymus, qui cenſuit in fronte, celſa corporis parte, Crucem imprimi tanquam notam ſalutarem, à qua ſibi timeat
Epiſt. 1. Erebus & exterminator Ægyptius. *Crebrò*, inquit, *ſignaculo Crucis munias frontem, ne exterminator Ægypti in te locum inveniat.*

Ubi vindex cœli manus ſeſe in Ægyptios explicuit, ingentique ſtrage, nocte una, omnis eorum primogenita cecidit, ut ab illa clade liber iret Hebræus, juſſus eſt liminare domus ſignare ſigno *Thau*, quod ubi legerat ultor Angelus, noverat vel ex eo ibi latere electos Dei, & à communi excidio liberandos.

Hic Orbis nobis eſt pro Ægypto, exilii ſede, domo ſervitutis, in qua multi juſto Dei judicio ad pœnas exiguntur: ab iis à Crucis præſidio plerumque liberi Sacerdotes, utpote populus acquiſitionis, gens ſancta, genus electum. Et illud divini beneficii, & eximia quædam illius bonitatis inclinatio; quod ſequitur, Sacerdotis officium probat.

A dura cervice, à ſuis ſceleribus, & inveterata malorum conſuetudine, eò jam venerat Iſraël, eò lapſa erat Solyma, ut eam nec terra ferret amplius,
Ezechiel. 9. v. 4. nec cœlum intueri poſſet. *Appropinquaverunt*, inquit Deus Ezechielis ore calamoque, *viſitationes urbis:* quas ut Euro velocius expediret, è cœlis emiſit ſex Angelos, juſſitque ut ſinguli haberent *Vas interfectionis in manu ſua.* Prius tamen quàm ad pœnam elaberentur ſpiritus illi vindices, omniaque ferro perderent; *Vir unus veſtitus lineis, cui atramentarium ſcriptoris ad renes erat*, juſſus eſt tranſire per mediam civitatem, & ſignare *Thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ ſunt in medio ejus.* Ita habes ſignum *Thau*, hoc eſt, interprete D. Hieronymo, ſignum Crucis, ex tunc fuiſſe ſignum dolentium atque gementium.

Ex his, quæ priſca tulit ſe ſenſit ætas, hoc ad inſtitutum meum deduco: dum jubetur Sacerdos ineunte ſacrificio, quod pro totius mundi delictis offertur, frontem notare ſigno *Thau*, ſigno Crucis; unà etiam tacitè hoc ſymbolo monetur, ut ſit è ſorte virorum dolentium atque gementium de peccatis & abominationibus populi, ut antè probavi, cùm in eas lacrymas explicui manipulum fletus ac doloris. Et illud eſt indulgentiæ & piæ miſerationis; quod ſubjiciam erit inſigne documentum nitoris ac caſtimoniæ. A Cruce, ceu ſymbolo, ceu ornamento virginei pudoris, erigitur Sacerdos ad ipſam beatarum mentium puritatem.

D. Joannes in alto mentis exceſſu vidit aperiri cœlos ac ſuperûm domicilia, & in iis Agnum ſtantem, ſtipatum agmine centum quadraginta quatuor millium ſignatorum: qui ut in aliis multis cæteris eminerent, ita & in hoc quàm maximè. Habebant
Apoc. c. 14. v. 1. enim *nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.*

Si quæras qui ſint illi hoc nomine inſignes, hoc ſtemmate nobiles; audies ex eodem Joanne, Virgines eſſe, quibus pro teſſera, pro laurea ceſſit amabile & auguſtum illud nomen, ſignumque Crucis, quod in fronte elucet, quia frons ſedes eſt pudoris, & janua virgineæ mentis, in quam proinde evadit & inſcribitur illud: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Hoc ipſum Sacerdos aris aſſiſtens in fronte ſcribit, ut unà pudoris notas, continentiæ characterem, virginitatis typos & corpore & animo circumferat. Et hæc à Crucis ſigno vitæ benè inſtituendæ ſunt argumenta: omitto vim illius in Dæmones, aliaque iſtis affinia, quia ſatis obvia & probè nota.

§. IV.

De triplici oſculo, altaris, libri, & pacis.

INter ſacras cæremonias, ritusque quos uſurpat Eccleſia, reponitur oſculum, altaris, libri, & illud quod vulgo dicitur pacis: de quo prius quàm tractem, ex Antiquitatis fide, ex Hiſtoriarum monumentis, ex Scripturæ authoritate atque oraculis aliqua oſculi ſymbola deducam; tum ea ad meum inſtitutum revocabo.

Omni ævo oſculum ſymbolum fuit amoris ac benevolentiæ ſingularis: à qua factum ut apud Græcos & Xenophontem eadem vox, φιλεῖν, & amare & oſculari ſignificaret: nimirum amor, qui in cordis regia & arcano reſidet ac latet, ſubit quodammodo in os, & per illud tanquam per oſtium animi elabitur. Ad eam oſculi & amoris tum in voce tum in reipſa communionem acceſſit omnium propè gentium uſus ac ſenſus, qui amorem ſuum unico ferè oſculo prodidêre: ita apud Romanos invaluit illud, ut amici in morte cariſſimorum, & filii in obitu parentum, ſeſe ad eorum oſcula demitterent, ſpiritum abiturientem aperto ore & hiantibus quaſi labris excepturi; quod ſummæ caritatis erat argumentum. Et illud ita cuique pervium eſt ac tritum, ut pluribus probare ſit nefas.

Arcanum magis ac reconditum illud, quod oſculum antiquis etiam fuerit indicium prærogativæ, dignitatis, imperii, gratiæque per illud conferendæ.

Exempla ſi voles, tibi dabunt ſacræ Paginæ, Doctorum ſcholæ ac pulpita, ipſique ritus in Sacerdotum conſecratione quondam ſervari ſoliti.

Caligarat Iſaac, & oculorum orbes propè amiſerat, lucisque hujus uſuram, cùm ad eum de venatione rediit Jacob, & à Parente, ſene quàm optimo, ſibi benè precari, benedici petiit: cui ſenex: *Accede*, Gen. c. 27.
inquit, *ad me, & da mihi oſculum, fili mi.* v. 26.

Quid opus oſculo, quærit Abulenſis? Opus enimverò quàm maximè. Ambiebat Jacob jura primogeniti, & ampliſſimi in fratres ac poſteros principatus: eum bonus Iſaac in Jacobum filiolum natu minorem uno oſculo transfundit.

Ita deinde poſteris ſæculis cùm Saulem in Regem unxit erexitque Samuel, *Deoſculatus eſt eum*, 1. Reg. c. 10.
& oſculo ei regios animos, dignitatem, majeſtatem, v. 1. & 20.
gratiam impertiit: ita cenſuêre Theodoretus & Procopius. Quamquam alii id referri malint ad obſervantiam, quam Sauli oſculo teſtabatur Samuel, more tum recepto, ut populus in ſignum ſubmiſſionis Regem oſcularetur. Quod ſi à regia ad lyceum tranſire velis, & in hoc oſculo ſua vis & authoritas. In conferenda laurea doctorali, & novellorum doctorum inauguratione, Academiæ Principes dabant oſculum, ut quam habebant in docendo authoritatē per oſculum quodammodo tranſmitterent.

Neque mirum ſi ea legendi docendique poteſtas ita diffundi potuit, cùm & ipſa gratia, quæ cœli quodammodo beatæque æternitatis dos eſt, ſemenque gloriæ, ſic poſſit participari. Certè quondam in conſecrationibus Sacerdotum myſtica fiebat oſculatio; & Epiſcopus Neomyſtæ incumbens, imperito oſculo conſecrationem perficiebat. Imò & ipſe Servator optimus in Diſcipulos inſufflavit, & illo ſuo ſpiritu, benignaque ad oſculum inclinatione,

Spiritum Sanctum ejusq́ne dona ac chariſmata immiſit atque inſpiravit.

Eſt deinde oſculum ſymbolum honoris, teſtimnnium reverentiæ ac ſubmiſſionis: quam ut prodamus, non ori tantùm, ſed & manibus. & ipſis veſtibus oſculum figimus, ut ſit illud profeſſio quædam excellentiæ & auctoramentum ſervitutis.

Ita quondam devota ſuppleaque pœnitens Magdalena, ad Chriſti, Servatoris ſui, pedes abjecta, eos oſculabatur.

Ita Conſtantinus Imperator ab imperii culmine magnus, ab inſigni pietate ac demiſſione longè maximus, ſuaviari ſolitus oculos & cicatrices Confeſſorum: geſtiebat nimirum vi amoris, religionis impete erumpere & complecti invictos illos Chriſti Heroas, fidei pugiles, & cum eorum virtute ac pietate quodammodo conjungi ac conglutinari, quod per oſculum faciebat. Imò quod in antiquitate laudes ac mireris, jam inde ab initio ſuſceptæ fidei, Imperatores & Principes Epiſcopis adventantibus oſculum offerre ſoliti, eratq́ue illud ſignum venerationis, quod à laicis exhibebatur.

Sic olim S. Ambroſius cùm ad Maximum Legatione fungeretur, & ille in prætorio ad oſculum aſſurrea ſſet, *Nolo*, inquit, *Ambroſius, oſculari ut Epiſcopus, qui in prætorio vocatus ſum tanquam non Epiſcopus.* Sui ſemper ſimilis magnus Præſul, memorq́ue Pontificiæ dignitatis: ferebat ægriùs ſe fuiſſe vocatum, cùm in palatio honoratiùs de ſua legatione cum Imperatore conſerre potuiſſet.

In Epiſtolis.

Eandem animi libertatem, ordinisq́ue ſui ſacram majeſtatem multis poſt ſæculis tenuit S. Hugo Lincolnienſis Epiſcopus: cùm enim Richardi Angliæ Regis offenſam incurriſſet, quod ejus nomine pecuniam à populo colligi vetuiſſet: nihil tamen Regem veritus, eum adiit, quem in ſacello domus regiæ ad altare converſum à tergo compellans, *da mihi*, inquit, *oſculum*.

Hic primò ſtupor Regem invaſit, & magna ſacræ libertatis admiratio; deinde tanta Præſulis reverentia & authoritas, ad debitæ ſubmiſſionis officia, ad oſculum induxit: imò & ad regias illas voces. *Si tales forent pleriſque Epiſcopi, Reges modeſtiùs acturos.* Nimirum infulæ pedoq́ue paſtorali ſua vis etiam ad commovendos & ſubjugandos rebelles animos; maximè ſi virtus, conſtantia, & ardua quædam libertas acceſſerit. Sed inſtitutum proſequamur. Non enim ſolùm honoris ac venerationis ſignum eſt oſculum, verùm etiam obedientiæ, debitæq́ue ſubmiſſionis.

Cùm eſſet Pharaoni Joſephus carus in paucis, & Ægypto ſummo cum imperio præficiendus, ſic ad illum Pharao: *Tu verò eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Hebraicè *Iiſſac*, Omnis populus ad os tuum oſculabitur: quod erat argumentum inſignis obedientiæ, quæ Joſepho reddenda fuit, ex Pharaonis arbitrio. Ita quondam Vates Regius dùm præſagamente, entheoq́ue ſpiritu, jam inde à ſuis ſæculis ætates longè conſequentes monere vellet atque obteſtari ut Meſſiæ ſeſe ſubmitterent, illiq́ue eſſent obedientes in paucis; his verbis, & hac adhortatione uſus: *Apprehendite diſciplinam*, in lingua ſacra, *oſculamini filium*, hoc eſt Dei filio & Meſſiæ, Servatori veſtro obaudite.

Pſal. 2. v. 12.

Eſt & aliud ab oſculo bonum: pignus quoddam, & arrha datæ atque acceptæ fidei, cujus vim vinculaque ſacratiora dum agnoſcit Theodoſius, ſtatuit, ut ſi quæ à ſponſo ante nuptias initias ſponſæ facta ſit donatio, ea valeat media ex parte, ſi tamen adfuerit oſculum; ſecus ſi defuerit, nihil valitura. Nimirum ab oſculo, fidei teſſera, & ſinceræ mentis nota, firmatur contractus; & ſi non acceſſerit, infirmatur. Ad eandem oſculo inditam legem pertinet illud, quod refert Zonaras in Concilio Trullenſi: ſi quæ virgo poſt contracta jam ſponſalia, à ſponſo oſculum admiſerit, habeatur ut adultera ſi ad alium virum diverterit, ſi aliò amores inflexerit. Non eſſet autem adultera, neque rea haberi poſſet tantæ perfidiæ, niſi vel uno oſculo fidem cenſeretur obligaſſe.

Lib. 5. de ſponſ.

Can. 98.

Poſtremum quod in oſculo legimus eſt inſigne pacis, & ſpecimen amicitiæ ſingularis, à qua Hebræi cognatas, affines, & aliquo ſanguinis nexu ſibi junctas oſculo ſalutabant: & Romanæ fœminæ primis temporibus virorum frontes oſculabantur. Viris autem etiam datum illud, ut fœminis in ore oſculum figerent, maximè verò poſt latam legem de non bibendo vino: experiendi enim gratiâ an vinum bibiſſent, in oſculo communicando, ora ad os admovebant: hinc illud Arnobii. *Affinibus & propinquis oſculari eas fas eſt, ut ſobrias comprobent.*

Lib. 2. ad Gentes.

Sed nihil adeo pacem oſtendit ac probat, atque oſculum, quod omnium propè gentium conſuetudine, ſenſuq́ue habitum eſt concordiæ ſymbolum. Ita, ut advertit Auguſtinus, *Olim oſculabantur ſe invicem Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis: ſi quod oſtendunt labia, fiat in conſcientia; id eſt, ſi quomodo labia tua ad labia fratris accedunt, ſic cor tuum à corde illius non recedat.*

Tom. 10. Serm. quodam de diverſis.

Ab ingenito illo naturæ ſenſu, judicioq́ue omnium nationum, factum ut Judæ oſculum, quod pacem præferre debuit, & bellum Servatori intulit, appelletur à Sanctis Patribus *prodigium*. De illo ſic Ambroſius: *Dominus velut prodigii genus in proditora condemnans, ait: Iuda, oſculo filium hominis tradis? hoc eſt, Charitatis inſigne convertis ad ſignum proditoris & infidelitatis indicium? pacis hoc pignore uteris ad officium crudelitatis? Beſtiali igitur oris obſequio inferentem potius necem, quam charitatis fœdera deferentem divina arguit vocis oraculo.*

L. 6 Hexam. c. 9.

Eandem infandi Judæ ſimulationem, perverſum atque immitem animum deteſtatur D. Auguſtinus, & pio quodam concitatæ orationis irarumq́ue æſtu excitus, exclamat: *O ſignum ſacrilegum! ô placitum fugiendum! ubi ab oſculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur ſacramentum.* Ita ſancti illi Præſules, ſui Orbis oculi, & gemina Eccleſiæ lumina, in illud Judæ oſculum invehuntur: ita etiam in illud declamavit Antiquitas non voce tantùm, verborumq́ue ſono; ſed & reipſa, pioq́ue inſtituto: ut enim mihi author eſt Tertullianus, Chriſtiani olim in die Paſchæ, id eſt Dominicæ Paſſionis, à pacis oſculo abſtinebant, in odium ac deteſtationem illius oſculi, quo in ſolemni Judæorum Paſchate, à Juda oſculo proditus, hoſtibus, tormentis, infandæq́ue cruci ceſſerat Salvator innocentiſſimus. *Die Paſcha*, inquit, *qua communis & quaſi publica jejunii religio eſt, meritò deponimus oſculum*: & hoc quidem, interprete Pamelio, in odium fugamq́ue proditoris oſculi.

L. de Orat. c. 14.

His ita ex occulto naturæ genio, rationis ſenſu, ipſaq́ue Antiquitatis fide conſtitutis, propiùs ad quæſtionem mihi propoſitam accedo, & rationes inveſtigo triplicis illius oſculi; altaris, libri, & pacis.

RATIONES CUR SACERDOS Altari, Libro, & Diacono oſculum præbeat.

Sancti Patres, qui ſacrorum rituum obſervantiores ſunt, eorumq́ue cauſas ſtudioſa quadam piaq́ue indagine rimantur, cenſent oſculum altari à miniſtro apprimi in ſignum venerationis: tum quia eo clauduntur Divorum reliquiæ, ſpolia & exuviæ nobiles magnarum mentium, quæ modò in cœlis vivunt, regnantq́ue ævo beatiore: tum quia ipſum altare ſacrum, Deo dicatum, & ipſius corporis Chriſti ſedes eſt, & veluti thalamus amoris, in quo cum genere noſtro, puſilliſque mortalibus, eſſe, deliciari ac quieſcere non dedignatur. Certè ſi de arca ſcriptæ illæ & probatæ regiæ Davidis voces. *Adorate ſcabellum*

ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. Si de Chriſti etiam Infantis præſeplo id efferre, & poſteris commendare ſit auſus Nazianzenus: *Præſepe adora, nam quæ Deo oblata ſunt, ejus participatione & contrectatione ſiunt ſancta*: Si inquam & de arca, & de præſepio ita magnificè locuti ſancti illi Heroes: ſi & illam, & hoc omni veneratione dignum cenſuêre, quid de altari credis eſſe ſentiendum? Hoc certè quod illis venerandum, imò & adorandum oſculo ſacratiore. Fuit oſculum apud Hebræos, Græcos, Latinos ſignum adorationis, imò vox ipſa adorare ex eo deduci videtur, quod venerabundi oſculum rebus imprimant, easque ad ora adducant; inde *adora*, quaſi ad ora ductum. Sic Gentiles ſuis ſimulacris oſcula, dare ſi poſſent; ſin minus, manum oſculari: ita ii qui Solem Orientem pro numine colebant, oſculabantur manum ſuam: à quo ritu ut ſcelerato & impio ſe liberum faciat Jobus, *Si vidi*, inquiebat, *Solem cum fulgeret & oſculatus ſum manum meam.* Ita
Cap. 31. v. 27. Jacob emoriens *adoravit faſtigium virgæ ejus*, vel ut alii, *oſculatus eſt*: quod oſculum adoratio quædam fuit, & eximii cultus ſignificatio, quæ ſacris aris impendi poteſt, etiam vel eò tantum, quòd Chriſtum referat; eſt enim ille *Petra & Lapis angularis, qui facit utraque unum*, & Judæos Gentileſque uno Fidei, uno Miſſæ Sacramento nectit ac ſociat; imò humana divinis, ima ſummis jungit, dum in uno perſonæ vinculo divinam naturam cum humana copulat atque maritat. Hujus porrò nexus ac connubii memor ac reverens Sacerdos, altari præbet oſculum, eoque Deum hominem adorat.

3. p. q. 83. art. 3. Et hæc eſt ratio, quam etiam attigit D. Thomas, quo interprete, altare oſculatur Sacerdos, gratus pro illo amoris oſculo, quo in Incarnatione Verbum Æternum, Dei filius naturam noſtram ſponſam ſibi fecit. Quod ſi & illud velis ac ames, ab altaris oſculo recipi quodammodo & hauriri gratiam uberem, virtutum decora, prærogativam dignitatis, non ibo inficias, & lubens voléns que illud tibi concedam.

Si enim, ut cenſet Procopius, Saul ab uno Samuelis oſculo Prophetiæ gratiam, donumque illud præſagæ mentis accepit: *Oſculatus eſt eum*, inquit, *ut gratiam, quæ in ipſo habitabat, ei communicaret.*

Si Jacob ab Iſaaci parentis oſculo jura primogenitii in ſeipſe deduxit; ſi lauream & docendi authoritatem ac pondus etiam ex eo derivare Doctores novelli, & melioris ſapientiæ candidati: quidni & ab ara principe, in qua ſedet ac quieſcit Chriſtus, Samuele ſanctior, Iſaaco ditior, ipſaque Patris Æterni Sapientia: quidni inquam & ab hoc, & ab illa copioſæ gratiæ fluenta, cœleſtium opum torrentes ac maris ſapientiæ deducere poſſis? Poteſt enimverò ſi vel tantùm annuerit ea quæ in altari immolatur victima.

Sed ad oſculum libri tranſeamus: eſt illud inſigne quoddam & argumentum reverentiæ ac honoris illius, quem ſacris paginis & Scripturæ oraculis Sacerdos exhibet: & jure ſanè meritiſſimo. Si enim de
De obit. Theod. c. 4. Imperatorum ſanctionibus pronunciavit Ambroſius: *Velut divinos adorari apices*: quid de Scripturarum codicibus, quæ Dei ad nos litteræ ſunt, & oracula de cœlo miſſa, dicendum putas? Si Tertullianus altiore ut ſolet ſtylo, eis *majeſtatem* tribuit, & verè quidem ac ſapienter: ſi Lucius Epiſcopus in Concilio Carthaginenſi, ſacróque Patrum conſeſſu, cui interfuit
Apud S. Cyprian. p. 400 B. Cyprianus, *Sancta & adorabilia Scripturarum verba* cenſuit; quid adeo mirum ſi pio Eccleſiæ inſtituto Sacerdos aris miniſtrans librum Evangelii dignatur oſculo? Certè ut à Judæis aliquid ad rem noſtram mutuemur, eos conſtat ſacrorum librorum in paucis obſervantes ac reverentes fuiſſe: nimirum eos ſpiritus hauſerant à Moyſe, à ſanctiſſimis illis Patriarchis, à quibus cum vita & ſanguine magnos de Scriptura ſenſus imbiberant. Et hinc apud eos ea Bibliorum reverentia, ut juxta illa ſedere nefas ingens duceretur, & ea illotis manibus tractare magnum piaculum.

Quod ſi ea probè loti uſurpaſſent, honoris ergo in altum ſupra capita ſua erigebant, ut ſeipſos, ſuaque omnia viderentur ſubmiſiſſe.

Ab illa Scripturæ ſacræ authoritate, & inſita quadam majeſtate, fluxit illa obſervantia, cultusque, quem ſanctiſſimi quique ei tribuendũ eſſe cẽſuerunt.

D. Barnabas & ipſe Chriſti diſcipulus, Eccleſiæ columen & facundus cœli orator, Evangelium Matthæi quod ipſe ſibi ſua manu ſtudioſè deſcripſerat, in ſinu geſtare ſolitus: imò, & cum eo ſepeliri voluit, ut idem tumulus & Apoſtolum & Evangelium tegeret: rebatur nimirum vir ſanctus ab Evangelio ne ſibi quidem mortuo eſſe recedendum, qui ab eo in vita nunquam diſceſſiſſet.

Eundem ſacris litteris honorem ac reverentiam detulit S. Bonifacius Epiſcopus & Martyr; qui à virgine locuplete magni beneficii loco petiit & impetravit, ut ſibi litteris aureis Beati Petri Apoſtoli litteræ deſcriberentur *ob honorem & reverentiam Scripturarum*, inquit Baronius. *Tom. 9.*

Denique ne in hoc argumento longior ſim, noſtra ætate S. Carolus Borromæus qui Scripturam ſacram, quam ſæpiùs lectitabat, nunquam niſi nudo capite flexoque genu evolvebat: audiebat nimirum in iis ſibi loquentem Deum, & Prophetarũ oracula atque Apoſtolicæ vocis tonitrua excipiebat, non ſine ſacro horrore ac reverentia; cujus æmulus Sacerdos in augusto Miſſæ officio, oſculo librum Evangelii donare conſuevit.

Elabor ad poſtremum, quod in hoc argumento mihi propoſitum fuit, oſculum, quod pacis appellamus. Originem illud habuitè familia Chriſti, in qua diſcipuli reduces Magiſtro ſuo oſculum offerre ſoliti in pignus amoris & inſigne venerationis, hinc illæ querelæ & amica expoſtulatio Chriſti ad Simonem Phariſæum: *Intravi in domum tuam, oſculum mihi non dediſti*; de more ſcilicet meorum familiarum ac domeſticorum. Ex illo, Eccleſia avitæ pietatis amans ac retinens, in ſacris Miſſæ ſolemniis oſculum offerri voluit. Ideoque Diaconus olim contenta voce clamabat: *Oſculemur nos invicem.* Ad ea *L. 3. Pedag. c. 11.* verba, quaſi data acceptaque venia, viri viros, fœminæ fœminas oſculabantur, ut mihi teſtis eſt Clemens Alexandrinus, qui oſculum illud *myſticum* ap- *1. Cor. c. 16.* pellat, D. Paulus, *ſanctum*: *Salutate*, inquiebat, *invicem in oſculo ſancto.* D. Ambroſius, *pietatis & cha-* *L. 6. Hexam. c. 9.* *ritatis pignus.*

Tertullianus venerandæ antiquitatis obſervator *De Orat. c. 14.* & interpres, *oſculum pacis, ſignaculum orationis*: quod à Sacerdote ſacrificium immortali Deo offerente primùm ad Diaconum, & ab hoc ad alios longiùs emanabat. In quo ritu doctè obſervat Joannes Be- *De divin. Offic. c. 48.* letus antiquiſſimus Theologus Pariſienſis, ſacris operantem oſculum recepiſſe primùm ab ipſa ſacroſancta Euchariſtia, ac deinde aliis dediſſe: ut ſentias unde tibi totique populo amor, caritas, pax eſſet alta; ſcilicet ab ipſo Altaris Sacramento.

Ea baſiorum in templis conſuetudo non diu tenuit ſubeunte per oſculum flagitio, imò duobus ſcelerum monſtris, perfidia & impudicitia, quibus animi polluebantur. Hinc Eccleſia (quæ labentibus annis, collapſa etiam filiorum ſuorum innoxia pietate, proſpectum voluit) oſculum illud ſuſtulit, & tantùm ſacros inter Miniſtros ſervandũ eſſe exiſtimavit.

§. V.

De elevatione manuum.

HAbet in hoc ritu, ſacráque corporis compoſitione, quod arguat & maledico dente rodat Hæreticus, & Papiſtarum Sacerdotem geſticulatorem appellet; ut qui in Miſſa, velut in ſcena, comicum

 agere

agere videatur: modò enim curvo corpore ſeſe in terram abjicit, modò ſublimes oculos, manusque in cœlum tollit, modò brachia diducit, modò contrahit. Hæc è Lutheri Calvinique ſchola jactabat aliquis malè doctus à malo Magiſtro diſcipulus, quem ut dedoceam, in illud incumbam, ut luce clarius appareat elevationem manuum (de qua mihi in præſentia diſceptatio) cum natura, cum ratione, cum Antiquitate conſentire.

Natura duce ac Magiſtra quiſquis venerandum Numen adorat, ſupplices in cœlum manus attollit. *Habitus orantium hic eſt*, inquit Apuleius, *ut manibus extenſis ad cœlum precemur.*

Hæc ratio in oculis eſt, quòd cœlum Dei ſedes ſit, patens, apertum, expliratum templum, quo proinde ſpectant & tolluntur manus.

Hunc naturæ, ceu communis matris, ſenſum probat, quòd Romani ab eadem edocti pietatis ſimulacrum effinxerint ſublatis & expanſis in æthera manibus. Quem ritum à Gentilibus ſeverè obſervari voluit Conſtantinus etiam lata lege. Præſcripſit enim

Euſeb. in Vit. c. 28. ut Gentiles die Dominico feriarentur, votaque ſua exponerent elevatis in cœlum manibus & animis: imò ſuam ipſe imaginem eo habitu fingi voluit, & in

Euſeb. c. 3 poſteros tranſmitti, ut directis in ſidera manibus, ſuperis Deoque ſupplex videretur Conſtantinus.

Pugnent ergo Hæretici cum Cæſarum ſtatutis ac decretis, pugnent cum recepto apud ipſos Gentiles more, pugnent cum natura: ita certè pugnare videntur modò Papiſtas impugnent. Sed expugnabunt nunquam, niſi & ipſam antiquitatem, quæ etiam barbaris venerationi eſſe ſolet, impugnent atque expugnent.

Moyſes certè legitur oraſſe expanſis in cœlum manibus, ſeu à Deo beneficium expuſceret, ſeu in hoſtes iret; quod non ſemel miraculo probarunt ſuperi. Joſephus Antiquitatum Judaicarum ſcriptor illuſtris, exiſtimat manna primum in manus orantis

Lib 2. c. 8. Moyſis incidiſſe; ita enim habet. *Dum Moyſes procumbens palmas attollit, ros de cœlo delabitur, qui cum manibus ejus hærens concreviſſet, ſuſpicatus ille hunc alimoniam à Deo demitti, degustat ac mox deguſtandum aliis offert, ut experti crederent.*

Fuit manna ſignum paternæ divinæque in Iſraëlem beneficentiæ, fuit naturæ prodigium, ſtuporis objectum, & cœli benignioris miraculum, quod non incidit niſi in manus ſublimes & elatas, à quibus in alta pace, armorumque ſilentio, Iſraëli inventum eſt annonæ ſubſidium. Via in pulvere martio, in bellico ſtrepitu, hoſtes inter & arma potens omninò præſidium? & illud offerunt elatæ in æthera palmæ.

Hebræas acies armata militum manu invaſerat Amalec: ne obrueret, contra emittitur cum exigua turma Dux invictus Joſue; Moyſes autem ex adverſo colle, non armis, ſed oratione pugnat, levat ad ſuperos manus, & mirum propitio Numine prodi-

Exod. c. 17. v. 11. gium. *Cùm levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec.*

Hæc ubi ſpectarunt Aaron & Hur, tantum eſſe momenti ac ponderis in ea manuum elevatione, ut ſi ſtarent illæ, ſtaret Iſraël, ſin autem remitterentur, illico caderet, hoſtique cederet; hæc, inquam, ubi ſpectarunt, tum inito conſilio, ne graves Moyſis manus ſuapte mole deficerent ac collaberentur, *Sumentes*

Verſ. 12. *lapidem poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus ejus ex utraque parte, & factum eſt ut manus illius non laſſarentur uſque*

Verſ. 13. *ad occaſum ſolis, fugavitq; Ioſue Amalec & populum ejus in ore gladii.*

Hîc ſeſe in varias ſententias ſpargunt Interpres. Una, ne hæc victoria Iſraëlis armis ferroque tribuenda videretur. Altera, ut eo ſymbolo vis orationum innoteſceret, *Oratio* enim, ut ait Auguſtinus, *orantis eſt præſidium, Deo ſacrificium, Dæmoni flagellum.*

Sed cur Deus ter opt. ter max. qui animos altius aſpectare ſolet, non actione, non geſtu corporis moveri, pugnæ momentum ac victoriæ pondus in eo poſuiſſe videtur, ſi ſtarent erectæ in cœlum manus; ſin autem concidiſſent & vel ſuo, vel etiam virgæ pondere, in terram inclinaſſent, illico in hoſtem inclinaret victoria?

Reſpondit Tertullianus Moyſen eo corporis ha- *Lib. contra*
bitu, ea brachiorum extenſione orantem, typum *Marcionem*
fuiſſe Chriſti in Cruce pendentis, ut jam inde à Cru- *c. 41.*
ce, à Chriſto ei affixo ſubſidium peteretur.

Alii volunt hoc ſigno indicari quis eſſet orantis animus, quæ contentio, quæ remiſſio: ſi enim collaberentur manus, unà etiam collabi videbatur orantis fervor: ſin autem attolli & erigi, etiam efferveſcere & invaleſcere devotionis æſtus.

Ego verò exiſtimo fuiſſe ludum illum amabilem Divinæ Providentiæ, quæ etiamtum ritum illum orandi probare voluit, & oſtendere eò loci ac temporis vel maximè convenire.

Audiebatur tubæ clangor, ſtrepebant tympana, Mars æſtuabat, certabat Iſrael, certabat & Joſue; etiam oratione pugnare debuit ipſe Moſes: ea porrò manuum elevatio pugnantis eſt ac dimicantis; exhibet enim brachia in modum arcus extenſa, è quibus in hoſtem evolent vindices ſagittæ.

Ita quondam oravit & pugnavit bonus Jacob, qui emoriens hæc Joſepho veluti tabulis ultimis legavit. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli* *Gen. c. 48.*
de manu Amorrhæi in gladio & in arcu meo. Fuit illa *v. 22.*
pars ager in Sichem; ſed nuſquam cum Jacob in gladio & arcu ſibi comparaſſe legitur, ideoque Chaldæos ſcitè vertit, *Quam tuli in gladio & arcu, id eſt, in oratione & precibus.* Juſta enim oratio gladius eſt & arcus.

Eo quondam uſus David, dua omninò magnos. *Poſuiſti*, inquiebat, *ut arcum æreum brachia mea.* *Pſal 17.*
Beatus Ephrem arcum illum eſſe credit extenſa in *v. 35.*
oratione brachia: *Quoniam*, inquit, *in eam manus extendimus, & veluti ſagittam in inimicum dirigimus.*

Sed & alia hujus antiquæ conſuetudinis eſt ratio, quam paucis attingit Tertullianus, probatque qua animi fortitudine, quo robore debeat eſſe Chriſtianus ac Sacerdos quiſquis expanſis manibus Deum orat; eo ſcilicet ut in manibus Dei ſit, ad omnia promptus, ſeu proſpera fluant, ſeu adverſa refluant, ad omnes fortunæ caſus, ad gravia, acerba, funeſta, religionis cœlique causâ toleranda. Hos animos invictumque robur portendit ipſe orantis habitus: audi Tertullianum grandi ut ſolet cothurno inſurgentem: *Paratus eſt*, inquit, *ad omne ſupplicium ipſe* *In Apolog.*
habitus orantis Chriſtiani: quaſi dicat orans, *Præſto* *c. 30.*
ſum, ueclo, aut plecto ſi vis, aut certè miſerere.

Ita, teſte Prudentio, inclyti martyres cùm ad carceres, ad ſupplicia ducerentur, manus attollere ſoliti, & expandere in formam Crucis, ut ſe ad Crucem & immania quamvis tormenta paratos & expeditos oſtenderent.

Huic affinem cauſam reddit Tertullianus: ait enim *De exhort.*
Sacerdotem ſæpiùs in Miſſa orare expanſis in Cru- *Martyr. c. 8.*
cem manibus, ut hoc geſtu corporis proteſtetur ſe cultorem eſſe Crucis, & Crucifixi in paucis amantem; & ab illo ſperare omnia, ejusque merita ac ſanguinem per extremos cruciatus expreſſum oſtentare Æterno Patri; ut ab illo in nos effluat miſeratio, vel una objecta Cruce, aut Crucifixi imagine.

Quod ſi ea ratio tibi myſtica videtur, dic age cum Clemente Alexandrino, quod elevatio manuum indicet, & mentem in oratione attolli oportere; parum enim eſt ſi erigantur in cœlum manus, ſi interea temporis mens ipſa in terras deprimatur. *Caput*, inquit, *& manus in cœlum extendimus, corpus à terra educere conantes, erectam & elevatam animam deſiderio meliorum,*

meliorum, contimus in ſancta progredi, magno animo corporis vinculum deſpicientes.

Ad extremum pro coronide adjici poteſt hæc ratio, ut & cor in cœlum abeat; & manus, id eſt opera, fundantur. Ita porrò puras & multis meritis graves manus levabat David, cujus ex voces teſtes animi: *Levabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi:* hæc etiam in bellico pulvere, in aulæ ſtrepitu, in æſtu negotiorum canebat David: cujus æmuli omninò pauci; hoc enim Orbe, quo volvimur, quam plurimi in cœlum vocem elevant, at minimè manus explicant, & virtutum actus ad ſuperos mittunt, in quos certè verti poteſt illud Iſaaci: *Vox quidem vox eſt Iacob; manus autem, manus ſunt Eſau.* Ne tibi aliquando ea ſint, excipe quæ tibi Auguſtinus ſingulari vir pietate, & miranda eruditione magnus. *In manibus*, inquit, *opera debemus accipere: ergo talia ſint opera, ut ea poſſis in altum, in conſpectu Domini levare: potero autem ſi manus tua, id eſt actus tui, & converſatio tua non ſit in terris, ſed in cœlo.*

Pſalm. 118. v. 48.

Ejuſmodi fuit olim Joſephi Abbatis, viri cum Deo magnis omninò virtutibus copulati. Is cùm expanderet in oratione manus, in cœlumque attolleret, digiti ejus videbantur velut decem lampades ignis, claro & mirifico ſplendore lucentes, ut in Patrum monumentis traditur.

Vit. Patr.

Huic affine eſt illud, quod de Conrardo Egioonis, quondam Abbate Villarienſi ac deinde Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, & Epiſcopo Portuenſi, referre ſolebat Guilielmus Abbas Villarienſis. Cùm accederet ille propiùs ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, manuſque de more ſacroque ritu tolleret; tantò in illud ardore animi ferebatur, ut igneſcere videretur. Certè digiti illi quibus ſacroſanctam Hoſtiam ſub ſacrificium attrectari fas eſt, eâ luce radiare ſoliti, ut ad legendum ſcribendumve, etiam obſcura & intempeſta nocte, lumine alio opus non eſſet: quod ipſum & oculis hauſiſſe ſe, & experientia didiciſſe, Cantipratano ipſi teſtatus eſt Guilielmus Abbas, cujus ſuprà memini.

Eſſ Lend. lib. 6.

His prodigiis pium Numen oſtendere voluit, quàm accepta ſibi foret ea manuum elevatio, ſi modò ad arduæ mentis elevationem ſequeretur.

§. VI.
De Sacerdotis inclinatione.

SCitè quondam pronuntiavit D. Cyprianus: *Placendum divinis oculis etiam habitu corporis*: cujus rationem è natura, ipſaque hominis molitione deducit Angelicus Doctor. Cùm enim ille totus à Deo ſit, neceſſum eſt ut totus etiam ei ſerviat: cùm & corpus divina manu meliore argilla, lutóve compactum & fictum ſit, & mens altior inſpirata divino quodam afflatu; oportet, ut & corpus Deo, tanquam figulo, & mens eidem, ut authori ſubmittatur.

Serm. de Orat. Dom.

2. 2. q. 83. art. 12.

Signum autem hujus ſubmiſſionis eſt ipſa corporis inclinatio, cum qua ſeſe inclinat animus tum ob ſui deſpicientiam, tum ob honorem ac reverentiam ſupremi Numinis. Et illa naturæ noſtræ compagem figmentumque attingit ratio: hæc ad Deum pertinet.

Inclinavit cœlos Patris Æterni Filius, imò & majeſtatem abjecit ſuam, deſcenditque formam humilis ſervi accipiens. Sacerdos, qui eò loci ac temporis eum in terris refert, ideo ſeſe inclinat, ut ſpectantium oculis objiciat ſpeciem aliquam & imaginem Dei ſui, qui ſeſe hominum amori commodiſque ita demiſit, ut homo fieret. Et iſta ſpectant ad ſupremi Numinis in mortale genus indulgentiam: hæc ad uberem ſacrificii proventum: ſurgit hic à radice humilitatis, cujus ſignum eſt ea corporis inclinatio, cum qua animus profunda quadam ſui cognitione in ſeipſe deſcendit, & nihilo ſui, è quo prodiit, immergit, ut emergat altior. Et hoc quidem ex primo Chriſtianæ legis præcepto, placitoque religionis, de quo ſenè ſcripſit olim D. Auguſtinus ad Dioſcorum. *Vt olim Demoſthenes ter rogatus quid præcipuum eſſet in oratoria facultate, ter reſpondit, actionem; ita ſi de præceptis Chriſtianæ religionis rogaretur, ſemper reſponſurum, humilitatem.* Epiſt. 56.

Quod ſi ea humilitas, animique demiſſio, Chriſtiano cuique communis; Sacerdoti certè maximè debet eſſe ſingularis. Ut enim D. Gregorius, *Sola humilitas eſt officii Sacerdotalis erectio.* Lib. 2. Ep. 54.

Quiſquis aris aſſiſtit Sacerdos, eſt ille lux mundi, ab illo ſurgit & clareſcit virtutum bonorumque operum dies, diſſipantur peccati tenebræ, nox ignorantiæ mundo incumbens fugatur: utque fugetur procul & perennis ſit uſura lucis, neceſſum eſt ut ille dies à veſpere, hoc eſt ab humilitate, ſeſe terris oſtendat.

Nos puſilli mortales cùm dies cenſemus, initium ducimus à manè; contrà Deus à veſpere ordiendum eſſe docuit. Factum enim non ſine Numine, ſuavique providentia, ut dies ille, qui primus Orbi illuxit, Deique opera diſtinxit, incœperit à veſpere: *Factum eſt*, loquit Scriptura, *veſpere & manè dies unus.* Gen. 1. v. 5.

Hinc incidit quæſtio, cur author naturæ Deus, & magnus ille Univerſi parens computum dierum ſuorum à veſpere exordiri velit?

Catharinus ut nodum illum diſſolvat ex ſuo ingenio magis, quàm ex veritate, vult Solem primò productum in altero bemiſphærio, oppoſito ei in quo prodierat Adam: ſicque prima lux illi illuxit, dum Adamo eſſet alta nox. Verùm ut hoc velit fidem non faciet. ſi enim Adamo, utpotè Univerſi Domino, adnata cætera, quidni & ipſe Sol, illorum oculus & cœli gemma?

Credunt alii initium dierum ſumi à veſpere; quòd veſper & nox prior fuerit ipſo manè, ipſa luce: cenſent enim fluxiſſe noctis horas omnino duodecim, quarum beneficio è nihilo vocatum cœlum, terra, & immenſa aquarum abyſſus: tum deinde ſucceſſiſſe lucem, eamque duodecim etiam horas integras tenuiſſe; ſicque ex nocte & luce, ex veſpere & manè dies primus conflatus mortalibus oculis apparuit.

Ex illa perſuaſione manavit ille mos apud Judæos, imò & Eccleſiam Romanam, ut dies feſti à veſpera ad veſperam celebrentur, appoſitè ad primam illam dierum inſtitutionem.

Nonnulli, etſi fateantur ante lucem præceſſiſſe tenebras, *Spiritus enim Domini ferebatur ſuper aquas, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, contendunt tamen illam caliginem abyſſo fuſam, ſex tantùm horis terram occupaſſe, ac deinde amœnum ſolis jubar, fontemque luminis conditum eſſe in ipſo meridie, & quaſi grandi jam adultáque die.

Sed hic non vertitur cardo meæ quæſtionis, neque ea ſententiarum inter ſe pugna, & variis argumentis hinc & inde diſcuſſa veritas lucem affert difficultati, quam ad mores efformandos evulvo: ad illos mihi plus ſatis ſi conceſſeris illud, initium operum Domini datum in profunda nocte, denſiſque tenebris; ſicque primum omnino diem à veſpere cœpiſſe. Ex quo certè confici velim quantum Deum inter & homines interſit, quod inter hujus illiuſque conſilia ac molitiones ſit intervallum.

Nos tricubitales homunculi, terræque ſarcina, ſi opera ducimus, ſi puſillo in Orbe meditamur magna; lucem volumus, ſolem amamus, & noſtra luci ſolique objicimus, ut ab illo pateant mortalibus oculis & malè niteant. Secus omninò Numen altiſſimum, mundi rector & arbiter: hic enim in obſcura nocte, inglorius tenebris prima ducit rudimenta mundi, & rerum maximarum initia molitur; ut unius cœcæ noctis umbra, tenebrarumque involucris opus omne ſuum obtegat atque involvat; donatque etiam à nobis

bis ſic velari oportere; præclaro ſanè ſtudio demiſſionis & animi humana omnia infra ſe deſpicientis.

Et illa tibi à Sole morum documenta: eadem etiam ab oculo parvi mundi, id eſt tui corporis lucerna, & ſi voles altero ſole: hoc enim ſuggerit Philoſophorum lyceum & medicorum affirmat ſchola; pupillam oculi, quò nigrior fuerit, eò acutius objecta reddere, eoque melius, quò profundior.

Quiſquis es Sacerdos, es Eccleſiæ quod Univerſo ſol, quod oculus corpori: ideoque quò à tui contemptu nigrior, quò ab humilitate fueris profundior, eò aptior regendo magno corpori, id eſt Eccleſiæ. Ad hanc potiò profunditatem te ducit ea corporis inclinatio, quam inter ſacra uſurpare ſoles; ſi modò illa animi inclinationem ut debet, etiam exprimat.

CAPUT IX.

De Cæremoniis Miſſæ; iis maximè, quæ verbis exprimuntur.

DIxit olim, & ſcitè quidem Orator Romanus ne hiſtrio videar in ſcena, quod non videat ſapiens in vita. Ille ut auditorum oculis auribusque ſerviat, ejus mores geniumque induere ſolet, cujus perſonam in ſcena ſumpſerit exhibendam. Si Regem ille ementito ad tempus habitu, aſſumpta purpura ſceptroque, defert in theatrum; Regis ora, vultus, oculos, frontem oſtentare nititur: & licèt è vili luto, agreſtique caſa, prognatus ſit; ſe tamen ipſe ſuperat, ut Crœſum, ut Alexandrum, ut Cæſarem præſtet. Tu verò quiſquis es altiſſimi Sacerdos, non dico Regis, non Crœſi, non Alexandri, aut Cæſaris alicujus, ſed Chriſti Servatoris perſonam in ſacra templorum adyta infers atque importas: vide qua corporis compoſitione, quo oris nitore, qua frontis elegantia, quo devotæ mentis apparatu. Theatrum ingrederis nobile auguſtumque proſcenium, in quo non mortale tantùm genus, ſed immortales aſſiſtunt genii, & teipſum à capite ad calcem explorant, rimatur omnes animi latebras, voces excipiunt & oracula ſacrificantis, geſtuſque omnes obſervant: vide ne quid in his leviuſculum, in illis diſſonum ſit à perſona quam ſuſtines.

Ne porrò ſit; paucis explicabo nonnulla verba, ſacraſque orationes, quibus inter auguſta Miſſæ myſteria uteris; in illis enim potiſſima pars actionis illius videtur eſſe repoſita.

§. I.

De Introitu.

DE Nomine prima inſtituetur quæſtio, tum altera de re, tum denique alia de authore, fineque quem ſibi Sancta Mater Eccleſia præfigendum putavit.

Introitus ab introeundo dictus has potiſſimùm ob cauſas. Sacerdotibus antiquæ legis, è veſtis ora pendebat ſeries tintinnabulorum, quorum tinnitu ſonoque monebatur populus, quod jam ſanctuarium ſubiret Sacerdos, cui etiam animos piaque vota conferre jubebatur; ſicque hac ratione ad ſacra vocabatur tota concio, quæ convenerat. In nova lege alia atque alia ratio fuit.

Primùm enim in veterum monumentis lego, populum ad ſacra Miſſarum ſolemnia evocatum humana voce, validoque clamore; tum deinde quaſi feſtivo tubarum clangore; tum denique ſonoro campanarum ære pulſuque. quorum primus author fuiſſe creditur S. Paulinus, Nolæ Epiſcopus, & inde campana dicta eſt Nola, ut vel ſuo nomine, locum ſibi veluti natalem proderet atque commendaret. Ubi verò populus in veneranda templorum adyta ſic eſt accitus; ut etiam de propinquo officii ſui moneatur, è choro Clerus omnis, alta concinnaque voce ſacrum carmen accinit, ut ex eo doceantur Chriſtiani ſeſe componere ad ſingularem quandam in ſuperos pietatem: & hinc à nonnullis Introitum dici placuit, quod tum populus, qui in primis hærebat adytis, in Sancta Sanctorum evocetur atque introeat.

Et iſta de nomine quæſtio: ad rem ipſam venio. Conſtat Introitus antiphona, & verſu plerumque è Pſalmo petito. unde enim potius? Sunt Pſalmi dives & opulenta affectionum omnium officina, continentque eximia quædam pietatis incitamenta; ideoque à Radulpho rectè componuntur cum manna: *Prop. 9.* quia ut in hoc omnis erat ciborum ſapor, ſuavitas omnis & innoxia gulæ irritamenta; ita & in Pſalmis guſtus quidam inſidet, & ſapor divinorum.

De authore Introitus ſua quoque inter Doctores controverſia.

Theologum legi, qui dicat olim ante Miſſam *Dur. 4. l. de* cantari ſolitos Davidis Pſalmos centum quinqua- *div. Off. c. 5.* ginta, non una ut opinor orationis ſerie, vociſque tractu (is enim in longum abiiſſet, etiam fortè plus quàm ratio temporis & pietatis æſtus ferrè potuiſſet:) ſed quod verò ſimilius eſt, alios atque alios à ſic ut aliquot Miſſarum lapſu totum Pſalterium decurreretur.

Res ea deinde, ut in humanis fieri ſolet, ad regu- *L. de divin.* lam normamque revocata à Cæleſtino Papa, ut credit *Offic. cap.* Alcuinus, qui eum Pontificem authorem facit illius *quid ſig. veſtium.* quod Introitum appellamus.

Priuſquam id è ſede Petri ſtatuiſſet ſummus Eccleſiæ Præſul, Miſſæ primùm prælegebatur Epiſtola Pauli, tum Evangelium. Imò D. Gregorius credit, ſub initia ſurgentis Eccleſiæ, Apoſtolos orationem Dominicam tantùm adhibuiſſe.

Malunt tamen alii introitum è Pſalmis petitum ad *L. de Eccleſ.* ipſa Apoſtolorum tempora revocare: certè magnus *Hierar. c. 3.* Dionyſius Apoſtolis coætaneus meminit Pſalmorum, qui ſub initium Miſſæ prælegebantur. Et iſta ad Authorem attinent.

Venio ad finem & ſcopum, quo collimavit Eccleſia. Dum Sacerdos ad aras introit, Chriſtumque exhibet Sacerdotem in æternum, qui è ſinu Patris, ceu divino quodam ſacrario, egreſſus eſt, ut ſeipſe hoſtiam offerret pro ſalute generis noſtri; ſic introeuntem voce cantuque ſequitur chorus omnis, & pios verſiculos iterum iterumque repetit ac geminat.

Ea geminatio oſtendit quæ fuerint olim ſuſpiria, qui gemitus Prophetarum & Sanctorum Patrum, qui è longa illa triſtique nocte, è limbi clauſtris ac repagulis, validos in cœlum clamores emittebant; ut ex iis tandem aliquando Dei Filium evocarent atque excirent. Et hæc dicta velim;

Primùm ut Sacerdoti ad altare introeunti ſuccurrat animo cujus ipſe perſonam ſuſtineat, cujus geſta vitamque exprimat. Chriſtum exhibet, quem Pater Æternus introduxit in Orbem terræ, & dixit: *Adorent eum omnes Angeli ejus:* quanta in eo dignitas; majeſtas quanta! Chriſtum oſtentat Servatorem generis noſtri, qui ad aras, ad Crucem aſcendit, ut in eo ſaluti noſtræ cadat victima: quantus in eo amor eſt, quam effuſa caritas! Et hæ tum temporis Sacerdoti injici debent cogitationes, ut ſupparem Salvatori animos induat, eaque ſe ſiſtat, qua ille quondam caritate & animorum zelo.

§. II.

De Pſalmo Iudica, *& Confeſſione generali Sacerdotis.*

A Signo Crucis exorſus Sacerdos alterna voce, cum Miniſtro legit Pſalmum *Iudica me Deus,* *Pſal. 42.* Mos ille Pſalmos & Antiphonas alternis verſibus decurrendi manavit primùm è cœlo. Iſaiæ enim *Cap. 6.* recluſum illud cùm eſſet objecta viſio duorum Seraphinorum,

phinorum, qui clamabant alter ad alterum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Ab illa Caſſiod. l. 10. c. 9. cœleſti vocum alternatione in terras emiſſus Antiphonarum uſus, quarum author S. Ignatius, eas Eccleſiæ Antiochenæ tradidit, æmulatione quadam cum Angelorum concentu, quos alterna vocum modulatione Sanctiſſimam Trinitatem laudare audierat.

In hoc porrò Davidis carmine, metroque ſacratiore, tria ab immortali Deo poſtulat Sacerdos, priuſquam ad aras gradum ſaciat.

Primum diſcerni de gente non ſancta & profana; procul enim à ſacris eſſe profani.

Tum deinde affulgere ſibi radium aliquem divinæ lucis ac veritatis.

Tum denique Prophetarum more duci, admittique in montem ſanctum, in cœleſtem Jeruſalem, in qua omnibus inceſſat lætitiis.

Hæc ubi Davidica voce peregit, tum delabitur ad confeſſionem generalem, ut ab omni peccati nævo liber, ad ſacra Miſſarum ſolemnia propiùs accedat. Hujus confeſſionis author dicitur Pontianus, qui centum quinquaginta annis ante Damaſum Papam vixiſſe legitur.

Valet ea confeſſio, tum ad peccatorum omnium deteſtationem, tum etiam ad remiſſionem venialium, de qua agitari ſolet inter Theologos quæſtio, An ea confeſſio à Sacerdote facta, remittat peccata venalia non tantum ex opere operantis, ut conjuncta cum odio, fugaque commiſſi ſceleris, pioque motu pœnitentis, verùm etiam ex opere operato.

Doctores Scholaſtici hic diſcedunt trahunturque in duas ſententias; quas priuſquam evolvam, ex communi ſcholæ ſenſu, & Theologiæ placitis, id ſtatuo, eſſe in Eccleſia, tum Sacramenta, tum etiam ea quæ dicuntur & ſunt Sacramentalia, inter quæ magnum omninò diſcrimen.

Primum enim Sacramenta à Chriſto inſtituta, eum unum authorem agnoſcunt & amant; Sacramentalia verò Eccleſiaſtica authoritate excitari poſſunt virtute clavium, quas Eccleſiæ ſuæ reliquit Servator optimus.

Alterum, in quo ab invicem diſtant eſt illud, quod Sacramenta ſint veluti vaſa gratiæ, eamque conferant ex opere operato; ſint remedia peccatorum mortalium, quæ nunquam delent ſine infuſione gratiæ; eſt enim ea peccato lethali neceſſitas impoſita, ut nunquam extirpetur, niſi cœleſte ac divinum gratiæ germen inſeratur. At verò Sacramentalia ſunt remedia peccatorum venialium, eaque tollunt, etiam ſine aliqua gratiæ communione.

His ita ex veritate conſtitutis, ad quæſtionem meam redeo, eique paucis facio ſatis, & primum quidem illud conficio, quod extra litem & controverſiam eſt, Sacramentalia ex Chriſti beneplacito, Eccleſiæque inſtitutione, virtute clavium, delere peccata venialia; ejuſmodi ſunt aqua luſtralia, benedictio Epiſcopalis, & ſimiles actus quos Theologi recenſent.

Alterum, inter Sacramentalia reponi poſſe confeſſionem generalem, & quod inde conſequens eſt, peccata venialia relaxare, ut cum Theologis loquar, ex opere operato.

Pro hac ſententia præſidium peto ex Canone de quotidianis, diſtinctione tertia de pœnitentia, ubi ea vis confeſſioni, quæ inter ſacra Miſſarum ſolemnia fit, attribui videtur.

Accedunt & pondus addunt huic meæ aſſertioni Tom. 3. l. 4. c. 68. volect. de ſacram. p. 1. ad 6. In 4. d. 15. [illegible], 14. Theologi magni nominis. Valdenſis, Melchior Canus, Major, victor, Sotus, Valentia, aliique quamplurimi, quorum ſententiæ ſubſcribere in præſentia magis pium, & excitandæ devotioni opportunum videtur. Scio alios contra ſentire, & loqui, & In 4. d. 15. q. 2. ar. 3. Tom. 4. d. 7. q. p. 1. in hac materia ut in aliis pleriſque eſſe Doctorum inter ſe pugnam: ego in ea, dum adhuc res eſt ſub dubio, illa ſequor & amo, quæ magis favent pietati.

L. 9 c. 13. Quod ſi in eam opinionem te non inclinat ea virorum magnorum authoritas; fortè adducet uberrimus ab illa confeſſione proventus.

Narrat Cæſarius Petrum religioſum adhuc juvenem & in primo ætatis æſtu, dum Villarienſi Abbati Miſſæ miniſtraret, & confeſſionis generalis formam decurriſſet, abſolutionemque excepiſſet, audiiſſe hanc è cœlo vocem, & hoc oraculum Dei miſerentis. *Dimiſſa ſunt peccata tua.*

Potuit equidem, non diffiteor, acceſſiſſe dolor aliquis pœnitentis animæ, qui maculas illas elueret; at etiam potuit non acceſſiſſe, & uni confeſſioni vim eam omnem reliquiſſe.

§. III.

De Verſiculo, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

L. de divin. Offic. l. 4. ration. c. 5. DE hoc verſiculo, una, alteráve ſuccurrit quæſtio; quis nimirum illius author, & quæ ratio inſtitutionis.

L. 2. de div. Offic. c. 22. De authore non convenit inter antiquos. Alcuinus & Durandus credunt verſiculum illum à D. Hieronymo compoſitum.

Hugo de S. victore cenſet editum à Concilio Nicæno, & toto Oriente, Occidente, & Africa diffuſum.

Referunt alii ad tempora Conſtantii Imperatoris Ariani, ſub quo vigebat, ea hæreſis, quæ & Filio, & Spiritui Sancto Divinitatem per ſummum nefas adimebat: aiebatque Filium cum Patre eſſe quidem ὁμοιούσιον, id eſt ſimilis ſubſtantiæ, non autem ὁμοούσιον, hoc eſt ejuſdem. Ita tum temporis Orbis univerſus ferè in duas ſectas diſceſſit. Una Arianorum fuit, altera Catholicorum. Ut hi fidem ſuam proderent, ad calcem ſingulorum Pſalmorum addebant ſolemne illud & divinum acroama: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

Contrà verò Ariani, ut perfidiam ſuam teſtarentur, reddere ſoliti *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.* Ita Ariano more, id eſt, hæreticè & perfidè. Eadem quoque veræ fidei formæque corruptela in baptiſmi formam evaſit. Catholici enim dicebant. *Ego te baptiſo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ariani contrà. *Ego te baptiſo in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto.* Quam formam etiam miraculo damnarunt ſuperi. Ut enim refert Theodorus L. 2. collect. circa Annum 500. Lector, cùm Deuterius Epiſcopus Arianus, baptiſare vellet quendam, cui nomen erat *Barbas*, ſpretaque forma Catholica, erupiſſet in eas voces: *In nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto;* derepentè è manibus, ex oculis evanuit aqua baptiſmo parata & infuſa. Diceres aquæ elementum, quamvis expers ſenſus ac vitæ, ſenſiſſe tamen formam hæreticam, eamque damnaſſe. Adeo non ſuperis modò & hominibus ea fuit odioſa, ſed & ipſi aquæ elemento inviſa, quod tantæ impietati, impuroque lavacro ſubſervire recuſavit.

Hoc miraculum ubi ſenſit viditque *Barbas*, adhuc Catechumenus, ab impiis Arii caſtris ad Catholicos tranſiit, miraculum vulgavit, & ſacro ritu, formaque Eccleſiæ conſueta baptiſmo probè tinctus. Sed ab illo redeo ad ſacrum illud epinicium. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Invenitur etiam illud in Liturgiis D. Jacobi, & D. Marci; ex quibus liquidò conſtat jam inde ab Apoſtolis uſurpatum, cum aliquo tamen diſcrimine: nam apud Jacobum dicitur *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc, & ſemper in ſæcula.*

Statutum deinde à Concilio Romano ſub Damaſo Anno 382. Papa, ut ille ipſe verſiculus ad calcem ſingulorum Pſalmo-

Pſalmorum pro coronide adderetur. Utque in eo legas quis fuerit ſenſus antiquitatis, quæ Majorum noſtrorum pietas ac religio; noveris invaluiſſe quondam inter Monachos illam conſuetudinem, ut ille ipſe verſiculus eſſet pro forma ſalutationis. Si enim alter alteri de vis occurriſſet, dicere ſolitus. *Ora Pater*, tum ille quaſi dicto audiens, ſubjicere: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:* quem orandi, ſalutandique ritum ut probarunt vel maximè ſuperi, ita & inferi improbarunt.

Cap. 119. Narrat Sophronius in Prato ſpirituali, Dæmonem olim in habitu Monachi ſeſe Euſebio Abbati exhibuiſſe. Hic eum è veſte Monachum credens, de more dixit illi: *ora Pater.* Tum malus genius ut parere videretur, neſcio quid inſulſum ſubmurmurans, & maledico dente mandens, ad extremum adjecit illud, *ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper.* Cui Euſebius propoſiti tenax, piique inſtituti retinens, illicò præpoſuit illud, quod præpoſuiſſe jam oportuerat. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Non tulit eas voces infelix Dæmon: diceres iis quaſi fulmine percuti, & in tartara adigi; ita enim ſubito ex oculis abiit.

Sed hactenus de authore, inſitique ei verſiculo religione: rationem cauſamque inſtitutionis verbulo ſuboectamus. Hæc inter alias prima princepsque fuit, ut eſſet quaſi publica ac ſolemnis profeſſio fidei noſtræ, & veluti teſſera, qua Catholici ab hæreticis diſcerni poſſent. Videbant enim majores noſtri pro indita ſibi à Deo luce, lapſu temporis & ſæculorum, fore ut contra hoc Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, tanquam caput arcemque religionis noſtræ, enaſcerentur variæ hæreſes, quaſi totidem Hydræ, & immania monſtra; quæ ut præſcinderent, extulerunt auguſtum illud divinæ Triadi epinicium. *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto.*

§. IV.

De ſacris illis vocibus, Kyrie eleyſon, Chriſte eleiſon.

AB introitu Miſſæ, & cornu Epiſtolæ, deflectit Sacerdos ad medium altaris, ibique ſtans & in cœlum erectus emittit illas ſupplicis animi voces, *Kyrie eleiſon*: quas enim potius? Pro ſe, pro populo orator aſcendit, ut redeat exorator: à divina Miſericordia initium ducit: ab illa quippè omnis boni principium.

De hac oratione ſuboritur primùm quæſtio, quis illius author? Tum cur Græca lingua? Cur eo numero? Tum denique quæ illius vis, ut benigna in nos & prona ſit Superûm Deique inclinatio?

Lib. 4. c. 12. Durandus cenſet ſolemnes illas voces, *Kyrie eleiſon*, inventas eſſe & Miſſæ inſertas à D. Gregorio: ex vero tamen nec eas invenit, nec inſtituit: ſed cùm lapſu temporis ac pietatis in diſſuetudinem abiiſſent, pro cura Paſtorali revocavit, & fortè ut novies diceretur pro ſua pietate decrevit.

Lib. 4. ſent. d. 13 q. 2. art. 4. Sotus exiſtimat eam ſupplicationem à S. Silveſtro à Græcis ſumptam, & ad Latinos tranſlatam.

Verius alii, eas voces jam inde ab Apoſtolis uſurpari ſolitas, ut videre eſt in Liturgiis Divorum Jacobi & Marci, ex quibus intelliges morem illum, modumque ſupplicandi, fuiſſe perantiquum.

Sed cur inquies Græca voce? Cur non potius Latina, ut aliis Miſſæ orationibus conſonarent?

Epiſt. 178. D. Auguſtinus Græcas voces ideo retentas ait, ut quà Latinos, quà Græcos unum eſſe Dei populum fateremur, ut unius Fidei, uo & vocis debere eſſe communionem. Habet nimirum illud Chriſtiana humilitas, & linguas & animos uno caritatis vinculo nectit ac maritat. Ita cùm terra eſſet innoxia, erat (ut Scripturæ verbis utar) *labii unius*: ad eam ætatem te revocat pia Mater Eccleſia, amatque ut fideles ſui idem & ſentiant & loquantur.

Iſidorus id factum ait amore venerandæ antiquitatis, quæ primùm eas voces uſurpavit, & quarum retinentes poſteri eſſe debuerunt. Lib. 6. c. 19.

Turrecremata, quòd inter Gentiles, Græci omnium primi fidem admiſerint, imò è Græcia Eccleſiæ principes Petrus ac Paulus Romam advenerint, ut ad Latinos quoque eadem religio transferretur; ut iret in poſteros omnes, à Græcis ad Latinos tranſiiſſe fidei lucem, ſolemnem illam orationem in acceptæ religionis teſſeram, in monumentum æternamque beneficii memoriam retineri placuit. Gan. Iacob. de Conſecr. d. 1.

Viſum aliis datum illud ſapientiæ, quæ tum temporis apud Græcos florebat quàm maximè; erat enim ea precatio teſtis & index altioris ſapientiæ, quæ Divinæ Miſerationi ſe ſuſque ſubmittit. Et hæc pro Græco idiomate; quæ ſubjungam pro numero militant.

Iteratur novies ea oratio, tum *Kyrie eleiſon*, tum *Chriſte eleiſon*. quæ cauſa? Dixit olim ex antiquis quidam Deum Opt. Max. calculorum numeris delectari. alius, numero Deus impare gaudet: ſed cur novenario?

Puſillus homo, terræ pulvis & fugacis ævi ludus, in æternitate aſcribi rogat, & aſſociari novem ordinibus Angelorum: Opus illud nec indulgentis naturæ eſſe poteſt, nec vindicis juſtitiæ, ideoque miſericordiam appellat; noviesque geminat eaſdem ferè voces, ut à novem beatarum mentium ordinibus ad ipſius ſupremi Numinis aures appellat ea ſupplex oratio: Domine miſerere, Chriſte miſerere.

Obnoxius eſt homo (quæ immanis ejus eſt miſeria) obnoxius, inquam, ignorantiæ, culpæ & pœnæ: ut ea à ſuo capite, à ſuis cervicibus amoveat, cœlum ſuſpicit, miſericordiam inclamat, & ter ſingulas perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis appellat. Nimirum quiſquis vel uni peccato mortalis ſeſe inclinat, in Deum erigit, Patrem petit, Filio inſultat, Spiritui Sancto illudit; eoque dignus eſt qui ingenti ſupplicii mole obruatur, penitusque perdatur. Ne porrò ita malè pereat, quamdiu breves hujus mortalis vitæ conceduntur induciæ, ter Patrem, ter Filium, ter Spiritum Sanctum compellet & ingeminet auguſtum *Kyrie Domine*, & hoc amabile, *Chriſte*, ut à Domino ſervus, à Chriſto Chriſtianus audiatur, & miſericordiam cœlo propitio conſequatur.

Ab illa etiam liber eſſe volet à novem peccatorum generibus, ceu totidem naturæ ſtygiiſque monſtris, quibus impetitur. Eſt enim peccatum originale, veniale, mortale; eſt peccatum cogitationis, locutionis, operis; eſt ſcelus in quod humana fragilitas inclinat; eſt aliud, in quod cæca devolvitur ſimplicitas; eſt denique & aliud, in quod ſua ſponte ruit malitia: ab his & ab illis omnibus liberari cupit Sacerdos, ideoque novies repetit eaſdem voces *Kyrie eleiſon*, & velut novem tela in hoſtem intorquet.

Ne mirere quod appellem tela; ut enim in his militare robur, ita & in illis vis elucet Chriſtiana. Demus ejuſce rei argumentum ex hiſtoriis, veterumque monumentis petitum: major fides eſt rebus quàm verbis.

Si Rabbinis credimus, ubi Salomon abſolvit auguſtam illam templi molem ſtata die; cum ingenti populi concurſu, procerumque corona, ad eam lætus alacerque perrexit: verùm inexpectato prodigio territus & ſubſiſtere coactus; derepentè enim templi valvæ, quæ prius explicatæ erant & patentes, ita penitus occluſæ, & ex oculis propè ſubductæ, ut nemo unus omnium videre poſſet quà in ſacram ædem daretur aditus. Id prodigium primò attonitos habuit, deinde ad preces excivit pro placando Numine ſi fortè ſubiratum foret. Preces porrò fuere per nomen David; *Memento*, inquiebat Salomon, *Domine*

David.

David. Ad eas voces ſubito apertæ valvæ, obviusque apparuit aditus: crederes Davidis nomen Salomoni populoque pro clavi fuiſſe. & verò, re etiam ipſa fuit.

Quod Salomoni Davidis nomen, hoc magno Baſilio fuere duæ voculæ *Kyrie eleiſon*, quas cùm expreſſiſſet pius Præſul, portæ Ticinæ Eccleſiæ, quæ prius ſtrictè clauſæ, nemine manum admovente apertæ
Duran. l. 4. c. 12. ſunt. Et hinc in toga & pace ab illis vocibus præſidium. Vis in ſago & Martio pulvere? Illud tibi dabit S. Geminianus ſua ipſe experientia bonoque edoctus.

Mutinæ Civitati imminebat Attila, vulgò *Dei flagellum*: ingens erat exercitus, immanes copiæ, barbarus furor, cui impar vis omnis videbatur. Ubi humana deſunt, ad divina confugere virtus docet: & certè confugit S. Præſul pro ſuo grege piè ſollicitus: elataque mente protulit ſupplices illas voces *Kyrie eleiſon*. Et ecce mirum dictu viſuque, omnes illæ copiæ, quæ jam civium cervicibus incumbere, quæ mœnibus inſidere videbantur, in fugam actæ ſunt: diceres adverſo hoſte premi, à tergo urgeri & immenſa telorum nube peti atque opprimi. Nimirum pro hoſte, pro telo fuere duæ voculæ *Kyrie eleiſon*, quæ omnes barbarorum conatus irritos fecêre, omnem impetum fregêre.

Theophil. l. 16. Nec adeo mirum, cùm & ipſa elementa domet eadem vis orationis. Juſtiniani tempore repentino terræ motu everſa fuit Antiochia: qui à ruinis reliqui fuere cives, nudis pedibus precabundi proceſſere, acclamantes illud in miſeriis vulgatum ac ſolemne, *Kyrie eleiſon*. Vix ea vox in cœlos evaleral, cùm divino oraculo moniti ſunt, ut domorum relictarum ſuperliminaribus inſciberent *Chriſtus nobiſcum, ſtate*. Legerunt ſuperi vindices has miſericordiæ notas, hos amoris typos, hanc teſſeram pacati Numinis, & in miſeros mortales ſævire deſierunt.

§. V.

De hymno: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus. *Luc.* 2.

SAcer ille Eccleſiæ hymnus in duas omnino partes abiit. Una è cœlo petita authores habuit Angelos, cœleſtes illas intelligentias, beatos ſpiritus, qui naſcenti Chriſto auguſtum illud accinuerunt acroama. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus.*

Altera pars è terris ducta hominum opus fuit. Quorum autem, ſus inter antiquos ſuper ea re lis eſt ac contentio.

Microl. c. 46. Sunt qui authorem faciant Symmachum. Aſcribunt alii S. Hilario Pictavienſi Epiſcopo.

Alcuin. l. de celeb. Miſſ. Authorem alii volunt fuiſſe Teleſphorum.

Innoc. l. 2. c. 20. Alii ab Eccleſiaſticis Doctoribus compoſitum, ne oni cuipiam ea laus tribuatur in re ancipiti & dubia: ita cenſuit Toletanum Concilium. Ut ut ſit, ex illa
III. ſententiarum pugna, ſcriptorumque inter ſe diſſenſione ſatis liquet, eam in occulto eſſe. Hoc tamen in aperto eſt: in Liturgia D. Jacobi tantùm exprimi eam partem, quæ ab Angelis compoſita & expreſſa; cui aliam addidit Eccleſia, ut tota iret in Dei laudes:
In Pſ. 148. quidni enim tota? *Cùm laudatis Deum*, inquit Auguſtinus, *toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta, Deum toti laudate.*

Ne omnes illius hymni partes ſequar, paululum hærebo in ea, *Et in terra pax hominibus*; pax inquam, cum ſeipſis, pax cum Deo, ter optimo, ter maximo. Illa ducitur à conſcientia, cui eſt benè, cùm à pravis affectionibus ſua quies conceditur.

Conſcientiam Hebræi dixere, *Leb*, id eſt, *cor*, quòd magna ſit cordis & conſcientiæ cognatio atque affinitas. Eſt cor ut caloris, ita & affectionum propè omnium officina, hinc ab illo micationes arteriarum, venarumque pulſus, index benè aut malè affecti corporis. Sic à conſcientia, ceu paſſionum omnium indice, panduntur omnes animi motus, iique alii atque alii. Si enim ea pacata ſit & tranquilla, ab ea ſpes enaſcitur, gaudium & lætitia: ſin autem à ſcelere turbida & everſa; tum infelici animæ inſultat timor, pudor obruit, enecat ingens mœroris ac triſtitiæ vis, & acre domi bellum eſt: Qui illud oderit ſe pacem amarit, neceſſum eſt, ut ille conſcientiæ ſuæ conſulat, eamque à noxa liberam ſervet: tum ei à cœlo pax, quia ut ait Ambroſius: *Ubi Domini gratia, ibi debet eſſe pax Domini.* Et hæc in præſentia ſufficiat attigiſſe: cætera ejuſdem hymni verba omitto, quia pro ſe ſatis illa loquuntur, & ſeipſa explicant.

§. VI.

De ſolemni illa ſalutatione: Dominus vobiſcum.

SAcerdos ad populum verſus, cum ſacris ipſe verbis ſalutat, precaturque quàm optimè: *Dominus vobiſcum.* Eſt ea ſalutatio è Scriptura petita, & à viris ſanctis beatiſque ſpiritibus uſurpata.

Ita quondam Angelus Gedeonem virorum fortiſſimum legitur ſalutaſſe. *Dominus tecum virorum fortiſſime.* Iudic. c. 6.

Ita Booz meſſoribus adulta jam die, & imminente altiùs ſolis æſtu benè precatus: *Dominus vobiſcum.* Ruth. c. 2.

Ita Prophetæ magni, victori Aſa, ejuſque exercitui jam laureato accinere cœperunt & lætum illud acroama. *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo.* 2. Paralip. c. 15.

Ita denique Gabriel, cœleſtis ille paranymphus Beatam Virginem auditus eſt compellaſſe. *Ave gratia plena, Dominus tecum*: & ab illa ſalutatione prima Luc. c. 1. duci cœperunt ſalutis noſtræ rudimenta.

Ab illo Scripturæ ritu, cœlique genio factum eſt, ut hæc ipſa ſalutatio adhiberi ſit ſolita etiam ab Apoſtolis, qui populo ita benè apprecati: *Dominus vobiſcum*: non intima tantùm præſentia, qua abeſſe non poteſt, cùm ſit immenſus; ſed auxilio & ſingulari quadam protectione, quæ ſummi Numinis beneficium eſt.

Hæc ubi à Sacerdote audit populus, reſpondet, *Et cum Spiritu tuo*; & illud quidem ex Apoſtolica traditione.

Hic immitti poteſt brevis quæſtio, quæ ad mores faciat, cur populus, cur Clerus, aut miniſter non reſalutet eadem forma, iiſdem propè verbis: *Dominus tecum.*

Videbitur fortè cuiquam ea quæſtio levioris momenti: ſed ut ejuſmodi videri poſſit, ex vero tamen magni eſt ponderis; ut enim acutè animadvertit Albertus, cum ſubjicit miniſter, *Et cum Spiritu tuo*, tacitè monet Sacerdotem in ara conſiſtentem pœnè ſine corpore eſſe oportere, ut totus ſit ſpiritus, expers corporeæ molis ac ſollicitudinis, ac Deo velut immerſus, qui ſcilicet quantus eſt ſpiritus eſt.

Monet deinde quanta vis boni exempli, quomodo populi vox & vita conſona eſſe ſoleat vitæ Sacerdotum. Benè precatur Sacerdos, & benè precatur populus; benè vivit ille, & hic etiam benè: tantum in illius voce ac exemplo poſitum eſt momenti, ut certè digna ſit Pontifice, digna Petri ſede illa ſententia, illud oraculum magni Pontificis Clementis, cujus meminit Emilius in Ludovico Rege. *Non antea ſanctis vivetur moribus, quàm imbuti ſanctitate ſint morum magiſtri: videmus enim ſubditos æmulari mores ſuperiorum, eo prorſus modo, quo umbra corpus.*

§. VII.

De Collecta, & voce Hebræa Amen.

AB illa ſolemni ſacraque ſalutatione ſubjicitur oratio, quæ vulgò *Collecta* dicitur, quia Sacerdos ſungens legatione ad Deum pro populo, hujus vota preceſque compendioſa quadam brevitate colligit, æternoque Numini legenda quodammodo objicit. Ubi porrò ſic objecerit, ſicque pro populo ſuperos oraverit, ut exoret, hic ſubnectit *Amen*.

Eſt ea vox Hebræa, de qua ſua lis ac diſceptatio. Eam enim Septuaginta ita reddunt, *Amen*, id eſt, *fiat*.
Epiſt. 137. S. Hieronymus Epiſtola ad Marcellam *fideliter*. Ori-
Tract. 35. in Ioan. genes *verè*. Alii *certè*: quidam *etiam*, vel *ita eſt*. Hæc eſt authorum pugna de una vocula *Amen*, ex eo orta, quod aliter atque aliter accipiatur; modò enim adverbium eſt affirmantis, modò optantis.

Porrò mos ſacratæ precationi ſubdendi *Amen*, jam inde ab Eccleſiæ cunis, primiſque initiis invaluit,
Cap. 25. ut teſtis eſt Tertullianus libro de ſpectaculis, ubi acriter eos reprehendit, qui uno eodemque ore & Sacerdoti & hiſtrioni reſponderent, *Amen*.

Ita habet ſeverus morum cenſor, & antiquitatis amans in paucis: *Manus, quas ad Dominum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare: ex ore, quo amen in ſanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere*, profanum, ſacrilegum, impium: hæc ille. Ex quibus apertè colligas, quis olim fuerit piorum ſenſus, quis æſtus devotionis, quæ obſervantia religionis, vel in una voce *Amen*: quam adhiberi ad profana nefas fuit, ne ludis, ne vanitati aperiretur illud os, & explicaretur ea lingua, quæ vel uni ſacræ voculæ aliquando patuerat: Quod ſi vel in uno verbulo ita religioſi fuere majores noſtri; in aperto eſt, quàm in aliis Miſſæ & Orationum officiis ſeveri, & prope ſcrupuloſi extiterint: contrà, laxior eſt ætas noſtra, & in hoc profana, ne dicam impia, quòd ſæpenumero religioſas ſacraſque voces ad petulantes jocos detorqueat.

§. VIII.

De Epiſtola, Graduali, Tractu, Verſiculo, Proſa, Evangelio.

COllectam excipit Epiſtola, eaque ferè è veteri Teſtamento vel litteris Apoſtolicis petita: antiquo ſanè more, qui à Judæis originem traxiſſe videtur: apud hos enim per omne Sabbatum lectiones ex Prophetis in Synagoga explicari ſolitæ.

Præmittitur autem Epiſtola Evangelio, quia lex vetus & Prophetæ Evangelicæ prædicationi præcurrerunt.

Legitur deinde in dextro altaris cornu, quia Chriſtus primùm ad Judæos miſſus, quos divina beneficentia in dextera locarat, ut populum electum, à quo tranſiit ad ſiniſtram, ad gentes, quibus Evangelicæ veritatis oracula prælegit.

Ne verò id temporis intervallum, quod Epiſtolam inter & Evangelium intereſſe neceſſum eſt, vacuum ſit, inſeritur *Graduale*, quandoque etiam *Verſus*, *Tractus*, *Proſa*.

Graduale authorem agnoſcit Cæleſtinum Papam; & id nomen invenit, quia canitur dum Diaconus aſcendit ad Evangelium decantandum: innuitque debere nos à virtute in virtutem gradatim veluti aſcendere, & ab Epiſtola ad Evangelium, hoc eſt à caligine, à nocte antiquæ legis, ad novæ lucem ac ſolem aſpirare.

Verſiculus eſt vox Hebræa & peregrina, videlicet *Alleluia*, index effuſæ lætitiæ & ſanctæ exultationis; *Alleluia* enim, id eſt *laudate Deum*, vel *laus Dei*: *Hallelu* quippe hoc eſt laudate, *Ia* verò unum eſt è decem Dei nominibus, cumque ex vero Univerſalem oſtentat, à quo derivetur ac pendeat quidquid in univerſo eſt ſingulare.

Et quia gaudii nota eſt *Alleluia*, ex Eccleſiæ inſtituto omittitur in Quadrageſima & hebdomada ſancta, quæ luctum amat & ſequitur, conſentaneum ſcilicet illi tempori, quo luget, imò patitur, & per extrema ſupplicia vitam in Cruce ſponſus animarum noſtrarum expreſſit.

Ita nimirum viſum eſt Patribus & toti antiquitati, cui tamen reclamat Lutherus, & in formula ſuæ Miſſæ, tam in Quadrageſima, quàm in Hebdomada ſancta legi vult, & effuſo clamore attolli lætum *Alleluia*: non quod ad Dei laudes pronus ſit, ſed ad maledicendum Eccleſiæ præceps, ea genio quodam hæreticorum, qui rem bonam præſtare ſe credunt, ſi tantum Eccleſiæ Romanæ contradicere videantur. Sed diſcedamus ab illis.

Subditur quandoque *Tractus*, ſive verſiculus è ſacris Paginis exciſus, qui quia lento ſpiritu trahitur, *Tractus* appellatur: conſonat ille luctui, & Eccleſiæ gemitus exprimit, longatque exilii noſtri moras deplorat.

Denique aliquando, licèt rariùs, ſubjicitur *Proſa*: ſeu verſus rythmicus ac numeroſus, cujus author fuit *Notgerus* primùm Abbas de S. Gallo, deinde Leodienſis Eccleſiæ Præſul, & orbis Legiaci auguſtum lumen. Proſas Eccleſiæ choroque dedere viri magni. Sacrum illud piumque carmen, *Veni Sancte Spiritus*, regia voce, calamoque edidit Robertus Rex Franciæ. *Lauda Sion Salvatorem* S. Thomas de Aquino, inſigne Decus Dominicanæ familiæ.

Subjungitur deinde & Evangelium, quod ex Apoſtolorum inſtituto in Miſſa prælegi debuit, ut videre eſt in Liturgia D. Marci.

Primis autem Eccleſiæ temporibus, cùm nondum ſcriptum extaret Evangelium, erat unus aliquis, qui verba faceret de ſacro-ſancta Chriſti Domini Incarnatione, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, & futuro quondam judicio. Nimirum adeo veneranda fuêre myſteria, ut neceſſe viſum ſit ea ſacris Miſſarum ſolemniis inſerere; primùm verbo, cùm nemo unus omnium calamo manum admoviſſet; deinde ſcripto, ubi à ſacris Hiſtoriographis Evangelicæ Hiſtoriæ ſeries emanavit.

Adhibentur verò nonnulli ritus omninò digni qui ſtylo notentur.

Primus is eſt: qui Evangelium legit, ſe munit ſigno Crucis in fronte, ore, pectore. In fronte quidem ſede pudoris, ne erubeſcat Evangelium. In ore, ut illud loquatur palam. In pectore, ut illius cauſa pectus obvium ferat & ferro & igni & quibuſcumque voles injuriis.

Alter ab eo ritus eſt, quod cereus incendatur, ut ab illius luce in oculos, in animum veniat altior omninò lux; Chriſtus, inquam, lux mundi, Orbis oculus, ſol Eccleſiæ, à quo in nos emanet cœleſtis intelligentiæ nitor, & purioris amoris æſtus atque incendia.

Legitur deinde Evangelium facie verſa ad Aquilonem: quia cùm ab Aquilone pandatur omne malum, à diabolo mittantur omnia tela; iis objicimus ſcutum fidei, quæ in Evangelio continetur. Denique infigitur ei oſculum, ſymbolum amoris ac venerationis: de quibus cùm antea fuſiùs diſſeruerimus, hic verbulo indicaſſe ſuffecerit.

Tranſeo ad quæſtionem, quæ à viris magnis à Sanctis Patribus, à Theologis immitti ſolet. Utrum Subdiaconus, qui ſolemni ritu habituque Epiſtolam legerit; Diaconus qui Evangelium, qui, inquam peccati mortalis malè conſcius id fecerit, ſit ne ille cenſendus lethalem animæ maculam contraxiſſe.

Doctores ſcinduntur in diverſas ſententias; quæ quia faciunt ad inſtitutum noſtrum, eas paucis tantùm attingam, & ſingulorum rationes explicabo.

D. Thomas

In 4. d. 24. q. 1. ar. 3. q. 2. D. Thomas, in ea quæſtione, hanc ſtatuit regulam, hoc in poſteros emittit pronuntiatum, eos omnes mortiferæ culpæ obnoxios teneri, qui aliquod ſacrum officium, quod iis ex ordinatione competat in peccato graviore exercuerint.

Rationem è principiis ſuis hanc deducit S. Doctor, quia indignè tractans res ſacras & ſacrilegii rei cenſendi ſunt: hoc autem ex ſuo genere ut mortale ſit, eſt neceſſe; utpote quod Deum omnis boni fontem petat, ejuſque ſacra auſu temerario violet.

Et hoc principio Silveſter & Angelus etiam id conficiunt, idem videri in miniſteriis inferiorum ordinum, ut Oſtiarii, Lectoris, Acolyti, Exorciſtæ, qui omnes ſi in peccato lethali ordinum ſuorum miniſteria obierint, novæ majoriſque noxæ rei videantur.

Non videntur tamen varias ob cauſas. Primùm enim verior ea ſententia, quæ aſſerit minores illos ordines in Sacramentis reponi non oportere. Accedit deinde, quod ea materia levis ſit: actus enim proprii minorum ordinum, licèt aliquo modo ſacri, non tamen adeo accedunt ad ipſum ſacrificii actum, aut Sacramentorum adminiſtrationem ratione cujus ea labes ſacrilegii contrahi videatur. Relinquitur ergo quæſtio de functionibus ſacrorum ordinum Subdiaconi & Diaconi: illi ex officio incumbit Epiſtolam; huic Evangelium populo prælegere. Quod ſi fortè (quod malum avertant ſuperi) & hic & ille in peccato mortali id audeat, cujus culpæ arguetur?

Verb. Clericus num. 2. Angelus num. 2. Duæ ſunt ſuper ea re ſententiæ: Una cenſet eos omninò culpam lethalem incurriſſe; ita Silveſter Angelus, Cajetanus.

Cajet. 2. 2. q. 4. ar. 2. Si ex iis authoribus quæratur hujuſce rei ratio, ea proferri ſolet, tum quod miniſterium illud ſit grave; tum quod proximè accedat ad ſacrificium: tum denique quod ad illud dignè exercendum ſpecialis quædam gratia per Sacramentum conferatur.

Huic rationi pondus ac momentum addit D. Paulus ad Timotheum ſcribens, ubi fusè diſſerit, quæ à Diaconis vitia abeſſe debeant, quæ virtutes adeſſe:
1. Tim. c. 3. ita habet magnus præco veritatis: *Diaconos pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi probentur primùm: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.*

Denique ad Scripturæ fidem addi poteſt authoritas Eccleſiæ, ſanctiſſimorumque Pontificum decreta, quæ capitulo ultimo de temporibus ordinationum, cavent ne Clerici iniqui in ſuſceptis ordinibus miniſtrent.

Ex his, aliiſque, id concluſum volunt authores illi, ſacris ordinibus initiatos gravius peccare ſi mortalis culpæ vinculis impliciti, aut Epiſtolam, aut Evangelium cecinerint.

In 4. d. 2. q. 1. ar. 6. In 3 part. tom. 1. diſp. 16 quæſt 83. art. 4. ſect. 3. Non deſunt tamen Theologi magni nominis qui id negent, & in mitiorem abeant ſententiam: hos inter, eſt Soto, è Dominicana familia magnæ inter ſuos opinionis, & Soarez è Societate JESU, à doctis ſcriptorum ſuorum monumentis Orbe toto notiſſimus. Et certè ſua illis ſuffragatur ratio.

Primùm enim non debet imponi id oneris, id vinculi, niſi ejuſmodi præceptum in aperto, in luce ſit: conſtat autem Eccleſiam, ut pote bonam Matrem, nuſquam ulla lege Diaconis aut Subdiaconis præcepiſſe, aut peccati mortalis minas intentaſſe, ſi fortè (quæ hominum eſt in malum conniventia) ſceleris alicujus rei Evangelium, aut Epiſtolam legere præſumſerint: caput enim ultimum de temporibus ordinationum, dum indicat monendos eſſe malos Sacerdotes, & ſub interminatione divini judicii obteſtandos, ut in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent; non excudit, non ſtabilit novam legem, ſed explicat eam, quæ cuique à natura eſt inſita; quæ gravis eſt, ſi materia in quam cadit, gravis fuerit; levis autem, ſi levis: hoc autem, ut cum Theologis loquar, ex objecto ſpectari debet.

Ex hinc emanat altera ratio, Actio, qua de agitur; puta Epiſtolæ lectio aut Evangelii non videtur adeò gravis materia, ut ſi quis eam obeat in culpa, de qua in præſens quæſtio, cenſendus illicò ſit illam maculam contraxiſſe.

Non eſſe autem adeo gravem materiam, ex eo deducit Suarez, quod actio, quæ in Subdiaconi aut Diaconi miniſterio exercetur, non ſit illo ſpeciali modo conſecrata & ſanctificata, quo ſunt actiones Sacramentorum, ideoque qui illam ſic exercuerit, nec cenſendus ſit Eccleſiæ gravem injuriam irrogaſſe, nec ſacrilegium grave incurriſſe.

Hæc Suarez, qui ut animi ſui ſenſa uberiùs aperiret, ea vult intelligi, ſi ſemel tantùm aut iterum id faciat, non autem ex habitu, & vitioſa quadam conſuetudine, ſi contemptus abſit aut ſcandalum: ſi enim quis adeo perditæ mentis ſit, & profligatæ vitæ, ut etſi ſe noverit peccati mortalis vinculis irretitum eſſe, in eo tamen perſiſtere velit, & paſſim ea ſacra munia præſtare, nulla habita ratione conſcientiæ ſuæ aut divinorum officiorum, tum certè is meritò eâ macula notari judicandus. Et ita in præſentia cum Suario ſentiendum & loquendum cenſeo: neque enim amo arctiores illas vias, & conſcientiæ labyrinthos, ubi laxior aliqua & planior aperitur, ex ratione, ex Doctorum placitis & authoritate: certè via quæ ad cœlum ducit, ſuo ipſa tramite arctior eſt, quàm ut à nobis arctetur magis, ſi modò aliqua ratione laxari poſſit.

§. IX.

De Symbolo.

EVangelium excipit Symboli lectio, eaque diebus ſolemnioribus jam inde à temporibus Apoſtolorum uſurpari ſolita, varias ob cauſas.

Una quidem, quia fides in ſecretiora animæ penetralia per auditum illabitur: Altera; quia ut corde creditur ad juſtitiam, ita ore confeſſio fit ad ſalutem. Viguit ea primùm in Oriente, à quo etiam manavit in Occidentem ſub Carolo Magno, quo adhuc ſuperſtite invaluit ea conſuetudo, ut inter Miſſarum Walfridus n. 226.
ſolemnia prælegeretur Symbolum Apoſtolorum, ut eſſet pro ſcuto, pro clypeo, contra emiſſam erebo hæreſim Fœlicis Urgelitani Epiſcopi: Ita nimirum fieri oportuit, ut hæc eſſet fidelium teſſera, & publica illius fidei profeſſio, quam ab ipſis Apoſtolis, Eccleſiæ principibus, hauſeramus. Romæ tamen aliquot ſæculis ea conſuetudo non fuit inducta, ſed primùm ſub Benedicto octavo, Pontifice Maximo.

Ratio in oculis eſt, quia cùm Roma non tantùm urbium princeps eſſet, & Orbis caput, ſed etiam fidei ſpecula & ſchola veritatis, non eſt viſa primis illis temporibus neceſſaria ea fidei ac religionis proteſtatio, quod pro ipſa ſtaret & loqueretur Roma, ipſaque Urbis majeſtas ac ſanctitas, & Petri ſedes: acceſſit tamen deinde, non tam lege neceſſitatis, quàm ſtudio religionis.

Porrò quadruplex eſt Symbolum. Primum omnium eſt illud, quod vulgò dicitur Apoſtolorum, quia eorum manu, calamo, ore receptum eſt, priuſquam in diverſas Orbis oras excederent. Continet illud præcipua religionis noſtræ capita, ea brevitate atque energia, ut Lutherus, qui tamen præcipiti audacia, excuſſo ſcilicet una cum cucullo omni pudore, in humana divinaque jura involavit; uni ferè Symbolo pepercerit, confeſſus in eo ab Apoſtolis traditam puram putamque veritatem.

Alterum eſt Concilii Nicæni primi, in quo congregati Patres contra impium Arii dogma, filium Æterno Patri conſubſtantialem proclamarunt.

Tertium eſt Symbolum Conſtantinopolitanum, editum in Concilio primo Conſtantinopolitano, & à Gregorio Nyſſeno conſcriptum: & in eo Spiritus Sancti Divinitas contra inſurgentem Macedonii hæreſim aſſeritur: & hoc eſt quod in præſentia dici ſolet in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio.

His quartum addi placuit, authoremque habet D. Athanaſium, ejus uſus eſt in officio diei Dominicæ: ut & fidei ſerviat & devotioni. Et hæc paucis notaſſe ſatis erit: non deſunt qui in hoc argumento, Symboliq́ue explicatione ſtylum longiùs duxerunt; eos conſulere poteris: ego brevitati ſtudeo, ne eum Lectoris tædio actum agere videar.

§. X.

De Præfatione.

DE Offertorio, ejuſque materia hîc quæſtionem non inſtituo, quia illa ad Theologos ſpectat, nec tam ad ſacrificii cæremonias (quas hîc lego) quàm ad ſubſtantiam pertinere videtur. Bona igitur lectoris veniâ, ad Præfationem gradum facio, de cujus nomine reque pauca quæro.

Dicitur Præfatio, quòd ſit prolocutio & præparatio quædam, ad eam actionem, in qua auguſtum illud ſacrificium continetur. Ut ea ritè cedat & ex voto, Primùm populo benè precatur Sacerdos, rogatque ut cum illo ſit Dominus; tum urget ut ſurſum attollantur corda, quà æſtu devotionis, quà rectitudine intentionis: de hac & illa extat illud D. Auguſtini pronuntiatum. *Bonum eſt ſurſum habere cor, non tamen ad ſeipſum, quod eſt ſuperbia, ſed ad Dominum, quod eſt obedientia.* (Lib 14. de Civit. c. 13.)

Videant illi, qui ſacrificio interſunt, num Myſtæ benè monenti obtemperent, num ea vero adjiciant illud: *Habemus ad Dominum*: plerique ſanè hoc ævo ſunt, quibus ea verba ore excidunt, non corde promuntur; labiis cœlos petunt, at animo & amore labuntur infima, in iiſque carneum & luteum cor immergunt. Hos acutiore ſtylo pungit Auguſtinus, probatque multis annonæ frumentique majorem eſſe curam, quàm animi & cordis; ſic enim eos arguit: *Frumentum tuum ſi haberes in inferioribus, ne putreſceret, levares ad ſuperiora: frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putreſcere*; quæ tamen ea naturæ inclinatione, ex gratiæ genio non eſt opportunus humano cordi locus, quippe quod terram deſpicit & cœlos amat. Ejuſmodi fuit magni illius Arſenii; cujus ex morientis ad diſcipulos voces. *Ibi, ubi*: ibi fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. (Aug. in Pſal. 85.) (In ejus vita)

Quod ſi omni hora locoúe jubemur ſurſum erigere corda (ſi modò ii ſumus, qui eſſe debemus) maximè verò eo loci ac temporis cùm è ſuperum regia labitur quodammodo Deus homo, & in Sacerdotis manus illabitur: & tamen quàm multi ſunt, qui, ut aureo ore, ſevera tamen eloquentia, ait Chryſoſtomus, *Qui ſub horam terribilis myſticæ menſæ, in vaniloquentia conventiculis occupati ſunt*, quibus quid dixerim, niſi illud cum D. Chryſoſtomo: *Quid facis, ô homo? Non promiſiſti Sacerdoti, qui dixit ſurſum corda, & dixiſti habemus ad Dominum. Non erubeſcis ea hora mendax inveniri?* Si alio tempore locoúe aliud loqueretur lingua, aliud cor meditaretur & excuderet, venia fortaſſis danda foret: at in templi ſacrario, Chriſti Regis, Servatoris oculis, in luce ſoleque illius majeſtatis mendacii impudentis reum teneri; næ inſolens & pudendum crimen: quod ut eluas, age, fac ut ori cor conſonet, conſpiretque lingua cum animo, & hic & illa tollatur ſurſum, ut dignos ſuperis fœtus admittat & concipiat. (Hom. de Euch. in Encæniis.)

Dicuntur in Indico mari conchylia ſeſe cœlum verſus aperire, ut uniones ac margaritas patenti, divitique ſinu gignere poſſint: nimirum à ſudo calentique æthere petenda gemmarum lux & amœnitas, non ab humenti frigidoque aquæ elemento. Quod illis, hoc tibi; à ſuperis ducendi partus Deo digni & beatæ æternitati. Ut porrò ducas, animæ ſinus & vota cœleſtibus aperi, & terrenis contrahe, tum deinde in uberes gratias erumpe, & memores tot beneficiorum voces explica. Hoc monent, imò & jubent illa verba.

Gratias agamus Domino Deo noſtro, quibus dum obaudis, illico ſubſcribis & lætus exclamas, *Dignum & juſtum eſt.* Cùm enim humanus animus, ceu molle ſubactumque ſolum, tota Deo beneficia, tanquam ipſius cœli Superúmque ſemina excipiat, neceſſum eſt ut pro iis gratus exiſtat. *Imitanda nobis eſt*, inquiebat olim Ambroſius, *natura terrarum, quæ ſuſceptum ſemen multiplicatiori ſolet numero reddere, quàm acceperit; aut enim ſpontaneos fructus germinat, aut creditos uberiori cumulo refundit ac reddit.* Hæc ubi melleo ore calamoque dixit & ſcripſit Ambroſius, tum ad hominem orationem ſtylumque vertit, & è terra communi noſtrûm omnium parente, hoc ducit argumentum. *Utrumque debes, quodam hæreditario uſu parentis.* Nimirum aut ſpontaneos fructus edere, aut certè ubi commiſſos cum fœnore reſtituere: ne in hoc terræ, ſenſus & animæ experti, tu mentis & rationis compos ceſſiſſe videaris. Iſto enim, ut ejuſdem eloquentiæ nervo evincit S. Doctor, *Eſto*, inquam, *ut aliquis excuſare poſſit, quod Deo ſuo largitori non dederit, quomodo excuſare poteſt quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere non licet.* (L. 1 Offic. c. 31.) (Ibidem.)

Hanc eo loco à terra petit ratiocinationem, ut homini gratos animos faceret; alio loco ex eâdem materiam ſumit, ut in ingratos ingenti eloquentiæ flumine torrenteque devolvatur.

Fœneratum, inquit, *terra reſtituit, quod acceperit; & uſurarum cumulis multiplicatum, homines ſæpè decipiunt, & ipſa fœneratorem ſuum ſorte defraudant: terra fidelis manet; & ſi quando non ſolverit, alio anno ſuperioris anni damna compenſat: ita ut nullum unquam diſpendium ſuo inferat creditori.* (L. 6. Hexam. c. 6.)

Videtur eò loci Deum optimum maximum componere cum fœneratore, mentes humanas cum terra, quæ niſi ſemina gratiæ, divinorumque beneficiorum cum fœnore authori ſuo reddant, ipſo terræ elemento deteriores eſſe convincuntur. Certè ab illo fœnore, multiplicatoque proventu, terra jam inde à prima Orbis infantia benè audiit, & inter creaturas primo loco nominata, quod gratitudinis ſymbolum videri poſſet.

Contra, ignem alto ſilentio involvit ſacer hiſtoriographus: ait enim *In principio creavit Deus cœlum & terram*: terræ meminit, imò & aquæ, & aëris: ignis nuſquam; quod tamen & altiſſimum eſt, & princeps elementum: cujus rationem reddit Rupertus, quod nihil in ſe vel ex ſe gignat. *Propterea*, inquit, *de hoc elemento non injuriâ ſiletur.* (Gen. 1. v. 1.) (Lib 1. de Gen. c. 6.)

Quod igni, hoc & ingrato, indignus qui in hominum ordine, imò & creaturarum ſerie cenſeatur: ut qui omnia Dei beneficia devoret, redonet nihil, ne minimam quidem gratiam pro univerſo cumulo gratiarum: quod ingrati animi vitium tantum eſt, ut nullum ei expiando ſupplicium par eſſe poſſit.

Certè Athenienſes omni bonarum artium diſciplina probè exculti, æquitatis, juſtitiæ, legumque amantiores, dum ſua ſingulis criminibus ſupplicia decernunt, nulla in ingratos intulerunt, ſeu quod tantum malum ſua in Republica aliquando fore non ominarentur, ſeu quod nullum pœnæ genus tanto ſceleri æquum eſſe poſſe exiſtimarent. Eodem ſpectaſſe videtur, quod ut omnia ſciat Deus, ingratos quodammodo neſcire ſe fateatur.

Ubi enim è decem leproſis, quos infami illa lue ſanarat, unus tantùm rediit qui daret gloriam Deo, iſque alienigena; de reliquis queſtus Servator optimus ait, *Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt?* (Luc. 17.)

Quo

Quo loco ait Gloſſa, *Sic habet ingratos quaſi ignotos: ubi ſunt? inquirit Dominus.* Et hoc inter mala longè maximum: quod ut avertat à cervicibus noſtris pia Mater Eccleſia, ſub Miſſæ ſacrificium monet, ut *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Eo nimirum conſilio, *ut locum in nobis faciamus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur*, inquit Bernardus. Merebimur autem ſi opere expleamus quod ore profitemur, dum ſubnectimus *Dignum & juſtum eſt. Iuſtum*, quia nos populus ejus, & oves paſcuæ ejus. *Dignum*, quia ut ait Auguſtinus. *Immenſus es Domine, & ideo ſine menſura debes amari, & laudari ab iis, quos tuo pretioſo ſanguine redemiſti*, quod quia à ſeipſo pro dignitate impetrare non poterat Auguſtinus, Deum in ſuppetias & partem operis vocabat: Ita enim ſecum ipſe locutus olim. *Non valeo laudare te ſine te. habeam te, & laudabo te; quid enim ego ſum Domine per me ut laudem te? Nunquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam? Tu lux, ego tenebra; tu vita, ego mors.*

Bern. contra vitium ingrati.

In medit. c. 14.

Ubi populum ad Dei laudes pronum audiit Sacerdos, tum ipſe effatum illud approbans, & illius vota ore ſacro excipiens, ita proſequitur: *Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare: nos tibi ſemper & ubique gratias agere:* ſemper, ut nullum tempus à gratia vacuum ſit, quia nullum a beneficio vacuum fuit: *ubique*; quia locus omnis gratia plenus, adeoque & ea exundans eſſe debet.

Quod agnoſcebat David dum in cœlos hoc vo-
Pſal. 70. tum emitteret. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* In quæ
In Pſal. 70. verba D. Auguſtinus ſacro eloquentiæ fonte. *Quid eſt*, inquit, *tota die? Sine intermiſſione: in proſperis, quia conſolaris; in adverſis, quia corrigeris; antequam eſſem, quia feciſti; cùm eſſem, quia ſalutem dediſti; cùm peccaſſem, quia ignoviſti; cùm converſus eſſem, quia adjuviſti, cùm perſeveraſſem, quia coronaſti.* Hæc S. Doctor, ex quo conficis ſemper & ubique inſonare debere Dei laudes; quæ ut gratiores accidant Æterno Patri, primùm eum rogamus per Filium per Chriſtum mediatorem noſtrum, idque exemplo beatorum ſpirituum, Angelorum, Archangelorum, Dominationum, Poteſtatum, quæ pavent & tremunt ad nutum ejus, cum quibus & nos puſilli mortales, lutea vaſa, vota precesque jungimus, ut in terris ſimus quod Angeli & beatæ mentes in cœlis, ſuperorum civium concentores, & divinis in laudibus æmuli: & hæc ipſa ſunt, quæ docet Præfatio.

§. XI.

De hymno triumphali, Sanctus, Sanctus, Sanctus.

SCinditur ille hymnus duas in partes. Una Angelos, beatos illos ſpiritus, authores amat, quos
Cap. 6. Iſaias in alio mentis exceſſu audivit acclamantes auguſtum illud & ſacroſanctum acroama. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum:* Deus, inquam exercituum, quod terrori ſervit ac majeſtati. Altera piorum hominum inventum eſt; petiturque è ſolemni cantico puerorum Hebræorum Chriſto triumphalem in modum accinentium *Oſanna in excelſis.*

De hac vocula *Oſanna*; aliqua eſt inter Doctores controverſia.

Euthymius & Theophylactus volunt *Oſanna* ſignificare Dei laudem, in quam unà cum ſuperis mentibus excedit Sacerdos.

Chryſoſtomus, Hieronymus, Damaſus *Oſanna* Dei gloriam interpretantur.

D. Ambroſius & Hilarius credunt vocem *Oſanna* ſignificare redemptionem domus David: eam nimirum vel maximè expetebant qui Chriſto occurrentes læti inclamabant *Oſanna filio David.* Hæc eſt illorum Authorum de una voce lis ac contentio: in qua poſtremam ſententiam magis probo: ut *Oſanna* ſit vox compoſita, ex *Hoſa*, id eſt ſalvum fac, & *na*, quæ eſt interjectio obſecrantis, quaſi dicat: *ſalva obſecro*, ô fili David, qui reſides in altiſſimis cœli verticibus.

Juvat hîc annectere quod D. Chryſoſtomus in Miſſa a ſe compoſita inſtituit, ut Sacerdos illis verbis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, hæc ſubjiceret. *Nullus*
eorum qui carnalibus cupiditatibus & voluptatibus eſt In ritu Miſ-
alligatus, dignus eſt ad te accedere, vel tibi miniſtrare, ſæ Græcæ.
Rex gloriæ; tibi enim miniſtrare magnum eſt, & ipſis cœleſtibus poteſtatibus terribile.

His duo potiſſimùm innuit, & ore aureo commendat vir ſanctus: Primùm inſignem animi corporisque munditiam; quaquiſquis caret, næ ille indigniſſimus eſt, qui corpus Domini contrectet; onæ ille Judæis ipſis deterior: ut enim D. Hieronymus, *Perfidus Iudæus, perfidus Chriſtianus, ille de latere, iſte de calice ſanguinem Chriſti fundit. Sanctus Joſeph puris manibus Corpus Domini bajulavit; iſte verò pollutis manibus, & quibus paulò antè mulieris corpus tractavit, ſalutem hominum tangit, & recipit ore, quo paulò antè baſia meretrici impreſſit: ille qui fuerat Chriſti membrum, tollit membrum Chriſti & facit membrum meretricis.* Quod quantum ſit ſcelus nemo non videat, niſi qui mente penitus fuerit deſtitutus.

Alterum quod paucis attingit, eſt reverentia quædam ſingularis, & ſacer honor, quo tangi percellique debet, qui aris & ſacrificio aſſiſtit, ſatis conſcius quàm exacta muneris obiti reddenda ſit ratio: quam mirum quantum apprehenderunt viri, & ingenio, & ſanctimonia illuſtres, quos inter magiſter Avila à pulpito ſacraque dicendi facultate ſuo ævo notiſſimus, de quo hoc dignum omni memoria referri ſolet.

Cùm ei inter familiare colloquium narraret unus aliquis, Sacerdotem recens ordinatum, intempeſtiva & immatura morte obiiſſe, utpote in primo adoleſcentiæ flore, quem cæca & præpropera fata demeſſuerant; percunctatus eſt illicò, an aliquando ſacrificaſſet: reſpondenti verò, *ſemel dumtaxat*, ſtatim ſubdidit pius Eccleſiaſtes, *multum defert ad Judicem.*

Si ex eo quæſieris quod illud *multum*, audies, vel ſemel ſacrificium incruentum Deo immortali obtuliſſe: hoc enimverò multum eſt, & immenſi apud ſuperos ponderis, quod aliquando tandem in ultimo foro, ſeveræ ſummi Judicis libræ ſupponetur; ſeveram appello libram illius tribunalis, quia ſacra eſt, & ſacrificii muniis ponderandis deſignata.

Scriptura teſte & interprete divinæ mentis, libra ſanctuarii multo major erat libra vulgi; imò hanc illa tota medietate excedebat; adeo ut ea, qua in foro & ad uſus profanos utebantur, ſi integra eſſet & unius pondo, præ illa ſanctuarii medium dumtaxat pondo contineret.

Videtur enim hæc æquitatis & juris eſſe ratio, ut Sacerdotum virtus ac ſanctitas, vulgi mores ac ſanctimoniam etiam duplo ſuperet atque excedat: vel ob id unum, quod in ſacras aras & ſanctuarium admiſſi Deo authori ſuo litent, & hoc ipſum tanquam immenſi ponderis ad Judicem ſuum deferant.

Quod velim æqua lance metiri velit quiſquis in dies ſingulos auguſtam divinamque Deo hoſtiam immolat: ſi enim qui vel ſemel tantùm id fecerit, tamen is multum defert ad Judicem; quantum neceſſum eſt eum, cui ſuperûm cœlique favor atque indulgentia diebus omninò ſingulis id conceſſerit? Certè ſi is eſſe velit qui debet, ſit ille ter ſanctus, qui cum Seraphinis Deo Opt. Max. Sanctus, Sanctus, Sanctus inclamat.

§. XII.

De nomine, Authore, & ſacro ſilentio Canonis.

VT omnia propè ſacrificii nomina muniaque petulanti voce impetierint hæretici; maximè tamen ſacrum Miſſæ Canonem, quem ut maledicentiæ, calumniarumque ſuarum veluti ſcopum ſtatuerunt.

Lutherus ad vinum & pocula diſertus, ebria ut aliàs lingua, multa ſcommata in Canonis nomen effutit atque evomit. Primùm in libro de abroganda Miſſa, de eo ita loquitur. *Quanquam habeam quod pro ſano Canonis ſenſu dicere poſſim, ut aliàs feci, tamen nunc non dignor eum tali honore*: utque non ore tantùm id profiteri ſed re etiam ipſa feciſſe videatur, inſanos, blaſphemos, impios jocos in illum jacit atque evibrat. Maximè verò libro de abominatione Canonis, ubi malus orator rem ita exaggerat, ita furit ac bacchatur, ut velit homines audito vel ſolo nomine Canonis ſignare ſe Cruce ac fugere, non ſecus ac ſi ex Erebo furiale monſtrum & Dæmon aliquis occurriſſet. Ut inſignem ejus petulantiam retundamus, nonnulla dicemus de nomine, authore, & ſilentio Canonis: de ejus veritate & explanatione videri poteſt Bellarminus, qui fusè de iis diſputat; ego in præſentia ſuperſedebo.

Tom. c. 12 de Miſſa l. 2. c. 29.

Canon Græcè dicitur, Latinè *regula*, quòd fixa ſit ac ſtabilis: alii eadem cauſa *Legitimam* appellarunt; *ſecretum* alii, quòd in alto ſilentio ac ſecreto diceretur, ob ſingularem myſteriorum reverentiam. Alii denique *actionem* vocitarunt; quod in eo reſideat ipſa actio ſacrificii, cùm in reliquis verba tantùm reperirentur.

Orat. Milevi.

Dionyſius.

Author porrò fuit tum ipſe Chriſtus, tum Apoſtoli, imprimiſque Beatus Petrus, qui ad verba Domini, tum preces aliquas, tum certos ritus addidit. Tum denique alii Pontifices in eadem cathedra longa ſerie conſidentes. E quibus Leo primus eas voces inſeruit: *Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam*: & Gregorius primus illas: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*: quod ipſum in eorum vita annotari placuit ad memoriam tantorum Pontificum & ſacroſancti Sacrificii venerationem, cujus Canoni tot adjicis oracula quot verba.

Tranſeo ad ſecretum profundumque ſilentium; quod etiam maledica lingua carpunt dicaces hæretici: quos ut arguam, docebo primùm cur ea ſacrificii pars in arcano ſecreto peragatur, tum deinde quàm opportunum orationi ſilentium.

S. Remigius magnus omninò Præſul in ea ſacrificii parte ſilentium amat, ut animus, qui per verba à ſe quodammodo elabi & abire ſolet, intra ſe revocetur, poſitoque omni ſtrepitu verborum ad Deum unum dirigatur: ut enim in Moſaico tabernaculo Sancta Sanctorum velo claudebantur, ut Sacerdos iis receptus, & ab hominum ore conſpectuque ſemotus, attentiùs orationi vacaret; ita & in lege nova ſacroſanctus Myſtes, quaſi jam ingreſſus Sancta Sanctorum, ſecretò in Canone Deum orat.

Ad eandem cauſam revocari poteſt vetus illud ſtatutum, quo olim Eccleſia cavit, ut nemo laicus ſtare in choro poſſet, dum Miſſa celebraretur.

Can. Sacerdotum de conſec. d. 2.

His addi poteſt altera ratio, quòd illud ſilentium, ſecretaque oratio, ipſi ſacrificio reverentiam concilient ac venerationem, viteturque periculum illud ne laicus aliquis ore profano verba illa ſacratiora uſurpet, ſi ea à Sacerdote ſæpiùs audierit: Ita factum olim à Paſtoribus, & impudenter & impiè, qui cùm ſupra panem & vinum verba conſecrationis protuliſſent, illicò tanto ſceleri parem pœnam ſenſerunt; ignis enim è cœlo lapſus, panem, vinum, & lapidem, cui inſidebant, ſubito impete abſumpſit.

Sophron. in Prat. ſpir. c. 196.

Denique accedere poteſt & alia cauſa, quam pro coronide hujus paragraphi ſervatam volui, opportunum ſcilicet orationi ſilentium; quod ipſum natura duce agnovêre Pagani.

Ægyptiis Crocodilus pro Numine fuit, ut qui lingua careret, quo innuerent & in perpetuo ſilentio Deum eſſe, & ſilentio coli quàm optimè.

Romanis Angeronia erat Dea, ore obligato, ſignatoque, vel digito ad os admoto, ut ſana ſubeuntes moneret aperienda quidem animi penetralia, ſed oris clauſtra penitus occludenda.

Eodem duci poteſt quod olim in more fuiſſe teſtatur D. Chryſoſtomus, supernè inſcriptum in templis ſilentium, ut ea ſubituri, legerent impoſitam ſibi regulam divini cultus ac venerationis: amat nimirum, etiam judice Triſmegiſto, Deus ineffabilis, ſilentio ſolo prædicari: hinc illud oraculum Zachariæ. *Sileat omnis caro à facie Domini*: cujus rationem reddit Regius Vates, Quia *te decet hymnus, Deus in Sion.* Hieronymus vertit, *Tibi ſilentium laus, Deus in Sion.*

Hom. 2. in 1. ad Tim.

Pſal. 64. v. 2.

Nempè eximium quoddam eſt laudis genus animi ſilentium, Numen tacitè & demiſſè venerantis: Quod ſi vel ipſa ſacri loci religio, vel divinorum myſteriorum ſanctitas adeò ſeveram ſilentii legem in aliis Miſſæ partibus imponit; in hac verò quàm maximè: utpote, in qua arcana cœleſtia revelantur & ea peragitur actio, quam ipſi horrent Inferi, tellus amat, cœlum ſuſpicit, verentur Angeli, & ad quam tota Superùm regia ſpectatura deſcendit.

Dixit olim ex antiquis nonnemo. *Parvæ curæ loquuntur, ingentes ſtupent*: Illud quippe à natura comparatum eſt; ſi præ manibus ſit negotium aliquod levioris momenti, illud expedit lingua & vel una vocula explicat. At ſi ingentes ſint curæ, ſi magna difficultatum moles incumbat, ſi res arduæ expediendæ ſint, tum verò non linguam ſolum ſtupor illigat, ſed & mentem invadit, atque diſtinet.

Quod ſi in humanis id uſu venit; quantò magis in hoc auguſto divinoque Miſſæ ſacrificio, eaque illius parte, in qua ad paucas voculas, è Superûm aula, ex Empyrei ſede, ſinuque beatitatis quodammodo devocatur ſacrum Chriſti Corpus ac Sanguis, & quæ huic atque illi mirabili nexu jungitur Divinitas, & ſub panis vinique ſpecie tegitur, homuncionisque unius manibus attrectatur.

Ea tantorum myſteriorum ratio, religio, majeſtas, quia voce ſatis exprimi non poteſt, alto ſilentio, profundoque ſtupore oſtenditur. Quod Novatoribus noſtris abſonum videri non debet, imò vel maximè naturæ, rationi, divinæque legi conſentaneum.

Certè apud Ethnicos audiebatur in ſacrificiis illud ſolemne. *Favete linguis*; & apud Romanos, Clemente Romano teſte, Diaconus per templi aream emittebatur, qui inambulando contemplaretur viros ac mulieres, ne quis fieret ſtrepitus, ne quis nutus faceret aut muſſitaret. Et in Ægypto (ſede olim pietatis ac religionis) incredibilis fuit ſilentii obſervantia eorum qui ad ſynaxim admittebantur.

Narrat Caſſianus Ægyptios Monachos: etſi convenîſſent numero longè maximo; tamen eam ſilentii ſervaſſe legem, ut præter illum, qui Pſalmum decantabat, audiretur nemo, imò nullus omninò adeſſe putaretur. Non ſputum, non excreatio, non tuſſis, non oſcitatio, non gemitus, non ſuſpiria, non vox ulla alia reſonabat. Crederes eſſe te in avia ſolitudine, inter ſilentia nemora, mutas rupes, elingues ſaltus: adeo exactum ac reverens tota illa concione ſilentium.

2. Inſtit. c. 2.

Quod ſi in primitiva Eccleſia, in qua purior vigebat ſpiritus, religioſas inter mentes, in quibus altior cœleſtium intelligentia ac contemplatio, datum illud vel ſoli ſacrorum communioni; quidni concedatur

datur & ipſi Sacerdoti, ut quædam apud ſe verba tacitua teneat, ſecum loquatur, & quaſi ſolus cum Deo ſolo ingens humanæ ſalotis negotium tractet. Dabitur enimverò, quidquid contra muſſitent aut obgenniant hæretici.

Canonem excipit oratio Dominica, aliæque preces. De illa ſcripsêre quamplurimi, & piè, & diſertè, ideoque ſtylum contraho: de his eadem ratio, quam ſupra de Collectis inſinuavi.

Pro coronide adjicitur à Latinis *Ite Miſſa eſt*, à Græcis *in pace Chriſti eamus*; & reſpondetur *In nomine Domini*, ut patet ex Liturgiis Baſilii & Chryſoſtomi. Et hæc de ſacrificio pro inſtituta brevitate dicta æqui boniq́ue conſulat benevolus Lector.

CAPUT X.

De Beneficiis.

DE beneficiis dicere meditanti duo ſuccurrunt ſtylo notanda.

Primum quid ſit beneficium; alterum quis ei obtinendo ab ætate, ſcientia, & moribus idoneus eſſe videatur.

§. I.

Quid ſit beneficium Eccleſiaſticum, & quis illius capax?

HÆc Theologis ac Juris-peritis probata definitio.

Beneficium eſt jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale authoritate Eccleſiæ conſtitutum.

Ex Innocentio in c. Relatum de Præbendis.

Ut quis ejus ſit capax decem omnino requirunt Theologi. Primum legitimo ſit thoro genitus, quia id facit ad ipſam nataliuum commendationem, ordinumque dignitatem, quæ eos fugit ac horret, qui negata venere, illicitoque concubitu, per ſcelus in vitam & auras invitas evaſerunt: quibus obtrudi poſſet illud: In peccato natus es totus & doces nos. Alterum eſt, ut ſit Clericus: quia hic eſt primus gradus, à quo ad altiora datur aſcenſus.

Tertium eſt ætas conveniens, & opportuna tum beneficio, tum officio; de qua fuſius poſtea diſceptabimus.

Quartum cœlibatus: neque enim Latina Eccleſia nuptias amat in ſacratioribus ſuis Miniſtris.

Quintum ne cenſura notatus, ne irregularitate ſit irretitus.

Sextum adſit morum probitas, & decus innocentis vitæ, de qua ſuus erit dicendi locus.

Septimum, eum ornet ſcientia & auguſtum animi doctæque mentis lumen.

Octavum, ne quis in corpore gravior ſit nævus, ne qua macula, ne quod vitium quod devenuſtet, & ſpectantium oculos offendat.

Nonum, ſit intentio, pronaque in eum ſtatum voluntas, ne neceſſitate, ne avaritia impulſus videatur potius, quàm eximia quadam in Deum, & ſacra propenſione ſuaviter invitatus.

Decimum, ne alio beneficio ſit gravis, quod illud ferre compatique non poſſit.

Hæc ferè ſunt, quæ Theologi in ſcholis, quæ in cathedra ſupremi Eccleſiæ Præſides, quæ in exedria veneranda Sanctorum Patrum authoritas, vox unanimis & conſenſus requirunt: ego ex iis tria fuſius explicabo, quia ad commune bonum plurimum conferre videntur. Ea ſunt quæ olim in Concilio Vienneuſi requiſivit Clemens V. videlicet ætas, ſcientia, mores.

§. II.

Quæ ætas beneficio Eccleſiaſtico ſit idonea?

PRima ſurgentis Eccleſiæ ætas, utpote magis innoxia, non tam annorum rationem habuit, quàm meritorum: neque temporis calculos ſubduxit, ſed virtutia numeroa amavit, & in iis conquievit. Eoque factum ut neque Sacerdotio, neque capeſſendis beneficiis ætas aliqua jam inde à primis illis Patribus ſit conſtituta. Nimirum eò loci ac temporis in luce erat illud Caſſiodori *Ætatem legitimam virtus facit.*

Ita vel ipſo Judice Paulo, Doctore gentium, in Epiſcopum adlectus Timotheus, ob ſingularem in eo indolem, candidiſſimos mores & dignam canis virtutem ac prudentiam.

Ita Eleutherius Epiſcopus Illyricus anno ætatis ſuæ vigeſimo eſt renuntiatus. Ita Remigius Chriſtianæ Galliæ corculum ac deliciæ, in primo adoleſcentiæ flore, hoc eſt anno ſecundo ſupra vigeſimum Rhemenſis Eccleſiæ clavum tenuit, & ampliſſimæ diœceſis habenas moderandas ſuſcepit.

Niceph. l. 3. c. 29.

Ita poſteris ſæculis ſexcenti alii, quorum adoleſcentia præclaria virtutibus ornata, religioni præfuit; in quos verti poterat illud, quod de Aurelio Clerico magnificè prædicavit Cyprianus. *In annis adhuc novellus, ſed in virtutis ac fidei laude provectus; minor in ætatis ſua indole, ſed major in honore.*

Ep. ſt. 33.

Poſtea tamen labentibus annis, etiam labente virtutis ſtudio, addi debuit ætati, quod meritis, quod gratiæ, quod præſtantibus animi ornamentis detractum eſſe videbatur.

Itaque in ſacris cœtibus & univerſo Orbis terræ Concilio decretum ſæpiùs ut nemo unus omnium ad eas dignitates, & officia Eccleſiaſtica aſcenderet, niſi quem matura ætas, & annorum lapſu caſtigata ad aliquam prudentiæ legem laureamque promoviſſet.

Et quidem Infulæ ac Pedo ætas conſtituta triginta annorum: quia ut ea dignitas virum ab omni virtute perfectum requirit, ita & ab ætate. Beneficiia autem, quibus annexa animarum cura, decreti anni viginti quinque; dignitatibus aliis, duo ſupra viginti: Denique ad alia beneficia quæcumque demum illa ſint, ætatis terminus is fuit, qui annum decimum quartum jam attigiſſet, imò & exceſſiſſet.

Concil. Lateran. ſub Alex. III.

Trident. ſeſſ. 24. c. 12.

Trident. ſeſſ. 23. c. 6.

Huic Eccleſiaſticæ ſanctioni, & clariſſimorum Patrum decretis conſentit antiquitatis ſenſus & authoritas, ipſa ratio, optima legum interpres ac moderatrix.

Certè in veteri lege Levitæ non niſi vigeſimo quinto ætatis anno conſecrabantur: Quod ſi divino nutu datum illud ſacris illius ævi, eſt enimvero quod Chriſtianis officiis, & auguſtæ religioni id jure meritiſſimo conceſſum eſſe fateamur.

Et verò illud ipſum exemplo ſuo probavit Servator optimus: latuit ille, & tres omninò ætates, infantiam, pueritiam, adoleſcentiam domeſtico quaſi carcere, & eximiæ ſubmiſſionis latebria continuit, nec in luce urbium & provinciarum divina tractare voluit, niſi in ipſo limine aditoque virilis ætatis, cùm jam annum trigeſimum attigiſſet. Aberat tamen ab illo quàm longiſſimè illud omne vitium, quod minori ætatulæ aſperſit natura: erat in illius infantia, ea morum maturitas ac gravitas, quæ & virum deceret, & palam loqueretur; non tamen in eo ſibi indulgere voluit; ſed poſteris ſervire, eſſeque documento, quòd auguſtum Sacerdotii munus & arcanorum divinorum procuratio non vulgarem animi gravitatem prudentiamque exigeret, quam non ſpondet niſi annis gravior & defæcata jam ætas.

Et ſanè ſi Heſiodus è principibus Græciæ Poëtis longè celeberrimus, in eo qui uxorem duceret, triginta

triginta cenſuit & amavit annos, eaſque *nuptias tempeſtivas* eſſe pronuntiavit; quidni in Eccleſiæ ſponſo, qui pulchras animas, ſeu nobilem cœlo Deoque ſobolem generare debet, & alere ad immortalitatem, par omninò ætas poſtuletur? Certè quantum corpus inter & animam, profana & ſacra, cœlum & terram intereſt; tantum neceſſe eſt inter hujus illiuſque ſortem ac nuptias intereſſe. Ut proinde meritò arguendi ſint illi, qui jam inde à cunis, & propè ab utero infantibus beneficia ampliſſimaſque in Eccleſia dignitates meditantur ac procurant.

Legimus Saporem Perſarum Regem ex ipſo parentis utero coronatum, Regemque proclamatum; ſed hoc datum eſt nimiæ ſubditorum indulgentiæ, & præcipiti unius populi genio.

Audivimus Nicetium, deinde Archiepiſcopum Trevirenſem, ex ipſo matris utero Clericum & coronatum, ut non tam factus, quàm natus Clericus & Epiſcopus eſſe videatur. Fuit ille amabilis cœli ludus, & inſigne prodigium futuræ ſanctitatis, ob quam jam inde ex illo naturæ carcere veluti coronâ redimitus in mortales auras emerſit.

At non ſic evocantur alii; non aperto cœli iudicio, non ſcripti divinis in tabulis; ſed præpropero parentum amore, & neſcio qua vel imperandi libidine, vel avaritiæ prurigine in Infulas involant, irrumpuntque in ampliſſimas dignitates. Contra quos altiore ut ſolet ſtylo tonat Tertullianus gravis morum cenſor ac magiſter.

Adv. Iud. c. 9. *Infantes*, inquit, *ad prælium erumpunt, credo ad ſalem uncti prius, dehinc pannis armati & butyra ſtipendiati, qui neque norunt lanceare, neque lanceare.* Quod tamen eorum proprium eſt ac ſingulare, qui debent eſſe veluti duces militantis Eccleſiæ. Sed iſta pro

L. 2. c. 7. ætate ſufficiat attigiſſe; plura qui volet conſulat Creſollium in ſuo Myſtagogo.

§. III.

Beneficiario è triplici ſchola petenda ſtudiorum & ſcientiæ ratio.

SCientiam amo non tam profanam, quàm ſacram; & eam amantae loquuntur jura, ſummorumque Pontificum ac Conciliorum decreta; eam exigit officii munerisque nobis impoſiti regula, cui vel ipſa natura conſentit.

Concilia Orbis terræ, & ſedis Romanæ Domini religionisque cuſtodes, illud imprimis commendatum eſſe voluerunt, ut ſuæ in ſingulis Epiſcopiis eſſent ſcholæ, in quibus Clerici ad omnem ſacrarum litterarum eruditionem inſtituerentur.

Eugenius Papa II. in Romano Concilio id ſeverè mandavit. Cui deinde ſuſcripſit Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. & poſtea ſub Innocentio:

Can. 18. ac denique ſacroſancta Synodus Tridentina, quæ pro ſuo in religionem zelo, ſtudioque promovendæ pietatis, ſtatuit ut in metropolitanis Eccleſiis collegium erigeretur erudiendæ juventuti opportunum: ac ne quæ eſſet in eo inſtituto remora, Doctores voluit communibus Eccleſiæ ſubſidiis ali ac ſuſtentari. Et illud quidem ad judicium, ſenſumque totius antiquitatis.

Certè ex Curopalata tres imprimis ſcholas ſacras in Eccleſiis fuiſſe conſtat; nam inter officia Principis Eccleſiæ numerat *Doctorem Evangelii, Doctorem Apoſtoli, Doctorem Pſalterii.*

In una prælegebantur illa, quæ ad ſacrorum Evangeliorum notionem, ad divini verbi pabulum facere videbantur.

In altera explicabantur Apoſtoli oracula, & præclara magnæ illius mentis effata, eximiaque morum formandorum documenta.

In hac denique ſacri Pſalmorum numeri, qui modò exultabundi ſeſe erigunt in plauſus & feſtiva cantica, modò abjiciunt in triſtes nænias & opportunos pœnitentis animæ gemitus.

Et hæc altioris ſapientiæ gymnaſia ſuos aperiunt, quæ fuerit illius temporis, quæ antiquitatis in ſacras litteras propenſio; maximè verò in eas, quas quotidie divinis in officiis terimus.

Et primò quidem Evangelium, de quo piè, magnificè, elatè ſenſerunt & locuti ſunt Sancti Patres.

S. Clemens illud ſpectabat *omnium Scripturarum* Conſtit.
abſolutam perfectionem. Apoſt. l. 2. c. 5.

S. Chryſoſtomus ore aureo, *σοφίαν ὀρθήν, ſapien* In ſua Li-
tiam rectam. turgia.

D. Cyprianus *magiſteria Divina.* L. 1. de Orat.

D. Ambroſius *morum magiſterium, & ſpeculum ju-* In Pſal. 118.
ſtæ converſationis.

S. Baſilius *oraculorum omnium cœleſtium coronidem.* In diverſ. loc.

D. Hieronymus *Virtutem civitatum*, à qua ſcilicet In Pſal. 47.
plus præſidii ſit, quàm ab armis & copioſo milite. In Matth.

Theophylactus *mundi columnas.* De Orat.

Tertullianus eleganter ut ſolet, *expunctorem totius* c. 2.
retro vetuſtatis.

Denique S. Dionyſius Areopagita, vir in ſacra- De Eccleſiaſ.
tiore ſcientia nemini ſecundus *Theologiæ veteris ſum-* Hier.
mam, & velut expreſſum è divino calamo compendium, quod qui perviderit ac tenuerit, omnia veteris Theologiæ myſteria cenſendus erit perudiſſe ac tenuiſſe.

Et hæc ſunt quæ divini Patres in Evangelicæ hiſtoriæ commendationem ſpargunt, ego hic in unum veluti faſciculum collegi, tum ut pro authore, qui in prima ſchola prælegebatur, aliquid dixiſſe viderer, tum ut pio Lectori facerem animos, calcariaque adderem ad aſſiduam illius commentationem: gradum facio ad illius divinioris Philoſophiæ lycæum, in quo proponitur, & altè ſonat Paulus, de quo glorioſè prima Chriſtiani Orbis lumina.

D. Dionyſius Areopagita Pauli filius & hæres, De divin.
eum uno loco communem noſtrum ſolem indigitat, nom. c. 7.
alio ſapientiæ abyſſum: cui conſonat D. Chryſoſtomus, qui Paulum ait *cœlum* eſſe in quo Juſtitiæ ſol Hom. 4. de
eluceſcat, & *mare ſapientiæ puriſſimum & profun-* laud. Pauli.
diſſimum.

D. Hieronymus ſacro numine eum appellat *Vas* Ep. 61. ad
electionis, tubam Evangelii, rugitum Leonis noſtri, flu- Pammachium.
men eloquentiæ Chriſtianæ: quod qui vel primis labellis hauſit, næ ille ejus appetens eſt, & in paucis amans.

Appello prima naſcentis Eccleſiæ tempora, tuaque imprimis, Auguſtine. De tribus olim graviter indoluiſſe fertur Cato major: Primum, quòd aliquan- Plutarch. in ejus vita.
do ſecretum muliebribus auribus crediſſet: ſentiebat nimirum eas eſſe pervias, parumque retinentes arcanæ veritatis. Alterum, quòd navigio iviſſet aliquando, quò pedes ire poterat; horrebat nimirum inconſtans & infidum aquæ elementum, quo nemo tutus vehitur, hauriuntur plerique. Tertium, quòd vel uno die manſiſſet inteſtatus, in hac tam brevi, fluxa, fragilique vita; in qua amens ſit oportet, qui vel unam ſibi credit ſecuram lucem, qui craſtinum pollicetur, nec hodie facit quod longa factum volet æternitate. Et hæc fuêre vel Catonis vota, vel in poſteros emiſſa morum documenta, ne eorum aliquis vel mulieri, vel aquæ, vel vitæ nimium confidens, in fraudem, in mortem iret.

Alia planè Auguſtini vota; eaque etiam tria fuiſſe perhibentur, quæ ſibi, cœlo propitio concesſa optaſſet; ut & Chriſtum in carne verſantem, & Romam in flore triumphantem, & Paulum in pulpito tonantem uſurpare licuiſſet. Nihil eorum reipſa datum eſt: totum in votis ſtetit. At indultum illud, ut Paulum etiamnum in ſcriptis ſuis loquentem audire, & in iis ſpirantem ſentire poſſet: & verò audiit ac ſenſit, non ſine magno vel doloris, vel amoris æſtu: cùm enim hæreret dubius ac nutans inter amabiles

virtutis

virtutis illecebras, cœlique invitamenta & vincula inolitæ conſuetudinis, mundique fucos: hanc è ſupetis vocem excipere viſus, tolle, lege, tolle, lege: paruit ille, tulit, legit, & in ea incurrit verba: *Non*
[*Ad Rom. 13.*] *in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Pupugit ea vox & altiùs in cordis arcem admiſſa miros pœnitentiæ motus excitavit, fecitque ut non amplius is eſſet qui fuerat olim Auguſtinus.

Tanta nimirum in Paulo vis fuit, imò & in ejus Epiſtolis, mutiſque typis. Fuit illa D. Dominico probè nota, ideoque ſuis ille filiis, quos bonus Pater velut operarios toto ſpargebat Orbe, pro bibliotheca, Pauli Epiſtolas (quas omnes ipſe fideli memoria tenebat) dare ſolitus, ratus in iis eſſe ſacram purioris doctrinæ ſupellectilem, quæ parandis animis ſufficeret. Hoc nimirum ab ipſomet Apoſtolo didicerat, qui ei ſeſe viſendum exhibens, eximio quodam gratiæ amoriſque prodigio ſuas Epiſtolas dederat, ut ex iis concionum ſuarum deſumeret argumentum. Hæc, aliaque, quæ pro Pauli Epiſtolis dici poſſent, primævæ Eccleſiæ Clericis ſuaſerunt, ut iis altera pateret ſchola, in qua etiamnum Doctor eſſet Paulus.

Sed & tertium fuit gymnaſium, ludusque doctrinæ ac pietatis: in eo Magiſter David; lectio propoſita, Pſalterium: quod commendant quàm plurima. Primum Author, qui non eſt alius à Spiritu Sancto, qui Davide velut calamo uſus; ita enim de ſeipſe te-
[*Pſal. 44. v. 2.*] ſtatur: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, ſcriba Spiritus Sanctus, calamus David.

Commendat & numerus qui ſacer eſt: ſunt enim Pſalmi centum quinquaginta: cujus numeri myſticas rationes venantur SS. Patres.

D. Auguſtinus in tribus quinquagenariis agnoſcit, amat ac veretur myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Rupertus fidem, ſpem, charitatem illuſtria bonæ mentis ornamenta, per quæ Jubilæum conſequimur beatitatis.

D Thomas tres hominum ſtatus, Pœnitentium, Juſtorum, & Beatorum: cui ſententiæ favet illud: quod primus quinquagenarius deſinat in Pſalmo *Miſerere*, qui pœnitenti animo fervit. Secundus in Pſalmo *miſericordiam & judicium*: à quibus emanat Juſtitia. Tertius in Pſalmo *omnis ſpiritus laudet Dominum*; quæ laus imprimis ſervatur beatitati.

Alii centum quinquaginta Davidis Pſalmos referunt ad centum quinquaginta dies, quibus tenuit diluvium, & terras mortales obruit: hæc à numero petita dignitas; major à titulo.

Is à Davide ſcriptus eſt Pſalterium, ab inſtrumento muſico, quo primum uſus David mulcendo gregi: tum deinde altiore tono ad Dei laudes.

Hinc ab aliis in fronte Pſalmorum ſcribitur ille titulus *Halleluiah*: laudate Deum, quòd Pſalmi ſint Dei laudes & præconia ſupremæ mentis.

Alii Pſalmis titulum faciunt *ſoliloquia de Chriſto*; quia præſaga mente, propheticoque ſpiritu cum Chriſto ſolo locutus videtur David: Alii denique Pſalmos appellant *Clavem David*, quòd iis veluti regia clavi viam aperiat ad virtutem ac beatitatem. Et inde factum autumo, ut majores noſtri, cœleſtis ſapientiæ, id eſt virtutis, candidati, Clericis explicari voluerint ſcholam tertiam, in qua pro authore offertur David, & Pſalterium pro lectione ad ſaniorem doctrinam propoſita.

Ejus porrò adeò ſtudioſa fuit antiquitas, ut non illud modò evolveret, legeretque diligentiùs; verùm & tenaci mandaret memoriæ, nec cenſeretur Sacerdotio dignus, qui Pſalterium, quantum erat, memoria non tenuiſſet.

Gregorius Pontifex Maximus de quodam Ruſtico, qui è Diacono vocabatur ad Infulam pedumque Anconitanæ Eccleſiæ, juſſit inquiri an Pſalterium memori calleret animo; non aliàs ei ſacram illam dignitatem oblaturus.

Quod illi Pontifici in uſu fuit, hoc & aliis Eccle- [*Lib. 15. Ep.*]
ſiæ Præſulibus. Narrat Theodorus Lector Ar- [*Epiſt. 6.*]
chiepiſcopum Leonem in more habuiſſe, ut nemi- [*& in Collect.*]
nem in ſacrum ordinem acceſſeret, qui Pſalterium neſciſſe convictus eſſet.

Idipſum loquitur decretum, quod ex Auguſtino; [*Lib. 4. Epiſt. 41.*]
Beda, aliiſque depromptum eſt, Sacerdotis nomen vix in eo ſtare poſſe, qui Pſalterium non didiciſſet.

Ecce qua cura, & quàm improbo labore in illud unum incubuerit antiquitas; à qua certè multum recedit & degenerat parum ſtudioſa Poſteritas.

Verùm hic ſentio, mihi nous aliquis aurem vellicat, amatque illud à me pro coronide adjici; Cur eò pietatis propendere viſi magni illi Heroës, & prima naſcentis Eccleſiæ lumina. Viderant certè pro ingenita ſibi à Deo luce, Pſalterium eſſe veluti compendium aliquod, & epitomen Scripturæ ſacræ: quidquid enim in hac ſparſit ſcripſitque Dei digitus, hoc in Pſalmis inſigni brevitate collegit: authorem habeo hujuſce meæ propoſitionis D. Auguſtinum: *Pſal-*
terium, inquit, *communis quidam doctrinæ theſaurus* [*Præf. in*]
eſt, & univerſis animæ paſſionibus, quæ humanas animas [*Pſal.*]
variè angunt, ſubvenit: Pſalmus ſignifer eſt pacis, ſpirituale thymiama, exercitium cæleſte. Hæc ubi dixit Auguſtinus, tum paucis quæ inde ad humanos animos emanant commoda recenſet. *Luxum*, inquit, *reprimit, ſobrietatem ſuggerit, lacrymas movet.* Et ne vacua tantùm ſit verbis fides, ſeipſum ſtipulatorem facit, multaque doctus experientia prodit quos ab una Pſalmodia in ſe gigni ſenſerit, ſeu doloris, ſeu amoris æſtus. Ita enim de ſe ipſe confitetur:
Quantum flevi in hymnis & canticis tuis ſuave ſonantis [*Confeſ. l. 9. c. 6.*]
Eccleſiæ vocibus commotus acriter: voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.

Quidni enim benè ſit, & æternùm quidem. Dicendum enim, quod ex vero bonoque dici poteſt, à ſacra illa & religioſa pſallendi ſcientia in cœlis magiſterium parari, coronamque beatitatis: quam hodie in ipſa Dei regia geſtat Merulus, vir in paucis religioſus: vitam ille in monaſterio exegerat, quà lacrymis, quà eleëmoſynis mirè intentus: maximè
Pſalmorum cantui, à quo vix in die paucis abſtine- [*4. D. c. 47.*]
bat horis, quantum ſcilicet aut cibi, aut ſomni ratio parciùs exigebat. Reliquum diei noctiſque tempus occupabat Pſalmodia: cui dum adultis tenebris impenſiùs vacat, vidit è cœli viridario coronam è candido, niveoque florum honore in caput elabi. Nec vana oſtento fides: ab illa enim vix ſibi redditus erat, cùm vita ceſſit & mortalibus oris, donandus immortalitate; qua & ipſe donaberis aliquando, ſi cum Merulo ſis in ſacris ædibus choroque merula.

§. IV.

Inſignis morum probitas, & inculpata vitæ anteactæ ſeries.

DE D. Cypriano diſertè quondam & verè pro-
nuntiavit Pontius: *De ſuo talem accepit cathe-* [*In ejus vita.*]
dra, non fecit. Nimirum in ſacram illam auguſtamque Pontificiæ dignitatis ſedem præclara virtutum ornamenta, velut domeſticam altioris animi ſupellectilem, intulerat: & de ſuo acceperat, quod infulæ, pedoque daret, non ab eo ſeriùs & turpiùs emendicaret.

Quod de illo dictum olim, hoc & de aliis, qui vel ad illas dignitates, vel ad ordines, vel ad optima beneficia devocantur: *talis res accipiat cathedra, non faciat*; prius enim à moribus, & inculpata vitæ anteactæ

actæ ſerie commendati ſint oportet, quàm ab illo gradu ſublimes.

Ex illo ſenſu totius antiquitatis video in leges communemque adoleſcentis Eccleſiæ conſuetudinem duo emanaſſe.

Primum, ut ii quos ipſe ſtatus & initæ vitæ ratio, vel aliqua ſolum mali ſuſcipione aſperſiſſet, procul ab Ordinibus arcerentur, ne qua ab iis labes Eccleſiæ inuſta videretur. Ita militea campo, ferroque aſſuetos ſi fortè ad pietatem animum appuliſſent, ſacris tamen ordinibus prohibebant: quòd metuerent ne militari licentiæ innutriti, ne martio pulvere ſordidi, etiam vitam reliquam depravatis moribus inquinarent. Quod in militia ſagoque valuit argumentum; hoc & in foro, curiaque, è qua homines ad ſacra produci nefas fuit. Exiſtimabant nimirum majores noſtri in iis vitæ generibus ſcelus & malitiam domicilium ſuum poſuiſſe; quod non facilè excluderes, etſi melius inſtitutum aggreſſus fuiſſes: tantum apud eos potuit vel conſuetudo mali, vel etiam ſuſpicio.

Theodor. l. 4. c. 8.

Alterum quod probandæ initiandorum virtuti datum eſt, fuit publica populi vox ac ſeniorum teſtimonium, quod prius exaudiri oportuit. Hinc proſtabat certo in loco programma, & ſolemnis fiebat denuntiatio de ſacrorum ordinum candidato, quæ Latinis *prædicatio* dicebatur, quod cuiquu liceret in medium proferre ſi quid noſſet de ordinandi vita & moribus: ſic erant illi in publica luce, & communi hominum cœtu diſcutiebantur, ne quis in eum ſtatum irreperet, qui non eſſet communi totius populi voce, & ſeniorum calculo à virtute ac meritis probatus.

Eodem ſpectavit illa examinis forma, illæ voces, quibus compellabatur in ſacrum ordinem aſſumendus, *Dignus es, juſtus es?* Vel ad confertam multitudinem dirigebantur illa ipſa verba, *Dignus eſt, juſtus eſt?* Quod ſi placuiſſet ille de cujus conſecratione agebatur, communi omnium animorum conſenſione ac voce dicebant: *Dignus eſt, juſtus eſt.* Et hoc in Apoſtolicis Conſtitutionibus appellabatur *Symbolum approbationis, ſignum aſſenſus*: quem ſi ab aſtantibus impetraſſet, tum læto omine ſacris initiabatur. Sin autem undæ illæ Comitiorum ab eo receſſiſſent, ſi muti & elingues teſtimonium ferre renuiſſent, tum verò ab eo conſecrando deſiſtebat Antiſtes.

Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 4.

Hujusa vitæ conſuetudinis meminit D. Hieronymus: *Ita age*, inquit, *ut Clericus eſſe merearis ut adoleſcentiam tuam nulla ſorde commacules, ut ad altare Chriſti quaſi virgo procedas, & habeas deforis bonum teſtimonium.*

Epiſt. 5.

His in verbis duo innuit pius antiquitatis interpres & Doctor. Primum, ut ad altare Chriſti quaſi virgo procedat, hoc eſt vultu verecundo, moribus ſanctis, vita incontaminata; alienus à mundi pulvere, à ſtrepitu vanitatis, à ſæculi pompa: hæc enim omnia amplectitur vox una virgo, quæ & intactum amat probatque pudoris florem, & noxiam mundi lucem fugit, & devotæ ſubmiſſionis, ſecretique latebras quærit: ideoque Hebraicè virgo, idem eſt quod *abſcondita*: quia, ut eleganter Ambroſius, *Decet ſolitudo verecundiam, & gymnaſium pudoris ſecretum eſt.*

T. v. 4. In exhort. ad Virgines.

Alterum quod hoc loco prodit D. Hieronymus, eſt bonum teſtimonium, quod deforis petebatur. Vix enim quiſquam domi bonus, qui non etiam foris talis audiat: nec Clerico, qui in Eccleſiæ, ſacræque dignitatis lucem venire debet, eſt ſatis, ſi à ſeipſe ſuaque conſcientia bonum hauriat teſtimonium, niſi & illud in populi aures oculoſque efferat: ut non uni ſibi, ſed & aliis quoque bonus eſſe videatur.

Ratio ſi quæritur, ea in aperto eſt: qui è vulgo profanoque genere in Clerum ſacrumque ordinem aſſumitur, ſtatuitur ille ſuper Eccleſiæ candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo Dei ſunt; eſt enim lucerna.

Talis olim audiit Sacerdos Heli, de quo hoc Scripturæ elogium: *Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini.* *1. Reg. c. 3. v. 3.*

Lucerna Dei fuerat Heli, inquit D. Iſidorus, *quando dignitate Sacerdotali pollens juſtitia claritate fulgebat: extinctam Propheta aſſerit, dum ob ſcelera filiorum Sacerdotii poteſtatem meritorumq; lumen amiſit.* *In Epiſt. ad Maſſanum.*

Quod ſi vel ipſo Dei oraculo dici potuit Heli *Lucerna Dei*; potiori jure Myſtæ noſtri lucernæ Dei dicuntur, & verò etiam ſunt; ideoque cæteræ mortalium turbæ aſſurgunt ut lux & ſol Univerſo. Illo Orbis oculo luceque nihil mundius, nihil nitentius: aſpergit ille radiis ſuis etiam informe & infame lutum, cloacaſque malè odoratas; nec tamen inde ſordeſcit, aut putidum & graveolentem odorem haurit: nimirum lux adeo pura eſt, ut neque ſordes & graveolentiam, neque adulterinas alias exteraſque affectiones admittat: ſuo ſemper candore, nitore, gratia, ceu nativa veſte ſeſe involvens.

Quod à natura ſua ipſa ſortitur, hoc à gratia Clericus mutuetur eſt neceſſe; candidam, innoxiam, illibatam animæ, virtutumque veſtem, quæ etiam in ſæculi luto ſordes horreat, imò ne patiatur quidem vel leviore macula aſpergi. Sic erit Lucerna ſibi munda, & aliis etiam ardens. Et hinc altera mihi ducitur cauſa, cur Clericorum mores, vitamque ſine nævo eſſe oporteat; quia non ſibi oriuntur, ſed & aliis quaſi viæ melioria vitæque duces, quibus exemplo ſuo facem oſtendant ac præferant: quod ſi extinguantur illi, ſuiſque vitiis occidant; non ſibi, ſed Univerſo malum ingens creant.

Si Philoſophis nonnullis credimus, ſi vel tantillum intermitteretur Cœli motus & lucis uſura, illicò torperent, imò & ceſſarent motus omnes, quos ſibi ſubjectos luna deſpicit: nemo unus ſe dimovere eo loco, quo illum occupaſſet ille cœleſtium Orbium torpor, ſolis quies & occaſus: non progredi animal poſſet, non ſuccreſcere planta, non nutriri bruta; nec fortè ſecundùm illos homo intelligere aut velle quidquam poſſet: credunt enim hominis intelligentiam à phantaſmate dependere, quod & illico craſſeſceret ac torperet. Quæ omnia etſi ipſe non probem, in medium tamen adducenda putavi, ut ſentias quæ neceſſitas, quæ vis, quæ gratia lucis illius, quam oculis uſurpas, atque ex ea gradum facias ad lucem animi, quam in Clero, ceu ſole requirimus; quæ ſi deficiat, neceſſum eſt omnes propè aliorum pios motus ſenſuſque eodem occaſu deficere ac prolabi.

Ex illo nexu vinculoque boni communis cum vita moribuſque eorum, qui ad ſacros honores evehūtur, fieri ſolet, ut ſi indigni promoveantur, ingens omninò damnum populis importetur. Hinc illæ querelæ ſanctiſſimorum Patrum in eos Antiſtites, qui officii ſui parum memores, Eccleſiam ea ratione peſſundant, magnamque labem altaribus imponunt præpoſteris ſuis ordinationibus: contra quos ita S. Leo gravi orationis fulmine. *Non eſt hoc*, inquit, *conſulere populis, ſed nocere: nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen: Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum.* Et quia ea Deo Servatori eſt in primis curis, graviſſimè in eos animadvertere ſolet, qui diſſolutis perditiſque moribus homines, & ab omni ſanctimonia alienos, ad religionis præfecturam & amplitudinem Sacerdotii admiſiſſent. E multis duos producit Creſolius in ſuo Myſtagogo; è quo hæc ad inſtitutum meum. *Lib. 2, c. 10.*

Gregorius Præneſtinus Antiſtes, Conſtantinum Pſeudopapam conſecrarat, eique manus præcipiti indulgentia impoſuerat, homini in paucis profano, à venere, ab ira, ab immanitate mali omnino nominis. Non tulit inultum ſcelus qui mortales è cœli

regia

regia deſpicit vindex Deus. Ut vivus ac videns infenſi ſibi Numinis iracundiam circumferret, illa ipſa Anaſt. Bibliot. in Steph. 4. dextera, qua in impia conſecratione abuſus fuerat, penitus exaruit; donec ab ea & reliquum omne corpus, mali animi malum diverſorium, implacabili & diuturna ærumna conficeretur: ſic in eo eluxit antiqui illius oraculi probata veritas. Sap. c. 11. v. 17. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Dexterâ peccarat Antiſtes, Eccleſiæ ceu ſponſæ parum fidus, & etiam dextera pœnam tulit: ut qui religioni noſtræ, ceu arbori, ramum arentem & exſuccum inſeruerat, arentis & exſuccæ manus damna pateretur.

Et certè melius omninò fuiſſet illud Marciani votum: erat hic Novatianorum Epiſcopus, & quendam Sabbatium è Judæo factum Chriſtianum, ad Sacerdotium extulerat: quem, cùm deinde audiret ad prava dogmata, & impias opiniones tanquam ad vomitum reverti; facti ſui ſeriùs pœnitens dicere ſolebat. Socrat. l. 5. c. 20. *Satius multò fuiſſe manus ſuas in ſpinas impoſuiſſe, quàm earum impoſitione ad Presbyterii gradum deſignaviſſe malum Sabbatium.* Hoc fuit Martiani votum, hæ querelæ, & paterni gemitus pro infideli filio, quos certè hoc quo ſpiramus ævo uſurpare poſſent Epiſcoporum pleri ique, qui non ea qua debent animi cura, & æquitatis lance ordinandorum merita penſant atque examinant, ſed præproperè nimis manus imponunt multis omnino Sabbatiis, à quibus non oritur & ſurgit Sabbatum, & pax alta Eccleſiæ; ſed acre bellum & inſolentes hæreſum æſtus ac fœdæ tempeſtates, quibus etſi mergi non poſſit Petri navicula, at certè agitari poteſt atque concuti. Quod quantum malum, quantumque ſit ſcelus, ex eo metiantur, quod D. Leoni magno, etiam ſanctiſſimo Pontifici dicitur contigiſſe: eſt certè ejuſmodi quod optimo cuique ſacrum horrorem incutiat.

Fran. Spir. c. 149. Ad ſepulchrum D. Petri Apoſtolorum Principis oraturus ſeſe abjecerat pius Pontifex, & multis omnino votis, lacrymis ac gemitibus, unum illud ſupplex petierat, ut ſibi propitium Numen peccata labesque vitæ præteritæ remitteret: utque exoraret ſedulus orator per dies quadraginta, vota preceſque extraxit, nec à ſepulchro Apoſtolorum divelli poſſe videbatur, niſi optata indulgentia potitus.

Dum in ea ſtatione perſiſtit ſanctus Præſul, hoc à Deo reſponſum accepit, omnia eſſe dimiſſa peccata, præterquam impoſitionem manuum. Hoc nimirum unum, non quantum ad culpam, ſed quantum ad pœnas ſervatum eſſe voluit juſtus Judex. Imò Ad an. 461. Cardinale Baronio interprete, reus ſtetit Leo Pontifex, & obligatus pœnis eorum peccatorum, quæ perpetraſſent illi qui ab eo indignè ad Ordines fuiſſent promoti: adeò non ſuo tantùm ſcelere tenetur & implicatur Antiſtes; ſed & alterius pœnam debitaque ſupplicia in ſe trahit peſſimis omninò vinculis irretitus: quibus ſi tangi concutique potuit ſanctiſſimus Pontifex Leo Magnus, Eccleſiæ lumen, & prima religionis columna, quomodo non confringentur alii minoris notæ ac ſanctitatis, qui cum Leone compoſiti, via in Eccleſia videri poſſunt, quod cum ſolis oculo, luceque Univerſi, minora ſidera, cœlique flammæ.

CAPUT XI.

De Horis Canonicis.

CUm beneficium Eccleſiaſticum ſit propter officium, aliquæ de eo erunt agitandæ quæſtiones. Et primùm quidem de horarum nomine, tum de earum ordine ac numero, tum etiam de tempore, quo decurri debent; de loco ac ſitu corporis conveniente; tum à quibus, & quo ſub onere: tum denique de oratione, modoque debito, ut illi præcepto fiat ſatis.

§. I.

De nomine Horarum Canonicarum.

HOræ dicuntur eſſe preces, quæ ex Eccleſiæ inſtitutione ad Deum laudandum, opemque divinam implorandam certis ſtatisque horis exſolvuntur.

Dicuntur horæ vel ab orando, ut vult Zabarella; cui etymologiæ reclamat aſpiratio; vel quod vero ſimilius eſt, ab horis, quòd pio Eccleſiæ more præſcriptis definitisque horis, nocturnis ac diurnis recitari ſoleant.

Appellantur autem eæ Canonicæ, hoc eſt regulares, quòd juxta Canonum Eccleſiaſticorum traditionem ac regulam, earum orationum penſum à Clericis ſit perſolvendum.

Vel ſi mavis, dic eſſe Canonicas, quòd à Clericis Canonicis in templo decantari ſoleant; quod facit ad decus ad laudem Canonici Inſtituti, quod primum divinis publicisque Dei ſui encomiis famam nomenque dederit.

Et quia hujus nominis appellationem attigi, non poſſum quin verbulo inſinuem aliam atque aliam fuiſſe. Primùm enim dicti κοινωνικοὶ, Cœnonici, hoc eſt, in commune viventes: deinde κανονικοὶ, id eſt regulares, quòd ſub una eademque regula impenſis communibus vitam agerent. Tenuit ea vivendi ratio aliquot ſæcula. Certè Pontifex Urbanus, qui Eccleſiæ clavum regebat circiter annum ducenteſimum vigeſimum quartum, in Epiſtola ſua decretali, ait, *Vita communis maximè viget inter illos, qui in ſortem Domini ſunt electi*, id eſt, inter Clericos.

Tales Eccleſiæ bonæ Matri peperit Auguſtinus, tales habuit Gregorius Magnus, tales aluit Germania ferè tota, hujus inſtituti maximè tenax, donec tandem ſeneſcente mundo, unaque inclinata pietate, ſeſe remiſit ille ardor animi, & communis ea vitæ ratio in odium ac contemptum eſt adducta.

Certè Trithemius Abbas, in Chronicis ad annum nongenteſimum, ſeptuageſimum ſeptimum, ſcribit ſub Theodorico Archiepiſcopo Trevirenſi Canonicos pleroſque abjecta vita regulari, quam eorum Majores eo uſque coluerant, deſiiſſe eſſe Regulares, & factos eſſe nomine, imò & re etiam ipſa ſæculares: quod verúmne ſit, hic non diſputo, neque eam illuſtri illi Eccleſiæ labem inuri meo calculo velim; maneat penes Trithemium ea fides ac cenſura: ſat tamen ſcio & indoleo, hac qua ſpiramus ætate, eſſe quamplurimos, qui ut nomine ſint & eſſe debeant, Canonici, hoc eſt vitæ regularis, revera tamen ipſo opere & irregulares & ſæculares eſſe convincuntur, imò & illis ipſis deteriores (quæ magna eſt hujus ævi macula.) A qua fortè relictum & illud, ut in pleriſque Eccleſiis Canonici per ſe divinum officium in choro non cantent, ſed per ſuos vicarios id muneris exequuntur; quod etſi primum non caruerit aliquo nævo, modò tamen cùm illud è Petri ſede ac ſpecula deſpiciant ac diſſimulent ſummi Eccleſiæ Præſides, ego damnare nec volo, nec poſſum. Et hæc de horarum Canonicarum nomine dicta ſint, ad earum numerum venio.

§. II.

De numero & ordine Horarum Canonicarum.

DIvinum Officium in ſeptem omnino horas diſtribui ſolet, cujus numeri rationem hic inquirimus. Ea ab auctoribus alia eſt atque alia.

Sunt enim qui ſeptem horas referant ad primam Univerſi molitionem, quam ſeptem diebus abſolvit Deus: dies quippè ſex dati huic operi; ſeptimus quieti ceſſit ſacroque otio, audiitque Sabbatum,

quòd

quòd in eo divina manus conquieviſſet. Ut tanti beneficii memoria iret in poſteros, iret in omnem Solis Lunæque curſum, placuit ſummis Eccleſiæ Præſulibus, diebus ſingulis ſeptem horas deſcribere, ut orationi divinisque laudibus tot darentur à nobis horæ, quot Creator Univerſo dies impenderat.

Revocant nonnulli ſeptem horas ad tempora Moſis, & antiquæ legis inſtitutum, quo receptum fuit, ut interdiu quater prælegeretur populo volumen legis, ut es ſemper in oculis, in auribus, in animis eſſet. Ac ne ſola diurna lux eam commentationem aſpiceret, nocte etiam intempeſta ter Domino confitebantur, cœloque jam quieto preces ac vota mittebant. Pia quadam illius aviti moris æmulatione ſeptem horarum intervalla diſtinxit Eccleſia.

Dicunt alii ex recepto Davidis more, qui pro ea, qua erat in ſuperos pietate ac religione ſepties in die Deo dicebat laudes, ut teſtis eſt ipſe luculentus.
Pſal. 118. *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi.* Hic ſtylum figo, teque, mi Lector, cogitatione, memorique mente ad Davidis tempora revoco, & ſecretum illius conclave, quod novum pios animi regii motus audiit & attupuit: quidni enim obſtupeſcat, in ea aulicæ vitæ mollitie, luxu, deliciis, in tanta negotiorum mole, & incumbentis regni cura, in martio pulvere, bellicoque ſtrepitu, armorumque, ſtrictique enſis fulgore, tantum vacui temporis invenire potuiſſe quod ſibi, quod ſuperis, quod Deo concederet, aliisque negotiis ſubſtraheret. Habet pius Lector in Davide quod amet, ſuſpiciat, imitetur.

Volunt aliqui ſeptenarium horarum numerum eſſe pro peccati remedio, & velut expiatorio ſacrificio: cùm enim *ſepties in die cadat juſtus*, ſepties ut reſurgat eſt neceſſe: reſurgit autem oratione, quæ Scriptura teſte *eſt ſacrificium labiorum confitentium Domino.* Si quam olim maculam contraxerat Sacerdos, jubebatur pro peccato vitulum offerre, & ejus ſan-
Levit. c. 4. v. 6. guine ſepties aſpergi *Coram Domino contra velum ſanctuarii:* eoque ritu eluebatur quæcumque adhæſerat ſceleris contagio.

Ut diſcedamus à figura & ritibus antiquæ legis, demusque locum veritati & novæ legis ſacrificio: eſt illud ut dixi *ſacrificium labiorum*; eo horis ſeptem per opportuna temporum intervalla repetitis, animum peccati ſordibus contaminatum aſpergit atque diluit Sacerdos.

Non deſunt alii authores, qui piè credunt per ſeptem horas Canonicas in nos cœlo propitio devocari ac depluere ſeptem dona Spiritus Sancti: ideoque modò eas componunt cum ſeptem candelabris aureis, quæ olim in exceſſu mentis vidit Joannes,
Apocal. c. 1. JESU amor ac deliciæ, modò cum ſeptem lucernis, quas ſuper candelabrum accendere juſſus eſt Moſes.
Exod. 25. Nimirum quod ædi ſacræ candelabrum, quod lucerna, hoc nobis oratio; ab illis fugantur tenebræ, & nox ipſa quodammodo evigilare videtur: & nos ab oratione lucem haurimus, quâ parvus hic mundus, animus, inquam, noſter perfundatur, divina aſpiciat lumina, & amore æſtuque cœleſti totus incaleſcat. Si modò horarum lectio ſit veluti commentatio, piaque meditatio, in qua cum Davide ex vero dicere poſſis. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Et hæc ratio ſtimulo eſſe poteſt ad officium divinum ea qua par eſt pietate obeundum.

Video tamen pleroſque è Sanctis Patribus eo magis inclinare, ut hunc numerum orationis ſeptenarium ad ſacra redemptionis noſtræ myſteria traducant. Ea ſunt omninò ſeptem: & quidem præcipua, quibus ex æquo horæ ſeptem reſpondent; è quibus prima Eccleſiaſtica voce dicitur *nocturnum officium*: evolvitur illud adulta mediaque nocte, quia tum temporis Deus immortalis homo factus, ex Virgine conceptus, in mortales auras eductus. Et inde prima redemptionis noſtræ jacta fundamenta. Cujus memoriæ Eccleſia provida Mater, pro ea quam à filiis exigit tãti beneficii recordatione, ſtatuit ut nocturnum officium eidem reſponderet, ut nox quæ prima divinæ in nos munificentiæ teſtis fuerat, foret & noſtræ in eam arbitra pietatis.

A nocturnis officiis ſequuntur *laudes matutinæ*, quas Sol Oriens excipit, & ſuo fulgore recreat aurora: ſimulque etiam monet, ut ſimus memores illius lucis, quæ non ſine ſtupore & inſignis perfidiæ miraculo vidit contra ſupremum Univerſi Judicem, cogi concilium Pontificum ac Phariſæorum: vidit, inquam, & erubuit, lucemque ſuam vel eo eo facinore damnavit, nigroque lapillo notandam cenſuit: ut & nos ipſi damnemus, unaque grata illius beneficii memoria velut albo calculo ſignemus, laudes matutinas in choro perſolvimus.

Sequitur deinde hora prima, qua Servator optimus vinculis onuſtus reorum in morem, ad Pilatum ductus, ab eoque ad Herodem emiſſus.

Primam excipit tertia, quæ prius exceperat Infandas illas Judæorum voces, inſanosque clamores *Tolle, tolle, crucifige:* à quibus, ceu adverſa nube, defluxit grando verborum ac flagellorum, ſub quibus gemuit Salvator, gemitque piis in precibus Eccleſia.

Tertiam proximè legit ſexta, qua infami ligno appenſum ſalutis humanæ pretium, Deus homo.

Sextæ jungitur nona, quæ ſupremo Numini, immortali Deo, vitæ primæ, vitam exemit, & ſpiritum per immanes cruciatus extorſit.

Nonæ ſubnectitur veſpertinum officium; tum enim temporis depoſitum è Cruce exanime Chriſti Corpus, & ſepulchro conceſſum: ut eo quoque pervadat ac deſcendat humanus animus: ſub veſperam, occaſumque ſolis, ea divini officii pars eſt rejecta. Hæc myſteria ſignificari probat Gloſſa, & his verſibus exprimit.

Hæc ſunt ſeptenas propter quæ pſallimus horas,
Matutina ligat Chriſtum qui crimina purgat.
Prima replet ſputis: cauſam dat tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, latus ejus nona bipertit,
Veſpera deponit, tumulo completa reponit.

Et hæc de numero horarum Canonicarum: tranſeo ad earum ordinem.

Philoſophi diem unum appellant naturalem; is complectetur 24. horas, lucem ſcilicet ac noctem. Alium dicunt artificialem; is duodecim horis conſtat, ſeu eas lucis eſſe velis, ſeu noctis. Et hæc & illa in diverſas partes abit.

Nox recepto inter antiquos more dividebatur in 4. vigilias; primam, ſecundam, tertiam, quartam: ex his ſingulæ cenſebant tres horas non amplius.

Quod nocti, hoc & luci factum: hanc partiebantur veteres in primam, tertiam, ſextam, nonam; & & ſingulis ſuæ tres horæ aſſignabantur. Ita tota dies naturalis ibat in octo veluti ſtationes; nox in vigilias quatuor, lux diurna in quatuor partes. Ut tam hæc quàm illa flueret in divinis laudibus, ita diſtribui placuit.

Primæ vigiliæ noctis cedebat nocturni officii pars, hoc eſt tres Pſalmi, quibus tres acceſsêre lectiones: deinde dabatur aliquid temporis ſomno ac quieti; tum aderat ſecunda vigilia, quam pariter Pſalmi nocturni excipiebant: tum etiam tertia vigilia, quam excitabant rurſum tres alii Pſalmi: tum denique quarta vigilia, quæ erat hora una ante ſolis ortum, & hanc claudebant *laudes matutinæ.* Et iſta fuit noctis partitio, hæc lucis.

Ubi primùm ab inferis redux aurora caput Orbi noſtro extulerat, audiebatur in ſacris ædibus hora *prima.* Ubi deinde adoleſcebat dies, cum ſacro cantu inſonabat *Tertia.* Ubi verò vertici noſtro ſol inſiſtebat; cum ſingulari pietatis æſtu eminebat &

Sexta. Ubi denique ad ocesſum Sol ibat, ne abiret ſine divinis laudibus, occidentem ſequabatur *Nona.* Et ne minima diei portio ſine pio cantu ac divinæ legis commentatione excederet, crepuſculum, quod lucem inter & altam noctem intereſſe videbatur, veſperis ac completorio cedebat. Sic & nox atra, & clara dies, tota religioſis officiis impendebatur; nec deerat unquam, qui Soli ſurgenti aut occidenti non accineret. Et meritò: ſi enim teſte Jobo Deum laudant aſtra matutina, ſi aviculæ per nemora ſparſæ ad ſolia ortum, ſurgentemque diem excitæ Creatorem ſuum laudant; quidni idem faciat & puſillus homo?

Hoc argumēto quondam uſus Ambroſius, Doctor omninò melleus, & ſonora ſui ævi cœlique alauda.

Hexam. l. 5. c. 12. *Quis*, inquiebat, *ſenſum hominis gerens non erubeſcat ſine Pſalmorum celebritate diem claudere & adoriri, cùm etiam aves ſuavi modulamine, & dulci carmine ortus dierum ac noctium proſequantur.*

Alaudam ferunt ſepties in die canere, habitamque à veteribus antiquiorem terrâ ob hanc ipſam cauſam, quòd in alto aëre toties hymnos cœlo caneret ac Deo Creatori. Et inde inter Ægyptiaca Hieroglyphica viſebatur alaudæ caput ſeptias doctâ manu peritoque penicillo expreſſum ac pictum; diceres illi ſeptena guttura, ſeptena eſſe capita, quibus Deo ſuo ſæpiùs ac blandiùs modulatur. Hic aviculæ genius, cantuſque mirè placuit D. Franciſco, qui eam ſororem ſuam vocitare, & ad cantum, grataque cœlo carmina provocare.

Dicamus quod ex æquo & bono dici poteſt: quodætheri libero eſt alauda, hoc Eccleſiæ Clericus: illa liquido ſonat aëre; hic cœlo gratiùs auditur, & ſuperis inſonat ſepteno vocum horarumque intervallo ac modulamine: neque una tantùm alterave anni tempeſtate ut alauda, ſed & anno toto, & frigida etiam triſtique & inanims hyeme; in hoc æmulus beatis mentibus, quæ Deo ſuo accinunt non in annos & ſæcula, ſed & in ipſam quoque æternitatem.

§. III.

De tempore, quo horæ Canonicæ legi debeant.

CErtis ſtatiſque horis divinum officium recitandum eſt, vi Canonum, Juriſque communis. Et hoc extra controverſiam eſt, de officio, quod publicè & in choro perſolvitur; de eo quippe loquuntur Jura: at quæſtio eſt de illo, quod privatim à Clerico perſolvitur. Sintne in eo ſervanda ſtata fixaque tempora, certumque horarum intervallum.

Fatebor, quod de privato officio Jura non agunt, ſatis tamen convenit inter Doctores, Juris eſſe communis, ut eæ preces ſuis etiam temporibus opportunè recitentur.

Favet huic ſententiæ ratio, favet conſenſus & praxis virorum timoratorum, qui ſibi conſcientiæ ducunt ſi ſuo tempore huic penſo non ſatisfecerint. Et meritò. Primùm enim pro eo facit ipſa inſtitutio Eccleſiæ, & conſuetudo jam inde ab Apoſtolis, ab ipſis Eccleſiæ cunis uſurpata; à qua recedere ſine neceſſitate, ſine ratione ſua non eſt.

Deinde ex Eccleſiæ ceu bonæ Matris indulgentia, factum ut Clerico liceat privatim officium perſolvere; in quo tamen voluit haberi rationem temporis, quantum negotia ferent ac valetudo: decet enim membrum conſentire corpori, & Clericum, qui Eccleſiæ ſervit, communes Eccleſiæ leges ſervare, & cum ea quantum fieri poterit in ipſa temporis ratione convenire.

Denique probat & illud praxis virorum illuſtrium, quos inter eminere viſus Cardinalis Bellarminus, non minus à purpura pedoque, quàm à doctis ingenii monumentis, & ſingulari vitæ ſanctimonia notiſſimus: de eo ita ſcribit Silveſter Petra Sancta, qui in ejus vita calamum & eleganter & fusè explicuit. L. 6 vita c. 3.

Divinas laudes, matutinas præſertim, qualibet die, & non pridiana anticipatione, ſemper legit; parteſque ſingulas officii Sacerdotalis, propriis & diſtinctis horis recitavit. In qua ſanè re, haud ſcio quemquam alium magis tenacem propoſiti fuiſſe, inter aſſiduas fereque omnium horarum occupationes, quas obire Cardinalis Romæ, & Archiepiſcopus in orbe Capua debuit. Quamdiu in ſocietate vixit, circumtulit notatum in tabella horologium ſolare; atque eo quaſi interprete & monitore, pro tempore earundem horarum utebatur. Cardinalis deinde ulua horologii rotato, ex iis quæ horas narrant, & inſuper quâ pridie quis diſpoſuerit hora, tinniendo ſæpiùs à ſomno excitatus, ut ad preces matutinas evigilaret.

Si, dum ſermonis copiam daret, tempus minorum precum appeteret, ſecretum pro iis rogabat; & ubi perſolverat, ad colloquium ſe referebat. Quàm piè in iis Deo ſupplicaret, ſatis exprimebat ſuſa per vultum & per corpus totum veneratio. Nullo uſus adjutore ex his qui erant ei à ſacris; ſed ſemper ſolus in horaria precatione fuit, quam nixus genibus, aut ſtans aperto capite (quemadmodum olim Sanctus Franciſcus) Deo immolabat, cùm interim ei oculi arderent, & ſuſpiria vocem interpellarent.

Aliquando, dum ad S. Andreæ in monte Quirinali piis meditationibus animum excoleret, ipſum adiit Religioſus quidam ex ſocietate: qui uti modeſtiâ ſummâ inambulantem invenerat, num exſolveret penſum Officii divini, percogavit. Tum ipſe reſpondit, ſe tam parum obſequiosè tributum illud Deo reddere non conſueviſſe, de quo præcepti obligatio ſuberat. Narravit Cardinalis Petrus Aldobrandinus, à ſe quadam die Cardinalem Bellarminum repertum eſſe in horarias preces intentum adeo, ut tametſi ab Aulicis in conclave ipſius introduceretur, ille nihilominus immotus hæſerit perinde ac ſi feriatus à ſenſibus cum Deo ageret. Dein obſequia omnia tanto hoſpiti exhibuit; qui æquiſſimè rem interpretatus, judicavit, Deum non debuiſſe deſeri, ut ſermo *cum homine inſtitueretur.*

Hactenus author in ſerie rerum à Bellarmino geſtarum; & imprimis ſtudio orationis, cui vel maximè intentus fuit. Noverat nimirum ut frugibus ſua ſunt tempora, ſua eſt anni tempeſtas à natura conſtituta: ita precibus (quæ piæ mentis fruges ſunt, & fructus ſuaviſſimi) ſua quoque decreta tempora, quæ niſi ſerves, dabis quidem fructus aliquos, ſed præcoces alios atque acidos, alios ſerotinos & marceſcentes: quod olim Eremitæ opportuno uvarum ſymbolo cœlum oſtendit.

Memorant authores fide digni, Innocentius Oſtienſis, Joannes Andreas, & Abbas in caput primum de celebratione Miſſarum, in Eremo, vaſtaque ſolitudine viſum Eremitam, qui ut ſibi impenſiùs vacaret & Deo; quandoque tamen (quæ etiam eſt viris bonis in malum conniventia) in divini officii ratione pluſculum deficiebat: modò enim præfixa illi tempora præveniebat, nimium præceps & præcox orator, modò trahebat in longum & ultra horæ temporiſque metas emittebat; modò ſuus erat totus ac Dei, dataſque temporis leges obſervabat. Hanc animi parum ſibi conſtantis inconſtantiam notavit, & arguit monitor ac cenſor Angelus: dum enim de monte pabulum defert, uvaſque de vite nobili, eas modò acidas & malè coctas exhibet, modò flaccidas ac improbè putidas, modò probè maturas, & multo ſole excoctas. Rogatus autem cur id faceret bonus è cœlo genius: tibi, inquit, facio, quod authori tuo, Deo tuo facis. Cùm ſolitum horarum penſum æquo citiùs exſolvis, fructus quidem offers labiorum: ſed illos præcoces, immaturos, acidos: cùm

è contià

è contrà nimirum extrahis, & rejicis in tempus importunum & ſerum, parum & illi & ſuperis ſapiunt, utpotè effœti atque emarcidi. At cùm temporis rationem habes, cùm ſuos cuique officio terminos ſervas; tum ſolo, id eſt animo maturo, maturos quoque fructus oſtentas, & illos amat guſtatque Deus. Ita ſub uno uvæ ſymbolo luſis bonus Angelus, docuitque Eremitam diſcipulum ſuum, providus Magiſter, quæ temporis habenda ratio, quid probarent ſuperi, quidúe improbarent. Hos ſi audis, erunt tibi pro miniſtris cœlites ipſi; ſecus ſi feceris, erunt illi Judices tui, & in altera vita pœnas exigent. Et ne fortè eas fruſtrà à me intentari credas, paucis accipe, quid poſteris olim ſcripſerit Petrus Damianus in Epiſtola ad Deſiderium de miraculis ſui temporis.

Refert ille Epiſcopum ab inſula pedoque clarum in igne expiatorio graves dediſſe pœnas, quòd in officio legendo non ſatis accuratam temporis rationem obſervaſſet, nec ſua precibus horariis dediſſet intervalla. Itabat ille ſæpiùs ad aulam, & quidquid erat vacui temporis impendebat illud publicis negotiis: crederes ex hominum calculo propè occupatum, dum ſibi privatoque officio tempus ſubtrahit, quod ſuo Principi, quod rebus publicis concedat: at ſuperum ſuffragiis, Deique ſeveri Judicis ſententia, malè diſtinetur ille, qui ſua præproperè facit, ut aliena tractet, qui aulam ſtudioſiùs colit, quàm ſacram ædem; qui aliis vacat operoſiùs, & ſibi ſtudet negligentiùs; uæ ille inquam, male negotioſus eſt homo. Tu ne ex eo genere ſis cave, & alterum ſi ſapis etiam declina, in quod plerique ſuo vitio atque incuria incidunt.

Habet ætas noſtra, lugetque nonnullos è Clero qui etſi domi privatis ſub tectis horarum penſum abſolvant, publico tamen officio, ita interſunt, ut nec aliorum devotioni ſtudere videantur; ſed tantùm ſtatutis reſidentiæ horis, & iis quidem quàm parciſſimè ſatisfacere: aut enim chorum ſubeunt inchoato jam officio, aut eo necdum expleto diſcedunt: diceres urgeri immenſa negotiorum mole, avocari amicorum ſtudiis, & incumbentis Reipublicæ curis retrahi; cùm tamen nihil horum ſit, ſed aut avarus in ſuperos animus, aut certè vacuus pietatis, cui ne nimium tribuant, verentur. Ego certè (ut ingenuè dicam quod ſentio) plurimum metuo ne ejus farinæ hominibus eveniat illud, quod olim Monacho è D. Benedicti familia; de quo D. Gregorius ad omnem poſterorũ memoriam & exemplum ſcripſit.

Lib. 2. Dial. c. 4. Erat D. Benedicto, magno religioſorum virorum Parenti (quod in numeroſa prole plerumque fieri ſolet) Monachus & filius unus aliquis, iſque non admodum propenſus in ſtudia pietatis: Dæmonem ille à ſacris officiis æquo citius avocantem audiebat; à ſuis fratribus abibat; diſcedebat è choro, nec precum communium finem expectare poſſe videbatur. Hunc ſæpiùs non ſine ſtomacho notarant religioſi, notarat ac damnarat S. Pater Benedictus; imò pro ea, qua erat in diſcernendis ſpiritibus vi ac perſpicacia, Dæmonem viderat, qui eum Monachum extrahebat è choro; quem, ne abduceret in poſterum, flagello malè excepit vir ſanctus, fugavit, & ad ſtygios carceres redire coëgit.

Optarem in omnibus Eccleſiis eſſe Benedicto parem aliquem, ſi in iis aut illi Monacho ſimilis, aut iſti Dæmoni malitia non inferior reperiatur.

§. IV.

De loco & ſitu corporis legendis Horis conveniente.

Cap. 38. CUm id caſus aut neceſſitas tulerit, locus omnis orationi eſt accommodus. Ita Jeremias in luto & è luto Deum ad ſe precabundus traxit. Daniel in leonum lacu iratum Numen placavit. Tres pueri in Cap. 6. camino ignis, mediiſque flammarum verticibus cœleſtem in ſe indulgentiam experti; magni profectò & fervidi oratores.

Job in ſordibus & ſterquilinio Dei in ſe miſericordiam provocavit. Latro infami ligno trabalibus affixus clavis, & cœlo vim fecit, & Servatoris ſui aures animumque oratione ſua pulſavit & evicit.

Agnes tenellula virgo infandum lupanar ſuis precibus propè in oratorium vertit: ita locus omnis piis mentibus orationi & eſſe & videri poteſt aptiſſimus. adeò verum illud D. Baſilii: ad orationem non locus, ſed propoſiti initium requiritur.

Hujuſce rei rationem ſi quæris, ea eſt in promptu: humanus animus utpote immortalis & expers corporeæ molis, à loco non pendet, nec in ſeipſo, nec in ſua actione: ubique ſuus eſt, ubique liber, ideoque ad orandum ubique expeditus; & hoc veriſſimum de ea oratione quæ mente concipitur, in ea hæret, nec foras erumpit. At illa quæ vocalis dicitur, locum omnino decentem & quietum amat, niſi neceſſitati parendum eſſe dixeris, non ſatisfaciendum voluntati.

His ita ex vero conſtitutis, de propoſitâ quæſtione ita ſtatuo; Horis Canonicis exſolvendis locum proprium eſſe aut chorum, aut cellam; hanc ſi privata, illum ſi publica fuerit oratio.

Situs autem corporis is eſſe debet qui eum non dedeceat, qui ſe ſenſerit cum Deo loqui: hinc aut flexis genibus, aut ſtans orabit; aut ſi valetudo non ferat, humiliter ſedens; hæc enim corporis compoſitio argumentum eſt reverentis animi, & ad divina colloquia contremiſcentis: contrà verò aut indecorè ſedere, aut pronum jacere, aut immodeſtè circumcurſare, indicium eſt vagæ & diſſolutæ mentis, parum ad ſacra quæ decurrit officia attendentis: quod & cœlum damnat, & ipſi quoque irrident Inferi. Argumento ſit illud quod refert Petrus Damianus. Prior, inquit, noſtus aliquis, cui nomen Joannes, ab infirmâ debilique valetudine plus æquo ſibi indulgens, ſæpiùs Completorium decurrebat mollius jacens in lectulo: ita quandoque viri etiam aliàs religioſi ſibi nimium blandiuntur, & cutem non probè curant. Evenit autem ut ei offerretur Dæmoniacus aliquis, quem ſacris Eccleſiæ exorciſmis ſanare, & malo hoſpite liberare dum ſtudet, inſtatque vehementiùs; ſic ei Dæmon: tu ne ille es, qui ſub coito quotidie Completorium inſuſurras, modò me quaſi ſanctus ejicere, & juris mei vaſculum de meo vis dominio liberare: per me, per Inferos non facies: & verò etiam non fecit; ſed ad ſe cellamque rediit multo ſuffuſus rubore, & à malo genio benè doctus. Quod ſi etiam apud Inferos malè audiit orator ille, qui tamen à morbo, debilique corpuſculo cauſam aliquam prætexere potuit; quomodo benè audiet is qui cùm vegetus ſit & valens, horas Canonicas recitat, aut indecorè cubans, aut petulanter inambulans, parum memor Divinæ illius Majeſtatis, ſub cujus tamen eſt conſpectu, & quam (ut ait S. Chryſologus) *pavent Angeli, poteſtates metuunt, & in faciem proruunt cœli ſeniores:* quos ut in terris imitere, author tibi ſum, ut aut ſtans ores, aut (ut inquit Tertullianus) Deum tuum *de geniculis adores:* ſic adoravit Paulus, qui hoc de ſeipſo; *Flecto genua mea ad Patrem.*

Damian. lib. de mir.

Serm. 9.

Epheſ. 3.

Sic D. Bartholomæus qui centies in die flectebat.

Sic D. Jacobus, qui *quod aſſiduè coram Deo flecteret,* callosam genuum duritiem contraxerat, ut teſtatur S. Epiphanius. Lib. 3. Hæreſ. 78.

Sic D. Auguſtinus, qui primorum Chriſtianorum *trita genua* appellabat, & de ſeipſo ingenuè addebat illud: *Quotidie ad Eccleſiam curro, genua mihi trita ſunt ex orationibus.* Utinam & tibi trita ſint (amice Lector) ex oratione, avitaque pietate. Tract. 9. in Ioan.

§. V.

Qui obligentur ad Horas Canonicas?

COmmunis Theologorum ſententia habet, ad horas Canonicas obligari primùm eos omnes qui ſacris ac majoribus Ordinibus initiati ſunt.

Tum etiam eos, qui beneficium Eccleſiaſticum poſſident, unde petatur bona pars honeſtæ ſuſtentationis.

Tum denique religioſos omnes profeſſos, & ad chorum deſtinatos. Et hæc communi Doctorum ſenſu tradi ſolent.

Cenſuerunt tamen nonnulli, eos, qui ad Ordines promoti ſunt, nomine ac ratione patrimonii, ad divinum officium non teneri. Alii, obligari tantùm Sacerdotes, non autem Diaconos, aut Subdiaconos; jura enim meminerunt tantùm Presbyterii; non autem Diaconi, aut Subdiaconi.

Dub. de Orat. c. 7. num. 2. Unde ingenuè fatetur Navarrus nullum in jure Canonico extare decretum, quo præcipiatur Diaconis, aut Subdiaconis, ut divinum officium percurrant. Cùm enim Jura illigent tantùm Presbyterum, preſſiùs accipi debent, non extendi, ex illa regula Juris, *Favores ampliandi, odia reſtringenda.*

Verùm ut hæc ita eſſe fateamur, dicendum tamen cum Navarro, & communi ſenſu Interpretum Juris Canonici, omnes initiatos ſacris Ordinibus, Diaconos omnes ac Subdiaconos *generali totius Eccleſiæ conſuetudine eadem lege teneri, qua Presbyteri, qua Clerici beneficiarii: conſuetudo enim vim legis habet moribus gentium recepta.* *Ex c. Preſbyter. a 91.*

De Religioſis profeſſis, & choro addictis etiam convenit inter authores, eos ad divini officii penſum obligari. Verùm lis eſt ac contentio, qua lege, quo jure?

Cajetanus vult tantùm teneri ſola conſuetudine, quæ ubique locorum invaluit; non autem ullo Jure Canonico.

In 4. d. 15. q. 3 art. 2. Paludanus hoc onus naturali jure eis impoſitum eſſe contendit; vel eò tantùm, quòd populi eleëmoſynis ſuſtententur ac vivant; ideoque pro eis ut orent ac pſallant incumbit. Ut ut ſit, hic non diſputo, ſufficit in præſentia teneri.

D. q. 1. c. ult. De beneficiariis res eſt extra controverſiam, de iis enim loquuntur jura, & clamat vulgatum illud: *Beneficium Eccleſiaſticum datur propter officium.* Ubi Gloſſa notat, *Ideo privatus officio, privatus quoque eſt beneficio, cùm ſit ejus ſequela.*

Sed una quæſtio reliqua eſt, quo jure ad officium teneatur beneficiarius? An naturali, an divino, an Eccleſiaſtico? an hoc & illis?

Verb. hora. q. 1. d. 9. Silveſter docet beneficiarios ſolo Eccleſiæ præcepto ad divinum officium perſolvendum aſtringi. *De Orat. c. 7. n. 3.* Navarrus jure tum divino, tum naturali, tum Eccleſiaſtico.

Pſalm. 118 Pro divino jure appellat illa verba Prophetæ Regii. *Septies in die laudem dixi tibi.* Verùm ut ingenuè pronuntiem quod in hac parte ſentio, ex hoc Scripturæ loco nihil peti poteſt, unde ea beneficiario lex, ea neceſſitas incumbere videatur: etſi enim Davidi ea fuerit conſuetudo, non præcepto impoſita eſt, ſed voluntate ſuſcepta: neque exſtat veſtigium unde beneficiariis in poſteros annos & ſæcula dicatur eſſe derivativa. Pro jure naturali, & quadam Juſtitiæ lege, multa faciunt argumenta.

Primum, omnium ore calamoque expreſſum illud axioma. *Beneficium datur propter officium.*

Alterum, quia æquitatis & Juſtitiæ ratio poſtulare videtur, ut altari ſerviat qui de altari vivit.

Accedit deinde & Tertium, quod laici frugum primitias, decimas, ac cæteras oblationes Eccleſiis reliquerint, ut in iis videretur, qui divinis intentus eſſet officiis, qui Deo ſupplex accideret, qui pro ipſis cœlum ac ſuperos exoraret.

Ex quibus omnibus primùm conficimus illud, beneficium non tam eſſe virtutis præmium, quàm laboris mercedem, ac ſtipendium exhibitæ operæ.

Deinde eum, qui officium omittit, reipſa non facere fructus ſuos; ſed pro rata ad reſtitutionem teneri: cùm enim fructus ſit merces operæ, ac laboris ſtipendium, ſi opera nulla fuit, ſi nullus in perſolvendo officio labor; certè nec ſtipendium, nec merces debetur, imò nec accipi poteſt.

Sed hinc exurgit difficultas altera, quæ pars officii prætermiſſa obliget ad reſtitutionem? & cui ea facienda ſit?

Suarez hanc regulam ponit, Quotiès omiſſio officii eſt mortalis, toties incumbit onus reſtitutionis. Cum quo ferè conſentiunt Fillucius & Diana, qui docent eſſe debere omiſſionem unius horæ integræ: quæ ſcilicet etiam peccato lethali obnoxium reddat.

Ad alterum, Cui ea facienda reſtitutio? etiam convenit inter Doctores, faciendam eſſe aut fabricæ, aut egenis, aut applicari poſſe Miſſis ac ſacrificiis pro defunctis; nam & hi inter egentes reponi poſſunt.

§. VI.

Quale peccatum ſit horarum omiſſio?

HAc in parte nihil referam ex mea ſententia, nihil ex me definiam: producam tantùm Doctorum fidem & authoritatem.

Angelus cenſet eum qui horas omittit, vel ex contemptu, vel ex conſuetudine, vel cum aliorum offenſione, peccare lethaliter; ſecus autem ſi abſit contemptus, conſuetudo, ſcandalum: etſi enim irrepat aliqua negligentia, exiſtimat ex ea tantùm contrahi noxam venialem.

Contra illum acriter pugnant Doctores alii, Canonici Juris ac legum Interpretes, quorum ea vox, ea eſt communis ſententia, eum qui horas omnes omittit ſine cauſa, mortalis culpæ reum argui.

Authoritati ſuffragatur ratio, quia cùm lata lege vel recepta conſuetudine incumbat præceptum, & hoc in re gravi, qui illud præterit obnoxius eſt gravioris noxæ.

Sed & altera hinc emanat quæſtio, an qui totum officium omittit cenſeatur ille unicum dumtaxat lethale peccatum committere, an plura; tot ſcilicet quot horæ?

Authores in duas feruntur ſententias: mitior una, durior accidit altera. Hæc Leſſii eſt, exiſtimantis eſſe tot peccata mortalia, quot ſunt horæ. *De Iuſt. & Iure l. 2. c. 37. d. 9. n. 58.*

Rationem ex eo ſi quæras, hanc depromit, quod ſingulæ horæ ſingula ſint ac diſtincta officia in quæ cadit præceptum. Contra tamen ſentiunt & loquuntur alii, Valentia, Suarez, Vaſquez, quibuſcum volvitur & abit torrens Theologorum, qui docent eſſe unicum tantùm peccatum. *Tom. 3. d. 6. q. 2. p. 10. De Relig. tom. 2. l. 4. c. 25. Opuſcul. de b. reſ. c. 4. s. d. 5.*

Cauſa in promptu eſt: officium enim quantum eſt, una eſt oratio, una actio, compoſita è ſeptem horis, veluti totidem partibus, adeoque illius omiſſio eſt una, unumque peccatum. Quæ ratiocinatio ſi vero propior eſt, ut eſſe certè videtur, unà ruit fundamentum Leſſii, ejus ratio penitus labefactatur.

Ei lucem addet opportuna ſimilitudo: etſi enim unum aureum furari, communi Doctorum ſenſu peccatum ſit lethale; non tamen inde argues furari decem aureos, eſſe decem peccata mortalia, ſed unum altero gravius. Idem in quæſtione propoſita eſto judicium. A qua priuſquam diſcedam, duo calamo leviter notabo, quæ ſæpius occurrunt: & quidem.

Primum, An qui præpoſtero ordine preces Canonicas recitaret, cenſeretur ille gravioris peccati reus. In eo conſpirant omnes ſi id ex cauſa fiat, aut inadver-

inadvertentia, nullum eſſe peccatum: ſin autem deſtinato conſilio, ex more & ſæpiùs fiat, Vaſquez in culpa mortifera reponit: quia præpoſtera illa officii ratio, lectioque, ordini Eccleſiæ & communi conſuetudini derogare videtur.

Mitiùs ediderunt Bonacina, Leſſius, aliique, qui etſi concedant eſſe noxam venialem, negant in mortalium peccatorum ſerie reponi poſſe: & meritò: quia eo caſu ponitur ſubſtantia præcepti, & error tantùm eſt in circumſtantiis, qui tantam culpam non inducit.

Huic vicina & affinis altera quæſtio, An qui officium pro officio legit, an & ille peccet, & an repetere teneatur?

Cenſent Theologi, etſi ex certa ſcientia & deſtinata voluntate id fieret, non evadere tamen ad reatum culpæ mortalis, ſed venialis dumtaxat. Quia præceptum Juris Canonici eſt, ut legantur ſeptem horæ: & hæc illius præcepti ſubſtantia: hoc autem, aut illud officium, ſpectat ad circumſtantiam, in quam qui incurrit, non illicò lethalem culpam dicendus eſt incurriſſe.

Ex quo concluſum id velim cum Silveſtro, eum qui officium pro officio eaſolveret, non teneri repetere: hoc enim etſi conſilii ſit, non tamen eſt præcepti; voluntatis eſt, non neceſſitatis.

§. VII.

Qui & quales beneficii fructus?

QUia ſuperius memini fructuum, quos ſuos facit qui Eccleſiæ & altari ſervit, non poſſum quin paucis ac veluti per tranſennam aliquid ex antiquitate delibem, doceamque quid Apoſtoli, quid Sancti Patres de iis cenſuerint: ut ex illorum ſenſu ac calculo appareat, qua ratione illos aſſequi, quomodo iiſdem uti debeamus.

Vulgò eas poſſeſſiones & bona, quæ ex beneficio relinquuntur, vocamus *fructus beneficii*: non ſine omine: ut enim fructus enaſci ſolent ex herbeſcenti viriditate ac floribus: ita & proventus illi ea officio; in quo debet eſſe ſua bonæ ſpei viriditas, ſui pietatis, religionis, fidei, charitatis aliorumque virtutum floſculi, à quibus ad animum tranſeat fructus ubertimus.

Apoſtoli Canone Quadrageſimo vocabant proventus illos Eccleſiæ, Græca voce κυριακὰ, id eſt *Dominica*, bona Domini, Dei opes, quæ beneficiariis committuntur, & quorum exigentur rationes, ut ab œconomo repeti ſolent. Ex eo fluxit ea in ſcholis opinio, quæ beneficiarios proventuum ſuorum diſpenſatores amat & facit, negat autem ex vero eſſe dominos.

D. Bernardus libro quarto de conſideratione ad Eugenium, appellat *Patrimonium Crucifixi*. Nimirum ſe bonis omnibus, & Univerſo (cujus tamen erat Dominus) exuit Chriſtus, ut te (ô Clerice) indueret: pauper omninò factus, ut tu illius egeſtate ditareris. Hoc igitur patrimonium ama, ſuſpice, verere, ut Crucem ſoles ac Crucifixum.

In Apolog. c. 39.

Tertullianus altiore ſtylo, vocare ſolitus *depoſita pietatis*. Cenſebant nimirum primi Chriſtiani, qui ad illam beneficentiam invitabantur divinis oraculis, ſuas opes benè ac piè deponi in manibus Clericorum ad ſanos uſus, ad egenorum opem ac ſtipem melius & caſtius per Clericorum manus erogandam.

In Epiſt. ad Chriſtianos

Urbanus hujus nominis primus, qui ſecundo ſæculo vixit, bona Eccleſiaſtica, dicebat eſſe *vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.*

Vota quidem fidelium, quod iis explicarent animi ſinus, deſideria panderent, & unà cum ſacra illa regiaque munificentia, vota preceſque pro ſalute & incolumitate ſua in cœlum emitterent, ut ſi quæ fortè contractæ eſſent labes, ſi quæ maculæ peccatorum, eæ omnes attributo Eccleſiæ ſenſu, ampliſſimiſque poſſeſſionibus eluerentur; & inde eas nominare placuit *pretia peccatorum*, quòd iis quodammodo peccata ſua redimerent, lytrumque ſupremo Judici etiam vivi ac ſpirantes penderent. Addit pius Pontifex eadem Eccleſiæ bona, eſſe *patrimonia pauperum*: cui conſentit Ambroſius, cujus hoc eſt breve, elegans, & pium pronuntiatum:

Poſſeſſio Eccleſiæ ſumptus eſt egenorum. *Adv. Sym.*

Ex illa perſuaſione factum opportunè & piè, ut multis in locis pauperes Eccleſiæ bonis ac Clericorum proventibus uterentur. Romæ certè ſub Cornelio ſummo Pontifice, *mille & quingenti* ab Eccleſia nutriebantur. Reliqui ſumptus cedebant Clero, qui tum temporis in communi vitam agebat, & inde Clerici, olim dicti Cœnonici, hoc eſt in commune viventes. *Euſeb. l. 6. c. 33.*

Hæc fuit avita majorum noſtrorum pietas, hic ſenſus antiquitatis, hæc ſummorum Pontificum oracula, hæc ſanctorum virorum placita, hic uſus bonorum Eccleſiaſticorum: à quo mirum quantum aberrant, Primum ii, qui ea in conſanguineos effundunt, ut illis pingueſcat caro & ſanguis, augeantur amicorum fortunæ etiam ſupra datam à natura ſortem: quod impietatis eſt genus quoddam, exuere *Crucifixum*, ut amicum, ut conſanguineum, ut mundum induas; nec minus peccant illi, qui aut ſordida avaritia ea Eccleſiæ proventibus arcas ſuas onerant ac fatigant, aut inſano luxu in ſuas voluptates fœdè prodigunt.

§. VIII.

Quæ attentio requiratur in Horis Canonicis, ut Eccleſiæ præcepto fiat ſatis?

ANtoninus Diana Clericus Regularis, & ſancti officii in regno Siciliæ conſultor, ait, ſibi quondam propoſitas fuiſſe duas pro exoneranda conſcientia quæſtiones. *Tract. 2. de Hor. Can. Reſol. 1.*

Prima hæc fuit. Petrus beneficiarius per ſeptem integros annos, divinum officium legit ſine attentione: quæſitum an fructus feciſſet ſuos; an ad eorum reſtitutionem teneretur?

Altera fuit iſta, in eodem Siciliæ regno, in quadam Eccleſia (cujus nomini parcit) Canonicus in choro confabulari ſolitus, nec ullam externo corporis habitu afferre attentionem: petitum an ille diſtributiones feciſſet ſuas. *Reſol. 8. v. 12.*

Has quæſtiones attingit Diana, & tum ex ſuo ſenſu, tum ex aliorum Doctorum placitis reſolvit; & quidem ad primam quæſtionem producit variorum authorum fidem, qui in alias atque alias feruntur ſententias.

Una fuit, eum Beneficiarium, qui per ſeptem integros annos legiſſet horas ſine debita attentione non feciſſe fructus ſuos, & hinc imponendum ei onus reſtitutionis: Pro hac ſententia citat Petrum Navarra, Suarez, Salas de legibus, Vaſquez opuſculo de beneficiis, alioſque complures Theologos, quos, ut brevior ſim, omitto. *Lib. 2. c. 2. In 3. p. tom. 3. Diſp. 4. ſect. 2. Diſp. 9. ſect. 2. c. 4. §. 2. dub. 4.*

Ratio, qua nituntur authores, eſt ea, quod cùm attentio ſit modus ſubſtantialis (da veniam benevole Lector ſi quandoque utar voce minus latina, ea certè utuntur Theologi, qui rem amant, non verba) pertinet ad ſubſtantiam præcepti, adeoque, qui illam non exhibet, nec præceptum adimpleſſe cenſendus eſt.

Sunt tamen & Theologi magni nominis, qui in adverſam tranſière ſententiam, Leſſius, Azor, Malderus, Toletus, aliique. Hi cenſuerunt eum qui ſine attentione horas percurriſſet non teneri ad fructuum reſtitutionem: quod ut appareat, *L. 2. c. 37. d. 11. p. 6. L. 10. c. 39. q. 8. In 2. 2. tract. 10. c. 2. dub. 4. L. 2. c. 32.*

Cajetanus advertit, duplex ab Eccleſia latum eſſe præceptum. Primum fuit legendi horas; cui deinde

acceſſit

acceſſit alterum, legendi *ſtudioſè & devotè*: cùm enim non ſine mœrore, graviq́ue ſenſu videret Eccleſia, pia Mater, è beneficiariis nonnullos, ſpiritu tantùm vocis ac labiorum officia divina decurrere, ut iis modum poneret; conſtituit ut *ſtudioſè ac devotè* dicerentur.

Extat ea lex lata à Concilio Lateranenſi, Capitulo *Dolentes*, è quo petuntur illa verba; *Officium divinum celebretur ſtudioſè pariter & devotè*.

Contra hoc præceptum peccat qui ſine attentione horas Canonicas decùrrit & pervolvit: non tamen illico conficitur aſtringi debere ad fructuum jam perceptorum reſtitutionem.

Cùm enim ea reſtitutio ſit pœna lata in omittentes horas, ille autem ex vero non omittit, ſed tantum malè legit, ea pœna illum non afficit.

Supereſt tamen alia difficultas, an is, qui ſine attentione horas Canonicas evolvit, cenſeatur ille Eccleſiæ præcepto ſatisfacere? An reus peccati mortalis? Ut mollior ad eam difficultatem ſuperandam ſternatur via, præmittendum duplicem adhiberi poſſe attentionem. Una externa; ea poſita eſt in verborum pronuntiatione, & compoſitione corporis, qualis oranti eſſe ſolet.

Alia interna; hæc eſt actus mentis ſeſe in Deum, & res divinas erigentis.

Quæritur à Theologis quæ ex iis requiratur attentio & ſufficiat. Hic rurſum itur in duas ſententias.

Una omninò requirit internam attentionem: ea nititur duabus potiſſimum rationibus, è quibus hæc prima. Lectio horarum eſt actus orationis ac religionis; hic autem nec eſſe, nec cenſeri poteſt, niſi interna mentis attentio acceſſerit.

Altera appellat impoſitum præceptum à Concilio Lateranenſi: *Officium divinum celebretur ſtudioſè pariter ac devotè; devotè quantum ad officium mentis*, inquit Gloſſa.

Lib. 10. q. 5. ar. 5. 2. 2. q. 83. ar. 13. de orat. c. 11. Lib. 2. c. 37 d. 11. — Pro hac ſententia ſtetêre plurimi, Sotus, Cajet. Navarrus, Leſſius, aliiq́ue.

Non deſunt tamen, quibus ſi minus ad ſenſum pietatis; at certè ad præcepti leges & vincula ſufficiat externa illa attentio, quæ verba exprimit & ſpeciem habet orantis, nihilq́ue externo corporis habitu admittit quod alienum ſit ab actu externo religionis.

In 4. ſent. 15. q. 12. n. 13. 17. 3. Part. tit. 13. c. 4. In 4. diſt. 15. q. 5. art. 2. Tract. de hor. Can. Reſ. 2. — Pro hac pugnat Durandus, acre & vehemens ingenium, Silveſter & Angelus verbo hora, D. Antoninus, Paludanus, Diana, aliiq́ue quamplurimi.

Hi ducuntur ea ratione, quòd Eccleſia non poſſit præcipere actus internos, cùm nec eos punire, imò nec cognoſcere poſſit extra forum confeſſionis: devotio autem & interna attentio actus eſt mentis internus; idenq́ue ad eum non evadit Eccleſiæ præceptum.

Ex hac ſententia conficitur illud, quod is, qui inter legendum horas, ſua voluntate ac culpa diſtractus eſt, nec lethale peccatum incurrit, nec pœnam reſtitutionis, nec onus officii repetendi.

Et hæc quidem opinio opportunè laxare poteſt receſſus anguſtæ & ſcrupuloſæ conſcientiæ; quæ nuſquam eſt tuta, ubique timida, nutans, anxia à ſcrupulis ac ſtimulis, quibus angitur.

At certè ut dicamus illud, quod ex noſtra in malum conniventia evenire ſolet, etiam importunè aperire atque effundere nimium patentes & laxos ſinus conſcientiæ eorum hominum, qui ſervorum in morem ducuntur metu pœnæ potiùs, quàm ſuavi virtutis illecebra atque amore; quem quia in lectoris animum imprimere volo, proponam in præſentia quæ faciunt ad ſtudium virtutis & officia pietatis. Si tamen prius attigero ſolveroq́ue nodum ſecundæ quæſtionis: ea ſpectabat Canonicum, qui in choro fabulis totum tempus atterit & fallit: an ille diſtributiones faciat ſuas?

Reſpondet Diana non facere, quia in eo neque eſt interna attentio, neque etiam externa: confabulatio enim actus eſt externus qui pugnat cum actu externo orationis ac religionis. Reſol. 9.

Gaſſia tamen de beneficiis, etſi fateatur Canonicos in choro toto tempore divini officii confabulantes peccare graviter; negat tamen obligari ad reſtitutionem diſtributionum quotidianarum: quia ad has credit ſatis eſſe nudam præſentiam. Tom. 5. p. 5. c. 1.

His ita conſtitutis venio ad alterum caput, quod mihi propoſui, & quæro ex ſtudio virtutis, qualis eſſe debeat horarum lectio.

§. IX.

Quæ attentio requiratur in legendis horis, ex virtute ac perfectionis ſtudio?

PRimùm videbo quæ improbetur, tum deinde quæ probetur oratio.

D. Chryſoſtomus aurea ut ſolet eloquentia, deplorat vitium humanæ mentis, & vagæ cujuſdam inconſtantiæ. *Sæpè*, inquit, *homo cùm eſt in ſe non eſt ſecum*; ſtulta nimirum & inutili peregrinatione exul eſt à ſe, & à Deo ſuo; gyrovagus in oratione, quam Caſſianus eleganti metaphora appellat *nutabundam & quodammodo ebriam*. Ut enim ebrius ab effuſo vino, & nimia ſpirituum in cerebro exundantia, nutat, ceſpitat, & in tranſverſum agitur, nec ullo fixus hæret veſtigio: ita pleroſque videas, quorum mens in oratione velut ebria eſt, & nutabunda: nulla enim cogitatione diſtinetur; ſed huc & illuc elabitur ut ſolent malè poti. Serm. 5. Coll. 4. c. 6.

Hoc genus precum D. Paulus ad Timotheum vocat orationem *cum diſceptatione*; eſt enim in ea diſceptatio, lis, & pugna multarum cogitationum inter ſe certantium, quæ potius animum ad ſe rapiant ac moreantur. Statuatur ergo primùm illud: abſit ab animo oratio peregrina; abſit & illi affinis ea quæ duplex appellari ſolet. 1. ad Timoth. c. 2.

Græci duplicem orationem, & animo duplices appellabant irreligioſos illos oratores, qui ſcilicet mentem in diverſa abripi ſinunt, & unam illius partem Deo, alteram vanitati ac mundo concedunt: contra quos pugnat illa conſtitutio Apoſtolica, quæ à Clemente traditur. Conſt. Apoſt. l. 7. c. 11.

Ne ſis duplex animo in oratione tua.

Pugnat & illud votum prophetæ Regii: *Lætetur*, inquiebat, *cor meum, ut timeat nomen tuum*. D. Hieronymus ex Hebræo vertit; *Unicum fac cor meum*. Symmachus: *Aduna cor meum*. Aquila: ſit cor meum μοναχῶς; *unice* tibi intentum, non diſtractum, non diviſum. Ut porrò ſit ejuſmodi, ad ſeipſum revocari debet orantis animus, & intra cordis penetralia claudi, ne exeat, ne vagetur. Pſal. 85. v. 11.

Hoc olim notavit, monuit, urſit Ambroſiana eloquentia, quam avidis auribus excipe; ita enim habet. *Cubiculum tuum, arcanum animi ſecretum eſt. In hoc cubiculum tuum intra, hoc eſt, egredere de corporis tui exteriore veſtibulo, & totus intra in alta præcordia cordis tui: & claude oſtium*, ne fortè irrepat & ſubintret malus animi prædo, & diſſipator cogitationum: ne, ut piè diſſerit Bernardus, *vel ſenſus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea quæ difficilius amoventur irruentia imaginum corporearum phantaſmata* avocent atque diſſipent. Fit enim neſcio qua vel in malum conniventia, vel pravis affectibus, vel dolo cacodæmonis, ut tum maximè incurrat importuna negotiorum turba, ut de ea etiam querantur viri ſancti, & velint nolint, ab illa aliquid patiantur. Hieronymum audi, cui nox & dies una fuit oranti. Is ita de ſeipſo queritur. *Creberrimè*, inquit, *in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fœnore cogito, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero.* Lib. de Abel, c. 9. Serm. 25. in Cant. In Dialog. adv. Luciferianos.

Hæc ubi de ſe ingenuè confeſſus eſt; tum indignabundus exclamat. *Ubi eſt fides? Sictine putamus craſſe Ionam? Sic tres pueros? ſic Danielem inter Leones? ſic certè Latronem in Cruce?*

Producit magnos Oratores vir ſanctus: Jonam, quem irata maria, fluctuum æſtus, inſolens ventorum turbo turbare non potuit.

Tres pueros, quos adlambens ignis & flamma vorax ab orationis æſtu non revocavit.

Danielem, cui nec alta ſpeluncæ nox & ſquallor, nec vivi ac ſpirantis ſepulchri horror, nec ingenita Leonum ferocia, in oratione languidum & anxium fecit.

Denique Latronem, cui inter extrema ſupplicii & acerbiſſimæ mortis imaginem, cùm neque pes, neque manus liberæ forent, lingua tamen libera fuit, & ad orationem expedita. Et eam, ſibi, aliiſque ainat Hieronymus. Ut autem ipſe aſſequaris, attende quem in Hebræis animum eſſe Deus voluerit.

Dederat illis in mandatis, ut ter quotannis abirent à ſuis ædibus, & tabernaculo ſeſe ſiſterent Deum deprecatori. Ac ne fortè quemquam angeret cura domus, ne ferè vacua hoſpitibus tecta, latrunculis obvia, & patentis objici poſſent; eos omni periculo liberos, omniſque metu vacuos eſſe voluit; adpromiſit enim forè, ut eorum bonis ac domibus nemo unus omnium inſidiaretur. Hæc divinæ ſponſionis fuêre verba.

Exod. 34. v. 24. *Nullus inſidiabitur terræ tuæ aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno.* Ut promiſſum, ita & factum. Ibat liber Hebræus, & domos, & tecta, & ſupellectilem altiori providentiæ committebat, atque etiam inter hoſtes ſe rapinis addictas animas, neſciebat quid eſſet vel unius caſæ expilationem ſuſpicari. Nimirum ei pro tecto cœlum, pro cuſtodia Deus; cui oratio à curis expedita & immunis ita placuit, ut ſe pro eorum fortunis vadem ac ſponſorem faceret: quod ipſum diſertè notavit Auguſtinus.

Qu. 161 in Exod. *Hoc*, inquit *vult Deus intelligi, ut ſecurus quiſque aſcenderet, ne de terra ſua ſollicitus eſſet Deo promittente cuſtodiam:* Ne ſcilicet diſtraheretur Iſraëlis animus, & aliquam ſui partem deferret in Dei tabernacula, alteram nimia rei familiaris curâ ac ſollicitudine domi quodammodo relinqueret.

Certè de hiſce præpoſteris orationibus queſtus olim Deus. *2. Paral. c. 29 v. 6.* *Averterunt*, inquit, *facies ſuas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorſum.* Facies dico ſuas, id eſt conceptus & imagines mentis averterunt à Deo ſuo, & illi quodammodo terga verterunt, contra honeſtatis leges, & debitam ſupremo Numini reverentiam. Sit ergo hæc ſecunda lex orantis. Ad Dominum convertat cogitationes omnes ſuas, avertat nunquam.

Huic adde & alteram, affectus etiam ſuos & animi impetus omnes eodem dirigat. Hoc olim voluit Eccleſiaſtes, cùm innuit:

Cap. 4. v. 17. *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Quem amabo pedem cuſtodiendum ait Sapiens? Ne credo pedem eſſe corporis, ne fortè incurrat in limen, ne offendat, ne cæſpitet, quod antiquis mali ominis fuit, ex ſuperſtitione magis, quàm ex veritate: ſed pedem animæ, hoc eſt affectiones, ipſumque cor, earum fontem & officinam, feriò cuſtodiendum præcipit. Agnoſcebat nimirum vagos ſæpiùs eſſe animi motus & fugitivum cor: quod & agnovit David, cùm ita queritur: *Pſal. 39. v. 13.* *Cor meum dereliquit me.* A me quodammodo abiit abreptum inſolenti creaturarum æſtu, impetuque, quem fregit, & cor ad ſe revocavit: *2. Reg. c. 7. v. 27.* *Invenit*, inquit, *ſervus tuus cor ſuum ut oraret te oratione hac.* Quæ verba D. Auguſtinus ita explicat: *Invenire ſe dixit cor ſuum, quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitivum, & non poſſe comprehendere, & clamare ad Dominum: quoniam cor meum dereliquit me.*

Quod ſi Davidem quandoque cor dereliquit, eſt certè quod nos, humiles animæ, idipſum ſæpiùs queramur & gemamus, quod in oratione cor noſtrum nos derelinquat, & vagum ad creaturas effugiat: ut revocetur, ut ſiſtatur, & quaſi ad ſanctam anchoram adhæreſcat, ſit tibi horarum lectio oratio, quæ dirigatur ſicut incenſum in conſpectu Domini, hoc eſt more modoque thymiamatis, quod & ſuaviſſimum ſpirabat odorem, & rectà ſurſum ferebatur.

Rabbi Kimhi in Job agnovit in eo ſuffitu ac fumigatione miraculum. Ex Alexandrina civitate Hieroſolymam evocabantur viri præſtantes in arte ſuffumigandi; & quod mirè ac mireris, facer ille fumus & odorata expiratio, tam directo itinere ſurſum attollebatur, ut nulla vi, nullo ventorum turbine ullam in partem flecti poſſet: quod ipſum non humano artificio, ſed divino prodigio contigiſſe viri magni ſuis monumentis prodidere: nec immeritò: quid enim levius fumo, & odorata illa nube, quæ ſibi relicta flectitur partes in omnes, ventis paret, auras ſequitur, earum ludus ac ludibrium. Sola nubes ſacra, fumus unius thymiamatis in latera flecti neſcius, neſcius ventis obedire. Erat nimirum ea exhalatio typus aliquis orationis, quæ recto tramite in cœlum, in Deum ferri debet, nec in terras abjici, aut ad creaturarum latera declinare.

Eam devotæ mentis elevationem in primævo Chriſtianorum more expreſſam lego. Hi ſub ipſa Eccleſiæ incunabula, conſuetudine pleni religionis & inuſitatæ pietatis, cùm in templo ſacræ precationi darent operam, cùm Pſalmos canerent, in clauſulis orationum pedem attollere ſoliti, ut præ amore ſempiterni domicilii, ſtudioque magno rerum cœleſtium viderentur jam è corporis tabernaculo migrare velle, & cœlo reddi, Deoque jungi.

Eum morem expreſſit Clemens Alexandrinus in hunc modum. *Pedes attollimus* in extrema orationis *Lib. 7. Strom.* acclamatione, prompto animo & alacritate inſequi cupientes beatam illam naturam, quæ ſola mente & intelligentia percipitur.

Ad eandem elationem animi, ſublimeſque in oratione cogitationes, deſideria, affectus entheos, ſpectat ea, quæ olim in Moyſe fuit corporis compoſitio, & manuum ac brachiorum elevatio; quam etiam mirabili prodigio cœlum ipſum commendare voluit. Ut enim mihi author eſt Joſephus, dum Moyſes in- *Lib. 3. Antiq. c. 1.* noxias ad ſuperos manus attolleret, ros è ſublimi æthere defluus in precantis manibus concrevit; ut donum piæ orationis eſſe intelligeret.

Eo rore probè delibutus Moſes, cùm guſtaſſet, miram in eo ſuavitatem amavit, & aliis guſtandum obtulit; qui magnas in eo gulæ palatiique illecebras demirati, præ ſtupore attonitæ mentis exclamarunt: *Manhu?* quid eſt hoc?

Quod ſi Moyſi, primiſque Chriſtianis adeò curæ fuit ea mentis in Deum elevatio, in qua ſumma orationis eſt; certè & ea Clero eſſe debet, qui ex prima officii ſui ratione horis Canonicis & orationi totus eſt deſtinatus.

Argutè ſanè & ſapienter Euſebius Emiſſenus animadvertit inter Clericos poni columbam argenteam de qua Pſaltes Regius: *Si dormiatis inter me- Pſal. 67.* *dios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ.* Pennæ quidem, ut in cœlum aſſurgat Clerus, & ſublimis evolet, oratione ceu alarum remigio evectus. Deargentatæ verò ob eximium nitorem morum & ſingularem vitæ innocentiam; quæ eum ſtatum decet quàm maximè: ut enim nervoſa eloquentia D. Auguſtinus: *Quid prodeſt, quia hymnum cantat lingua tua, ſi ſacrilegium In Pſal. 102.* *exhalat vita tua?* Enimverò nihil prodeſt, niſi ad ignominiam & dedecus æviternum,

Sed

Sed & alterum eſt, cui invigilare debet pius Cleri labor & induſtria, ut ab horarum penſo, divinisque officiis abſit irreligioſa illa præcipitis animi feſtinatio, indea ſummæ levitatis & exiguæ devotionis, alienæ à Davidis ingenio, ſacraque Pſalmodiæ inſtitutione.

Tract. 2. in Pſal. c. 10. Ut enim ſcitè notavit D. Gregorius Nyſſenus, David primus, regiusque Pſaltes, in ſacris hymnis, canticisque ſuis ſæpiùs interpoſuit Diapſalma, ſive, quod barbara voce dicimus frequenter, *Pauſa*: ut eſſent notæ ceſſationis alicujus, & ſubitæ quietis inter pſallendum factæ ad receptionem divinitus immiſſæ illuſtrationis. Nimirum iis qui Davidico ſpiritu canebant, uſu veniebat illud, ut inter orandum obvenirent devotæ aſpirationes animi, quæ corporis ſpiritum quodammodo intercluderent ſiſterentque: occurrebant cœleſtia lumina, quibus dum occuparetur mens & intelligentia, vox ipſa ſupprimebatur & conticeſcebat. Et hæ fuerunt olim benigniores cœli influentiæ, quas non ſentiunt illi curſores noſtri, qui non tantum abeſt ut paululum interquieſcant religionis ergo, quin potiùs præcipiti rotatione Pſalmos evolvunt, ut horam, imò & momentum ultimum cupere ſolùm videantur.

Ab iis diſcedere te velim, mi Lector, & cum Davide os aperire, & attrahere ſpiritum, primùm de profundis cordis tui, deinde de altiſſimis cœli verticibus.

Pſal. 129. De ſeipſe teſtatus olim David, *De profundis clamavi ad te Domine.*

In hoc verſu luſit ingenioſa Sanctorum Patrum induſtria, & pius Interpretum labor.

Lyranus, *de profundis* inquit, clamat David, hoc eſt de terra Babylonis, quæ erat demiſſa & ſitu profunda, ſi cum Judæa componeretur. Treverus, de carceribus ait, & ergaſtulis, quibus tenebatur Iſraël.

Lorinus de antris ac latebris in quas ſeſe receperat David à Saüle exul & profugus.

Alii *de profundis* hoc eſt ex voragine & barathro infœliſſimi ſtatus ſive peccati clamaſſe Davidem volunt; eſt enim peccatum abyſſus, immenſa eſt vorago, eſt barathrum, in quo miſſellus peccator conſtitutus clamat ad Deum, qui eſt in altiſſimis, & quàm maximè ab eo diſſitus.

Alii *de profundis*, hoc eſt è limbo Patrum, è quo clamabant captivæ illæ Heroum animæ, & Meſſiam è profundo ſollicitabant. Et hæc quidem ſunt quæ interpretes fundunt in illum locum: ſed ad meum inſtitutum omnium aptiſſimè D. Chryſoſtomus.

De profundis, inquit, clamat David, hoc eſt de profundo corde, de imis penetralibus, de intimo affectu, & illa eſt longè perfectiſſima oratio, quæ à corde, vitæ ſede, & ſpirituum vitalium officina, dimanat.

Fuit olim ventilata illa in ſcholis quæſtio, quæ foret lingua omnium præſtantiſſima: hi Gallicam, Flandricam illi, Latinam iſti, Græcam alii voluêre; quiſque pro ſuo genio & affectu, qui plerumque non benè ſapit, dum in ſuis deſipit.

D. Hieronymus Hebræam cæteris omnibus anteponit, quia gutturalis eſt, & plerumque voces ex imo pectore haurit; ideoque ad impellendos ac commovendos animos habetur aptiſſima.

Vis rationi tuæ, vis ſacratiori Pſalmodiæ ineſſe robur, quo ſuperos evincas, quo ipſi Deo ſuperior evadas, ſit illa gutturalis, trahatur ex intimo corde, ducatur è profundis, néve in te cadat illud D. Chry-

In Pſal. 140. ſoſtomi in quoſdam è Clero ſui temporis: *Os quidem reſonat, cor autem eſt inane.* Et hoc Chriſti exprobrantis oraculum: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Ne, inquam à Deo longè ſit, ſed quàm proximè, age vocem deprome, & effer è profundo cordis ſinu, & ad eum, qui eſt in excelſis, emitte: & altiùs inſonabit illa, quò deducta fuerit profundiùs.

§. X.

Quis piè Horas Canonicas recitantibus cœlo propitio favor? quæ benedictio?

VT pio animi ſenſu in choro ſacros hymnos pſallentibus ſtimulos addam, è multis, quibus cœlo benigniore ornantur beneficiis, pauca in medium adducam; & quidem primò de Angelorum in diurnis illis nocturnisque officiis miniſterio ac feſtiva gratulatione: deinde de ſolemni Patris Æterni benedictione: denique de ſacro Spiritus ſancti in eos illapſu.

Ad primum quod attinet, celebris ea Angelorum ſpecies olim D. Bernardo oblata inter ipſa officiorum ſolemnia, ſacraſque in iis vigilias.

Vidit ille ſingulis monachis aſtare ſingulos Angelos, qui tabellionum more modoque in ſchedulas referrent quid quiſque pſalleret, quove ſpiritu, ne omiſſâ quidem vel unâ ſyllaba: adeò accurati ſunt cœleſtes illi tabelliones.

Scribebant autem alio atque alio charactere, colore alio atque alio: quorundam enim orationes, ſacratioremque pſalmodiam notabant auro, aliorum argento, nonnullorum atramento, aliquorum aqua, paucorum omnino nihil exſcribebant. *Henriquez in faſcic. SS. Ord. Ciſter. l. 1. d. 4. c. 38.*

Et hæc S. Præſuli oſtenſa ſpecies: addita deinde eodem Angelo interprete explicatio, quæ fuit hujuſmodi.

Aurum, quo cœleſti manu pinguntur orationes & hymni, index eſt tum fervoris ardoriſque animi, tum etiam puræ intentionis.

Argentum verò minorem quidem æſtum orantis iudicat: attamen & puram oſtendit intentionem.

Atramentum autem continuum quidem pſalmodiæ uſum denotat, etiam junctum cum bona voluntate, carentem tamen pii ſenſus atque ardoris.

Aqua verò, quâ etiam ſignatur ſacer ille cantus, eos exprimit, qui voce quidem pſallunt, ſed non mente ac ſpiritu; quorumque cor voci non conſonat, utpote vel oppreſſum pigritia ac ſomnolentia, vel abſtractum vanis cogitationibus.

Denique ii, de quibus nihil omninò ſcribitur, ſunt alieni penitus à ſua profeſſione, veſte quidem monachi, at non animo, qui vel ſomno lethali ſe immergunt, vel vaniis diſtinentur cogitationibus, Dei ſuique immemores: & hoc, non imbecillitate quadam naturæ; ſed malitia, pronaque ac præcipiti in malum voluntate.

Ex hac D. Bernardo à beatis illis ſpiritibus exhibita ſacratior ſcena, ex qua illud facit ad inſtitutum meum, quod pſallentibus adſint Angeli, vel ut ſeveri orantium cenſores, vel ut miniſtri altiſſimi, quod facit ad reverentiam, ſacrumque in divinis officiis horrorem: demus aliud, quod ad præſidium ac ſolatium.

Sub Abbate Roberto, Viro notæ inter ſuos ſanctitatis; Clarevallenſis monachus ſub horas nocturnas in extaſim raptus, ipſa ſecunda feria Paſchæ, *Henriquez l. 1. d. 5. c. 4.*
In aëre, chorique medio dexteram conſpexit, illuſtrem illam ac mirè ſpecioſam, quæ religioſæ illi familiæ hymnis, pſalmis & canticis ſpiritualibus tum temporis occupatæ, ſolemniter iterum iterumque ducto longioris Crucis tractu benediceret: quod dum ingenti animi ſenſu gaudioque attendit; ſimul audit illud cœleſte oraculum.

Illud eſt brachium Dominantis, hæc eſt dextra omnipotentis. Ut ex eo intelligas inter officia divina explicari *brachium*, id eſt potentiam *Dominantis*, & *dexteram Omnipotentis*, ut ſua beneficia gratiaſque ſpargat in omnes, qui ea peragunt illo quo par eſt pietatis ſenſu, ut eos tueatur ac protegat: quod certè plurimum facit ad ſolatium orantium ac præſidium. Quid enim adverſi obvenire poteſt illi, qui eſt ſub brachio dominantis, ſub dextera Omnipotentis?

Quæ Clarevallenſibus monachis objecta dexteræ benedicentis imago; eadem deinde & Dunenſibus, quibus de more eadem officia peragentibus, dextera Domini ſe in omnium oculos ac conſpectum dedit, quæ hoc labiorum & laudis ſacrificium exciperet prenſaretque, atque etiam ſecundò religioſo illi cœtui benediceret. Et hoc à dextera Omnipotentis, id eſt Æterni Patris, beneficium: accipe aliud, quod etiam à Spiritu ſancto; ut inde noveris etiam hunc de cœlo in pſallentium choros illabi. *Henriquez l. 1. d. 5. c. 12.*

B. Hermannus Abbas Hemmerodenſis, tum ex officii ſui ratione, tum ex tenero quodam, quo præditus erat ad divina ſenſu, religioſos ſuos excitabat, ut eo ſpiritu pſallerent, quo olim Regius pſaltes, imò quo beati in cœlis genii; utque facerent, chorum ipſe circuire ſolitus, velut alter Angelus & gregis ſui cuſtos; qui non verbo tantùm id docebat, ſed & exemplo.

Argumento erit illud, quod in ejus pſallentis capite ſæpiùs viſa ſit columba nivea, utique ſymbolum Spiritus ſancti illi incumbentis atque inſidentis, maximè verò cùm ad altare majus inclinaret ſeſe profundiùs, aut hymnum cantaret Te *Deum laudamus*.

Ecce ut ſacro illo concentu capitur Spiritus ſanctus, ut religioſis verticibus imminet inſidetque, unaque ſua chariſmata, ſuas gratias, ardoreſque immittit, quò toti ardeant, qui divinis illis officiis vacant, ſi modò vacent eo ſpiritu, ea corporis, animique compoſitione atque contentione, quæ & cœleſtes illos genios deceat, & Dei omnipotentis dexteram, ſub qua tum temporis ſunt, & Divini Pneumatis illapſum, quo repleri poſſint ac debeant.

CAPUT XII.

De Reſidentia.

IN hac quæſtione quinque mihi tractanda propoſui. Primum, quibus incumbat onus reſidendi, & quantum illud ſit: alterum, quæ ſubditis commoda enaſci ſoleant ſi Prælatus adſit, ſi oves ſuas paſcat ipſe, regat, moderetur. Tertium, quæ ex adverſo ſurgant incommoda, quæ morum inclinatio, quæ populi ſtrages ac ruina, ſi Paſtor à commiſſo grege longiùs abſit. Quartum, quæ in eo vitæ genere bonorum Paſtorum exempla ſuppetant. Quintum denique, qua ratione creditam ſibi Diœceſim bonus Præſul viſitare debeat.

§. I.

Quale ſit præceptum Reſidentiæ?

EA quæſtio inſtitui ſolet de Beneficiariis, qui in duas Claſſes diſtinguuntur: in una ſunt ii quibus à beneficio nulla reliqua eſt animarum cura; ſed penſum dumtaxat divini officii: tales ſunt Canonici, & qui beneficia obtinent, quæ vulgò ſimplicia appellamus.

In altera ſunt ii quibus impoſita animarum cura; qualis Epiſcopis ac Paſtoribus impendet.

De his & illis immittitur in ſcholas & pulpita quæſtio, quo jure ad reſidendum teneantur; divino, an humano?

De Canonicis, aliiſque ejuſdem ſacratæ ſortis hominibus, id ſtatuo; ad reſidentiam obligari Jure Eccleſiaſtico, quod anno quolibet abeſſe vetat ultra tres menſes: utque illi legi ſua vis exiſtat, ſuaque nectantur vincula, eum qui in eam peccarit; anno primo privari vult media parte fructuum, anno ſecundo, toto eorundem proventu. Ita decrevere Patres in pleno Orbis Concilio, ſacróque conſeſſu. *Trid. ſeſ. 24. c. 12. de Reſ.*

Quibuſdam tamen in locis audio ex quadam ſuperiorum indulgentia concedi abſentiam etiam ad ſex omnino menſes, uno die minus: ſine verò ea juri, rationi, pietati, Fundatorum intentioni conſentanea, viderint ii quorum intereſt: ego nolim eſſe Cenſor & Judex.

De Paſtoribus autem, Epiſcopis, aliiſque quibus addita animarum cura, ratioque Numini reddenda, illud ex Tridentino confici velim; teneri jure divino reſidere, & per ſe ſuum officium adminiſtrare: ita ferunt verba legis.

Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbiq́; Dei prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumq́; miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera omnia paſtoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis impleri & præſtari poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant & aſſiſtunt; ſed mercenariorum more deſerviunt, &c. *Seſſ. 23. c. 1. de Reſ.* Ex ſacra illa Tridentini ſanctione, Patrumque decreto, colligis primùm quod Paſtoribus & Epiſcopis impoſitum ſit præceptum; ſcilicet ejuſmodi, quod non ab humano foro prodeat, ſed emanet à divino; deinde quæ iis indicantur officia caritatis, pietatis, religionis.

Et verò, ut aliquod huic meæ propoſitioni à ratione pondus accedat; à variis nominibus quæ Prælatis imponi ſolent diſce quid iis oneris incumbat: ut de facie noſcitur homo, ita & in nomine ſeſe aperit ac legitur officii ratio.

Dicuntur ii primum *Paſtores*: appello illud Chriſti oraculum, quo Petrum Eccleſiæ præſidem, & Univerſo Pontificem dedit, & hac forma inaugurari voluit. *Paſce*, inquit, *oves meas*. Paſcere non tam dignitatis eſt, quàm laboris; præſentis eſt, non abſentis; paſtoris, non mercenarii, cujus eſt potius mulgere & tondere, quàm paſcere: ſecus omninò bonus Paſtor, cui, ut piè notat D. Bernardus, *Tertiò dictum paſce; nec mulge, ſeu tonde vel ſemel eſt additum.* *Jo. 21. v. 17.* *In decl. Matt.*

Dicuntur deinde in ſacris Paginis, *Miniſtri, diſpenſatores, non dominatores in Cleris, ſed forma facti gregis.* Dicuntur & *operarii* in vinea Domini, vocati non tam ut præſint, quàm ut proſint: non ut inſolenter quieſcant, ſed ut impigrè laborent, ut plantent, ut evellant, ut deſtruant: quod Eugenio Pontifici Maximo inſinuatum voluit D. Bernardus mellea & ſuavi eloquentia: *Diſce*, inquiebat olim, *exemplo prophetico præſidere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum; diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro*: quod ſi ſarculo opus, certè & præſenti manu, quæ terram ſibi creditam, id eſt immortales animos excolat, ex iiſque herbas noxias & infelicia lolia ab innoxiis diſcernat. *1. Cor. 4. v. 1. 1. Petr. 5. v. 3. Matth. 9. v. 38.*

Appellantur etiam *Epiſcopi*, quod, ut ait Auguſtinus, *Nomen eſt operis, non honoris*, & vigiles ac ſuperintendentes ſignificat. Quaſi deſuper, hoc eſt, ex altiore veluti ſpecula intendant atque incumbant populorum ſibi ſubjectorum utilitati. De his Chryſoſtomus religioſiſſimus Eccleſiæ Doctor: *Non principatu*, inquit, *ac dominationis faſtu; verùm cura regiminis & charitatis affectu præſideant.* Cui conſonat Auguſtinus ſpirans ille doctrinarum bibliotheca, & flos chriſtianæ pietatis, ac eloquentiæ: De Prælatis ille ita ſentit ac loquitur: *Intelligat ſe non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe*; honor enim & ſacra infulæ majeſtas debet eſſe in poſtremis; ſalus & incolumitas gregis, in oculis, & primis curis. Cujus præcepti conſcius & retinens Bernardus, Eugenium cum omni modeſtia ac ſubmiſſione ita monet. *Præſis, ut proſis, ut diſpenſes, non imperes: hoc fac & dominari non affectes hominibus homo, ut non dominetur tui omnis injuſtitia.* Præeſſe autem etſi poſſit abſens Epiſcopus; at prodeſſe via poteſt, imperare ut queat, at diſpenſare vix abſenti conceditur. *Lib. 9. de Civit. c. 19.* *Hom. 10. in 1. ad Timoth.* *Supra.* *Lib. 3. de Conſid.*

Denique ne multis morer, in alia atque alia appellatione, dicuntur Prælati & Epiſcopi Doctores, etiam oraculo voceq́; Pauli: *Oportet*, inquit, *Epiſcopum* *1. ad Timoth. c. 3. v. 2.*

Doctorem

Doctorem eſſe; non ſcripto tantùm, ſed verbo; quod non emanat niſi ad ſubjectum, & præſentem populi coronam.

Quod ſi ab iis nominibus, quæ quodammodo propria videri poſſunt, tranſeam ad ea, quæ apellativa ſunt ac metaphoricæ, auribus & animo excipiam ſublimes illos, & honoris plenos titulos, quibus in fronte majeſtatis ſede ſignantur Epiſcopi, dum
Matth. c. 5. v. 14. audiunt *Lux mundi*, *ſal terræ*, *civitas ſupra montem poſita*, *lucerna ſuper candelabrum ut luceat omnibus qui in domo ſunt*.

Quod ſi ſint *lux mundi*, Orbis oculus, & microcoſmi, id eſt, generis noſtri, hominumque ſol longè potior illo, quem oculis uſurpamus: certè neceſſum eſt, ut re etiam ipſa præſentes aſſiſtant, & ſuis terris immineant: quis enim neſciat ſolem illum, & facem Univerſi minimè profuturam, ſi occiduo ſemper Orbe lateret, & apud Antipodas noſtros oriatur, nobis autem ferè perpetuò occidat. Certè illo occaſu, ſquallor, ſitus, ſtrages, ruina ſequetur omnium omnino in terris ſpirantium atque viventium.

Sic in homine, mundo ſpirabili ac rationabili, niſi ei ſurgat ac caleat lux mundi (hoc eſt Epiſcopus) neceſſum eſt ut brevi, ſpiritu ac vita vacuus expiret atque contabeſcat. Et hæc à luce, Eccleſiæ cœlo petitur neceſſitas; alia terræ noſtræ à ſale.

Dicitur enim & eſt Epiſcopus ac Paſtor ſal terræ: quod eam ritè condiat, ſervetque illibatam à putredine: qui autem condire, qui ſervare poſſit, niſi intra ipſa terræ viſcera, abditosque ſinus admittatur? qui denique ut lucerna ſplendere omnibus, qui in domo ſunt, niſi & ipſe in domo ſit, imò in ejus medio, centroque, è quo ad omnem circumferentiam perennes, ſalubres, doctos, pios divinioris ſapientiæ ac virtutum radios evibret.

§. II.

Quæ commoda naſcantur ex Prælatorum Reſidentia?

MAgnus ille dux Iſraëlis & parens Moſes, populi Principes & Præſides appellare ſolebat ſpiritus, quòd ii ſint populo quod ſpiritus & anima corpori: ita quòndam ex voto ſuo precatur ſuperos. *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem,*
Num. 27. v. 16. *qui ſit ſuper multitudinem hanc.* Dominum vocat *Deum ſpirituum*, hoc eſt Prælatorum: quòd ii ſubjectæ multitudini pro ſpiritu, pro anima ſint.

Ab anima, ceu parte principe, viſitur in fronte, in genis, in vultu vividus color, amœna lux in oculis, ſenſus in corpore, motus in nervis, micationes in arteriis; vis altrix in jecore, vitalis in corde, animalis in cerebro: & rerum propè omnium imagines, altiſſimæque cognitiones ab uno ſpiritu communes etiam ipſi carni fieri videntur: quem ſi excluſeris, hæret illico motus ac ſenſus expers, iners, pigrum, rude & informe cadaver, abjectaque corporis moles, mox in cineres, in vermes abitura: tantum in maſſa carnea, in hominis luto poteſt infuſa mens & intelligentia; tantum ab illa accedit, vel recedit boni.

Dicam enimverò quod ...è dixêre Heroës magni, ſanctiſſimi Patres; Paſtorem eſſe ſuo gregi, quod anima corpori: & ne una verbis meis ſit fides; appellabo D. Hieronymi authoritatem: agit ille de iis qui Eccleſiæ & verbis & exemplis præſunt: *Si*
Lib. 2 in Epiſt. ad Galat. *quando*, inquit, *Doctor quis in Eccleſia contigerit ſermone ornatus & vita, qui audientes quaſi ſtimulis quibuſdam concitet ad virtutes, videmus omnem plebem circa eleëmoſynas, jejunia, caſtitatem, ſuſceptionem pauperum, ſepulturas, & cætera ſimilia feſtinare, fervere, diſcurrere: Cùm autem ille receſſerit, paulatim emarceſcere, & ſubtracto cibo tenuari, pallere, langueſcere, & interitum ſequi omnium quæ priùs vigebant.*

Habes à Doctore, ab Epiſcopo, eleëmoſynas, jejunia, caſtitatem, caritatem, aliaque magnarum virtutum opera; opera, inquam, æternæ vitæ: habes dico illa, & à Doctore ceu anima & ſpiritu ducis; & eo ab oculis, à congreſſu, à ſinu tuo longius emoto, eadem in te langueſcere, collabi, perire ſentis: nec adeò mirum, quia tibi deceſſit Paſtor & Doctor, qui pro altiore datus erat anima; & cum ea quidquid erat vitæ melioris etiam ut decedat eſt neceſſe: res exemplis, quàm verbis erit illuſtrior.

Roma vetus quantum hominum oculis altius extulerat caput, quantum dominii ſui fines protenderat; tantum etiam extulerat vanitatis atque impietatis: ideoque à Joanne ſcriba Domini audiit *plena nominibus blaſphemiæ, mater fornicationum & abominationum* Apoc. c. 17. v. 3. v. 5.
terræ. Quæ nomina non ſolùm à Chriſto nato paſſoque retinuit; ſed & auxit ab immani crudelitate & barbara fidelium cæde, ut non immeritò eodem Evangeliſtæ calamo ſcripta ſit, *Ebria de ſanguine San-* Verſ. 6.
ctorum, & de ſanguine Martyrum IESV: His nominibus veluti infami ſtigmate notata fuit, uſque dum cœlo propitio, alios à Romulo Remoque nacta eſt progenitores; Eccleſiæ principes, cœli cives, Univerſi magiſtros ac Doctores, Petrum, Paulumque: ab iis habuit ut eſſet civitas ſanctitatis, quæ prius ab Iſaia præſago ſpiritu dicta fuerat *Civitas vanitatis*: quæ Cap. 24. v. 10.
nominum diſcrimina, perennemque in iis felicitatem Romæ ſuæ gratulatus Sanctus Leo. *Quæ*, inquit,
eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Serm. 1 in Nat. Apoſt.

Si quæras quo omine, quorum auſpiciis ea Metamorphoſis? intelliges à Principibus Apoſtolorum, quos ſuo gremio admiſit & fovit Roma: *Iſti enim ſunt* (ut ejuſdem Pontificis verbis utar) *qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus,* Ibidem.
civitas Sacerdotalis, & regia per ſacram beati Petri ſedem, caput orbis effecta, latius præſideres religione divina, quàm dominatione terrena. Quod ſi Roma, quæ ſcelerum erat vorago, ſentina vitiorum, idololatriæ ſedes, domicilium crudelitatis, ea nomina, malaque iis implicita deponere potuit; vel uno præſente, ſpectante, juvante Petro; quidni & in alias quoque Orbis ſedes eadem melioris vitæ præſidia manare poſſe credamus, ſi modò iis ſuus aſſiſtat Paſtor, ſuus præſit Epiſcopus.

A Roma ſecundas facilè tulit Conſtantinopolis, Imperatorum ſedes & Orientis regia: ea primùm depravatis moribus effera, deinde à D. Gregorio Nazianzeno miteſcere docta, & ſanctiſſimis Chriſti legibus parere. *Erat ea civitas*, eodem Gregorio teſte, *Orbis oculus, terra, mariq; potentiſſima, orientis atque occidua ora velut nodus & vinculum, ad quam extremi totius terræ fines concurrebant, & à qua velut à communi fidei emporio incipiebant.* Hæc ubi in ejus laudem extulit S. Præſul, tum quid in ea à ſe geſtum paucia, & modeſtè commemorat. *Vide*, inquit, *Presbyterorum concilium canitie ac prudentia ornatum, Diaconorum modeſtiam, Lectorum concinnitatem, plebis diſcendi ſtudium.*

Quæ omnia virtutum ornamenta veluti Gregorio aſcribi debent; cui præſenti ea addita, abſenti certè detrahenda. Sed abeo Conſtantinopoli, & Neocæſaream vela facio; ejus clavum diu tenuit Gregorius alter, cui vis prodigioſa mirabilium Thaumaturgi nomen fecit.

Imminebat S. Præſuli dies ultimus & ſanctioris ævi meta; quam ubi præſagâ mente, divinoque oraculo monitus aſpexit, urbem ſibi creditam, agrumque adjacentem circumluſtrare & perſcrutari voluit, quod erat poſtremum paſtoralis officii: in eo ditionis ſuæ luſtro, quæſivit ſedulus animarum paſtor, num qui adhuc extra Chriſti ovile; utque cognovit, ex innumera propè multitudine ſeptemdecim dumtaxat recenſeri, qui antiquis erroribus adhæreſcerent: tum

ingenti

ingenti & doloris & lætitiæ ſenſu adjecit hæc verba. *Acerbum etiam hoc ſibi videri, deeſſe aliquid eorum plenitudini qui ſervantur, verumtamen magna gratiatum actione dignam rem eſſe, quod totidem ſimulacrorum cultores relinqueret ei, qui ſucceſſurus eſſet in Eccleſia, quot ipſe Chriſtianos accepiſſet.* Tantum potuit in urbe idolis addita, erroribus omnibus patenti & obvia, vel unus oculus Paſtoris. adeò verum illud: ut *oculus Domini ſaginat equum, ita pes Domini impinguat agrum.*

D. Gregor. Nyſſ. in ejus vita.

§. III.

Quæ incommoda oriantur ex Prælatorum abſentia?

EXperientia rerum magiſtra, optimaque veritatis interpres, omni propè ſæculo exhibuit graviſſima incommoda, morum ac fidei inclinationem, populorum ſtrages ex una Paſtorum abſentia provenifſe: ab antiquitate exempla repetamus: benè ſapit, qui ab illa edoctus ſapit.

A populo ſibi commiſſo ad quadraginta tantùm dies abſuerat Moſes; & hoc quidem non ut propriis commodis ac voluptati ſerviret, non ut ambitioni, Regumque oculis & auribus; ſed ut Deo ſuo intenderet, & ſolus cum ſolo in monte loqueretur, Iſraëliſque negotium ageret: ac ne ſine cuſtode grex relictus eſſe videretur, ſibi in paſtorali cura ſupparem Aaronem ei dederat: neque tamen ab hoc benè illi eſſe licuit; ad idola præceps abiit populus, vituloque aureo genua ſubmiſit, non ſubmiſſurus, ſi Moyſes ſeverus morum cenſor ac magiſter adfuiſſet. Quod Iſraëli, hoc ferè poſteris ſæculis Saüli.

1. Reg. c. 13. v. 8.

Ab hoc diſceſſerat Propheta Samuel, & ſeptem dumtaxat diebus abſuerat: potuit ea mora temporis exigua videri, at non exiguum inde ſecutum eſt malum: populus enim à Saüle, & Saül à Deo ſuo diſceſſit atque defecit: ille quidem turpi fuga dilapſus; hic autem Infami, impioque ſacrilegio ab authore ſuo mirum quantum alienus. Ecce quid in imperita multitudine, quid in Regis animo patiatur vel una Paſtoris abſentia. quam deinde & ampliſſimi regni jactura & miſeranda populi calamitas excepit. Sed antiqua, inquies, ſunt iſta, & cum veteri lege jam exoleta: demus ea, quæ nova lex tulit, & quæ recentioris ſunt memoriæ: fidem illa majorem & authoritatem invenient.

A primo Religionis noſtræ limine gradum faciam: egreſſus erat Servator optimus cum diſcipulis in montem Olivarum; & ne quid ab oculo magiſtri paululum avulſis deeſſet, eos optimis conſiliis munierat: *Orate*, inquiebat, *ne intretis in tentationem.* Ecce malum imminens, ecce & mali remedium: interim *avulſus ipſe eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis*, quid deinde? Vacat orationi, ſibique ac Patri Æterno magiſter intendit totus: diſcipuli verò præceptorum immemores, alto ſopiuntur ſomno, audiuntque illud: *Non potuiſtis una hora vigilare mecum?* Potuerunt enimvero, imò & reipſa vigilarunt, quamdiu in oculis magiſter fuit; at ubi ab illis ſejunctus, obdormierunt: crederes ſimul ab oculis & ab animis ſuorum diſceſſiſſe.

Luca 22. v. 40. 41.

Matth. 26. v. 40.

Hic teipſum appello, te volo quiſquis es animarum Paſtor: mentem adverte, & qui ſis ipſe, qui diſcipuli tui perpende: non es Servator alter, non es Chriſtus, etſi ſis onctus Domini, non habes ſub ferula Petros, Joannes, Jacobos, alioſque Eccleſiæ primipilos, Apoſtolos omnes, & cœli lumina: es vilis homuntio, è tenui luto & argilla malè compactus; es multis bonis & virtutibus vacuus: diſcipulos habes infinitis nominibus Apoſtolis inferiores, & tamen ab eis non invitus avelleris; ſed ſponte etiam abis ac propè fugis, non exiguo loci intervallo diſſitus: ſed quandoque totis provinciis ac regnis, & interfuſo aquarum elemento: & illos in tuto eſſe credis, nec à lethali ſomno interim ſopiendos? ab illis abeſſe ſoles, non una hora, non uno die, non fortaſſis una, alteraùe Luna, quod nimium foret, ſed annis integris; & diſcipulis benè credis eſſe cautum?

A grege tibi concredito te revocat, non ſtudium orationis, non cœli nutus, non negotia æternitatis, non vitæ mortiſque impendentis neceſſitas: ſed voluptas tua ac pruriens libido: forrè ut in aula degas, malus honoris auceps ac gloriæ venator, ſortè ut exteras regiones, regnaque luſtres curioſus peregrinus, & novorum indagator. De te & ejuſdem farinæ Paſtoribus queſtus olim Zacharias, mœſtum & formidandum illud inſcripſit.

O Paſtor & idolum; Hebraicè *hoi*, id eſt, *væ*: quod tibi Deo Judice, vindice cœlo, interprete Propheta intentatur: væ, inquam tibi, qui non es Paſtor, ſed idolum inane, & larva paſtoralis: etſi enim ſacratiore manu aureum geſtes pedum, auream coronam & mitram in caput efferas, ac byſſinum poderem corpori adaptes, aliaque ſeu corporis, ſeu dignitatis inſignia circumferas; ab illis tamen non es Paſtor, ſed idolum Paſtoris: quia non is es animo, qui corpore; nihil enim in mente habes ſapientiæ, nihil curæ, nihil induſtriæ Paſtoralis. Teipſum certè, tuique ſimiles, qui à ſuo grege longiùs recedunt, & in alienas ab officio ſuo curas avolant, compoſuit Sapiens cum avicula leviore, quæ nidulo ſuo evolat.

Cap. 11. v. 17.

Sicut avis, inquit, *transmigrans de nido ſuo, ſic vir*, id eſt Prælatus interprete Lyrano, *qui dereliquit locum ſuum*; ſuam dico diœceſim: in eadem ille incurrit incommoda, in quæ avicula è nidulo transmigrans. Quamdiu hæc eo ſeſe continuit latuitque, tuta fuit ab aucupe. & à laqueis ſecura: at ubi ſeſe libero dedit aëri, ubi in ſaltus & nemora exceſſit, ubi tremulo arbuſculæ ramo inſedit; tum & In laqueos pedem immiſit incauta, & in latentes aucupis inſidias incurrit. Neque ſibi tantùm malum hoc creavit, ſed & nidulo ſuo, pulliſque perniciem attulit: ille enim diſſipatus eſt, & hi in prædam venêre: vel enim adhuc in ovis erant, iiſque ſeu nativo carcere claudebantur, vel excluſi & emiſſi quidem, ſed adhuc implumes: ſi in ovis, cùm abſens mater non incumberet, ea non foveret atque animaret, frigido aëre perflata evanuere priuſquam in fœtus coaleſcere poſſent. quod ſi diſruptis ovis effractoque ergaſtulo liberi quidem pulli, ſed implumes & rudes, neceſſum eſt ut aut fame contabeſcant aut ſerpentinis morſibus exponantur.

Prov. c. 27. v. 8.

Si à ſimili mihi ducendum eſt argumentum, Idem planè & Epiſcopis & ſubditis uſu venit. Ubi illi à ſua Diœceſi, ceu nidulo amoris ac paternæ caritatis abeunt; primùm in plurimos Dæmonum laqueos ſeſe inducunt: tum oves ſuas, ceu ſpirituales pullos adhuc à pietate, à religione, à virtute informes deſtituunt; aut ſi quid ab eis jam hauſerint roboris, ſi quid animi, at hic diu ſuſtineri non poteſt; quia deeſt Paſtor, qui opportuna ſuis temporibus alimenta ſufficiat, qui Dei verbo, ceu cœleſti cibo famem pellat. qui morbos animæ id eſt vitia, curet & evacuet, qui enatas difficultates ac lites componat, qui ſcrupulos eruat, qui inſurgentia pericula à ſuorum cervicibus avertat atque amoveat. Quæ omnia ubi defecerint, neceſſum eſt, ut totum gregem occupet ac perdat ingens & immanis calamitas.

Quæ cùm ita ſe habeant, videant Præſules, & ſecum ipſi diſcutiant qui hactenus fuerint, & qui ex officii ſui ratione eſſe debeant; credantque ſibi ſcriptum illud præceptum, quod olim Deus Aaroni ac Pontificibus antiquæ legis impoſuit: *Excubate in cuſtodia ſanctuarii, & in miniſterio altaris, ne oriatur indignatio ſuper filios Iſrael.* *Excubate*, inquit; Paſtor enim

Num. 18. v. 5.

enim eſt gregis oculus, ut ſcitè dixerit D. Athanaſius in Epiſtola ad Epiſcopum Cretenſem. *Perinde eſſe videtur gregem abeſſe à Paſtore, ut cæcum duce carere.* (Epiſt. 1.) Ut enim hic incerto dubioque gradu nutat, & in foveam, objectúmque præcipitium cadit: ita animas ſine Præſule, cæco impetu, cæcóque pede in ruinam ſuam & chaos æternum procurrere eſt neceſſe.

§. IV.

Examinatur ea excuſatio, Paſtores, & Epiſcopos per Vicarios regere, & gregem ſuum paſcere.

HAnc plerique Epiſcoporum abſentiæ ſuæ rationem reddunt, hoc pallio ſe tegunt, hac veritatem larva celant, & ſibi aliiſque illudunt improbè, dum loquiunt ad manum eſſe Vicarios, qui ovium & gregis curam gerant, qui eas paſcant impenſiùs: benè habet, opto, imò & illud tibi concedo, non deeſſe Vicarios, qui id muneris ſedulò exequantur: an ideo te iſto liberum onere credis? an commiſſis animabus benè cautum?

Vicario malè creditur quod uni tibi concreditum eſſe cœlum voluit: etſi veniat ille in partem oneris, at eo tamen vacuus non ibis.

Vicarius plerumque mercenarius eſt: tu ſolus Paſtor: ille ſui, tu gregis curam agis: *Vicarius*, inquit Hugo Cardinalis, *pecuniam extorquet à populo ſibi commiſſo, de ſalute animarum parum curat.*

Vicario ad alia, quæ tui officii, quæ infulæ, & pedi Paſtoralis, non ſunt, ritè uti potes: ſi movendæ lites, ſi difficultates enodandæ, ſi Mars in campum evocandus, ſi explicandæ acies, ſi rei domeſticæ & œconomiæ habenda ratio, ſi alia quæpiam ejuſmodi obeunda munia, ad ea uti potes, imò & debes Vicario; hoc enim tui ordinis dignitas patitur; hoc ratio mandat, hoc jubet cœlum: verùm ut Vicarium evoces ad ea tractanda, quæ tui ſunt inſtituti, ad paſcendas animas, hoc nec admittit Paſtoralis ordo, nec ratio ſinit, nec Deus unquam feret inultus: qui enim ferat aliis relinqui quod tibi in manus dedit? Mercenario tradi quod Paſtori datum eſſe voluit? Certè officii tui munia per Vicarium obire non debes, niſi etiam per Vicarium ſalvari velis: at enimverò non ſalvaberis.

Deinde ut pronuntiemus quod ex æquo bonoque aſſeri poteſt: à Vicario ſolo etiam quàm optimo vix unquam gregi erit benè. Ut è multis unum producam, tibi oſtentat antiquitas Aaronem Pontificem non hominum ſuffragiis, ſed cœli calculo & mirabili prodigio adlectum ut eſſet aliquando Moſis Vicarius: quis enim illo melior, quis dignior ſufficì potuit? Et tamen abſente Moſe elanguit ille, à ſeipſo deſcivit, & qui murus eſſe debuit pro domo Dei, qui (Exod. c. 32. v. 4.) fureno populo occurrere, ab inſolenti idololatria revocare, aurumque ſpargere in vindices auras; collegit ipſe, & malè liquatum æris pondus in vitulum erigi atque adorari eſt paſſus: diceres Vicario nomini neſcio quid adhæreſcere vitii, quid abjectæ demiſſionis ac imbecillitatis, ne ſeſe, ſuoſque, cùm res patitur, erigat.

Sed hæc, inquies, Aaronis culpa fuit, hæc infirmæ mentis inclinatio: non abnuo; ſed eam etiam in aliis Vicariis meritò reformido: quem enim aut Aaroni parem, aut ſuperiorem dabis? Ego certè non hominem tantùm, ſed etſi voles Angelum proferam, Dei ſui Vicarium, quicum tamen Iſraëli non fuit quàm optimè.

Cùm ab Iſraële non locorum ſpatiis (quibus abeſſe non poteſt Deus, cùm ſit in immenſum undequaque diffuſus) ſed cura quadam ſingulari longiùs abire velle videretur, è cœleſtibus geniis unum aliquem ſibi ſuppoſuit: ait enim. *Mittam præcurſorem tui Angelum ut ejiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pheteſæum, & Hevæum, & Iebuſæum,* (Exod. 33. v. 2.) *& introës in terram fluentem lacte & melle. Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es.*

Videri poterat ea cœli indulgentia, is Superùm favor, quod pro duce eſſet Angelus aliquis, & cœleſtis aulæ Princeps: verùm *audiens populus ſermonem hunc peſſimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu* (Verſ. 4.) *ſuo.*

Nitebat Iſraël amœna & feſtiva veſte, eximioque ad ſpeciem corporis cultu fulgebat, coronas, torques, armillas induerat, ut iſto habitu divinam legem ac mandata exciperet eo avidiùs quò ornatiùs: at ubi Deum ipſum, quem hactenus ducem, & quodammodo anteambulonem habuerat, recedere, & Angelo vices ſuas concedere audiit: luxit enimverò, & ingenti dolore percuſſus, in ſuſpiria, gemitus, lamenta, lacrymas exceſſit, & omnem illum corporis ornatum, mundumque cum ſacco, cinere ac cilicio commutavit.

Tantum in eorum animis motum facere potuit ſupremi Paſtoris, id eſt Dei, abſentia; quam ne Angelus quidem ſuperioris militiæ dux, cæli civis & accola compenſare viſus: quid futurum fuiſſe crederes, quas cogitationes, quos fluctus animorum, quos lacrymarum torrentes, quos æſtus querelarum, ſi non Angelus, ſed ex eodem luto homunculus aliquis ſubſtitutus fuiſſet? nimirum id ſenſerat Iſraël, licèt duræ cervicis, quantum ſibi à Paſtore acceſſiſſet præſidii, quantum à Vicario decederet: & verò idem ſentiet quiſquis Iſraëlem etiam poſt ſeros annos & ſæcula populus ſequetur.

Ea Paſtoris abſentis incommoda bellè Sapiens expreſſit in typo illius mulieris, à cujus domo vir abierat: occurrit illa adoleſcenti *Ornatu meretricio,* (Prov. c. 7. v. 11.) *præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, apprehenſúmq; deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur, dicens. Veni, inebriemur uberibus, & fruamur* (Verſ. 18.) *cupitis amplexibus donec illuceſcat dies; non enim eſt vir in domo ſua, abiit via longiſſima.*

Quamdiu vir domi fuit, intra ejus penetralia, abditoſque receſſus ſeſe mulier continuit, retinens pudoris; nec oculos, nec manum, nec pedem impudicis amoribus explicuit. At ubi *vir abiit via*, ut ait, (Verſ. 11.) *longiſſima, tum quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidiari cœpit.* Ecce liberum, vagum, pollutum pedem, vel ab una tantùm viri abſentia. Ubi verò pes impurus poſt illicitos amores exceſſit, in eaſdem elapſa eſt manus, & nimium mali ſui tenax apprehenſum tenuit juvenem & procaci ore, vultuque blandita, oſculum infixit: ecce oculos in amore duces, à quibus ruit in vetitos amplexus, & prohibita venere ſeſe fœdè polluit domumque fœdavit: cauſa tot flagitiorum una viri abſentia, quæ & pudorem excluſit, & impudicis ganeonibus etiam intima adyta reſeravit.

Eſt Paſtor & Epiſcopus ſponſus Eccleſiæ, ejus fidei ac tutelæ commiſſa ſponſa: ſi ab hac vir & ſponſus abit via longiſſima; in eadem incurret pericula, datam Deo ſuperiſque fidem facilè fallet; alienis ſeſe ſubſternet amoribus, & mundi carniſque nimium blandientes fucos hauriet, & malè ebria peribit; omnium propè vitiorum facta domicilium, quæ prius virtutum ſedes erat atque diverſorium. Quæ ſingula quanti apud Deum, ſeverum Judicem, ſint ponderis, quanti momenti apud bonam mentem & conſcientiam, velim attendat, quiſquis annuente cœlo in Præſidem Eccleſiæ eſt adlectus.

Ita paucos ante annos attendit in Italia magnus Præſul ab eminenti doctrina & eloquentia clarus, Archiepiſcopus urbis, quam in præſentia Meſopotamiam appellabimus (ut nomini & loco parcamus.) Jacebat ille Romæ lethali affixus lecto: ora pallor,

oculos lacrymæ, interiora ſingultus, animum tremor occupabat, & timor imminentis à morte judicii, in quod cogitationes, curaſque dum intendit (utinam non ſerius) ſic ſecum ipſe loqui cœpit.

Hyacinthus de Caſale in Cenſore Chriſtiano.

Agedum, ô anime, brevi ad judicem ibis, ſtat enim in foribus & te præſtolatur. Ubi coram eo ſtabis, ex te quæret primùm, Quis es tu? reſpondebis, Archiepiſcopus. At cujus loci? Meſopotamiæ. Unde venis? Româ inquies. Tum ille, Romà Meſopotamiæ Archiepiſcopus? Tum ego: ita Domine. Tum ille; audite Angeli. Roma venit Meſopotamiæ Archiepiſcopus: quid Romæ commune cum Meſopotamia? tum perget, & ex te quæret quamdiu fuiſti Archiepiſcopus? Cui ego. Annis omnino duodecim: tum ille rurſum. Ex illis quot reſediſti? Dicam unico. Ad quod ille, Rem ſanè præclaram Archiepiſcopum Meſopotamiæ uno eo anno in Eccleſia ſua fuiſſe, & Romæ undecim. Ubi porrò hæc de annis ac reſidentia quæſierit Judex; tum ad aliam devolvetur quæſtionem, & à te petet, Quot in tuo Archiepiſcopatu animas numeraſti. Cui ego, ô Domine, neſcio; at Vicarius meus probè novit. Tum ille iratiore vultu, altiore tono. Itáne verò Animas Vicario tuo commiſiſti? annon eæ tibi tuæque curæ commiſſæ? Audite Angeli, ſtupete Angeli. Vicarius, qui mercenarius eſt, benè callet quot ſint animæ, & Paſtor ignorat. An non ſcis, quod ego de cœlo vocerim animarum Paſtor, quod eas noverim ipſe, & de nomine quidem, & de facie; quod ipſum debuiſti exemplo meo etiam paſtor, tui muneris & officii conſcius, ac memor illius rationis quam à te exigam aliquando; imò & modò; imò & hoc forſitan momento.

Hæc ille Præſul inter vitæ mortiſque confinia conſtitutus, hæc ſecum ipſe cogitare, ſecum loqui & natantes in morte oculos in aſtantes iterum iterumque torquere, & lacrymis ceu muta voce inclamare mœſtum illud. Miſeremini mei ſaltem vos amici mei. Tum oculos, abiturientis animæ nuntios, in cœlum tollere & ingeminare funeſtum illud. Anguſtiæ, anguſtiæ mihi ſunt undique. A cœlo vindices iræ, à Deo fulmina, à terra, ab inferis horror. Quid ages animule mi? Quid ages? Hæc ille, non ſine aſtantium ſtupore, rubore, mœrore, luctu, lacrymis ac lamentis; quæ tamen fundebantur in caſſum. Ne tibi etiam aliquando fundantur, quiſquis hanc pagellam decurris, Animarum Paſtor, attende & illius exemplo, quid opus facto ſit, addiſce.

§. V.

Similitudines & exempla, quibus altè Præſulum animis ea obligatio reſidendi imprimatur.

REx Joſias, Iſraëlis amor ac deliciæ, à Scriptura componitur cum melle & muſica. *In omni ore*, inquit, *quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut muſica in convivio vini.* In melle & muſica Regis optimi, ſanctiſſimique Præſulis officium audies: mel enim ſuavi & grato ſapore præſentes recreat, palatumque imbuit; muſica verò etiam remotiores ſcit ac blando ſeu vocum concentu, ſeu inſtrumentorum modulamine delectat. Et hæc boni Paſtoris ac Epiſcopi ſunt munia: eos qui ſibi in aula adſunt, recreare, ſovere, animare reſidendo; & eos, qui longiùs in ſua provincia degunt, viſitando, ad ſtudia religionis ac pietatis incendere atque promovere.

Eccleſ. 49. v. 2.

Ad eadem Præſulis officia traduci poteſt, quod is modò cum Seraphinis, modò cum igne, modò cum anima comparetur.

Iſaias.

Iſaias in exceſſu altiſſimæ mentis ſpectavit Seraphinos ſtantes ac deinde volantes: ſunt illi, Lyrano interprete, animarum Paſtores ac Præſules, qui ſtant dum reſident, & ſuam ſtationem invicti Heroës, ſacrique duces retinent: volant autem, dum varia ditionis ſuæ loca celeri pede, alatoque ſpiritu, Deo pleni decurrunt ac viſitant.

Sunt etiam veluti flamma ignis, de quibus olim David Prophetico ſpiritu cecinit, *Qui facis Angelos tuos* (Præſules intellige) *ſpiritus & miniſtros tuos ignem urentem:* Ignem quidem, quia ut hic adhæreſcit materiæ, quam corripit, eamque lambit tenaciùs, etſi nativo impetu ſurſum tendat, ut in centrum ſuum, locumque optatæ quietis: ſic pius Præſul, etſi animo altiore in cœlum, ut in patriam erigatur; paſcitur tamen, & inſiſtit curæ animarum ut pabulo ſuo, nec illud deſerit niſi divino igne ſuccenderit, & in cœleſtes flammas transformarit.

Pſal. 103. v. 4.

Dicitur & Præſul anima ſui gregis, eaque ſpiritalis. opportuna profectò ſimilitudine; ut enim illa tota eſt in toto, & tota in qualibet parte ſui corporis, in quod veluti in domicilium à natura immiſſa eſt: ſic Præſul & totus quodammodo in tota diœceſi ſua, & totus in qualibet ejus parte eſſe debet; ſi minus corpore, at ſaltem ſpiritu, affectu, curaque paſtorali.

Quod ſi fortè has ſimilitudines longiùs petitas eſſe contenderis, unam produco, quæ tibi facilior accidet, quòd eam cum matris ac nutricis lacte hauſeris Ubi de Præſule mentio incidit, quis in ſuos eſſe debeat, Scriptura mutuato colore bellè depingit, & eum modò cum matre lactante puellulum, modò cum nutrice committit. Ita enim quondam Moyſi Deus: *Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum.* Quis non amet ac ſuſpiciat ſuaves illas Divinæ Providentiæ leges: erant illi duræ cervicis, indomiti capitis, Moyſi rebelles, ipſique cœlo contumaces; & tamen ut ii eſſent, voluit nihilominus à Moyſe portari, ea diligentia, ea conniventia, eo amoris pondere, quo infantulus molliculus, flexilis, amabilis, à nutrice ſolet circumferri: ratio legitur in ipſo Moſis nomine, qui & Paſtor erat & dux Iſraëlis, adeoque quaſi indulgens mater & blanda nutrix: quia ut illa filiolum, hæc nutritium ſuum lactat, fovet, gremioque complectitur. Sic Iſraëlem Moſes: ſic populum amori induſtriæque ſuæ concreditum lactare, fovere, & ſinu complecti debet quiſquis eſt Paſtor & Epiſcopus: hæc autem paternæ caritatis, maternæque indulgentiæ munia præſtare non poteſt, niſi adſit ac reſideat: ſecus ſi fecerit, non cum legitima matre, ſed potius cum meretrice & adultera comparabitur. Et certè Præſules à grege ſuo diutius abſentes, meretricibus ſimiles eſſe ait Damaſus Papa, *Quæ ſtatim*, inquit, *ut pariunt, infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, ut ſuam citius explere libidinem valeant.* Sic plerique Epiſcoporum (quæ ſæculi hujus ingens eſt macula & grande malum) adulteris non abſimiles, ubi pingues Epiſcopatus adierint, & eorum animas, ceu ſpiritales proles, ſuſceperint; eas mercenariis alendas tradunt, & à ſe abdicant; & hoc quandoque, & ſæpiùs, ut vacuam à curis vitam agant, ut liberius indulgeant genio, & libidines ſuas expleant.

Num. 11. v. 12.

Epiſt. 4.

Non ſic bonus animarum Paſtor, non ſic Servator optimus JESUS: relinquit ille nonaginta novem oves in deſerto; quæſivit illam quæ perierat, & inventam in humeros ſuos extulit: hoc enim exigebat effuſa ipſius caritas, de qua longè antè Iſaias hoc ediderat Vaticinium: *Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit.*

Lucæ c. 15.

Pſalm. 40. v. 11.

A Chriſto Paſtorum principe eoſdem animos hauſêre etiam cæteri: quos inter Ambroſius, Auguſtinus, duo ſui ævi lumina, aliique ſexcenti: quos ut in præſentis brevitatis cauſa omittam; at præterire non poſſum unum aliquem, quem noſtra vidit & amavit ætas: is erit Robertus Cardinalis Bellarminus,

quem

quem Capua Præſulem habuit, Roma Purpuratum Patrem ſuſpexit, & Orbis propè univerſus Doctorem, & veluti controverſiarum arbitrum ac Judicem audiit: hic à Clemente Octavo Pontifice Maximo, contra ſuum votum Purpura donatus, & Capuæ Archiepiſcopus nominatus, cùm ibidem aliquamdiu reſediſſet paſtoralibus officiis intentus, à Pontifice Romam revocatus, juſſusque venire in partem laboris ac negotiorum quibus oneratur ſancta ſedes: paruit ille quidem (ut erat ad nutum obediens) ſed Archiepiſcopatu ſeſe abdicavit, nec unquam adduci potuit (vel Pontificis gratia ac diſpenſatione, vel amicorum conſiliis) ut infulam pedumque retineret ſibi; aliis infulæ onera committeret. De eo ita Silveſter Petra ſancta noſtræ Societatis, vir variæ eruditionis. *Lib. 4. c. 8.*

Poſtquam decrevit Pontifex, ut inter aulæ ornamenta in urbe maneret Bellarminus, velut columna cui onera ſanctæ ſedis inniterentur; ultro ei gratiam reſidendi obtulit, præſertim cùm ad initia principatus inſtarent negotia graviſſima. Sed cùm abnueret ipſe; ne vel minimum declinaret ſanctiones & decreta ſacrorum Canonum, in quibus præcipitur Epiſcopis, ne greges proprios deſerant, deliberavit potius Eccleſiæ nuntium remittere: & tum non defuere, qui conarentur ipſum ab eo conſilio retrahere, dum proponerent inſtar exempli, Epiſcopos non ita paucos primæ authoritatis, qui non reſederant ad occaſiones ejuſmodi; & dum adderent, inter abdicationem illam & novitatem ſucceſſoris, amitti poſſe opportunitatem rei benè gerendæ; & poſſe contrà unum ipſum, quidquid providentiæ abſentia, & moles & multitudo negotiorum adimeret, ſupplere opinione atque uſu rerum, ac per adminiſtros expertos rectè omnia procurare. Nihilominus conſtans in propoſito mens ejus fuit; tum quia ſequi maluit ſecuriores ſacrorum Canonum interpretationes, tum quia triennio didicerat, quantum boni ovibus adferat præſentia Paſtoris. Itaque Pontifice conſentiente, ut abdicaret ſe Archiepiſcopatu, ſcripſit Clero & Senatui urbis Capuæ, ferè in hunc modum: Meminiſtis, reor, me iſtic pro concione ultima dixiſſe, futurum ut non remigrarem amplius; tametſi cuperem & ſperarem reditum ad vos. Sed & addidiſſe, integrum ſub novo Pontifice mihi non futurum, ut Roma diſcederem. Menſis eſt ex quo Pontificem rogavi, juberet negotia quædam gravia ultra autumnum non trahi, cùm eo tempore reverſionem meditarer ad Eccleſiam: ſed fuit ea res occaſio, ut Pontifex indicaverit, velle ſe, ut deinceps Romæ agerem. Tum ſubdidi ego, à me imperium non detrectari; ſed religioni tamen duci, ſi Archiepiſcopatum retinerem. Proinde, aut me Capuam remitteret, aut Eccleſiæ meæ Paſtorem inveniret. Hoc ſecundum approbavit Pontifex; ac juſſit ut ſucceſſorem idoneum perquirerem. Pro me illud affirmaverim non ſine ſenſu doloris mei, nos invicem ſeparari; ſiquidem Eccleſiæ iſti accommodaveram ego amores meos. Optabam inſuper jam, ut nunquam aliàs, denuò iſtic ingemere laboribus, & obſignare hoc ſymbolo dies poſtremos vitæ meæ. Fateor etiam, iſtic plus me quietis habuiſſe & vixiſſe contentum magis, quàm Romæ vivam, ubi nec ad diem unum mihi à laboribus aſſiduis feriati animo licet. Sed divinæ voluntati par eſt acquieſcere; ſubitque animum (quod & dixi pridem abiturus) fructum tenuem, quem Capuæ tres annos percepi, fortaſſis mutationis hujus cauſſam eſſe. Quid ſi enim Epiſcopus ſupremus Chriſtus Dominus experiri velit, an Epiſcopus alius junior atque validior meſſem allaturus ſit cumulatiorem? polliceor futurum, ut non abrumpere charitatem erga vos videar, & erga civitatem iſtam, cujus regimen intra ſpatium bimeſtre deſeram; at potius immolans Deo ſacrificia votorum meorum, ſervabo ſemper veſtri memorem animum. Item, quà privatim, quà publicè, prodero unicuique; & poterit veſtra civitas opinari, habere ſe Archiepiſcopos duos, Romæ alterum, & alterum Capuæ. Atque ut hic ſcribendi finem faciam, fauſta deprecor univerſis, optoque gratias Deo referri, quoniam ita diſpoſuit, & flagitari pro novo Antiſtite faventem auram *Sancti Spiritus.*

Hactenus ad Capuanos Bellarminus, cujus exemplum ac ſententiam ſi ſequerentur ætatis noſtræ Præſules, non ea pleriſque in locis eſſet morum inclinatio, non ſuſquedeque verterentur omnia, ut verti ferè abſente Paſtore neceſſum eſt.

§. VI.

Quæ Præſuli incumbat obligatio ſuos viſitandi?

EST & aliud onus, quod Præſulis vertici unà cum infula imponitur: ſuas ille oves opportuno tempore viſitet, adeat, ſoletur: ad hoc enim ipſa Scripturæ fides & authoritas evocat, invitat ratio, & majorum exempla provocant plena religionis ac pietatis.

In altioris ſapientiæ adyta admiſſus olim Salomon, hoc ex illo ſacratiore lycæo edidit pronuntiatum. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Textus Hebræus exponit luculentiùs. *Prov. c. 27. v. 23.* *Agnoſcendo, agnoſcas facies pecoris tui, & pone cor tuum ad greges:* quibus verbis duo inſinuat boni Paſtoris officia.

Primum ut agnoſcat greges ſibi commiſſos, & in eos oculum aciemque mentis explicet, faciemque diſcernat: ſunt enim Paſtores, qui non vultum ſui pecoris intuentur, ſed potius terga reſpectant: ii ſcilicet, qui de grege ſuo abſtractivam tantùm (ut cum Philoſophis loquar) notitiam habent, quia eam non uſurparunt ipſi oculorum ſenſu, ſed aurium: & aliorum relatione hauſerunt: ſunt alii, qui intuitivam (ut cum venia eo verbo utar) accepêre cognitionem: quam ipſi fidelibus oculis admiſerunt, & in animæ conclave ad intelligentiæ tribunal detulere: & hi primum boni Paſtoris officium ea ex parte implevere: à quo deflectunt ad alterum, dum ponunt cor ad greges ſuos, eoque totum amoris pondus inclinant, ut non ſolùm mens & intelligentia ſubditorum commodis vacet, ſed & amor quantus eſt, impendatur.

Huic & illi ſtimulum adhibet Sapiens dum ſubjicit: *Non enim habebis jugiter poteſtatem: ſed corona tribuetur in generationem & generationem.* *Verſ. 24.* Hebraicè legitur *choſen*, id eſt fortitudo, potentia, theſaurus, opes, quòd eximiæ fortitudinis, divinioriſque potentiæ ſit immortales animas, ceu theſaurum, opeſque cœleſtes, non terris, ſed cœlo reſervaſſe.

Ut porrò reſervet fidelis Paſtor, ei ſub oculos ponitur extrema vitæ meta, & mors capiti ſemper imminens, vel ipſa naturæ lege, fatalique neceſſitate, vel juſta offenſi Numinis ira, in pœnam deſidiæ ac torporis, quo ſopitur atque indormiſcit: ſed quia ea pœnâ non facilè ſe trahi ſinunt arduæ mentes, addit & alias blandientis cœli & beatæ æternitatis illecebras. *Corona tribuetur in generationem & generationem.* Hac ſe duci & allici patiatur magnus Præſul, niſi cum rubore luctuque æviterno audire velit illius ſupremi Paſtoris voces: *Ubi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum?* *Ierem. 13. v. 20.* Hæc ubi in ultima vitæ ſcena animo excipies, quid reſpondebis, *quid dices cùm viſitaverit te* Deus tuus, qui alios viſitare neglexiſti, ad quod tamen te tui cogebat officii ratio, & majorum exempla veluti manu ducebant: è multis unum, alterúmve produco: Et quidem primò Præſulum ac Paſtorum principem Chriſtum, qui, reſte

1. Pet. c. 2. v. 25. Luc. c. 1. v. 78.

Petro, Paſtor & Epiſcopus animarum, viſitavit nos oriens ex alto.

Latuerat ille multis ante ſæculis, imò & æternitate totâ in ſinu Patris, & è cœlo veluti ſpecula beatitatis, mortales oras deſpexerat: ubi decreta in cœleſti foro dies illuxit, ubi tantum additum ætatis, quantum amabilis Dei providentia recenſuerat, in campum exceſſit, & obire cœpit *caſtella circuitu in docens,* & quærens quem ſervaret, quem Erebo eriperet & redderet beatitati.

Matt. c. 6. v. 6.

De pio illo circumeundi labore aurea fandi copia ita loquitur S. Chryſoſtomus.

Serm. 170.

Ille, inquit, *cujus majeſtatem vox fidelium quotidiana teſtatur, tuis propter te circuit, apparet, videtur & tenetur in locis quo ſe movet involubilis plenitudo? Quo accedit vel unde recedit, quo plena ſunt omnia? & tamen vadit, redit, aſcendit, deſcendit, habitus ſuſcipit, formas vertit, commutat officia. Et nunc igneus tibi reſpondet in rubo, nunc elucreſcit cœleſtis flammeus in columna: Nunc te ut aquila protegit pennis ſapientia, & cœleſtem provocat ad volatum. Nunc ſicut gallina educit, vetet, recipit, protegit, portat, fovet, ambit, amplectitur & ſui volatus oblita, tue verſatur in pulvere ut te familiaribus olat, erudiat, inſtruat nutrimentis. Nunc ut Paſtor bonus altiſſimis errantem ſolus requirit in montibus, ſolus invenit, ſolus ſuis humeris imponit, & cœleſtes evehit ac perducit ad caulas. Sic ut te mutet in melius, ipſe ſua toties mutat & commutat officia. Et quia diu circuierat ut diriperet & devoraret inimicus, nunc neceſſario circuit ut te vindicet & eripiat Chriſtus.* Has boni Paſtoris formas, hæc munia aureo ſtylo notavit Chryſoſtomus: atque utinam norent, animoque profundiùs infigant, qui à Chriſto dicuntur & ſunt Paſtores.

Ea certè memori mente admiſerat Paulus, cujus

Act. c. 15. v. 36.

ea ad Barnabam voces ſacraque monita. *Revertentes viſitemus fratres, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo ſe habeant.*

Non ita pridem iis adfuerat Paulus, eorumque animis, ceu parato mollique ſolo, divini verbi ſemina jecerat: reviſit ſubinde, luſtratque qui germinet & ſuccreſcat, qui in flores ſeſe explicet, fructuſque bonorum operum Evangelii ſementis: reviſit, inquam, ut ipſe alio loco teſtatur, in virtute ſignorum & prodigiorum, *In virtute Spiritus Sancti*, & ita quidem *ut ab Hieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum* repleverit *Evangelium Chriſti*: adeò longè lateque patebat effuſa Pauli caritas, ut non ſolùm Romanorum provincias, ſed *& Phœniciam, & Syriam, & Ciliciam, & Cappadociam*: imò *& Saracenos, Perſas, Armenos, reliquóſque barbaros* adierit ac viſiterit. Crederes Orbem univerſum theatrum eſſe, in quo pius Pauli labor ſudat & induſtria: ita nimirum, ut ore Divi Chryſoſtomi loquar, *Divina illa anima, univerſum terra Orbem circumplexa erat, & in ſe ipſo circumferebat omnes, omnes amabat, ſic ut ſi genuiſſet, quin potius majorem præ ſe ferebat charitatem quàm quivis pater.*

Rom. c. 15. v. 19.

Proœm. in Ep. ad Rom.

Inter ea quæ bono Parenti ingenuit natura, eſt perennis ſuorum cura, & ſtudioſus labor, qui elucet vel maximè in luſtranda ſæpiùs & circumluſtranda domo univerſa, num fortè tecta rimas patiantur & imbrem admittant, num ſua ſtent mole tigniſque tabulata: num area dives & meſſa opulenta; num ſarta tecta ſupellex, num debitus famulorum ordo, & cuique ſuus labor, ſua ſtatio, ſua merces, num ſani valenteſque liberi, num à corporis animique cultu præſtantes; num lanificio, aliiſque domeſticis ac muliebribus curis uxor intenta. Hæc ubi vel oculo, vel mente pervidit pater-familias; tum ſibi omnes officii ſui munerisque numeros videtur explevisse.

Quiſquis in Præſulem eſt adlectus, is eſt Pater, cui pro domo, ſacra Divorum Deique templa, pro liberis immortales animæ, pro uxore & ſponſa ceſſit Eccleſia, pro area Diœceſis, in qua triticum ac paleæ, id eſt boni malis admixti; hos viſitet bonus Pater, videatque ne quid deſit in domo Dei, cujus decorem impenſiùs amare debet.

Eſt certè quod in pleriſque Præſulibus lugeat damnetque ætas noſtra: iis ædes ampliſſimæ, palatia ad inſignem magnificentiam ædificata atque extructa, in quibus periſtromata & aulæa, quæ ingenti ſumptu parietes inumbrant; aurum, argentum, ebur, tectorum incruſtationes, penſilia, & in morem cœli picturata laquearia, pavimenta pretioſo lapide cæſim derivato, in varia picturæ genera diſcriminata, aliaque ejus generis, quæ mollitiem olent, & faſtum pluſquam aulicum: verùm ut domi ita ſe habeant omnia: in templis tamen & aris, quibus & ipſi præſunt, ſordida omnia, ſitu & pædore obſita horridaque: ſi oculis eſſet tantùm habenda fides, diceres non fana eſſe; ſed profana loca, non aras, ſed haras.

Optarem profectò iſti rerum ſacrarum incuriæ, ne dicam contemptui & impietati, eam cœlo judice decerni pœnam, quæ olim Hebræis illata.

Redierant illi ab exilio, & captivitate Babylonica in patrios penates, ſingulari Dei vindicis beneficio atque indulgentia in libertatem aſciti. Verùm ut is luiſſet ſuperum favor: prima tamen eis cura fuit de propriis domibus ædificandis: de templo ſupremi Numinis impiorum manibus deſtructo, iterum inſigni pietate reſtaurando, ne cogitatum quidem. Hinc illæ cælo minæ, & Aggæo Propheta divinæ voluntatis interprete, inflicta pœna. *Dicit Dominus exercituum, quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis unuſquiſque in domum ſuam: Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum.* Areſcunt cœli, & æris in morem dureſcunt, ſterileſcit terra & germen negat, quia rorem beneficentiæ, ſacræ ædi debitum, negarunt nimium ſteriles & infœcundæ mentes. Quod ſi, ut arguitè conficit D. Chryſoſtomus, *Illius templi neglectus tantam excitavit iram Numinis; multò magis hujus templi neglectus ad iracundiam provocabit Dominum. Siquidem hoc templum tanto eſt illo honoratius, quanto plura habet ſanctimoniæ ſymbola.* Ea in præſentia reticeo, quia cuique nota & obvia: unum tantùm profero, quod Epiſcopo ſuam Diœceſim templaque viſitanti velim eſſe commendatum, quod in Nepotiano Sacerdote D. Hieronymus olim commendavit. *Erat*, inquit in nobili illius præconio, *Sollicitus ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi janitor creber in porta, ſi vela ſemper in oſtiis, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes cæremonias pia ſollicitudine diſpoſita.*

Aggæi c. 1. v. 9. 10.

Duo maximè in ſanctiſſimo illo viro prædicat, munditiem & decorem, ſive honeſtiſſimam rerum omnium faciem, & ſpecioſum apparatum, quæ Dei domum deceret. Et ea cuique Epiſcoporum optarim eſſe in primis curis, dicerem illi, & ex vero quidem, quod olim Cantor Regius. *Dilexi decorem domus Dei*, in Hebræo pro *decorem*, eſt *habitaculum*; ut intelligamus in decore habitare Numen, venuſtatis patrem, & omni hominum magnificentia digniſſimum. Quare David in eodem cantico nominat templum *locum habitationis gloriæ Dei.* Ubi nimirum ſe mirabiliùs oſtendat; ſive in nube, aureaque luce, quod in Moſis olim tabernaculo, ſive in reddendis oraculis, quod in propitiatorio, ſive denique quod in templis chriſtianis ſub auguſto velo Sacramenti, & humanitatis conopæo Rex gloriæ verſetur. Quod poſtremum cùm ita eſſe Fides doceat, certè non decet Dei gloriam ſitu & ſordibus inobſcurari, nec ferendus eſt Liturgorum ille ſtupor, nec diſſimulanda impietas eorum, qui triclinium malunt quàm templum eſſe ornatius, & ex ara, propè dicam haram faciunt, è templo ſordidato culinam, è ſacrificio

Pſal. 25.

ſacrificio profanum gurguſtium, qui decorem domus Dei non tam diligunt, quàm indigniſſimè aſpernantur. Qua de re graviter in hunc modum queritur Salvianus. *Eccleſia, vel potius templa atque altaria Dei, minoris reverentiæ quiddam habent, quam cujuſlibet minimi ac municipalis judicis domus.* Sed hactenus ſatis datum eſt querelis: tranſeo ad templa viva, ad ſpiritales liberos, ad immortales animas, quarum curam gerere debet, qui ſuos ex officio viſitat Præſul. Sunt illæ, ut antè paucis inſinuavi, theſaurus ingens, ſunt cœleſte quoddam depoſitum: quod ſi tua incuria cœlo pereat; næ tu immanis culpæ reus teneris. Hanc iſtius depoſiti fidem pretiumque dum æqua lance penſat Bernardus, ita ſecum ipſe loquitur.

Lib. 7 de Gubern.

Quid ego infelix, quò me vertam, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine ſuo pretioſius judicavit, contigerit neglexiſſe?

Serm. 3. de vig. Adv.

Ubi à ſeipſe hæc quæſivit Bernardus, tum præclara ſimilitudine rem totam confirmat & exaggerat. *Si ſtillantem*, inquit, *in Cruce Domini, ſanguinem collegiſſem, eſſetq; repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpiùs oporteret, quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? Et certè id ſervandum accepi, pro quo mercator non inſipiens, ipſa utique ſapientia, ſanguinem illum dedit. Sed & habeo theſaurum illum in vaſis fictilibus, & quibus multò plura, quàm vitreis imminere pericula videantur.*

Hæc calamo virgine, lacteaque eloquentia ſudit Bernardus, ut ſibi tibique ſtimulum adderet, tum ad curam animæ tuæ, quam circumgeſtas in corpore luteo, vaſeque fictili, tum ad piam eorum ſollicitudinem, qui tibi annuente cœlo ſunt concrediti, ne quis illorum à te malè cuſtoditus intereat.

D. Joannes, qui è pectore Domini ſui, velut amoris ac caritatis officina, ſingularem quendam ſalutis humanæ zelum hauſerat; exemplo, verboque docuit, quantum eſſet vel unius animulæ depoſitum.

Euſeb. l. 3. hiſt. Eccl. c. 17.

Epheſo excedens, villas & oppida circumcurſabat, cùm ecce ei occurrit Adoleſcens ingenio celeri & peracuto, ſpecie etiam liberali & amœna: ſolet enim plerumque animus venturus in corpus, dignum prius metari hoſpitium. Certè ex hujus ſpecie in ipſam mentem, quæ illius hoſpes eſt, evaſit Apoſtolus, dignamque cenſuit quæ fideli colono traderetur excolenda. Is porrò fuit illius loci, ut vocabat, Angelus, id eſt Epiſcopus, in cujus manibus, eum juvenem, velut ingens & pretioſum quoddam depoſitum, commiſit, hac ferè verborum formula. *Hunc adoleſcentem omni ſtudio, cura & cogitatione coram Eccleſia, & Chriſto teſte, tibi tuæq; fidei commendo.*

Suſcepit ille tum pro ea, qua in Magiſtrum erat reverentia, tum etiam prona ac præcipiti in ſubditos caritate, qua illum in familia ſua aluit, ejuſque curam egit planè ſingularem, ne quid corpori, ne quid animo deeſſe videretur: fluxere in eo pietatis officio complures anni, quibus adoleſcentiæ memor, juveni fræna contrahere, habenas adducere, ne fortè, quod illi ætati facilè eſt, propoſitos ſibi limites excederet. Verùm ut temporis lapſu deteruntur & lenteſcunt omnia; ita & hujus Præſulis pius labor, curaque eo annorum curriculo deferbuit. Hinc adoleſcenti laxiores dare habenas, & plus æquo indulgere. Ab illa magiſtri conniventia in aliam palæſtram abiit malus diſcipulus: ea juvenum fuit ſolutioris ævi, quibus alea chartæque luſoriæ ſæpiùs in manibus, quàm in oculis pius liber, ſacrique globuli. Ita ſibi malè luſit, Magiſtroque illuſit adoleſcens, eoque ſcelerum venit, ut non tantùm in malis malus eſſe, ſed & peſſimus videri poſſet; imò prædonum dux ac coryphæus. Quis credat eò labi poſſe juvenem, cui Joannes in ſpiritu parens, & pædagogus eſſet Epiſcopus: lapſus eſt tamen, & prô dolor! longiùs à ſe Deoque elapſus. Vita in præcipiti, ſalus in deſperatione videri poterat, niſi divinus manus affuiſſet; revocavit illa à morte, quæ ad vitam prius invitarat. Peracto velut curſu, laborum meta, ad ſuos quaſi carceres grataque limina rediit Apoſtolus, quæſivitque à ſuo Præſule, qui haberet ſuus ille adoleſcens, & in Chriſto filius? *Age*, inquit, *Epiſcope, depoſitum nobis redde, quod ego & Chriſtus, Eccleſia teſte, quam gubernas, commiſimus.* Hic primùm ora rubor invaſit, frontemque texit, dein in ſingultus ac gemitus explicuit ſeſe; denique in parculas voces effudit, ſed amoris, ſed doloris plenas. Ex oſtendêre qualia in adoleſcente fuiſſent pietatis ac religionis tyrocinia, qualis aliquot annorum curſus, quàm pius felix ac fortunatus; qualia denique à malis conſortiis exitus, quàm impius, infelix, infortunatus. Hic hærere vir ſanctus, attonito ſimilis, dein ſubirato vultu voceque ita paucis: *Siccine*, inquit, *ſervaſti depoſitum; ſic fratris tui animam?* Cætera dixêre lacrymæ, profundique gemitus: à quibus (nec enim longior amanti mora) ſeſe in viam expediit, equum conſcendit annoſus ſenex, & in denſa nemora, metuendoſque ſaltus evaſit, prædonem ſuum ſecutus bonus animarum prædo. Ubi in juvenis conſpectum venit, agnovit ille Parentis ora, vultuſque probè notos ac ſummè venerabiles; agnovit, inquam, & celeri fuga ſeſe illius oculis eripuit: nimirum dolor pudorque pedibus alas addiderat; ſed leviores pio ſeni illius animulæ curæ quàm ut ſibi Deoque reſtitueret, concitato equo fugientem inſequi, & objicere amandum illud: Quò abis, infelix adoleſcens? Juvenis ſenem, filius parentem, armatus inermem fugis. Ego tui causâ in ferrum ibo & in vulnera pronus ruam, pro quo magiſter meus, amor meus ac deliciæ, in crucem ac mortem venit. Sui oblitum, nimiumque fugacem ſtitêre illæ voces, amorque imò pectore renaſcens, qui etiam ad ſanctiſſimi Præſulis, parentiſque optimi pedes ſupplicem ac lacrymabundum abjecit: ſed admiſſi ſceleris conſcientia, fuſus toties innoxius cruor, & truculentæ cædes, dextram tot criminum teſtem ac ream abdiderant. Pudorem, qui animo adoleſcentia inſederat, notavit indulgens Pater, dextramque prenſavit, imò & oſculo dignatus eſt; adpromiſitque forè ut pœnitenti remitteret Deus quidquid ab illa manu contractum erat iniquitatis. Ita bonus Paſtor errabundam ovem quæſivit, in ovile reduxit: imò deinceps probè pœnitentem & inſtructam Dominico gregi & Eccleſiæ præfecit. Habet in eo quiſquis eſt Præſul, quod diſcat, amet, imitetur: Primum, quod, & quantum ſit animarum depoſitum vel hinc agnoſcat; quod ſcilicet Deo homini, ſanguine, vitaque ſtetit. Ex illo amantes ac paternos animos induat, & cùm ſeſe offert occaſio exhibeat: maximè ubi filios ſpiritales cecidiſſe, imò & à ſcelere mortuos eſſe didicerit, ne in eum cadat illud D. Bernardi. *Cadit Aſinus, & invenit qui ſe ſublevat: Cadit anima, & non eſt qui manum apponat.* Deſunt nimirum viſcera miſericordiæ, deeſt paternus affectus, quem ut in Patre corporis ergo ſuſpicit Chryſoſtomus; ita & in Epiſcopo, animi cauſa requirit. *Imitandi*, inquit, *ſunt Parentes, qui filiis ſuis graviter ægrotantibus licet deſperatis aſſident lacrymantes, lamentantes, exoſculantes, omnia quæ poſſunt admoventes, ad extremum uſque halitum.* Ubi hæc parentum in filios officia expoſuit: tum ita ſtylo aureo pungit & urget. *Hoc tu quoque facito pro fratribus, & quidem potiori jure; nam illi non poſſunt lacrymis & lamentis neque morbum depellere, neque mortem imminentem abigere. Tu verò frequenter poteris animam deploratam aſſiduitate inſtantiaq; per lamenta revocare ac ſuſcitare. Dediſti conſilium, nec perſuaſiſti? illacryma, punge frequenter, ac ſuſpira paulatim, ut tua ſollicitudo incutiat illi verecundiam, itaque convertat ad ſalutem.*

CAPUT XIII.

De aliis boni Præſulis & Paſtoris officiis.

FUit olim Hebræos inter & Ægyptios magna ſtudiorum & animorum diſſenſio: ex eo etiam orta, quod hi Paſtores in odio, illi in amoribus haberent.

Rationem ex antiquitate ſi petas, hæc eſſe potuit; quòd Ægyptii oves & pecora pro Diis colerent, adeoque nefas ducerent ea mactare atque edere.

Contrà verò Hebræi, nec ea pro Diis habere, nec iis parcere; ſed jugulare, ſed occidere. Quo cum tamen ſtare potuit, & verò etiam ſtetit, ſingularis quædam ovium cura, & Paſtoralis officii dignitas atque commendatio; quæ ex eo augeri potuit, quod Hebræorum principes, primaque lumina, ducendis paſcendisque gregibus toti incubuerunt.

Ita in ipsâ Orbis infantiâ, primiaque cunis, Paſtor fuit Abel.

Ita deinde lapſis longè ſæculis Paſtores fuere Jacob, ejusque filii duodecim, à quibus emanarunt duodecim illæ Hebrææ gentis tribus, illuſtria decora, principes animæ; à quibus derivatus in poſteros omnes amor quidam Paſtoralis officii, & à majoribus petita dignitas; quam mirum quantum auxit illa Chriſti Servatoris demiſſio, quâ ſe ovium, id eſt, animarum Paſtorem inſcripſit: *Ego*, inquie-

Ioan. c. 10. bat olim, *ſum Paſtor bonus*, qui ſcilicet & à ſeipſo bonus, & à quo boni cæteri; ſi tamen ſummi Paſtoris fuerint æmulatores: ut ii porrò ſint, in præſentiâ mihi eſt animus ſtylo notare præcipua boni Paſtoris munia: eaque quàm breviſſimè: neque enim eſt hujus exigui operis aut conſilii mei ea fuſiùs explicare; aliorum jam fuit & erit iſte labor.

I. OFFICIUM BONI PASTORIS.

Amor & Caritas.

PRima lex Paſtoralis officii, primáque cura, debet eſſe impenſa caritas atque effuſus amor ſui gregis: ab hoc enim ceu ſonte manant cætera, quæ bono Paſtori incumbere videntur.

Hanc legem jam inde à primis ſæculis agnoverunt atque inſcripſerunt Hebræi ſapientes, apud quos Paſtores dicti ſunt *amatores*: eâdem quippè voculâ ſignificabant & *Amatorem* & *Paſtorem*. Hebraicè enim Paſtores dicebantur *Roghim*; amatores autem *Reghim*: eædem omnino litteræ, una tantùm differentia puncti: ut videas inter Paſtorem & amantem ovium, parum aut nihil intereſſe; imò Paſtorem unà etiam amantem eſſe oportere.

Ab hoc amore, qui Paſtoris nomini inſitus quodammodo & innatus eſſe videtur, fluxit illud, ut Reges ac Principes in ſacris paginis ſæpiùs Paſtores appellentur.

In cap. 34. Ezech. Cujus appellationis ea ratio, quam affert D. Hieronymus, *Ut ſuperbum nomen imperii, Paſtoris vocabulo mitigetur.* Hoc nimirum ſibi perſuaſit omnis ætas, Paſtoris nomen amoris eſſe, eximiæque caritatis. Quam etiam jure commendavit Chriſtus Paſtorum princeps ter optimus, ter maximus: cùm enim è toto diſcipulorum collegio Petrum ſibi ſuoque gregi adlegiſſet; priuſquam eò proveheret dignitatis, ex illo etiam tertiò quæſivit,

Ioan. c. 21. v. 15. In 1. lib. Reg. c. 16. *Petre amas me?* In quæ verba D. Gregorius Pontifex Maximus. *Primò*, inquit, *ei dicitur: Petre amas me, ut per amorem agere fortia ſtudeat; ſecundò, ut in contemplando alta cognoſcat; tertiò, ut perfectæ caritatis affectu, & erga proximos ferveat, & ad ſpeciem conditoris ferventius ardeſcat.*

Servator noſter, interprete Gregorio, tria ſpectaſſe videtur Paſtorum officia.

Primum, altos & heroicos animos, à quibus & agere poſſent & pati fortia, quod erat amantium.

Alterum, ut ſeſe terris eriperent, in cœlum evecti veluti remigio quodam altiſſimarum contemplationum.

Poſtremum denique, æſtum aliquem impetumque divinæ caritatis, à quâ in proximorum commoda atque ſalutem ferrentur toti atque effervesſcerent.

Hæc lege, & tacitus apud te meditare quiſquis es Paſtor. *Indica*, inquit D. Bernardus, *utrum poſſit hic convenienter aptari trina Petri interrogatio. Amas me, amas me, amas me. Habes caritatem de corde puro, & de conſcientiâ bonâ, & de fide non fictâ.* Hanc inquam ſi habes, tum à Chriſto in aurem tibi dici etiam tertiò patieris. *Serm. de tribus ord. Eccleſ.*

Amas me, ac deinde audies & illud, *Paſce agnos meos*, hoc eſt lactentes adhuc ac tenellos in fide paſce uberibus conſolationis, & pota lacte doctrinæ ſanioris; tum ad oves elabere, & in fide ac religione firmiores, robuſtos, atque adultos etiam fove ac recrea: ſit, ut inquit Auguſtinus,

Sit amoris officium paſcere Dominicum gregem,
Sicut timoris fuit indicium negare Paſtorem. *Tract. 123.*

Quod autem illud officium, & quàm conſummatæ perfectionis, eâ, quâ ſolet eloquentiâ, perſequitur; & ita Chriſti voce animarum Paſtorem compellat. *Si diligis me, paſce oves meas; non te paſcere cogita, ſed oves meas: ſicut meas paſce, non ſicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; lucra mea, non tua.*

II. OFFICIUM BONI PASTORIS.

Vigilantia.

CElebravit antiquitas nominatum illum Paſtorem Argum, cui centum lumina cingebant caput: ea quamdiu fuère in ſuâ ſtatione, & ipſi & gregi fuit quàm optimè: at ubi cœperunt connivere ſomno, ubi ſopiri & claudi, tum verò cum Paſtore & ovibus actum quàm peſſimè. Ita porrò illi Argo ſopiti ſunt oculi.

Eum fortè feriantem ac vacuum à curis convenit Mercurius ac Venus: ille pro eâ qua erat eloquentiæ vi, blando ſermone in aures & animum illapſus, ſomnum ad ſenſus, ad oculos evocare cœpit: Hæc autem ſuâ mollitie, ſolitisque illecebris ſomnum excitavit magis, ac profundum ſoporem immiſit: ubi ab illo clauſi oculi, ſopitique ſenſus omnes, tum verò Argus & caput & vitam amiſit; ipſaque Venus præposterè uſa illius oculis, eos abjecit in caudam pavonis, iisque totam aſperſit: ſed ô grande à Venere nefas! ô ingens oculorum vitium! qui prius eminebant, & cœlum ſideraque ſpectabant, jam abjiciuntur toti, & terram verrunt.

Hæc eſt fabella, & ingenioſum commentum Poëtarum, quibus ſic ſemper fuit fingendi licentia, & opportunus in apologo ludus; è quo tamen pauca ad mores traduci poſſe videntur.

Primùm vigiles atque oculatos eſſe debere Paſtores antè & retrò, dextrâ & ſiniſtrâ.

Antè, ut futura longè antè proſpiciant.

Retrò, ut præterita recolant, & ex iis futura metiri diſcant atque expendere.

Dextrâ verò, ut in proſperis ſemper vigiles.

Siniſtrâ, ut in adverſis ſemper intenti.

Quod autem à Mercurio & Venere ſopitur Argus, innuit Paſtores plerumque indormiſcere malis conſiliis, plerumque etiam connivere atque obrui à Venere, à blanditiis molliculæ voluptatis, cujus cantui mellitiisque voculis dum plus æquo indulgent, oculos ac lumina, id eſt vim mentis & intelligentiæ, quæ

officio

officio Paſtorali invigilare, quæ cœlos atque æternitatem ſuſpicere, & longè antè proſpicere debuit, amittunt, & quod inde pronum eſt, in terram, hoc eſt, in luteas, abjectasque mundi curas ac ſollicitudines abjiciuntur: juſto ſanè Dei vindicis judicio, ut qui gregis oculus eſſe debuit, nec tamen ſuo vitio fuit, eo malè ſit orbus etiam in æternos annos.

Herodot. l. 9. Fuerunt olim in Apollonia oves Soli ſacræ, quas noctu viri fortuna ſplendidi cuſtodiebant.

Evenius aliquis ſuas de more vices agens in pecoris cuſtodia, lupum ingredi in ovile, & ſexaginta oves ſuâ incuriâ devorari eſt paſſus, ex quo, judicio civitatis damnatus, & oculis orbatus eſt.

Si in humano foro adeò ſevera in Evenium lata ſententia; quæ erit in divino, in quo non agetur de ovibus Soli, ſed Deo ſacris, de animabus quas cœlo & beatæ æternitati ſervatas ſuperi voluêre: quid, inquam, decernetur in eum Paſtorem, cujus incuriâ æternùm iſtæ perierint?

Vigilet ergo, & ſua maneat in ſtatione quiſquis eò dignitatis ac officii vocatus eſt; ſibique multò potiori jure ſcriptam arbitretur eam legem, quæ olim viris principibus.

Non decet principem ſolidam dormire noctem.

Si principem non deceat ea ſomnolentia, qui mutis tantùm & corporibus ſuorum invigilat; multò minus Paſtorem, qui ſubditorum ſalutem & animas curat.

Et certè ſi ſumma & infima, ſi cœlum & terram percurramus, dabunt illa Paſtorea, unaque etiam vigiles. Hoc Univerſum regit ac moderatur Deus, ut Dominus, ut Paſtor; & ille vigil.

Regi Nabuchodonoſor in ſomnis olim objecta Dei vindicis aliqua ſpecies

Videbam, inquit, *in viſione capitis mei ſuper ſtratum*
Dan. c. 4. v. 10. *meum, & ecce vigil & ſanctus deſcendit de cœlo.* Vigil ille, vel Deus ipſe fuit, vel ut nonnulli malunt, Angelus unus aliquis, qui ejus vices ageret: nec enim
Pſal. 120. v. 4. *dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël.* Vigilat ille ad juſtorum cuſtodiam, vigilat ad pœnam im-
Thren. c. 1. v. 14. piorum. appello Jeremiæ fidem. *Vigilavit*, inquit, *jugum iniquitatum mearum in manu ejus*: Hebraicè *pupagit, ſtimulavit manum ejus*, ut ſua mole ac pondere velut gravi jugo rebelle cœlo caput opprimeret.

A ſummo Paſtore, & ipſi Paſtores ac cuſtodes Angeli, & quidem vigiles, in quos D. Bernardus
Cant. c. 3. v. 3. vocat illa ſponſæ verba: *Invenerunt me vigiles qui cuſtodiebant civitatem. Benè tecum agitur, inquit, ô Mater Eccleſia, benè tecum agitur in loca peregrinationis*
ſerm. 77. *tuæ. Qui cuſtodiunt te non dormitant, neq; dormiunt cuſtodes tui, Angeli ſancti, vigiles tui ſpiritus.*

A Deo, & Angelis, qui puræ mentes, ad Chriſtum deſcendo, in quo ſpiritus cum carne amabili ſtupendoque nexu conjungitur: & ille etiam Paſtor, adeoque vigil. D. Joannes in alio mentis exceſſu vidit aperiri cœleſtes valvas, & pateſcere immenſa divorum atria, in quibus Smaragdino throno aſſurgebat Dei ſedes, quam curvo *: amœno arcu cingebat Iris, Solis filia, & humentis cœli miraculum magnum: tum deinde circumſtabant viginti quatuor ſeniores, & animalia quatuor plena oculis antè & retrò: quæ dum animo legit ac contemplatur ſedulus, ecce in conſpectum venit & aliud cœli terræ-
Apoc. c. 5. v. 6. que prodigium, de quo ſic Vates: *Vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem, habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem.* Erant & corona compoſita, & innexa ſibi, per modum ſpeciemque coronæ: ſingulisque cornibus inſidebant oculi ſinguli, velut additæ gemmæ novaque ſurgentis Eccleſiæ ſidera.

Quis porrò ſit Agnus, in luce eſt. ille videlicet qui pro nobis victima cecidit. At quæ cornua? qui oculi? in nocte eſt illud atque occulto.

Abbas Joachim, pro eâ quâ fuit ſolertia, cenſuit cornua ſeptem & ſeptem oculos indicare ſeptem Epiſcopos Aſiæ, ad quos Chriſti ſcriba Joannes hanc ſuam pagellam dirigebat.

Dicuntur illi, & verò etiam ſunt cornua, ab inſito de ſuperis robore, conſtantiâ, inſignique fortitudine, quâ Chriſti peculium tuentur, & cùm opus eſt, cornu feriunt.

Appellantur deinde, & re etiam ipſa ſunt oculi, à vigilantiâ, cujus ii ſymbolum eſſe perhibentur. Eodem ſpectant animalia quatuor plena oculis antè & retrò, de quibus ſua inter Doctores lis atque contentio. Aureolo animalia quatuor oſtendunt quatuor ſedes Patriarchales.

Leo eſt Jeroſolymitana, ob ingens animi robur, invictamque conſtantiam, quam eò loci Apoſtoli exhibuerunt.

Vitulus eſt Antiochena, quæ ferè omnium prima fidei colla ſubjecit, jugumque Chriſti admiſit, adeò ut Antiochiæ primùm dicti ſint Chriſtiani.

Homo Alexandrina, ob viros doctiſſimos, quos illa tulit atque aluit. Ii fuêre Origenes, Clemens, Dydimus, Cyrillus, Athanaſius, quos ea regio vel Epiſcopos vel Doctores amavit atque ſuſpexit.

Aquila denique Conſtantinopolitana, in qua viguerunt viri altiſſimæ contemplationis, & magno orationis exceſſu inſtar Aquilæ ſublimes: ii porro extitêre Chryſoſtomus, Nazianzenus, aliique.

Et hos omnes Orbi reddit atque exhibet oculus; Paſtoralis, vigilantiæ nota atque hieroglyphicum: ut inde conficias gregis ſui oculum eſſe Paſtorem.

Quod ſi fortè arcana illius loci aliò vocari velis; contendasque per animalia quatuor opportuniùs intelligi quatuor Evangeliſtas, non ero à tuo ſenſu alienus.

Sit Leo S. Marcus, quia Evangelicæ hiſtoriæ ſeriem incœpit à clamore & rugitu Joannis, quaſi Leonis alicujus in deſerto.

Sit Vitulus S. Lucas. vel eò tantùm quòd initium petierit à Sacerdotio Zachariæ, cujus erat immortali Deo victimas offerre.

Sit homo S. Matthæus, qui primam Evangelii ſui pagellam humanâ Chriſti generatione ſignavit.

Sit Aquila S. Joannes, qui cæteris altior eminere viſus, & cœlos ac ſidera tranſcendere, atque in ipſam Æterni Verbi divinitatem elabi; à quâ ſtylum ducit, dum hæc ſacris in pagellis notat. *In principio erat Verbum.*

Quod ſi in aliam ſententiam inclines magis; credasque per animalia quatuor, veluti ſymbolo quadam altiore, notari quatuor Eccleſiæ Doctores; nec in eo tibi ibo inficias.

Demus enimverò hominem eſſe D. Gregorium quia totus comis, urbanus, & ad omnem humanitatem fictus.

Concedamus Leonem eſſe S. Ambroſium, qui nec arma metuit, nec Cæſaris iras minasque exhorruit, nec ullâ vi à Paſtorali officio potuit dimoveri.

Admittamus bovem eſſe laborioſum & ſolidum Hieronymum, qui Auguſtino juvenili impetu exultanti ſcripſit aliquando in hæc verba: *bos laſſus fortiùs figit pedem.*

Denique fateamur Aquilam eſſe ſublimem Auguſtinum, qui ingenii vi ac ſolertia tantum alios ſuperavit, quantum Aquila reliquum omne genus volucrum tranſcendit. Verùm ut hæc ex Interpretum Doctorumque opinione dici poſſe concedamus: at illud etiam nobis dari neceſſum eſt, eos omnes & Paſtores fuiſſe, & quod caput eſt, etiam probè oculatos: & quia tales olim non fuerunt Iſraelis Paſtores, hinc ea morum ac religionis inclinatio, hinc tantum nefas, & ex eo juſtæ Iſaiæ querelæ, profundique gemitus, quos inter hæc inſonuêre verba:
Speculatores ejus cæci omnes, canes muti, non valentes Cap. 56.
latrare, videntes vana, dormientes & amantes ſomnia. v. 10.

Cæci,

21. Moral. cap. 10.

Cæci, inquit S. Gregorius, *quia non videbant opere quod profeſſione tenebant.*

Muti, & non valentes latrare: In Eccleſia, ceu ovili Chriſti, ſunt Paſtores quod in domo & hara canes: hi lupos, illi hæreticos accenſi, fugant, perdunt, niſi planè muti ſint & elingues, &, ut antiquo Proverbio dici ſolet, *bovem habeant in lingua.*

Erat antiquis nummus *Didrachmum* bovis imagine inſignitus, qui proinde vulgò bos dicebatur; ex quo manavit illa parœmia: *bovem habent in linguá*, id eſt, pecunia corruptus ſilet: quod etiam nonnullis Eccleſiæ Paſtoribus uſu venit, quibus os linguamque præpedit vel magnatum gratia favorque, vel burſa improbè nummata, inſignisque auri opumque cupido, à qua deſinunt eſſe quod ſunt, Paſtores & canes; & muti redduntur ut boves. Longe aliter boni Præſules: *vigilant illi*, inquit D. Bernardus, *ſuper gregem propter tria. Videlicet ad diſciplinam, ad cuſtodiam, ad preces: ad diſciplinam, propter morum correctionem; ad cuſtodiam, propter diabolicam ſuggeſtionem; ad preces, propter tentationum inſtantiam. In diſciplina vigor eſt juſtitiæ, in cuſtodiâ ſpiritus conſilii, in prece affectus compaſſionis.*

In Sententiis.

III. OFFICIUM BONI PASTORIS

Oves potiùs amet quàm vellus.

PIo Præſuli ac Paſtori hæc cœlo ſcripta lex eſt. Oves impenſiùs amet quàm vellus: animas quærat ac venetur, non honorum titulos & dignitatis inſignia: ut enim disertè D. Bernardus: *Sollicitudo officium Prælati eſt, non celſitudo.* Sed proh dolor! hoc quo vivimus ævo quamplurimi celſitudinem ambiunt & operosè quærunt; ſollicitudinem admittunt omninò pauci, fugiunt pleriqque omnes. Hujuſce meæ aſſertionis authorem habeo ac defenſorem Bernardum, cujus eloquentiâ imprimis delector.

In Sent.

Non omnes, inquit, *ſunt amici ſponſi, quos hodie ſponſæ hinc inde aſſiſtere cernis.* Rationem porrò hanc ſubjicit: *quia pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt quærant ex omnibus caris ejus. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt Mammonæ. Intuere quomodo incedant nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo. Nonne ſi quempiam talium repentè eminùs procedentem aſpexeris, ſponſam potiùs putabis, quàm ſponſæ cuſtodem? Unde verò hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quod illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exanguis. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare; non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt inſtituere, ſed proſtituere; non eſt paſcere gregem, ſed mactare & devorare, dicente de illis Domino. Qui devorant plebem meam ut cibum panis. Quem dabis mihi de numero Prælatorum, qui non plus invigilat ſubditorum vacuandis marſupiis, quam vitiis extirpandis? ubi qui orando flectat iram, qui prædicet annum placabilem Domino? O utinam tam vigiles reperirentur ad curam quàm alacres currunt ad cathedram.* Optandum illud quidem: at à multis vix ſperandum: ſunt enim etiam ſub hoc quo ſpiramus cœlo ſimiles Paſtoribus Iſraëlis, quibus Propheta intentat mæſtum ac formidoloſum illud.

Serm. 77. in Cant.

Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à Paſtoribus paſcuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non paſcebatis. Quod tamen ex æquo bonoque oportuit: quis enim benè ſenſatus non oderit illud ac deploret, ut ſeipſe farciat ac ſaginet Paſtor, dum interim inediâ tabeſcunt ac malè pereunt oves, vellusque Paſtori cedunt; imò & carnem & animam fœdè prodigunt, ut ei ſit quàm lautiſſimè. Digna certè lacrymis ea miſeria, curæque præpoſteræ, in quas proinde ſeverè olim animadvertit Servator optimus, cæteroquin mortalium omnium mitiſſimus.

Animo ac cogitatione recolite, quo olim vultu, quo pede in templum venerit Chriſtus: fecit ille ſibi flagellum de funiculis, ejecitque vendentes & ementes de templo, & nummulariorum officinas evertit, æsque malè partum diſſipavit.

Hic dubium movet D. Hieronymus, cur in hos adeò ſeverus Salvator, qui in alios peccatores mitiſſimus? huic quæſtioni facit ſatis, dum ait illos fuiſſe Sacerdotes ac Doctores legis, quorum cathedras evertit; quia per illa mercimonia, ſpecie quidem pietatis ac religionis, plus inſudabant lucris, quàm ſacrificiis; nec jam immortali Deo victimas parabant, quàm importunam avaro marſupio ſaginam, & pondus æris malè accumulatum.

Non ſic verus Paſtor: ovibus ille ſuis, non ſibi ſtudet; animis inhiat, non fortunis: ſimilis Abrahamo, qui à prælio redux & victor, non opima ſpolia, non prædas expetiit; ſed animas.

Da mihi, inquiebat olim Heros fortiſſimus, *da mihi animas, cætera tolle tibi*: ſint licet multæ & divites hoſtium exuviæ, ſint opulenta caſtrorum ſpolia, ſit quantumvis ingens auri pondus, ſit ab extremo Orbe petita gemmarum vis & copia; ſint greges & armenta, primorum ſæculorum opes ac divitiæ; ſint urbium & regnorum, imò etiam Univerſi ſi voles theſauri gazæque: mea nihil intereſt, iſta nec amo, nec ambio; animas volo & quæro, illas mihi concedes cætera, per me licet, tolle tibi & ſerva.

Quod olim ſenſit & dixit magnarum gentium pater Abrahamus, hoc in ſe ipſe ſentire & palam eloqui debet bonus Paſtor; hæc vota, hæ voces: O cœlum, ô terra, ô munde, da mihi animas; cætera tolle tibi: mihi certè plus ſatis immortales animas ſuperis ac beatitati natas Deo ac Domino ſervare: cætera ut pereant, parum aut nihil omnino refert, modò cœlo reddantur animæ, quas curæ meæ Paſtorali ſupremus omnium Paſtor committendas putavit.

IV. OFFICIUM BONI PASTORIS.

Omnibus omnia factus, ut omnes ſalvos faciat.

ITa de ſe ipſe quondam Apoſtolus, & Doctor Gentium Paulus: *omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. Non mentiendo*, inquit Auguſtinus, *ſed compatiendo; non ſimulantis aſtu, ſed commiſerantis affectu omnibus omnia factus eſt Paulus.* Non eo modo, quo politici noſtri temporis, qui perperam hunc locum interpretantur, ex eoque errori ſuo patrocinium faciunt, ut per fas & nefas omnium moribus ſeſe accommodent, animumque ut veſtem mutent: ita cum Turcis Turcæ, cum Hæreticis Hæretici, cum Atheis Athei ſunt, & cum inceſtis inceſti; quod quàm ab homine alienum ſit, nemo non videt. Certè ut ſummæ virtutis ac prudentiæ ſit omnium quibuſcum agis ac vivis, genio te ipſe aptare, quantum natura, ratio, honeſtas, Deique lex patitur: ita ſummæ levitatis, imprudentiæ, temeritatis, imò & infidelitatis eſt, omnium omninò ſtudia ſequi, & mores induere, & quod in re etiam ipſâ non es, improbè mentiri: quod faciunt Politici, quorum hæc ætas nimium eſt ferax.

1. Cor. 9. v. 22. Epiſt. 9. & 19.

Non ſic Paulus, non ſic; omnibus ille factus omnia; ſed ex virtutis normâ, placitoque caritatis.

Ita *iis qui ſub lege erant*, factus eſt quaſi & ipſe *ſub lege eſſet*; nempè ubi Timotheum circumcidit, & purificatus voti cauſa templum adivit. Ita nimirum prudenter tempori ceſſit, & hoc Moſaicæ legi conceſſit, ut ſibi Judæorum animos devinciret. Et contrà ut Gentiles caperet necteretque vinculo

Verſ. 21. Vt ait Oecumenius. Act. 21. v. 26.

Chriſtia-

Chriſtianæ caritatis, ipſis qui *ſine lege erant*, ſeſe exhibuit tanquam & ipſe ſine lege eſſet, uniuſque naturæ ductum ac lumen ſequeretur. Nimirum ea veræ prudentiæ lex eſt, id præceptum caritatis, ut te ipſe aliorum placitis adaptes, ubi in iis nihil à ratione, à virtute, à Deo abhorrens apparebit.

Et illud eſt boni Paſtoris officium, quod olim etiam in nomine Hebræi ſapienter expreſſêre; apud quos legis Doctores & Paſtores dicebantur *Rabbini*: Rabbi. hoc eſt *multiplicati*: Rabbi enim ex Hebraicâ etymologiâ, id eſt *multus*, à radice *Rava*, quod idem eſt ac *multiplicari* & multum eſſe; quòd Doctor, & Paſtor debeat quodammodo in ſe ipſe & in aliis multus eſſe, ut ab illo multis ſit quàm optimè. Et inde factum autumo ut divinæ legis Doctores, animarum Paſtores; cum ſpeculo componantur.

Ut oculus ſpeculum eſt naturæ, ita ſpeculum oculus artis: hoc nonnulli Paſtoris ac Præſulis ſymbolum eſſe voluêre.

Viſebatur in nuda tabellæ area affabrè elaboratum ſpeculum, quod hinc & inde ambiebant alii atque alii humana quidem ſpecie omnes, ſed planè diverſâ: hi enim ſubridere, flere illi: hi demiſſis oculis, contractis labellis, vultuque ad mœrorem ac luctum compoſito; illi explicata fronte, amœno vultu, conniventibus oculis, & neſcio quid lætum ſpirantibus: incurrebant autem omnes in ſpeculum, & hauſtis hinc atque hinc imaginibus, fideliter reddebantur: ut meritò dubitares, quæ à natura, quæ ab arte, ſeu ſpeculo, expreſſa foret imago, quæ viva ac ſpirans, & quæ hujus ſpecies ac ſimulacrum: ita bellè una alteri ſimilis. Legebatur autem appenſa hæc epigraphe:

Omnibus omnia factum.

Eſt illud boni Paſtoris hieroglyphicum, qui omnibus omnia fit, ut omnes faciat ſalvos: novit enim ille ex intimo animi ſenſu dolentibus compati, & flere cum flentibus: novit & cum gaudentibus gaudere: & hoc eò tantùm, ut tam hi quàm illi cœlo reddantur ac beatitati: habet nimirum ea boni Paſtoris cum ovibus ſuis ſympathia, neſcio quas illecebras ad capiendos animos, & incredibili quodam amoris ac caritatis nexu vinciendos.

V. OFFICIUM BONI PASTORIS.

Animam ſuam ponat pro ovibus ſuis.

CHriſtus Dominus Servator optimus ut amori indulgeret ſuo, ſe Paſtorem dixit. *Ego*, inquie- Ioan. 1. 10. bat olim, *ſum Paſtor bonus*. Ac ne verbis tantùm eſſet fides, argumentum addidit à re etiam ipsâ experientiaque petitum: *bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*: & ego quoque expono per infame crucis lignum, extremaque ſupplicia. Et hanc à Chriſto ſibi legem impoſitam ſenſerunt omnes, qui deinde ad paſtorale munus annuente cœlo ſunt evocati. Te ducam, benevole Lector, ad primos Eccleſiæ principes, & ſecundos à ſummo Pontifice Chriſtique Vicario Paſtores. Ii ſunt Patres purpurati, quos purpura & cruentus ille veſtis color, pro ſuis ovibus ſanguinem profundendum edocet. Scio purpuram illam invida lingua peti, & feroci ungue ab hæreticis lacerari, maximè à Vermilio, qui ut ad vinum loquax, ita & ad maledicendum imprimis diſertus.

Inter menſas & pocula, ebriaſque mentes, injicit ille hanc quæſtionem: cur Eccleſiæ Romanæ Cardinales purpurea tegantur ornentorque veſte? tum ut hunc nodum ſolvat, alias atque alias affert ſententias, non tam ex rei veritate, quàm ex quadam maledicendi licentia.

Una ſtatuit illud ſuæ cauſæ firmamentum; purpuram illam, togamque multo murice coccoque tinctam ſatis ſuperque prodere cruentos animos, & ſanguinis humani ſitientes, quem ſcilicet eliciunt atque effundunt in crudeli illo foro Inquiſitionis. Crudele forum appellat, quia in eo vapulat hæreſis, & quiſquis eſt convictus erroris, vitam amittit: ex vero tamen non eſt crudele, ſed benè providum, tum ut dogmata perpendat æqua lance atque examinet; tum ut errores aperiat atque eventilet; tum denique ut in iis obſtinatos debitis ſuppliciis afficiat, tollatque è medio, nè ut oves morbidæ reliquum Chriſti gregem inficiant ac malè perdant.

Altera ſententia purpuram illam aſcribit inſolenti ſuperbiæ, quæ regiam majeſtatem etiam in veſte affectat, atque mentitur. Quia enim venerandæ antiquitatis adeò rudis ſit atque ignarus, ut neſciat Reges ac Cæſares purpurâ ſolitos veſtiri; imò & ſeverè cautum olim, nè quis præter eos purpureo colore tegeretur: nimirum hunc amabant prima illa Orbis lumina, & ſecundùm Deum rectores hujus Univerſi, quos non ſolùm à vulgo, ſed & ab aliis quibuſcumque vel ipſa veſtis diſcernere debet ac diſtinguere. Et verò cùm primùm naſceretur & ſurgeret Eccleſia, Cardinales non purpureo, ſed violaceo colore ſpectabiles erant: nec immeritò. Eſt viola modeſtiæ & demiſſi animi ſymbolum, qui ſi in iis patribus eſſet, procul abeſſet purpura, affectatæ dignitatis inſolens nota: Ita Vermilius, ejuſque aſſeclæ, contra quos pugnat ipſa mutatæ veſtis ratio, cauſaque, quæ hiſtoriarum peritis, in oculis, in luce eſt.

Cedo illud Vermilio Sacratos Eccleſiæ Romanæ Principes primùm violaceo colore indutos, ac deinde lapſu temporis purpureo: ſed nego, & pernego, id vel ſuperbiæ, vel immanitati aſcribendum; imò verò pietati, religioni, caritati dandum eſſe contendo. Lubet illius temporis dieique meminiſſe, quæ primùm in ſacrâ purpurâ patres illos aſpexit. Vertebatur à Chriſto nato annus quadrageſimus quintus ſupra milleſimum & ducenteſimum, cùm Fredericus Imperator Eccleſiæ Matri, & Romano Pontifici petulantiùs inſultare, & bonis omnibus arma cædeſque minitari cœpit.

Eò loci ac temporis in Petri cathedrâ ſedebat Innocentius, ejus nominis quartus, qui ut tanto malo remedium faceret, ſiſteretque graves iras, ac impotentes Cæſaris conatus, creavit Cardinales omninò duodecim, eoſque omnium primus purpureo galero donavit, ut eo, veluti ſacratiore galeâ probè tecti, in hoſtem irent audaciùs, in arma liberiùs involarent, & pro religione, pro fide, pro cœlo, Deoque capita ponerent, non timidi pro Chriſti peculio gregeque fidenter emori. Ex illâ die, luceque benigniore, ivit in poſteros, & in omnium Cardinalium capita evaſit purpura, ceu galea ſalutis, fidei nota, teſſera religionis, & officii Paſtoralis arrha, quæ pro caritate, pro zelo divinæ gloriæ, & animarum ſalute, etiam capita vitamque deſponderet. Ac nè tantùm caput, membrum illud hominis princeps, ſed & corpus omne reliquum eodem murice fulgeret; Paulus II. qui creatus eſt Pontifex anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo-quarto, magnis illis Eccleſiæ Romanæ Præſulibus veſtem talarem & rubeam attribuit, ut à capite ad calcem purpurâ conſpicui cæteris eminerent. Ac nè à ratione vacuum videretur illud inſtituti genus, hanc mutatæ veſtis cauſam adjecit ſummus Pontifex: *ut ſicut Chriſtus in paſſione purpuram induit, & ſe ipſe & Eccleſiam ſuo ſanguine purpuravit*: ſic & Cardinales ubi galerum purpuramque aſſumerent, monerentur etiam afferre Chriſto ſuppares animos, & vitam ſanguinemque, Eccleſiæ, animarumque cauſâ, prodigere. Et hic animus audax omnia perpeti Præſulem facit ac probat.

Is olim Iſraëli Moyſes fuit: cujus ex ad Deum Exod. 32. voces: *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele* v. 31. *me de libro tuo quem ſcripſiſti.*

Iu ſcelus omninò præceps iverat Iſraël, ibat & in pœnas; ot flagitiis incitatum Num:n; cùm ecce reum inter ac judicem medius ſtetit Moſes, dux & Paſtor optimus, & hæc in cœlum emiſit.

Hieron. ad Algas.

Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti: aut dimitte, ô Deus, aut tolle me de vita, nomenque meum expunge de libro viventium.

Ejus animi fuit & Paulus, imò, ſi Chryſoſtomum audimus, etiam altioris, cujus hic æſtus impetusque amoris: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*: quæ verba æquâ lance dum expendit Chryſoſtomus, hæc fundit ore aureo:

Ad Rom. 9. v. 3.

Moyſen profectò Paulus ſatis eminenti virtute tranſcendit, cujus quidem ſunt multa alia præclara: ſed caput illius ſanctæ animæ atque faſtigium eſt, quoniam pro Judæorum ſalute deleri elegit ex libro vitæ; Sed Moyſes cum cæteris optavit perire, Paulus pro cæteris.

Hom. 1. de laudibus Pauli.

Erant Judæi duræ cervicis & adverſa cœlo capita, quæ nec emollire vis amoris, nec terrere minæ, nec pœnæ frangere poſſe videbantur. Expectari debuit vel ut terra diſcederet, immanique hiatu inviſum cœlo genus hauriret, vel ut cœlum omne tonaret, & ingenti fragore fulmina globosque demitteret, vel alio quopiam ſupplicii genere peteret perderetque. Quid enim aliud poſt tam enormem animorum contumaciam expectari debuit, aut etiam potuit? omninò nihil. At illud pacto Numine huic Orbi extulit Pauli caritas, & incenſus animarum zelus; dum enim ea impetu quodam pietatis in ſuos, optat anathema eſſe à Chriſto, hoc eſt, interprete D. Hieronymo, pro Judæis, ſuaque gente mortem obire; parata cœlo fulmina decuſſit, & incumbentem jam eorum verticibus pœnarum molem excuſſit: & ita quidem ut juſtitiæ miſeratio, mors vitæ, perfidia fidei, damnatio ſaluti cederet ac beatitati: tantum apud æquum cœli Judicem poteſt vel unius Paſtoris incenſa caritas.

Ad Algas. q. 9.

DISPUTATIO

THEOLOGICA ET MORALIS

DE BONIS ECCLESIASTICIS,

eorúmque dominio, atque uſu.

HANC Diſputationem partiar in tres Quæſtiones, quarum prima hæc erit: Quid ſint bona Eccleſiaſtica? Altera quod eorum dominium? Poſtrema quis eorum uſus ex ſacris Canonibus, ex Juſtitiæ, atque æquitatis regula, normaque ſanctitatis; in hanc enim, & in illam velut in ſcopum, collimare mihi eſt animus: faveant ſuperi, & cœleſtis aſpiret aura.

QUÆSTIO I.

Quid ſint bona Eccleſiaſtica?

EA duplici modo ſpectari poſſunt. Uno uti ſunt in ſe, & in ſua ſpecie ac natura phyſica; ſicque nihil aliud eſſe videntur quàm proventus ea ſurgentes, ac relicti ea Beneficio Eccleſiaſtico, adeoque naturæ partus, ac fœtus, ſeu eos peti velis è terra, ut vino, oleo, tritico, ſylvis, aliiſque ejuſmodi; ſeu etiam ex aquis, & ſuperinſuſo continenti oceano; ut è piſcibus; ſeu ex iis, quæ libero feruntur & volitant aëre, ut aves, *aliáque elementorum ſervitia & totius genituræ tributa*, ut elatè Tertullianus, ſeu denique ex auro, argentóve, nobilioribus utique terræ viſceribus, quæ ſcrutatur, & emit avara manus, & maleſana hominum cupido. Et de illis ita ſumptis mihi in præſens non erit inſtituenda quæſtio; ea enim eſt in aperto, & clara luce, quæ quid ſint ſatis exhibet atque oſtendit, dum ea ſubjicit etiam oculis, atque ſenſibus.

Lib. de Patient. c. 2.

Alio igitur modo Bona Eccleſiaſtica conſiderari velim, & quaſi in ſpecie ſua morali, in qua ſcilicet & ad mores conducunt, & eorum uſus ad Juſtitiam pertinet atque æquitatem; & ſic accepta, quæro quid ſint? & quia non is ſum, qui ex meo ſenſu definiam, ex SS. placitis, atque oraculis, judicium omne petendum eſſe duxi. De Sacratiore Eccleſiæ opulentia. Hæc olim Iſaias præſago ſpiritu: *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ; & ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.*

Cap. 49. v. 23.

Mamilla Hieroglyphicum eſt ubertatis, copiæ, munificentiæ, & profuſæ liberalitatis, & hinc ab uberibus dicitur ubertas, hoc eſt ſeſe effundens copia, quæ vel ab ipſis Regibus obveniet, reficiet, ditabitque homines Deo ſacros, hoc eſt Eccleſiaſticos.

Lac autem ſymbolum eſt illius, quod in Regum, & potentiſſimorum hominum vita eſt ſuaviſſimum, atque optimum: & hoc quoque exſuget Eccleſia, cùm Regum opes, quæ lacte ſignificantur, pleno, ut ita dicam, ore hauriet: nec Regum tantùm; ſed & populorum: quod advertit olim, inſinuavitque Chaldæus paraphraſtes, cùm pro illis verbis, *Suges lac gentium*, vertetit, *Satiaberis divitiis populorum*, & pro reliquis item vocibus; & *Mamilla Regum lactaberis*, Septuaginta poſuerunt, *divitias Regum comedes*: nec Regum duntaxat; ſed & populorum: fatendum enim quod & naſcens vidit amavitque Eccleſia & ipſa demirata eſt antiquitas, in Liturgos miniſtroſque Eccleſiæ eam olim fuiſſe bonorum omnium profuſionem, ut Imperatores fiſcum, Reges provincias, Dynaſtæ urbes, Optimates rura, Colonus prædia, Tyrius opes, Deliacus vaſa, matronæ veſtes, monilia virgines, ſponſæ muliebrem mundum, viduæ dotem, pauperes ſtipem liberaliter, & ferè prodigè in eorum ſinum conjecerint, quod ipſum in exceſſu mentis dum ſpectavit ille ipſe Vates, hæc etiam ad illos:

Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis, Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis: Chaldæus exponit, *Divitias gentium comedetis*. Septuaginta, *In divitiis earum eritis admirabiles*. Eæ porro divitiæ ſunt ſacri proventus, ſunt Bona Eccleſiaſtica, de quibus in præſentia mihi erit diſceptatio, Quid tandem ea ſint in illa quam dixi morali ſpecie, ac conſideratione.

Cap. 61. v. 6.

Primis ſæculis dicta ſunt *Eulogiæ*, ſive *munera* quod iis ornaretur divinorum miſteriorum, Miſtarumque pompa.

Ab Apoſtolis jam inde ab ipſis quaſi naſcentis Eccleſiæ cunis, appellari placuit *Dominica*, vel quia à Domino data, vel quia tum ab Eccleſia, tum ab ipſis donatoribus

bus relicta ut ad Dei honorem, cultumque impenderentur, cum qua ferè coincidit ex nuncupatio, qua eadem Eccleſiaſtica bona nominantur *Res Dei*, ſive quod ipſius Dei eſſent, ut ſupremi Domini, ſive potius quod uni Deo collatæ, ut in illius gratiam, gloriamque cederent, ut liquet ex Apoſtolico Canone quadrageſimo, ſive denique ut eas ſervarent ipſi non tam ſuas, quàm Dei; cui proinde reddenda ſevera ratio.

A D. Bernardo ea dici placuit *patrimonium crucifixi* poſtquam enim Eugenio, ſuo quondam diſcipulo, modò verò Pontifici maximo eos optavit miniſtros, qui Regibus Joannem exhibeant, Ægyptis Moyſen, fornicantibus Phinees, Heliam Idololatris, Heliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum.

Ubi, inquam, illos amavit in aula pontificia, Cleroque ſummi in terris Chriſti Vicarii, tum adjicit & illud. *Qui non de dote viduæ, & patrimonio Crucifixi ſe, vel ſuos ditare feſtinent.* Lib 4. de Conſid.

At, unde, inquies, & quomodo Crucifixi patrimonium eſt? E Cœlis in terras, è ſinu Deitatis elapſum erat Patris Æterni Verbum, & quidem in ſinum Virginis pauperculæ, atque ea hoc in ſtabulum ſub paupere tecto, à quo deinde in omnem vitam pauper; ſed, vel maximè in Crucis lectulo, in quo omnino nudus jacuerat, atque extremum exhalarat ſpiritum, à quo nec corpori ſepulchrum invenit, niſi commodato, alieno ſcilicet uſus, non ſuo.

Et hæc fuit extrema Crucifixi paupertas, cujus apprimè reverentes primævi Chriſtiani patrimonium illi pingue addixerunt, ut qui pauper fuerat in omni vita, à morte dives eſſet, non quidem in ſe; ſed in ſuis dico membris, ac miniſtris, quibus dum piorum liberalitate cedunt opimi proventus, cedit & *Patrimonium ipſi Crucifixo*: patrimonium utique dives, nobile, præcelſumque, cui ſervando, prima debet eſſe cura; primusque labor, ne diſſipetur illud, ne prodigè, & perperam effundatur: eſt enim mirè pretioſum, & ſacrum, quia *Crucifixi*: ſed de hoc infra ubi agemus de illius uſu: hîc verbulo notaſſe ſit ſatis.

Epiſt. ad Chriſtianos. Urbano Pont. Max. & hujus nominis primo, Eccleſiaſtica bona dicuntur, & ſunt *patrimonia pauperum.*

Hauſit illud magnus Pontifex ex ipſis Apoſtolis, & eorum Conſtitutionibus, quæ apud Clementem ſic denuntiant: *Pauperum quoque memineris, Epiſcope,* adjutricem manum eis porrige, & eorum curam habe ut Dei diſpenſator. Lib 2. c. conſtit. 59.

Et hoc monitum Divi Patres exceperunt ut Dei legem, ut Cœli oraculum, ut dogma Chriſtianæ pietatis.

Certè D. Ambroſius ex illo breviter & clarè edixit illud: *Poſſeſſio Eccleſiæ, ſumptus eſt egenorum.* adverſus Symmachū

Ex illo pii Præſulis effato, manavit illud Fulberti Carnotenſis, ut ii qui bona Eccleſiaſtica aut temerè dilapidant, aut luxurioſè prodigunt, aut in conſanguineos divites, atque opulentos effundunt, nominentur, & ſint *fures ſacrorum, & occiſores pauperum*: & quia ii ſunt, ab Iſidoro Peluſiota viro doctiſſimo, & ſanctiſſimo, veluti *ſacrilegii rei puniendi videntur*, ſi minus in hoc ævo mortali; at in altero immortali. Lib 2. ep 44.

Eidem Urbano Pontifici bona Eccleſiaſtica appellantur, *vota fidelium, & pretia peccatorum.*

Vota quidem *Fidelium*, vel quia fideles animæ & Deo vovent, & Deo ex voto reddunt: vel quia unum illud in votis habent ut Dei obſequiis mancipentur & ſacris uſibus, non profanis.

Denique ex ipſa bona ſunt *pretia peccatorum*, iisque apud Deum, & ſuperos redimendis ſerviunt. Ingens omninò eſt peccati debitum, atque ejuſmodi cui ſolvendo, atque exſolvendo, nemo unus omnium nec mortalium, nec immortalium par eſſe poſſit: Deus ſit oportet, qui illi ex æquo ſatisfaciat, & hoc quidem veriſſimum eſt ex ſtricta ac rigoroſa Juſtitiæ Divinæ lege: at ex quadam Supremi Numinis indulgentia etiam verum iſtud, peccato quod incurreris aliqua ratione ſatisfacere te poſſe, ſi bona quæ tibi Deus, vel Eccleſia, pia Mater dederit in ſacros uſus, aut etiam in pauperes erogaris. Et hoc ipſum eſt quod enuntiat oraculum magni Pontificis, cùm ait eſſe *pretia peccatorum*, quibus ſanè uti debent vel maximè qui ſe peccatis ſciunt eſſe obnoxios, adeóque in debitis apud Deum & Superos apud quem nemo non eſt in debitis.

Tertulliano viſa ſunt bona Eccleſiaſtica *depoſita pietatis*. Ea primum in arcula deponi ſolebant atque ex ea depromi, quod & alendis Eccleſiæ miniſtris, & pauperibus ſatis eſſet: ea porro *depoſita pietatis* appellari placuit quia *inde, non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinâ diſpenſantur; ſed egenis alendis, humandiſq́; & pueris, & puellis, re ac parentibus deſtitutis, jamq́; domeſticis ſenibus. Item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in Inſulis vel in cuſtodiis duntaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ ſunt.*

Hactenus Tertullianus gravis morum cenſor, quo judice bona Eccleſiaſtica induunt quodammodo naturam depoſiti, & quidem *pietatis.*

Depoſitum vocatur, & res ipſa, quæ alicui cuſtodienda traditur, & contractus, quo aliquid traditur cuſtodiendum ut integram reſtituatur. lib. 1. ff depoſiti.

Et hæc illius definitio, ex qua liquet etiam iſtud; quod depoſitarius non poſſit uti depoſito, niſi quantum & quomodo placuerit deponenti; ſecus ſi fecerit, furti reus arguetur, arguetur & injuſtitiæ.

Quod depoſito, hoc & bonis Eccleſiaſticis: deponens vel eſt Deus ipſe, vel provida Mater Eccleſia, vel ſi mavelis ipſi Benefactores: depoſitarius eſt beneficiarius, quiſquis is eſt: depoſitum ſunt ii ipſi beneficii proventus, quibus proinde uti non poteſt, niſi ex deponentis voluntate, uti fuſiùs explicabitur Quæſtione 3. Hic ſtylo ſignaſſe ſuffecerit.

QUÆSTIO II.

An Clerici beneficiarii habeant dominium bonorum merè Eccleſiaſticorum, & quorum?

ADjici à me debuit ea particula *merè*, quia Clericis beneficiariis obvenire poſſunt tria bonorum genera, uti advertit Navarrus: *Patrimonialia*, cujuſmodi ſunt quæ hæreditate acquiruntur, donatione, induſtria, aut modo aliquo ſimili, quo & ipſi ſæculares ſibi bona faciunt, & horum habent ſolidum dominium. Quæſt 7. de reditibus monito 1. 19.

2. *Quaſi patrimonialia*, quæ ſcilicet obtinent miniſteriis Clericorum abſque beneficio: ut celebrando, concionando canendo, confeſſiones audiendo, & aliis ejuſmodi, quorum & ipſi ſunt domini.

3. *Merè Eccleſiaſtica*, qualia videlicet ſunt ea, quæ recipiuntur ratione Canonicatus, Decanatus, vel alterius beneficii titulo. Et de eis in præſens eſt quæſtio, in qua ut aliquo rerum tractandarum ordine, luceque procedamus, proventus merè *Eccleſiaſtici* dividendi erunt in duas omninò partes.

Una eſt neceſſaria congruæ ſuſtentationi, altera eidem ſuperflua: de hac, & illa inter Canoniſtas & Theologos ſua lis eſt, atque controverſia, in qua nonnulli adeo rigidi fuere, ut pronuntiarent beneficiarios non dominos; ſed tantum diſpenſatores etiam illius portionis, quæ ad honeſtam ſuſtentationem requiri videtur.

In hanc ſententiam aliquando iviſſe viſus eſt B. Petrus Damianus Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis, qui dicere ſolitus. Se *dominicarum rerum conſti-*

Bollandus in ejus vita 23 Feb. c. 7.

tutum eſſe miniſtrum, non dominum, diſpenſatorem, non poſſeſſorem.

Res dominicas appellat, beneficii fructus omnes, & de illis loquitur ſine diſcrimine.

Ab hac ſententia diſcedunt pleriqne omnes, voluntque beneficiarios in ſolidum eſſe dominos, illius partis, quæ debitæ ſuſtentationi eſt neceſſaria. Et huic ſententiæ favet ratio è natura, & quadam æquitatis lege petita; debetur enim operæ, ac labori ſua merces, illa porro in beneficiariis alia eſſe non poteſt, quàm ea pars fructuum quæ decoræ ſuſtentationi debebatur: Sed difficilis, atque implexa quæſtio relinquitur de iis, quæ illi ſuperflua videntur.

In hac Theologi abeunt in diverſas, pugnanteſque ſententias, quas priuſquam evolvam annotanda pauca ex Navarro, Leſſio, atque aliis. Quod ſicuti juſtum pretium rerum non conſiſtit in indiviſibili: ſed aliquam habet latitudinem (datur enim infimum, medium, & ſummum) ita etiam congrua ſuſtentatio ſuos quoque habet gradus, ideoque ſicuti quivis juſtè poteſt rem vendere ſummo pretio: ita Beneficiarius poteſt inſumere quod ad ſummum congruæ ſuſtentationis eſt neceſſarium: quod ſi ſua parſimonia hæreat in medio, aut etiam infimo, quod ſummo detrahet, poterit de eo diſponere pro ſuo arbitrio.

Exempli gratia infimum honeſtæ ſuſtentationis ſint floreni 500. medium 600. ſummum 700 ſi velit uti infimo & tantum expendere 500. in ſe, ſuamque familiam alendam, poterit 200. recondere, & de iis liberè diſponere, ita Leſſius.

De Juſt. & Jure l. 2. c. 4. dub. 6.

2. Advertendum ſi quis beneficiarius vivat ex bonis ſuis patrimonialibus, vel etiam quaſi patrimonialibus, poteſt tantumdem accipere ex reditibus beneficii, deque eo tanquam de patrimonio liberè diſponere, quia cùm habeat jus accipiendi totam ſuſtentationem neceſſariam ex beneficio, non tenetur vivere ex aliis bonis, adeoque ſi ex illis vivat uti poteſt compenſatione recipiendo tantundem ex beneficio: ſimiliter ſi ex bonis patrimonialibus aliquid expenderit in opera pia, poterit ſumere tantundem ex beneficii proventibus, quos alioqnin in talia opera expendere debuiſſet. ita etiam Navarrus, & Leſſius.

His ita conſtitutis ex ratione, authorumque fide, ſupereſt quæſtio de ea parte fructuum quæ non eſt ulli gradui ſuſtentationis neceſſaria, ne ſummo quidem: ſed planè ſuperflua. v. g. ſi è tuo Canonicatu percipis florenos mille, è quibus 500. omninò ſufficiunt, ita ut quot annis facilè 500. recondas, quæritur an illorum efficiaris dominus, & ita quidem ut non tenearis ex Juſtitiæ Lege in opera pia, aut eleēmoſynas impendere. Duæ ſunt, eæque celebres ſententiæ.

Una eſt Navarri, qui omni rationum pondere, ac momentis conatur iſtud evincere, Beneficiarios illius portionis non eſſe dominos: ſed dumtaxat diſpenſatores; & ita quidem ut ex Juſtitia teneantur reſtituere, ſi in alios uſus expenderint, quàm in opera pia.

Navarrum ſecuti Theologi, & Canoniſtæ quamplurimi. Alexander Halenſis 3. p. Quæſt. 36. num. 5. art. 2. Richardus in 4. diſt. 45. Quæſt. 1. Henricus Quodlib. 8. verſ. 27. Gabriel in 4. d. 15. Q. 8. art. 2. Paludanus diſt. 24. Q. 3. Thomas Waldenſis Tom. 1. l. 4. c. 42. Petrus Soto. p. 2. Lect. 3. ubi etiam effert illud:

Primò omnium conſtat ex decurſu totius Eccleſiæ ab Apoſtolis, & ipſo jure divino, bona omnium Eccleſiarum cùm Chriſti ſint, meritò etiam pauperum eſſe, nec ulla ratione, aut poteſtate humana fieri poſſe, ut licitè in alios uſus, quàm Eccleſiaſticos, & pauperum expendi poſſint.

Hæc ille, qui pro coronide, adjicit & iſtud. *Contrarium credimus errorem eſſe graviſſimum:*

Huic opinioni opponitur altera, quæ cenſet Beneficiarios eſſe dominos omnium omninò proventuum, quos ex beneficiis percipiunt, adeoque etiam illius portionis quæ dicitur & eſt ſuperflua. Sotus. l. 10. de Juſtit. Q. 4. art. 3. & 4. Adrianus in 4. Tract. de reſtit. Couvarruvias in Cap. cum in officiis. Leſſius de Juſt. & Jure l. 2. c. 4. dub. 6. & horum Authorum opinio procedit poſt erecta beneficia, aſſignataque ſingulis ſua portione: ſecùs enim erat cum Clerici viverent in communi.

Hanc ſententiam probat Leſſius primò ex Canonibus, qui eam confirmare videntur, nam capite unico de Clerico non reſidente, in 6. dicitur.

Qui divinis officiis non interſunt (niſi infirmitas, ſeu juſta & rationabilis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas reluceat) non ſunt domini quotidianarum diſtributionum, neque faciunt eas ſuas, ſed ad reſtitutionem ſic receptorum obligantur.

Supponunt igitur alios, qui interſunt fieri dominos: quod ſi illi ſiunt domini quotidianarum diſtributionum, cur non & aliorum proventuum? cùm omnes dentur propter officium cui vacant vel publicè, vel privatim.

Accedit tacitus quidam ſenſus Eccleſiæ, quæ non obligat beneficiarios ad reſtitutionem partis ſuperfluæ, ſi fortè eam in alios uſus expenderint, quàm in opera pia, quod tamen facere deberet, ſi cenſeret illius portionis non eſſe dominos, ſed tantùm diſpenſatores. Adjici poteſt & alia ratio illi affinis, quæ eſt ejuſmodi, quod Eccleſia non reſcindat contractus, vel donationes, quibus beneficiarii fructus redundantes vel alienant, vel in res profanas ac vanas expendunt, quod tamen præſtare deberet ſi crederet eos ſtricto jure, aut pauperibus deberi, aut piis uſibus: hanc enim providentiam, & curam tum pauperibus, tum ſacris cauſis debet, ut ſi quid ex Juſtitiæ Lege eis debitum ſit, curet omninò dari, & debitores ſi opus ſit, compellat: at illud non facit. Putat igitur illius partis etiam ſuperfluæ eſſe dominos.

Verùm ut ita ſit ex plurium Theologorum opinione: at etiam ex eorumdem ſenſu veriſſimum illud, atque indubitatum. Primò Navarri ſententiam eſſe valdè probabilem, & ſacris Canonibus, ac rationi conſentaneam.

Secundò mortaliter peccare beneficiarios ſi expendant portionem illam redundantem vel in uſus profanos, vel etiam in ditandos amicos. Probatur illud ex ſeveriore Eccleſiæ præcepto, quod extulit Concilium Tridentinum. ſeſſ. 25. c. 1. de reformatione in hæc omninò verba. Ubi ſic de Epiſcopis.

Omninò interdicit ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiarèſve ſuos augere ſtudeant: cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, eis ut pauperibus diſtribuant.

Quod præceptum extendi vult ad omnes beneficiarios nullo inter eos diſcrimine: ſic enim infra.

Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque Eccleſiaſtica beneficia tam regularia, quàm ſæcularia obtinentibus pro gradu ſuæ conditionis obſervari: ſed etiam ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit.

Hactenus Concilium Tridentinum, quod cum injicit illa verba. *Omninò interdicit*, apertè ſtrictum præceptum oſtendit, quod certè obligat ſub peccato mortali, quia, ut ſupponitur eſt in materia gravi.

Quod ſi mihi dixeris Clericos beneficiarios de proventibus ſuorum beneficiorum teſtari poſſe etiam in ſuos conſanguineos.

Reſpondeo ita eſt, teſtari poſſe de proventibus beneficiorum, quos congruæ ſuſtentationi ſubtraxerunt; non tamen de illis, quæ eidem ſuperant: de illis enim, ſi jus ſcriptum ſpectemus, teſtari nequeunt, ne quidem ad pias cauſas: ex conſuetudine tamen

tamen multis in locis recepta, poſſunt de his teſtamenti tabulas condere in opera pia; non tamen in conſanguineos divites, iiſque minimè indigentes, id enim ſi fecerint, (etſi ea diſpoſitio ex multorum Theologorum ſenſu ſit valida: eſt tamen omnino illicita) & qui eam inierint ex veriore Theologorum ſententia, peccant mortàliter, ita Leſſius de Juſtitia,& Jure, lib. 2. c. 19. de Teſtamentis, & Legatis dub. 4. ubi & adjicit, mirum iſtud videri in quibuſdam Eccleſiaſticis tantam eſſe ſalutis ſuæ incuriam, & futurorum ſecuritatem, ut etiamſi mox ad Chriſti tribunal rapiendi ſint, ea tamen negligant, quibus facilè ſalutem conſequi poſſent, & inſuper rem adeò periculoſam, ut amicos ſuos locupletent, audeant attentare.

Verùm, inquit, *hæc eſt hujus ſæculi faſcinatio, & Principis hujus mundi corda mortalium excæcantis, poteſtas*; cui bona Crucifixi animæque pretium, & ſalutem committere næ profectò temerarium eſt. Plura qui volet conſulat Theologos, & Canoniſtas, ego enim hic ſtudeo compendio, & rerum, & verborum.

QUÆSTIO III.

Quis eſſe debeat bonorum Eccleſiaſticorum uſus?

ILluſtre, ac pium illud D. Auguſtini effatum: *Dives propter pauperem factus eſt, & pauper propter divitem. Pauperis eſt orare, & divitis erogare: Dei eſt pro parvis magna penſare.*

Serm. 25. de divite, & Lazaro.

Quod ſi dives propter pauperem factus eſt, certè ei pauperis incumbit cura, incumbit & onus eum quà licet ſublevandi: quod ſi id excuſſerit, næ Deo judice reus eſt, næ timendæ irati cœli minæ, inquit Salvianus, non propter homicidia, non propter fornicationes, non ob ſacrilegas impietates, aut alia poſtrema vitia lætali gladio animas, & perenni occiſione jugulantia; ſed propter ſolas tantummodo opes, propter inſanam cupiditatem, propter auri, atque argenti famem. Hæc enim ad æternam damnationem ſufficiunt, etſi reatus alii non fuiſſent: unde inquit ille ipſe S. Præſul de tali divite agens: Non dicitur diviti, torquendus es quia homicida, non torquendus es, quia fornicator: ſed torquendus tantummodo, quia dives, hoc eſt, quia divitiis malè uteris, quia datas tibi ad opus ſanctum divitias, non intelligis.

ad Eccle- [illegible] l. 1.

Quod ſi id dicitur diviti, qui vel à genere, clariſque natalibus, vel à fortunæ conniventia, & favore, vel etiam ab induſtria, & labore ſuo is evaſit; ſi, inquam illi hoc dicitur, quia divitiis uſus eſt malè: quanto magis iis omnibus, qui Eccleſiæ ſacris initiati, aut multis opimiſque beneficiis graves: nam & hi præcipuè propter pauperem facti ſunt divites, & , ſi divitiis utantur malè, & ſi datas ad opus ſanctum, & pium, detorqueant in profanos uſus, profectò vel hoc ipſo ſolo rei tenentur: & hoc ſanè liquet vel ipſo Eccleſiæ ſenſu, vel ſanctorum Patrum judiciis, vel ſacrorum Canonum oraculis, quæ ab Apoſtolis ad nos uſque devenerunt, vel denique ipſis Apoſtolorum exemplis, ad quos cùm propè immenſi pecuniarum acervi deferrentur, atque abjicerentur ad pedes, non ſeſe dominos putabant, luculentæ gazæ, ac theſaurorum affluentium; ſed timidos, atque ſollicitos in domo Dei diſpenſatores: diſpenſatores, inquam, vel in uſus pios, vel in pauperes.

Ex hac perſuaſione hauſta jam inde ab ipſis Eccleſiæ cunis, manavit in poſteros illud ut Eccleſiaſtici, ſacrorumque præſides teſte D. Chryſoſtomo, non tam domini audierint, quàm œconomi, & apud Juſtinum Martyrem, veteris ævi ſcriptorem, Antiſtes uniuſcujuſque Eccleſiæ appellaretur *indigentium omnium curator*; quaſi tantum eſſet alienæ rei, non ſuæ adminiſtrator; quod hic paucis oſtendere, noſtræ erit curæ ac laboris, &

Primò quidem ex canonibus antiquioribus qui juſſerunt fructus redituum Eccleſiaſticorum dividi in quatuor partes, & unam tribui Epiſcopo alteram Clericis, tertiam fabricæ, quartam pauperibus,

Ita habemus Canone de *Reditibus* qui eſt ſimplicii. Et Canone *vobis*, Canone *conceſſo*, & Canone *Quatuor* qui ſunt Gelaſii Pont. & Canone *cognovimus*, & Canooe *mos eſt*, qui ſunt Gregorii primi.

Et hæc fuit primis illis ſæculis bonorum Eccleſiaſticorum diviſio, quæ & obſervata, cùm Clerici in communi viverent; tum enim ea portio fructuum quæ Epiſcopo, Clericis, & fabricæ non erat neceſſaria, diſtribneretur in pauperes, cui ordinationi Eccleſiæ derogatum non voluit, neque per erectionem beneficiorum, neque per hoc quod ſingulis ſuæ partis adminiſtrationem permiſerit; ſed potius voluit ei per ſingulos pro cujuſque facultate ſatisfieri, unde iis in locis ubi pauperibus ſua quarta pars non eſt aſſignata, ſed permixta cæteris, ſua cuique beneficiario incumbit cura, ſuumque onus, ut ſaltem quod honeſtæ ſuſtentationi ſuperfluum eſt, vel erogetur in pias cauſas, vel in egenos diſtribuatur: hoc enim videtur ſpectare ad quartam illam partem, quæ ex Sacris Canonibus erat pauperibus aſſignata, nec omninò ſublata, per illam bonorum diviſionem, & beneficiorum erectionem.

Ad ſacros illos Canones, Summorum Pontificum oracula, accedunt ſanctorum placita, & luculenta teſtimonia, quæ bona Eccleſiaſtica aliis atque aliis appellationibus, ceu totidem caracteribus, notant, exprimuntque quis eorum ex vero debeat uſus eſſe. Ea paucis attigi quæſtione prima, ut deinde facilius & plenius in hac ipſa diſceptatione conficerem in Chriſtiana Logica, quomodo ea impendi neceſſe ſit, ot quod verbo dicitur, re etiam ipſa exprimatur, & quidem ex hoc.

Primò quod proventus illi qui ex beneficio relinquuntur, dicantur *fructus beneficiarii*, non ſine omine bono; ut enim fructus enaſci ſolent ex herbeſcenti viriditate, ac floribus; ita & proventus illi ex officio, in quo debet eſſe ſua bonæ ſpei viriditas, ſui, Religionis, Spei; Charitatis, aliarumque virtutum floſculi, à quibus ad animum fructus tranſeat ubertimus.

Secundò appellabantur, *depoſita pietatis*, cenſebant nimirum primi illi Chriſtiani, Duces, Principes, Reges, Cæſares, Coronata Capita, quæ ad illam beneficentiam invitabantur divinis oraculis, cenſebant, inquam, ſuas opes, & gazas regias benè, ac piè deponi in manibus Clericorum ad ſanos uſus, ad egenorum opem, ac ſtipem melius, & caſtius per Clericorum manus erogandam; & hinc altiore Tertulliani ſtylo dici placuit *depoſita pietatis*, ut dum in oculos incurrerent eæ voculæ; ſimul etiam in animum veniret, quia ex Fundatorum intentione, ac beneplacito, eſſe deberet eorum uſus.

Tertiò eadem Eccleſiaſtica bona nominata ab Urbano hujus nominis I. Pont. Max. *Vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.*

Vota quidem *fidelium* quod iis explicarent animi ſenſus, deſideria panderent, & unà cùm ſacra illa, Regiaque munificentia, vota, preceſque pro ſalute, & incolumitate ſua in Cœlos emitterent, emittique deinde à Clericis vellent, ut ſi quæ fortè contractæ eſſent labes, ſi quæ maculæ peccatorum, eæ omnes attributo Eccleſiæ cenſu, ampliſſimiſque poſſeſſionibus, eluerentur; & hinc eas etiam nominare placuit, *pretia peccatorum*, quod iis quodammodo peccata redimerent, Lytrumque ſupremo Judici Deo, etiam vivi, ac ſpirantes penderent.

Adjicit deinde pius Pont. eadem Eccleſiæ bona eſſe *patrimonia pauperum*. Et certè ea eſſe docuit

ipſa conſuetudo Romæ uſurpata ſub Cornelio ſummo Pont. Sub quo *mille quingenti* pauperes alebantur Eccleſiæ ſumptibus, è quibus deinde reliqui cedebant Clero, & Clericis, qui eò loci ac temporis dicti ſunt, cœnonici, id eſt in communi viventes. ita Euſebius. *Lib. 6. c. 35.*

Et quia horum memini, non poſſum non attexere hîc ea, quæ D. Bernardus in ſuis declamationibus ſermone in illud Evangelii: *Ecce nos reliquimus omnia*; cùm explicat iſta D. Pauli ad Corinthios: *1. Cor. c. 9. v. 13. 14.* *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt; & qui altari deſerviunt cum altari participant: ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere:* cùm, inquam ea exponit, addit primò. Dignus planè eſt operarius mercede ſua, ut qui altari ſervit, de altari vivat.

De altari, inquit, vivat, non ſuperbiat, non luxurietur, denique non ditetur. Non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, & ſuperfluitate diſpergat, non extollat de facultatibus Eccleſiæ, conſanguineos ſuos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum, non pauperibus dare par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur. Sanè patrimonia pauperum, facultates Eccleſiarum, & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non utique domini, vel poſſeſſores, ultra victum accipiunt & veſtitum.

Hactenus S. Præſul, qui hæc olim ad ſuos in terris; modo etiam è Cœlis ad nos, & Clerum univerſum, quibus non abſimilia & ſcribit ad fulconem adoleſcentem, Religionis olim ſuæ candidatum, & clauſtri amantiorem, deinde Archidiaconum Lingonenſem, quem ad prima conſilia revocare, atque à ſæculo avocare conatur, quod ut efficiat, ſic ad illum.

Quid facis in urbe, qui clauſtrum elegeras? quid tibi cum ſæculo, qui ſæculum ſpreveras? funes ceciderunt tibi in præclaris, & tu opibus inhias terrenis? ſi vis habere ſimul hæc, & illa, breviter tibi reſpondebitur, Memento fili, quia recepiſti bona in vita tua. Recepiſti dixit, non rapuiſti, ne etiam de hoc tibi fruſtra blandiaris, quod tuis contentus, aliena non rapias.

Hæc ubi dixit, tum ex illo quærit. Verumtamen quæ ſunt illa tua? Beneficia Eccleſiæ? Rectè, quia ſurgis ad vigilias, vadis ad miſſas, horis chorum nocturnis, diurniſque frequentas.

Bene facis. Si Eccleſiæ præbendam gratis non accipis. Dignum eſt, ut qui altari deſervit, de altari vivat, conceditur ergo tibi, ut ſi bene deſeruis, de altari vivas, non autem ut de altari luxurieris, ut de altari ſuperbias, ut inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia griſeaque pellicea à collo, & manibus ornatu purpureo diverſificata. Ubi iſta ad illum, tum ad extremum conficit illud.

Quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Rapina eſt, inquit, quia pauperum erat, quod tibi ſuperfluum: ſacrilegium eſt, quia ereptum de patrimonio Crucifixi, & hæc D. Bernardus adhuc ſpirans in ſcriptis, quibus non abſimilia dixit aliquando in concione, quam in Synodo habuit ad Paſtores, ad quos ſic ſtylo aculeato.

De patrimonio Crucis Chriſti, non facitis codices in Eccleſia; ſed paſcitis pellices in thalamis veſtris, impinguatis canes, adornatis equos phalarantes pectora.

Hæc S. Præſul, cui nihil additum velim, detractum omnino nihil, neque etiam velis Amice Lector.

Sed hactenus verbis pugnatum ſatis, pugnemus etiam exemplis eorum, qui de ſuperfluo pauperibus fecerunt quàm optimè.

Ex his memoriæ antiquioris erit B. Gallus; recentioris verò S. Carolus Borromæus, & S. Thomas à Villa-nova noſtra hac ætate ſanctis additi, quibus accedet Bellarminus à Purpura & ſcriptis notus.

De B. Gallo iſta memorant illius ævi ſcriptores: Rem pauperum adeo ſedulò curabat, ut è cenſibus beneficiorum ſuorum, non ſuperflua tantum, ſed & ſibi neceſſaria, effunderet cùm ea exegiſſet neceſſitas, cumque unus aliquis eum hujuſce prodigalitatis arguiſſet, lepidè reſpondit. Meus præceptor Columbanus æneo calice ſacrificavit, Chriſtus in Cruce ferreum ſuo ſacrificio adhibuit (ſiquidem clavis ſuum ſanguinem propinavit) quidni igitur & ego vel æneo vel ferreo ſacrificem, ſi aurea vaſa, caliceſque extrema pauperum neceſſitas exegerit. Hæc ille, quibus non inferiora ſecuti S. Carolus Borromæus, & S. Thomas à Villa-nova.

De illo ſic vitæ ſcriptor, quod Abbatia ſatis pingui inſignitus, patrem ſerio monuerit, ne reditus illius in rem familiarem converterentur, quorum ipſe nactus adminiſtrationem, quidquid ſupererat, expendebat in pauperes. Et hæc quidem clericali militiæ recens aſcriptus, majora à Pio IV. Pont. Max. Avunculo ſuo, Archiepiſcopali dignitate, & Purpura donatus: in hac enim Vritano Principatu vendito pretium univerſum ad quadraginta aureorum millia, uno die in pauperes erogavit, atque inſuper viginti millia, quæ ſibi fuerant legata; tum etiam Eccleſiaſticos proventus, quibus ab Avunculo copiosè fuerat cumulatus, dimiſit, nonnullis retentis, quibus ad proprios uſus, & egenorum neceſſitates utebatur: hæ enim illi erant in primis curis.

Nec minora in infula, Pedoque præſtitit S. Thomas à Villa-nova: hic enim inexplebili quadam in egenos charitate, amplus Eccleſiæ ſuæ Valentinæ proventus in pauperes diſpertiebat, ne lectulo quidem ſibi relicto etiam in extrema ægritudine, in qua etiam commodatum habere voluit ab eo, cui paulo ante eleëmoſinæ loco donaverat, adeo in egenos effuſus, & ferè prodigus.

His non abſimilia fecit Cardinalis Bellarminus, notus à calamo, notior à virtute: cùm eſſet Capuæ Archiepiſcopus, omnes familias alieno ære merſas, aut à re domeſtica deſtitutas in album redigi juſſit, ſibique exhiberi, ut harum ipſe ſubſidium eſſet unicum, eumque ſua voluntate deſiiſſet ibidem eſſe Archipræſul, cenſuſque annuus ad ſex aureorum millia redactus eſſet, aureos bis mille in pauperum penu diſtribuit, præter ea, quæ clanculum ipſe & ſua manu largiebatur, œconomo ſuo illud ſæpiùs inculcans: *Colligite quæ ſuperaverant fragmenta, ne pereant.* *In ejus vita, l. 2. c. 1.*

Et verò colligebat ipſe ſedulus, & ſi forrè deeſſent illa, de neceſſariis providebat.

Unus aliquis civium egenorum duodecim aureos petiit. & quia præſens peculium non ſuppetebat, confeſtim annulum ex digito detractum ei dedit, adjecta ſyngrapha, ut eum ſuo nomine oppigneraret.

Alteri cuipiam argenteum ſuum atramentariolum, cùm Loculi non reſponderent, itidem oppignerandum tradidit.

Imò Capuæ cùm adhuc eſſet, injunxit œconomo, ut rhedam ipſam cum equis venderet, ne deeſſet unde egenis ſubveniret.

Ecce ut Domini bona, res Dei, & patrimonium Crucifixi adminiſtravit fidelis diſpenſator, uti & alii magni Præſules in pias fundationes effuſi, quos in præſens omitto, quia eos loquuntur & prædicant omnia propè hiſtoriarum monumenta, quibuſvis ferè obvia.

Unum pro coronide ſubjiciam: effatum ſcilicet S. Præſulis, & Doctoris Ambroſii, dignum quod ceris melioribus, imò & omnium Eccleſiaſticorum animis inſcribatur. Eorum verò maximè, qui de

proventi-

proventibus ſuorum beneficiorum, vel in amicos & conſanguineos nimis benefici, & de ſuperfluis etiam in eos profuſi. Eſt autem illud ejuſmodi:

Magna genus dementiæ, aliis feciſſe beneficium, & ſibi ſervaſſe ſupplicium.

Supplicium dico, vel in ignibus expurgatoriis, vel quod deplorandum quàm maximè, in ipſis inferorum incendiis, tanta quanta eſt, æternitate, in qua ibunt in gemitus, ibunt in lacrymas nullo ſiccandas ævo, ibunt & in querelas, quòd in alios benefici, & prodigi, in ſeipſos parci, & ſordidi, in alios ſuaves & blandi, in ſeipſos duri ac crudeles: quidni enim crudeles dixero, vel ex eo tantùm quod aliis fecerint beneficium, & ſibi ſervarint ſupplicium, quod magnæ genus dementiæ, atque inſuper crudelitatis in ſeipſum longè maximæ.

Ne porro tam hujus, quàm illius reus aliquando tenearis, audi bene monentem Salvianum Epiſcopum Maſſilienſem, virum omninò magnum. Urget ille divitem, urget & Eccleſiaſticum, ut ſi minus in vita, ſaltem in morte de ſubſtantia ſua ſibi ſalutem pariat, ac beatitatem. Sic enim inquit:

Eſto divitias, eſto copias tuas uſque ad finem vitæ iſtius habeas, dummodo ſaltem in fine tibi conferas. Eſto rebus, ac facultatibus tuis in vita hac uti velis, dummodo tui, vel moriens, non oblivisſcaris, & ad ejus cultum, atque honorem referendam tibi ſubſtantiam tuam memineris, cujus te munere accepiſſe cognoſcis. Humanum eſto, quod ab omnibus vobis, ô divites, petitur, ac delitioſum: ſi impetrari ab uno quoque veſtrum non poteſt, ut eſſe in hoc ſæculo pauper velit, præſtet ſibi ſaltem ne in æternitate mendicet. Hæc ille, qui ſupra etiam iſta extulit, & divitum Eccleſiaſticorum oculis, animisque ſubjecta eſſe voluit.

Si opes non damus ob peccatorum redemptionem, demus ſaltem ad emendam beatitudinem; ſi non damus ne damnemur, debemus ſaltem, ut muneremur; etſi enim pœna non ſit, quæ timeatur, eſt tamen regnum quod ambiatur. Hactenus ſanctus Præſul, quo cum finio.

APPENDIX.

RATIO CONDENDI TESTAMENTI, ET INSTITUENDI HÆREDES

Ex Salviano, Epiſcopo Maſſilienſi, Viro à Doctrina ſingulari, ab Eloquentia nervoſa, & vita ſanctitate inter Antiquiores illuſtri.

Vidimus hactenus quàm malè ſibi, ſalutique ſuæ conſulant beneficiarii, qui de portione proventuum Eccleſiaſticorum etiam ſuperflua honeſtæ ſuſtentationi, amicos, aut conſanguineos hæredes faciunt: attendamus quomodo ſubinde parentes, aut filios hæredes non benè ſcribant, aut etiam exhæredes faciant, vel eo ſolo nomine, quod aliqui religioni, Deique in ea obſequio ſeſe mancipaverint, quod priuſquam aggrediar è Salviano ſpectemus, quæ ratio condendi Teſtamenti: ex illo hæc eſt ut quiſquis ultimas teſtamenti tabulas condit, *ſuos ipſe divinis amoris ſpiritu amet*, & tantum ſibi immortalis lucri, & beatorum fructuum paret in cœlis, quantum reliquit in terris, quod faciet dum pignoribus ſuis præſtans, Domino ſuo fœneret, & hoc ipſo quod ſuis liberalitatem tribuit temporariam, ſibi mercedem pariat ſempiternam.

Ad Eccleſiâ Cath. l. 3

Contra quod peccant ii vel maximè, qui in ultima vitæ periodo de aliis plus cogitant, quàm de ſeipſis: quod ſic deplorat Salvianus. illum audiamus:

In una re, inquit, eſt quod pro hominum inſipientia lugeamus, ullum omninò inveniri, aut eſſe poſſe, qui de curſu infœlicis vitæ iſtius (brevi ſpatio in ipſa æternitate jam pendens) iturus illico ad tribunal Dei, quicquam aliud cogitet præter finem ſuum, quicquam aliud præter exitum ſuum, quicquam aliud præter periculum ſuum, ut neglecta ſpe ſua, atque anima, cui opitulari aliquatenus vel in ultimis ſuis omni niſu, omni re, ac ſubſtantia ſua debeat, hoc ſolum cogitet, hoc ſolum animo ſuo volvat, quàm lautè hæres ſuus res ſuas comedat. Hæc ubi dixit pius Præſul, tum illum ſic compellat.

Miſerrime omnium, quid ſollicitus es? Quid æſtimas? Quid authorem te ipſo rerum periturarum facis? An times fortè, ne deſint qui te mortuo, quod dereliqueris vorent? Nolo metuas, nolo vereâris, utinam tam facilè tu ſalvus eſſes, quàm tua omnia deperibunt. O infidelitas! ô perverſitas! etiam vulgo dictum eſt, omnes ſibi melius velle, quàm alteri. Novum hoc monſtri genus eſt, cuilibet quemquam velle conſulere, tantum ne ſibi.

Ecce iturus es (infœliciſſime omnium) ad examen ſacrum, ad tremendum illud, intolerandumque judicium, ubi peregrinanti animæ, atque anxiæ nullum poteſt omnino eſſe ſolatium; niſi tantummodo bona conſcientia, niſi ſola tantum innocens vita, aut quod proximum eſt, bonæ vitæ miſericordia. Ubi reo homini nullum eſt adjutorium, niſi ſola mens larga, niſi pœnitentia fructuoſa, & eleëmoſynæ copioſæ. Ubi denique pro diverſitate meritorum aut ſummum bonum invenies, aut ſummum malum, aut immortale præmium, aut ſine fine tormentum.

Hæc ubi extulit de alterius ævi, vitæque bonis, aut malis; tum ad divitem ita convertitur.

Et tu de locupletandis quibuſcumque hæredibus tuis cogitas, de opibus agnatorum tuorum, cognatorumque ſuſpiras, quem potiſſimum inter cæteros ditiorẽ patrimonio tuo facias, cui ſuppellectilia variæ ornamenta tranſcribas; cujus apothecas copiis tuis repleas, cui majorem ſervorum numerum derelinquas: infœliciſſime omnium, cogitas quam benè alii poſt te vivant, non cogitas quam malè ipſe moriaris? Dic mihi quæſo, ô miſer! ô infidelis! cùm multis patrimonium tuum dividas, cùm multos facultatibus tuis dites, nunquid de ſolo te es tam malè meritus, ut tibi nec inter extraneos locum facias hæredis?

Ecce expectat te jam egreſſurum de vita iſta officium tribunalis ſacri, expectant tortores Angeli, & immortalium tormentorum terribiles miniſtri; & tu futuras poſt te hæredum mundialium voluptates animo volutas? Tu delicias aliorum mente pertractas? Quàm benè ſcilicet poſt te hæres tuus de tuo prandeat, quibus copiis ventrem expleat, quomodo uſque ad nauſeam redundantem, viſcera exaturata diſtendat: infœliciſſime omnium, quid tibi eſt cum his næniis? Quid tibi cum his deliramentis? quid cum ſtultitia hujus erroris? Quid cum perditione iſtius vanitatis? Nunquid ſuccurrere hoc tibi inter ſupplicia ſumma poterit, ſi is, qui res tuas prodigè comedit, lautus, & pranſus benè eructarit? Aut etiam, ut tibi qui devoranda tua omnia tradidiſti, redundanti cruditate plus præſtet ſi benè vomuerit?

Hactenus forti, & maſcula eloquentia Præſul Maſſilienſis, quem utinam & auribus, & animis experirent, hujus ævi Locupletes de hæredibus ſuis malè ſolliciti, de ſe verò, ſaluteque ſua quàm peſſimè: quod ne verbis ſolum jactari videatur, in medium adducit divitem Epulonem, & illius exemplo pugnat, impugnatque divites hujus mundi: ſic enim inquit.

Dives ille in Evangelio, qui purpura induebatur, & byſſo, abſque dubio qui locuples in hoc ſæculo ipſe fuerat, etiam hæredes ſuos morte ditarat; ſed nequaquam hoc ei proderat, quod opibus, ac talentis ejus germani divites incubabant, & ille guttam refrigerii impetrare non poterat: illi erant in abundan-

abundantia: ſed ille in egeſtate: illi in gratulatione: ſed ille in dolore: illi in divitiis, ſed ille in tormentis: illi fortaſſe jugiter in luxuria, ſed ille ſemper in flamma. O infelix, & miſeranda conditio: bonis ſuis aliis præparat beatitudinem, ſibi afflictionem; aliis gaudia, ſibi lacrymas: aliis voluptatem brevem, ſibi ignem perennem. Ubi erant tunc affines? Ubi propingui? Vel filii, ſi habuerat, vel germani quorum meminerat, & quos certè tanto amore dilexerat, ut eorum ne in ſupplicio quidem poſitus obliviſceretur? Quid ei proderant? Quid ſuffragabantur? Torquebatur infœlix, & opes ſuas aliis devorantibus, ille refrigerii guttam ardens petebat, & impetrare non poterat? Et hoc, ſi quid addi ad pœnam poteſt, per illum ſibi tribui poſtulabat, quem aliquando contempſerat, per illum, qui pure, ac ſanie computruerat, per illum cujus fœtorem, ac ſquallorem longè refugerat, qui membrorum ſuorum ulceribus canes paverat, quem ſcatentes vermium globi etiam intra receſſus pereſi corporis exararant. O gravis nimium, & lugenda conditio. Pauper beatitudinem emit mendicitate, dives ſupplicium facultate; pauper cum penitus nil haberet, emit æternas delitias egeſtate. O quanto has facilius tam multa rerum poſſeſſione dives potuerat comparare.

Hactenus de divite Epulone Salvianus, qui deinde omnes alios ad id ſpectaculi ſic evocat.

Hæc ergo divites cogitent, qui redimere facultatibus ſuis nolunt, ne iſta patiantur. Sed ne longius, tranſeo ad aliud genus divitum, ad parentes, qui filios ſuos (quos ſuperſtites, & mundo addictos relinquunt) ex ſſe hæredes volunt, alios verò, qui religioni nomen dederunt, exhæredes deſerunt, & pattimonio, bonorumque portione (quam aliàs natura, ſanguiſque dederant) injuſtè privant, ad eos venio, alloquorque mutuata ejuſdem ſancti Præſulis eloquentia, qua tantum ſcelus, tantamque immanitatem: imò & impietatem ſic deplorat.

Nunc, inquit, impiiſſimè, nullis omninò à ſuis relinquitur, quàm quibus ob Dei reverentiam plus minus debetur: nullos pietas minus reſpicit, quàm quos præcipuè religio commendat, denique ſi qui à parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis poſtponuntur oblati, indigni judicantur hæreditate, qui digni fuerant conſecratione: ac per hoc una tantum re viles fiunt, quia cœperunt Deo eſſe pretioſi.

Hæc ubi protulit magnus Præſul, tum ad parentem ſtylum vertit, & ſic eum compellat Quid tantum (quæſo) ſceleris in titulo eſſe religionis putas, ut ideo eos, qui religioſi ſunt Deo, filios tuos eſſe non credas, quia filii Dei eſſe cœperunt? In quo tibi hoc tam bonæ voluntatis quaſi piaculo rei facti ſunt, ut idcirco eos putes habendos eſſe pejores, quia optant eſſe meliores? Sed dicitur, non eo à vobis animo hoc agi; quod idem eſt, ac ſi quiſpiam dicat, malas res bono animo fieri, & impietatis facinus pia mente committi. Quid prodeſt? ô inhumaniſſimi parentes) quod filios religioſos bono à vobis dehonorari animo adſeratis? res ipſa hoc reſpuit, res refellit. Parum eſt quod nudis adſertionibus dicitis, ipſis actibus veſtris contra vos teſtes eſtis: indignum enim arbitramini, ut ſancta, ac placita Deo pignora, filiis mundo ſervientibus comparentur, nec comparentur modo: ſed & poſtponantur. Dum enim hos donas ampla hæreditate, & eadem illos privas, quid aliud moliris quàm ut præponantur hi, & poſtponantur illi: quod quam à ratione, à Deo, imo & natura alienum ſit, nemo non videt. Ecquid enim, ut iterum mutuata tanti Præſulis eloquentia te alloquar, nunquid ſic in diverſum aguntur omnia? Præponuntur enim puris inviolatiſque còmaculati, præponuntur fidelibus impii, præponuntur lumini tenebræ, præponitur vita morti, præponitur terra cœlo, præponitur mundus Deo, & evaſuros ſe hujuſmodi parentes vel in hoc ſolo judicium Dei æſtimant, qui cum Deo, & dignitatem judicii ſui indignitate conculcant.

Et hæc Salvianus, quem utinam audirent inhumaniſſimi illi parentes, & æqua rationis æternæ lance expenderent, non ad fallacem mundi trutinam; ſed Dei; non ad hujus temporis uſuram; ſed ad momentum interminabilis æternitatis.

FINIS.

JACOBI

PH 1165 K3

R. P.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

VIA VITÆ AC MORTIS

TRIBUS LIBRIS EXPLICATA.

ADMODVM REVERENDO PATRI

AC DOMINO,

D. GERARDO SANY

IN D. LAVRENTII COENOBIO

LONGE CELEBERRIMO

ABBATI DIGNISSIMO,

PATRONO SVO AC MÆCENATI

SALVTEM AC FELICITATEM.

DIXIT olim ex Antiquis nonnemo, Libros eſſe Liberos, quòd illi cum his in plerìſque convenire poſſe viderentur. Vbi menſibus omninò novem uterum geſtavit mater, ex eo fœtus jam maturus elabitur, non tamen ſine dolore magnìſque anguſtiis; quarum memoriam illicò detergit vel unus prolis aſpectus, cui ut ſit quàm optimè, datur etiam ſuſceptor ac patrinus, qui infirmam ac nutantem ſuâ firmet auctoritate, & conſtanti curâ tueatur ac protegat. Vt cum Liberis, ita cum Libris: concipiuntur illi mente, doctáque intelligentiâ ceu utero, & circumferuntur non ad menſes, ſed quandoque ad annos; nec in lucem emittuntur ſine difficultate, nec eam abſque injuriâ facilè tolerant ſine Patrono ac Mæcenate: De quo cùm cœpi cogitare, in oculos animumque veniſti, ADMODVM REVERENDE PATER ac DOMINE. Quis enim potiùs? Ab OTGERO Antiſtite piæ memoriæ. Te in LAVRENTII cœnobio longè celeberrimo Præſulem ſpectavit amavitque LEGIA, & communi voto plauſúque excepit, futurum, uti ſperamus, OTGERVM alterum quà Vigilantiâ, quà Pietate, quà *Numinis ope*, quà etiam in litteras politiores, earumque amantes beneficentia, quam ipſe annis

jam aliquot expertus, hunc libellum, velut aliquem animi mei fœtum in præſentia offerendum putavi, ut eſſes illi, quod proli recens in lucem editæ, ſuſceptor ac Patrinus.

Vt cum Te mihi adoptarem ſuaſit imprimis ea Præſulis dignitas, ad quam ſuavi Dei Providentiâ es evectus: tum etiam ſingularis in minimam IESV Societatem benevolentia: tum denique vel maximè decus illud ac gloria Cœnobii tui, cujus fundamenta poſuit ERACLIVS Eburonum Epiſcopus; conſervavit NOTGERVS, & mirum quantum auxit S. VVOLBODO, ac deinde etiam DVRANDVS, qui Infula Pedoque Leodienſis Eccleſiæ donatus, primùm facultatibus Monaſterii inhiare cœpit, ac deinde facti pœnitens, eas de ſuo plurimum auxit: tum etiam B. REGINARDVS Leodienſis Epiſcopus è Bavariæ Ducibus oriundus.

Et hi Cœnobii veſtri auctores ac parentes extitêre, non ſine peculiari Superûm gratia, quæ magnos illos heróas vobis addictos eſſe voluit, ut eſſent à quibus exempla morum, eximiæque ſanctitatis documenta, peteretis, quæ deinde etiam obtulerunt Abbates optimi. Primùm S. POPPO Stabuleto accitus, & B. STEPHANVS Virduno cum ſex aliis Monachis evocatus, ut religioſæ diſciplinæ fundamenta jaceret.

Omitto longam aliorum ſeu Abbatum, ſeu etiam monachorum ſeriem, quà doctrina, quà vita morumque integritate ſpectabilium; ne ſtylum longiùs quàm par ſit, ducam in argumento ſatis ſuperque vobis obvio. Verùm ut de cæteris in præſentia taceam, ſine injuria tamen præterire non poſſum RVPERTVM Abbatem, virum à doctis ingenii monumentis, vitæque ſanctimonia orbi notiſſimum. Hunc olim in præclara familia veſtra ſanctiſſimè inſtitutum ac educatum in Tuitienſis monaſterii Præſulem emiſiſtis, urgente FREDERICO Colonienſis Eccleſiæ Archipræſule.

RVPERTVM natura ingenio hebeti atque obtuſo finxerat: at ſolertem & acutum reddidit vel una Deiparæ gratia favorque: antè cujus imaginem, humili quidem opere conſpicuam,

ſpicuam, at miraculi memoria etiamnum celeberrimam, adibat ille frequens, rogabatque ut ingenio ſacraque Scripturarum divinarum intelligentia donaretur. Votis annuit bona Mater, & in amœna noctis unius imagine ſeſe illi viſendam præbuit, & affuſam Clienti ſuo ignorantiæ nebulam diſſipavit, eamque ſuperfudit ingenii lucem, à qua vel ipſius Orbis quantus eſt, illuſtrior evaſit.

Et hæc Cœnobii tui decora, luminaque magnarum mentium, me impulêre, ut Tibi, Tuoque Nomini hunc libellum meum inſcribendum putarem, ut in ejus fronte conſpicuum eſſet GERARDI Præſulis nomen, à quo apud benevolum Lectorem, & auctoritatem inveniret, & gratiam: hanc dum expecto, Paternitati tuæ in Inſula Pedoque longos ac felices OTGERI deceſſoris tui annos apprecor ac voveo, ut quod oſtentat ac pollicetur appenſa tuis armis teſſera, cum *Prudentiâ & fortitudine* quàm diutiſſimè regas. Leodio x. Maii anno M. DC. XXXVIII.

ADM. REV. PATERNITATIS TVÆ

Cliens ac ſervus in Chriſto

JACOBUS LOBBETIUS,
è Societate IESU.

INDEX

CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

LIBER PRIMUS.

De altitudine diei, quænam ſit illa?

CAPUT I. Altitudo diei eſt humana proſperitas. pag. 1

§. 1. *Afferuntur rationes hujuſce propoſitionis.* ibid.

§. 2. *Opportunæ conſiderationes in proſpern. petita ex viciſſitudine rerum humanarum.* 2

§. 3. *Rationes aliæ petitæ ex fluxu & brevitate humanæ felicitatis.* 3

§. 4. *Quis fructus colligi debeat ex illa rerum humanarum ſeu viciſſitudine, ſeu brevitate.* 4

§. 5. *Proſperitas hujus mundi impiis juxta ac piis communis eſt: imo eorum maximè, quos Divina Juſtitia inferis deſtinarit.* 5

CAPUT II. Altitudo diei eſt humana adverſitas. 6

§. 1. *Proferuntur rationes, ob quas à perſecutionibus, ceu alto die timendum.* 7

§. 2. *Afferuntur cauſa tribulationum omnium.* 8

§. 3. *Producuntur eximii tribulationum proventus.* 9

Primus fructus, *Gratia Prædeſtinationis.* 10

Secundus fructus, *Virtutum ſuccus & gratia.* ibid.

Tertius fructus, *Inſignis animorum converſio, & ſalutaris pœnitentia.* 11

§. 4. *Præclara incitamenta patientia ex Dei Chriſtique exemplo.* 12

§. 5. *Incitamenta patientia ex ipſo tribulationis pretio.* 13

§. 6. *Incitamenta patientiæ ex fine, quem Deus in ea ſpectat atque intendit.* 14

CAPUT III. Altitudo diei eſt dies feſtus. 16

Rationes hujus aſſertionis ducuntur ab experientiâ rerum magiſtra. ibid.

CAPUT IV. Altitudo diei eſt meridies, vel dæmonium meridianum. 17

CAPUT V. Altitudo diei eſt dies ſupremi Judicii. 17

§ 1. *Quando tandem futurus altus ille, ſeu ſupremus divini Iudicii dies?* ibid.

§. 2. *Noctúne an interdiu exercendum Dei Iudicium?* 19

§. 3. *Quæ in terris ſedes, & quis locus divini Iudicii?* 20

§. 4. *Quæ nomina ſortiatur divini Iudicii dies?* 21

§. 5. *Quæ rationes futuri quondam univerſalis Iudicii?* 23

§. 6. *Quis futurus ſit Iudicis aſpectus, & quàm terribilis reprobis?* 25

§. 7. *Quæ ſententia ferenda in die Iudicii, & quæ illius ratio?* 26

LIBER SECUNDUS.

Via mortis ſub umbra voluptatis & peccati. 29

CAPUT I. Sub umbrâ vitis ebrietatis vitium notatur. 29

CAP. II. Sub umbrâ ficus, voluptatis damna & incommoda deſcribuntur. 30

CAP. III. Sub umbrâ mali, gulæ vitia carpuntur. 32

CAP. IV. Sub umbrâ quercus, ambitionis iniquitas & inſania oſtenditur. 33

CAP. V. Sub umbrâ hederæ, vanitatis & impuri amoris illecebræ damnantur. 35

CAP. VI. Sub umbrâ juniperi monſtratur inconſtantia & vanitas humani ſolatii. 36

CAP. VII. Sub umbrâ Nabuchodonoſor & Balthaſſar, aperitur inconſtans Regum gratia, & & noxius aulæ favor. 38

LIBER TERTIUS.

Via vitæ ſub umbra ſanctæ Crucis. 39

CAPUT I. Umbra Crucis, eſt umbra cedri. 39

CAP. II. Umbra Crucis, umbra olivæ. 40

CAP. III. Umbra Crucis, umbra palmæ. 41

CAP. IV. Umbra Crucis, umbra cupreſſi. 43

CAP. V. Qui ſint & quàm uberes fructus ſanctiſſimæ Crucis? ibid.

§. 1. Primus fructus: *Prædeſtinatio & electio.* ibid.

§. 2. Secundus fructus: *Converſio & vocatio:* 44

§. 3. Tertius fructus: *Peccati remiſſio.* 46

§. 4. Quartus fructus: *Vita corporis & animæ.* 47

§. 5. Quintus fructus: *Victoria.* 49

§. 6. Sextus fructus: *Refrigerium in æſtu ſiniſtri cordis.* 50

§. 7. Septimus fructus: *Lumen divinioris ſapientiæ.* 51

§. 8. Octavus fructus: *Dei timor & paſſionum frænum.* 54

§. 9. Nonus fructus: *Dei amor & impenſa charitas.* 55

§. 10. Decimus fructus: *Patientia & robur in adverſis.* 57

§. 11. Undecimus fructus: *Obedientia ſingularis.* 59

§. 12. Duodecimus fructus: *Animi demiſſio & humilitas.* 60

CAP. VI. Quis olim ſacræ Cruci honos ſit exhibitus? 61

CAP. VII. Quis olim fuerit uſus ſigni S. Crucis? 62

PROŒMIUM

ARGUMENTUM, FINIS ET PARTITIO HVIVS OPERIS.

IN prima illius editione, neſcio cujus culpâ (certè non meâ) exciderunt aliquæ pagellæ, quæ non fuerunt unà cum aliis prelo ſubjectæ; fortè non ſine aliqua Lectoris offenſione, qui ex me jure ſuo quæſiſſet, quod argumentum, quiſve finis hujus Operis, & quæ illius tractandi ratio.

Quod igitur in illa defuit, in hac editione ſupplendum eſſe duxi.

Quiſquis es in terris homo, viator es, ſimul & curſor: egrederis ex utero materno, velut è carcere, & continuo perennique curſu ad metam properas. Vita curſus, via virtus ac vitium, meta æternitas: beata illa quidem atque optanda ſi recto virtutum tramite inceſſeris: infelix verò ac damnanda ſi per avia vitiorum excurreris. Vt hæc fugias, & illas ſequaris, tibi in hoc Opuſculo, benevole Lector,

Primùm oſtendam evenire quod Viatori ſolet: timet ille ſibi, cavétque ab altitudine diei, ab æſtu ſolis hujus; ideóque & huic & illi declinando umbram quærit: benè habet ſi ſalubrem, malè autem ſi noxiam.

Propheta Regius eamdem cum aliis viam, id eſt vitam ingreſſus, ut in illâ æſtum præſenſit, exclamavit illico, Ab altitudine diei timebo. *Sed cujus, inquies, diei?* Pſal. 55. v. 4.

Ne crede hujus aſpectabilis, quem Sol diurno curſu facit: alium enim ſpectavit mens regia, ab alio ſibi malè metuit: quis porrò ſit ille, docebo:

Primo Libro, & quidem ex Interpretum fide atque authoritate; ſecundùm quam altitudo diei *hujus via, id eſt vita mortalis, alia eſt atque alia.*

Prima eſt dies humanæ proſperitatis.

Secunda humanæ adverſitatis: ita pugnantes ſunt inter ſe Authorum ſententiæ. quomodo in hac & illa gerere te debeas, aperiam paucis.

Tertia eſt diei feſtivæ, à qua ſibi timet mens bona.

Quarta eſt meridies vel dæmonium meridianum.

Quinta denique ipſa ſupremi Iudicii dies.

Ecce quæ Interpretum opiniones, quæ inter eos ſententiarum pugna, & de uno Pſalmi verſiculo contentio: de qua ubi paucis diſputavero:

Tum ſecundo Libro, homini tanquam Viatori monſtrabo, quæ in illa altitudine diei fugienda ſit umbra; umbra ſcilicet vitiorum, quæ variis arborum umbris ceu quibuſdam ſymbolis, notabo. Et quidem

Vmbra Vitis, ebrietatem.

Vmbra Ficus, molliculam voluptatem.

Vmbra Mali, gulæ vitia.

Vmbra Quercus, elatos ambitionis ſpiritus.

Vmbra Hederæ, illecebras impuri amoris.

Vmbra Iuniperi, inconſtantiam ac vanitatem rerum humanarum.

Et hæ ſunt umbræ homini viatori noxiæ, adeoq́ declinandæ; niſi per illas, ceu viam mortis, ire velit in interitum, æternamq́ noctem. Ne autem ſic eat; & ſic eundo deviet ac pereat,

Tertio Libro invitabo ad umbram Crucis, ſub qua ſtatuo viam vitæ, uti ſub aliis umbris viam mortis conſtitui.

Vt verò demonſtrem quàm ſalubris ſit umbra Crucis, illam explicabo

Primò ſub umbra Cedri.

Secundò ſub umbra Olivæ.

Tertiò ſub umbra Palmæ.

Quartò ſub umbra Cupreſſi.

Ex hoc quippe quadruplici lignorum genere compoſita fuit olim Crux Chriſti: & componi debet crux noſtra. Vbi hæc meo more breviter deduxero, tum in medium adducam fructus omninò duodecim, quos colliges ſub umbra Crucis ceu ligno vitæ.

Et hæc de argumento & fine hujus Operis ipſaq́ tractandi ratione: Qui eam legeris, oculo & animo fave, ac benè vale.

PH 11656

BK3

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
VIA VITÆ AC MORTIS.
LIBER PRIMVS.

DE ALTITUDINE DIEI.
Quænam ſit illa?

Pſalm. 55. v. 4. IN eum locum Prophetæ Regii, *Ab altitudine diei timebo*, Interpretes ſcinduntur in alias atque alias opiniones: quas hic exponam, non ut in Scholis fieri ſolet, & palæſtra Theologica, in qua ferè de littera eſt quæſtio; ſed ut in pulpitis, & pro concione, ad mores ſcilicet ritè formandos: iis enim inſudat meus ille labor, iis excuditur hic libellus.

CAPUT PRIMUM.
Altitudo Diei eſt humana proſperitas.

§. 1. *Afferuntur rationes hujuſce propoſitionis*

HUgoni altitudo diei eſt humana proſperitas, fortunæ riſus & connivenua, à qua ſibi metuit juſtus omnis, ne vel in illo humanæ lucis & Solis æſtu penitus evaneſcat, vel in proſperis adverſa timere deſinat: quod imprudentis eſt animi, & humana parum æquo pede metientis.

Quæcumque ſub hoc Sole Cœloque eſt proſperitas, ea plerumque turbatur adverſis.

Habes hujuſce rei ſymbolum, ex ceto piſce: is tranquillo mari ex alto emergit, aurea ridentis Cœli ſerenitate illectus; cùm ecce ad apricum Solem quieto, & nihil tale meditanti parendillæ aves inſidiantur, & eò periculoſiùs invadunt quò malignius.

Ejuſmodi ſunt res ſpeſque humanæ: nobis cùm maximè ſerenum eſſe putamus, repentini turbines ingruunt, ut ex verò dixerit Latinus Orator: *Qui locus quietis & tranquillitatis pleniſſimus eſſe videbatur, in eo maximè moleſtiarum & turbinum tempeſtates extiterunt*: ideóque *nemo confidat nimiùm ſecundis, quia fortuna malè ſiditur.* Nota eſt in hoc argumento Solis viatorem ſpoliantis fabella, quod Boreas fruſtrà tentarat.

Lis olim fuit graviſſimaque contentio Solem inter & Boream, Quis viatorem veſte ſpoliaret? ubi datæ & acceptæ leges, toto ſpirat Æolus antro, ingenteſque laxat ventorum turbines: hi magno impetu appellunt ad latera viatoris, in veſtem ſeſe inſinuant, implexoſque ſinus implent, & occulta apertaque vi eripere nituntur. Contrà tamen nititur viator, eoque fortiùs veſtem ſtringit, corpori apprimit, quò vehementiùs Aquilo aſpirabat; qui tandem victus fuit, & area campoque ceſſit: tum in arenam venire Sol ipſe, altiùs Cœlo ſurgere, vertici imminere, & ad perpendiculum radios demittere, in caput, in oculos viatoris, qui æſtûs illius caloriſque impatiens, primùm laxare veſtis fibras: explicare implexos ſinus, tandemque omnino excutere; totus enim à Sole altoque die colliqueſcebat. Fabella eſt doctumque commentum, è quo illud ad veritatis lucem traduci poteſt: pleroſque videas in adverſa & reflante fortuna validos & fortes; infirmos, abjectoſque in proſperis: virtutis ac gratiæ, quæ animæ veſtis eſt, tenaces ſunt quamdiu ſpirat Aquilo, Cœlum tonat. at ubi amicæ molleſque ſuſurrant auræ, ubi alta proſperitatis lux dieſque naſcitur ac Cœlo tollitur; tum veſtem exuunt, & nobiles virtutum exuvias cedunt rebus proſperè fluentibus, quas adverſis non concesserunt.

Et hoc primùm ab alto die periculum, hoc oſtentum caſus imminentis: aliud accipe quod illi affine eſt, & aquæ elemento congenitum. Indicum mare teſtudines emittit tantæ magnitudinis, ut ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant: capiuntur illæ multis modis, ſed maximè, cùm directè in ſumma pelagi eminent toto dorſo, per tranquilla fluitant, & ſereniores captant auras: ea voluptas liberè ſpirandi in tantum fallit oblitas ſui, ut Solis æſtu ſiccato cortice non queant mergi, invitæque fluitent, opportunæ venantium prædæ.

Quòd teſtudini, hoc cuique mortalium: benignioris fortunæ aura ſæpè deliniti homines, obliviſcuntur ſui, & in proſperis incautè dum fluitant, prædæ fiunt: *Fortuna quos nimiùm fovet, ſtultos facit. Sapiens David, ſapiens Salomon fuit, ſed blandientibus nimis ſecundis rebus, alter ex parte, alter ex toto decidit: magnus cui præſens felicitas ſi arriſit, non irriſit.* Lib. 2. de Conſid.

Hæc D. Bernardus Eugenio Pontifici Maximo, in Petri Sede, in Cathedra veritatis, ne quis ab illo ſupremi honoris culmine ſpiritus vanitatis aſpiraret: Noverat enim, quàm antiquum, quàm verum illud Prophetæ Regii: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Pſal 90.

Habes, inquit, *in Pſalmo caſuros à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: quòd multò plures proſperitatis fallacia, quàm adverſitatis flagella dejiciant.* Bern. ſerm. de obitu Malachiæ. Ut enim verè D. Auguſtinus, *Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit.* Pſal. 83.

Et quia vulgi calculo, mendacique hominum ſtatera in felicitate reponitur Principum gratia, favor, dignitas, & ab iis emendicati honorum tituli, ſeu eos in purpura ſpectes, ſeu in infula pedóque ſuſpicias; fit ut ii, quibus animus vulgo ſuperior eſt, & perſpicacior intelligentiæ acies, hos honorum titulos fugiant & averſentur: graves nimirum, magnæque latent ſub Infula curæ, & quiſquis eam induit, næ illæ moleſto vaſtoque oneri cervicem ſupponit, tutior ille beatiorque, qui procul negotiis proculque faſtu, ſibi vivit ſibique moritur: levius illi feliciusque longum ibit tuta per ævum cana ſenectus. Ita quondam cenſuere, ita ſuo exemplo docuere viri magni, abjectionis amantes, honoris autem quàm maximè fugientes.

Ita quondam ab Infula pedoque fugit Ammonius Monachus, qui immaturam mortem ei curæ prætulit: cùm enim à ſuis peteretur in Præſulem, nec eſſet ratio expediendæ, ut ſibi videbatur, ſalutis; diem unum ſibi ſuiſque conſiliis petiit, ne temerè in

Inſulas altosque dies involaſſe videretur. Conceſſa illi, capiendo conſilio dies, quam dum in oratione exigit, Deum Superósque omnes orat, obſecrat, obteſtatur, ut eo ſe onere eximant. Annuit votis Deus, & vita curisque exemit.

Ejuſdem animi fuit S. Goaris Monachus, quem cùm olim Rex Galliæ Sigebertus, ad Inſulas evocaret, triginta dierum inducias petiit & impetravit; quibus exactis, cum Cœlo Deóque pactum iniit, ut ſibi potiùs infeſta morborum cohors incumberet, quàm Inſula omniſque domus. Ita porrò factum eſt; oppreſſus enim morbo eſt, ſibique ac Cœlo redditus.

Sexcentos alios efferre poſſem, qui à rebus proſperè fluentibus, altóque honorum die ſibi metuerunt; ut Marcus ille, qui ſibi dicitur amputaſſe pollicem ne ſacerdos fieret; Antonius Eremita, qui aurem ſibi ferro præſcidit, ne Epiſcopus eligeretur: Sed et iſta aliáque his affinia ſilentio involvam, illud certè omittere non poſſum, quod de B. Petro Damiano memorant hiſtorici: latuerat ille in obſcura ſolitudine, & opportunis eremi tenebris, cùm ecce à Gregorio hujus nominis decimo, evocatur in Solem, in lucem Romanæ Curiæ, inter purpuratos Eccleſiæ Principes aſcribitur.

Parendum omnino fuit (ſilent enim humilitatis leges ubi jus omne ſibi obedientia arrogarit) paruit enimverò, paruit Damianus, & Gregorium, licèt officio moribusque ſanctiſſimum, ex eo tempore perſecutorem ſuum appellare ſolitus. Ita purpura pileóque donare, perſequi fuit, & vehementer affligere. Neque ab illa ut rebatur perſecutione reſpiravit, donec ab Alexandro miſſionem petiit & impetravit. Audiſti, quid in purpura ſentiat Damianus: paucis excipe quid è Cathedra, è Sede Petri Pius hujus nominis quintus pronuntiet.

Fuerat ille quondam è Dominicana familia, auguſtum illius lumen: è qua evocatur ad purpuram, ac deinde ad tiaram Pontificiam; ſub qua dum gemit, dicere ſolitus. Ego quamdiu Religioſus fui, de mea ſalute ſperavi quàm optimè; factus Cardinalis cœpi timere; ipſe creatus Pontifex pœnè de ea deſperare. Similia priùs & ſenſit, & locutus eſt ex eadem Sede Adrianus Papa hujus nominis quartus; qui Cathedram Summi Pontificis appellare ſolebat *Spinoſam*, & ſe in tam alto ſolio collocatum quaſi vepribus undique circumſeptum mœrebat: ut olim divinus ille Abrahami aries inter vepres hærens cornibus. Addebat, tiaram aliaque ſacræ dignitatis inſignia, magna & ſpecioſa multis videri; ſe verò, ex quo ad eum honoris gradum eſſet evectus, nihil omnino quietis accepiſſe: *Sed à Domino in incude & malleo ſemper dilatatum.*

Ex quibus omnibus primùm id conficies, quàm ſibi ab alto die metuat juſtus omnis, & cum Davide meritò exclamet: *Ab altitudine diei timebo.* Deinde & illud, quàm ſanctè, quàm providè ſanxerit Leo Imperator: *Non pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes.*

Anno Domini 469 Lib. 11. C. de Epiſc. & Cler. *Tantùm ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Sola illi ſuffragatur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.*

Et talis ævo ſuo fuit Ambroſius, qui de ſeipſo teſtatur illud: *Quàm reſiſtebam ne ordinarer! poſtremò* Lib. 9. ep. 25. *cùm cogerer, ſaltem ordinatio protelaretur! ſed non valuit præſcriptio, prævaluit impreſſio.*

Illius fugæ ſacrique horroris ratio, fuit immenſum animarum onus, cui ſe etiam imparem agnoſcebat heros ille fortiſſimus, & agnoſcunt omnes, qui ejuſmodi dignitates non è phaleris, ſed ex onere metiuntur atque æſtimant. Quos inter (ne omnes conſecter, quod longum foret) fuit Amos Patriarcha Hieroſolymitanus qui è ſublimi illo throno Abbates ſuæ diœceſis ita dicitur allocutus: *Orate pro me Patres, magnum enim onus, & intolerabile mihi injunctum eſt, Sacerdotiiq; dignitas me terret immodicè. Petri enim & Pauli & ſimilium eſt regere animas rationales.* Hæc ille è ſolio fudit oracula, in quæ utinam inciderent omnes, qui ad eumdem dignitatis gradum vel ſua ſponte feruntur, vel eorum, qui præſunt, auctoritate evocantur.

§. 2. *Opportunæ conſiderationes in proſperis, petita ex viciſſitudine rerum humanarum.*

EXplicata Iſraëlis acie in campum deſcenderat Jonathas juventutis floſculus, armorum robur, Davidis amor ac deliciæ: jamque proximus incumbebat ſtationi Philiſtinorum, ad quam ducebat arcta & difficilis ſemita: *Erant* enim *eminentes petræ, ex* 1. Reg. 14.
utraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde prærupti. v. 4. *Nomen uni Boſes, & nomen alteri Sene.* In duabus ultimis vocibus ſudat pius Interpretum labor, & aliò atque aliò ſeſe vertit. Chaldæus enim exponit. *Nomen unius lubricatio, & nomen alterius conculcatio.* Scholia in Bibliis Regiis ſic explicant, *Boſes, id eſt primatus; Sene, id eſt Sol:* Gloſſa Interlinealis ita reddit *Boſes, id eſt Florens; Sene, id eſt Anguſtans.* Cui opinioni ſubſcribit Venerabilis Beda, & per Boſes *Florentem* proſperumque mundi ſtatum; per Sene *Anguſtantem* adverſumque intelligi credit, ſubditque hominis vitam, quæ ſuper terram militia quædam eſt, per adverſa & proſpera, velut ſemita duplici ad pugnam, ad victoriam, ad ſalutem ac beatitatem tendere: *Quia*, inquit, *non minus florente, quàm adverſante mundo ſanctorum aſcenſus impeditur, & nisi vel corpore, vel corde deficiat, ab infatigabili hoſte pulſatur.*

Ad eaſdem vitæ mortalis anguſtias, & proſperitatis adverſitatisque confinia, traduci poteſt votum illud ſponſæ: quæ non ſolum auſtrum evocat, ut levi aura, ſuſurro molli omnes horti ſui areolas perflet; verùm etiam Aquilonem proritat, ut frigidos illos, valenteſque ſpiritus apertis antris, ac carceribus emittat, totiſque ſpargat areolis: *Surge*, inquit, Cant. c. 4.
Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant v. 16.
aromata. Sponſæ voto potitus David, qui de ſeipſo canit: *Tranſivimus per ignem & aquam:* quem in locum D. Bernardus: *Tranſivit*, inquit, *per ignem &* Pſal. 65. v. 12.
aquam, quem non triſtia frangere, non detinere mollia potuerunt. Et is eſt ac eſſe debet juſtus omnis, *qui in lege Domini meditatur die ac nocte, hoc eſt in adverſis* Pſal. 1. v. 2.
poſitus & in proſperis, ut explicat D. Ambroſius, ſubditque dignam cedro ſententiam. *Hæc prima virtus, ne non frangaris adverſis, non extollaris ſecundis.* Et quis eam in te, mi Lector, virtutem amo; è multis, quæ produci poſſent, pauca huic membranæ committam, quæ deinde animo tuo, fideliſque memoriæ tradantur atque aſſerventur.

Primum mihi offert Sapiens lætiore fortunæ malè quondam ebrius; ſobrius autem ubi eam edormiit, & dixit: *In die bona fruere bonis, & malam diem præcave:* Eccleſ. 7.
ſicuti enim hanc, ſic & illam fecit Deus. v. 15.

Docet Sapiens in omni temporum ac fortunæ viciſſitudine divinæ Providentiæ acquieſcendum eſſe, animumque rebus ac temporibus cum inſigni quadam moderatione accommodandum: ſi dies eſt bona, læta, fortunata, ſi albo notata calculo; malum, triſtem, infelicem atróque lapillo ſignandum expecta: ut enim dies die truditur, ita ſecunda plerumque premuntur adverſis.

Veniet poſt nubila Phœbus.

Sed & Phœbus ipſe nova exſuget nubila, quæ in tuum deinde caput emittet. Amœniores veris auras, alióſque ſoles æſtatis, Autumnique fœtus uberiores, excipit Hyems inamœna, gelida, ſterilis, exſucca: & tranquillum mare, ingruens tempeſtas evertit, eodemque die, ubi luſere navigia, merguntur

guntur

guntur ac petuntur. Ita nos Superi ut pilas habent: & quamdiu hoc vitæ jactamur ſalo, inter læta & triſtia, inter mœrorem & ſolatium, bellum & pacem, paupertatem & divitias, honorem & ignominiam, vitam & mortem verſamur: neſcit enim ſtare felicitas ridenſque fortuna; ſed volubili nixa globo, quoties ultra nihil invenit quò tendat, converſo repentè curſu in ſuum ipſa præcipitium devolvitur.

Nónne ex altiſſimo rerum humanarum vertice ad extremas miſerabilis fati notas, ad rogum uſque deturbatus eſt Crœſus?

Nónne Cnæi Pompeii viri quondam præſtantiſſimi mors eò infelicior fuit, quò vita felicior? Poſt tres enim Conſulatus ac totidem triumphos, poſt edomitum propè terrarum Orbem; tantum ab illo diſceſſit fortuna, ut cui modò ad victoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam.

Nónne Beliſarius Imperatoris Juſtiniani quondam amor favorque, à ſummis opibus gratiæque culmine ad infimas paupertatis ſordes eſt abjectus?

Nónne Eutropius Arcadii Cæſaris deliciæ, primùm ſecunda, dein adverſa fortuna uſus ac deluſus eſt? Ubi nunc, ut aureo ſtylo hîc notat Chryſoſtomus: *Ubi nunc inclytus ille Conſulatus ſplendor? Ubi illuſtres illæ faces? Ubi applauſus ille & choreæ, epulæ, & feſti conventus? Ubi coronæ & aulæa? Ubi ſtrepitus urbis, & illæ Circenſium ſpectatorum fauſtæ acclamationes atque adulationes? Omnia illa perierunt: procella vehemens folia dejecit: arborem ſpoliatam reddidit, jam radicitus vacillantem. Ubi nunc fucati illi amici? Ubi compotationes & cœnæ? Ubi paraſitorum examen? Ubi illi potentatus cultores ad gratiam omnia dicere ac facere aſſueti? Omnia illa nihil, niſi nocturnum ſomnium appetente die evaneſcens. Flores fuerunt verni, vere exacto emarcuerunt omnia; umbra erant, præterierunt; fumus erant, & ſoluta ſunt; bullæ erant, & diſruptæ ſunt; araneæ erant, & lacerata ſunt.*

Ser. quidam in 1. Tom.

Hæc fudit os illud aureum, & in illius fortunæ ludos ac ludibria jactavit: ut & alieno periculo diſcant poſteri, & in ſecundis rebus adverſas expectent; & in iſtis debitam animi moderationem adhibeant. Quod ipſum monet, urgetque ille ipſe Chryſoſtomus (à quo nonniſi invitus diſcedo, adeò me movet delectatque ſuavis illa, & tamen nervoſa tanti Præſulis eloquentia: illam vel eadem mecum aure bibe, vel in animæ tuæ penetralia per oculos admitte.) Ita enim tecum ipſe loquitur:

Hom. 30 in 1. ad Cor.

Ne ſuperbi, & inſolenter tibi ſint ſpiritus, ô homo; fluxa & caduca eſt hominum natura; Iuventus properat ad ſenectutem, pulchritudo ad deformitatem, vires ad imbecillitatem, honor ad contemptum, ſanitas ruit ad morbum, gloria ad vilitatem, divitiæ ad paupertatem. Res noſtræ ſimiles ſunt vehementi fluento, quod numquam vult conſiſtere; ſed fertur feſtinans ad declive.

Hæc declivitas, conſtanſque bonorum omnium inconſtantia, malorumque viciſſitudo tibi ſemper in oculis, in animo ſit: ne illis elatus inſoleſcas. Ac fortè, inquies, eadem mihi conſtanſque ſemper eſſe poteſt fortuna, ut multis fuit, quibus non occidit, niſi cum vita. Eſto, cùm ita voles, concedamus illud tibi; hæc enim bona, ut cum Ambroſio loquar, *Vides, quia fluunt, non vides quia præterfluunt? Fluenta ſunt, quæ mitaris; quomodo veniunt, ſic tranſeunt & recedunt.* At iterum dico, demus non recedere, non elabi, non effluere; ſed fluere ad ultimas vitæ notas & fauces æternitatis: quantum illud eſſe credis? quàm diuturnum? punctum eſt, & momentum ut ex ſequenti paragrapho patebit.

In Pſal. 61.

§. 3. *Rationes aliæ, petitæ ex fluxu & brevitate humanæ felicitatis.*

Lib. 11. de Præp. Evan. cap. 7.

Aureum illud Euſebii pronuntiatum: *Quemadmodum aqua manibus hauſta, quanto magis premitur, tanto citiùs defluit; Sic mutabilia cuncta, quanto magis ratio perſequitur, tanto magis amittit.* Si ea ex ſenſu metiri voles, credes eſſe diuturna, annos illis dabis & ſæcula: fallitur enim, & tibi malè illudit ſenſus. At ſi ratio ea mutabilia, quibuſcum mutamur & ipſi, examinet, diſcutiat, ponderet; intelliges ea inſtar aquæ, quæ manu premitur, effluere ac perire. Exemplum à teipſo ſume, quiſquis es homo, vide ut inſtar aquæ in terram dilabaris, è qua emerſuras numquam: ut enim utar eodem Euſebio teſte:

Corrumpitur juvenis in virum, vir in ſenem, puer in juvenem, infans in puerum; & qui heri fuit, in eum qui eſt hodie; quique hodie eſt, in craſtinum: manet autem nullus idem.

Quòd ſi nec tuipſe, cui tamen uni quæritur ea felicitas, idem manes; qui eadem tibi ſtabit illa? Non ſtabit certè, niſi ſtare credas quod natura fluxum & labile eſſe voluit: ſed eſt illud ſenſuum vitium, qui non ſentiunt moveri quod tamen fertur curſu velociſſimo: in quo tibi uſu venit, quod Solem, Lunam, ſideraque fugientia è terris aſpectanti.

Interdiu, inquit Philo, *Solem, noctu Lunam ſtare imaginantur oculi corporis, cùm tamen nemo neſciat, horum ſiderum curſum eſſe concitatiſſimum, quæ totum Cælum intra unum diem obeunt.* Lib. de Conf. ling.

Sic nos puſilli mortales, & pronæ in terras animæ, dum oculo corporis metimur ea, quæ in felicitate boniſque reponuntur, ſtabilia putamus; cùm tamen ſint vel maximè fugacia.

Rideres enimverò, & exploderes ruſticum aliquem, qui amœno ſudóque Cœlo contemplans ſidera, hæreret attonito ſtupentique ſimilis, & ſuo de genio ac cerebello Aſtrologiam novam & meditaretur & fingeret: hocque tibi venditaret ut certum è ruſtica caſa pronuntiatum: ſtellas illas & noctis oculos nihil aliud eſſe, quàm gemmas illis orbibus inſertas & affixas, eo ferè modo quo chryſolithus aut ſmaragdus in annulo geſtatorio.

Rideres, inquam, & inſano ſimilem clamitares, nec cum illo verbis agendum eſſe diceres, aut ratione pugnandum; ſed pugnis & fuſtibus, ut contra negantem principia pugnandum eſſe docet Philoſophus. Verùm illi ruſtico venia danda: credit enim ſenſibus & oculis: nec rationem ut magiſtram & hujus controverſiæ arbitram audiit, ut quæ in ea carnis mole ſepulta ſit, & prope obruta: at tibi venia non dabitur: Tuus enim error non in oculis eſt; ſed & in animo qui bona huic mortali vitæ, tamquam orbitæ affixa, quaſi immota fingit, cùm tamen ex ſeſe ſint in vago perennique motu.

Sunt enim illa, teſte ac judice Eccleſiaſtico, *Quaſi plantatio roſæ in Iericho.* Eſt illud vitium, illa malignitas ſoli Jerichuntini, ut in eo citius deficiant & exareſcant roſæ: Jericho quippe Lunam ſignificat, & congruas ſuo nomini defectiones admittit ac patitur; adeóque & ipſæ roſæ, quæ illi innaſcuntur, non tam natura ſua, quàm culpa ſoli: cui litem moverent, ſi poſſent, ut in alio loco feliciore ſucceſcere, vigere, florere liceret, non in eo marceſcere atque emori. Sed ea eſt roſarum illarum infelicitas, terræque injuria: quæ etiam & tibi, quiſquis in proſperitatu naſceris, ſurgis ac flores. Ea tibi eſt pro roſa; ſed in Jericho, in Luna, hoc eſt in vaga conſtantique inconſtantia: à qua vix tibi dies unus conceditur, & illa defluit ac perit; nec Occidentem videt, quæ Orientem aſpexit. I modò, roſas illas lege, & ſtultè deperi. Cap. 24. v. 18.

Verùm aliquid mihi dixiſſe videor cùm humanam in hac vita felicitatem roſam eſſe pronuntiavi: minus aliquid, & tamen verum, ſi leviorem maris ſpumam appellavero. Ita ſuo ævo nominari voluit Oſeas, cùm Samariæ Regem, ſparſamque in purpura fortunam tranſire dixit *quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.* Quid inanius ſpumâ, quæ ſaliva eſt maris, Oceani ludus, Cap. 10. v. 7.

Indus, ventorum ludibrium? quâ levius aliquid ſi voles, dic age cum Propheta Regio ſomnium eſſe, vanam unius noctis imaginem, ſopitæ mentis & aberrantis phantaſiæ delirium.

Ubi ſepultis à ſomno ſenſibus vagus error phantaſiæ ſibi finxerit imperia, ſceptra, coronas, gazas regias, dapes opiparas, vina Cretica, aliaque ſeu gulæ irritamenta, ſeu oblectamenta vanitatis: excuſſo deinde ſopore, ſibique ac vigiliæ reddìtus animus, agnoſcit vanos fuiſſe, futiles, & omnis boni vacuos ſopitæ mentis typos atque imagines: adeò verum illud Davidis oraculum: *Velut ſomnium ſurgentium,*
Pſal. 7. v. 20. *Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.*

Is altiſſima fortuna, thronoque Regio, velut è ſpeculo vanitatis, omnem rerum humanarum inanitatem deſpexit; & poſteris omnibus illud effatum ſuum pro documento eſſe voluit.

Serm. 7. in Pſ. 118. *Cognovit*, inquit Ambroſius, *imperium ſucceſſus in hoc ſæculo, ſomnis eſſe ſimiles, non veritatis: quorum emolumenta tamdiu videntur eſſe, dum dormiunt; ubi edormierunt ſomnium ſuum, qui videbantur ſibi potare, jam ſitiunt; qui epulabantur, eſuriunt; nihil ſolidum ex illo ſomnio perfectumq́; referentes.* Hactenus Ambroſius, cui pondus addet & calculum D. Gregorius ex ipſâ Petri ſede cathedraque veritatis. Ita ſenſit ille ſub tyara Pontificia pedóque Paſtorali totius Eccleſiæ.

Lib. 16. Mor. c. 6. *Carnalis gloria dum nitet, cadit; dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur; ſed repentè in nihilum evaneſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula aſcendendo ſe erigit; ſed exortus hanc Solis radius ac ſi non fuerit, abſtergit. Sic in herbarum ſuperficie nocturni roris humor aſpergitur; ſed diurni luminis habito calore ſiccatur. Sic ſpumoſa aquarum bulla inchoantibus pluviis excitata ab intimis certatim prodeunt; ſed eò celeriùs dirupta depereunt, quò inflata citiùs extenduntur. Cumq́; excreſcunt, ut appareant; excreſcendo peragunt, ne ſubſiſtant.*

Hæc D. Gregorius qui uno diſertæ orationis faſciculo complexus eſt quidquid alii ſparſerunt ad humanæ felicitatis inanitatem demonſtrandam. Sed nihil eam magis aperit ac ipſa brevitas quâ clauditur & terminatur. Ea porrò non annus, non hora, non dies eſt, non aliqua temporis portio quantumvis diminuta; ſed punctum, ſed momentum: tale audiit ore Huſſæi Vatis, viri in utraque fortuna longè ma-
Cap. 20. ximi. *Hoc ſcio*, inquit, *à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quòd laus impiorum brevis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.*

Non ex ſua aut vulgi opinione loquitur; ſed ex certa ſcientia, quam non hauſit è paucis annis; ſed omnium ſæculorum experientiâ didicit, etiam ab ipſâ Orbis infantiâ primiſque hominum cunis: quæ & ipſæ hoc extulerunt, *quod laus impiorum brevis ſit, & gaudium hypocritæ adinſtar puncti*. vel ut habent Hebræi: *Lætitia impii ad momentum*; in quæ verba magnus Pontifex Gregorius, ad quem redeo, hanc injicit quæſtionem: *Hoc eorum gaudium æternitati comparatum quid erit? Quando irruente mortis articulo ita conſumitur, ac ſi omnino non fuerit. Cujus nimirum gaudii lætitia pertranſiit, & pœna permanet; & cùm res amittitur, cauſa durat.*

Ubi intentavit hoc flagellum, quod ducetur per longiſſimam lineam totius æternitatis; tum, cum illa componit punctum gaudii, in quo vitæ mortalis ſtylus infigitur. *Gaudium hypocritæ*, inquit, *ad ſimilitud nem puncti eſt, quia apparet ad momentum, ſed diſparet in perpetuum: & ſicut ſtylus in puncto dum ponitur, levatur; ſic hypocritæ præſentis vitæ gaudia, dum tangit amittit.*

§. 4. *Quis fructus colligi poſſit, ac debeat ex illa rerum humanarum ſeu viciſſitudine, ſeu brevitate.*

Ex illâ rerum caducarum viciſſitudine ac brevitate, primùm naſcitur inſignis quædam earum deſpicientia, tædiumq́ue illius vitæ quæ eo jactatur inconſtantiæ ſalo. Tum etiam ardor quidam igneus, votumq́ue illius felicitatis, quæ nec viciſſitudini, nec tempori eſt obnoxia; ſed in ipſa figitur æternitate. Et hoc & illud in ſe ipſe, aliiſque amavit ac docuit Propheta Regius, ab utraque fortunâ probè doctus; à quâ hoc poſteris inſcripſit pronuntiatum: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ*; medii cleri, interprete D. Auguſtino, ſunt duæ ſortes ac felicitates; terrena & cœleſtis, quas inter is ſecurè dormit & quieſcit, cui ſunt pennæ columbæ. Apud Hebræos ſapientes columba fuit ſymbolum felicitatis; quam ut in ſua tecta devocarent viri Principes, poſtibus ſuis affigere ſolebant alas columbæ gypſo illitas, eas omnium amabant candidati felicitatis: Sed cujus, inquies? Nè crede illius quæ terris innaſcitur; ſed alterius, quæ libero hauritur æthere, patentiq́ue Cœlo petitur alarum, hoc eſt deſideriorum, remigio: Alterius, inquam, quæ nec annuæ cœleſtium orbium revolutioni, nec Solis aut Lunæ defectionibus ſubjacet; ſed utrumq́ue Cœli oculum ſyderaque tranſcendit, & animos terrâ Univerſoque altiores ad ſe rapit, impetu quodam ac torrente voluptatis: qualis olim fluxit Auguſtino, cùm æſtu diviniore percitus exclamabat: *O Regnum beatitudinis ſempiternæ, ubi juventus numquam ſeneſcit; ubi decor numquam palleſcit, ubi amor numquam tepeſcit; ubi ſanitas numquam marceſcit; ubi gaudium numquam decreſcit; ubi vita terminum neſcit.*

Hoc regnum ambiebat magnus ille Præſul, magnus in Inſulâ, major in ejuſce dignitatis gloriæque deſpicientiâ. Sentiebat nimirum hæc omnia ſervire tempori, non æternitati; & qualiacumque ea demùm forent, cum labore quæri, cum timore poſſideri, cum dolore relinqui: quod ipſum etiam agnoſcunt ac deplorant in purpura ſceptróque Reges inclyti; ubi ea felicitas, quæ blandientis fortunæ Phaleris illuſit, ad extrema vitæ confinia venerit, tum explicatâ mente, liberáque voce inter ipſas mortis anguſtias veritati concedunt illud, felicitatem humanam in bonis reponi non oportere.

Ex multis unum habe, quem noſtra ſuſpexit & amavit ætas. Is fuit Philippus III. Rex Catholicus, dignus ſceptro ſuóque nomine. Hic morti proximus, cygneâ voce ſuis Regumq́ue ſatis cecinisse dicitur illud inſcribendum cedro: *Nihil confert Regem eſſe, niſi ut in morte cruciet fuiſſe.*

Hæ fuerunt Regiæ voces cum vita in extremo, mors in primo foret limine: in quo recurrebant identidem binæ voculæ, *eſſe*, *fuiſſe*, nec amplius fore, & hinc dolor, hinc lacrymæ: *Eſſe* in purpurâ ſceptróque, populis dare leges, nationibus longè diſſitis dominari, & utramque Solis domum ſuis imperiis regere, altum, venerabile, regium, auguſtum eſt: at ingentes vehit curas, & immenſos addit rationum cumulos, quos à morte is exiget *per quem Reges regnant*; & hinc mirum quantum adigit, & cruciat illud unum, *fuiſſe* quondam, & jam non eſſe, imò nec in æternum fore. *Æqua* enim *lege neceſſitas ſortitur inſignes, & imos: omne capax movet urna nomen*, &

æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumq́; pueris.

Ubi porrò recluſa fuerit illa; ubi regios cineres, magnarumq́ue mentium exuvias ceperit, Quid ab illis reliquum eſt niſi inane & vacuum *fuiſſe*: quod plerum-

plerumque plus affert doloris & ignominiæ, quàm eſſe gloriæ dederit ac voluptatis; ideoque is cui altior eſt animus, & terrâ terreniſque omnibus ſuperior, aliò jacit fortunæ aleam, aliò flectit ſpes omnes ſuas ac vota; ſpectatque unum eſt, quod non patietur alterum illud fuiſſe, imò nec fore; ſed eſt perpetuum, perenne, æternum.

In illud velut in ſcopum mentis, & intelligentiæ oculos emittebat Auguſtinus, & omnes votorum ſuorum volvebat æſtus; ita enim Superos Deúmque
Pſal. 38. compellare ſæpe ſolitus: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum qui eſt? Numerum,* inquit, *qui eſt? Quid ergo? Iſte numerus, in quo tu es, non eſt? Planè, ſi attendam benè, non eſt; ſi hæream, quaſi eſt; ſi tranſiliam, non eſt.*

Igitur, ô Deus! ô Amor! ô deliciæ meæ! ô ſumma votorum meorum! *quæro numerum dierum, qui eſt; non iſtum, qui non eſt.* Quod autem ſit illud, exponit paucis: *Eſt illud ſimplex; quæro eſt verum; quæro, eſt germanum; quæro eſt in illa Jeruſalem ſponſâ Domini mei, ubi non erit mors, non erit defectus, non erit dies tranſiens, ſed manens. Hunc, inquam, numerum dierum meorum, qui eſt, notum mihi fac, ut ſciam quid deſit mihi. Hoc enim mihi deeſt hic laborantis & quamdiu mihi deeſt, non me dico perfectum.* Ut & ipſi aliquando perfecti ſimus, quæramus numerum dierum, qui eſt, felicitatem, quæ ex vero eſt, nec patitur mœſtum illud ac inane fuiſſe. Eumdem certè omni animi contentione quærebat Auguſtinus, & noctes dieſque hunc fatigabat votis: Iubet illum audire in ſcriptis ſuis etiamnum ingemiſcentem.

Pſal 41. v. 4. Inciderat in ea Davidis verba: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus?* Pupugerunt eæ Davidis querelæ æſtuantem animum, & ad pares gemitus lacrymaſque excitavêre. hinc piæ illæ eum in locum lucubrationes: *Sive diem intelligas pro hujus ſeculi proſperitate, noctem verò pro hujus ſeculi adverſitate; ſive in proſperis rebus ſeculi, ſive in adverſis rebus ſeculi, ego deſiderii mei lacrymas fundo, ego deſiderii mei aviditatem non deſero. Et cùm in mundo benè eſt, mihi malè eſt; antequam apparebo ante faciem Dei. quid ergo dicis, quaſi gratulaes me ergo ſi aliquo humana ſeculi proſperitas arriſerit? Nónne deceptoria eſt, nónne fluxa, caduca, mortalis? Nónne temporalis, volatica, tranſitoria? Nónne plus habet deceptionis quàm delectationis? Cur ergo non & in ipſa ſiunt lacrymæ meæ panes?*

Hæc olim magnificè & piè jactavit Auguſtinus, à quo mirum quantum diſſidet ætas noſtra. Si ea latet in nocte adverſitatis; tum effluit in lacrymas, eaſque madenti ore bibit: at ſi eminet in amœnæ proſperitatis luce; tum in riſum effunditur, & inſolenti lætitiâ extollitur, parum memor ſibi alios fluere de Cœlo fontes ac torrentes voluptatis: non ſic arduæ in terris animæ, non ſic præcelſæ mentes; idem iis in utrâque fortunâ panis coquitur, iſque fletus ac lacrymarum, quæ per ora labentes perennes ducunt rivulos, nec areſcere unquam poſſunt, uſque dum aſpiret ſurgatque dies æternæ felicitatis.

§. 5. *Proſperitas hujus mundi impiis, juxta ac piis, communis eſt; imò eorum maximè quos divina Iuſtitia inferis deſtinarit.*

VT hoc argumentum, quod ingreſſus ſum, abſolvam, tibi pro coronide adjiciam illud, quod in alio die, hoc eſt in proſperitate, erit pro fræno; nimirum eas eſſe Cœli leges, & ſuperum placita, ut quem amœnos ſudáque vitæ dies in ſecundis viderit, eumdem plerumque in adverſis lugeat ac deploret longa triſtiſque nox mortis atque æternitatis. Et illud eſt arcanum, & immenſa quædam abyſſus divinæ ſapientiæ: quam dum non capit Propheta Regius, attonito ſtupentique ſimilis exclamat;
Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Pſal 72. v. 2. 3.
Huic Pſalmo titulus eſt *Aſaph*, id eſt congregatio, videlicet ſynagogæ caduca vitæ bona quærentis, faſtidientis autem æterna: ei primùm exponit æſtus impetuſque animi divina judicia humano pede metientis: deinde ad ſeipſum tandem redit. & altiora ejus judicia veneratur ac ſuſpicit. Ut & ipſe mirari diſcas, profundoque ſilentio premere; attende quæ ſint vitia, quæ voces mentis abalienatæ, & in æternæ providentiæ rationibus quodammodo vacillantis. ea ſunt ejuſmodi:

Mei autem penè moti ſunt pedes; affectus, inquam, & ſenſus animi quaſi in viâ pravâ, confragoſâ, lubricâ, nutare ac vacillare cœperunt: *& penè effuſi ſunt greſſus mei*: propè inſtar aquæ effluxerunt, atque exciderunt à ſano judicio, à fiducia in Deum, à ſtudio virtutis, cujus tamen in ſemitâ hactenus ſteterant. Erroris fluxuſque elabentis animæ, cauſa fuit longa pax peccatorum: *Zelavi*, inquit, *ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.*

Non fuit ille zelus bonus ac verus; ſed ei penè ſimilis, quem Ezechiel appellat idolum zeli, quo ſolent quandoque peti ſanctiſſimæ mentes: quibus ex eo venia danda, quòd hic motus animi, ſit is, quem Theologi appellant primò primum: qui nec reum arguit, nec facit: ei quippe ratio voluntaſque non connivet. Neque verò ab illo zelo, à Dei ſui legibus, debitâque auctori ſuo ſubmiſſione diſceſſit David; ſed propè abfuit ut diſcederet, cùm divinæ rationes adhuc eſſent in occulto altâque nocte: tum, inquiebat, *Zelavi*, id eſt Auguſtino interprete, *attendi peccatores, vidi illos habere pacem. Quam pacem? Temporalem, fluxam, caducam atque terrenam; ſed tamen talem qualem & à Deo ego deſiderabam. Vidi illos habere, qui non ſerviebant Deo, quod ego deſiderabam ut ſervirem Deo; & dixi: Ergo ſine cauſâ juſtificavi cor meum: Quando ſervio Deo, & iſta non habeo; non ſerviunt illi, & his abundant. Ubi eſt merces bonæ vitæ meæ? Ubi eſt præmium ſervitutis meæ? Benè vivo, & egeo, & iniquus abundat.* Hæc omnia è calamo ſuo fudit Propheta antequam *accederet ad cor altum*, ad ſecretiora Dei ſui conſilia; quæ quia nos latent, alios atque alios evolvunt & jactant æſtus cogitationum.

Cato, vir cæteroquin gravis, & ubique ferè ſuus, cùm videret in Pharſalica Pompeium cum exercitu, non tam militum, quàm Senatorum, Patritiorum, Equitum Nobiliumque proſtratum, & laſcivientem tantiſper in civili ſanguine tyrannum, non ſatis ſui compos exclamavit: *In rebus divinis multum eſſe caliginis.* Multò autem impudentiùs apud Pſalmiſtam, impii *poſuerunt in Cœlum os ſuum, & dixerunt, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Sed religioſiùs Auguſtinus in eâ divinorum conſiliorum nocte pronuntiavit, Judicia Dei multa occulta eſſe, nulla injuſta; & quamvis penè omnia lateant ſenſus menteſque mortalium, *hoc in iis tamen piorum fidem non latere: juſtum eſſe quod latet.* Lib 20. de Civit. c. 2.

Sed quia multis hujus ævi hominibus non ſapit, non ſatisfacit ea vocula, *latet*, adducemus in medium nonnullas illius divinæ Providentiæ cauſas, quibus bona mens procul dubiò acquieſcet: & verò acquievit ipſe Auguſtinus: cùm enim dixiſſet, *Revera Fratres mei nullum mare tam profundum eſt, quàm cogitatio Dei, ut mali floreant, & boni laborent, nihil tam profundum, nihil tam altum, ubi naufragat omnis infidelis in iſta alta, in iſto profundo.* Ne in eodem fidelis quoque naufragium faceret, ſubjecit opportunas ſimilitudines, quibus ea veritas, quæ hactenus in caligine fuerat, emergeret atque eluceſceret.

Una petitur è duobus filiis, quos natura planè ſimiles, id eſt fratres, eſſe voluit; culpa diſſimiles effecit: *Duos*, inquit, *filios habet homo: alterum caſtigat, alterum dimittit; facit unum malè, & non corri-*

pitur à patre; alter mox ut ſe moverit, colaphis cæditur, In Pſal. 91. v. 7. *flagellatur. Unde ille dimittitur, & ille cæditur, niſi quia huic cæſo hæreditas ſervatur, ille autem dimiſſus exhæredatus eſt. Videt eum non habere ſpem, & dimittit eum, ut faciat quod vult. Puer autem, qui flagellatur, ſi cor non habuerit, & imprudens fuerit & ſtultus, gratulatur fratri ſuo, qui non vapulat; & gemit de ſe, & dicit in corde ſuo: Tanta mala facit frater meus; quidquid vult facit contra præcepta patris mei, & nemo facit illi durum verbum; Ego mox ut me moveo, cædor. Stultus eſt & imprudens, attendit quid patitur, & non attendit quid illi ſervetur.* Similes ei puero ſunt plerique mortalium: ſi à Deo, ceu optimo parente vapulant, gemunt, lacrymantur, ejulant: at deſcendant in profundas Auctoris ſui cogitationes, ut in iis legant quò ſpectet paterna illa correctio, quæ filium, in terris dum punit, Cœlis aſſervat.

Neque verò prudentior ille exiſtimandus eſt filius, qui dum omnia ſibi impunè licere ſentit, in ea ſolutioris vitæ licentia geſtit, exultat, & inſtar effrænis equi vagus excurrit quocumque ſeu voluptatis ſeu libidinis rapit impetus: næ inquam ille imprudens & ſtultus eſt, qui cùm terræ lutique hæredem ſe videat, attollitur atque intumeſcit, neſcitque ſe Cœli exhæredem eſſe, jamque deletum & expunctum è divinis tabulis. Hæc velim ad animum revoces ſedulòque mediteris, quiſquis alto die fortunâque lætiore frueris: in eâ hoc tibi fræno ſit: *Boni laborant, quia flagellantur ut filii: mali exultant, quia damnantur ut alieni.*

Quod ipſum argumentum ingenioſiùs tractat Auguſtinus in ea Davidis verba: *Quia non eſt reſpectus* Pſal. 72. *morti eorum, & firmamentum in plaga eorum: In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Iam intellexi, inquit, quare illi habent pacem & florent in terrâ. quia morti eorum non eſt declinatio, id eſt, quia certa mors & æterna eos manet, quæ nec declinari ab eis, nec ipſi ab ea declinare poſſunt: Et eſt firmamentum in flagello eorum; non eſt enim temporale flagellum eorum; ſed firmum in ſempiternum. Propter hæc ergo mala quæ illis æterna futura ſunt, modo quid? In laboribus hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Numquid & ipſe diabolus non flagellatur, cui tamen æternum ſupplicium præparatur?* Hæc dum audis è tanti Præſulis ore, vide quàm iniqua tibi ſors obtinget, ſi modò levis paucaque cum cæteris mortalibus flagella declines, ut graviſſima incurras & æterna.

Altera eam in rem ſimilitudo ducitur ab agris, à fœno & flore, cum quo componit in proſperis inſolentiores. In Pſal. 9. *Exorientur ibi ſicut fœnum. quid eſt, inquit, ſicut fœnum? Virent cùm hyems eſt, ſed æſtate areſcent. Attende florem fœni: Quid citiùs tranſit? Quid lucidius? Quid viridius? Non te delectet viriditas illius; ſed time ariditatem ipſius.* Fœnum ea, & flos fœni, quiſquis amas candidos vitæ dies, amœnos ſoles, lautamque fortunam: in ea viges ac flores quamdiu ver aſpirat hujus ævi mortalis: at æſtum time ſupremi Judicii, ab eo areſcet vigor fœni, & flos excidet.

Atque hoc ſtatum fixumque eſt ea divinæ Juſtitiæ lege: Sed, quæ miſeria cæcitasque noſtra eſt, pauci omnino id attendunt: plerique enim, ut teſtatur & deplorat idem Auguſtinus, *Proſpiciunt peccatores orientes ſicut fœnum, id eſt florentes ad tempus. attendunt florem ipſorum temporalem, & imitantur illos; & volentes cum illis florere ad tempus, intereunt in æternum.* Et hæc eſt ſumma calamitas ac miſeriarum abyſſus, quam rurſum à ſimili magis ac magis aperit.

Naſcitur illud ab ortu & occaſu ſolis hujus, à manè & veſpere: in his impii *videntur florere ad tempus, & juſti laborare. ſed quare? Quia nox eſt adhuc: Quid eſt, nox eſt? Non apparent merita juſtorum, & quaſi nominatur felicitas impiorum.* Injuſtus *facit malè, & tamen vivit, floret, terret, honoratur:* Juſtus *facit benè, & reprehenditur, blaſphematur, laborat, terretur: & hoc* quia *tenebræ ſunt; ſed tolera noctem, deſidera manè:* Manè dico beatæ Æternitatis, quod ubi illuxerit, tunc diſſipatis veluti nebulis, profundaque hujus ſæculi nocte, liquidò deſpicies quàm vana, quàm fucata, quàm noxia fuerit ea felicitas, quæ tibi malè illuſit, cùm adhuc hæreres in hujus mundi caligine, tenebriſque, à quibus niſi maturè te ſubduxeris, ibis in alteram noctem æternitatis, ubi numquam ſuccedet manè, gratàque ſolis ac lucis viciſſitudo.

Sed & altera eſt ſimilitudo huic argumento peropportuna; & te ad beſtias vocat & boum armenta, in his videbis ferocientem taurum ſolo inſultantem improbè, cornuque ferientem, pinguem, obeſum, diſtentum; cui non abſimiles eſſe vult Auguſtinus eos omnes, quos in proſperis ſui quodammodò juris eſſe Deus Cœlumque patitur:

Attende, inquit, *taurum devotum victima, permiſſum errare liberè & vaſtare quæ poteſt uſque ad diem occiſionis. Sic ſuperbos & indiſciplinatos ducit vindex Dei manus tamquam ad victimam præparatos, & parcit eis ad malam libertatem: quàm melius fuiſſet non ſic pepercisse!* In Pſal. 72. Quid enim prodeſt ea libertas, quam excipit damnatque æterna ſervitus? Hæc mihi tibique (benevole Lector) ſuggeſſit Hypponenſis Præſul, qui tot fundit oracula quot verba: ea, ſi ſapis, in ſecretiore receſſu, opportunoque devotæ mentis otio expende; & cùm ridet blanditurque fortuna, hæc tecum ipſe loquere: *Nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ*, ô DEUS, nimis alta judicia tua, quæ timeo tamquam tumentes ſuper me fluctus: Quid enim? ex voto ſi mihi cedunt omnia, an non meritò ſuccurrit horrendum illud, nè is ego ſim filius, quem cœleſtis Pater dimittit, nec in tempore caſtigat ut perdat in æternitate? An non ego flos fœni, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittetur: hodie viret floretque, cras exareſcet & in ſterquilinium abjicietur? An non ego in triſti nocte, profundâque caligine vitam exigo miſerabilem, ut etiam ab illa abeam in noctem æternitatis? An non ego indomitus ille taurus, jumentùmque infelix quod aurato nitentique cornu in triumphi ſpeciem ad macellum ducitur, rapiatùrque ad victimam nil miſerantis Orci? Certè, ſi è primis ultima metiri velim, is dici & eſſe poſſum: ac ne re etiam ipsâ ſim, ô DEUS! ô Amor! ô Bonitas immenſa! hîc ure potiùs, hîc ſeca, ut in æternùm parcas.

CAPUT II.

Altitudo diei eſt humana adverſitas.

DIvo Hilario altitudo diei eſt elata ſuperborum potentia, vis adverſa, tyrannis efferа, & quævis alia tribulatio, quæ ut longa ſit, eſt tamen tantùm dies unus. Ab hoc ſibi viſus eſt timere propheta Regius, timere & ſponſa: Et nos ipſi timeamus oportet: ut enim dicamus illud, quod ex vero dici poteſt, videtur altiùs aſſurgere & hominum verticibus impendêre ſol aliquis & æſtus divinæ Juſtitiæ, à quâ non videas emitti atque elabi aliud præter ignes, fulmina, flammarùmque globos; flagella, inquam, gravèsque pœnas, quas ab hominum ſceleribus & malevolentiâ exigit Deus.

Hinc nos intus affligunt domeſtica mala, morbi peſtes, diſſidia, lites, contentiones; foris autem accedunt, & omnium aures animoſque pulſant, arma, bella, cædes, & ſtrages eorum, quos nobis natura, ſanguis, fides, religio Deúſque junxit. Ex hoc malorum appulſu, fit ut optimus quiſque ſeſe ſentiat commoveri, graviterque doleat ea mala ſuo vel ſuorum capitibus incumbere.

Verùm quid facias? Cedendum eſt tempori ac tempeſtati, cedendum irato tonantique Cœlo: non ita tamen concedendum ut nulla penitus captetur umbra, nullum quæratur effugium: eſt prudentia

boniqe

bonique viri quà poteſt & licet elabi, umbriſque melioribus reddi.

§. 1. *Proferuntur rationes ob quas à perſecutione ceu alto die timendum.*

TErtullianus (notum à calamo nomen) ut iis qui in carcere vinculiſque, religionis cauſâ, tenebantur, aut ſolatio eſſet aut ſtimulo, ad martyrea librum inſcripſit, in quo latè jactat illud: *Nihil intereſt ubi ſitis in ſaeculo, qui extra ſaeculum eſtis.* Ut autem evincat carcerem ſaeculum eſſe; & corpore liberos, & animo liberiores oſtendit: itáque eos alloquitur etiam in ipſo ſquallore carceris: *Quid vos*, inquit, *benedicti? De carcere in cuſtodiarium ſi fortè tranſlatos exiſtimetis: habet tenebras ſed lumen eſtis ipſi: habet vincula; ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic exſpirat; ſed vos odor eſtis ſuavitatis. Iudex exſpectatur; ſed vos eſtis de judicibus ipſis judicaturi. Contriſtetur illic, qui fructum ſaeculi ſuſpirat. Chriſtianus extra carcerem ſaeculo renuntiavit; in carcere autem, etiam carceri.*

Hujua rationem ab inſigni quadam animi altitudine ducendam eſſe pronuntiat; ab illa enim & animus à corpore & à ſeipſo quodammodò videtur diſceſſiſſe: & in Cœlum Deumque totus exceſſiſſe:

Ideòque, inquit, *auferamus carceris nomen, receſſum vocemus: etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent. nihilq; crus ſentit in nervo, cùm animus in Cœlo eſt: Totum quippe hominem animus circumfert, & quò velit transfert.*

Hæc ille de ſui ſaeculi Martyribus: ſed non omnium eſt ea felicitas: uti nec illa quàm ſuavi doctáque eloquentia commendat D. Bernardus: *Stat*, in-
Serm. 6. in Cant. quit, *Martyr tripudians & triumphans, toto licèt lacero corpore & rimante latera ferro; non modò fortiter, ſed alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Ubi tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petrâ, nempe in viſceribus IESV, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet viſceribus ſcrutans ea, ferrum profectò ſentiret: nunc autem in petrâ habitans, quid mirum ſi in modum petra obduruerit? Neque mirum ſi exul e corpore dolores non ſentiat corporis: neque hoc facit ſtupor, ſed amor; ſubmittitur enim ſenſus, non amittitur.*

Sed, ut dixi, non omnium eſt ea felicitas, is Superùm favor, eæ deliciæ, à quibus verum illud in præcelſis illis mentibus. *Nihil intereſt, ubi ſitis in ſaeculo, qui extra ſaeculum eſtis.* Sitis in arente terra, extorri ſolo, & quantumvis immani exilio damnati: *nihil intereſt, quia extra ſaeculum eſtis.* Sitis in arctione cuſtodiâ, in ſitu ſqualoréque putidi carceris; *nihil intereſt, quia extra ſaeculum eſtis.* Diſtenti ſitis in equuleo, in cataſta poſiti, in cruce fixi, in ignibus & flammis ſemiuſti: *nihil intereſt, quia* etiam *in his extra ſaeculum eſtis.* Sitis denique in atrociſſimis tormentis, in ipſo miſerabilis fati limine mortiſque faucibus: *nihil intereſt, quia* etiam in iis conſtituti, *extra ſaeculum eſtis.*

Tanta nimirum vobis Cœlo propitio fœlicitas obvenit; quæ ſi in omnium eſſet manibus, nihil omnino ab alto die, ab immitti ferro, à crudeli perſecutorum manu foret extimeſcendum. Verùm ut eos in iſtâ Cœli indulgentiâ, Numiniſque favore miremur & amemus; at certè videmus alios lugemuſque, quos non eadem occupat tueturque Superùm gratia; & hinc (quod ingens malum, infelixque lapſus) nonnullos ſcimus, qui fortiter è carceribus emiſſi ad martyrii metas palmamque properabant, in ipſo curſu cecidiſſe turpiter, nec metam attigiſſe: Ita plerumque navigia, poſt ſuperatos maris æſtus, ventorum turbines, fœdas tempeſtates fluctuſque decumanos; in ipſo portu, aquis hauſta, & alto demerſa naufragium feciſſe novimus.

Homil. in 40. Mart. Narrat S. Baſilius ſub Licinio Imp. in Armeniâ, quadraginta pugiles Chriſtianos, militari laude, & corporis robore florentes ob Chriſti fidem captos fuiſſe: qui cùm neque muneribus, neque laminarum, tœdarum, unguiumque terroribus de gradu conſtantiæ deturbari potuiſſent; tandem acerbiori, quàm primo aſpectu quiſquam putes, ſupplicio mori coacti ſunt. Sub mœnibus civitatis lacus erat ob frigoris acerbitatem glacie conſtrictus, in eo quadraginta fortiſſimi Athletæ, nudi, Jove ſub algidiſſimo, urentibus ventis, & penetrantibus frigoris morſibus, pernoctare coguntur. Ac nè in eâ hyemis gelidique elementi inclementiâ, ſua deeſſent ad defectionem illicia; non longè in ipſa lacus ripâ tepefactum balneum collocatur, ut ſi quis à Chriſto vi doloris vellet deſciſcere, frigori excutiendo, & relevando corpori haberet perfugium. attende quæſo doloris magnitudinem.

Corpus frigore jam ſeſe immittente, primò in pallorem concreto ſanguine, vertitur: deinde turbatur & fremit, dentes frendent, venæ contrahuntur & nervi, adeóque & totum corpus conſtringitur: dolor inſuper acutus, & cruciatus inenarrabilis per medullas penetrans, intolerabile facit ſic frigore concretis tormentum; quod deinde in acutum tendit, ut igne conſumi videantur: ab extremis namque corporis partibus ſubintrans vapor, & ad interiora ac penitiora confugiens, quædam unde abſiſtit, mortua relinquens, nonnulla verò, ad quæ tendit, doloribus afficit letalibus: Etverò eò loci ac temporis ita malè affecit, ut ex iis unus frigoris æſtu atque urigine victus, Chriſtoque perjurus, in balneum proximum ſeſe conjecerit: in quod ubi intravit derepentè mortuus eſt, corpore, quod glacie jam obriguerat, aquæ calidæ attactu diſſoluto. Sic abiit miſella animula ad inferos, & dum unius horulæ tormenta putat effugere, in ſempiterna inferorum incendia cruciatúsque ſaſe induit.

Quod illi quondam, hoc etiam cuique evenire poteſt: & certè eveniret quamplurimis, niſi ſuperior aliqua vis accederet, quæ deficienti corpuſculo robur adderet: & ¦iode ſuboritur ab alto die neſcio quis timoris æſtus ac trepidatio; quæ etiam ea alio capite augeri ſolet. Certamina noſtra ſpectat è Cœlo DEVS, & ingruentes cervicibus noſtris tempeſtates deſpicit; ſed quandoque eo ferè modo, quo Servator optimus, cùm navicula, qua vehebantur Apoſtoli, operiretur fluctibus: à quibus etſi vigilarent, imò exanimarentur cæteri, dormiebat ipſe periculi ſecurus ac tempeſtatis. Verùm is ſomnus ſubitò diſcuſſus ad has Diſcipulorum voces: *Domine ſalva nos, perimus*; tum enim ſibi Matth. c. 8.
ſuiſque à ſopore quaſi redditus, imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.

Si quoties imminet tempeſtas aliqua, ſæviuntque venti turbato hujus vitæ pelago, adeſſet Servator aliquis, qui furentibus undequaque perſecutionum fluctibus modum finémque poneret; benè nobiſcum agi cenſeremus; nec ab alto die metus ullus ingrueret, ſi modò ad paucas voces opportunum è Cœlo adeſſet auxilium: ſed quandoque & ſæpiùs clauſum illud dixeris, & malis noſtris obfirmatum.

Ita ſecum olim actum teſtatur Huſſæus Vates, gratus tamen ſuperis Orator. Cùm gemeret ille, fatiſceretque ſub ingenti perſecutionum mole, à qua & in fortunis ampliſſimis, & in liberis numeroſáque prole, & in corpore fœdè laniatis; cùm inquam gemeret, querelaſque Cœlo terráque teſte deponeret, impetu quodam fatiſcentis animi, ira de Deo queſtus: *Clamo ad te, & non exaudis me; ſto & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi.*

Si tu, ô DEVS, qui certantium es agonothetes, clamantem non audis; quis exaudiet? Si ſtantem in pugna fortiter deſpicis, quis aſpiciet? Si mutaris in crudelem, qui viſcera miſericordiæ ceteris induis; ecquis miteſcet? Si durâ ferreáque manu adverſaris: ecquis

ecquis erit propitius? Nullus enimverò, nullus erit: & hinc alterum accedit malum, & illud quidem longè maximum (quod cum veniâ dictum velim, ô ſumme Univerſi rector & arbiter) à tuâ illâ conniventiâ, & ſi pateris etiam duritie. Patienti Jobo, cæteriſque appellunt importunæ impiorum voces, & in Cœlum ſuperoſque blaſphemiæ: eæque iterum ac ſæpiùs ingeminant antiqua illa, & multo ſæculorum lapſu detrita verba: *Ubi eſt Deus eorum?*

Sed ne longiùs: jam rationum querelarumque eſt ſatis; remedio opus eſt opportuno: dabit illud Augustinus, & quidem ad illas infidelium voces toties invito Cœlo jactatas ita reſpondebit: *Deus meus ubique præſens eſt, ubique totus, nuſquam incluſus, qui poſſit adeſſe ſecretus, abeſſe non motus. Ille cùm me adverſis rebus exagitat, aut merita examinat, aut peccata caſtigat.* Ita reſpondit olim Auguſtinus, & ita reſpondere voluit familiam Chriſti infidelibus omnibus, cùm exprobrant, quòd eam Chriſtus ab hoſtium furore, & barbarie non liberaverit. Sed hoc ipſum patebit magis ex ſequenti paragrapho.

Lib. de Civ. Dei. c. 29.

§. 2. *Afferuntur cauſæ tribulationum omnium.*

HOc in alto die umbraculum, & in adverſitate ſeu remedium, ſeu ſolatium eſt, ejus cauſas omnes longè ante quàm eveniat, pervidiſſe; ſic enim nihil importunum, nihil improviſum accidit. D. Auguſtinus, à quo non tam verba petuntur quàm oracula, omnem malorum eluviem, quâ obruimur, è duplici fonte manare docuit: cùm enim eam moviſſet quæſtionem, quæ in ſcholis & pulpitis eſt frequens, Unde in hominum genus emittatur ſæviatque tribulatio? hæc ſubjicit:

L. 83. quæſt. quæſt. 27.

Omnis tribulatio, aut pœna impiorum, aut exercitatio juſtorum: quia eadem tribula & paleas concidit, & frumenta à paleis exuit, unde tribulatio nomen invenit.

Utitur eleganti ſimilitudine, quæ propoſitæ quæſtionis nodum eò faciliùs diſſolvat, quò ratio, unde illa ducitur, apertiùs & clariùs ſub oculos ponitur.

Eſt Eccleſia & fidelium omnium congregatio velut area, per quam ſparſæ paleæ, ſparſum & triticum, & hoc illis permixtum: expectandus ventilator, qui triticum à paleis, paleas à tritico diſcernat.

In Pſ. 194.

Nemo, inquit, *ſe ſeparet, nemo ſe disjungat: triticum es, fer tu aream quouſque ventiletur. De area vix excutieris, ſi triticum es. Si triticum eſſes ſeris ab area, invenirent te volatilia, & colligerent te. Adde quia eo ipſo quòd diſcedis & volas, paleam te eſſe indicas; ſed quia levis eras, venit ventus, & de ſub pedibus boum ablatus es: qui autem triticum ſunt, ferunt trituram; gaudent, quia grana ſunt, gemunt inter paleam: expectant ventilatorem quem cognoſcunt redemptorem.*

Ille in extremo hujus orbis actu paleas à tritico ſeparabit, & illas quidem igni tradet; hoc beatæ reſervabit æternitati: & quia hæc ipſa, nihil inane, nihil leviuſculum, nihil futile patitur, & in horrea beatitatis admittit; ideò neceſſum eſt ut priùs triticum à paleis exuat, quod facit tribula ipſius vel pondere vel beneficio. Dixi, beneficio: ſi enim tritico ſua mens, ſuus eſſet ſenſus, non ægrè pateretur ſe premi, ſe teri, volvi ac revolvi: nec de incumbente trituræ mole, & verſatili ligno quereretur: utpote à quo ſentiret ſe paleis eximi, nudari aridâ, exſuccâ, leviuſculâ illâ veſte, & nativo puróque decori reddi atque in humanos uſus, ad quos natura formavit, aptari. Sic nec queri poterit juſtus aliquis ſine ventilatoris ſui, id eſt Creatoris, injuriâ, ſi ſub aliquo tribulationum pondere ponatur, ſi prematur illo, imò & atteratur: novit enim ab illo purgari ſe paleis, hoc eſt vitiis, & primo nitori, id eſt virtuti reſtitui.

Cedo mihi ferrum longa rubigine exeſum; non Vulcanum arguet, edaceſque flammas, in quas immittitur; non incudis duritiem, non mallei inclementiam damnabit, à quo tamen repetitis ictibus vapulat atque contunditur: quia ut gemere, tundique videatur malleum inter & incudem; ab his priſtinâ donatur formâ, rubiginemque omnem ac vitium deponit.

Cedo mihi, ſi voles, & aurum: eſt enim metallum Princeps, avari ſoli partus ac divitiæ; & tamen ignes ac flammas patietur illud, amabitque diſſolvi totum ac liqueſcere, vel eò tantùm, ut probetur magis, & adulterinam materiam ſibi mixtam expuat: ſic & omnis juſtus, ſi modò noverit ſe tribulationis igne Cœlo Superiſque probari atque exerceri, in eum veniet, non modò non invitus, ſed & lubens voleníque: ſatis memor ut antiquum illud, ita & verum: *tanquam aurum in fornace probavit illos*; In fornace ardet palea, & purgatur aurum: illa in cinerem vertitur, & hoc ſordibus exuitur. *Fornax mundus, aurum juſti, ignis tribulatio, artifex Deus*, inquit Auguſtinus; bonus omninò artifex, à quo non redeas niſi purior, exercitatior, imò etiam doctior ab illâ tribulationis palæſtrâ: in quâ vulgatum illud receptumque pronuntiatum: παθήματα ſunt μαθήματα: *paſſiones ſunt diſciplinæ*: ideoque is inter illas eſt nexus, eaque neceſſitudo, ut illas qui reſpuat, has quoque cenſendus ſit reſpuiſſe; & qui admiſerit, admiſiſſe, veluti ſingularem aliquam præſtantemque divæ mentis exercitationem, quam omni ævo neceſſariam viri imprimis ſapientes judicavêre.

Sap. 3. v. 6.

In Pſal.

Fuit olim apud Romanos, in ampliſſimo illo orbis theatro, propoſita & agitata ea quæſtio: Expediréttne Romanæ juventuti, partæque Urbi ab armis gloriæ, Carthaginem Romæ æmulam dirui penitus atque everti: itum, ut plerumque fit apud magna ingenia, in diverſas pugnanteſque ſententias; quarum meminit Auguſtinus, ab iiſque ducit argumentum inſtituto meo accommodatum. Erant eò loci ac temporis duo urbis Romanæ lumina, hinc Scipio Pontifex, inde Cato: hic deſtruendam cenſuit, ſoloque exæquandam; ille conſervandam omnino Carthaginem, ut haberet Romana pubes, quo exerceretur, quódve metueret: placet ſuper ea audire piè declamantem Auguſtini eloquentiam:

Scipio Pontifex maximus, ille judicio totius Senatus vir optimus, metuens Urbis calamitatem, nolebat æmulam tunc Romani imperii Carthaginem dirui; & decernenti, ut dirueretur, contradicebat Catoni; timens infirmis animis hoſtem, ſecuritatem: & tanquam pupillis civibus idoneum tutorem, neceſſarium eſſe videns terrorem.

Hæc Chriſtianâ eloquentiâ S. Præſul, qui ſecuritatem ac pacem, quam alii matrem appellant, ipſe novercam, imò & hoſtem vocitabat. quia, ut inquiebat, *ſecundis rebus ea mala oriuntur in moribus, quæ ſævientibus pejora ſunt hoſtibus*: ab his enim etſi terror aliquis emanet, eſt tamen is tutor idoneus, ſeverus cenſor, ac veluti pupillis civibus pædagogus: ita cenſuit, ita dixit Scipio: *Nec eum ſententia fefellit: re enim ipſa probatum eſt, quàm verum diceret: deletâ quippe Carthagine, magno ſcilicet terrore Romana Resp. depulſo & extincta; tanta de rebus proſperis orta mala ſubſecuta ſunt, ut corrupta diruptaq́; concordia, priùs ſævis cruentisq́; ſeditionibus, deinde mox malarum connexione cauſarum, bellis etiam civilibus tantæ ſtrages ederentur, tantus ſanguis effunderetur, tantâ cupiditate proſcriptionum ac rapinarum ferveret immanitas, ut Romani illi, qui vita integriore mala metuebant ab hoſtibus, perditâ integritate vitæ, crudeliora paterentur à civibus.* Et hæc de illo argumento Auguſtinus, à quo hoc in rem meam verti velim: tribulationem optimam eſſe magnorum virorum exercitationem.

Ut enim diſertè D. Gregorius: *Electorum deſideria, dum premuntur adverſitate, proficiunt; ſicut ignis flatu premitur ut accreſcat, & unde quaſi extinguitur, inde roboratur.* In moral.

Plura

Plura in hanc ſententiam cogi poſſent SS. Patrum teſtimonia, à quibus conſultò abſtineo, calamumque nunc ad ea præcipitem ſiſto, quia cuique facilè obvia: unicum tantùm ex Auguſtino iterum produco, ut iis ſim ſolatio, qui ex eo quòd Cœlum tonet, quòd adverſâ ac reflante fortunâ turbines emittat, iratum ſibi Numen opinantur & clamitant. Horum voces impetuſque animi de Deo parum æquè ſentientes hac una ſententiâ retundit: *Adverſitas quæ* Lib 2. Conf. cap 2. *bonis viris objicitur, probatio virtutis eſt, non indicium reprobantis.*

Tranſeo ad alteram tribulationis cauſam, quam initio mihi propoſui: ea fuit pœna impiorum: & quia hæc in aperto eſt, atque in luce totius Univerſi; ut tam ratione diſcatur, quàm ſenſu: ideò ad eâ exponendâ brevior ero & contractior: lectoremque benevolum uno dumtaxat Tertulliani, auctoris longè graviſſimi, teſtimonio erudiendum ſuſcipiam, ac deinde bona cum venia dimittam.

Primum oſtendit inuſtam generi noſtro inſignem avaritiæ labem & inſanam longè latéque dominandi libidinem: deinde altiore, ut ſolet, cothurno inſurgit, & emiſſa Cœlo vindice ſupplicia explicat:

Omnia, inquit, *jam pervia, omnia nota, omnia negotioſa; ſolitudines famoſas, retrò fundi amœniſſimi obliteraverunt ſylvas, arva domuerunt, feras, pecora fugaverunt, harena ſeruntur, ſaxa panguntur, paludes eliquantur: tanta urbes, quanta non caſa quondam: ubique domus, ubique populus, ubique reſpublica, ubique vita, ſummum teſtimonium frequentia humana.*

Ubi ſic Orbe toto diffuſa gentis noſtræ examina fuiſſe docuit; tum ſuum de illis ſenſum aperit, & elatiore ſtylo exclamat: *Oneroſi ſumus mundo, vix* Ibidem. *nobis Elementa ſufficiunt, & neceſſitates arctiores, & querela apud omnes, dum jam nos natura non ſuſtinet. Revera lues, & fames, & bella, & voragines civitatum pro remedio deputanda, tamquam tonſura inſolentiæ generis humani.* Hæc Tertullianus, qui paucis multa complectitur.

Primùm oneroſos nos eſſe mundo; non naturâ ſed culpâ, quæ grave eſt & immenſum onus, ſub quo & ipſe laborat Orbis, turbanturque Elementa: ita turbatum & propè everſum mare eaque navicula, quæ Judam vehebat: de quo diſertè D. Ambroſius: in Luc. c 5. *Non turbatur navis, quæ Petrum habet; turbatur illa, quæ Iudam habet: etſi multa illic Diſcipulorum merita navigabant; tamen eam adhuc proditoris perfidia agitabat, in utraque Petrus, ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis.* Vehebatur eâdem cymbâ Petrus, vehebantur & alii Apoſtoli, magni illi heroës, vehebatur & ipſe Chriſtus, ipſa bonitas ac ſanctitas; & tamen ab unius Judæ perfidiâ velut immenſo pondere navicula ſubſidit: adeò verum illud, *oneroſi ſumus mundo, vix nobis elementa ſufficiunt*, nec jam nos peccatores natura ſuſtinet.

Alterum, ea flagella, quæ nos premunt eſſe ægris mentibus *pro remedio*: te enim ipsâ ſummus ille animarum medicus, ut morbos ex animo, velut alieno diverſorio expellat, malorum agmina immittit: & hinc famem, inde luem, iſtinc belli fulmina, ferrique aciem oſtentat, atque altè imprimit, ut ſanet. & ita factum olim cum Jobo, etſi tantùm peccatoris umbra typuſque foret: unde fluxerunt amicæ illæ de Deo querelæ. *Inſtauras teſtes tuos* (id eſt morbos) *contra me, & multiplicas iram tuam adverſum me, & pœnæ militant in me.* Reverà enim niſi militarent, nec Deo militaret homo.

Poſtremum denique, quod ubere eloquentiâ ad peccati ſtragem traduxit Tertullianus, eſt, quòd fames, lues, bellum, aliæque pœnæ ſub quibus ingemiſcimus, *ſint veluti tonſura inſolentiæ generis humani.* Quod enim illa eſt nemori, hoc & generi noſtro. Si triceniâ eòque ampliùs annis incædua fuerit ſylva, ſeſe effundit, atque exonerat in noxias propagines, à quibus ſuccreſcentia germina ſuffocantur & pereunt; non exiguo incolarum damno. Hinc ſtatis annis cæduum eſt omne nemus, nec ultrà excreſcere & luxuriare permittitur. Sic & homo, qui etiam audiit olim arbor inverſa, inſtar nemoris ſylveſcit totus, & in peſſima ſeſe ſpargit germina: niſi aut peſte, aut ferro fiat cæduus ac tonſilis; tum enim inutiles damnoſaſque adnaſcentium ſeu paſſionum, ſeu etiam vitiorum propagines deponit, atque abjicit, ut proxima pagella edocebit.

§. 3. *Producuntur eximii tribulationum proventus.*

OPportunum in alto die æſtuque tribulationum effugium eſt, audax & liber animus, amorque patiendi; à quo ſi non tollitur, at certè multum imminuitur doloris vehementia. *Durum enim ſed levius fit patientiâ quidquid corrigere eſt nefas*: mala autem omnia, quæ hos ſequuntur æſtus aut corrigere aut detergere velle, eſt nefas: ut enim Seneca: *Ad hoc ſacramentum adacti ſumus ferre mortalia; nec perturbari his quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt*: non eſſe autem noſtræ poteſtatis hinc liquet, quòd ea nobis quodammodò congenita, & toto velis nolis Orbe ſparſa.

Dicitur olim declamator aliquis apud Senecam graviter queſtus, quod quocumque pedem figeret, in ſpinas incurreret, ſeque fœdè cruentaret. Cui illicò reſponſum eſt; eas pedibus ejus adnaſci & adhæreſcere, ideóque de viæ ſemitæque injuriâ atque aſperitate queri deſineret: pedes potiùs ſuos aſpiceret atque excuteret; ab illis enim ſpinarum aculei, cruentique atque edaces motus.

Quod illi, hoc pleriſque mortalium uſu venit: gemunt illi, quòd quocumque pedem animúmve flectant; in tribulos, in ſpinas, in arctas difficultates offendunt. Verùm illud non tam viæ hujus mortalis vitium eſt, quàm depravatæ mentis; quamquam & hujus & illius aliqua eſt culpa.

Ut enim verè ac ſuaviter D. Bernardus, *Spina culpa eſt, ſpina pœna eſt; vide quomodò cautè ambules inter* Serm. 48. in Cant. *ſpinas: plenus eſt mundus ſpinis. in terra ſunt, in aëre ſunt, in carne tua ſunt; verſari in his, & minimè lædi, Divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ.* Ideoque longâ ac perenni opus eſt patientiâ; ingens enim *etiam* ipſa patiendi *neceſſitas*: quod etſi declinare aut infixum refigere non poſſis omnino, at certè potes, ut mollius imprimatur efficere: efficies autem, ſi commodas tibi ob oculos poſueris meditationes, eximioſque à tribulatione proventus, ad quos priuſquam elabar, id ſtatuo, eum & ſibi & aliis ignotum vivere ac mori, qui nihil adverſi tulerit in vita. de eo ita philoſophari ſolebat Demoeritus: *Nihil infelicius eo, cui nihil advenit unquam adverſi: non licuit illi ſe experi-* Seneca l 1. de Provid. *ri, ubi ex voto illi fluxere omnia, ut ante votum.*

Hæc ille Philoſophus vel ipſa natura duce: aliquid ampliùs & ſenſiſſe & dixiſſe viſus eſt Seneca, cùm illud è muſeolo ſuo effatum extulit. *Miſerum te eſſe judico qui nunquam fuiſti miſer: tranſiſti ſine adverſario vitam: nemo ſciet quid potueris, ne tu quidem ipſe: opus enim eſt ad ſui notitiam experimento. Quid quiſque poſſit, niſi tentando non didicit.*

Philoſophis illis, quibus ſtudium ſapientiæ fuit in primis curis, nihil antiquius, nihil ſolemnius illo pronuntiato, & melioris Philoſophiæ oraculo: *Noſce teipſum*: quod ut in omnium oculis eſſet, in templo Delphico adſcribi placuit, velut cœleſte ac divinum quoddam effatum, quod qui in ſe expreſſiſſet, beatus eſſe & dici poterat; eo qui caruiſſet, miſer: at careat ille neceſſe eſt, cui nihil unquam in vitâ obvenerit adverſi. his ita ex vero bonóque conſtitutis, ad illos tribulationis fructus orationem ſtylumque verto.

PRIMUS FRUCTUS.

Gratia Prædeſtinationis.

BOnis mentibus nihil adeò in votis & amoribus eſt, ac ipſa beatitas, quæ ſuavi potentique illecebra ad ſe allicit rapitque; ea porrò non levi pendet à frutice; ſed è preſſura ac torculari petitur. Vadem habeo Auguſtinum, cui fidem negare nec audeas, nec verò etiam poſſis. Ille hominem æternæ natum beatitati comparare ſolebat cum uvâ & olivâ, quæ gemit in torculari; reprobum autem, & à ſuperis averſum, cum eâ, quæ etiamnum pendet è frutice, ſuoque tenaciùs adhæret ſtipiti.

In Pſ. 62. *Uva*, inquit, *& oliva quamdiu pendent in frutetis ſuis libero aëre perfruuntur: at nec uva vinum eſt, nec oliva oleum ante preſſuram. ſic ſunt & homines, quos prædeſtinavit Deus, antequam accedant ad ſervitutem Dei, fruuntur in hoc ſæculo tamquam deliciosâ libertate, velut uvæ aut olivæ pendentes. Sed accedens quiſque ad ſervitutem Dei, ad torcularia ſe veniſſe cognoſcat; contribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc ſæculo pereat; ſed ut in apothecas defluat.*

Da mihi hominem in paucis amantem ſalutis ſuæ ac beatitatis: nihil adeò illum pungit ac ſollicitat atque illud: ſitne in æterna illa divinaque mente ſcriptus Cœli civis & accola; ſitne, ut in ſcholis loquimur, prædeſtinatus: ſi aliqua hujuſce beneficii ſpes melior affulgeat; ſi conjectura longè probabiliſſima, ſi Superi patiuntur, etiam certa acceſſerit ſcientia, tum ille omnibus incedit lætitiis, nec ſe ipſe præ gaudio capit: adeò ſuave, amabile, magnum & ſingularis cujuſdam gratiæ loco eſt, hoc antè pervidiſſe, & in cœleſtibus tabulis nomen ſuum impreſſum adlegiſſe. At ecce, Auguſtino teſte, atque interprete divinæ mentis, prædeſtinatus es: ſi modò ſis uva, ſis oliva; ſed in preſſurâ & torculari.

Si enim adhuc pendes è frutetis tuis, ſi mundo adhæres atque adniteris, ſi liberum ejus hauris aërem ſpiritumque vanitatis, ſi deliciosâ frueris libertate, ſi pendes ut uva aut oliva tuo de ſtipite: pendes certè ſpem inter & metum: meritò anxius dubiuſque de ſalute. & talis es antequam accedas ad Dei auctoriſque tui ſervitutem: liber enim tibi videris, & ſervus es; in deliciosâ vivis ac ſpiras libertate, ſed mirum quantùm animæ noxiâ: pendes è frutetio tuo ac ſtipite; ſed nec uva es, nec oliva, quæ Cœlo beatiſque ſapiat: at ubi ad Creatoris tui ſervitutem propiùs acceſſiſti, ubi ad torcularia veniſti, ubi contribularis, contereris, comprimeris; tunc demum incipis defluere, & elabi in cœleſtes apothecas: quod beneficium quantum ſit, is ſolus æſtimat, qui Cœlum æquis oculis aſpicit, & animo ac cogitatione metitur ac penſat præmia æternitatis. Certè ſanctiſſimæ quondam in terris animæ, dum adhuc dubiæ ac fluctuantes nutarent inter utramque æternitatem, liquidò oſtenderunt, quanti penderent, hanc Cœlo propitio gratiam antè pervidiſſe.

S. Antonius de Paduâ, magnum illud lumen Franciſcanæ familiæ, cùm divinâ revelatione cognoviſſet laicum hominem, tunc quidem moribus non optimis de prædeſtinatorum eſſe numero, & in libro Vitæ jam inde ab æternitate conſcriptum: tanto eum honore ac reverentiâ colere cœpit, ut non modò mirarentur & ſtuperent alii; verùm etiam ille ipſe laicus ſtomacharetur.

Sed Antonius homini ſubirato; imò quandoque niſi à tali reverentiâ deſiſteret, minitanti, reſpondit, continere ſe non poſſe, quin eum coleret, omnique honoris officio proſequeretur in terris, quem in Cœlos relatum jam modò noviſſet. Quod ſi in alium is fuit Antonius, quis in ſeipſum futurus fuiſſet? Sanè D. Franciſcus cùm aliquando in extaſi exceſſuque præcelſæ orationis, de ſua prædeſtinationi certior factus eſſet, nomenque ſuum in illo cœleſti electorum codice legiſſet, ſtatim atque ab illo exceſſu ad ſe rediit, exclamavit, *Laudetur Dominus Deus meus, ipſi gloria & honor ſine fine.*

Ea cogitatio, is impetus exultantis animi & in ſeipſo geſtientis, ſic octo dies integros tenuit, ut nec de ullâ re aliâ loqui, imò nec cogitare poſſet, ac ne horas quidem Canonicas decurrere: adeò volupe fuit in illâ unâ meditatione hærere ac deliciari. Sed non omnibus id conceditur beneficii, ut iis pateat & aperiatur beatus ille liber, in quo ſua nomina impreſſa legant: at multorum eſſe poteſt ea gratia, is favor, ut ſint de numero eorum, *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*: Confor- Ad Rom. c. 8. v. 29. mes, inquam, in paſſionibus, in cruce, in ipsâ mortis imagine: quos autem ita præſcivit in ideis Divinis, & prædeſtinavit æterno atque immutabili voluntatis ſuæ decreto; hos deinde luci datos ac vitæ ad gloriam vocavit, eâdem crucis viâ in Cœlum gloriæque domicilium transferendos. hoc uno perſecutionum bono, te ipſe ſolare, probè memor illius, quod etiam Iſidorus: *Semper Deus hic hos vulnerat, quos ad ſalutem perpetuam præparat.*

SECUNDUS FRUCTUS.

Virtutum ſecurus & gratia.

DIvi Patres Auguſtinus & Chryſoſtomus, magna illa lumina ſurgentis Eccleſiæ, hunc tribulationum fructum familiarem faciunt, & ſub oculos ponunt duplici ſimilitudine: una ducitur à vite, altera ab aratro. Vitis uvarum eſt ferax, terra frumenti parens: at neque illa vinum fundet, neque hæc panem dabit vitæ ſuſtinendæ neceſſarium, niſi & uva ſupponatur torculari, & terra findatur aratro. *Uva*, inquit Auguſtinus, *in vite preſſuram non ſentit, integra videtur; ſed nihil inde manat. mittitur in torcular, premitur. Injuria fieri videtur uvæ; ſed iſta injuria ſterilis non eſt. imò ſi nulla injuria accederet, ſterilis maneret.*

Vidiſti aliquando ſive in ampla regione, ſive in arvo clivoſo, adultas & matrices vineas, ut ſua diſtendunt brachia, ut pampinis ornantur, ut ſeſe in racemos frequentes, & confertas uvas exonerant? ea vitis eſt gloria, ea felicitas: Sed quis inde generi noſtro fructus? Quis proventus? Quamdiu de vite, ceu de matre pendet uva, quamdiu preſſuram non patitur; oculos quidem oblectat ſeu virenti candore, ſeu ſubcæruleo rubore: at guſtum nunquam reficiet, niſi decidatur, mittatur in torcular ac conculcetur. Crederes injuriam fieri uvæ dum ita teritur: at ex vero nulla ei fit injuria; imò verò fieret quàm maxima niſi ſic premeretur. Si enim ſemper pendula maneret in vite; ſterilis maneret, imò etiam ſua ſponte diſſolveretur tota, atque putreſceret: at ubi ſubjicitur preſſuræ ac torculari, tum ex ſe purum putumque merum effundit; quod & homines, & propè Deos oblectet.

Quæ vitis, eadem & juſti ratio: ſi ſuus eſt ille, plerumque tepet frigetque, qui calere debuit divinus amor: at multo plenus erit & charitate, ſi ſub aliorum pedibus fuerit immanique tyrannide.

Mundus, inquit D. Ambroſius, *vindemiarum ubertate lætatur; nos ſanctorum paſſione gaudemus: quæ quidem paſſio vindemiæ comparanda eſt: ſicut enim uvarum compreſſione vinum funditur; ita & ſanctorum Martyrio vini vice ſanguis effunditur; niſi quod uva temporales fructus præſtat, paſſio ſempiternos.* Serm. 92. de Natali S. Cypriani.

Rectè ergo martyrium vindemiis comparatur. habet enim & ebrietatem ſuam, habet & calicem ſuum, de quo dicit Propheta David, *Et calix tuus inebrians, quàm præclarus eſt.* Ab illo calice, & cordi lætitia, & calor animæ, & fidei puritas emanat; ut eo loco diſertè probat mellifluus Doctor.

Et

Et hi quidem ſunt ubertimi atque lectiſſimi tribulationum fructus, quos aliâ ſimilitudine declarat os illud aureum, à cujus eloquentiâ ardoreque dicendi attonita hæſit antiquitas. Cenſuit ille pias juſtorum animas eſſe veluti ſolum molle atque verſatile, quod tribulatione ceu aratro ſubigitur.

Spectaſti quondam agricolas laborum io paucis patientes, aratrum ducere, ſtivæ inniti atque iocumbere, & eâ ferrum ad ima rejectum premere ut terram penetret ac pervadat profundiùs: illa ſecari ſe, verſari, & io ſulcos agi patitur: & ſi non pateretur, nec ſemen admitteret, nec lætas ederet ſegetes, nec albentem orbi ſamelico meſſem redderet: reddit autem ubi labore ac ſudore multo, imò & aliqua ſi voles ſui injuriâ damnóve eſt ſubacta.

Sic & boni omnes ſuas habent arationes, ſuos agricolas, à quibus non terris ſed Cœlo excolantur. Qui ſint illi, è D. Chryſoſtomo ſi quæras; audies malos eſſe *bonorum agricolas.* Hi nimirum eos duris laboribus exercent ad multas ſegetes, ad patientiæ virtutúmque meſſem; ad proventus, qui non hyemem unam alterámve ferant, ſed ipſam quoque æternitatem.

Ita ſecum olim actum ait Propheta Regius, dum eo ſub onere exclamat, *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores:* vel ut vertit Aquila, *Araverunt peccatores:* quia tribulationes, ut exponit Chryſoſtomus, *Arationes quædam ſunt.* ſub iis ſi premeris, ſi verſaris partes io omnes, ſi quaſi in animo ſulcos pateris; ne geme, ne plora, ne damna agricolas illos: tibi enim laborant, tibi ſerunt quod aliquando cum gaudio metes, ubi corpus hoc mortale, hanc luteam molem, quæ aratri ferrum timet, excuſſeris.

Agedum ergo, ô Anime, ſi terra es Cœlo ficta & æternitati, aratrum admitte & exultans patere; ſi uva es, & quidem inter ſpinas, id eſt malos, quaſi ſuccreſcens, ne earum aculeos time:

Lib. de Paſtor. Tom. 9. *Pendet*, inquit D. Auguſtinus, *uva inter denſa ſpinarum, ſed non ſurgit de radice ſpinarum: cautè manum immitte, ne lacereris à ſpinis, id eſt, ne facta imiteris malorum, & lege uvam inter ſpinas pendentem, ſed de vite naſcentem. Ad te perveniet botri alimentum, ſpinis ſervatur ſuum tormentum.* Jure meritiſſimo dixit D. Auguſtinus, *botri alimentum*, quia ut alimento nutritur, creſcit, augetur omne quod vivit: ſic perſecutionibus adoleſcit & creſcit juſtus omnis, augetur & triumphat Eccleſia.

Terræ Cœloque nota innocentis Joſephi afflictio, fratrum invidia, ciſternæ ſitus & ſquallor, impudentis feminæ dolus, & umbra carceris; à quâ tamen evaſit ad lucem, & magni culmen imperii ideoque à parente ſelici nomine & omine dictus, *Filius accreſcens Ioſeph:* vel ut legit D. Hieronymus, *Filius auctus ſuper fontem.* Nimirum Joſepho adverſitas fuit, quod rivulis eſſe ſolet fons & ſcaturigo: ut enim hæc perenni fluxu novas & novas ſemper effundit aquas, quibus vicina loca irriget ac perfundat: ita afflictio fons eſt, qui pias mentes, ipſumque Eccleſiæ campum imbuit ac fœcundat, facitque ut creſcat in meſſem magnam.

In vita S. Malach. *Eccleſia*, inquit D. Hieronymus, *perſecutionibus crevit, martyriis coronata eſt: ipſa poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt.*

Sic quantum à fonte perſecutionum fluxerat boni, tantum à proſperâ ridentíque fortunâ mali videtur refluxiſſe: adeò verum illud D. Gregorii Nazianzeni; *Facilius videtur adverſam fortunam ferre, quàm ſecundam conſervare.* His cogitationibus, ceu imminente umbrâ, adverſitatum æſtus, altoſque dies molliter falles, feliciterque declinabis, ubi tibi ipſe perſuaſeris, eum eſſe divinæ Providentiæ ludum amabilem, ut etiam à malis bona quàm maxima elicere conſueſcat.

TERTIUS FRUCTUS.

Inſignis morum converſio & ſalutaris pœnitentia.

NOs humiles animæ quandoque plus æquo contiſcemus, & proni in cupiditates noſtras abjicimur, noſtri Deique immemores: ut ſopitam memoriam Numen excitet, ſua tonitrua Cœlo fulmina excitit; ſuas à ſolo ſalóque, imò & ab Orco tempeſtates excitari patitur, ut ſi efferatum pectus non moveant proſpera, at certè commoveant adverſa. Ita quondam in purpura ſceptróque David, cùm ex voto fluerent omnia, & ſecundo fortuna rideret afflatu, Dei ſuique memoriam penè excuſſit. at ſibi Deoquo redditus eſt, ubi grave tempeſtatis onus vertici incubuit; ſub illo gemebundus ait; *Gravata eſt ſuper me manus tua, converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* Pſalm. 31. v. 4.

Eſt ſummi Auctoris manus alia atque alia: quandoque ſymbolum eſt Divinæ potentiæ: manus enim, teſte Philoſopho, eſt organum organorum; & in Jure civili ſignum eſt poteſtatis: ita de Joanne dicitur: *Manus Domini erat cum illo.* quòd in eo ſeſe oſtentaret Divina potentia. Quandoque etiam ac ſæpiùs Dei manus argumentum eſt curæ ſingularis, amoriſque, quo in unum aliquem Divina miſeratio propendet.

Sic olim Iſraëli Deus, *Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Iſai. 49. Eſt illud amantium proprium, ſi quid habent in amoribus, ut ſemper etiam habeant in oculis; ſolent illud pingere, ſcribere, ſculpere in annuli palâ, ut perpetuò ſub aſpectum cadat.

Sic Iſraëlitæ in Babilone exules, ne ullo unquam die Solimæ immemores eſſent, illius expreſſam imaginem in annulo circumgeſtabant. Hinc illæ voces. *Oblivioni detur dextera mea, ſi non meminero tui.* Atque Pſalm. 136. ita cum juſtis agit Deus ter Opt. ter Max. deſcribit eos, pingitque in manibus ſuis, non atramento, non colore, conchylioque, aut murice; ſed ſanguine.

At longè alia peccatori eſt Dei manus; nimirum pro gravi ſupplicio pœnáve: quam à ſe removeri dum amat patiens Jobus, *Manum tuam*, inquiebat, *longè fac à me.* Cur ita? Quia ſupra modum menſuránve gravis eſt & ponderoſa Dei manus: quos tangit, illos ferè opprimit atque obruit: niſi fortè (quæ Cœli indulgentia eſt) levior ſit ejus attactus, & ad ſalutem: & is Davidi fuit: ita enim de Deo, deque ipſo loquitur: *Gravata eſt ſuper me manus tua.* Pondus audiſti, pœnámve irati Numinis; etiam miſerantis manum aſpice, & *converſus ſum*, inquit, *in ærumnâ meâ dum configitur ſpina.*

Hic locus difficilis eſt atque implexus, & ſanctorum Patrum interpretatione varius. D. Hieronymus qui extrema ſanctioris ævi Hebræis litteris addixit, ita vertit: *Verſatus ſum in miſeria mea cùm exarſerit æſtas:* Chaldaicè, *Verſus eſt viror meus in ſiccitatem æſtatis.* Ea loquendi ratio peti potuit ab inſolenti æſtu, ab alto Sole, quo terra penitus exareſcens, & veluti ſitibunda, hianti ſinu Cœlum inclamat, & imbres expoſcit: ſic David cùm eſſet in ipſo perſecutionum ſuarum meridie, velut ab igne, calentique ſole uſtulatus & exſuccus, algentem animum erigebat; Cœlum ſuſpiciebat, optabatque ſibi diffluere & illabi imbres Divinæ miſerationis ubertimos.

Verùm Hugo Cardinalis aliter legit atque exponit: ſpinam enim accipit pro oſſe, quod à collo per dorſum decurrit, hominemque excelſum atque erectum ſuſtinet. Quòd ſi ea ſpina dorſi, ea oſſium ſeries, aliquo impetu frangatur, tum verò neceſſum eſt hominem inclinari penituſque abjici.

Ita ſecum actum ait David: ubi ingenti tribulationum aſſultu, & curarum incumbentium mole preſſus, & propè fractus fuit; tum demum ad Deum

conſugit, ut onus vel ſuſtineret, vel averteret: & ſic *converſus eſt in ærumna ſua dum configeretur* & comprimeretur *ſpina.* Et hæ quidem interpretationes inſtituto meo ſunt accommodæ: ea tamen aptior, quam producunt Septuaginta.

Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina, hebraicè, *Scots*: quæ vox non tantùm ſpinam ſignificat; ſed & ſtimulum, quo boves adigi ſolent ad aratrum diurnoſque labores: ita ab ærumnis & longâ tribulatione, tamquam ſtimulo adactus ſum, inquiebat de ſcipſo Propheta; ut terram animæ meæ excolerem, foderem aratro compunctionis, irrigarem lacrymarum fonte, ut fructus efferret in æternitatem.

Ecce quæ bona pariat tribulatio, ut proinde
Cap. 32. meritò pronuntiarit Iſaias: *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas immittentes pedem bovis & aſini.* Frequens illud ac ſolemne Scripturis, ut per aquas intelligantur tribulationes. ita Pſalmiſta, *Intraverunt aquæ uſque*
Cant. c. 8, *ad animam meam*: ita Sapiens, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* Beati ergo *qui ſeminatis ſuper omnes aquas*, id eſt tribulationes.

Sed cur, inquies, immittentes pedem bovis & aſini? Latent hic multæ graveſque cauſæ, quas paucis eruere eſt animus. Video apud Antiquos bovem fuiſſe ſymbolum fertilitatis: unde Pharaoni, ſeptem boves craſſi & pingues per ſomnia ita ſpeciem objecti, oſtentum aliquod fuêre illius fœcunditatis, & annonæ, quæ ſeptem integros annos tenuit.

Sic in nummis Veſpaſiani, jugati boves ſymbolum aliquod exhibuêre ubertatis illius & annonæ, quam Roma ejus beneficio eſt conſecuta. hujus ſymbolo conſentit ipſa vox & ejus etymon; bovi enim datum eſt nomen à nutriendo. βῶ enim Græcè, id eſt nutrio.

Fuerunt deinde jugo juncti boves pro ſymbolo laboris ac patientiæ; ex quo manavit ille mos apud veteres Germanos, ut uxori ducendæ maritus in dotem mitteret jugatos boves, frænatum equum, & ſcutum cum gladio; ut eo doceretur uxor, venire ſe debere in partem laboris, & ſeu pace, ſeu bello eamdem cum marito aleam eſſe ſubeundam.

Denique legi apud Pierium emblema nobile, in quo viſebatur bovis imago bellè expreſſa, cum hac epigraphe: *Agris & aris.* Servit enim agris bovis labor, & aris ſervit, ubi ad eas Cœlo Deoque cadit victima. Et iſtæ pro bove faciunt rationes: pro aſino hæ. quòd ſit animal abjectum, flagris natum, & onerum ſummè patiens.

Et it debent eſſe Chriſtiani, ut beati ſeminent ſuper omnes aquas. Crederes ſemina non benè committi fluxo aquæ elemento, in quo nec hærere, nec radices agere, nec germinare, florere aut fructus edere poſſunt: crederes, inquam, illud, nec aberrares à vero, ſi de aquâ purâ putâque incidiſſet quæſtio: at non ſic de tribulatione; quæ etſi inſtar aquæ labatur & fluat, admittit tamen ſemina virtutum, longæ patientiæ, pœnitentiæque ſalutaris; quæ tibi oſtentant, & efferunt pes bovis & aſini: quos dum juberis immittere ſuper omnes aquas tribulationum tuarum; unà etiam moneris afferre inſignem patientiam, laborum tolerantiam, pœnitentiæ flagra, & infractos adverſis animos: quos ſi dederis ubi in labore & ærumnâ ſeminaris, metes deinde cœleſtem annonam, fertiles & beatos habebis annos: denique ubi ſervieris *agris*, id eſt Eccleſiæ, tum etiam ſervies *aris*, velut innoxia ſacraque Deo victima; cui licebit æternùm appingere hanc epigraphen, laboris & patientiæ, honoris & gloriæ teſſeram, *Agris & aris.*

§. 4. *Præclara incitamenta patientiæ ex Dei Chriſtique exemplo.*

Tertullianus antiquiores Philoſophos, quos *aliquos ſapientiæ animalia* nominat, ait *inter ſeſe* Lib. de patientia c. 2.
variis ſectarum libidinibus, & ſententiarum æmulationibus diſcordaſſe, ac ſolius patientiæ in commune memores fuiſſe; huic uni ſtudiorum ſuorum commiſiſſe pacem. In eam, inquit, *conſpirant, in eam fœderantur, illi in affectatione virtutis unanimiter ſtudent. omnem ſapientiæ oſtentationem de patientiâ præferunt.* Ut & ipſi præferamus non jactantiæ ſtudio, ſed virtutis exemplo, ex eodem Auctore pauca brevi compendio delibabo, tibique, amice Lector, ad ſolatium reddam.

Primum eximiæ ac cœleſtis patientiæ argumentum ducitur à Deo ter Opt. ter Max. Auctore Univerſi. & locupletiſſimo bonorum omnium fonte. *Ut ſcilicet exercendæ patientiæ auctoritas non ſit affectatio humana, ſed viva ac cæleſtis diſciplinæ divina diſpoſitio.* De quâ ita magnificè & elatè diſcurrit.

Deus ipſe patientiæ exemplum, ut qui florem lucis hu-
jus ſuper juſtos & injuſtos æqualiter ſpargit; qui tempo- Cap. 2
rum officia, elementorum ſervitia, totius genituræ tributa dignis ſimul & indignis patitur ſimul occurrere: ſuſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes; luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem, quotidie inſoleſcentem; ut ſua ſibi patientia detrahat: Plures enim Dominum ideircò non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.

Quis non crederet Univerſi Dominum & Architectum omnia naturæ officia negaturum, ubi ſua ei negat abjectus homo, terræ filius, luteáque progenies? Quis non putaret ex æquitatis eſſe lege, ut Sol ille, aſpectabilis Orbis oculus, ei claudatur & occidat, qui Deo ſuo pectus infidum claudit, & occidit? Quis non diceret & Lunam, & ſtellas, amœnas illas lucenteſque noctis gemmas, ei denſa nube veſtèque tegi oportere, qui ſua ſcelera in apertam invitamque Cœli lucem effert atque oſtentat? Quis irata non expectaret maria, inclementes Euros, ſterile & effœtum ſolum, verbo uno, naturam, non matrem, ſed novercam ei eſſe debere, qui Deo auctorique ſuo & mentem & fidem perdidit, imò qui in inſignem ejus contumeliam eo ſepoſito artis ſuæ ludibria, & projecta manuum ſuarum opera pro Numine habet ac colit?

Certe ſi mortalium iniquitatem etiam humano pede, noſtroque ingenio metiremur, profectò pronuntiaremus illud: omnia ab eo averti oportere, qui ſe priùs ab auctore architectoque ſuo avertiſſet: nihil tamen horum videmus in hoc rerum mortalium curſu, in hac Orbis œconomiâ: ea enim peræquè impiis ſervit atque piis: cauſam ſi roges: ea eſt Dei patientia: à qua etiam eò labitur impudentiæ homo, ut Dominum non credat, quia ſæculo iratum tam diu neſcit.

Alterum documentum cœleſtis illius ac divinæ patientiæ petitur à Chriſto, Servatore quàm optimo. Eam ipſe exhibuit tum in ortu ſuoiſque, tum etiam in omni vitâ, tum denique in ipſa morte, ultimaque ſcenâ acerbiſſimæ Paſſionis.

De prima lucis uſura, modoque, ita Tertullianus: *Naſci ſe Deus in utero patitur matris, & expectat; natus adoleſcere ſuſtinet, & adultus non geſtit agnoſci; ſed contumelioſus inſuper ſibi eſt, & à ſervo ſuo tingitur.*

Primus Adam è terra ruſa, ſuóque luto, ſubito prodiit integer ævi, perfectâ & quaſi adulta jam ætate: nec puerum ſe vidit unquam, aut uteri materni anguſtias obſcuróſque carceres ſenſit: at ſecundus non ſic emerſit in auras: latuit enim in Virginis alvo maternáque cuſtodia per menſes omnino novem, & incrementa paſſus eſt ætatis; ut eſſet illa patientiæ

ludus

ludus, & inſigne demiſſionis argumentum: quod datum quàm maxu ³ nbi ad extrema vitæ confinia ventum eſt. De his ita heroïco calamo Tertullianus:

Traditur & adducitur, ut pecus ad victimam ille, cui legiones Angelorum, ſi voluiſſet, uno dicto de Cœlis aſſuiſſent. ne unius quidem diſcentis gladium in ultionem probavit; patientia Domini in Malcho vulnerata eſt: itaq. & gladii opera maledixit in poſterum, & ſanitatis reſtitutione, ei quem non ipſe vexaverat, ſatisfecit per patientiam miſericordiæ Matrem.

In primo Paſſionis Dominicæ gradu pedem fige, mi Lector, & iterum iterumque lege, atque apud se tacitis cogitationibus expende panculis illas voces, *Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt.* Quis illo Malchus? Homuncio natus è pulvere, è vulgi ſordibus, ex abjecto famulorum grege; è circulis impiorum ganeonum evocatus, ut eſſet Judæ proditoris aſſecla, & actor in illa ſcena, quam terra ſtupet, exhorrent inferi, Superi damnant ac deteſtantur: & tamen ut is eſſet, adhuc in eo *patientia Domini vulnerata eſt.*

Quid hîc ſentiam, quid loquar? In horto Gethſemani ceu orationis ſede, ceu patientiæ theatro, in genua abjectus erat Salvator mitiſſimus: ſublatæ erant in Cœlum manus & oculi; elata atque effervescens oratio: cùm de repentè qua data porta ruit infanda Judæ cohors; in quâ longè ante alios ſeu audaciâ, ſeu ferociâ ipſe Malchus eminet, & innocenti agnello vincula manicaſque parat; ac propiùs imminens jamjam injecturus videri poterat, cùm illud advertit è diſcipulis unus, cæteris altior animo, & manu promptior. Quid deinde? Ferrum vaginâ expedit ac nudat, & in impudens ſceleſtumque caput valido impetu niſuque intorquet; ſed fallente manu, ac fortè objecta galeâ, claſus enſis caput medium non diffidit; ſed auriculam dumtaxat eripuit, leveque vulnus inflixit: & ecce in eo vulnere, *Patientia Domini vulnerata eſt.*

Et hic primus tragicæ illius lucis eſt actus. alios attendamus Proditori Judæ infamique ſatellitio cùm manus dediſſet Deus homo; etiam contumeliis locum dedit. *Deſpuitur enim, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.* non tam adactus neceſſitate quàm ſuâ inductus voluntate: Nimirum ut rurſus magnificè Tertullianus: *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat: & qui in figurâ hominis propoſuerat latere, nihil de impatientiâ hominis imitatus eſt*: imò & illud liquidò oſtendit docuitque, *Patientiam Dei eſſe naturam affectam, & præſtantiam ingenitæ cujuſdam proprietatis.* In quam ut & ipſi veniamus hinc monet jubetque, quòd ſimus *ſervi Dei vivi, cujus judicium in ſuos, non in compede, aut pileo vertitur, ſed in æternitate, aut pœna aut ſalutis.* Et illæ quidem nobis pro ſtimulo ſunt ad patientiam; hæc autem calcar addidit, & ſuavi gloriæ ac beatitatis illecebra allicit.

Venio ad tertium de patientiâ argumentum, quod etiam nervosè ac eleganter tractat Tertullianus: exprimitur illud in lege novâ, quam ſic inſcripſit Chriſtus, ut verbo firmaret, quod docuerat exemplo: *Olim*, inquit, *& oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum malo fœnerabant: nondum enim patientia in terris, quia nec fides: ſcilicet interim impatientia occaſionibus legis, fruebatur. Facile erat abſente patientia domino & magiſtro, qui poſtquam ſupervenit, & gratiam fidem patientia compoſuit: jam nec verbo quidem laceſſere, nec fatue quidem dicere, ſine judicii periculo licet: prohibita ira, reſtricti animi, compreſſa petulantia manus, exemptum linguæ venenum: plus lex, quàm amiſit, invenit dicente Chriſto. Diligite inimicos veſtros, & maledicentibus benedicite, & orate pro perſecutoribus veſtris, ut filii ſitis Patris veſtri cœleſtis.* Hæc ubi ſcripſit, & aliore ſtylo deduxit, tum admirabundus exclamat: *Vides, quem nobis Patrem patientia acquirat?* Vide quæ etiam in malis ſeu præſidia, ſeu etiâ ſolatia.

Si detrimento rei familiaris animus concitatur: hæc illi ſuggerit in aurem: *Quòd ipſe Dominus in nullis divitiis invenitur. Quòd ſpiritum, quem à Domino ſumpſit, ſæcularis rei gratia non contitat. Quòd libenter terrena amittamus, ut tueamur æterna. Quòd totum licet ſæculum pereat, ſit illud parum, modò patientiam lucrifacias.* His monitis animum fluctuantem continet, firmatque in rei domeſticæ anguſtiis & bonorum jactura.

Sin autem gravius urget, pungitque amicorum noſtrorum amiſſio, & ut credimus mors importuna; & in hac patrocinantur opportunæ ejuſdem patientiæ aſſertiones: è quibus una è fide, ceu parente genitâ ob oculos illud ponit: *Cum conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris: Cur enim doleas, ſi periiſſe non credis? Cur impatienter feras ſubductum interim, quem credis reverſurum? Profectio eſt, quam putas mortem non eſt lugendus qui antecedit ſed planè deſiderandus: id quoque deſiderium patientiâ temperandum: Cur enim immoderatè feras abiiſſe quem mox ſubſequeris?* Sed & alius eſt impatientiæ ſtimulus, libido quædam juſtæ, ut videtur, ultionis, in eum, qui tibi bonum nomen famamque, facultatibus omnibus & vitâ cariorem, eripuit. Et hunc retundit frangitque patientia; quæ hæc velut è tripode pronunciat.

Ultio penes errorem ſolatium videtur doloris, penes virtutem certam, redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter provocantem & provocatum, niſi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at ille poſterior. nulla autem in maleficio ordinis ratio eſt, nec locum ſecernit quod ſimilitudo conjungit. Nè eare in pœnam aliquando jungat, audi quæ tibi Dominus repromittat: *Vindictam mihi, & ego vindicabo; id eſt, patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo.* hanc Cœli indulgentiam, & certò adpromiſſam remunerationem ſpectarunt in terris altiſſimæ illæ mentes, & inter adverſa ſemper inconcuſſæ, à quibus ultima diſputationis ſuæ tela educit Tertullianus, adducitque in medium hinc Iſ. tam, inde Stephanum, & iſtinc Jobum, patientiæ miracula potius quàm exempla: de quibus gloriari, ſibique plaudere videtur etiam ipſum Numen: ut enim auctoris illius calamo vocéque & ſcribam & loquar:

Quale in illo viro (Jobum intelligit) *ſtretrum Deus de diabolo exſtruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit? Cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias: cùm uxorem jam malis delaſſatam, & ad prava remedia ſuadentem execraretur: Quid? Ridebat Deus? Quid? Diſſecabitur malus, cùm Iob immundam ulceris ſui redundantiam magnâ æquanimitate deſtringeret, cùm erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus ac paſtus foraminoſæ carnis, ludendo revocaret.*

Revocabat autem exeſo corpuſculo, vim addente, manumque porrigente ſpe certâ remunerationis, à quâ & carnis afflictiones, & bonorum omnium jacturam, *& voluntariam ſuſtinuit orbitatem, ne ſine aliquâ patientiâ viveret.* qui jam inde probè norat, *quam idoneus patientiæ ſequeſter ſit Deus, penes quem ſi injuriam depoſueris, ultor eſt; ſi damnum, reſtitutor; ſi dolorem, medicus, ſi mortem, reſuſcitator: nempe tantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem.*

§. 5. *Incitamenta patientiæ ex ipſo tribulationis pretio.*

CUm in ſterquilinio jaceret Jobus, orbus omni prolè, nudus ab amicis & bonis omnibus, ulceribus autem plenus; hæc ad Superos emiſit vota: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui & calamitas, quam patior in ſtatera.* cap. 6. v. 2.

Optaſſet,

Optaſſet, vir cæteroquin patientiſſimus, in ſtatera hinc appendi peccata ſua, & inde calamitatem, qua obruebatur totus, ratus omninò futurum ut hæc illis præponderaret.

Non auſim ego, neque fortaſſis audebis ipſe, mi Lector, ſi fortè Cœlo vindice vapulas, ſi adverſi aliquid pateris vel dæmonum impulſu arteque, vel hominum invidia ac malevolentia; non auſim, inquam, id Deo judice optare, ut appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam ideò juſtè patior, in ſtatera; veritus ne illa plus hac ponderarent.

Auſim tamen illud, &, ut ipſe audeas, tibi ſum auctor, ut cum aliqua incurrit calamitas, eam appendas in ſtatera, hoc eſt æqua lance ponderes æſtimesque illius pretium.

Hoc ſi feceris, agnoſces illico nihil eſſe in rebus humanis, quod illi par eſſe poſſit, non aurum, non gemmas, non coronas, non quævis ingeſta etiam prodigâ manu munera. Cui pronuntiato ne fidem neges, tecum certare mihi eſt animus: non verbis (quibus plerumque minus habetur fides) ſed exemplis (quibus faciliùs creditur.)

Uniones & gemmæ ex imo maris ſinu, aut ultimo oriente petitæ, ſunt hominibus in pretio; & in majori quævis tribulatio, quævis injuriæ ac contumeliæ.

Appello B. Juniperi fidem ſenſumque; hunc neſcio quis petulanti ore convitiis impetebat, & hoc in os faciemque, quod videri poterat impudentius: cui Vir ſanctus, non verba verbis reddere, non convitia convitiis compenſare, non etiam rationibus allatis eluere ac refutare; ſed unum illud addere, quod *In ſpeculo S. Franciſci.* amantis fuit: *Amice, imple gremium meum hiſce lapillis pretioſis, imple, ne timeas.*

Ecce dicteria & convitia appellat *lapillos pretioſos*: & his impleri vult ſinum ſuum, ut illos ſcilicet efferret in domum beatæ Æternitatis bonus inſtitor: probè conſcius quanti iſtic eſſent pretii ac valoris.

Hinc & illud pro joco adjicere ſolitus. Gaviſurum omnino ſe, ſi his lapidibus pretioſis Pariſiis Aurelias uſque impeteretur.

Aurea ſerta, coronæ, diademata apud puſillos mortales in amore ſunt ac veneratione: & injuriæ, dicteria convitiaque in majore eſſe debent: Sunt enim etiam hæc, Coronæ ac Diademata, potiora vel ipſis Regum Cæſarumque coronis.

Te tuamque fidem obteſtor apud Italos adeò *In ejus vita* nominata S. Catharina Bononienſis: ſi quis tibi dum viveres petulantiùs inſultaret, ſi convitia in caput tuum jaceret, ſolebas illicò manum capiti admovere, quaſi coronam ab illis capiti tuo jam impoſitam prehenſura tenaciter, & tenacius retentura, ne fortè decideret.

Nos contrà malè cauti, malè providi, eam per fas nefaſque declinamus, & ſi fortè aliena manu etiam per vim impoſita ſit, excutimus atque in terram projicimus: in quo ſanè magis damnandi ſumus, quàm eſſet is, qui coronam auream gemmeamque, aut regium diadema, è capite ſuo detractum ad pedes abjiceret.

Munera donaque pretioſa, quæ eruuntur è divite gaza ſolent hominibus eſſe in primis cutis. Et verba aculeata, quæ aut famam lædunt, aut aures feriunt, munera ſunt, quæ tibi in manum immittuntur: Eane excuties? Eane averſabere? Non facies enimverò ſi ſapis: ſed potiùs, ut Cœlo miſſa munera excipies, & pro iis memori animo voceque gratias ages.

Ita certè egit aliquando Hiſpali in Monaſterio D. Dominæ de Gratia: egit, inquam, Virgo religioſiſſima, ſoror Maria de Aſcenſione.

Hæc ſi fortè moleſtiore quapiam voce, ſi acriore quàm par erat, verbulo, imò & convitio impetita fuiſſet, ſtatim ad Sacram evolabat ædem, ibique coram Venerabili in genua abjecta, ſupplices immortali Deo gratias agebat: tum miro animi candore, hæc paucula ad Sponſum ſuum, Id eſt Chriſtum: *Ecce tibi, ô Domine, donum, quod apporto, offeroque accidet uti ſpero quàm gratiſſimum.* *P. Barry en la Soledad de Philagia.*

Quod illud donum quæris? Eſt verbum acrius, inſulſa reprehenſio, eſt calumnia, eſt convitium. Hæc ſcilicet pro dono habuit Virgo in paucis pia, ut & tu pro tali habeas atque æſtimes.

Ita habuit, ita æſtimavit B. Maria Victoria, quæ audita eſt non ſemel alta ex imò corde ſuſpiria ducere, quorum cauſam rogata, ingenuè reſpondit: *Quia hodie pro IESV meo, amore atque meo, nihil datum eſt pati, ne verbulum quidem.* *Ex vita per P. Ferdinand. Meiſtio Soc. IESV l. 2. c. 9.*

Hinc etiam diem, quo nihil ſiniſtri, nihil adverſi acciderat, exiſtimabat ſibi omnino periiſſe, & ideò nocte adventante, quieti ſe non dabat, niſi admodum ægrè, quaſi magno privata theſauro, quem interdiu colligere debuiſſet.

Is nimirum bonarum mentium eſt ſenſus; putant illæ multum ſibi deceſſiſſe, ubi nihil ab aliqua tribulatione acceſſerit.

Et ita etiam putavit B. Franciſcus Sales Præſul Genevenſis, qui gravi injuria affectus, cùm nihil de illa vindicanda, aut ſaltem (quod erat juſtitiæ ac modeſtiæ) detergenda cogitare videretur; illi è domeſticis unus aliquis ingeſſit, ejus certè rationem exigendam, niſi novas in dies pati vellet: ſubjecit S. Præſul: *Malle ſe omnia perdere quàm patientiam;* Sic illi patientia bonis omnibus potior fuit ac pretioſior.

§. 6. *Incitamenta patientiæ ex fine quem Deus in ea ſpectat atque intendit.*

Amabilis Dei Providentia, quæ afflictiones vel immittit, vel immitti patitur alios atque alios ſibi fines proponit. Hos inter unus ferè communis eſt, ſalus ſcilicet eorum, quos etiam vindice manu & flagello tangit. *Fines varii.*

Sic in immenſa illa aquarum eluvie, qua hominem (qui totus in carnem abierat) merſit perdiditque; ejus etiam in hoc bonum ſalutemque attendit: quod ingenioſè & diſertè obſervat D. Ambroſius in illa Dei ad Noëmum verba:

Delebo omnem ſubſtantiam, quam feci, de ſuperficie terræ. Florem decutit, inquit D. Ambroſius, *at radicem ſervat.* Ait enim *delebo de libro terræ, ut ſcribam in libro Vitæ.* *L. de Noë & Arca, c. 4.*

Ubi has Dei, etiam punientis, leges annotavit S. Præſul; tum miſerentis amore victus exclamat: *Domine, deleantur citò elementa ferri, ut ſcribantur elementa Chriſti.* *I. Salus hominum.*

Elementa ferri ſunt ultrices pœnæ, bella, morbi, peſtes, fames, mors ipſa, aliaque flagella; quæ deleri expungique volt D. Ambroſius, ut eorum loco *ſcribantur elementa Chriſti*, & typi nobiles Dei miſerentis, & per flagella etiam ſalvantis.

Et verò hæc ſcribi oſtendit aliquando Chriſtus ipſe cuidam Religioſæ in paucis ſibi caræ: *Annæ à IESV Carmelitanæ Diſcalceatæ.* *In ejus vita l. 5. c. 4.*

Expoſtulabat illa piéque querebatur de inflicta Ordini ſuo plaga: cui Chriſtus in illo orationis æſtu apparens, dixit: *Ego vos ædifico deſtruendo.*

Patitur ſubinde Deus Religioſos Ordines aliis atque aliis perſecutionibus concuti; & quadammodo deſtrui: at ſic deſtruendo illos ædificat: *Florem decutit, at radicem ſervat.*

Quod illis, hoc iis omnibus, quos afflat aliqua tribulationis aura; dum enim illos terris quodammodo deſtruit, & mortali vitæ, Cœlis ædificat & ævo beatiori.

Et hic primus finis: accedit alter illi affinis: hominem plus æquo terrena ſpectantem & ſapientem, deſpicien-

II. *Elevatio ad cœleſtia.* deſpicientem verò cœleſtia, ab illis avocare, & ad hæc transferre vult Deus; Quid inde? Tribulationes immittit, unáque etiam rerum omnium caducarum deſpectum atque æternarum appetentiam. In qua id ei tum uſu venit, quod aliquando Adoleſcenti Gentili.

Jarric. l. 6. hiſt. Indic. Non procul à Pequino, Regia Sinarum urbe, Jacobus Pontoya è Societate JESU conciones habebat ad populum ſat frequentes, cui non ſemel petulantiùs illudere cœpit adoleſcens; imò & blaſphemo ore in ſacra Chriſtianæ legis myſteria debacchari.

Non tulit inultum ſcelus, quod ſpectabat è Cœlo, Numen: adoleſcentem enim ſic illicò correptum voluit, ut demiſſis in terram oculis nihil omninò cerneret; elevatus autem ſuperna ac cœleſtia liquidò intueretur. Credidiſſes ad terrena cœcum, quod DEI punientis fuit; ad cœleſtia verò probè oculatum, quod fuit miſerentis: Et certè etiam fuit, nam & vindicem DEI manum agnovit, & Chriſto nomen dedit.

Ecce ludum amabilem Divinæ Providentiæ, quæ juvenem laſcivientem aliqua parte cæcitate percuſſit, ut alia lucem affunderet meliorem; eam ſcilicet, quæ è Cœli & cœleſtium aſpectu petebatur.

III. *Purgatio ſtrum.* Et iſtum finem ſibi proponit DEUS; ſed ex illo etiam alium, ut ſcilicet ſcoriam deponat homo, & quas ſeu à mundo, ſeu à carne contraxit fœces.

Et hinc cum auro componitur homo, & afflictio qualis qualis demum illa ſit, cum fornace: quod & *Sap. 3. v. 6.* agnovit Sapiens, dum illud extulit: *Tanquam aurum in fornace probavit eos.*

Vel ſi mavis vaſi comparatur homo, & tribulatio fornaci. Ita nimirum *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis. In fornace probatur aurum; homines verò receptibiles in camino humiliationis.* *Eccl. c. 27. v. 6.*

At quomodo, inquies, probatur: dum verum probatur, & non adulterinum, dum ſcoriam in igne deponit, ex eoque purum putum evadit: ſic & probatur homo, dum in fornace tribulationis ſic excoquitur, ut vitiorum ſcoriam inibi relinquat, & purus exeat,

Neque refert, quis ignem excitet, quis fornacem *c. 54. v. 16.* accendat: ſit ille ſatanas, quem Iſaias appellat *Fabrum ſufflantem in igne prunas*; ſit è genere tuo, id eſt humano, ſit tyrannus, ſit Nero unus aliquis, ſit denique DEUS ipſe, qui ſubinde & ignem admovet, & fornacem aperit: nihil, inquam, ad finem, quem ſibi hic præfixit, attinet. Is quippe eſt à delictis expurgatio, velut ſcoriæ ab auro. Si illam aſſequitur, benè ſibi fuit in igne, in fornace: uti & auro, cui ſic excoqui non eſt injuria; ſed beneficium. Et hic DEI finis.

IV. *Vitæ in melius mutatio.* Alius eſt vitæ in melius mutatio: poſtquam enim tribulatione, ceu igne purgavit animum, tum etiam ad altiora erigit, & ad ſanctius vitæ inſtitutum; ad quod ut viam aperiat, ſubinde etiam ferro viam aperit, & dum ſternit, erigit: dum vulnerat, ſanat.

Ita ſtravit, ita vulneravit Gerardum Bernardi fratrem. Illum è mundi illecebris ac tumultu ad Ciſtercienſis Ordinis ſolitudinem ac delicias evocare laborarat pro fraterno in eum amore: at ubi fruſtra agere ſe ſenſit, manu ad ejus latus admota ſic Vaticinatus eſt:

Vita S. Bernardi. *Voci meæ occludis aures: at lancea huic lateri infixa tibi cor aperiet: & tunc ultro optabis quod modo pervicaciter rejicis.*

Vaticinio reſpondit eventus: etenim non multo poſt ad Granceium letali haſtæ vulnere ſaucius, & inde etiam in carcerem conjectus, exclamavit ſe Monachum eſſe: exclamantem Cœlum audiit, & de ſuſcipiendo ſacratiore inſtituto votum probavit etiam miraculo; quo ſcilicet & carceris & caſtri portæ ſponte reſeratæ aditum dederunt effugii in Monaſterium ceu aſylum; in quo reliquam vitam duxit Bernardo fratri à virtute & ſanctimonia ſupparem. Et hæc fuit in melius mutatio, quam in Gerardo ſpectavit DEUS; & quam non impetravit, niſi adacto in latus manu hoſtili ferro: ita quod preces, quod verba non impetrant, ferri vis atque acies extorquet: à quo deinde etiam alterum.

Perennem ſcilicet in religioſæ vitæ palæſtra virtutum exercitationem: quam non invenis niſi in afflictione & perſecutionibus; in his enim eminet Fortitudo, Patientia lucet, probatur Humilitas, Fides emicat, Spes roboratur, accenditur Caritas; & virtus, quæ latebat, in publicum prodit, futura hominibus, Angelis, Deoque ipſi longè gratiſſimum ſpectaculum. V. *Virtutum exercitatio.*

Ita nimirum, ut diſertè notavit Tertullianus, *Virtus duritia extruitur: oti* contrà *mollitie deſtruitur.* *L. ad Mart. c. 4.*

Quod ipſum aliquando uni è ſervis ſuis exhibuit Divina miſeratio. Is fuit Henricus Suſo Dominicanæ familiæ auguſtum lumen. Hic in cella, ceu Cœlo ſedens, meditanſque illud Jobi,

Militia eſt vita hominis ſuper terram, à ſenſibus abductus, in eo orationis æſtu raptuque Juvenem vidit miri decoris, qui ocreas, ſcutum, haſtam & reliqua equeſtris militiæ inſtrumenta ad eum deferebat: tum addebat & illud. Noveris te hactenus, ô Henrice, in ſacratiore illa DEI tui militia pedites inter numeratum, modò altiùs evocaris, ad Equeſtrem ſcilicet in eadem Ordinem, & inde ad labores, ad æſtus, ad invictam in malis conſtantiam, qualem nempe decet eſſe in militę Crucis, cui jam aſcriberis. *Cap 7. v. 1.* *Petr. d'Outreman l. 5. c. 5. ſect. 2.*

Erit autem ea Crux triplex, & ſub ea magnarum virtutum exercitatio: & quidem

Primò hactenus teipſe prout libuit cæcidiſti, durus tibi ac crudelis: Deinceps flagello linguæ iniquæ cædêris in fama, & quæ tibi vita carior eſt, exiſtimatione.

Deinde tibi ipſi hactenus videri potuiſti inimicus, utpote in te ſævus: at aliis, at amicis acceptus. Hi deinceps & fidem fallent, & manus in te levabunt.

Denique hactenus cœleſti manna in oratione paſtus, & quaſi lactatus ipſis Chriſti uberibus: Deinceps felle & aceto potaberis, ablactatus à DEO & hominibus.

Ecce tibi à triplici illa Cruce magnarum virtutum exercitatio, qualis ſcilicet decet militem, imò & equitem S. Crucis, qua te donat, & militiæ ſuæ aſcribit Chriſtus.

Et hæc Suſoni tum objecta oculis ſpecies: hæc etiam auribus hauſta, alia die proximè ſequenti. Cùm enim à peracto Miſſæ ſacrificio illa tacitus apud ſe expenderet; ecce jubetur à bono genio proſpicere de feneſtra: paret illico, & cernit canem, qui ore dentibusque lacerum panni ſegmentum toto Cœnobii ambitu circumferebat, mordebat lacerabatque: tum audit iſtud è Cœlo: Sic aliorum & ſubinde etiam fratrum tuorum dentibus laceraberis, Henrice.

Quid ad hæc Vir Dei? E cubiculo mox deſcendit in ſubjecta clauſtra, & ſegmentum illud, veluti Crucis ſuæ notam ſymbolumque capit appenditque è collo, eò ornatior, quàm equites nobileſque aureo torque.

Neque vana illi oſtento fides, exinde enim perſe, raptari, morderi, laniarique ſenſit; & diutiſſimè æquiſſimo animo tulit: at tandem miſſionem à Duce ſuo, id eſt Chriſto, petiit, à quo, ipſo die Purificationis Infantuli ſpecie audiit, dedecêre ſtrenuum militem, miſſionem petere; cui acquievit, nec aliàs unquam expetiit, etſi durioribus in illa militia exercitatus.

Et hic finis ad hominem ſpectat: quem ſubjicio, partim ad homines, partim ad DEUM, cujus laus vel maximè auditur in Electorum tribulationibus; quibus id uſu venit quod æri campano, quod non VI. *Dei laus.*

ſonat

ſonat niſi malleo probè tundatur; quod tubis, quæ non clangunt niſi valido ſpiritu inflentur.

Cap. 50. Diabolum Jeremias appellavit *Malleum univerſæ terræ*, quo ſcilicet *in manu*, id eſt poteſtate Domini poſito, *tunduntur ductiles tubæ, id eſt Animæ ſanctæ, ut reſonent Dei laudes.*

Serm. 224 de Temp. Ita contuſus olim Jobus, quem D. Auguſtinus vocat *Ductilem tubam*, à qua ſcilicet in mediis afflictionibus, iisque graviſſimis, nihil inſonuit niſi unum *Job. c. 1.* illud nobile Epiphonema: *Sit nomen Domini benedictum*: quod dum attendit Tertullianus, altiore ut aſſolet ſtylo exclamat:

L. de Patient. c. 14. *Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit? Quàm ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias.*

Et hi ſunt fines, quos ſpectat intenditque Numen, dum homini afflictionem aliquam vel immittit, vel immitti aliunde patitur. Et hos obtinet in Electis, *Deuter. c. 33.* qui *inundationem maris*, hoc eſt (interprete Stephano Eduenſi Antiſtite) tribulationis *quaſi lac ſugunt.* Etenimvero *quaſi lac*: quia ut lac nutrimentum eſt parvulorum; ita tribulatio pabulum fit Electorum.

Ex quo facilè conficies quantum inter ſe diſtent tribulationes, quas patiuntur electi, & quas reprobi.

Si enim tribulatio *motus* eſt (uti reipſa eſt) eodem ab electis exhalat ſuavis odor, à reprobis autem immanis graveolentia.

Si *torcular* (uti revera eſt) ex eodem amurca fluit, fluit & oleum.

Lib. 1. de Civit. c. 8. *Tantum intereſt*, inquit D. Auguſtinus, *non qualia; ſed qualis quiſq; patiatur. Nam pari motu exagitatum exhalat horribiliter cœnum, & ſuaviter fragrat unguentum.*

Quod ipſum confirmat, ubi Victorianum Presbyterum inter immanes barbarorum excurſiones ita ſolatur.

Epiſt. 122. *Jam vident, ait, ut de his tam magnis preſſuris, tanquam in torculari Domini Dei noſtri: ſicut amurca infidelium murmurantium, & blaſphemantium fluit: ita oleum quoque fidelium confitentium, & orantium exprimi & liquari non ceſſet.*

VII. Debita patienti Corona Venio ad poſtremum finem: is eſt corona, qua donatur patiens Anima tum in terris, tum in Cœlis. *Cap. 62.* Hanc Iſaias appellat *Coronam gloriæ & diadema Regni.* *Cap. 1.* Eccleſiaſticus: *Coronam exultationis.* D. Jacobus: *Coro-* *Cap. 1.* *nam vitæ.* Vates Regius: *Coronam de lapide pretioſo.* *Pſal. 20.*

Hac etiam vivens à D. Agnete Virgine & Martyre *Revel. Extrav. c. 63.* ornata eſt D. Brigitta; & hoc ob toleratas fortiter afflictiones: ei quippe apparens coronam impoſuit è ſeptem lapidibus pretioſis, præſagam illius, quam deinde in Cœlis erat habitura.

Illâ verò conſpicuæ apparuerunt Animæ Beatorum *Bollandus in eorum vita 21. Jan.* Martyrum Fructuoſi, Augurii & Eulogii: quorum corpora cùm adhuc alligata eſſent ſtipitibus, ad quos arſerant, felices Animæ viſæ ſunt Cœlum ingredi coronatæ.

Et hæc eſt Corona, quam uti parat in Cœlis, ſic & ſpectat intenditque in terris DEUS, patientiæ noſtræ, ut ſpectator, ſic & remunerator.

Et hi ſunt fines ad quos etiam reſpicere te velim, Amice Lector, ut tibi ad patiendum altiores facias animos.

CAPUT III.

Altitudo diei eſt dies feſtus.

Rationes hujus aſſertionis ducuntur ab experientiâ rerum magiſtra.

ALiis interpretibus altitudo diei eſt dies feſtus; à quo ſibi malè ominatur Propheta Regius: ſolet enim neſcio quo hominum vitio fieri, ut feſti dies plura invehant & importent mala quàm profeſti: ita jam inde ab omni antiquitate, ab ipſis Eccleſiæ cunis notare licuit graviſſima mala, fœdas tempeſtates, Sanctorum cædes ac ſtrages in dies feſtivos incurriſſe.

Ita quondam Machabæi, fortiſſima pectora, grandes animæ, patriis legibus abire juſſi ipſo die feſto: *Lib. 2. c. 6.* *Ducebantur cum amarâ neceſſitate in die natali Regis ad ſacrificia: & cùm Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire.* Id ne facerent, corpus ferro, animum Superis tradidêre.

Ita poſterioribus deinde ſæculis vox clamantis in deſerto, vox Incarnati Verbi obmutuit, Joannes Baptiſta, ſolemni feſtoque die capite minutus eſt. *Præmittebatur*, inquit D. Auguſtinus, *lucerna ante Solem, ſervus ante dominum, amicus ante ſponſum, præco ante Judicem, vox ante Verbum.*

Sed, ô infelicem, ô malè ominatam diem! quæ impio Herodi feſtiva nataliſque fuit, Divini Verbi *Marc. c. 6. v. 2.* Præconi ultimo feraliſque extitit: *Miſſo enim ſpeculatore præcepit afferri caput ejus in diſco.* Ita extincta eſt mundi tenebris obvoluti lucerna, & oppreſſa ſiluit vox primæ æternæque Veritatis.

Ita die Azymorum in vinculis venit Petrus, & ab Herode ad ſupplicium producendus erat, niſi Divina Providentia malum avertiſſet, ne primùm naſcens Eccleſia ſuo capite, Chriſti grex tenellus ſuo Paſtore orbaretur.

Ita denique Chriſtus ipſe Servator optimus ſub Paſchæ ſolemnia, Cruci affixus redimendo generi noſtro ſanguinem ac vitam Deo Patri litavit: ejuſque famuli Martyres inclyti, vel ipſo Natalis Domini die, vel Paſchæ, vel Pentecoſtes corpora tyrannis mortique objecêre: adeò omni propè ſæculo ferales, & funeſti fuêre feſtivi dies, ut de his præſago ſpiritu meritò dixerit Propheta: *Ab altitudine diei timebo.*

Hîc finire mihi fuit animus, calamumque à tam lugubri funeſtóque argumento ſubducere. Cùm ecce recurrit animo innocentis Joſephi memoria, ſtylumque ad prima ſæcula revocat. Petitus ille ad immane flagitium ipſo die feſto: *Accidit*, inquit Scri- *Gen. 36.* ptura, *quadam die*: quæ fuit illa dies quædam? Si infandæ mulieris libidinem, ſi ſcelus attendas, dies fuit quædam, dies anonyma, dies objecta, cui in toto ſolis æviterni curſu non erit nomen: at ſi feſtos Ægyptios legas, dies fuit feſtiva, & malo dæmoni mancipata: *Mulieris inſidias adjuvans diabolus, ſolitudinem hominum per dæmonis feſtivitatem invexit.* *D. Gregor. Seleucien. Orat. 6.*

Ad eam porrò confluebat Ægyptus omnis: hinc in plateis minor frequentia; in ædibus propè ſolitudo. Hanc inſanæ libidini ſervire poſſe credidit impura mulier: diem ab arbitris vacuam, diem impio ritu coli ſolitam: Quæ enim potiùs ſceleri ſerviat? Quæ in ſcelere tranſeat & teratur opportuniùs? At importunum illud quod noſtra videt, nec luget ætas! Dies nobis ſolemnes, Superis Deoque ſacros, qui toti Divinis in officiis pioque cultu fluere debuerant, peccato dæmonique ſurgere atque occidere.

Quod ſuo quoque ſæculo factum deplorat Iſaias: *Cap. 1.* *Kalendas*, inquit, *veſtras, & ſolemnitates veſtras, odivit anima mea, facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens.* Benè, ait, *Kalendas veſtras*. ut enim Tertullianus: *Veſtra dicenda, quæ ſecundum libidinem ſuam, non ſecundum religionem Dei celebrando, ſua jam, non Dei fecerunt.*

Sed abeamus ab illis: non meliore Cœlo Soleque vivimus, quibus dies omnis, vel Dominicus eſt, vel Sabbatum, vel feria. Si Dominicus, DEO debetur, & redditur: ſi Sabbatum, quieti cedit & devotæ mentis otio: ſi feria, monet à vacuis curis, ab inani mundi labore feriandum. Id ſi facimus, dies omnis Cœlo & beatæ Æternitati exigetur. Ut porrò exigatur, vide quæ dixi Tom. III. Quæſt. 1. de ſcopo fineque, quem ſibi in feſtorum inſtitutione Divina Providentia præfixit.

CAPUT IV.

Altitudo diei eſt meridies, vel dæmonium meridianum.

Psal. 90. BEATO Nilo *Altitudo diei* eſt meridies; aut priùs dæmonium meridianum, à quo liberari ſe enixè poſtulat Propheta: *A ſagittâ*, inquit, *volante in die, ab incurſu & dæmonio meridiano*; Nimirum ab eo victus infelix David, purpuram nomenque regium infami adulterio maculavit, alto jam die, Soleque ſub meridiem magis incaleſcente, tum enim primùm à libidine incaluit, & à DEI ſui caritate refrixit. Memor illius acceptæ cladis, omni tempore, quod reliquum vitæ fuit, *ab altitudine diei* ſemper expavit, petiitque à Superis eximi *ab incurſu & dæmonio meridiano*, à quo ſibi malè metuit omnis ætas, omnisque propè regio ingemiſcit.

in cap. 2. Iob. Si enim Origeni credimus, meridianam plagam plures incolunt & infeſtant mali dæmones, quàm alios Cœli Orbisque tractus; longè plures afflant à Meridie, quàm vel Oriente, vel Aquilone, vel occiduo Sole. Tua appello tempora tuasque clades, Huſſæ Vates: tibi ſtabant erecta tecta, ædes regiæ, in quibus innoxiè deliciabantur filii tui, cùm ecce à Meridie afflavit infeſtus turbo, incurrit, involavit dæmonium meridianum, & domus latera adeò fœdè concuſſit, ut diſturbarit penitus, ruinam fecerit, unóque caſu filios oppreſſerit: adeò etiam eò loci ac temporis adverſa Meridies, & timendum dæmonium meridianum.

Quod ferè poſteris ſæculis clementius non erit: verùm enim quod olim ſentiebat B. Nilus, malos dæmones, qui per aëra Orbemque hunc aſpectabilem fuſi ſunt, maximè ſub Meridiem æſtumque diei mortalibus inſidiari: adeóque Monachis ſuis inter ſacra verba dicere ſolitus, ut vel maximè caverent à *dæmonio meridiano*: eſt illud acediæ & luxuriæ præſes, eaque vitia ſub Meridiem excitare conſuevit: vel quia tum temporis homo cùm à cibo potuque ſit plenus, facilè inclinat in acediam, & inertiæ connivet: vel quia fit in morbis animi quod in corporis affectionibus evenire ſolet.

Videmus ægris & malè affectis ſub Meridiem eſſe graviora ſymptomata, & æſtus morbi altiores, ita & animus dum ab hoc ſole calet atque æſtuat, libidinis ignea & flammas faciliùs concipit. Ne iis & ipſe ardeas, Solem fuge & dæmonium meridianum: utque fugias, cum D. Bernardo cellam ama & opportunas cellæ tenebras: *Eſt*, inquiebat ille, *mihi cella Cœlum*: dicitur Cœlum à celando, & tibi cella ſit Cœlum, quod te abſcondat & celet.

Si eam amaſſet Dina Jacobi filia, non eam ſibi ſuoque nomini notam inuſſiſſet: in lucem illa prodiit, abiit in Sichem, & capta eſt, ſtuprúmque paſſa: adeò verum illud Tertulliani: *Publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt.* Hoc vitio laboravit Dina, id eſt *curioſitas*, & eo laborant omnes qui Solem amant, & videri magis quàm latere; cùm tamen ut antiquum, ita verum illud Ovidii:

Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit.

CAPUT V.

Altitudo diei eſt dies ſupremi Judicii.

PHILISTHÆI, ſuperbum & inſolens hominum genus, Davidem mortalium omnium mitiſſimum ſiſtere decreverant coram Rege Achis: jamque erat præſcripta & dicta dies: Dies, inquam, humanus humanique judicii: cujus iniquitatem dum animo præconcipit Propheta, metuitque vehementiùs, il-
Psal. 55. v. 4. lud pangit ſcribitque carmen: *Ab altitudine diei timebo*: Verebor omnino lucem illam, quæ Judicem, quæ Regem, ſuâ potentiâ elatum atque intumeſcentem in foro ſedentem videbit, & me ad ejus pedes veluti reum, abjectum ac proſtratum aſpiciet. Quòd ſi hominem diemque hominis tantopere formidare potuit David, cui tamen tum temporis conſcientia erat in tuto: quo vultu, quibus oculis, quâ mente peccator excipiet *diem Domini*, qui & ipſe altus eſt, & quem vel maximè, ex ſenſu multorum Interpretum, hic ſpectaſſe viſus eſt Regius Vates?

Certè ſi reus non venit in conſpectum ſui Judicis, niſi luridâ facie tremuloque genu; qui puſillus homuncio tot peccatis obnoxius in oculis ſupremi Numinis comparebit? Tutus enimverò, certusque ſalutis ſuæ non erit in illo die, niſi cum dum vita diesque hominis adhuc illuceſcit, longè antè animo ſedulâque meditatione diſpiciat, ſeque totum ac ſua illi foro apparet. Quod ut fariat, nonnullas de hoc argumento injiciam quæſtiones.

§. 1. *Quando tandem futurus altus ille ſeu ſupremus divini Iudicii dies?*

AUdio unum aliquem, qui me tacitus arguit, monetque non eſſe mortalium, altiora Divinæ illius ſupremæque mentis arcana petere & ſcrutari; periculoſæque plenum opus aleæ, ea ſtylo & cogitatione perſequi, quæ nec ipſæ beatæ in Cœlo mentes aſſequuntur: *De die* enim *illâ vel horâ nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo.* Marc. c. 13.

Quod ſi puras illas cæleſteſque Intelligentias fugit illa dies, & extrema perituri Orbis periodus, quid de eâ aut ſentire, aut loqui poſſumus abjectæ in terras animæ? Nihil omnino, quod pro vero haberi poſſit; ideoque non eſt conſilii mei unum aliquem annum, aut diem occidenti mundo præfigere: hoc enim nimis inſolens eſſet atque à doctis auribus alienum. Unum tantùm hîc ſequar & quæram: Sítne via aut ratio aliqua, quæ ultimam deficientis Orbis periodum aliquouſque deſignare poſſit, & ſi minùs certa, at certè probabili conjecturâ definire?

In hac quæſtione, quæ difficilis eſt atque implexa, ex me ipſo nihil dicam, nihil ſtatuam, ſed tantùm auctorum verba, fidemque appellabo: iis qui volet, ea ſuo ſenſu calculum addat, detrahat qui volet: ego in hac cauſa judex & arbiter eſſe nec volo, nec ut velim poſſum. Standum erit auctoritati Scripturæ, SS. Patrum ſententiis, & conjecturæ veriſimili ſi occurrerit: Atque ut è ſingulis pauca delibemus:

Primum è ſacris Paginis objicitur illud; totam hujus mundi ætatem ſex annorum millibus, aut circiter definiendam eſſe atque terminandam: Sex enim illi dies quibus Orbis hic eſt conditus, innuit ſex annorum millia, quibus conſiſtet: quod ex eo deduci videtur, quia Geneſis cap. 1. ubi mundi hujus aſpectabilis fabrica & creatio deſcribitur, reperiuntur ſex Aleph: Aleph autem Hebræis arithmeticè denotat mille: quaſi jam inde notaſſet ſacer Hiſtoriographus: *Creavit Deus Cœlum & terram ad ſex Aleph*; hoc eſt ad ſex annorum millia; quibus exactis nullus erit ampliùs annorum lapſus, nulla temporum viciſſitudo, ſed una longáque æternitatis quies, quam indicat dies ſeptima, quæ Sabbatum fuit & quies Domini.

Deinde ſex primi Parentes ac progenitores totius humani generis, videlicet, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleël, Jared, naturæ & morti ceſſerunt; ſeptimus Enoch, vivus terris ereptus & mortalibus eſt. Ex quo S. Iſidorus ita ratiocinatur: Sex annorum millibus, quos ſignant ſex primi hominum parentes, emittendus in Orbem, labor, dolor, edaces curæ, morbi, mors denique ipſa: at ſeptimo millenario quem notat Enoch, ſuavis erit & conſtans beatioris ævi tenor, æterna & immortalis quies.

Apoc c. 20. v. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Denique Joannes Chriſti Scriba & ſecretorum vel maximè conſcius, deſcribens totam Univerſi bujus ætatem & finem, enumerat ac repetit ſexies mille annos; quibus exactis, illicò ſubjicit occaſum Orbis, mortuorum reſurrectionem, ac judicium extremum.

Cap. 6.

Huc ipſum antè docuerat, ubi & per ſigilla ſeptem deſcripſerat ſeptem myſteria ac tempora, réſque iis gerendas à Chriſto ad Anti-chriſtum. Quatuor primis ſigillis in pulverem & arenam educuntur Equites quatuor, qui pro aris & focis, pro vitâ & ſanguine ſingulari certamine dimicent: primo ſigillo velut è carceribus emittitur equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens, ut vinceret. Hoc equo deſignatur Chriſtus generis noſtri Servator optimus, qui cum tribus equitibus, ac equis, rubro, nigro, pallido decertet feliciter vincatque feliciſſimè. Equus rufus Gentilium ſymbolum eſt; Niger, Hæreticorum; Pallidus, Turcarum ac Saracenorum, quos omnes verbo ceu arcu & ſagitta petet, evertet ac profligabit Meſſias. Et hæc aperiunt atque oſtentant ſigilla quatuor. E quinto verò prodeunt animæ Heroum, Martyrum, inquam, qui impiâ eorum manu ferroque ceciderunt, velut innocentes ad aram victimæ: è qua cruentâ voce ultionem inclamant, & à cœlo vindice extorquent.

Et ecce tibi mira in ſexto ſigillo malorum impendentium prodigia, minæque truces, à quibus in aciem evocatur & paret omnis militia Cœli: Sol inprimis, oculus Univerſi, & gemma ſuperorum Orbium, offuſcatur; rubeſcit Luna, Phœbi ſoror, & ſtellæ velut è ſuis orbibus ingenti niſu refixæ concidere, & priſtinas ſuas ſtationes deſerere videntur: ut eo caſu tam ſtupendo & admirabili mortales edoceant, domito jam Saraceniſmo, ultimum Univerſo excidium impendêre.

Ex his autem id unum conficio, accedere nos propriùs ad extrema mundi perituri confinia, agereque ultimum millenarium ex probabili Scripturæ ſacræ interpretatione. Cui pondus addet ipſa Sanctorum Patrum auctoritas, quæ hac in parte nobis quàm maximè favere videtur. D. Auguſtinus &

Cap. 7.

Hieronymus, ſui ævi lumina, banc in vulgus extulerunt opinionem.

Ille enim libro vigeſimo de Civitate Dei, cùm ageret de duabus reſurrectionibus, déque mille annis, quorum in Apocalypſi Joannes meminit; duobus modis eos explicat; è quibus primus inſtituto

Pſal. 89.

meo opportunus: *In ultimis*, inquit, *mille annis iſta res agitur, id eſt ſexta annorum millenario, tamquam ſexta die, cujus nunc ſpatia poſteriora volvuntur, ſecutura deinde Sabbato quod non habet veſperam, requie ſcilicet Sanctorum, qua non habet finem.*

Tract. 10.

Cum Auguſtino conſpirat Hieronymus, qui plenus ævi, ſtudioque jam laſſus fortius in Scripturis divinis figit pedem; ille ad Cyprianum, ex illo Pſalmiſtæ verſu: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit*, concludit omnem Orbis hujus ætatem, ad ſex annorum millia excurrere, vix ultra: *Ego*, inquit, *arbitror ex hoc loco, mille annos pro una die ſolitos appellari: ut ſcilicet quia mundus in ſex diebus fabricatus, ſex millibus annorum tantùm credatur ſubſiſtere, & poſtea venire ſeptenarium & octonarium in quo verus exerceatur ſabbatiſmus.*

Cum D. Hieronymo ſcripſiſſe viſus eſt S. Gaudentius Brixianus, cujus hæ voces: *Expectamus illum verè ſanctum ſeptimi milleſimi anni diem, qui adveniet poſt illos ſex dies; ſex millium videlicet annorum ſæculi, quibus completis, requies erit vera ſanctitati, & fideliter credentibus in reſurrectione Chriſti.* Quid ad rem noſtram accommodatius, quid clarius dici potuit?

Huic addamus D. Iræneum antiquitate venerabilem; paucis ille verbis opinioni noſtræ patrocinatur: *Quotquot diebus hic factus eſt mundus, tot & millenis annis conſummatur: eſt enim dies Domini quaſi mille anni: in ſex autem diebus conſummata ſunt, quæ facta ſunt, manifeſtum eſt, quoniam conſummatio ipſorum ſextus milleſimus annus eſt.* Hæc ſanctus ille Pater à quo

Adverſus Hæreſes l. 5. c. ult.

priuſquàm diſcedam, optem altius imprimi lectoris animo voculam illam, *manifeſtum eſt*; certè nemo me jure arguet ſi dixero quàm probabiliſſimum.

Verùm hic acerbæ contentioni ne ſit locus, ſed amicæ blandæque veritati, quæ magnis illis mentibus inſediſſe videtur, ut doctis eorum monumentis illuſtrata purior ad Poſteros deferretur: è quibus & illud D. Hilarii Pictavorum Epiſcopi: *Sex millium annorum temporibus evolutis, regni cœleſtis honor præfiguratur.*

Comm. in Matth. c. 17.

Et hoc D. Juſtini, *Licet ex multis litterarum locis conjicere, eos verum dicere, qui dicunt tempus præſentis ſtatus mundi, eſſe ſex annorum millia.* Hæc ille, qui omnes antiquioris Philoſophiæ fontes exhauſit, & à profanis Gentilium ſacris ad Chriſti fidem tranſiit, quam deinde & ſuo ſignavit ſanguine: ut eſſet in eo gemina laurea, & Philoſophi, & Martyris.

In Reſp. ad Orth. q. 7.

Sed jam auctoritate & Sanctorum Patrum teſtimoniis pugnatum eſt ſatis; cum eorum bonâ veniâ, etiam aliquid Rabbinicæ ſcholæ concedamus: in eâ hoc pro oraculo fuit. Sex millia annorum erit mundus, & iterum deſtruetur: duo millia fuerunt inanitatis, id eſt legis naturæ; duo millia erunt dierum Meſſiæ: ex quo trahitur argumentum à ſimili.

Hic Orbis tres habuit viditque ſtatus: Primus fuit legis Naturæ, ab Adam uſque ad Abraham: & hic tenuit bis mille circiter annos.

Secundus legis Moſaicæ; ab Abraham uſque ad Chriſtum natum: & ille ad annos bis mille excurrit.

Tertius legis Chriſti & Gratiæ, in quo Cœlo reſpiramus & vivimus; & huic bis mille annos deſcribimus.

Hic eſto ſæculorum terminus, hæc rerum meta, hic Orbis occaſus, quem utinam oculis animoque legerent mortales: non ea foret hujus ſæculi cura, non ea oblivio æternitatis; ſed antiquæ, ſed veræ querelæ: *Nimirum brevi fortes jaculamur ævo multa*; vitam enim, ſalutem & Cœlum ipſum tempori committimus; & futura retrò ſæcula, annos innumerabiles, longam æternitatem non expendimus.

Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, inquit Propheta Regius. Aranea vano & inutili labore ſeſe exercet, fatigat, exhaurit, eviſcerat, ut tenuia fila huc illucque deducat, telamque contexat: & cui prædæ cedet iſte labor, quæ præda labori? Muſca prætervolans ibit in retia, in prædam ibit; niſi tamen priùs in ancillæ unius ſcopas iverit aranea omniſque telæ labor: quem ſi futilem eſſe credis, & omnes vitæ tuæ dies atque annos futiles crede; ſi tamen in iis meditaris ut aranea, ſi telas & retia nectis, quibus muſcas capias, & vana vanus aucuperis: quod ſuo malo faciunt plerique mortales, qui vitæ ſuæ dies & annos plurimos atterunt, ut neſcio quid vanæ gloriolæ & honoris aſſequantur.

Liberalis fuit ille jocus, ſed verus tamen cujuſdam Abbatis. Ludovicus Rex Galliæ, hujus nominis undecimus, Abbatem Bargienſem per litteras rogârat, ut Abbatiâ cederet: cui Abbas ſcitè, & acutè reſpondit: Quadraginta ſunt anni, ex quo cœpi diſcere duas litteras, A. B. concede mihi & alios quadraginta annos, ut duas alias ſequentes prioribus longè difficiliores C. D. addiſcam: & tum litteris votiſque tuis faciam ſatis.

Ecce quot anni, quæ cura, quis labor in ſtudio duarum litterarum, A. B. nimirum etiam quandoque & ſæpiùs in Monachorum cellas irrepit ambitio, & humili cucullo tegitur ſuperbum caput, & altus animus: non illud religionis vitium eſt, ſed humanæ mentis in malum inclinatio: præſtitiſſet ſanè etiam quadraginta annis didiciſſe duas illas conſequentes

C. D.

C. D. Abbatiâ, inquam, Pedo Infulâque ceſſiſſe: beatus enim ille qui procul negotiis, proculque curis, Deo vivit ac moritur.

Certè ſi in duabus litteris id debet impendi laboris, id temporis conſumi, velim eas eſſe α & ω; utque velim, facit, D. Joannes, qui hanc Dei ſui notionem extulitatque commendavit: nec vana fuit commendatio. Has enim magno ſtudio ac labore didicerunt primi Chriſtiani, qui ut notat Pererius & Cornelius, non tantùm animis, & fideli memoriæ eas mandarunt; ſed etiam ſepulchris ſuis inſcribi voluerunt, α & ω, ut antiqua marmora, piique manes efferrent in Poſteros avitam illam pietatem Deique ſui ac divinorum Judiciorum memoriam: α enim principium eſt, ut noveris à quo ſis principio; ω eſt finis, ut ſcias, quem finem ſpectes: ab α tranſis ad ω; à Deo veniſti, ad Deum redis: atque utinam redeas, hoc uno beatus eris, cætera miſer.

§. 2. *Noctúne, an interdiu exercendum Dei Judicium?*

IAm pridem in ſcholas & pulpita aſcendit ex quæſtio; Sime Chriſtus venturus ad Judicium adulta jam & concubiâ nocte? An verò ſub auroram?

Sunt qui Solem ament, primamque lucem ſurgentis auroræ exercendo illi Judicio deſignent. Chriſtus enim lux eſt, Orbis oculus, Eccleſiæ jubar, Sol amœniſſimus, qui ideò venit ad Judicium, ut ea quæ diu in tenebris occulta, profundaque nocte jam merſa fuerant, in lucem aſpectumque proferat. Ex quo conſequens eſt illud non obſcurâ ſilentique nocte, non denſis in tenebris venire debuiſſe; ſed orto jam & illuceſcente Sole: ut ex bono veroque dicatur & ſit *dies Domini*: nam alioquin nox Domini appellari debuiſſet.

Non deſunt tamen Auctores à doctrinâ & ſanctitate notiſſimi, qui diei illius lumen impugnent, credantque tragicam iſtam ſupremi Judicii ſcenam, ultimumque pereuntis Orbis actum mediâ & atra nocte peragendum.

Ita D. Chryſoſtomus & Hieronymus, qui cenſent eam opinionem jam inde ab Apoſtolis communi certâque Traditione ac famâ promanaſſe. Eâque de causâ ſancitum olim in Eccleſiâ, ut in vigiliâ Paſchæ populum ante mediam noctem dimittere non liceret. cujus ritus piæque obſervantiæ hanc rationem fuiſſe credunt; quòd ut olim vindex Deus, mediâ nocte in Ægyptum deſcendit, omniaque ejus primogenita ſolo inſtravit, ſanguine letoque merſit: ita & in ultimo labentis Univerſi articulo è Cœlo deſcendet Chriſtus altâque & ſtupenti nocte ſeverus Judex conſidebit.

1. Theſ. 5. Huic ſententiæ favet illud D. Pauli effatum: *Dies Domini, ſicut fur in nocte ita veniet*; & hoc Chriſti in

Matth. 25. Parabolâ decem virginum: *Mediâ nocte clamor factus eſt, Ecce ſponſus venit, exite obviam ei.*

Favet denique & illud Davidis: *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Cur inquies mediâ nocte? Vir ille magnus, altus ex humili, ex tenui rure evectus ad regiam; ut purpurâ ſceptroque extrema deficientis mundi tempora, noctemque ultimam animo verſat; utque eam ſibi propitiam faciat, mediâ nocte ſurgit & Domino confitetur.

Antiquæ illius pietatis morisque retinens & amans Eccleſia, in ſerie illâ penſoque Divini officii tres nocturnos ſtatuit, quos à nocte ita placuit appellari. Quo ritu, qua prece filios ſuos tacitè monet provida mater, quàm operosè noctem illam meditari, & per omnes hujus vitæ dies illius debeant meminiſſe. Quod ſi faciant, nox omnis, dies omnis, totaque vitæ ſtatio, erit pro vigiliâ, nec unquam vel imparatos, vel ſomno ſepultos, ſuique immemores *dies illius* occupabit.

Sed erit fortaſſis unus aliquis qui ſupremæ illius ac decretoriæ noctis cauſam inquiret, divinorum conſiliorum non importunus indagator: cui pro ratione eſſe poteſt ac debet ipſa Auctoris ſui ſupremique Judicis voluntas, quæ cauſarum eſt inſtar omnium: quia tamen nec illa ſine ratione quidquam molitur ac tentat, ego nonnullas è multis producam.

Erit qui volet in illo ſoro Cœlum omne regi pulla nigraque veſte, ut hominis ceu communis parentis excidium lugere ac deplorare videatur.

Erit qui credet, nec immeritò, Solem, Lunam, & aſtra cætera ſuperis orbibus infixa, lucem ſuam negare ac fugere, ne illa Cœli militia, ne Sol ipſe humanæ perfidiæ teſtis & ſpectator aſſiſtat. Nimirum pura illa lucidaque corpora tantam ſcelerum omnium colluvionem non patiuntur.

Erit & alius qui opinabitur, illi judicio decretam noctem, horribileſque tenebras, quia peccatum omne nox eſt, & peccatores filii noctis ac tenebrarum: qui enim male agit, odit lucem, & caliginem amat, utpote commodam obtegendo ſceleri & inviſæ nequitiæ. Dixit in vitâ non ſemel impius, *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem vereor?* Erat tamen qui te circumſpiceret; vigil erat, apertus & explicatus Divinæ mentis oculus, ipſo Sole lucidior, cui etiam in tenebris, denſâque nocte, nuda erant omnia, parentia, lucentia.

Lucem illam, quæ tibi in ea peccati caligine pro duce eſſe poterat, fugiſti, noctem infamiæ tuæ quæſiviſti; & ecce par peccato pœna, in noctem aliam priore horribiliorem incidiſti, ut qui per eam peccaras, per eam & torquereris.

Malunt tamen alii noctu exercendum Dei Judicium; ut ad cætera mala, quæ infelices illas animas circumſtant atque obruunt, ipſe quoque noctis horror, & inviſa calamitas accedat: habet enim nox ipſa illunis & nubila, neſcio quid horroris ac periculi, adeò ut etiamſi cætera deſint vacentque metu, nox tamen ipſa pro timore ac periculo ſit: ita oculus in nocte ſibi omnia tetra, horrida, immania fingit, & quæ non videt, ab ipsâ lucis orbitate ſibi fingit, animoque expaveſcenti objicit. Teſtes mihi erunt Ægyptii, quos olim ad tres omninò dies nocteſque ea caligo graviore quàm unquam aliàs plaga occupavit atque afflixit.

Primùm enim quamdiu Cœlum Ægyptiacum nox ea tenuit ac cinxit, nemo unus Ægyptiorum alterum vidit, nemo pedem aut manum movit: diceres eis tenebras pro carcere vinculiſque fuiſſe; nemo præ ingenti pavore loqui, comedere, aut è cubili ſurgere eſt auſus: ideò ſtupidi ad omnia ſenſus omnes, unicum dumtaxat præſens malum ſentiebant. Exod. c. 10.

Ad nubem illam molemque horrificæ noctis appellebant immania ſpectra, & terris inviſæ monſtrorum ſpecies, quæ mœrentibus & attonitis oberrabant animis, & miros in iis motus excitabant.

Hæc eo loci ac temporis erat imago Ægypti: alia longè Iſraelis. *Vbicumque enim habitabant filii Iſraël, lux erat*: Non tantùm in vicis ac plateis; ſed quod mireris & ames, etiam in eadem domo, eodem cubiculo Hebræis dies erat, & amœna quædam adventantis lucis imago: Ægyptiis nox atra, & ſuperinfuſa quædam nubes atque caligo; dum Solis radios his negat ultrix Dei manus, illis autem concedit. Exod. c. 10. v. 23.

Quod olim Ægyptiis atque Hebræis Cœlo judice factum, hoc deinde probis ac reprobis futurum piè credo in tremendo illo Divini Judicii die: probis quidem illuceſcet optata dudum dies, ſuda Cœli facies, blanda radiantis Solis imago; ſeu eum eſſe voles Solem illum noſtrum aſpectabilem, ſeu ipſum Meſſiam, qui Electis erit quod Orbi noſtro Solis jubar: damnandis autem tenebræ cedent Ægyptiacæ, palpabiles, tartareæ, ut ex ipſo Judicii loco im-

minentes ſtygii lacus tenebras, æternamque noctem haurire incipiant atque formidare.

Hanc è vitâ, dum enixè licet, aſpice, meditare, & teipſe, ſi fortè in peccati nocte ſis, gratiæ & luci redde, ne in eam caliginem, in illas tenebras aliquando noxius incurras, ex iiſque evadas nunquam.

Ita certè aſpicere atque meditari docuit D. Bernardus, cujus eæ voces: *Paveo gehennam, contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, & ſulphur, & ſpiritum procellarum, horreo tenebras exteriores.* Hæc ubi dixit vir ſanctus impetu quodam animi ad divina Judicia contremiſcentis, tum altiùs vocem explicat, & in vota pœnitentis animæ effundit: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis lacrymarum fontem, ut præveniam fletibus fletum & ſtridorem dentium.*

Serm. 26. in Cant.

Quis hîc non paveat? Quis totus non perhorreſcat? Quis non proſpiciat ſupremæ illi nocti? Quis non caveat à gehennâ? In quâ, ut Gregorius ait, *Miſeris erit mors ſine morte, finis ſine fine; quia ubi mors vivit, & finis ſemper incipit.*

Lib. 9. Mor. c. 48.

Hæc cùm ita ſint, *Expergiſcimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine*: Vinum, inquam, miſerationum divinarum, quæ vobis in die vitæ ubertiùs manant; cùm ſcilicet ſuperni *montes ſtillant dulcedinem*: flete & ululate ſalutari pœnitentiâ ducti: erit enim aliquando noctis tempus; cùm graves, turbidas & amaras aquas effundent Divinæ Juſtitiæ torrentes. In Troglodytis eſt fons Solis, qui interdiu dulcis ac frigidus fluit; noctu autem amarus & fervens: Et is tibi fluit fluetque Chriſtus: in die enim vitæ tuæ potabiles, dulces, & amicas vehet aquas: in nocte autem mortis ac ſupremi Judicii turbidas, inſulſas, inimicas evolvet: has time, & illas ama

Ioël 1. v. 5. *Ioël 3. v. 18.* *Plin. l. 26. c. 129.*

§. 3. *Quæ in terris ſedes, & quis locus divini Judicii?*

COmmunis opinio, quæ jam inde ab omni antiquitate recepta, & confirmata Scripturæ fide, Sanctorum Patrum auctoritate, in ætates longè conſequentes emanavit, eſt divini Judicii locum deſignatum eſſe in valle Joſaphat: cujus rationes priuſquàm inquiramus, pauca de nomine ſituque illius præmittemus.

Erat vallis Joſaphat Jeruſalem inter & montem Oliveti à Septentrione in Auſtrum: eam præterfluebat torrens Cedron: Cedron autem obſcuritatem ſignificabat: fortè quòd is torrens nigris turbidiſque aquis flueret, vel à nigris procellis ſua incrementa acceſſeret.

Communiùs tamen audiit vallis Joſaphat, ſic appellata à Joſaphat Rege: vel quòd eam ipſe inſigni titulo, arcúque triumphali decoraſſet, in monumentum victoriæ ab Ammonitis & Idumæis relatæ: vel quòd illi jam vitâ functo ibidem erectum eſſet mauſolæum altâ immanique pyramide inſignitum.

Dicta porrò vallis Joſaphat: id eſt vallis *Judicii Domini*, Hebræo more, qui ab eventu, caſúve etiam futuro, longa præſagitione nomina rebus componebant: *Ieſcaphat* idem eſt atque *erit judicium*, videlicet Domini, ſummique Judicis cùm toto mortalium genere diſputantis.

Ita futurum aliquando longè antè cecinit Joël Propheta; hæc Dei ſui voce poſteris omnibus edicens: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.*

Ioël 3. v. 2.

Ita habet vulgata lectio, à quâ diſcedit paululùm Chaldæus Paraphraſtes; & vertit, *Congregabo omnes gentes in vallem diviſionis Iudicis*: quæ ſcilicet in Judicio oves ab hœdis, electos à reprobis dividet atq; diſcernet: & illos quidem Cœlo ſervabit & beatæ Æternitati; hos autem concidet, unde & dicta *Vallis conciſionis*.

Verſ. 14.

Hebraicè *Charuts*, quæ vox tribulationem, triturationem, excuſſionem ſignificat: ſicque ex vero nominabitur ea vallis *diviſionis*, *tribulationis*, *triturationis*, *excuſſionis*. quia ſicuti tribulâ triticum è palea excutitur, trituratur, & ab illis ſeparatur; ita eo loco boni à malis æternùm ſunt ſeparandi.

Dicamus amplius ex unâ eademque voce *Charuts*, quæ ex fœcunditate linguæ ſacræ multas ſignificationes admittit, appellandam eam vallem *decurtationis*, *abbreviationis*, *exciſionis*, *expurgationis*, imò & vallem *acutam*, *auream*; has enim omnes interpretationes unica parit Hebræa vocula, quæ iſti valli nomen fecit; & quidem primò, *decurtationis & abbreviationis*; quia in eâ curtus & brevis conflabitur Electorum numerus, præ immenſa & innumerabili Gentium multitudine, quæ è beatorum cancellis finibuſque excludetur. Ita futurum olim præſago ſpiritu dixit Iſaias: *Conſummationem & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* *Iſa. 10. v. 23.*

Nominatur deinde ea vallis *exciſus*, quia in illâ viſendum excidium impiorum ab fulmine divinæ vocis: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Audit etiam vallis *expurgationis*; quia *Charutz* aurum diſcretum, & expurgatum ſignificat, & in eâ valle propè expurgati fideles, & tanquam aurum obryſum uni Deo auctorique ſuo ſervabuntur; cùm reliqui omnes in æternos ignes mittendi ſint, numquam ab iis expurgandi.

Dicitur inſuper & vallis *acuta*, vallis *ſollicitorum & anxiorum*: in quâ in auras aureſque non profuturas mittentur anxiæ illæ voces, quibus impii dicent *montibus, cadite ſuper nos; & collibus, operite nos.*

Appellatur denique vallis *acrium*, *fortium*, *ſtrenuorum*; quia in eâ Apoſtoli, Martyres, Virgineſque inclytæ, quæ Fidei ac Religionis causâ certarunt acriter, & contra omnem tyrannorum incurſum fortiter ac ſtrenuè dimicarunt, gloriæ ac beatitis lauream accipient, pretium effuſi quondam in acie ſanguinis vitæque per extrema ſupplicia Deo redditæ: & inde divite feliciique nomine etiam ea vallis eſt *aurea*, in quâ aurum ſancti; annulus, æternitas; gemma, lux æternæ fælicitatis. Et hæc de nomine quæſtio, & pius inter Auctores ludus ac concertatio; quâ eadem vocula aliò atque aliò trahitur.

Tranſeo ad rationes, quas pro eâ valle congerunt Sancti Patres, & accuratus Interpretum labor; è quibus aliqui volunt vallem Joſaphat divinæ Juſtitiæ pro theatro apertam atque explicatam fuiſſe: quòd in eâ quondam inclyti piique Reges Joſaphat, Ezechias ac Joſias, idololatras idolaque igne ſuccendiſſent: fortè ut ex tunc eſſet typus aliquis & figura illius incendii, quod infideles impioſque ab illa valle excipiet.

Alii, quòd in eo loco fuiſſet olim gehenna, in quâ à parentibus cremari ſoliti infantes, & malè perire idolo Moloch: quos ob illam immanitatem, atque impietatem manet in eadem valle gehenna æternitatis: & hinc fortè aliqui crediderunt, ibidem eſſe & expirare inferni fauces.

Nonnulli quòd ea vallis commune urbi Jeroſolymæ cœmiterium olim fuerit, in quo depoſiti per annos, & longa ſæcula, mœſti cineres quieſcebant.

Placuit aliis ipſe ſitus, ipſáque vallis illius regio, quæ terræ medium centrumque videri poteſt: in quo Davide teſte, ſalutem generis humani operatus eſt Deus. Verùm ut ut ſit de illo centro (in Orbe enim, & ipſa circuli circumferentia, ubique centrum mediumque ſtatui poteſt) magis amo & probo eam rationem, quæ Chriſto in hac valle quondam paſſo, adſcribit cauſam futuri deinde in illa Judicii. *Pſal. 73.*

Viſebatur in valle Joſaphat nominata illa villa Gethſemani, & hortus, in quem orationis cauſa venire ſolitus Servator noſter: hortus, inquam, qui toties æſtus illos orantis excepit, & impetus animi ardentio-

ardentiores: hortus, qui extremæ illius triſtitiæ angoriſque conſcius ac teſtis fuit: hortus, in quo primùm terra ſanguineo ſudore rubuit & erubuit: hortus, qui deinde, quamvis invitus ac reluctans, proditorem admiſit, viditque per ſummum nefas, Salvatorem totius generis noſtri, vindicemque libertatis noſtræ, captivum teneri ſibique eripi. Ille, inquam, hortus, in quo jacta prima ſalutis noſtræ fundamenta, in quo explicari cœpta ſcena illa crudeliſſimæ Paſſionis; erit ille ſedes ac theatrum Chriſti judicantis, qui fuit olim proſcenium patientis.

Ita nimirum factum oportuit; ut qui locus ignominiæ patuit, pateat etiam honori atque gloriæ.

Habes, amice Lector, brevi compendio collecta, quæ fuſiùs etiam integro volumine involuntur alii labore certè non pœnitendo: eſt enim illa ſatis ampla merces, ſi tantùm tibi illius Judicii ſuccurrat memoria, & ex eâ fructum aliquem ſeu timoris ſeu amoris colligas. Timoris erit ſi etiam vivus ac ſpirans animo & cogitatione excedas in illam vallem, tacitusque apud te mediteris, quòd ea ſit vallis Joſaphat, *vallis diviſionis, conciſionis, tribulationis, triturationis*, excidii.

Amoris autem proventus erit ac ſpei, ſi cogites quòd ea ſit vallis *fontium*, vallis *aurea*: elige autem utram tibi eſſe mavis: non dubito quin ex voto tuo auream eliges: Ut ea tibi obtingat aliquando, te ipſe ſæpiùs examina, & ad ultimum illud forum evoca: in eóque Præſidem quære & ama Dei Matrem, Matrem miſericordiæ.

Aderit illa tibi in *die alto*, & Filium bona Mater,

Ad rubem. clientem Patrona tuebitur, ac ſibi ſuiſque cuneis in valle Joſaphat aſcribere non verebitur: in valle dico Joſaphat, quæ olim virgineum corpus, illuſtris animæ exuvias, magnæ mentis ſpolia, facili lætoque ſinu excepit, nec Cœlo reddidit, niſi ut in illo die & corpus & animum tibi propitium faceret: hoc innuit, hoc ſpondet, qui Virgini à ſecretis fuit D. Bernardus:

ſerm. 1. de Aſſumpt. *Advocatam*, inquit, *præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tamquam Iudicis Mater, & Mater miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit.* Hac ipſe ſpe te ſolare, & altiores divinorum Judiciorum curas metusque falles.

§. 4. *Quæ nomina ſortiatur divini Iudicii dies?*

PRima hujus diei appellatio, quæ me in hoc ar-

Dies altus. gumentum velut manu duxit, eſt *Dies altus*; ſic enim apud Davidem audiit, non ſine metu & ſacro quodam horrore. Ab altitudine diei, inquit, timebo.

Tria viatori ſolent eſſe moleſta; pluvium Cœlum, frigidus Aquilo, & Sol altus: & hic quidem omnium moleſtiſſimus: ſi enim madido Jove importunus imber appluat; ſi gelido tractu vehementius aſpiret Aquilo; illius aquas, & hujus vim acremque ſpiritus objecto ſago eludere potes & frangere: at Solis æſtum non potes: ſi enim ab eo veſtem ponis & abjicis, nudo corpori lux appellit, & ignes faceſquaſuas propiùs admovet: ſin autem pallium objicis laneamque veſtem; ea Solis ardorem non fallit aut minuit, ſed auget potiùs.

Ita nullum Sole alto eſt effugium: & nullum ab imminente divini Judicii die, quod nos exacta hujus vitæ mortalis peregrinatione excipit atque expectat: & hinc dicitur *Dies altus*, quia in eo Sol ille noſter, Servator & Judex, in omni vitâ iraſci & excandeſcere neſcius, tunc iras concipiet, & in furore ſuo peccatores judicabit atque diſperdet.

Dies Domini. Appellatur deinde *Dies Domini*. quicumque jam inde ab Orbe condito fluxere dies, quicumque & nobis cum vitâ fluunt fluentque in ævum; ii ſunt dies hominum, dies noſtri: at dies Judicii eſt *Dies Domini*. nempe hunc unum ſibi ſurgere, lucare, ardere voluit Deus, ad noſtram tot ſcelerum, tot malorum vindictam, à quâ & *dies* ille *altus* eſt atque formidandus.

Nominatur etiam à Sponſâ ille *Dies putationis*: ita *Dies putationis.* de eo canit in Canticis: *Iam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terrâ noſtrâ, tempus* *Cant. 2. v. 11.* *putationis advenit*: eſt illud Judicii tempus.

Ubi hujus vitæ mortalis hyems abierit, ubi gratiæ Cœlique benignioris imbres affluere deſierint, *tempus putationis* illuceſcet. Quòd ſi dum olim in vivis eſſemus, virtutum flores in terrâ noſtrâ apparuerint, tum opportunum gratumque tempus illud adveniet, è floſculis illis fructus opimos amputabimus, & meſſem uberrimam colligemus. Ea nimirum eſt Cœli terræque lex atque conſenſio, ut terra flores efferat, & Cœlum ſibi fructus ſervatos velit. Eos ſi ſapimus, in illum diem reſervemus, & animis noſtris, velut molli ſubactoque ſolo, ea ſemina committamus, quæ ſeſe in virtutum flores explicent, & in gloriæ fructus æternos effundant.

Ezechieli Prophetæ alia placuit appellatio: ea diem ſupremi Judicii cenſuit eſſe *Diem menſuræ*: quam *Dies menſuræ.* in ſimili aliquâ ſpecie ei Deus oſtendit. Fuit illa imago templi, & molis omnino prodigioſæ, quæ ſita erat in præcelſi montis vertice: illam animo dum legit Propheta, & ſtudioſiùs contemplatur, *Ecce vir, cujus erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in* *cap. 40.* *manu ejus, & calamus menſuræ in manu ejus.* Ubi virum illum, ubi templi faciem uſurpavit oculis, vidit omnes ejus partes *ad funiculum, ad menſuræ calamum* accuratiùs exigi, ne quid eſſet quod à regulâ deficere videretur.

Quis ille vir è D. Gregorio ſi quæritur, eſt Chriſtus: Eccleſia & nos ipſi templum ſumus: *funiculus lineus, calamus menſuræ*, ſubtilia ſunt & exacta Dei Judicia; illis excutiet, & examinabit ſeverus Judex: à porta ad portam, à primo vitæ limine ad illius exitum; per omnes gradus, per officia, per annos aſcendet: tum etiam in atrium interius penetrabit, abditos occultosque animi receſſus, cogitationum latebras, paſſionum labyrinthos explorabit ac metietur, an fortè quid à regulâ rectæ rationis aberrarit.

Sit illud quantumvis leve, quia tamen diſtortum eſt, quia diſſonum à divinâ æternaque Lege, quæ ſumma primaque regula eſt, examinabit illud Deus, damnabitque: ideoque impenſa cura ac labora cavendum etiam à minimis; quia & illa vocantur in forum: imò & quandoque, niſi maturè provideamus, in ruinam trahent atque naufragium. Ne mihi crede, crede D. Auguſtino, viro quàm maximo. Peccata illa quæ minutiora, quæ venialia dicimus, componit ille cum guttâ aquæ, cum grano arenæ: & hoc illâve nos mergi poſſe cenſet atque obrui. eum in calamo doctiſque ingenii ſui monumentis etiamnum ſpirantem ac benè monentem audi:

Non negligamus, inquit, *peccata noſtra: minuta ſunt ſed multa ſunt. fluctus unus validus irruens obruit navim,* *Lib. aug. de Cant. novo. c. 2.* *minatúrque naufragium: humor autem per rimas influens & in ſentinam veniens, niſi ſubinde ſiccetur, hoc idem facit.*

Parum autem aut nihil intereſt, quî mergaris & pereas, ſi mergeris & peris: ſive enim turbato jam & irato mari tollantur fluctus, & in montis ſpeciem intumeſcant, navimque fluctuantem ſuâ mole obruant; ſive tacitè & lento illapſu, ſedatiſque aquis influant in ſentinam, & cymbam onere ſuo deprimant: Quid tuâ refert? Si & in hoc & in illo caſu, Oceani fluctuumque ſis ludus & præda? Certè rem è ſuo periculo meditanti, ac non potiùs è modo ac ratione pereundi, omnino intereſt nihil. Quod ipſum aliâ ſimilitudine declarat D. Auguſtinus, cùm *Pſal. 39. v. 13.* exponit Davidicum illud: *Comprehenderunt me iniquitates*

quitates meæ, & non potui, ut viderem: multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei.

Qui, inquit, *numerat capillos capitis ſui; multò minùs peccata quæ excedunt numerum capillorum: minuta videntur, ſed multa ſunt: præcaviſti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blaſphemas, non dicis falſum teſtimonium. moles iſta ſunt peccatorum. magna præcaviſti; de minutis quid agis? An non times minuta? Projeciſti molem, vide ne arenâ obruaris.*

Videmus quandoque bilancem dubiam ac nutantem ſtare, nec in unam alterámve partem inclinari, adde arenam, adjice momentum ſtateræ, & illicò depreſſeris: cave ne peccata, quæ ut minuta contemnis, ſint tibi momentum, è quo in tuam perniciem divinæ Juſtitiæ ſtatera deprimatur.

Dies viſitationis & inſpectionis.

Sophonias è minoribus Prophetis unus, aliam eduxit Judicii, quo de agimus, notionem: voluit enim eſſe & dici *Diem viſitationis. Scrutabor*, inquit, *Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis: qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet benè Dominus, & non faciet malè.*

Sophon. c. 1. v. 12.

Scrutatrix illa lucerna eſt oculus; oculus, inquam divinæ Juſtitiæ, cui expoſita omnia & patentia ſunt.

Bithyniæ cives & accolæ Judicum ſuorum tribunal Soli exponebant, ut à Sole Juſtitiam diſcerent, ac veritatem illius comitem, imò & ſororem. Non opus in hoc cœleſti foro, eo tribunali Soléque aſpectabili: cui ſcilicet Sol alius exurgit, & increatæ Sapientiæ oculus aperitur; aperitúque quidquid hactenus clauſum, occultum, inviſum fuit: *Scrutatur* enim *Ieruſalem etiam in lucernis.*

Serm. 55. in Cant.

Quid tutum in Babylone, exclamat D. Bernardus, *ſi in Ieruſalem manet ſcrutinium?* Ac deinde ſeipſe explicat: *Puto*, inquit, *hoc loco Prophetam, Ieruſalem nomine deſignaſſe illos, qui in hoc ſæculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernæ illius Ieruſalem converſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes; & non veluti hi, qui de Babylone ſunt, vitam in perturbatione vitiorum, ſcelerumq; confuſione vaſtantes. Horum peccata manifeſta ſunt, & non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio: mea autem (qui videor Monachus & Hieroſolymita) peccata certè occulta ſunt, nomine & habitu Monachi adumbrata, & idcircò neceſſe erit ſubtili ea inveſtigari diſcuſſione, & quaſi admotis lucernis in lucem prodi.*

Si hæc de ſeipſo Bernardus, qui Virgini, qui Matri ſui Judicis & à ſecretis & in amoribus fuit; qui devotionis, religionis, virtutúmque omnium imago & exemplar longè perfectiſſimum: ſi, inquam, hæc ille de ſeipſo & cenſuit & dixit; Quid nos, à Bernardo, mirum quantum alienos, & ſentire, & loqui par eſt? Illud certè unum, quod pro remedio, & ſibi ipſe & aliis inſcripſit:

Scrutabor ergo vias meas, & ſtudia mea, quò is, qui ſcrutaturus eſt Ieruſalem in lucernis, nihil inſcrutatum in me, ſive indiſcuſſum inveniat: neque enim judicabitur eſt bis in idipſum.

Hæc ubi piè ac providè apud animum ſtatuit, tum vela votis aperit, & ſancto deſiderio ſuccenſus exclamat: *Quis mihi det, ita ad liquidum proſequi, & perſequi univerſa delicta mea, ut in nullo oporteat vereri oculos capreæ? In nullo ad lumen contingat erubeſcere lucernarum?*

Meritò in hæc vota animum & vocem explicat Bernardus: quia, ut longè antè docuit Auguſtinus,

In Pſal. 42.

Difficilè purgata via invenitur, cùm ille judicat qui novit ad purum & liquidum judicare: Quia etſi probabilis jam vita eſt inter homines, ita ut homines, quod jam juſtè reprehendant, non habeant: procedit examen ab illius oculis, procedit regula exæquans non fallaciter, & invenit in homine quædam quæ reprehendat Deus, quæ homines reprehendenda non videbant, nec ille ipſe intus, qui judicandus eſt. Hac timens anima conturbatur. & ſupplex in Cœlum jacit illud Davidis: *Ne intres in judicium cum ſervo tuo, Domine. Quare ne intres in judicium cum ſervo tuo? Quia*, ut inquit D. Auguſtinus, *miſericordiâ tuâ mihi opus eſt; nam ſi judicium exhibuerìs ſine miſericordiâ, quò ibo?*

Si magnus ille præſul, ſi præcelſa illa mens, quæ tota à vitiis, imò & à ſeipſa diſceſſit, ut ad Deum ſuum accederet, neſcit tamen quò itura ſit, tu qui tua libidine diffluis, natas ac mergeris in mediâ ſcelerum tuorum colluvie, non cogitas, non expendis quò iturus ſis? Nimirum illud eò fit, quia tute ipſe non judicas, non arguis, imò nec vides: aderit aliquando tempus, cùm tecum in judicio diſceptabit Deus, & arguet te: at quâ ratione, quo pudore tuo, quo rubore ac ſupplicio? Iterum ex D. Auguſtino excipe: hæc tibi illius voce calamóque Deus:

In Pſal. 49.

Suſpicatus es, miſelle homo, quòd ero tui ſimilis: minimè gentium: arguam te, & quid faciam tibi arguendo te? Quid tibi faciam? Modo te non vides, faciam ut videas te; quia ſi videres te, diſpliceres tibi, placeres mihi: quia verò te non videns placuiſti tibi, diſplicebis & mihi & tibi: mihi cùm judicaberis, tibi cùm ardebis.

Hæ ſunt terribiles minæ, hoc fulmen irati Numinis: quæ verò in te culpa ſit, agnoſce. Quid enim? *Vis latere teipſum in dorſo tuo? Ibi es, non te vides: faciam, inquit Iudex, ut te videas: quod poſt dorſum poſuiſti, ante faciem ponam; videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, ſed ut erubeſcas.* Et hæc eſt altera pœna eáque longè graviſſima: ut eam à tuo capite, à tuis cervicibus amoveas, auctor tibi ſum, imò potiùs eſt ipſe Auguſtinus, ut modò tu ipſe facias, *quod tibi minatur facere Deus. Tolle à tergo tuo ubi te videre non vis, & conſtitue te ante te; aſcende tribunal mentis tuæ; eſto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat à te confeſſio, & dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum ante me eſt ſemper. quod erat poſt te, fiat ante te; ne tu ipſe poſtea à Deo fias ante te, & non ſit, quò fugias à te.*

Et hæc omnia faciunt ut diem Judicii dicamus futurum olim diem viſitationis & inſpectionis: Beatus qui ſe ipſe priùs viſitabit, inſpiciet, imò & judicabit: ut enim piè vereque D. Bernardus; *Si noſmet ipſos judicaverimus, non utique judicabimur: bonum judicium quod me illi diſtricto, divinoq; Iudicio ſubducit & abſcondit: prorſus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui ira judicatus præſentari, non judicandus. Iudicabo proinde mala mea, judicabo & bona. ſcrutabor vias meas, & ſtudia mea; quò is, qui ſcrutaturus eſt Ieruſalem in lucernis, nihil inſcrutatum in me, nihil indiſcuſſum inveniat.*

Serm. 15. in Cant.

Æſtatis, meſſis & vindemiæ.

Sed & aliud occurrit ultimi Judicii ſeu nomen ſeu ſi mavis etiam ſymbolum: eſt illud tempus æſtatis, meſſis, vindemiæ. Innotuit etiam illud oraculo primæ Veritatis: cùm enim adhuc in vivis eſſet Servator optimus, amarétque ſuos illius diei, quà liceret, certiores reddere, ab illâ anni tempeſtate ſimilitudinem petiit: *Cùm videritis*, inquit, *ficum folia emittere, dicitis quia propè eſt æſtas: ita cùm & ſigna & portenta cælis aut terris impreſſa notaveritis, ſcitote, quia propè eſt Iudex, imò & jam in januis.*

Matth. 24. v. 27.

Meritò ſanè ab Æſtate Judicium nomen accepit & lucem: ut enim ingenioſè D. Auguſtinus: quæ nobis fluit vita diéſque brevioris ævi, is pro hyeme eſt: in hac arbores omnes recepto intrinſecus ſucco, vitæque ſomite ad interiora imamque radicem revocato ſimiles apparent, quaſi aridæ, infructuoſæ, mortuæ: at verò appellente jam molliore veris aurâ Soléque æſtivo, hæ viteſcere, germinare, florere, fructus edere videntur; illæ exſuccæ manent, & à floribus fructibusque vacuæ, & quod inde conſequens eſt, quaſi ſolo cœloque inutiles atque oneroſi trunci, exciduntur & in ignem mittuntur, nè terram ultrà occupent.

Serm. 212.

Quod arbori, hoc & homini, qui arbor eſt inverſa: quamdiu ſpirat Aquilo, gelidáque hyeme ac

nive

nive vita mortalis regitur; non ſeſe prodit, qui latet in his virtutum bonorumque operum ſuccus; & optima domi bonæ mentis ſuppellex. neque ex adverſo, quod in aliis eſt, diúque fuit peccati virus, aperitur & patet: at ubi levis aſpirarit zephyrus, ubi corpus mors ſolverit, ubi æſtivo Soli Judicium reddiderit; tum liquidò conſtabit, quæ vivæ, quæ mortuæ fuerint arbores, qui à gratiâ pleni, qui vacui mortales: tum dies erit qualis eſſe ſolet meſſis, aut vindemiæ.

Patitur Deus (quæ ejus eſt Indulgentia) arbores
Matth. 13. illas infructuoſas, & zizania creſcere uſq; ad meſſem: ſi fortè mutentur in triticum: ſunt enim zizania non naturæ neceſſitate, ſed depravatâ voluntate: *ideoq;*, ut advertit D. Auguſtinus, *fieri poteſt, ut qui ſunt ho-*
Serm. 48. de divers. *die zizania, cras ſint triticum: zizania alloquor, corrigite vos*, inquit, *antequam meſſis adveniat*, & dies vindemiæ, de qua queſtus olim Micheas Propheta:
Cap. 7. v. 1. *Va mihi*, aiebat, *quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum.* Nimirum peſſimus ille animorum prædo, in Domini vineam furtivo pede illapſus, eam omnem diſſipavit, uvas collegit, torcularia replevit, & eò quidem ut vix botrus, vix paucæ ſuperſint animulæ, quæ in extremo illo die Deo conſerventur & beatæ Æternitati.

Hinc mœſtum illud carmen, & gemebundum *Væ*, quod iterum ac ſæpiùs geminat Propheta; utinam ad aliquem Poſterorum fructum, & ſacrum illius divini Judicii horrorem; quem auget vel maximè, numeroſa illa malorum ſeries, quam variis appellationibus, quaſi vivis coloribus depingit Sophonias; ubi enim de illo ſermo incidit, ita calamum ducit in lugubri funeſtóque argumento:

Dies iræ. *Iuxtà eſt dies Domini magnus, dies iræ, dies illa, dies*
Sophon. c. 1. *tribulationis & anguſtia, dies calamitatis & miſeria, dies*
v. 14. 15. *tenebrarum & caliginis, dies nebula & turbinis.*

Hæc eſt paraphraſis extremæ illius lucis, quam ait Vates eſſe propè. *vel propter æternitatem, quia ni-*
S. Bern. *hil ei longum eſt: vel propter pœna magnitudinem, quia patienti numquam longè videtur ſupplicium quod inferendum eſt.* quod porrò & quàm immane ſit illud, ex eo collige, quòd ei tam calamitoſa dies viam aperiat.

Dies, inquam, iræ cœleſtis ac divinæ, quæ per tot annos & ſæcula veluti collecta atque compreſſa ſeſe tandem ruptis quaſi aggeribus, ac miſericordiæ repagulis, torrentis inſtar effundit. Ira Dei, inquiebat olim Plutarchus, velut amnes qui repentè ſe condunt ſub terram, & nihilominùs eò perferuntur, quò tendunt: ſic ille, licet occultus, pergit quò tendit, & ſuo tempore erumpit in nocentes: non abſimilis Nilo, qui ſæpè condit ſe, rurſum emergens, cumque longè abeſſe judicari poteſt, caput exerens, terram obruit perditque: ſic evadet erumpetque ira Omnipotentis Dei, & cùm minimè cogitabis, opprimet.

Ab hac effunditur ſpargiturque omnis illa malorum eluvies: & primùm quidem ingens tribulatio: tribulam enim afflictionum omnium ſuper impios volvit revolvitque Dominus: & hinc audit dies illa *tribulationis*.

Deinde etiam *anguſtia*: quæ improbos arctabunt undique: ſi enim ſurſum attollatur oculus, incurret in os vultumque irati Judicis: ſi deorſum, in flammas, in rogos, in parata jam incidet incendia: ſi retrò ſe flectat, repetátque lapſa jam à tergo tempora, cùm illis videbit, ac gemet elapſas voluptates, fluxaque illius ac damnoſa lenocinia: ſi denique ea quæ antè ſunt, & in faciem objecta proſpiciat; excurret in æternitatem, & in illam totus ibit oculus, totus ibit animus, nec illius finem terminúmve inveniet.

LXX. Interpret. Et hinc atrociſſima exurget dies calamitatis ac miſeriæ: dies *perditionis*, quæ omne bonum ſeu fortunæ, ſeu famæ, ſeu corporis, ſeu etiam animi æternùm diſſipabit ac perdet.

Erit enim & ipſa *dies tumultus*, quem eſſe neceſſum eſt in tantâ damnandorum multitudine turbáque, tum in valle Joſaphat conſtipatâ, tum nimiis in ſtygio carcere anguſtiis coarctandâ.

Et hinc inconditi clamores, horrendi ejulatus, convitia inaudita, & immanes in Superos, inferos, mortaléſque blaſphemiæ; à quibus nihil erit liberum, nihil immune.

Ad tumultus illos accedet ipſa *dies tenebrarum* horrorque nebuloſæ caliginis: cui nec Sol, nec Luna, nec aſtrum unquam aliud aſſurget; ſed perennis atque æterna nox, & lucis occaſus: quem etiam rapiet, præcipitabitque repentinus turbo; eſt enim & illa *dies turbinis*, quo infelices animæ ſui impotes perpetuâ agentur vertigine, nec ab illâ ullo unquam tempore conquieſcent.

Erit enim & illa *dies tubæ ac clangoris*; quia in campum armata procedet Juſtitia ejusque adminiſtri, Chaldæus.
veloces ſpiritus, & ſupremæ cœlorum Intelligentiæ, totáque Superûm militia, quæ ſeſe armabit in vindictam peccatorum; non ita tamen quin ſuus etiam ſit miſericordiæ locus: eadem enim illa dies, dicetur, & verò etiam, *dies iubilationis*: in eo quippe miſerorum occaſu, ſibi divinæque indulgentiæ applaudent beatæ mentes, & in amœnas jubilationis canticíque voces ſeſe explicabunt, Deóque liberatori gratum acroâma, laudíſque encomium accinent. Dent Superi, ut & cum illis animos vocéſque tum temporis ad Cœli concentum jungere liceat.

§. 5. *Quæ rationes futuri quondam univerſalis Iudicii?*

PRiuſquam hoc argumentum ingrediar, id ſtatuo, quod extra litem & controverſiam eſt: Judicium aliud eſſe particulare, univerſale aliud. Illud cuique hominum proprium, hoc omnibus commune: illud à morte ſtatim exigitur; ubi primùm è corpore exceſſit anima, velut hoſpes è diverſorio: hoc non obveniet, niſi poſt longa ſæcula, ſeroſque Soles ac Lunas Orbe jam ſeneſcente; imò ab annis & ſenio, & quod amplius eſt, à mortalium vitiis ac malignitate confecto, ignéque velut expiatorio perpurgato: tum enim aſpiciet illud, quod antè præſagâ mente, calamóque inſcripſit Propheta Regius: *Advocabit Cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum.*

Summus rerum arbiter ac moderator Deus, extremæ illi ſcenæ tamquam teſtes & arbitros advocabit Cœlum & terram: hoc eſt cœleſtes illos ſpiritus, quos Angelos dicimus, & immortales animas Cœlo jam additas ac beatitati; ut illi Judicio aſſiſtant, Deique populum à dæmonis peculio diſcernant ac ſegregent. Vel cum Auguſtino, ſi mavis, dic age, ad ſolatium tuum, *Cœlum* eò loci ac temporis fore ſanctos altioris ſubſellii, gradus ac dignitatis, quales Apoſtoli ac Religioſi, qui Cœlum Davidis ore dicunt & ſunt, quia ſpretis abjectisque ſæculi bonis, terrâ ſuperiores ſunt & cœlo proximi: cùm omnes Sancti in ſæculari vitâ quondam relicti, terra ſint ob aliquam etiam bonorum operum felicitatem. Hi judicandi, illi etiam judicaturi: quod ſummum eſt culmen additæ divinæ indulgentiæ majeſtatis. Judices jam vidimus: modò Judicii cauſas ac rationes, quantum mortali fas eſt, inquiramus.

Prima quæ occurrit hæc eſt: ut ſententia, jam inde in cujuſque particulari Judicio lata confirmetur magis, & in illo totius orbis proſcenio explicetur ac promulgetur.

Altera ut ipſi corpori benè ſit aut malè: cùm enim non animâ ſolùm conſtet hominis natura, ſed & corpore: & recta ratio, & divina lex ſuadet ac præci-

pit

pit in conſortium honeſtæ æternæque voluptatis aſſumi corpus; ſi modò animæ conſenſit ac virtuti: ſin minùs, in pœnæ ac ſupplicii ſocietatem vocari: hoc enim æquitatis atque juſtitiæ ratio poſtulare videtur. Sceleratæ & impiæ menti corpus hoc mortale, veluti *fur* & domeſticus *prædo* fuit, qui divitias Cœli gazas, & omnem ſeu gratiæ, ſeu charitatis, ſeu virtutum ſupellectilem eripuit atque dilapidavit.

Leno fuit, & communis animarum pernicies: quæ paſſiones omnes, veluti quæſtuarias mulieres proſtituit, ſuæque libidini ac voluptati ſubjecit, alieniſque & adulterinis amoribus implicuit.

A nobius. *Carcer fuit*, nè in Cœlum Superóſque ſublimis ac libera mens evolaret.

S. seta. *Vinculum fuit*, quo arctius conſtricta, eam amiſit libertatem, quæ ſingularis erat ac propria filiorum Dei.

Bernard. *Laqueus fuit*, quo verſutus & improbus Erebi venator uſus eſt; ut animam interciperet & velut auceps in ſua retia mortemque traheret.

Drexelius. *Feretrum fuit*, quod animum lethali culpâ emortuum circumgeſtavit: & hominum oculis illuſit aſcititiâ quadam & alienâ veſte atque ornatu. Certè ut vulgare feretrum efferendis cadaveribus aſſignatum, numquam decentiùs veſtitum cernitur, quàm cùm cadaver in illo recumbit: ita reproborum corpus quod pro feretro fuit, numquàm molliùs ac decentiùs ornatum fuit, quam cùm in eo à peccato mortuus jaceret atque efferretur animus.

Chryſoſt. *Sepulchrum fuit*, quod gravem mephitim exhalavit undique, & terras infami quadam ſcelerum ſuorum graveolentiâ infecit.

Calius. *Tartarus fuit*, Phlegetonti & Acheronti non abſimilis: in quo fluvius oblivionis, & errore animæ ignorantis ſuæ originis majeſtatem, in quo ardor irarum, & incendia cupiditatum, in quo varius dolor, & ægritudo mentis per omnia vitia fluctuantis.

Cùm ejuſmodi perditis illis fuerit corpus, cùm indumentum inſcitiæ, cùm pravitatis fundamentum, cùm vinculum corruptionis, cùm viva mors, cùm ſtygis erebique larus, & ſi quid illis gravius & acerbius effingi poteſt; cùm, inquam, id miſellæ animæ fuerit corpus, quid mirum ſi è luto limóque etiam invitum ac reluctans evocetur, ut ſocium ſit pœnæ quod culpæ conſors fuit & potiſſimum inſtrumentum? Secùs omninò eveniet beatarum mentium corporibus: venient illa in ſocietatem gloriæ ac quietis; quia venerunt olim in conſortium pœnæ ac laboris.

Cùm terras incoleret anima Juſti, fuit illi corpus veluti comes hujus peregrinationis, æſtus, ſudoris, laborumque imprimis patiens, quos ad animi ceu nobiliſſimæ partis fructum gratiamque referebat.

Fuit omnino fidus cuſtos, & hanc carneam molem, oſſa nervoſque aptâ ſerie inter ſe compoſitos ad quamdam animæ cuſtodiam circumduxit, ut in eâ eſſet ſine metu, ſine periculo.

Fuit corpus amœna quædam & concinna veſtis animæ, quam non exueret, niſi quàm tardiſſimè, annuente Cœlo vocanteque Numine.

Fuit caro, quod à Natura & ratione eſſe debuit, famula corporis, quæ animo ceu hero ſubſervire, & illius imperia nutúſque omnes obſervare eſſet ſolita.

Dicamus amplius, & ex veritate quidem, animæ altiora ſpectantis, & ad virtutis ſtudia Cœlumque natæ, corpus veluti mancipium fuit, doctum etiam flagella pati, onera ſubire, & ſub illis gemere ac fatiſcere.

Fuit corpus animæ, ceu Orbis ſublunaris reginæ nobile diverſorium, imò & palatium, è quo non emigraret, niſi donanda foret vel ipſâ Cœli regiâ Superumque domicilio.

Fuit denique corpus inditæ ſibi menti, atque intelligentiæ inſtrumentum longè aptiſſimum ad religionis, pietatis, virtutumque omnium cultum, & actiones Cœlo dignas ac beatitate.

Cùm ergo probis & à Deo electis tale corpus olim extiterit, quid mirum ſi emergat è ſepulchro, è pulvere, ſibique ac animæ reddatur, eâdem cum illâ donandum immortalitate? Decuit omnino, & divinæ Juſtitiæ conſentaneum fuit, quàm maximè, ut reproborum corpora, inſelicia illa telluris pondera non ſurgerent è tumulis, niſi ut eſſent vermium taberna, atque ſerpentum, buſonum hoſpitium, ſordium ſentina, & peſſimæ mentis peſſimum diverſorium, æternuſque carcer.

At ex adverſo eidem Divinæ miſerationi conſonum fuit, ut Electorum corpora, alio quaſi ſecundo connubio cum animis jungerentur, cum ſponſa ſponſus ſolet, ad Agni nuptias, ad ſuaves & puras æternarum voluptatum illecebras ad cœleſtem cultum, ad gloriæ culmen, ad beatitatis incrementum, quod etiam animæ à corpore accedere neceſſum eſt. Et hæc omnia dabit prodétque in Orbis lucem ac Solem ille ipſe, de quo agimus univerſalis Judicii dies. Sed & aliud quoque aperiet; nimirum hypocritæ dolos, faciem, ac pudenda opera revelabit: quæ ementita virtutis ſpecie mortalis vita texit, & humanis oculis illuſit; ea tamen explicabit, & in apertum proferet perſpicax ille divinæ Juſtitiæ oculus.

Apud Indos Opalus eſt gemma inter cæteras facilè princeps: eſt enim illa carbunculi tenuior ignis; eſt amethyſti fulgens purpura; eſt ſmaragdi virens mare, & gemmarum aliarum lux, nitor, & gratia, quam tamen etiam India ſimilitudine indiſcreta vitro adulterat. Porrò hic error, & oculorum luſus ad Solem facilè noſcitur. *Plin. l. 37. c. 6.*

Multos aluit hic mundus illi gemmæ adulterinæ ſimiles: ſi oculo habenda fuiſſet fides, credidiſſes in iis fuiſſe charitatis ignea ac purpuram, amœnam cœleſtis ſpei viriditatem, alióſque virtutum colores ac floſculos: at ubi exponentur illi ad Solem Juſtitiæ Chriſtum, ubi excutientur æternæ mentis oculo, tum patebunt toti; utpote vitrei ac diaphani; tunc univerſo hominum generi liquidò apparebit ementita illa & adulterina gemmæ ſpecies ac gratia: utque appareat, ſurgit ad Judicium Deus.

Fuerunt illi non abſimiles terræ, luto ac ſterquilinio, quod boreali nive, ceu candida veſte tegitur. Nix Philoſopho dicitur & eſt nubes friabili denſitate conglaciata: albeſcit illa merito partium, quæ magis aëreæ ſunt: & Ariſtoteli ſpuma quædam dicitur, & eſt veluti lanea molliorque terræ veſtis: à qua ſolum omne dum velatur, velantur & illâ cloacæ, ſterquilinia & omnis ſordium colluvies: nihilque intereſt ſolidum inter politumque marmor & lutum: adeò à nive albeſcit omne quod ſub ea deliteſcit. Et hoc quidem candoris beneficio frui conceditur, quamdiu pars illa pellucidi molliſque elementi e nativo frigori relinquitur, nec à Solis ardore æſtúve ſolvitur: at ubi liqueſcere diſſolvique cœperit, tum apparet alia terræ facies, & hinc amœna Soli viriditas, illinc luti deformis horror; inde lapidum marmoríſque ſoliditas: verbo uno res omnes, quæ ſub nive ſimiles credebantur, diſſimiles videntur; & hæ pulchræ, illæ deformes; iſtæ ſolidæ; liquidæ & fluentes aliæ exhibentur. *2. de Gen. c. 2.*

Sic erit in illo die ab eodem Juſtitiæ Sole: dabit ille hominum facies, animos, conſcientias, quales in ſe ipſæ fuerunt; non quales oculis noſtris olim viſæ ſunt. Et hoc ipſum eſt, quod longè antè prævidit cecinitque Propheta regius: *Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in eâ: ego confirmavi columnas ejus.* *Pſal. 74. v. 4.*

Ab igne & æſtu divini Judicii liquefacta terra, hoc eſt homines terreni, lutei & à libidine ſua molles ac diſſoluti; qui omnium oculis palam oſtenderunt, quæ olim ſub illa hypocriſis nive ſordes malè tectæ fuerint. Ex adverſo autem columnæ, hoc eſt homines in

fide,

fide, virtute, gratiáque firmi, columnarum inſtar, ſolutâ jam à morte inve corporis, explicata coram æterna illa mente ſoléque conſcientia, ſteterunt immoti, erecti, ſtabiles, quaſi columnæ Cœli. Et hinc placuit omnes ad Judicium evocare, ut in illo totius Orbis hominumque conſeſſu noſceremus, qui in vita columnæ fuiſſent, qui lutum informe ac fœdum.

Atque inde etiam emanat altera iſtius Judicii ratio, ingens in reprobis pudor & ignominia, cùm eorum omnium ſcelera, etiam ea, quæ nox obſcura celavit, & longo ſilentio involvit, omnibus aperta, nuda erunt ac patenꝰ: ab iis, inquam, in ora, frontemque immanis pudor, & nequaquam profutura verecundia aſcendet. Satiùs omnino fuerat, cùm eſſet in ipſo animæ limine peccandi occaſio, & in foribus peccatum, ab illo pavêre ac pudêre; *Quàm*, ut ait Auguſtinus, *in die Judicii coram tot millibus hominum gravi repulsâ denotatum erubeſcere.*

Lib. 9. de Vita inſtr. cap. 5.

Satiùs fuerat excuſſo inutili & damnando pudore virus illud animæ evomuiſſe, & in Confeſſarii aures depoſuiſſe, quam in illum diem reſervaſſe: ſed ſecùs evenit ab impiorum culpâ artéque mali dæmonis; qui, ut ritè advertit D. Chryſoſtomus, *Cùm noſſet, quia peccatum verecundiam habet, pœnitentia fiduciam; ordinem reprobis permutavit & invertit. pœnitentia dedit verecundiam, fiduciam peccato.* Et inde in iſto die, ſupremo Judicis foro ac tribunali ſummus pudor: nec ille tantùm, ſed & ſocius pudori timor horrorque, de quo extat illud D. Hieronymi: *Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.*

Proœmio in Iſaiam.

Ad Heliodor.

Abjectæ tum erunt omnes illæ altioris fortunæ phaleræ; abjecta purpura ſceptrumque, & procul, qui latera ſtipabat ſatelles, procul omnis faſtus & gloria: nudo lateri adhærebunt diræ illæ inferni furiæ, monſtráque: pudor, ignominia, timor, horror: à quibus ubi oculos in Chriſti peculium, in Electorum acies, in agmina beatorum attollere licebit; mirum quantum accedet ſeu pudoris, ſeu doloris: ab illis ex voces veritati tandem cedent.

Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.

Sap. c. 5. v. 3. 4.

In illo reproborum luctu ac conſternatione, *Stabunt Iuſti in magnâ conſtantiâ adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum.* Dum & his & illis vita ſuppeteret; fluebat illa, ſed magno diſcrimine, diſpare cultu & gratiâ: impiis enim ex voto cedere videbantur omnia: piis autem omnia adversò refluere: imò ſi quid hi labore multo ſibi peperiſſent, hoc ipſum illicò abſorbebant impii, & multo ſudore quæſita momento diripiebant atque dilapidabant: tenuit illa tam diſpar, & diſcolor vitæ ratio, dies omnes annóſque Solis hujus. At ubi hic mundo volvi deſiit; alias Electis ſuis vices ſortéſque verti voluit Deus, & liquidò oſtendere quantum in hoc tempore interfuiſſet, tantùm, imò & longè ampliùs in æternitate intereſſe oportere, juſto quidem judicio, & lance Divinæ æquitatis, quæ ſuis dat in æternitate, quod in tempore furtat ſubtractum.

Ad has rationes, quas curſim & veluti per tranſennam attigi, addi poſſet, & illam extremi Judicii diem maximè ſurgere ac lucêre nomini gloriæque Servatoris: cui plus eo tempore honoris accedet, quàm in omni vitâ deceſſerit: ſed hanc cauſam etiam fuſiùs explicui, cùm de loco Judicii mota eſt quæſtio: ideóque illi ſuperſedeo: uti & aliis non paucis quæ lectori paſſim in Auctoribus occurrent.

§. 6. *Quis futurus ſit Iudicis aſpectus, & quàm terribilis reprobis?*

SUnt qui velint unumquemque hominem ſtatim à morte, in ipſo ſcilicet particulari judicio, Chriſtum intueri quaſi adhuc affixum Cruci: quæ ſpecies miſeranda, bonis quidem atque Electis ſolatio eſt & amori; malis autem ac reprobis rubori atque horrori: rubori quidem, quia ea Sanguinis, ceu pretii, effuſione cùm redimi potuiſſent, re tamen ipſa redempti minimè ſunt, & hoc ſuâ culpâ: horrori autem, quia eo ipſo Sanguine, ceu voce quadam vindictam inclamante, juſtè damnandi. Ita Innocentius Pontius, & ex eo Ludolphus: quibus etſi pro Judicio particulari non aſſentiar; at cum aliis, in Judicio Univerſali id omninò futurum eſſe contendo; eóque cum Interpretibus, ſenſu tamen anagogico, trahi poſſe volo illud Zachariæ:

L. de Miſeria cond. hum.

Et aſpicient ad me, quem confixerunt.

Cap. 12. v. 10.

Ita enimverò aſpicient tàm Electi quàm reprobi. Illi ad gaudium & partem aliquam mercedis, gloriæ ac beatitatis; hi verò ad luctum immanem, ad terrorem, ad ſupplicium: Hæc enim & illa manabunt ex uno Chriſti aſpectu oculíſque, è quibus pro Electis emicabit fulgor quidam amabilis ad vitam beatiorem quaſi provitans atque invitans; pro reprobis autem fulguris inſtar terribile quippiam ac formidandum, quod in carceres æternos, quod in ſtygium chaos noctemque æternam devolvat.

Quod ne videatur à me ſine fundamento prolatum; hujus pronuntiati authorem habeo D. Hieronymum, qui ſic de Chriſti etiam inter mortales agentis oculis eſt philoſophatus:

Igneum quiddam atque ſidereum radiabat ex oculis ejus & Divinitatis majeſtas lucebat in facie.

Lib. 3. Com. in c. 21. Mat.

Igneum dico, ad ſceleratorum terrorem: *ſidereum* autem ad amabile jucundumque bonis ſpectaculum.

Quodſi Chriſto adhuc in terris, & inter mortales mortali dedit illud D. Hieronymus; quid in Cœlis inter immortales? Quid Judici dediſſet? Certè etiam *Igneum quiddam ac ſidereum*.

Illud ad terrorem impiorum, fugamque etiam in abdita inferni: hoc verò ad blandas, & amabiles piorum illecebras. Et has enim, & illa effundet Chriſti Judicis oculus aſpectúſve.

Quod ut in aperto ſit, exemplo illuſtriore oſtendam quid in anima, quid etiam in vita poſſit vel unicus Judicis aſpectus, ubi ſub illo ſtat rea conſcientia.

Auctor Neotericus in Orientali hiſtoria, rem uti novam, ſic miram narrat; & ex eo Petrus d'Oultrematius noſter, Vir multæ & variæ eruditionis.

Lib. 4. c. 8. ſoll. 10.

Aſiæ Rex Elenahao, à natura ad manſuetudinem & commiſerationem effictus, inter venandum fortè incurrit in Infantulam, quam mater inclementior abjecerat, nudam omninò, cæteroquin formoſulam: niſi quod à capite ad calcem horribili ac putente lepra tegèretur.

Ad hujus aſpectum illico exhorrere aulici, vultum avertere, fugamque inde celerem meditari, niſi inhibuiſſet Rex ipſe; qui etiam (illis fruſtrà diſſuadentibus) puellulam ſuis manibus humo tollere cœpit, ac deinde in regiam deportari, regiè educari & medicorum arti curæque committi voluit. At hi nonniſi infantis alicujus ſanguine à lepra ſanari poſſe judicarunt.

Hoc remedium uti cruentum, ſic & inſolens ac fugiendum viſum eſt omnibus præterquam Regi, qui tanto illius puellulæ captus fuit amore, ut aperta primogeniti filii ſui vena adeò liberaliter, imò & prodigè ſanguinem elici promique voluit, ut eo jam vacuus paucos poſt dies interierit.

Neque tamen miſerabili illo caſu reſtixit Regis in puellam amor, imò incaluit magis, mundatam enim

Rr ſanamque

ſanamque filii ſui ſanguine, in filiam & regni ſui hæredem adoptavit ſcripſitque primùm, ac deinde conſanguineo ſuo, inter aulicos facilè principi, deſpōdit.

Quis non crederet amore regio regiaque munificentia capiendum illius puellæ animum, feros, imò æternos in annos? Quis non beneficii memorem? Quis non longè gratiſſimam vinculis illis aureis gemmeóque diademate aſtrictam?

Enimvero ea eſſe debuit; at non fuit tamen: nam & generis ſui oblita, & primæ ſortis immemor, imò & ſexus innatæque illi pudicitiæ; contempta etiam Regis (veriùs Patris) amicitia, gratia honoréque, primùm ſubulco, bubulco, & id genus viliſſimis mancipiis ſeſe proſtituit: deinde Regis iram verita, ad vicinum Principem, juratum Patris ſui hoſtem, transfugit; ac denique ſuis apud eum ſtudiis ac machinationibus & Regi & Regno (cujus tamen ſcripta erat hæres) mirum quantum intulit detrimenti.

Nondiu inultum ſcelus tulêre ſuperi: nam & à Regiis miniſtris capta, & arctiori carceri mancipata, ac veluti rea in Judicium vocata, & omnium calculis ad mortem damnata.

At quam, inquies, mortem? Hic itum à Judicibus in diverſas ſententias: fuit enim nonnemo, qui eam infami furcæ affigendam putavit, ut propter infanda latrocinia penderet enorme ligni pondus.

Fuit alius, qui in rota ſternendam eſſe duxit ob patratas variis in locis cædes.

Fuit etiam, qui ob violatas conjugii leges & jura tori maritalis, ad rogos & ignes damnavit.

Fuit denique qui equis hinc & hinc transverſim trahentibus in partes diſcerpendam judicavit, utpote ream perduellionis ac læſæ majeſtatis.

Sic ad varia ſuppliciorum genera modóſque rapi voluerunt, ex ſuo quiſque ſenſu calculoque.

At unus, cæteris ut ætate, ſic & experientia ſuperior, aliò conſilia vertit, ſententiamque protulit uti inexpectatam, ſic (quod in ea latebat myſterium ignorantibus) etiam ridiculam.

Ea porrò fuit, ut puella rea tot criminum Regi ſiſteretur, juberetur que in eum aliquamdiu fixis oculis hærere, & quæ objiceret ille excipere; futurum enimverò iſtud gravius omni ſupplicio.

Placuit ea Regi ſententia: producitur itaque è vincalis, venit in conſpectum Regis, atque in eum, uti juſſa erat, defigit oculos, hæretque in eo obtutu firma, fixáque.

Hic primùm Rex ardentes ab ira oculos in eam conjicere, tum etiam pauca addere, ut ſua quoque auribus, ſicut oculis eſſet pœna: addere, inquam, præcipua quæque beneficiorum capita, inviſam ſuperis inferiſque ingratitudinem, admiſſa per ſummum nefas ſcelera, dignaſque iis pœnas ac ſupplicia: ad quæ primùm puella rubore ſuffundi, tum etiam pallere, tum profunda ex imo corde ſuſpiria ducere; tum in ſingultus gemituſque effundi; tum etiam in uberès lacrymas; tum frigere ac rigere, atque ad extremum langueſcere, fatiſcere, deficere, collabi atque emori.

Ita nimirum pudor dolorque, ipſéque imprimis regius oculus unam expreſſit, quam tormenta non expreſſerunt. Tanta vis fuit in oculo Parentis, Judicis, Regis. Quod ſi in hoc tanta; quantam eſſe oportebit in Dei, in Chriſti & Parentis quàm optimi, & Judicis ſeveriſſimi, & Regis potentiſſimi aſpectu, qui tum temporis non ſuavem amicamque lucem effundet; ſed fulgura, ſed fulmina jaciet atque evibrabit.

Ab his porrò ceu affuſo cœleſti quodam lumine, patebit, quod hactenus fuerat in alta nocte tenebriſque inſepultum crimen, & ſtatuetur ante oculos noſtros non ſine immani pudore atque horrore & hoc ipſum eſt quod facturum ſe Davidica voce longè antè prædixit:

Exiſtimaſti, inique, quod ero ſimilis tui? Arguam te, & ſtatuam contra te faciem tuam. Pſ.49.v.21.

Hieronymus vertit: *Proponam te ante oculos tuos.* Septuaginta: *Statuam contra faciem tuam peccata tua.*

Hæc peccatori Judex, quem ſic illi loquentem inducit D. Auguſtinus:

Modò te non vides, faciam ut videas te; quia ſi videres te, & diſpliceres tibi, & placeres mihi: quia verò te non videns placuiſti tibi; diſplicebis & tibi & mihi. Mihi, cùm judicaberis; tibi, cum ardebis. Quid enim tibi faciam, inquit? Conſtituam te ante faciem tuam. Quid enim? Vis latere teipſum in dorſo tuo ibi es, non te vides: facio ut te videas; quod poſt dorſum poſuiſti, ante faciem ponam. Videbis fœditatem tuam, non ut corrigas; ſed ut erubeſcas. In Pſal. 49.

Hæc, inquam, ſupremus Judex interprete D. Auguſtino; quem ne ſine fructu increpantem audias, ne videas cum rubore, & quidem inutili, opportunè monet, & ſic urget ille ipſe Præſul Hipponenſis:

Modò ergo tu fac, quiſquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis, diſſimulans a factis tuis; & conſtitue te ante te. Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi Judex; antequam ſcilicet aſcendas ad tribunal Dei, antequam ſtatuaris ante oculos ejus.

Ni feceris, Davidica voce tibi rurſum intentat illud: *Statuam me contra oculos tuos*, ut hic vertit Iſidorus.

Me, inquam, qui te ab Eva Parente, ſeu potius noverca, in terram objectum, nudum à gratia, & culpæ originalis leprâ infectum, manu mea, id eſt miſericordia mea levavi.

Me, qui te in regiam meam, id eſt Eccleſiam per Baptiſmum & Fidem intuli.

Me, qui è Filii mei unigeniti, non dico vena; unica; ſed & venis omnibus, ſed & corpore toto per immania vulnera Sanguinem eduxi, ut eo elui poſſes, & primo nitori reddi.

Me, qui te in aula, Cœleſti pane, hoc eſt Euchariſtico, pavi, ut inter regales delicias non terris, ſed Cœlo; non corpore, ſed animo nutrireris.

Me, qui te, mortuo etiam tui cauſa unigenito Filio meo, per gratiam Regni mei hæredem ſcripſi etiam cœleſtibus in tabulis.

Me, qui te in Spiritus Sancti ſponſam elegi, & cui tu, per ſummum nefas, fidem datam feſelliſti, ut alienis amoribus teipſam manciparès, ut bubulcis, ut mancipiis, hoc eſt, creaturis meis etiam viliſſimis, inclinares.

Me denique Regem tuum, Dominum tuum; imò (& quod omnium caput eſt) Deum tuum ut per immanem perfidiam deſereres, ad hoſtes etiam meos profugus, & infelix deſertor transfugiſti.

Et hæc omnia cùm feceris; quo vultu, qua fronté venies in oculos meos: venies tamen: at tuo malo: ab his enim, ceu fulmine percuſſus, in ignes, in rogos, in incendia ibis ſempiterna.

Et hæc olim, & iis etiam longè acerbiora jactabit Deus in caput tuum, ó peccator, niſi ſapias modò, dum vita ſinit, & dum adhuc aliquis pœnitentiæ eſt locus: utque ſapias velim & vult etiam, qui iſta per me intentat, miſericors Deus.

§. 7. *Quæ ſententia ferenda in die Iudicii, & quæ illius ratio?*

Ubi in amœnâ nitentique nube, ceu throno conſtiterit Judex: ubi ſub illo quidquid olim extitit in terris hominum, congregatum fuerit: ubi Angelorum operâ diſcretæ acies, & hinc à dextris electi, inde à ſiniſtris reprobi; tum ad illos amico vultu, connivcentibus oculis, blandâ voce hanc ſententiam flectet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim,*

& dediſtis

Matth. c. 25. v. 34. 35. & 36. *& dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere, hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & cooperuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me.*

Ubi hæc ſententia ad Electorum aurea animoſque appulerit cum ingenti gaudio, plauſúque beatæ ac cœleſtis totius coronæ; ſtridore autem, gemitu, lamentis atque ejulatibus adverſæ partis: tum ad hanc irâ ſuccenſus Judex, aperto in ſcenam vultu, ardentibus oculis, & ingenti tonitru vocis hæc verborum fulmina jaciet:

Ibid. 41. 42. & 43. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non cooperuiſtis me; infirmus & in carcere, & non viſitaſtis me.*

Non ſic de gravidâ tumentíque nube tonitru unquam inſonuit: non ſic ardua montium valliumque concava concuſſit, atque reproborum omnium animos menteſque percellet & exanimabit fulmen illud Divinæ vocis: quod aliquouſque, ſi non frangere, at eludere conantur molli illâ, & ad tempus malè coagmentatâ excuſatione: *Domine, quando te vidimus* Ibid. 45. *eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Tunc reſpondebit illis: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis.*

Hic eſt cuneus, quem malo nodo quæſivit bonus ac ſeverus Judex: cujus æquitatem ita ore aureo explicat S. Chryſologus: *Quemadmodum ſine causâ accuſant* Serm. 40. *peccata, quem pauper excuſat; ita excuſari non poterit, quem fames pauperis accuſarit.*

Sed ad argumentum propiùs deſcendamus: in eo duo ſuccurrunt: primum eſt ipſa ſententia Judicis: alterum illius ratio cauſáque: illâ prætermiſsâ, in hac ſtylum figam, & quæſtiones movebo: Cur eam ferendæ ſententiæ cauſam juſtus omnino Judex prætexuit? In ea primò cum Calvino res erit ac diſceptatio; deinde cum ſanctis Patribus pia & ad mores accommodata commentatio.

Calvinus ſuo more ac genio, ut omne meritum (cujus etiam nomen ferre non poteſt) è medio tollat, per ea Chriſti Judicis verba, *Eſurivi enim*, &c. ait ſignificari conſequentiam, non autem cauſam, quaſi diceret Servator: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum, poſtquam eſurivi, & dediſtis mihi manducare.

Is dolus, ea fraus, ea Calvini artes, & inſignis maledicentia, quam erroris arguet damnabitque etiam à Grammaticâ vel leviter tinctus: quis enim neſciat particulam *enim* ex verâ germanâque etymologiâ cauſam reddere? Sed hanc fugit atque averſatur Calvinus, qui cœleſte regnum non emi, ſed dari vult; non bonorum operum pretio æſtimari ac tribui, ſed ultrò etiam nolentibus offerri atque obtrudi. Verùm ut id velit, non aſſequetur: ſtat enim ſtabitque æternùm inconcuſſa veritas, & illius expreſſum oraculum, quo beatitas cœlique hæreditas merces appellatur: ideóque diſcedamus ab hujus farinæ hominibus eorumque commentis; & quod ſupereſt hujus argumenti, opportunæ ſanctorum Patrum commentationi concedamus.

Agitant illi hanc quæſtionem, & è cathedra pulpitóque in vulgus efferunt, Cur Judex, recti juſtique tenax, & virtutum omnium in paucis amans, in die illâ decretoriâ, communíque foro tantùm miſericordiæ meminerit, ejuſque opera longâ ſerie recenſuerit.

Non fuit in Apoſtolis Petro, Paulo, Joanne & Jacobo ingens animarum zelus, & ardor entheus, ejuſque causâ exantlati labores, inſomnes traductæ noctes, diurna pericula, quæ eò loci ac temporis commemorari oportuit?

Non fuit in Martyribus, in Stephano, Laurentio, Catharinâ, Agnete, Cæciliâ, ætate, ſexu, terrâque altior animus, & vitæ ſanguiniſque prodigus, cujus vis & copiâ longâ oratione effundi potuit?

Non fuit in Confeſſoribus, in Dominico, Franciſco, Ignatio longæva patientia, & ab illa fructus uberrimi, & meſſis ampla animarum, quæ etiam tum in Domini horreum veniebat, ut & illius non ſine laude fructúque mentio fieret?

Non fuit in Virginibus, in niveis illis mentibus candidatóque agmine, candor animi, verecunda ingenuitas, & pudor caſtitati comes: imò pro pudore data quondam vita, fuſuſque ſanguis innoxius, qui tum temporis vocaretur in præmium lauream que beatitatis?

Non fuit in religioſo cultu, quæ commendaretur paupertas, & inſignis quædam humanarum rerum deſpicientia, & voto firmata caſtitas, intellectus, voluntatis animæque totius in obedientiæ ſcholâ victima, quæ tum in altum efferretur?

Fuit enimverò: & quidem æternæ mentis oculis longè gratiſſima. Cur igitur ea non trahitur in partem cumulumque laboris, qui Cœlo quondam emendo datus eſt? Hic mihi vertitur cardo totius controverſiæ; quem è ſanctorum Patrum Doctorumque placitis firmabo.

Summus rerum arbiter, & Univerſi Judex Chriſtus, ſententiæ ſuæ pro cauſa ſubtexuit opera miſericordiæ: cujus una princepſque ratio hæc eſſe potuit, interprete D. Chryſoſtomo, quòd eleëmoſyna regina virtutum eſſe videatur. de illâ ſic olim os iſtud aureum:

Eleëmoſyna, regina illa virtutum, homines in ipſas Cœlorum arces deducet, huic multâ cum facilitate aperientur Cœlorum portæ, ac velut eorum reginâ ingrediente, nullus cuſtodum audebit interrogare, quæ ſit aut unde ater. Hom. 9. de Pœnit.

Pro eâ, qua fuit eloquentiæ vi, ſacræque facundiæ licentia, eleëmoſynam, quæ virtus eſt, inſtar Reginæ depingit, Superûm atria domóſque ſuo quaſi jure ſubeuntis: & meritò: ut enim alio loco ille ipſe D. Chryſoſtomus: *Melius eſt hanc artem dandi eleëmoſynam ſcire, quàm eſſe Regem:* & inde factum Hom. 33. ad Popul. autumo, ut miſericordia, & benigna illa in miſellos indulgentia, dicatur eſſe magnarum mentium virtus, ita ferè propria ac ſingularis. Quod apprimè cenſuit docuitque quà exemplo, quà verbo Placilla Imperatrix uxor Theodoſii, digna tanto Cæſare conjux.

Ibat illa ſuo more ad Xenodochium, ut pauperibus & infirmis ſua manu & ſtipem daret & cibum: cùm fortè ex aulicis unus aliquis ſtomacho plenus & bile, hæc illi: non deeſſe in aulâ puellarum greges, quæ id officii præſtarent: abeſſe illud debere ab Imperatrice, quam ea demiſſio dedeceret. cui illa: *Res*, inquit, *digna imperio dare eleëmoſynam:* verè digna imperio, quâ etiam cœleſte amatur imperium.

Agnovit & illud Robertus Hugonis Capetti filius, qui quòcumque iter flecteret, ingentem curruum vim ſeriemque mendicis onerabat: verùm ut invidia, & petulans hominum maledicentia virtutem ferè ſequitur atque invadit; non defuit, qui id in eo principe carperet. Cui ille lepidè; rogatus enim cur id faceret? Reſpondit: ſe illis pauperum copiis aciem inſtruere & Cœlum petere. nimirum illi pro milite mendici, pro armis, quibus Superos cœlumque expugnaret, fuit eleëmoſyna.

Huic non abſimilis fuit ille jocus B. Amedei tertii Subaudiæ Ducis, à quo cùm quæſiſſet Galliæ legatus, haberétne canes venaticos; ſubjunxit, omnino frequentes: tum eum ad porticum eduxit; ubi pauperculis atque egentibus inſtratæ menſæ videbantur: Et hi, inquit, ſunt mihi canes venatici; his Cœlo venor & beatitati.

Liberali huic joco conſonat & illa Uſualdi Angliæ

gliæ Regis pia conſuetudo, quæ diebus ſingulis pauperes menſæ Regiæ adhibebat: cumque iis aliquando fuiſſet eorum concurſus, ea vis ac copia, ut parati cibi via mediæ multitudini ſufficerent, argenteam ſupellectilem concidi juſſit. & ipſe regia manu ſingulis quantum ſatis eſſet, diſtribuit. Hanc regiæ mentis manuſque ferè prodigam liberalitatem dum ſpectat Adrianus Epiſcopus; ad regiæ manus oſcula pronus, exclamat: Rex, inquit, manus illa in egenos adeò munifica numquam computreſcet. Vaticinio reſpondit eventus: multis enim annis à morte, ſoluto jam corpore, & in cineres redacto, integra manus apparuit.

Illud prodigium vidit ſtupuitque Anglia; hoc Gallia ſenſit, & in S. Ludovico admiravit: Erat illi ferè pro veſte cilicium, quod ſi quandoque ex confeſſarii nutu ac præcepto poneret, hanc (ut ipſe vocitabat) corpuſculo conceſſam indulgentiam, pœnæque inducias redimebat ſcutis omnino quadraginta, quæ in pauperes erogabat. Omitto quod illi præterea in more fuit, ſabbatis quibuſque mendicorum pedes abluere, tergere, oſculari; diebus autem ſolemnioribus etiam ducentis inſervire, cibóſque manu regiâ miniſtrare.

Ad hæc exempla, quæ à purpurâ ſceptróque quæſivi, unicum addo ex Infulâ petitum, imò ex ipſa Petri Sede, quæ quò altiùs eminet, eò ferit vehementiùs. Habuit S. Franciſci familia virum longè maximum Petrum Philargi, qui primùm Archiepiſcopus Mediolanenſis, deinde etiam Cardinalis titulo Sanctorum duodecim Apoſtolorum; denique & Pontifex, cui id nomen ceſſit, *Alexander quintus*; hic per jocum de ſe ipſe jactare ſolitus: ſe divitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem deinde Cardinalem; tum etiam mendicum Pontificem: nimirum à Petri Sede, à Cathedra Piſcatoris, mendicare doctus, & ea mendicitate non perituris divitiis gazas ſuas opplere. Hæc è multis tibi reddiſti benevole Lector, ut evincerem illud: in pauperes munificentiam virtutem eſſe regiam, imò virtutum propè omnium Reginam.

Succurrit & alia ad inſtitutum meum ratio: ea miſericordiæ cæteras inter virtutes palmam offert, quia homines Deo proximos facit & velut in terris Deos: nè tibi duriuſcula accedat ea vox: non fluxit ea è calamo meo; ſed è D. Gregorii Nazianzeni muſcolo, doctiſque ingenii monumentis: hic in Oratione quam inſcripſit, *De amore pauperum*, ita divitem compellat atque hortatur: *Eia, calamitoſis ſis Deus, Dei miſericordiam imitando; nihil enim tam divinum homo habet, quàm de aliis benè mereri: tibi derelictus eſt pauper velut Deo.*

Deum ſi non facit, certè probat inſignis illa munificentia, quâ manum ſuam aperit, & implet omne animal benedictione: contrahit, & ſummâ damnat perditque egeſtate. Vis Dei in terris eſſe æmulus, vis Deus eſſe? Quidni autem velis; age mentem explica, tumentes auro gazas aperi, & in egenos effunde, & eris in terris quod in Cœlis Deus.

Job. c. 29. Is olim fuit Job, patientiæ miraculum & exemplar miſericordiæ, qui ab illâ, cùm viveret, audiit Deus pauperum; erat enim oculus cæco, pes claudo, & opportunum miſeris omnibus perfugium, à quo nemo vacuus, nemo indigus abſcederet.

Tertia ratio propter quam in Dei tribunal ac Judicium adducitur eleëmoſyna; hæc eſt, quòd ipſum Numen ſibi devinciat atque obſtringat. Virtutibus aliis capi quidem poteſt atque oblectari, ſed unâ miſericordiâ etiam obligari; & hominis eſſe, non ſuus. *Fœneratur enim Domino qui miſeretur pau-* Prov. 19.
peris, Hebraicè *Malveh*, id eſt devincit, obſtringit, 17.
mutuo dat ac fœnori. Ex quo naſcitur ſurgitque titulus omnino triplex, quo eleëmoſynario tenetur adſtrictum Numen.

Primus, is eſt, qui vulgò gratitudinis dicitur.

Alter qui etiam Juſtitiæ: mutuum enim, cùm acceperis, reddere, æquitatis eſt.

Tertius denique, qui fœnus exigit, & ſupra ſortem expoſcit.

Hunc titulum non ſine ingenti ſtuporis amoriſque miraculo agnovit D. Auguſtinus: cujus ore ita ab homine mendicat Deus.

Da mihi ex eo, quod dedi tibi; de meo quæro, da & redde. habuiſti me largitorem, fac me debitorem: habeam te fœneratorem: temporalia mihi das, æterna tibi reſtituam: teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero.

Ecce tibi, ô homo, novum uſuræ genus; ecce fœnus hactenus terris inviſum atque inauditum; de quo ſtupenti ſimilis exclamat ore aureo Chryſologus:

Amore pauperis Deus ſuum regnum vendit, & ut emere illud omnis homo poſſit, fragmentum panis poſuit in pretium: Serm. 42.
quis excuſare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accuſat? Hæc ubi dixit ſcripſitque Vir ſanctus, tum altiore ſtylo incumbit, urget, pungit, exſtimulat: *Da ergo panem, da potum, da veſtimentum,* Serm. 42.
da tectum; ſi Deum debitorem, non judicem vis habere. nihil nocebit in terra, ſi nobis in Cœlo miſericordia ſit patrona. Et quia non tam verbis quàm exemplis habetur fides, tibi è multis unum proponam, D. Hieronymi aliorumque Doctorum auctoritate probatum.

Habuit olim Alexandria Joannem Patriarcham in pauperes liberalem in paucis: cui ſuberat Troïlus Epiſcopus, & hic quidem avarus aurique appetens, & ſummè tenax. hic famulo dederat in mandatis ut ſibi ſuppellectilem argenteam triginta libris auri coëmeret: quod dum meditatur malus emptor; Patriarcha fortè obvius, ſuadet Cœlum emi, gratiamque pauperum: Benè monenti paruit Troïlus: non tam virtutis ſtudio amoréque, quàm ut tempori cederet, & tanti Præſulis auctoritati: à quâ dum invito extorquetur atque eripitur auri pondus, unà etiam valetudo debilitatur, tentaturque febriculâ: nimirum illi Epiſcopo febris erat avaritia, quam ab animo etiam in corpus evocavit. Ubi ægrum audiit Patriarcha, ſubodoratus quod erat, ab auro effuſo in corpus effuſam & laxatam febrim; advolavit illicò; & egeno avaróque Epiſcopo tot auri libras reddidit, quot antè non ſibi, ſed egenis exegerat. Mirum dictu viſuque! ubi ſuum aurum recepit Troïlus, & ſanitatem & animum recepit: crederes illi animam vitamque in auro fuiſſe; & verò etiam fuerat: ubi acceptum auri pretium libræque omnino triginta, Chirographum à Troïlo de more petiit Patriarcha, cui ille lubens volenſque in hæc verba conſcripſit: *Deus, Domino meo Joanni, Patriarchæ Alexandrinorum magnæ civitatis, da mercedem triginta librarum, quæ datæ ſunt tibi, quanuam ego recepi mea.*

Hæc è Cœli regis ſpectat Deus, juſtus cauſarum In vitâ
arbiter, morumque cenſor ac Judex, qui ut Orbi P. Herib.
palam faceret quantum Troïlo ab illâ auri libidine l. c. c. 26.
atque avaritiâ receſſiſſet quantum è contra ab iſtâ liberalitate Joanni acceſſiſſet. Hanc in amœnâ noctis imagine ſomnoque Troïlo ſpeciem objecit. Ea fuit ingens palatii moles, eleganti materiâ, exquiſito opere arteque ſupra naturam extructâ: eam dum oculis animóque ſedulus contemplatur, in ſuperliminari principis januæ, quæ tota auro fuſa, hanc legit Epigraphen: *Manſio æterna & requies Troïli Epiſcopi.*

Hoc oſtento recreari viſus, ſibique plaudere: ſed illicò gaudium plauſumque terſit atque extinxit inopinatus caſus: affuit enim ex illius aulæ regiæque domus incolis, cubicularius unus aliquis, cui ubi perſpecta, lectâque eſt Januæ inſcriptio, eam ſubitò tolli eradique præcepit, hancque ſubſtitui.

Manſio æterna ac requies Joannis Alexandriæ Archiepiſcopi, empta libris triginta,

Ab hac ſpecie excuſſus, qui oculos & animum malè

clauſerat

clauſerat ſopor: vigiliæ ſibique reſtitutus Troïlus paratâ pecuniâ, liberalibus eleemoſynis, inſignique in egenos munificentiâ Cœlum emere didicit: poſteróſque omnes eo oſtento docuit idem ſapere ac moliri. Tu cum illis ſapias, mi Lector, & quà licet deceique receptum apud Judæos morem imitare.

Cùm eſſent illi in Ægypto exuléque terrâ, ſolebant in crumenis circumgeſtare nomen *Ieruſalem* aureo charactere expreſſum: quod vulgò *Paruſtakelim* dicebatur, ut mihi Auctor eſt Rabbi David: & hinc in vulgus emanavit iſta parœmia. hominem agnoſci in marſupio, calice, & irâ.

In irâ quidem: quæ cùm ſit ebullitio ſanguinis circa cor; illud dum accendit, qui in eo latebant æſtus affectionéſque aperit ac laxat.

In calice verò: quia ut fœcundi calices diſertum faciunt ac loquacem; ita ſecretorum parum tenacem.

In marſupio denique noſcitur vir, Solymæ civis & accola, qui dum Urbis amantiſſimæ nomen in burſa circumfert, liquidò oſtendit, auro ac facultatibus omnibus emi oportere Jeroſolymæ manſionem: Quod ſi verum eſt de illa terreſtri Jeruſalem, quæ è luto malè compacta, è lapidibus ferè temerè coagmentata; quantò magis de cœleſti illa Jeruſalem: ea certè digna, quæ auro, gemmis, omnique copiarum profuſione comparetur. Poteſt autem comparari per *manum pauperum, quæ gazophilacium Christi ſunt; & via Cœli.* Ut enim D. Auguſtinus: *Via Cœli eſt pauper; incipe erogare, ſi non vis errare.* *Cæſarius Hom. 2.* *Serm. 25. de verb. Dom.*

LIBER SECVNDVS.

VIA MORTIS

SUB UMBRA

VOLUPTATIS ET PECCATI.

VENIAM dabis, Amice Lector, ſi varia peccatorum genera, quibus ſubeſſe malum eſt, umbræ ſchemate in medium producam. Mollius fortaſſe & gratius id tibi accidet, quàm ſi aperta luce, & explicata fronte proferrem.

Vini vitia genuumque exhibebit umbra vitis; Veneris, umbra ficus; Ingluviei, umbra mali; Quercus, ambitionis; Hedera, vanitatis; puſilli abjectique animi, Juniperus. Nabuchodonoſor & Balthaſſar, alta, ac ſuperba nomina, variam & vix unquam ſibi conſtantem Magnatum gratiam oſtendēt.

Hæc ferè ſunt vitia quibus connivet omnis ætas. Hæc umbra, qua tegitur, occidit, perit omnis gratiæ luciſque divinæ dies: in eam ubi ſuſpenſo tremuloque gradu mecum ingreſſus eris, pedem revocabis ad Solem: aut ſi æſtum fugis, ad meliores virtutis umbras, quas opaco ſublimique vertice fundet Cedrus, Oliva, Palma, Cupreſſus; verbo ut expediam, Crux ipſa Christi Servatoris, ſub qua ſedet Sponſa, téque ſedere velim ac quieſcere,

CAPUT PRIMUM.

Sub umbrâ vitis, ebrietatis vitium notatur.

QUàm homini gravis, & funeſta fuerit umbra vitis, loquitur & clamat omnis ætas, ipſaque naſcentis Orbis infantia luget ac deplorat: ſi enim Rabbinis & Moyſi Barcephæ habenda fides, à vitis umbra & fructu periit infelix Adam, & in poſteros omnes effudit quod à vite vinóque malum ac vitium hauſerat. *Lib. 19. de Paradiſo.*

Quod ſi fortè primam illam ætatis humanæ maculam à vite deductam negas, ut negant propè omnes (nec immeritò, quòd ea ſententia à communi SS. Patrum Doctorumque ſenſu longiùs aberret) ſi, inquam, id negas & fugis: at non ita effugies quin aliquam ſecundæ ætati labem à vite derivatam eſſe fatearis.

Tua teſtor, Noëme, tempora, tuóſque caſus, ab immenſa illa aquarum eluvie, quæ terras involverat: vix tibi, vix Orbi redditus eras, cùm cœpiſti eſſe vir agricola, vir terræ, quam labore multo, ſudore multo exercuiſti, & plantaſti vineam, bibensque vinum inebriatus es, & nudatus jacuiſti in tabernaculo tuo. Factúmne illud tuo vitio, an vini potiùs, hîc non diſputo. A culpa liber eſſe potuiſti, quòd vini ipſius vim inſolitam, acres ſpiritus, vapores denſos, effuſam cerebro nebulam, nec tua, nec aliorum experientia didiciſſe potueras: nec enim eò loci ac temporis ullus fuerat vini muſtive potus; ſed aqua lympida fontéſque innoxii ſitim extinguebant. In quo mireris & ames primorum ſæculorum temperantiam, quæ per mille ſexcentos quinquaginta octo annos, eóque ampliùs, vino & carne abſtinuit. Itáque vitam produxit ad multa ſæcula longæváſque ætates. Nec adeò mirum; cùm ſobrietas parens ſit annorum, ut è contrà ebrietas vitæ noverca, & ſenectutis inimica eſſe ſolet.

Et hoc primum vitium, quod à vino ætati noſtræ corporique adhæſit: acceſſit & aliud, quod ſecundò genitum Noemi filium petiit: cùm enim is parentem multo vino madidum, ſomno ſepultum ac temerè jacentem, nudatumque vidiſſet, irriſit; & eo riſu ac ſcommate paternam in ſe maledictionem detorſit, & audiit: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.*

Hoc à Noëmo fulmen primùm in Canaani caput emiſſum, ac deinde in poſteros omnes evibratum, traxit aliam vini vitiſque propaginem; miſerandam ſcilicet ſervitutem: itaque ut primæ Orbis ætati, ſic & ſecundæ ſua fuit labes & macula.

Prima ætas pomum tulit; & hinc à pomo prima maledictio: ſecunda ætas vitem extulit, erexit atque in vineta digeſſit; & inde à vite ſecunda maledictio.

Prima ætas habuit & luxit peccatum Adami, à quo manavit prima peccati ſoboles, funeſta quædam & inevitabilis moriendi neceſſitas.

Secunda ætas habuit & luxit, ſeu Noëmi, ſeu Chanaani peccatum, à quo fluxit altera peccati ſoboles, miſeranda ſervitus: eſt enim peccato gemella proles.

Primogenita eſt mors: illius meminit Propheta Job, ubi impio ita apprecatur: *Conſumat brachia* *cap. 18.*

illius primogenita mors, & calcet ſuper eum quaſi Rex interitum.

Secundogenita peccati filia, eſt ſervitus, abjecta illa, miſeranda, crudelis ſervitus, quàm bellè exprimit, ea Chanaani maledictio, *Servus ſervorum erit.* Si peccatum abfuiſſet nemo ſervus; liberi omnes. Teſtem habeo D. Chryſoſtomum, *Peccatum ubi intravit, libertatem perdidit, & corrupit dignitatem naturâ datam, ſervitutem introduxit.* Chryſoſtomo ſubſcribit Auguſtinus: *Prima*, inquit, *ſervitutis cauſa peccatum eſt, nomen illud culpa meruit, non naturâ.*

Hom. 19. in Gen.

19 de Civit. c. 15.

I modò, peccatum ama, vinum immodicè appete, ſi mortem, ſi ſervitutem amas: quod ſi hæc non amas, nec iſta amabis: quis enim niſi ſtultus ac demens eam matrem depereat, à quâ tam miſeranda ſoboles enaſcitur? Sed redeamus ad alia, ſeu, vitis ſeu vini vitia, funeſtas ac fatales umbras, in eas nos inducunt antiqua Rabbinorum ſymbola.

Fingunt illi Noemum dum Solem fugit, ac latet ſub umbrâ vitis, ex eâque muſtum exprimit, vino miſcuiſſe ſanguinem quatuor animalium: videlicet ſimiæ, leonis, porci, & agni: quod unà cum vino hauriat omnia horum animalium vitia geniumque. Hic enim à vino ebrius, ex ſimiæ genio motionem agit, ſibi aliiſque riſum movet. Ille à vino iras & ignes concipit, in rixas, vulnera, in cædes abit, & quà dente, & quà leonis ungue lacerat obvios atque dilaniat.

Alius à vino probè improbéque madidus, inſtar porci lutum amat, volvitur in ſordibus; & à Baccho ad Venerem declinat, miſerandum utriuſque mancipium.

Eſt tamen è multis unus aliquis, qui à vino modico non vitium haurit, non ludicros, non efferos, non ſordidos illos ſpiritus; ſed blandos, mites, extos, pios: quales eſſe ſolent ex agnelli genio & ſymbolo. Hæc mixta vino vitia agnovit olim Eccleſiaſtes, eóque dixit: *Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animam meam transferrem ad ſapientiam, devitaremq; ſtultitiam.*

Cap. 2.

Si cum illo ſapientiam amas, nè multo vino madeas; ut enim è Philoſophis non nemo, *ſapientia habitat in ſicco.* Stultitiam ſi fugis, Bacchum fuge, ebriáſque menſas: in his enim alta nox, & umbra vitis capiti noxia. Eam olim declinarunt ſacerdotes Heliopotani, & ipſi amantes ſapientiæ, Soli vino litabant: nec ipſi tamen eo utebantur; quòd crederent Solem omnium rerum moderatorem à vino & ebrietate alieniſſimum.

Sol Univerſi vita, & veluti Rector eſt, ideoque habetur abſtemius, ut viros Principes, quibus aliorum regendorum cura commiſſa eſt, circa vinum maximè temperantes eſſe oportere ſignificet; ut enim bellè Seneca: *Caput illud, quod vinum ſemel tentavit, omni magiſtratui adminiſtrando ſemper ineptum eſt.* Néque verò eſt, quod quiſquam vel animo, vel primæ virtuti, vel robori fidat; fortiſſimus quiſque à vino cecidit.

Senec. de remediis Fortuna.

Dicitur olìm ab aulicis Darii mota quæſtio, quid eſſet fortiſſimum? Hic Regem dixit; ille vinum; iſte mulieres; veritatem alius: quis melius & verius, hîc non diſputo; id unum amplector, quod ad rem meam facit, à vino fortiſſimos quoſque cecidiſſe.

Et verò cecidit Noë, vir optimus & fortiſſimus, & quod ſexcentis annis non contraxerat vitium, à vino contraxit, & nudatus jacuit in tabernaculo ſuo: quamquam ſic jacuiſſe, non ideò illi probroſum fuit; inexperto venia danda eſt: at tibi non dabitur; audiſti enim ab Athenæo *vinum lac eſſe Veneris*, & tamen illud largè epotas.

Lib. 11. cont. Iovin. c. 6. Audiſti ab Hieronymo eſſe *Seminarium libidinis*, nec eo tamen abſtines.

Audiſti à Pontiano eſſe *Malorum omnium metropolim*; & tamen illius accola & civis eſſe vis.

Audiſti à Baſilio *Vinum eſſe impotentem tyrannum*: ait enim, *Cùm multum meri infuſum fuerit, quaſi tyrannus quidam arcem petit, & à ſummo vertice ingentes tumultus animæ præbet: nulli rei, ne principali quidem parcens; ſed ipſam primùm rationem in ſervitutem captam adducit; deinde eam diſpoſitionem ac ornatum qui doctrina partus eſt, confundit ac perturbat riſu indecoro, voce horridâ, irâ præcipiti, libidine effrænatâ, æſtro ac furore in omnem inhoneſtam voluptatem.* *Orat. de Ebriet.*

Ecce quæ vini tyrannis, quæ malorum monſtra ac portenta: à quibus, ut te avocarent ſancti Patres, hæc ei fecêre nomina: quæ ſi needum aures animoſque feriant; alia excipe quæ magis commoveant.

D. Chryſoſtomus, os illud aureum & ſobrium, quod non vino è terrâ nato, ſed cœleſtis ſapientiæ diviniore muſto incaluit, ita ebrietatem ac crapulam deſcribit.

Ebrietas, inquit, *innumerabilium malorum fons & fundamentum.* Unde & reliqua manare vitia ſolent, & inſana peccatorum omnium ſubſtructio in Creatoris ſui contumeliam aſſurgere. *Cap. 5. Iſai.*

Iſidorus Peluſiota aurei illius oris auditor & diſcipulus, ebrietatem appellat, *turbidarum omnium affectionum in mente propugnaculum*, & veluti caſtellum prædatorium, è quo erumpant, & in nos irruant concitatæ furiæ, ad gratiæ ſpolia, & diripiendas animi opes, turbandumque charitatis ceu reginæ dominatum: Hæc æmulâ facundiâ bonus à bono magiſtro diſcipulus, à quo ad magiſtrum redeo. *Lib. 1. ep. 9.*

Nihil in hoc Orbe aſpectabili, hoc terræ mariſque theatro, hac Cœli ſcenâ, quæ nobis aperitur; nihil, inquam, in totâ rerum naturâ invenire potuit, unde comparationem duceret, ad exprimendam hujus vitii imaginem: ab orco inferiſque expeti debuit; notariſque hoc atro & ſtygio nomine, *Dæmon voluntarius.* *D. Chryſoſt. hom. 1. ad pop.*

Dæmon quidem, ut inde noſſes, nihil eo tetrius, nihil horribilius effingi poſſe: *voluntarius*, ut ex eo intelligeres nihil eſſe miſerius, quàm tantum è ſtyge malum acceſſere, non neceſſitate adactum, ſed impulſum depravata voluntate: quam ſi non terreat ac fatiget evocatum è tartaro monſtrum ebriæ menti incumbens; at percellat ſaltem illud, quo nihil majus dici poteſt, quodque edixit magnus Baſilius, ebrietas extremum eſt malorum, ἔσχατον κακῶν. Ubi hæc audis è ſanctis Patribus in vinum vitemque jactari, vide ne ſub illius umbra malè latere & deliciari velis, ne te maneat, ne te perdat eadem flamma, quæ vitem expectat & incendit: de illa Vaticinatus olim Ezechiel, factus eſt ad eum ſermo Domini: *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum? Numquid tolletur de eâ lignum ut fiat opus? Ecce igni datum eſt in eſcam.* Et ne putes ignem illum ſolùm in vitem deſævire; attende quod ſubjicit, *Quomodo lignum vitis inter ligna ſylvarum, quod dedi igni ad devorandum, ſic tradam habitatores Ieruſalem*: & eos omnes, qui ſub mala vite ſibi umbras faciunt. Ne tu ex illis ſis; vitem fuge & noxias umbras: quòd ſi tamen ipſa vitis adeò in oculis & amoribus eſt, ad aliam te duco. *Cap. 15. v. 2.*

Vitis erit Chriſtus, qui de ſeipſo ait; *Ego ſum vitis, vos palmites*: Si vitis Chriſtus, & tu palmes, audi de palmite vaticinantem Auguſtinum: *Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: ſi in vite non eſt, in igne erit: ut ergo in igne non ſit, in vite ſit.* *Ioan. c. 15.* *Tract. 81. in Ioan.*

CAPUT II.

Sub umbrâ ficus, voluptatis damna & incommoda deſcribuntur.

NEque homini melior eſſe poteſt umbra ficus; utpote quæ ſceleri, quæ funeri jam inde ab Orbe condito ſerviſſe dicatur.

Si Theodoreto, Procopio, aliiſque credimus, arbor

arbor illa à cujus umbra fructúque peccavit Adam, ficus fuit. Utque ſuiſſe probent, hæc ducuntur ratione: quod ſtatim ab eſu vetiti fructus, ubi ſe nudum aſpexit Adam, erubeſcere ac pudore ſuffundi cœperit, utque pudorem tegeret, nudáque velaret membra; folia ficus in veſtem aptavit. Itáque ficus prima fuit teſtis humanæ miſeriæ, & mortale corpus, quod ipſa fecerat, contexit.

Et hæc fortè eſt ratio, cur apud Antiquos ficus funeſta fuerit atque funerea. Horatius vocat pullam ficum. Et apud Romanos, Deſignatores, quorum intererat funerum ritus lugubréſque ſignare modos, invitabantur ſigno ficus, arboris funereæ, quòd ea mortis, funeriſque ſymbolum eſſet.

Ex hoc ritu manavit illud emblema excuſum in monetis Romanorum: Viſebantur duo ſepulchra; hinc unum decrepiti ſenis; inde alterum comptuli adoleſcentis: in medio aſſurgebat ficus, & utrumque fatali tegebat umbrâ: quòd ſcilicet & ſenum & juvenum mors, fatúmque inevitabile à ficu dimanaſſet. Quæ ſi vero propiora ſunt; eſt certè quod à cu fugias & averteris molles illas funereas, & fatales umbras, a quibus & aliud impendet malum, quod eò graviùs ferit, quò mollius, ementitâ quadam ſuavitatis & amoris ſpecie, quâ plerumque fit, ut quem ipſa vis, & incumbentium hoſtium impetus non fregerit, frangat ipſa ficus mollities, & impendentium voluptatum umbræ debilitent ac perdant.

Legamus aliquod ex antiquitate hujus ruinæ caſúſque veſtigium. Suſpexit olim & amavit Roma in capite Perſei natam inuſitato prodigio palmam, indicem animi, teſtem roboris, & futuræ victoriæ præſagam.

Sed, ô nefas, ô malum! ea palma non diu ſtetit; ſubito ventorum impetu, adverſiſque procellis everſa ac diruta, ejuſque loco viſa eſt enaſci & ſuccreſcere ficus, oſtentum luxuriæ, à quâ periit Roma: cui, ut canit Juvenalis, *Sævior armis luxuria incubuit*: & verò ita incubuit, ut abjecerit, everterit, diſſipârit: ſic à ſeipsâ alia atque alia fuit Roma, & quam ipſa vis armorúmque potentia domare non potuit, una voluptas & illecebræ molles edomuerunt: ut de eâ verum fuerit illud Tertulliani: *Plus toga læſere Rempublicam quàm lorica.*

Lib. de pall. c. 2.

Quanquàm quid Romam veterem appello? Quid illam lugeo ac deploro, cùm in oculis, in manibus ſit quam lugere poſſis, ætas noſtra: cui dum naſcitur & ſuccreſcit ficus (mollicula, inquam, voluptas) penitus elabitur, excluditur, extirpatur avitæ virtutis palma, & invictum animi robur, quod adverſus vim omnem, & incurſantium hoſtium impetus ſtare debuit, omnino concidit penituſque frangitur. Et hoc quodcumque eſt malum, ab umbræ vitio, à molli ficu ac voluptate fluit ac dimanat; ideoque dum licet fuge ac declina funeſtas illas ac fallaces umbras, inanes illecebras, & fucata voluptatum lenocinia. Virtuti vive, non ventri: Cœlo vive, non cœno, Superis omnibus, Virginíque vive: tibíque ac tempori morere, ut Deo vivas & beatæ Æternitati.

Ita vivendum eſſe docuerunt ſcriptores propè omnes tam ſacri quàm profani, quorum hoc in Philoſophiâ morali pronuntiatum fuit: *Voluptatem tamquam malum eſſe fugiendam.* Proſtat illud ſcriptum & expreſſum in clariſſimorum virorum monumentis.

Romanus Orator, cùm ipſa Platonis opera crebrò volutaſſet, hunc ex iis florem elegit, quo venuſtior ejus fieret oratio: Divinè, *Plato voluptatem eſcam malorum appellat*, quòd eâ capiantur homines, ut hamo piſces.

Plato in Timæo.

Ariſtoteles Platonis aſſecla, & purioris Philoſophiæ perſpicax ocellus, & ipſe hanc de voluptate ſententiam tulit: eſſe omni viâ modóque fugiendam. In omnibus ait, *τὸ ἡδὺ, id quod ſuave eſt, fugiendum*, & eò quidem ſtudioſiùs, quòd, ut idem ait, omnibus

Lib. 2. Eth. c. 9.

hominibus à teneris annis, à prima pueritia innutrita ſit voluptas, & illita quodammodò vitæ humanæ, quæ illius affectionis velut colore tincta, penitúſque imbuta videtur.

A Philoſophis recedo ad Latinæ facundiæ Principem, qui & ipſe aurea lingua hanc ſententiam ad Poſteros emiſit, nullam eſſe capitaliorem peſtem, quàm voluptatem corporis hominibus à natura datam, cujus voluptatis avidæ libidines temerè & effrænatè ad potiundum incitarentur.

Cic. de Senect.

Ex illo ſenſu, qui etiam profanos occupavit, factum ut apud viros alicujus nominis & famæ, il quàm peſſimè audierint, qui voluptatem, infamiſſimam lenam, vel in privata tecta, vel in Rempublicam intuliſſent.

Eo in genere memorabile eſt facinus Ægyptiorum, qui Thebis in magnificentiſſimo urbis templo, columnam erexerunt, ad poſterorum memoriam, in quâ diræ execrationes impreſſæ legebantur adverſus Minim Regem ſuum, qui cùm ipſe voluptate difflueret totus, primus omnium eam in mores induxiſſet. Quòd ſi à profanis ad ſacros Auctores declinare velim, & hoc illis dogma fuit: Chriſtiano fugiendam eſſe voluptatem, ut bonorum morum & ſanctimoniæ inimicam, cum quâ nemo dignam Superis, dignam Deo vitam exigere poſſit.

Plut. de Iſid.

Innuit hoc Tertullianus, & gravi eloquentiâ ſic monet: *Delicatus es Chriſtiane, ſi & in hoc ſæculo voluptatem concupiſcis, imò nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem.* Hoc ſenſit, hoc dixit ille cùm adhuc divina ſaperet, cùm ſuus eſſet, & Eccleſiæ, cùm necdum opinionibus ab eâ alienis mentem exoculaſſet; imò & graviſſimè illud: *Quæ major voluptas, quàm faſtidium ipſius voluptatis, quàm ſæculi totius contemptus, quàm vera libertas.*

De ſpect. c. 28.

De ſpect. c. 29.

Tertulliano conſenſit D. Ambroſius, qui delicias omnes in malis repoſuit, imò omni ſupplicio, mortéque acerbiores exiſtimavit: *Rogas*, inquit, *ad jucunditatem, cogis ad mortem; invitas ad prandium, efferre vis ad ſepulchrum; cibos promittis, tormenta irrogas; vina prætendis, venena effundis.*

D. Ambr.

Quò ſeſe altiùs efferre potuit Ambroſiana eloquentia, ut genus omne voluptatum ad tormenta, ad mortem, ad ſepulchrum ipſum demitteret, homineſque à tormentis, à morte, à ſepulchro alienos, ad ſuavem & amabilem virtutis ſinum revocaret? Verùm eas D. Ambroſii voces non audit, qui aures Sirenum, id eſt voluptatum, blanditiis dedit, qui totus eſt in volutabro luti, qui ſeſe communis inimici tyrannidi jugóque ſubmiſit.

Emittitur ille, quemadmodum aureo ore explicat D. Chryſologus, ut fœdo luxu *mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, marum ſpiritus, virtutum ſcholam, Dei templum, in ſcenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum.*

D. Chryſol. Serm. 22.

Ecce quò rapit inſolens ille voluptatis æſtus, quam corpori labem, quam animo luem ingenerat; ut qui in hoc terræ cœlique theatro virtutum ludum, ſcenámque Deo Superiſque longè gratiſſimam aperire debuit; vitiis omnibus habenas laxet impudentíſque auſu in vitæ hujus proſcenium emittat, ſibíque & æternitati malè ludat improbus: non ita porrò luſiſſet, ſi altè induiſſet animo illud Pauli: *Non eſt regnum Dei eſca & potus.* in quæ verba candidè D. Bernardus, hæc in delicatos ac molles verborum tela contorquet.

Rom. c. 14. v. 17.

O delicate, inquit, *qui deliciis & divitiis circumfuſus, atque confuſus confuſionem expectas & mortem: non eſt regnum Dei eſca & potus; non purpura & byſſus: quia dives ille arrogat circumfluus, in punčto ad inferna deſcendit.*

Eò nimirum ducit voluptas, eò recidit velut ad centrum ſuum: ne tu quoque pronâ mente, præcipitique greſſu eò volvaris; excede, emerge, evola

ex illo deliciarum cœno, eripe te ex illa libidinum tuarum cloacâ. abi à ſtabulo, à porcis, quos cum filio prodigo malè paſcis, imò quibus paſceris: nec paſceris tamen; his enim mortale corpus improbè ſaginari diſtendique poteſt; at immortalis animus iis refici non poteſt, nedum ſatiari.

Ab illis ergo procul abſcede, credeque tibi etiam ſcriptam eſſe legem, quam olim Superûm legiſlator Moſes Iſraelitis inſcripſit. *Levit. c. 11. v. 7.*

Prohibebat illa veſci ſuillâ carne, nec tam corpori, quàm animo, imò & myſterio ſerviebat: dum enim ſuillam carnem ori admoveri vetat, unà etiam ab animo voluptatem omnem voluit amoveri.

Ita pre animadvertit Clemens Alexandrinus: *Vita*, inquit, *uſum cum improbis hominibus plane ſuillum agnoſcens, per ſapientiſſimum Moyſem, pædagogus ſeniori populo porcis veſci prohibuit. ſignificans non oportere eos, qui Deum invocant, cum impuris verſari hominibus, qui porcorum inſtar corporalibus voluptatibus perfunduntur.* *Li. 2 Pedag. c. 1.*

Dumque ſic perfunduntur, mirum quantum Deo vindice humiliantur. Verum enim illud Prophetæ Regii: *Humiliaſti nos in loco afflictionis*. Vel (ad inſtitutum meum) *Humiliaſti nos in loco Sirenum*, ut vertit Aquila, & ex illo D. Ambroſius. *Pſal. 43.*

Nota eſt Sirenum fabula, quæ & ſuavi vocis cantu, & vultus ſpecie incautos navigantes in exitium trahebant. cujus probè conſcius Ulyſſes, aures cerâ ſibi obſeravit, & corpus ad navis malum alligavit, ſicque earum fraudes eluſit.

Fabula eſt, doctumque Poëtarum commentum, è quo tamen hoc ad mores trahi poteſt.

Siren ſemi-piſcis, ſemi & fœmina, voluptatis eſt ſymbolum, quæ homines hac vita, ceu mari, vectos ſuo cantu, id eſt ſuis & aurium & ſenſuum aliorum illecebris malè cautos diſtinet, ac in profundum rapit illectos.

Ne porrò ſic rapiat, audi quid adverſus illam remedii ſuggerat D. Ambroſius:

Non claudendæ, inquit, *aures, ſed reſerandæ ſunt, ut Chriſti vox poſſit audiri: quam qui perceperit, naufragium non timebit. Non corporalibus, ut Ulyſſes, ad arborem vinculis alligandus; ſed animus ad Crucis lignum ſpiritualibus nexibus vinciendus, ut laſciviarum moveatur illecebris.* *Proœm l. 4. in Luc.*

CAPUT III.

Sub umbrâ mali, gulæ vitia carpuntur.

SAtis ſuperque notum ab arboris umbrâ fructuque periiſſe primos parentes, noſque genus hominum univerſum. Sed quæ illa fuerit, adhuc ſub judice eſt. Volunt pleríque omnes fuiſſe malum; utque velint trahuntur illo Canticorum: *Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Et verò is ſolet eſſe communis ſenſus, qui in vulgus omne, ſcholáſque ipſas emanavit. Cum quibus & ipſi ſentiemus, dicemúſque fuiſſe pomiferam arborem, noſtris tamen, & amœnâ frondium veſte, ac ſuavi gratâque fructuum ubertate, ſapore, præſtantia longè ſuperiorem. *Cap. 8.*

Ea nimirum eſſe debuit, quæ primorum parentum animos, devotámque ſubmiſſionem probaret.

De hac arbore multa multi diſputant, ex natura, ex hiſtoriis, ex antiquitatis fide, ex omni penu eruditionis. Sed quia ea iis pleraque dubiam habent fidem, non commemoro. Unum propono quod extra litem & controverſiam eſt: ab hac arbore prima mali labes & corpori & animo dimanavit. Corpori quidem ſua ſupplicia, humorum intemperies, infeſta morborum cohors, mors denique ipſa, quæ eſt veluti centrum malorum omnium, quæ ab univerſo vitæ circulo, veluti circumferentiâ quadam deducuntur. Nec animo ſua pœna defuit. Rapitur ille volviturque adverſo paſſionum impetu velut æſtu quodam ac torrente; deinde præceps elabitur *in peccatum*, quod eſt quaſi centrum malorum omnium, quæ in animum Cœli Deique capacem incidere poſſunt.

O malignam, ô acerbam, ô funeſtam arborem! ô Solis hujus lucíſque uſurâ indignam! ô dignam omnino, quæ unà nobiſcum veniret in conſortium pœnæ ac laboris! quamquam, quid votis illis Cœlos onero & fatigo? Fortè etiam tum venit.

Memorat Gretſerus ex antiquo codice Bibliothecæ Auguſtanæ, Græco charactere, ſed obſoleto, ſed annis & uſu detrito. Cùm Adamo immineret occaſus, & longioris ævi ſuprema dies. Sethum, quem ei pro Abele cæſo natura dederat, Angelo duce eductum eſſe in Paradiſum voluptatis, ibique ſpectaſſe ad fontis oram arborem proceram, à foliis, à fructibus nudam, omnique honore vacuam: tum etiam audiſſe ab Angelo eam fuiſſe, à quâ olim peccârat Adam, ideoque omni cultu ſpoliatam; ut quæ culpæ conſors fuerat, foret & pœnæ. Verùm ab illâ arbore diſcedamus, & ad Evam Adamumque primos generis noſtri parentes redeamus: in his certè, non in illâ vitium fuit. *Lib. 1. de Cruce.*

Vidit Eva pomum *quod eſſet bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile.* Quid deinde? Tulit, comedit, & ab uno oculorum conjectu Orbem hunc univerſum in ruinam traxit. Cum eâ dialogum inſtituit è filiis ſeriſque nepotibus unus aliquis, iſque melleus Bernardus, juſtáſque generis ſui querelas depoſuit. illum audiamus: *Quid Eva*, inquit, *quid tuam mortem tam attentè intueris? Quid ſpectare lubet quod manducare non licet? Oculos, inquit, tendo, non manum: non eſt interdictum ut videam, ſed ne comedam.* Verum illud quidem; at hoc timendum: etſi enim *culpa non eſt, culpa tamen occaſio eſt. Latenter in cor tuum ſerpens illabitur: auget curam, dum incitat gulam: acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem; offert prohibitum, & aufert conceſſum; porrigit pomum, & ſurripit Paradiſum.* *De grad. humil.*

Ecce quantum à gulâ decedit boni & quantum accedit mali. At fortè major in Adamo vis erit roburque adverſus illas maligni ſerpentis inſidias ignitáque tela. Optandum quidem fuit illud, imò & à maſcula virtute ſperandum: at vota ſpéſque omnes eluſit vel una gulæ illecebra, pomique gratioris viles deliciæ. ut enim de Adamo Tertullianus: *Faciliùs ventri, quàm Deo ceſſit; pabulo potiùs, quàm præcepto annuit: ſalutem gula vendidit.* O infidum, ô perverſum ac perditum inſtitorem, qui adeò malè rebus pretium ponat; imò qui & in filios, nepotes & abnepotes id quoque vitium cum ſanguine transfundat! Ab illo certè incitatus Eſau accepto pane & lentis edulio comedit, & abiit parvi pendens quòd primogenita vendidiſſet. Ab illo prodigus ille adoleſcens, de quo Chriſtus, diſſipavit omnem ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè: *Congregavit*, inquit ore aureo Chryſologus, *bona patris, & abiit longè plus mente, quàm locis, ut dato, non accepto pretio, miſeræ ſe traderet ſervituti.* cujus acerbas leges damnaque ſolitâ facundiâ ſic perſequitur. *Ecce quid facit cupiditas: civem in peregrinum, filium in mercenarium, locupletem in egenum, liberum mutavit in ſervum; junxit porcis à patre piiſſimo quem ſejunxit, ut ſerviret cœnoſo pecori, qui pietati paternæ contempſit.* *Gen. c. 25.* *Luc. c. 15.* *Serm. 2.*

Et iſta quidem ad gulæ culpam & pœnam faciunt: ſed antiqua inquies, & diuturno annorum curſu exoleta, atque omnino penitùs exoleta.

Sed audio, rurſum emergit in auras, hominemque laceſſit eadem ingluvies: exclamat enim Apoſtolus nonnullos eſſe etiam Chriſtiani nominis, *quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Si quondam Philiſtini idolo Dagon divinos honores reddere *Ad Philip. c. 3.*

ſoliti

ſolici, ſi ad illius limina proni accidere, non adeò mirum id videri debuit, erant *Philiſtini*, id eſt *cadentes* poculo; ebria erant & obruta vino capita, quæ ſuſtineri non poterant: connivere, inclinari, accidere debuerant *idolo Dagon*, id eſt *ventri*; *Dagon* enim hebraicè ventrem ſignificat.

Verùm, ut Chriſtianus aliquis adeò ſeſe abjiciat, novum, inſolens, intolerandum: & tamen ita ſuo quoque ævo factum gemit Tertullianus: *Deus*, inquit, *illis venter eſt, & pulmo templum, aqualiculus altare, ſacerdos coquus*; ac deinde contexit longam ſeriem virtutum, quibus illi Deo inſervitur. *Apud te*, inquit, *agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet. ſed major his eſt agape, quia per hanc adoleſcentes tui cum ſororibus dormiunt: appendices ſcilicet gulæ, laſcivia atque luxuria ſunt.* Quiſquis huic agapæ vacat, quiſquis hujus aræ, aut potius haræ miniſtellus eſt, audiat illud Chriſti: *Nemo poteſt Deo ſervire & mammonæ*, id eſt, ut explicat S. Irenæus, Deo & gulæ: *mam* enim hebraicè ſignificat *guloſum qui non poteſt ſe à gulâ continere.* Hic mammonæ in annos, in dies, in horas propè ſingulas litat infami faucium hiatu. Quis porrò ſit ille mammon, docet Clemens Alexandrinus in Pædagogio, dum ait: *His qui ad luxum menſarum ſunt propenſi, præeſt dæmon, helluo maximus, quem non verebor Ventridæmonem appellare, dæmonum omnium peſſimum ac perniicioſiſſimum.*

[De Jejunio contra Psych.] [L. 3 advers. hæreſ. c. 8.]

Is fuit, qui in Paradiſum, innocentiæ ſedem, irrepſit, & primos parentes à gulâ noxios fecit, facitque poſteros in ævum nocentiores: *gula enim laſſata cibis, nondum ſatiata receſſit*; Suos illa habet aſſeclas, ſuos helluones; in quos elato, ut ſolet doctóque cothurno ita invehitur Scribanii Philoſophus Chriſtianus: *O ubi mens noſtra, vix palmari ſtomacho ingentia fumant fumibula, fervent tripedales aheni, Babylonia calent fornaces, immanes æſtuant ignes, ſuperſtant fercula ferculis, laſſatis menſis; ſervorum, ancillarum, coquorum ſudat exercitus, natant pennaria vino, ſatiſcunt horrea frumento; & ego credam unum ventrem, in quo plurimarum non rarò gentium conduntur vina.*

Hæc ille de inſano illo helluonum luxu, cui utinam modum, finemque ſuâ illâ eloquentiâ poneret; ſed vereor ne accepta à primo parente macula tranſmiſſa feratur in poſteros; utque verear ſuadet altera mammonæ etymologia: *Mammam* enim, id eſt *macula*: & guloſi *maculæ* dicuntur, & ſunt; *Hi enim ſunt in epulis maculæ convivantes ſine timore*, inquiebat Judas Apoſtolus: non ſunt illi convivæ Chriſtiani, non epulum, non Chriſtiana eſt agape, quæ Dei timorem è menſis excutit.

[Epiſt. v. 12.]

Alia fuit naſcenti Eccleſiæ, ex qua diſces, quæ tibi menſa, quæ epulæ eſſe debeant. de ea diſſerens Tertullianus ita habet: *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim agape, id, quod dilectio penes Græcos eſt. nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit: Non priùs diſcumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur: editur quantum eſurientes capiunt: bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire: æquè oratio convivium dirimit.* Hæc ille de Chriſtianâ agape, ex quâ menſis tuis epulóque Chriſtiano legem accipies & ſervabis, ſi admitti voles ad cœnam magnam, ad cœnam agni cœleſtis.

CAPUT IV.

Sub umbrâ quercus, ambitionis iniquitas & inſania oſtenditur.

[Curt. l. 6.] IN Hircaniâ frequens eſt arbor, quæ faciem quercûs habet: ejus folia multo melle tinguntur; ſed niſi Solis ortum incolæ præoccupaverint, vel modico tempore ſuccus omnis exareſcit.

Eſt quercus illa humanæ ambitionis ſymbolum: ſub eâ dum hæres & umbras quæris, ſolatia tibi videris, & bona ſequi, & quidem mellea: ita cæcus animus judicat, ita fictæ dulcedinis inſanâ cupidine luditur: at ubi cœleſtis gratiæ radius illuxit; tum & iſta ſorbere, & in fumos videbit evaneſcere, niſi tamen priùs ab iſto melle majus aliquod malum emanarit: ſæpiùs enim

Impia ſub dulci melle venena latent. [Ovid.]

Heptaconethæ, ſive ſeptempagani, mel legunt ex ſummis arborum ramis, quod homines ad inſaniam adigit: hujus cùm plenos crateras Pompeianis militibus propinaſſent, à ſenſu, à ratione alienatas tres eorum cohortes conciderunt. Similis notæ & genii mundus eſt; tibi mella legit, mella ambitioſæ vanitatis, quæ ubi vel extremis tantùm labellis attigeris, ad inſaniam redigeris. Quæ enim major eſſe poteſt inſania, quàm ea, quæ omnia jura, profana, ſacra, humana, divina violat ac peſſumdat? [Strabo l. 12.]

Vinculum illud, quod fratres inter natura eſſe voluit, ſacrum habetur & inviolabile; at illud ſolvit frangitque effrænis ambitio. Teſtis Abimelech Gedeonis filius, qui ut Iſraëli imperitaret, *Occidit fratres ſuos, ſeptuaginta viros ſuper lapidem unum.* [Iudic. 9. v. 5.]

Filium parenti natura & hauſtus ſanguis junxit arctiſſimè. at illum naturæ nexum nodumque exſcindit ambitio. Et verò jam inde à ſæculis crudeli, impiáque manu exſcidit Abſalon, quem ideo belluam potius, quàm hominem dixit Chriſoſtomus; ut qui etiam *ipſis naturæ inſultaret legibus.* [2. Reg. c. 15.] [In Pſal. 9.]

Uxorem cum viro unum eſſe voluit Deus ipſe, jam inde à mundi cunis, cùm illud edidit oraculum: *Erunt duo in carne unâ.* At illam carnis ſanguiniſque communionem evertit ac peſſumdedit ambitio, quæ etiam fœminas molliſque ingenii ſexum armavit ac in viros ſævire docuit.

Exemplo ſit Semiramis Nini Perſarum Regis aut concubina, aut ſi voles uxor: indulgens illa ambitioſæ vanitati & regnandi libidini, diem dumtaxat unum expetiit, quò imperare liceret ſibi. petiit, & ab incauto impetravit. Ac primo quidem imperio conceſſiſque habenis moderatiùs uti cœpit, & facilia obviáque præcipere; deinde ardua magis ac difficilia; cumque & in his & in illis obſequentes, & ad nutum paratos aſpiceret, ad acerbiora vocem & manus extulit. Ipſi Regi velut animi cauſa, & per ludicram quaſi ſcenæ imaginem, vincula injici mandavit: nec mora, Regis manibus immittuntur vincula, & ex Reginæ nutu ſtringuntur arctiùs: cumque & in hoc actu ſucceſſiſſet illa tragœdia, ad extremum è medio tolli atque interfici curavit, inviſo hactenùs & inuſitato crudelitatis exemplo. & hoc ideò tantùm, ut imperium ex diurno faceret diuturnum. [Muret. l. 6. var. lect. cap. 17.]

Et illud conjugis in maritum eſt ſcelus; hoc matris in filios ac nepotes facinus. Athalia dum impotenti dominationis libidini fræna laxat, laxat & furori ferroque; & nepotes ſuos, filios Ochoziæ, omnéque ſemen regium, enſe metit, viperâ longè inclementior: hæc enim, ut ſuos partus in lucem edat, lucem amittit: illa filios vitâ privat, & aurâ mortalibus omnibus communi, ut in purpurâ ſceptróque vivat: ſicque priùs ab innoxio ſanguine pignorum ſuorum rubeſcit impudentiùs, quàm à regio murice ſplendidiùs eniteſcat. Sed iſta ſunt juris humani vincula, iſtæ naturæ leges, & pacta, quæ violat inſana ambitio. at fortaſſis divina verebitur, nec invadet. Optandum illud quidem eſſet; at ſperandum minimè: nihil enim adeò ſanctum & inviolabile, quod auſu temerario illa non impetat ac perturbet. Religionis avitæ jura, fidei leges & amabile Eccleſiæ jugum excutit inſolens ſuperbia, & neſcio cujus dignitatis malè ſana affectatio; cui dum ſe committit homo, ſe ipſe fidemque amittit. [4. Reg. c. 11.]

Ita, teſte D. Auguſtino, Arius Presbyter à Catho-

I. de hæreſ. hæreſ. 53. licis ad Arianos defecit, vel eo tantùm nomine, quòd in Epiſcopum non fuiſſet adlectus. Eâdem ambitionis vi abreptus Aërius, ut advertit Pontianus.

Euſeb. Cæſ. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 33. Ita Thebulus & Oronatus hæreticorum anteſignanus à ſeipſo, à Religione, à Deo diſceſſit, nè à ſuo faſtu & Infulæ Pedique appetentiâ diſcederet.

Adver. ſus Valent. c. 4. Ita deſervit Valentinus, à quo nati Valentiniani hæretici, ut auctor eſt Tertullianus: *Speraverat*, inquit, *Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio; ſed alium ex martyrii prærogativâ loco potitum indignatus, de Eccleſia authentica regula abrupit (ut ſolent animi pro prioratu exciti, præſumptione altionis accendi) ad expugnandam converſus veritatem; & cujuſdam veteris opinionis ſemen, nactus colubroſo viam delineavit.*

Hæc contra Valentinum jecit Tertullianus, in aliis gravis ac ſeverus morum cenſor, in ſeipſe nimium *Pamelius in ejus vitâ.* indulgens: creditur enim id vitium & ipſe incurriſſe, quod in alio, melior adhuc ſapiens, reprehenderat: ſed ea multorum eſt miſeria & calamitas; in alienis lynces appàrent, in propriis talpæ; in extraneis oculati, in ſuis cæci. quod triſti nænia deplorat D. Bernardus:

Serm. 2. in feſt. Aſc. *O perverſitas*, inquit, *ô abuſio filiorum Adam! quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum; ipſi & leviter aſcendunt, & difficiliùs deſcendunt, parati ad honores & celſitudines graduum Eccleſiaſticorum, ipſis etiam Angelicis humeris formidandos. ad ſequendum autem te Domine JESV, vix inveniuntur qui vel trahi patiantur.* Hæc enim alto gemitu profuſiſque lachrymis & ſcripſit & dixit S. Doctor.

Ejus porrò nævi maculæque ratio illa eſt, quam *De jejun. & tent. Chriſti.* effert D. Cypriani elegans & verum oraculum: *Quia etiam in ſinu Sacerdotum ambitio dormit, ibi ſub umbrâ recubat, in ſecreto thalami, ſe fraudulenter occultat.* Quamdiù illa àb Hierarchis & ſacri Ordinis homini- *Apud Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 22.* bus abfuit, Eccleſia Παρθένος, id eſt *Virgo* nominabatur, ut mihi auctor eſt Hegeſippus; quia ſcilicet nulla eam adhuc Eccleſiaſticorum ambitio corruperat: ubi autem evaſit illa & ſacrorum ædium cancellos ſuperavit; tum vim aliquam & vitium eſt paſſa, & ſtuprum infamis hæreſeos. Et hoc quidem primùm à Clero, deinde etiam à Monachis. Mirum enim dictu, ſed tamen veriſſimum; etiam in cellas humiles aſcendit ambitio, & cucullo paupere ac demiſſo quandoque tegitur altum ac ſuperbum caput. Non illud Religionis habitúſque ſacri vitium eſt, ſed perſonæ. Vadem habeo D. Bernardum teſtemque omni exceptione majorem: ita quondam ille de eâ lue queri & lamentari ſolitus:

Serm. 4. ſuper Miſſ. *Video quod magis doleo, poſt ſpretam ſæculi pompam, nonnullos in ſcholâ humilitatis ſuperbiam magis addiſcere, & ſub alis mitis humiliſq; Magiſtri, graviùs inſoleſcere, & impatientes ampliùs fieri in clauſtro, quàm fuerant in ſæculo. Quódque magis perverſum eſt, plerique in domo Dei, non patiuntur haberi contemptui, qui in ſuâ nonniſi contemptibiles eſſe potuerunt. Vt quia videlicet, ubi à pluribus honores appetuntur, ipſi locum habere non meruerunt, ſaltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur.*

Epiſt. ad Nepotian. Ejuſdem ferè generis ſunt illæ D. Hieronymi querelæ, & juſtæ expoſtulationes: *Nonnulli ſunt ditiores Monachi, quam fuerint ſæculares & Clerici, qui poſſideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallace diabolo non habuerant: ut ſuſpiret eos Eccleſia divites, quos mundus tenuit antè mendicos.* Ratio autem cur ſuſpiret pia Mater alia eſt atque alia: Una quidem eſt infelix eorum caſus ac ruina; altera etiam populi, quem ferè idem caſus involvit.

Illam ſic attigit, verſatque D. Bernardus, primùm ironicâ oratione, deinde ſeriâ & gravitatis pleniſſi- *In ſuis Declam.* mâ eloquentiâ: *Age ergo*, inquit, *feſtina multiplicare præbendas, inde ad Archidiaconatum evola; demùm aſpira ad Epiſcopatum: nec ibi quidem requiem habiturus: quoniam ſic itur ad aſtra:* Hæc ubi dixit ironicè, tum ita hominem aculeatâ voce perſtringit ac pungit. *Quò progrederis miſer? An ut ab altiori gradu ſit caſus gravior? utique enim ſic paulatim decides, tamquam fulgur in impetu vehementi, quaſi alter ſatanas ſubitò dejiceris.*

Duo hic inſerit Bernardus, digna quæ quiſque in ſecreto cubiculi, in alto receſſu mentis, in arcano cordis expendat:

Primum eſt aucupes illos ac venatores honoris ac gloriolæ ex altiſſimo ſtatu, velut æthere diſſilire, & in terras elabi, ut ſolet fulgur diſrupto nubis ſinu, quo contineri claudique impatientiùs ferebat. Sic illi ſciſſa tandem diſruptáque corporis nube, in ima terræ, in abyſſum inferni præcipites deſcendent, nihilque mortalibus oculis relinquent ſui, niſi inanem & fluxam dignitatis ceu fulguris imaginem lucemque. Alterum quod quaſi ſatanas dejicientur ex Eccleſiæ Cœlo in cœnum & cloacam æternæ damnationis. Et hæc prima gemitus cauſa dolorìſque fuit.

Aliam accipe, à qua mœret lugetque Eccleſia, ea populi ſcandalum oſtentat, gravemque ruinam, cui proinde ille ipſe Bernardus intentat mœſtum illud ac formidandum: *Væ tibi*, inquit, *væ tibi Clerice, mors* *In Declam.* *in ollâ, peccata enim populi comedis, ac ſi propria tibi minus ſufficere viderentur.* quæ autem ab illis exigenda ratio, ita breviter, ſed piè & nervosè exponit: *Veniant*, inquit, *veniant ante tribunal Chriſti, audietur populorum querela gravis, accuſatio dura, quorum vixere ſtipendiis, nec diluêre peccata: quibus facti ſunt duces cæci, fraudulenti mediatores.*

Qui enim alii eſſent, qui ad Infulas ſacráſque dignitates evolarunt, non tam ut miniſterio ſanctuarii inſervirent, quàm ambitioni ſuæ? Qui, ut ait ille ipſe Bernardus, *Non venerunt ornare ſponſam, ſed ſpo-* *Serm. 70. in Cant.* *liare; non cuſtodire, ſed perdere; non defendere, ſed exponere; non inſtituere, ſed proſtituere; non paſcere gregem, ſed mactare & devorare.*

Atque cùm ea mente, eo conſilio in Chriſti peculium venerint; Quid adeò mirum, ſi de iis olim fatidica voce Zacharias? *Vlulate quercus Baſan*, viri præpotentes & elati, qui cæteris eminetis in Jeruſa- *Cap. 11. v. 2.* lem, in Eccleſia, ut inter arbuſta ſurgere ſolet ac tolli quercus; *Vlulate*, inquam, vel quia ſecuris ad radicem poſita, vel quia gravis impendet ruina; eóque gravior, quò ex altiore fit; ipſi enim *tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.*

Ita præpropera & inſana regnandi libidine tolli voluit Abſalon, & viſus eſt *pendere de quercu*, quæ potiori jure dici potuit, *quercus fletus*, quàm ea, quæ Deboram ad radices ſuas admiſit, & exanimi corpuſculo ſepulchrum dedit.

Ita (ne vetera tantùm recenſeam) ſuperiore ſæculo tolli voluit Wolſæus Anglus; qui ex Sacerdote plebeio, nulliuſque nominis factus Sacellanus Epiſcopi Vinceſtriæ, inde Regi ab eleēmoſynis, tum Epiſcopus Lincolniæ, tum Archiepiſcopus Eboracenſis, exinde Cancellarius Angliæ, tum etiam Legatus à Latere; quo in officio omnes Regni Infulas, pro ſuo arbitrio diſtribuere, & omnia Sacerdotia inſana ambitione atque avaritia deglutire cœpit, fretus ea, qua apud Regem pollebat, gratia (qui eum loco Patris & amabat & colebat) & apud Cæſarem Carolum V. qui eò ſubmiſſionis venit, ut illi ſcribens ſe ejus cognatum & filium diceret; quibus omnibus elatior factus etiam, ad Papatum & primam in terris dignitatem aſpirare eſt auſus; quâ cùm excidiſſet (poſtpoſitus ſcilicet Adriano Pontifici natione Belgæ) omnia ſuſque deque movere cœpit, & infame ſchiſma inducere, quo Regnum aliàs Chriſtianiſſimum fœdè laceratum, & in hunc uſque diem hæreſibus, erroribus ſectiſque propè omnibus proſtitutum.

At quis tandem ab his Wolſæo finis? Amplam

illius

illius ambitioni ac ſuperbiæ ſcenam aperuimus; veniamus ad ultimum illius actum, eumque mirè tragicum. Cùm his adhuc pejora apud ſe meditaretur, moliretúrque inania, derepentè in vincula conjectus eſt, ibíque miſerè vitam, non ambitioſæ vanitatis ſitim extinxit.

Nimirum ſtultis illis gloriolæ & honorum amatoribus evenit, quod iis, qui ad faciendam ſibi famam nomenque, etiam volare affectarunt.

Uti quondam ſpectante B. Petro Simon Magnus, qui ſe Dei virtutem appellabat, & dæmonum ope ad popelli ſtuporem in ſublime tollebatur, è quo mox ejuſdem Apoſtoli precibus lapſus eſt in præcepa effractis etiam coxendicibus, quò factum, ut qui volare præſumpſerat, repere ſit coactus.

Uti deinde & Agarenus quidam præſtigiator in ſpectaculis Circenſibus, eò tempore, quo Manuel Soltanum hoſpitio exceperat.

Hic ſua ſponte hippodromi turri conſenſa, ampla & promiſſa veſte multiſque ſinibus undante, quibus ſcilicet auram ventumque colligeret; poſtquam populo variis geſticulationibus illuſit, aëri ſe commiſit, quo certè teneri diu non potuit; mox enim in terram, unde venerat, prono impete lapſus, collum caputque multâ gloriæ aurâ turgidum ſibi fregit, animamque per vulnera expuit; non jam omnium plauſu, ſed riſu. Ità *quæ fuerat fabula, pœna fuit*: eademque erit malè ſanis illis gloriolæ ac vanitatis candidatis, in quos benè luſit Juvenalis:

Qui nimios optabat honores,
Sat. 10. *Et nimias poſcebat opes numeroſa parabat*
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.

Ne te idem aliquando caſus abripiat, eadem occupet ruina, honores fuge ſuperbaque nomina, memor illius, quod ex vero cecinit Poëta:

Vivitur parvo benè.
Humi jacentem ſcelera non intrant caſam,
Tutusque menſâ capitur anguſtâ cibus,
Auro venenum bibitur.

CAPUT V.

Sub umbrâ hederæ, vanitatis & impuri amoris illecebræ damnantur.

PROPHETA Jonas cùm vidiſſet excuſſa divinis è manibus fulmina, poſitáſque Cœlo vindices iras, indoluit, altumque ingemuit intentatas Ninivæ minas, & imminentem urbi cladem in auras & ventos abiiſſe: ingemuit, inquam, & urbe exceſſit, evaſit, erupit, ſedítque contra Orientem civitatis, & fecit ſibimet umbraculum, & ſedebat ſubter illud in umbrâ; à quâ dum non ſatis ſeſe tuetur ab æſtu Soléque impendente, ecce hedera facili lapſu circumfuſa aſcendit ſuper caput ejus, ſuáque umbrâ tegit ac Solem arcet. Ab hederâ vertici incumbente, viridique adnaſcentis umbræ tecto ſibi gratulari, ſibi gaudere & plaudere: at brevis gratulatio, futile gaudium, inanis plauſus, qui ab hederâ & umbrâ petitur.

Divinæ mentis oculus, qui humanis rebus ſemper invigilat, ſemper aperitur & pateſcit, ut tenues hederæ diſſiparet umbras: die ſequenti ſub ortum Solis hujus, vermem emiſit, qui maligno tenacíque dente hederam arroderet penituſque abſumeret: intereà Sol altiùs aſſurgit, capiti incumbit, & prono lapſu in oculos, in caput radios infundit & vibrat. A Sole & æſtu impatiens Jonas *petivit animæ ſuæ ut moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori quàm vivere.*

Has iras è Cœlo deſpicit & ridet Deus, ac deinde ad Jonam: *Putaſne benè iraſceris ſuper hedera?* & dixit: *Benè iraſcor uſque ad mortem.* tum ei Deus: *Doles ſuper hederâ, in quâ non laboraſti, neque feciſti ut creſceret, quæ ſub unâ nocte nata eſt, & ſub una nocte periit;* quaſi dicat, Vanæ & fallaces iræ, boni vacuus & futilis dolor: Quid hederæ credis? Quid inanibus & fugacibus umbris? *Hedera filia noctis erat, & filia noctis periit;* Quid amabo doles? Quid excandeſcis?

Hedera ſymbolum eſt vanitatis, opum, & humanæ ſpei: qui ſub illa ſedet, patietur à Sole, ab æſtu divinæ Juſtitiæ, & dolebit aliquando omnes illas fallacis hederæ umbras, ſpes omnes evanuiſſe, & adverſo ſeu fortunæ, ſeu mortis verme penitus corroſas & abſumptas: ideóque dum licet, fugiamus iſtas umbras.

Eſt etiam hedera ſymbolum impuri amoris, quod arctiſſimo complexu cæteras arbores ſibi implicet & vinciat; itaque enecat ac perdat: ideoque hedera vel ab hærendo, vel edendo dicta: ex illo hederæ vitio factum, ut Romæ Flamini Diali nefas eſſet tangere, imò nominare hederam. Utinam & hoc ævo vigeret ea lex, qua benè cautum eſſet, nè quis appellaret, nedum tangeret hederas; noxios, inquam, amores: non ea foret morum atque adoleſcentiæ corruptela, ſub quâ hoc ſæculo gemimus.

Sed ingens omnino hujus ætatis eſt malum, nec abſimile illi, quod olim viderunt & damnarunt puriores Athenæ, in quarum exedris impuro amori, Venereæ cupidini erectum templum, dicata ara, auctore quodam græculo homine ad omnem libidinem abjecto.

Is Charmus fuit, de quo prodit Clemens Alexandrinus, cùm fœdis amoribus implicaretur, furioſam animi affectionem quodammodò conſecrare voluiſſe, eáque de causâ in Academiæ aditu aram amori dedicaviſſe. Res ea peſtilenti dæmonis afflatu, & verſuta malitia excogitata, ut pudici adoleſcentium chori in Academiam venientes, amorem Numen eſſe diſcerent; eſſéque optabile quoddam & divinum amare & amari.

Ceſſit improbum & abominandum conſilium in perniciem plurimorum; primóque molles ac teneros adoleſcentium infecit animos, inſana reddidit pædagogia, amatorias ſophorum ſcholas & Academiam, quæ purioris caſtæque ſapientiæ domicilium eſſe debuit, in lupanar convertit, & impuritatis officinam.

Fuit illud Athenarum dedecus, & illuſtri Academiæ inuſta labes ac macula, à qua non laureati magiſtri Doctoréſque prodierunt, ſed effæminati adoleſcentium greges, hederâ malè coronati. Et hoc magnum eſt ætatis illius & Academiæ vitium; majus omninò, intolerandum atque ejuſmodi, quod nec Cœlum intueri, nec terra ſuſtinere poſſit ſi in ſacratiora templorum adyta, perſonáſque Deo ſacras, ea lues invehatur; ſi eæ, quæ velo celari coronarique debuerunt, celentur coronenturque hederâ: ſi Sacerdotes, ſi Clerici impuris illis amoribus implicentur.

Minutius Felix graviter olim reprehendit idolorum ſacerdotes, non impios magis, quàm impuros, qui in ipſis Numinum delubris, non tam ſacris quàm flagitiis operabantur. *Ibi*, inquit, *magis à ſacerdotibus, quàm inter aras, & delubra conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur?* Minutius in Octavio.

Quod ipſum objicit Tertullianus gravi, ut ſolet, ac cothurnato ſtylo ſacerdotibus ac miniſtris ſacrorum Gentilium, dicens: *inter aras lenocinia tractari,* Tertull. in Apol. c. 45. *in ipſis plerumque ædituorum & ſacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, & purpuris thure flagrantem libidinem expungi.*

Verùm ſit iſta labes & macula Flaminum gentilium: ſeſe illi abjiciant ac proſtituant ſub impudici amoris hederâ: at non ſic veri ſupremíque Numinis Sacerdotes, non Chriſtiani Myſtæ: norunt illi ſanctum penetrale, & orationis domum, in quâ Deus innocentiæ ſedem poſuit, domiciliumque virtutis, quàm puriſſimam eſſe oportere; norunt ſacrorum

miniſtrorum animas, omni illâ carnis concretione ac colluvie ſuperiores eſſe debere. ita quippe à Superis, & à Moſe probè docti. Cùm ille de Levitis conderet leges, hanc cæteras inter inſcripſit: *Radant omnes pilos carnis ſuæ*; quod Rupertus ſapienter in

* Rupert. in L. 2. 1. 10.

hunc modum exponit: *Oportet Levitas omnes pilos carnis ſuæ radere, quia is, qui in obſequium divinum aſſumitur, debet antè Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere.*

Ex illius quoque inſtitutione factum, ut in legendis victimis ſumma cura ſtudiúmque adhiberetur, caveretúrque quàm maximè, ne quis Sacerdoti nævus, ne qua labecula ſubeſſet: quod non fiebat causâ victimarum, ſed ut ſymbolis illis monerentur ſacrificium obituri nullum animi morbum, & flagitioſam tepiditatem in ſanctiſſimi Dei conſpectum inducendam: quia, ut diſertè pronuntiat Philo, *Stultitia eſt, cùm templa non ſubeas niſi corpore à balneis nitido, ſacra facere mente impurâ contaminatáque.* Quantùm autem ſupremo puriſſimóque Numini diſpliceat illud, ſi Myſta alieno & impuro ardeat igne, in filiis Aaronis velut in imagine expreſſit: hi enim vindice flamma ex ipſis aris erumpente hauſti & abſumpti fuerunt, quòd alienum & profanum ignem contra jus faſque religionis in ſacra intuliſſent. Factum illud errore quodam ac titubatione ebriæ mentis, à qua deinde vindex exarſit ignis. tantum intereſt, quo prius accendaris & ardeas igne: quod dum accuratiùs expendit magnus Præſul Paulinus: *Ignem alienum dicit videri accendere, qui corporea, vel ſæcularis alicujus cupiditatis ignem in arâ mentis ac ſacraria ſui cordis accendit.*

Philo lib. Quòd Deus ſit.

Levit. c. 10.

S. Paulin. Epiſt. 3.

Quòd ſi antiqua lege, quæ vix, ac ne vix quidem, primis lineamentis rudimenta novæ expreſſit, ea tamen, Cœlo teſte ac Judice, mundities puritaſque requirebatur; quanta porrò quamque ſingularis in ſtatu gratiæ, in ſacratioribus adytis, in quibus non umbra, ſed ipſa veritas exhibetur? Certè ut dicamus quod ex vero eſt, quod ex Patrum communi ipſiuſque Eccleſiæ ſenſu, ea quàm maxima deſideratur.

Metaphr. in vitâ Chryſ.

D. Chryſoſtomus auguſtus ille Præſes religionis, communiſque pietatis magiſter, omniumque libidinum hoſtis, cùm ex Clericis ſuis unum aliquem adverriſſet in ſanctuario petulantiùs oculos in mulierem conjeciſſe, protinùs ab altari removit. nimirum indignus erat, qui ſacra propiùs aſpiceret, qui ea leviore impuróque aſpectu quodammodò contaminaſſet. Juſtè id quidem etiam ex ipsâ hujus ſæculi & ſæcularium lege ac conſuetudine, quia ut eruditè S. Ambroſius: *Turpes lenonum meretricúmque perſonæ, à conſpectu Iudicis vel imperatoris arcentur, ne turpiſſimarum viſu affundat vultus tegit claritatem.*

S. Ambr. in pſ. 118.

Quòd ſi lux illa, illa claritas, quam vel Judici, vel Imperatori aſpreſſit fortuna, impuri vultus umbram non ſuſtinet; qui illam patietur ſempiternus omnium Judex ac Monarcha, qui noſtris aris auguſto bonarum mentium choro circumſeptos ſedet? Non patietur certè, ſed obſcuros illos miniſtellos ac tenebriones, vel è medio tollet, vel eorum de manibus ſeſe expediet; & verò expedivit olim, vel ad rei terrorem ac ſupplicium, vel ad poſterorum exemplum.

De gloriâ Martyr. c. 86.

Memoriæ prodidit Gregorius Turonenſis, impurum Diaconum, argenteam turrim (ſacram videlicet hierotheceam) in qua venerandum Chriſti Corpus claudebatur, de more ad aram extuliſſe, eamque ob cauſam indignatum mundi Servatorem ſe peſſimis illis ac flagitioſis teneri manibus. Ejus autem indignationem teſtatam aſtantibus fecit, ac deinde Orbi univerſo eventus inſolens atque admirandus. Nam ipſa turris evolavit per aëra, & divinitùs ad altare contendit, nudum & inanem relinquens Diaconum, quem pudor & illibatæ vitæ caſtimonia jam antea reliquerat. Adeò purum caſtumque Numen horret ac refugit impudicas manus, pollutamque aliqua libidine mentem.

Sed hæc ratio, inquies, tantum cadit in ſacrorum miniſtros, quos ipſe Ordo Deique ac altarium cultus jubet eſſe puros. Demus aliam quæ omnes.

Petetur hæc ex beneficio Incarnationis Divini Verbi, quia factum eſt ut Deus eſſet homo, & homo Deus; adeóque caro noſtra Dei quodammodo caro, quam noſtris impudicitiis dehoneſtare atque polluere ſcelus eſt numquam ſatis expiandum.

Ne porrò in id ſceleris venirent aliquando Corinthii, ne etiam poſt illos Chriſtiani, urget hoc ipſo argumento D. Paulus:

Neſcitis, inquit, *quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit.* 1. Cor. c. 6. v. 15.

Abſit enimvero, ut caro noſtra meretriciis illis ſordibus inquinetur, ne etiam (quod piæ horrent atque averſantur aures) ipſa quodammodo Chriſti Caro iiſdem ſordibus inquinari videatur; dum ſcilicet aliqua illius membra, hoc eſt nos ipſi, & caro noſtra, ea lue tabóque inficitur; quod uti nobis, ſic & Chriſto probroſum.

Hinc olim ſuos opportunè, & modò nos hortatur S. Ignatius Martyr, *In caſtitate permanete propter* Epiſt. 11. ad *honorem carnis Dominicæ*, quæ noſtra quodammodo Polycarp. caro eſt.

Hinc etiam D. Ambroſius hæc aliquando ad ſuos, & eadem modò è Cœli regia ad nos:

Non contemnamus carnem noſtram, malè & luxurioſè In Symbol. *vivendo, in qua Dominus noſter Chriſtus, & natus, &* c. 22. *paſſus, & reſurrexit. Non deſpiciamus lutum carnis noſtræ, quod in Domini Chriſti Deitate (qui ignis eſt) excoctum, in teſta puriſſima regnat in Cœlo.*

Lutum appellat carnis noſtræ: ex vero enim caro noſtra lutum eſt, & lutum fuiſſet in ævum omne, niſi in *Chriſti Deitate*, ceu igne Divino fuiſſet excoctum, & inde abiiſſet in teſtam puriſſimam, quæ etiam cœleſtis menſæ apponi, & cœleſtibus impleri digna deliciis. Eam porrò teſtam rurſum dehoneſtare, & in priſtinum lutum, unde exceſſit, iterum cogere, profectò & ſummæ turpitudinis eſt, & inſaniæ noſtræ, & in Chriſtum etiam injuriæ.

CAPUT VI.

Sub umbrâ Iuniperi monſtratur inconſtantia & vanitas humani ſolatii.

ALterius arboris umbram habuit Elias, & ſub ea ingemuit. exceperat ille feroces Jezabelis iras, minas, cruces, ferrum, ignes & extrema omnia, quæ fœminæ furentis agitabat inclementia. Quid in iis anguſtiis ageret? Quò ſe flecteret ipſe hoc rerum articulo? Extorris, exul abit quò rapit infeſtus turbo, quò perſecutionis impetus evolvit. Dum fugit: de via feſſus, abjecit ſeſe ſub umbra Juniperi, *& petivit animæ ſuæ ut moreretur.* 3. Reg. 19.

Eſt Juniperus arbor humilis; & parum explicata; ideóque vix umbram facit, & licèt flores habeat apibus gratos, imò etiam medicos; radices tamen alit omninò inſulſas ac inutiles, ejuſque lignum vix alteri uſui eſſe poteſt, niſi ut ex eo conficiantur carbones acerrimi & igniti; quo factum eſt, ut Propheta Regius eos appellarit *Carbones deſolatorios*: *Sagittæ*, inquit, *acutæ cum carbonibus deſolatoriis.* D. Hieronymus vertit, cum *carbonibus Juniperorum.* hinc Iſidorus Juniperum dici voluit à voce Græca, πῦρ, id eſt ignis; quod ignem conceptum diu teneat, ejuſque prunæ modico cinere cooperiæ æſtatem, hyemem, annumque integrum ferant. Qui Juniperi, id eſt, humani ſolatioli umbram quærit, animadvertat ſe eâ vix tegi poſſe: & licèt ab illa floſculum, imò & mellis aliquid medicæque opis leniendo dolori haurire poſſit; Pſal. 119. v. 4.

ſit; ubi tamen ad extremum ventum erit, ubi ad vitæ mortiſque radices, tum illas inutiles, acerbas, noxias damnabit, & ab iis nihil erit reliquum, niſi carbones deſolatorii.

Quos præſaga mente, antequàm accendantur, deſpicit Propheta Jeremias æſtu quodam ſeu doloris, ſeu iræ & indignationis percitus, inclamat: *Male-*
Cap. 14. v. 5. *dictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.* Hæc ubi ſpiritu entheo dixit, tum longam malorum ei homini impendentium ſeriem texit: *Erit enim*, inquit,
Verſ. 6. *quaſi myrica in deſerto: & non videbit, cùm venerit bonum, ſed habitabit in ſiccitate, in deſerto, in terrâ ſalſuginis & inhabitabili.*

Hæc ſumma malorum capita, à quibus audit *maledictus homo*, hebraicè *baggeuer*, id eſt vir, qui virilitatem exuit: verè enim is virum exuiſſe, & poſuiſſe dicendus eſt, *qui confidit in homine*. Hebraica vox *ha adam* vim addit, docétque eum omnino maledictum, qui confidit in *Adam*, hoc eſt, in eo, qui ex *adamâ*, terrâ ruſâ lutóque vili malè fictus & formatus ſit, & *ponit carnem*; hominem, inquam, carneum, fragilem, infirmum, *brachium* roburque *ſuum*. Sedeciam Judæóſque hîc arguit Propheta, ut qui à Deo procul poſiti, imò eo relicto contemptóque, ad vana & abjecta Ægyptiorum auxilia confugerent. quod inſanæ mentis ſcelus hoc fulmine ferit: *maledictus homo*.

Caſtro. Erat antiquis arbor diis inferis devota, in quam omnia prodigia, portenta, fulmina, maledicta incidebant, in quam homines omnem infelicitatem, quaſi in rem execrandam, & Cœlo terriſque infenſam projiciebant, & verbis factiſque imprecabantur. Cùm ea componitur quiſquis confidit in homine; erit enim, inquit Vates, *quaſi myrica*, hebraicè, *arar*, quod Vatablus *Iuniperum* vertit.

Eſt Myrica, teſte Plinio, infelix & religione damnata; tum quia ſterilis eſt & infructuoſa; tum quia deſertis locis innaſcitur; tum quia ambivia eſt; tum denique quia vilis, depreſſa, abjecta: unde Myrica Hebræis ſapientibus ſymbolum fuit hominis abjecti ac proſtituti. Is omni ætate fuit eritque, qui confidit in homine, infœcundus erit & maligna ſterilitate damnatus, vilis erit, abjectus, & à Deo quàm longiſſimè poſitus, quia inſtar myricæ ambiviæ, id eſt dubiæ & inconſtantis fidei fuit, ut qui eam in homine vario & inconſtanti poſuerit.

Quidni enim varium & inconſtantem appellem, qui ad omnes temporum motus ac viciſſitudines ita mutatur, ut qui arriſit fávitque ridente ac ſavente fortuna, eadem adverſa ac reſiſtente adverſetur ac pugnet? Similis ei populo cujus meminit Joſephus.

Iulianus anno mundi 3315. Nominat Scriptura Cutheos, novos Samariæ colonos, quos à Cutho amne nominatos ait idem Joſephus, & à Cutha Perſide regione, à qua Hebræis dicuntur Cuthei, Græcis Samaritæ: qui pro præſenti tempore mutabiles; nam quoties felices Judæos viderent, cognatos ſe eorum appellabant, utpote à Joſepho oriundos, & hac ratione illis ſanguine junctos: quando verò eos in adverſis aſpiciebant, nihil ad ſe pertinere aiebant.

Ejus ferè ingenii eſt reliquum genus omne mortalium; ideóque *verè maledictus homo, qui confidit in homine*, à quo nihil ſtabile, nihil fixum certumque ſibi poteſt polliceri. Senſerat illud D. Auguſtinus
Aug. l. 4 Conf. c. 12 ſuâ quondam experientiâ doctus, ideóque ejus generis ſortiſque homines ita compellabat: *Non eſt requies, ubi quæritis eam: quærite quod quæritis; ſed ibi non eſt quod quæritis. beatam vitam quæritis in regione mortis? Non eſt illic.* Et libro ſexto earumdem Confeſſionum, ingeminat illis intentatque formidandum illud
Lib. 6, c. 16. *Væ*, timendáſque de Cœlo minas: *Væ*, inquit, *animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receſſerit, ſe aliquid melius habituram! Verſa & reverſa in tergum, & in latera, &* *in ventrem, & dura ſunt omnia; & tu ſolus requies es, Domine.*

Hoc nimirum ipſum eſt quod canit Vates: *Bene- Ierem. c. 17.*
dictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia v. 8.
ejus, & erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittet radices ſuas, & non timebit cùm venerit æſtus, & erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum. Hi divinæ beneficentiæ fontes aperiuntur & fluunt iis, qui confidunt in Domino, à quo, quamprimùm jubetur eſſe procul omnis timor.

Ita quàm longiſſimè abfuit à Theodoro Mona- *In vit. Pa-*
cho, cujus ex voces dignæ poſteris: *Si Cœlum terræ trum. l. 7.*
adhæreat, Theodorus non formidat. quî enim formidet *c. 76.*
qui confidit in Domino, qui in ejus Providentia, ceu ſinu, imò & corde veluti conquieſcit.

Epiſcopus unus aliquis ſibi in muneris ſui teſſe-
ram ac ſymbolum aſſumpſit Cor, latum illud ac pa- *Petr. d'Oul-*
tens, in cujus medio ovicula dormiebat. Subjecta *treman l. 5.*
erat hæc epigraphe: *Cubiculum gregis.* Nimirum *c. 2. ſect. 2.*
in corde, hoc eſt in amore curáque ſui Paſtoris, ceu cubiculo, ceu etiam lectulo, molliter quieſcat ſecuréque dormit ovicula? Ubi enim molliùs? Ubi ſecuriùs?

Sic & in Dei ſui corde, hoc eſt amore ſuavique Providentia, benè latet, benè quieſcit animus, & hominum genus omne. Si enim de Iſraelitis verum
illud Davidis. *Pavit eos in innocentia cordis ſui*; hinc *Pſal. 77.*
eſt in corde puro, amore innoxio rectóque, qui ſcilicet non oviculæ vellus quærit, aut carnem; ſed purum putumque ipſius bonum ac ſalutem. Si, inquam, verum illud de Iſraelitis, populo duræ cervicis, Deo Superiſque rebellis: multò magis de Chriſtianis, quos verè jam inde à naſcente Eccleſia pavit Deus in innocentia cordis ſui, paſcetque in ævum omne. Ut proinde in eo corde, ceu lectulo, cubare ac quieſcere debeant. Ubi enim potiùs?

Domitianus Imperator Jovi cuſtodi templum in- *Sueton. in*
gens olim erexit, ſeque ibidem in ſinu Dei ſacravit, *Domitiano.*
vel ea eo tantùm, quòd ſe in Vitelliana ſeditione ab hoſtium furore incolumem conſervaſſet.

Quod Domitianus ex vana ſuperſtitione, hoc Chriſtianus ex vera religione ſibi faciat. Deo cuſtodi templum erigat, ſeque in medio ejus ſinu collocet: ibi tutus erit, ibi ſecurus. Et hoc primum ab hac fiducia beneficium.

Alterum eſt perennis humor, qui animæ radices alluit; ſpes ejus omnes alit cœleſti rore, nec unquam aut emarceſcere aut ſterileſcere patitur. Ita factum olim cum Abbate Appolline, qui eâ ſpe nixus; cùm in pauperes effuſus eſſet & ferè prodigus, in ſummâ annonæ caritate vidit ab ignotis ſibi ſuiſque ſuppeditari cibos, non eos tantùm, qui neceſſitati ſervirent; verùm etiam qui deliciis: quales erant uvæ, mala punica, ficus, & ejus generis fructus, quos un non ferebat Ægyptus, ita ſingularis in Deum fiducia afferebat.

Ita factum cum S. Adelardo Abbate Corbeienſi,
qui cùm prodiga quadam in egenos liberalitate effu- *Bollandus*
diſſet quidquid in Monſterio erat annonæ, eóque à *11. Ian. in*
ſuis etiam malè audiret, imò & acrioribus verbis ac *ejus vita.*
dicteriis impeteretur, derepentè conſpexit pro foribus duo plauſtra, non equorum, non boum miniſterio advecta; ſed Angelico, ſed Divino, è quibus unum caſeis onuſtum erat, piſcibus alterum.

Sic indulgens Deus illis providet, qui in eo ſpes omnes ſuas, omneque ſolatium reponunt; non autem in homine, in quo & ſpes plerum uevanæ, & inane ſolatium.

CAPUT VII.

Sub umbrâ Nabuchodonoſor & Baltaſſar, aperitur inconſtans Regum gratia & noxius aulæ favor.

GEMEBAT Iſraël in acerbâ longâque ſervitute: gravibus angebatur curis, duriſque laboribus exercebatur: ut iis ſolatium afferret Propheta Baruch, hæc brevi Epiſtolæ inſeruit verba: *Vivamus ſub*
Cap. 1. *umbrâ Nabuchodonoſor, Regis Babylonis, & ſub umbrâ Balthaſſar filii ejus.*

Hoc fuit Prophetæ votum, quo diu frui non licuit. Cùm enim à ſuâ potentiâ inſoleſceret Nabuchodonoſor, Cœlumque ac Superos omnes ſceleribus ſuis fatigaret; oblata per ſomnium & noctis imaginem arbor procera, quæ alto vertice Cœlum petebat: folia ejus pulcherrima fructuſque nimius: umbra verò tanta, quæ probè Orbem tegeret univerſum. Dum hanc ſpeciem oculis & animo hau-
Dan. c. 4. rit: *Ecce vigil & ſanctus de Cælo deſcendit, & clamavit: Succidite arborem & præcidite ramos ejus, & fugiant beſtiæ quæ ſubter eam ſunt.* Ita porrò factum eſt: ſuccifus Nabuchodonoſor, & à regiâ in ſaltus, ab homine in feram abiit. Ecce futiles & inanes umbras hujus arboris.

Neque verò meliores filii ejus Baltaſſar: *Fuit mali corvi malum ovum*, & à malo parente peſſimus filius: hæres, inquam, fuit, non tantùm ſceptri, purpuræ, dominatus; ſed etiam elationis & ſuperbiæ malus æmulator: ab illa ſibi Cœlis evocavit eduxitque ultricem manum, quæ tres ei voculas inſcripſit, indices futuræ cladis & funeſtæ mortis notas; audiit enim: *Mane: numeravit Deus regnum tuum. Thecel: appenſus es in ſtaterâ, & inventus es minus habens. Phares: diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Hæ voculæ ſub primas tenebras inſcriptæ, & eadem nocte Rex improbus interfectus eſt. Itaque ſuccifa ruit utraque arbor, ſub qua benè vivere lateréque Judæos volebat Propheta: adeò breves, incertæ & inanes erant umbræ, quæ ab illis petebantur.

Sed erit aliquis, qui ut concedat umbras illas & futiles & omnis boni vacuas fuiſſe, negabit tamen de Regibus aliis regniſque idem eſſe judicium. Quiſquis ille eſt, pedem animumque ſiſtat; ab uno Nabuchodonoſoris ſomnio de cæteris facilis erit conjectura.

Voluit illi Deus objicere quatuor Orbis Imperia: ea porrò objecit in ſomnis, & ludicra noctis nova imagine. Statua fuit ſtupendæ, & portentoſæ molis, cujus caput aureum, pectus & brachia argentea, femora ærea, tibiæ ferreæ, pedum pars ferrea, pars fictilis. Hæc fuit Regnorum ſpecies & imago, impreſſa menti ſomniantis: objecit illi auri fulgorem & pretium, argenti nitorem & lucem, æris, ac ferri robur, & in iis expreſſam imaginem quatuor imperiorum toto Orbe florentiſſimorum; videlicet, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum, ſub quibus Univerſi moles ingemuit. At cur, inquies, in ſomnis & inani noctis novo ſimulachro? Hoc à te pridem quæſitum volui, ut ex eo diſceres, quò tandem evadat omnis illa humani faſtus inſolentia.

Ubi nocte concubiâ ſopitis altè ſenſibus aberravit phantaſia, ſibique finxit imperia, ſceptra, coronas, opes gazaſque regias; ubi, inquam, ad noctis unius imaginem, & vana ſomniorum deliria, ita ſibi illuſit animus. Orto jam Sole, excuſſo jam ſomno, videt inanes fuiſſe ſopitæ mentis typos, ſpes vacuas, inſana deliria, quæ tum miratur, ridet, deſpicit. Quod in ſomno, hoc in omni vitâ, ſive tegatur illa niteatque ſub purpurâ, ſive lateat gematque ſub vili lacernâ, ſomnium eſt.

Et ne mihi uni credendum putes, audi de regiâ *Oſee c. 10. v. 6.*
vitâ vaticinantem Oſeam: *Sicut manè tranſiit, ita pertranſiit Rex Iſraël*: nihil amœnius, nihil jucundius aurorâ matutinâ; ab eâ terra Cœlumque ridet: explicantur flores, gemmant arbores, renident prata, aëráque ſuavi concentu demulcent aviculæ, ut nihil ad oculorum amœnitatem, ad aurium illecebras requiri poſſe videatur: at mox, eminente Sole, adultâ jam calentique die, flores areſcere, marceſcere arbores, flaveſcere prata, obmuteſcere volucres, & uno Solis occaſu omnia quodammodò occidere. Habes in unâ luce ſplendorem omnem lucemque regiæ vitæ: cum eo diſcrimine, quod manè tranſeat, ac revertatur tamen; Rex verò tranſeat, nec unquam revertatur: quod ipſum doctè obſervavit Rupertus: *Citò manè tranſit, verumtamen revertitur: Rex autem Iſraël non revertetur ampliùs.*

Ut perennem illum regiæ mensæ favoriſque fluxum exprimat Scriptura, eum componit cum aquâ præterfluente, imò cum aquæ ſpumâ: quæ, utpote levior, ei ſupernatat. Femina illa Thecuitis, ut Davidem Regem ſuæ ſortis admoneret, ita
quondam ad illum: *Omnes morimur, & quaſi aquæ de-* *2 Reg. c. 14. v. 14.*
labimur in terram, quæ non revertuntur.

Vitam ejus omnem vitæque modum aquæ ſimilem eſſe pronuntiat: tum quia & facilè labitur aqua, & rarò, imò numquam, ubi ſemel effluxit, revocatur: tum quia quò arctiùs ſtringitur, eò citiùs elabitur.

Ita ſe habet omnis Regum favor ac gratia: fluxa eſt & mutabilis, & à te in alium effluit ubi vel maximè eam te tenere putabis.

Quemadmodum aqua, inquit Euſebius, *manibus hauſta, tantò citiùs defluit: ſic mutabilia cuncta, quantò magis ratio perſequitur, tantò magis amittit.*

Quidni enim amittat, cùm inſtar ſpumæ levioris, qualibet aurâ ventóque unà cum mecœnate ſuo circumferantur. *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum*
quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ, inquiebat olim Oſeas *Oſee c. 10. v. 7.*
Propheta.

Quid inconſtantius, quid levius, quid inanius ſpumâ gracili, quæ ſummis undis fluitat, & aquæ & venti facta ludibrium? Si in toto aquæ elemento nihil illâ levius & inanius eſt; fatendum quoque in hac univerſi facie, hoc vitæ quo jactamur elemento, nihil eſſe mutabilius aurâ regiâ Principumque virorum favoribus. Si enim hi ex Scripturæ fide atque oraculis ſunt ſpuma gracilis, quæ fortunæ beneficio aquis, id eſt, populis eminet, quid ab illis exſpectes, niſi levioris ſpumæ inanes ludicraſque reliquias? ſi,
ut canit Regius Pſaltes, *Defecerunt in vanitate dies eo-* *Pſal. 77.*
rum; hoc eſt, ut Thalmudici vertunt, *in oris flatu.* ſi
Deus pertæſus & impatiens illius vanitatis, *Repentè*,
ut inquit Iſaias, *flavit in eos, & aruerunt, & turbo* *Iſa. c. 40. v. 24.*
quaſi ſtipulam auferet eos.

Si deficiunt *quaſi plantatio roſæ in Iericho*, quæ quidem ſuaviſſimè olet, ſed citiſſimè marceſcit vitio & malignitate ſoli Jerichuntini, iſt eſt inconſtantiæ, cui inſita eſt. Si, inquam, ita deficiunt Reges in purpura ſceptróque quo nitent, in unguentis à quibus non benè ſemper olent; neceſſum eſt, ut quod ab illis in cæteros mortales gratiæ & favoris derivatur, agitetur ut ſpuma, evaneſcat ut flatus oris, jactetur ut ſtipula, quæ tenuis auræ ludus eſt, & pabulum ignis. Quamquam parum eſſet ita jactari ut inde fortunis & corpori malum eſſet, niſi etiam & animo gravius malum incumberet. At certè incumbit. Sæpiùs enim ſub illa Regum ac Principum in aulis umbra remittitur ille calor, æſtus ille concepti in JESUM amoris; occidit autem aurea illa lux, quæ ortu ſuo omnes ab animo tenebras expulerat, & nihil omnino relinquitur præter ingens frigus, & ſtupidæ mentis torpor, excœcatoque illius oculo mera caligo ac tenebræ.

Teſtis erit vel ipſe Apoſtolorum Princeps & prima na-

Ioan. 18. v. 18. monaſcentis Eccleſiæ columna Divus Petrus. Quid illi à Pontificis aula? Nihil niſi frigus: *Frigus mentis, non corporis. Frigus erat, & calefaciebat ſe.* In Luc. c. 22. *Si tempus conſideremus*, inquit Ambroſius, *frigus eſſe non poterat; ſed frigus erat ubi IESVS non agnoſcebatur, ubi non erat qui lucem videret, ubi negabatur ignis conſumens.* Hæc ubi extulit S. Præſul, tum conficit: *Frigus ergo erat mentis, non corporis.*

Et hoc primum ab Aulæ umbra malum eſt, quod excipit etiam alterum longè graviſſimum; vita ſcilicet quam aliis donas, & mors quam tibi ſervas. Quod opportuna ſimilitudine declarat B. Petrus Damianus, ubi Monachum, qui in aula degit, compoſuit cum piſce, qui ex aquis eductus eſt.

Juvat illum audire; ſic enim ad Monachum, quem ab aula vellet eſſe procul: *Errat Pater, errat, quicunque ſe ſimul & Monachum eſſe & Curiæ deſervire: unde* Epiſt. 18. *erutus ſanus eſt piſcis: non ut ſibi vivat, ſed ut alios paſcat.*

Et hoc piſci malum eſt, quod etiam Monacho; pergit enim pius Præſul, & ait: *Vocamur è Monaſterio veluti piſcis è ſuo elemento: imò & ad aulam attrahimur; ſed ut aliis vivamus, moriamur nobis.* An non ingens illud ac portentoſum malum? Enimvero tale eſt; atque ejuſmodi, unde (ut alia ſimilitudine cum D. Bernardo utar) Religioſi, qui in Eccleſiæ ædificio erant veluti *lapides ſanctuarii*, diſpergantur in capite omnium platearum, hoc eſt viles fiant atque abjecti. At unde, inquies, diſperſi? Inde certè, unde à Monaſterii ſeceſſu ac ſilentio, ad aulæ ſtrepitum & clamores: Unde à ſole lucéque religioſæ vitæ ad umbram vanitatis. Ut enim ejuſdem S. Præſulis verbis utar: Tract. de modo bene viv. ſer. 66.

Lapides ſunt diſperſi, quando viri religioſi plus deſiderant in palatio verſari, quàm intra clauſtrum Monaſterii commorari.

LIBER TERTIVS.

VIA VITÆ

SUB UMBRA

SANCTÆ CRUCIS.

SITNE bona maláve arbor, è duobus maximè dignoſci poteſt: primùm ex umbrâ, deinde ex fructu; nec enim arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos parere unquam poteſt: idcóque de umbrâ mihi prima quæſtio, à quâ gradum faciam ad alteram, quæ fructus uberrimos explicabit. Prius tamen quàm illius umbræ me ſubjiciam, videndum quæ fuerit illa Crucis arbor, quæ in Calvariæ vertice quondam aſſurrexit, tulitque fructus gratiæ ac beatitatis. D. Bernardus ſermone de fructu vitis noſtræ, id eſt Crucifixi, cenſet creditque Crucem è quatuor lignis fuiſſe compactam: Serm. 46. *Cedro, Cupreſſo, Palmâ, Olivâ*: juvat illum audire de hoc argumento non minùs doctâ, quàm melleâ & ſuavi eloquentiâ diſſerentem:

De quatuor generibus arborum Crux facta fuiſſe refertur: de Cupreſſo, Cedro, Palmâ, Olivâ. Cupreſſus in profundo, Cedrus in longo, Oliva in alto, Palma in latu. Unde dicit Apoſtolus, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, ſublimitas, longitudo & profundum. Habent autem horum lignorum ſingula ſuas myſticas ſignificationes, ſecundùm naturas ſuas: Ephes. c. 3.

Cupreſſus enim timorem, ſive humilitatem ſignificat, ubi eſt radix Crucis, per quam non ſolùm ſitus humilis, ſed natura ejus exprimitur: Quia, ut dicitur, fugat ſerpentes odore, id eſt diabolos, quorum proprius character ſuperbia ab humilitatis virtute fugatur.

Cedrus arbor longitudine præſtans aliis arboribus, longitudinem Crucis, id eſt perſeverantiam ſignificat, ſive patientiam: naturali enim ſuâ virtute approbatur, quia eſt valdè durabilis, & corrumpi ex naturâ non poteſt.

Oliva verò arbor oleum effundens, per quam miſericordiæ opera ſignificantur, charitatem ſignificat: quæ arbor benè latitudinem habet Crucis, quia lata eſt charitas, quæ etiam ad inimicos extendi præcipitur.

Palma porrò victoriam ſignificans, altitudinem Crucis optimè ſignificat, ſpem de ſupernis habendam, non ad infima deprimendam.

Hactenus D. Bernardus, cum quo ferè ſentit Gloſſa in Clementinâ de Summâ Trinitate, citatque ad faciendam fidem è veterum monumentis hos verſus:

Ligna Crucis Palma, Cedrus, Cupreſſus, Oliva.
Pes Crucis eſt Cedrus, corpus tenet alta Cupreſſus,
Palma manus retinet, titulo lætatur Oliva.

Quòd ſi ea fuit fabrica Crucis, nemo temerè & caſu aliquo factam putet; ſed certo conſilio ac divinâ Providentiâ, quæ ſub hoc illóve cortice ſecretiores ſapientiæ ſuæ rationes latêre voluit: quas inveſtigare ac recludere mortali ſi fas eſt, eas primùm è naturâ iſtarum arborum, deinde è Scripturis & Sanctis Patribus eruemus, atque in Crucis umbram fructuſque transferemus.

CAPUT PRIMUM.

Umbra Crucis, eſt umbra Cedri.

DUm audis umbram Crucis & dici & verò etiam eſſe umbram Cedri, ne tibi finge ſuperbas illas & inſolentes Cedros, cum quibus Propheta impios componit dum ait: *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut Cedros Libani, & tranſivi, & ecce non erat, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.* Ps. 36. v. 35. Néve illas puteſeſſe Cedros, quæ ſe tantùm in floſculos explicant, nec unquam exeunt in fructus: nec Plin. l. 13. c. 5. has nec illas amat coliſtque Cœlum; ſed potiùs quà licet odit, ſeſéque in earum cladem ac ruinam effundit. Ubi gravida, fœtaque nubes ignem conceperit, ubi latente flammâ incaluerit, ex illâ ſonabit tonabitque iratum Numen, *Et vox Domini confringentis Cedros.* utique Cedros elatas, & à fructibus vacuas.

At ſi quæ procero licèt vertice, & comante jugo, Cœlo tamen Superiſque ſeſe ſubmittat, & in alta fortuna humiles gerat animos; ſi quæ fructus amet ac fundat, etſi à fronde floréque nuda fuerit, eam tamen ſibi Cœlóque eriget & tollet Deus: imò verò jam ſibi tulit & erexit ipſa Dei ſapientia, quæ in hoc uno gaudet, quod *quaſi Cedrus exaltata ſit in Libano.* Eccli. c. 24. v. 17. Ubi ſeſe in terra ademiſit, ubi hominem Deus induit, exaltari voluit & in Cedrum erigi. Quæ ſit illa quæris?

Non

Non Libani, ſed Calvariæ Cedrus eſt: eſt elata Crux Chriſti, quæ ex verò Cedrus fuit, & nihilominus quàm elata Cedrus. E Cedro quondam fuit Noëmi domus & arca; è Cedro arca fœderis, ferculum Salomonis. ex quâ enim arbore potiùs? Eſt Cedrus æviterna, nec corruptionem, nec cariem, nec alia lignorum vitia patitur; ideoque fuit olim eritque in ſæcula ſymbolum æternitatis.

Tua appello Noëme tempora: cùm nihil eſſet niſi pontus & æther, cùm nulla terræ facies, nullus Orbis emineret, cùm innatarent aquis urbes & orbes, totóque mors fuſa vinceret & regnaret elemento; exiguas vitæ reliquias vehebat arca, eáque Cedrus erat, ut jam inde noſſes à Cedro vitam, lucem, animam exigendam. Quod Orbis infantiæ, quod primæ ætati Cedrus tulit, hoc ſeneſcenti mundo hoc poſteræ ætati Crux dabit, & certè etiamnum dedit.

Crux arca fuit; ampliùs dico, & pluſquàm arca, quæ etiam morte profundâ merſos vitæ tamen Cœlóque reddidit. Ambroſium audi, ut ſolet, elatè, doctè & piè de filio viduæ Naim, qui defunctus efferebatur, ita habet: *Spem habebat reſurgendi, quia*

L. 5. Comm. in Luc. c. 7.

ferebatur in ligno. Quo, inquies *ligno? Sterili, arida, exſucco. quod expers vita ad vitam conferre non poterat: At ubi illud vel manu tetigit JESUS, eum verà prodeſſe cœpit ad vitam. Quòd ſi vel una Chriſti manu attactu levi eam vim iſti ligno apprimere potuit; quam non poterit ipſi Cruci, cui non una manus, non pes unus, ſed ipſum quantum quantum eſt corpus inſertum potuit?*

Dabit enimverò, dabit ipſi Cruci meliora vitæ, purioris animæ ſpiritus, quos emittere, expirare poterit vel ipſa, ſi voles, Cedri & Crucis umbra, ut

Thren. c. 4. v. 20.

verum ſit illud Jeremiæ: *In umbrâ tuâ vivemus.* & hoc Iſaiæ: *Secundùm dies ligni*, id eſt Crucis, *erunt*

Cap. 65. v. 22.

dies populi mei; dies, inquam, æterni.

Neque tantùm vitæ, ſed & fœderi ſerviet illa Cedrus & Crucis umbra. Cœlum inter & terram, Deum inter & homines, grave & diuturnum bellum interceſſerat; cui cauſam dederant violata per ſummum nefas divinæ Legis jura pactaque: ut ab illo bellorum æſtu, & armorum turbine benignior aliqua pacis aura aſpiraret, neceſſum fuit è Cedro, è lignis Sethim arcam extrui, Crucem erigi.

Ea teſtimonii, ea divini fœderis arca fuit, & longè melior quàm arca, quæ non inſcriptas legis tabulas, non dura marmora caperet; ſed ipſum legis Auctorem, & cereum molléque pectus ſuo ſinu, ſuis brachiis complecteretur. Ita porrò factum amo & gaudeo, Servator optime: veniſti in eam arcam, eáque non claudi & latère voluiſti; ſed quò firmiùs hæreres, etiam affigi; quò altiùs conſpici poſſes, eminère, ut cùm in hominum oculos incurriſſes, etiam in amores & delicias incurreres: & certè quidni incurras è Cruce & novi Salomonis ferculo: *Ferculum*

Cant. c. 3. v. 9.

olim *ſibi fecit Rex Salomon de lignis Libani; columnas ejus fecit argenteas; reclinatorium ejus aureum; aſcenſum purpureum media conſtravit charitate, propter filias Jeruſalem.*

Fuit illud ferculum, ut nonnullis placet, lectus geſtatorius; fuit aliis triumphalis currus; aliis denique geſtamen pompaticum, quo in triumphis detracta ab hoſtibus ſpolia, coronæ, aliáque victoriæ ſigna & oſtenta deferri mos erat. ut ut ſit, inſtituto meo parùm intereſt: quod olim Salomoni ferculum, hoc Servatori Crux fuit.

Ferculum fuit, ac veluti lectus geſtatorius, in quo reſupinus jacuit, non ut delicatuli ſolent in levi plumâ mollique anſere; ſed ut fortes, in arduo, gravi duróque Crucis thoro ac cubili.

Ferculum fuit, & currus triumphalis, è quo de rebelli ſtyge, de tartareis legionibus triumphum egit,

Ad Coloſſ. c. 2. v. 14.

Delens quod adverſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci, expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.

Ferculum fuit & quaſi geſtamen pompaticum, quo erepta de tenebris, de inferno, animarum ſpolia & luci & Cœlo reddidit, Patrique Æterno velut nobiles hoſtium exuvias appendit.

Ejus ferculi columnas fecit argenteas, ubi Virginem Matrem, ubi Joannem diſcipulum hinc atque hinc ſtare ad Crucem voluit, ut & fulcra quodammodò forent, & decori ac ornamento; ideoque & columnas & argenteas eſſe voluit: ab inſitâ vi, & animi robore columnas; à candore mentis, à luce caſtitatis, argenteas. Steterunt illæ ſub umbrâ Cedri & Crucis, licèt graviùs incumberet triſtitiæ doloriſque moles; licèt propè fractus illaberetur Orbis, ſteterunt tamen infractæ.

Quòd ſi tibi non tantùm eſt animi, ut inſtar columnæ ſub Cruce conſiſtas: at ſaltem inſtar levioris paſſerculi teipſe è terris erige, te Cruci redde, & in eâ ſedem nidumque pone: in eâ quippe *Saturabuntur*

Pſal. 103. v. 16.

ligna campi, & Cedri Libani, quas plantavit: illic paſſeres nidificabunt. Sive terris adrepas, & in humili ſorte modicum aſſurgas, ut ſolent ligna campi, ſive in altiore fortunâ te ipſe erigas & Cœlo tollas, ut in montibus Cedri Libani.

Crucem habe, Crucem ama, in quâ ut paſſerculus aliquis nidifices, ovis incubes ſanctarum cogitationum, & pullos excludas bonorum operum: quod

Verſ. 17.

ut facias, exemplo ſuo monet Chriſtus, *Cujus Herodii domus, dux eſt eorùm* paſſerculorum. Eſt Herodius dux ipſe gregis, & paſſerculorum anteſignanus, quos pernici alioque volatu docet aucupum laqueos doloſque fallere, tranſvolare & nidulo ſuo liberos reſtitui. Et tibi Herodii, id eſt, Chriſti domus, ſedes, nidulus, Crux ipſa dux eſſe debet, ut aucupum retia & mali dæmonis artes evites.

Quòd ſi nec tibi adeò erecta mens eſt, nec *alarum*, id eſt altæ contemplationis, eſt remigium; ne tamen

Ibid. v. 18.

adeò ſpes omnes & animos abjice: *Sunt montes excelſi cervis, & petra refugium herinaceis*: altos illos & cœleſtes montes, & ar[illegible] divinarum contemplationum juga, aliis relinque [illegible] inſtar herinacei, cùm à tuo ſcelere ſis totus aſper, totus hiſpidus, pro refugio petram habe, ingredere in petram & abſcondere in foſsâ humo. Petra Chriſtus; foſſa humus, aperta & hiantia vulnera: ibi inſtar timidæ, & fugacis columbæ

Cant. c. 2. v. 14.

latitabis, & nidum pones, *Eſt enim columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ.*

CAPUT II.

Umbra Crucis, umbra Olivæ.

POetæ noſtri in doctas fabulas & ingenioſa commenta faciles ac fœcundi, finxerunt, olim de dignitate litem fuiſſe Neptunum inter & Minervam. Suas ille jactabat aquas & ſuperbos ac inſolentes maris æſtus, quos temperabat. Hæc oleum, quod invenerat, & liberali caſtáque manu fundebat. Ubi cœleſtium in foro lis ea fuit, ubi validis hinc atque hinc argumentis agitata, ubi ſuo rationum pondere ac momentis ſatis ſuperque ventilata quæſtio; tandem pro Minervâ oleoque ſententia fuit. Et meritò: licèt enim humanis uſibus multa invehant & importent aquæ; at metuendos habent æſtus, fœdas tempeſtates, frequentia naufragia; ideóque motuum, bellorum irarumque oſtenta ſunt: at Oliva quietis

Pelderam. de ſandis.

pacis que eſt ſymbolum. Imò verò, quod mireris & ames, tumentes aquæ, efferventia maria, affuſo oleo ſubſidere, remitti & miteſcere ſolent. Ita vel ipſâ naturæ propenſione, oleo cedunt aquæ, & commota vehementiùs elementa temperantur.

Si è fabulis & ipſo naturæ ſenſu aliquid in rem noſtram mutuari licet, ex vero dicam, hoc Chriſto, nobiſque fuiſſe Crucem, quod Oliva Palladi cæteriſ-

que

que eſſe potuit. Fuit Oliva ſacrata Palladi. cui enim potiùs? Pallas virgo fuit, & olea virgines amat, virginumque manu contrectari gaudet, quò fit ut apud Anazarbas Lybiæ populos feliciùs ea vivat, quæ virginum tantùm manu contrectatur. Et Chriſtus virgo fuit, qui nec in Cœlis matrem, nec in terris patrem invenit; oleam ille redamavit, ſibique erexit in titulum Crucis, ut in eo pacem legeres, & pacis nomen ſuave, amabile, auguſtum, divinum JESU
Cant. c. 1. v. 2 nomen, quod in Olivâ ſcribi debuit; *Oleum enim effuſum nomen tuum*: Et *Olivam uberem, fructiferam,*
Ierem. c. 11. v. 16. *ſpecioſam vocavit Dominus nomen tuum.*

Eſt Oliva pacis & concordiæ ſignum: eam extulit columba Noemo ab aquis redux, eam efferunt Caduceatores, qui pacem ſequuntur & ambiunt: eam denique Chriſtus in Crucem evexit, qui terram cum Cœlo, Patrem Æternum cum abjecto homine componere venerat, æviterno pacis fœdere, à quo ſubſidere conquieſcereque debuerunt omnes iratum
Pierius l. 53. æſtus, & aquarum Cœlique tonantis minæ. Iras enim damnat & abjicit Oliva, ideóque acerbas & lividas quercus, irati tumentiſque animi ſymbola, adeò fugit & averſatur, ut ſi eodem, quo illæ fuerint loco, conſeratur, illicò defluat & exareſcat. ità graves quercum inter & Olivam inimicitiæ intercedunt.

Erat omninò quod timerent, quod ulularent quercus Baſan, hoc eſt, infelices animæ peccatis obrutæ, dum ſeſe adverſo fulmine peti viderent: erat quod odiſſet & horreret averſis cœlo terra; quæ non alias jactabat arbores, quàm quercus Baſan, & ſigna iræ vindicis. At ubi virgineâ Chriſti manu, terris noſtris, & ruenti ſolo inſita eſt Oliva, ubi in ipſo Calvariæ vertice erecta, & plantata Crucis arbor, tum verò ſuccreſcere cœpit, & germinare, & alto culmine legi pacis nomen & omen amabile; tum ſeſe fundere & effundere cœpit divina miſeratio; cujus indicio Oliva fuit & argumento.

Valet hoc ad leniendos & ſedandos dolorum æſtus: teſtis ille, qui ubi deſcendit de Jeruſalem in Jericho,
Luc. c. 10. incidit in latrones, à quibus primùm exutus veſte, deinde ferro petitus & multis vulneribus confoſſus, cruentam vomebat animam, vixque corpori hærentem continebat: neque verò continuiſſet, niſi affuiſſet unus aliquis Samaritanus, qui & miſericordiâ moveretur, & erectum miſellum hominem jumento imponeret, duceret in ſtabulum & hianti vulneri vinum & oleum infunderet.

Quod illi Samaritanus, hoc Chriſtus peccatori: eſt ille *homo quidam*, eſt anonymus: quiſquis enim peccat, proprium & illuſtre Filii Dei nomen exuit, & induit abjectum illud anonymum malè ominatum, *homo quidam*, qui nec terris, nec Cœlo nomen habet: deſcendit ille ab Jeruſalem, id eſt à pace bonæ mentis, in Jericho, quod confuſionem ſonat, & chaos agitatæ conſcientiæ: à quâ dum errat, incidit in latrones: ſeu eos eſſe velis perditos & profligatæ vitæ ſocios; ſeu mavis eſſe malos dæmones; ſeu denique vitia ac ſcelera depravatæ mentis, à quibus exuitur ſtolâ gratiæ, & multis affectus vulneribus, infelicem & vix benè ſpirantem trahit animam: & verò jam expirantem Stygi redderet, niſi opportunè afforet noſter ille Samaritanus, qui pro eâ, quâ eſt in miſellos & afflictos, miſeratione, et de Cruce ceu vite vinum exprimeret, de Cruce, ceu Olivâ bonitatis & indulgentiæ oleum affunderet, & à vino & ab oleo medelam vulneri, hoc eſt peccato, faceret.

Hoc nimirum eſt oleum, hoc unguentum *in capite*,
Pſal. 132. v. 2. puta divinitate, *quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*, id eſt Chriſti Summi Sacerdotis *quod deſcendit in oram veſtimenti ejus* miſellos ac gratiæ inopes intellige, qui inſtar oræ & limbi veſtimentorum Chriſti defluum miſerationis illius oleum excipiunt, eóque probè tincti & imbuti, diligunt juſtitiam & odio habent iniquitatem: ejus exemplo, cui dicitur,

Dilexiſti Iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et *Pſal. 44. v. 8.*
verò oleo lætitiæ & exultationis ungi potuit is, qui cum Magdalenâ audit illud: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.*

Orientalibus olim illud in more poſitum, ut in die lætitiæ, die thalami & nuptiarum, ſeſe oleo perfunderent ac delinirent; tum ut ſuavem expirarent odorem, tum ut graves auras & immundos cordium ſpiritus extinguerent.

Habet enim unguentum quod Græcis μύρον dicitur, *D. Hilar.*
id eſt ſingulare, ut eas cordis ac pulmonum exhalationes graveſque fumos extinguat ac diſſipet. Imò vultures ac ſcarabæos ejus tantùm afflatu ac odore perimi & perire tradunt naturæ peritiores.

Quæ Chriſto morienti quæ Cruci affixo dies fuit, fuit illa cœleſtis thalami, amoris fuit & nuptiarum
dies: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem* *Cant. 3. v. 11.*
in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

Si corpus à vulnere lacerum, à multo ſanguine cruentum, à clavis & lanceâ patens atque apertum inſpicias; fuit illa dies luctus ac mœroris: at ſi cordis æſtus, ſi amoris impetus, & ab illo colliqueſcentis animi motus attendas; dies omninò fuit deſponſationis ac lætitiæ: idcóque oleo tingi & probè imbui debuit, tum ut ſuaveolentes afflaret divinæ Bonitatis auras, tum ut impuros humani cordis halitus ſopiret, & putidos illos vitiatæ mentis ſcarabæos extingueret.

Et certè jam extinxit à Cruce, ab Olivâ, ut verum *Cap. 14. v. 7.*
ſit illud Oſeæ: *Ibunt rami ejus, & erit quaſi Oliva gloria ejus.* In aëra, in auras, in Soles, in ipſam æternitatem ibunt rami Crucis, & erit gloria ejus quaſi Oliva
pacis, lætitiæ, miſerationis, à quâ nos ipſi erimus *Zachar. 4. v. 14.*
Filii olei, & ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ ejus. *Pſal. 127. v. 3.*
Verè novellæ olivarum bonæ caſtæque mentis, quæ inſtar oleæ virginis, aliarum arborum inſitionem non admittunt; ſed ſuis ramis, ſuis fructibus vacant, nec vitalem ſuccum, aliis quàm ſuis ſubmiſtrant. nos Superi Deuſque tales olivas velit & amet.

CAPUT III.

Umbra Crucis, umbra Palmæ.

De Phœnice multi multa: in quibus & illud facilè princeps, quod Palmam amet, & ab eâ ſibi fortè nomen famamque faciat: è quâ manavit illa homonomia Græci nominis φοῖνιξ, quod & Phœnicem volucrem, & Palmam arborem ſignificat: ex hac nominis cognatione, naturæ quoque affectio quædam emanare potuit atque ex illâ fieri, ut in Palmâ ſibi nidum ſepulchrumque Phœnix conficiat. de quo Lactantius:

Tum legit aëria ſublimem vertice palmam,
Vitalique toro membra quieta locat.
Conſtruit illa ſibi ſeu nidum, ſive ſepulchrum,
Depoſiti tanti nec timet illa fidem.

Qui enim à Palmâ ſibi timeat, quì de ejus fide metuet, quam ſibi ab inſito naturæ genio affinem & quaſi cognatam eſſe ſenſerit? Emoritur illa, & ex ſeipſâ vivit ac renaſcitur: & à ſeipſo ſuoque cinere prodit redivivus Phœnix, & in ſeros annos emittitur; ideóque palmam amat & quærit, in quâ ſibi & mortis & novæ vitæ ſedem inveniat.

Si mihi liceat ima ſummis componere, dicam, & ex vero dicam, è terrâ virgine natum eſſe Phœnicem alium; è Maria progenitum eſſe Chriſtum, qui ut viam ſibi faceret à morte ad vitam, in palmam aſcendit, in Crucem evaſit, & in eâ ſibi nidum poſuit, in quo non tam doloris, quàm amoris æſtu ita conflagravit, ut ſeu dolori, ſeu amori cederet vitâque excederet; ita tamen exceſſit, ut ab ea renaſci datum ſit ac reviviſcere: non dico mortales in auras ſoleſque

perituros, ſed in vitam immortalem, in regnum, iu lauros, in triomphos, in beatam Æternitatem. Hæc enim omnia ab una Cruce ceu Palmâ nobili pullulare potuerunt.

Eſt Palma ſymbolom victoriæ; eóque triumphantibus offerri ſolitæ victrices palmæ, & toga palmis intexta: binc illud Sidonii: *Poſt palmam palmata venit.* hine Martyrum ſepulchris appingi inſculpíque palmæ, indices roboris, teſtes victoriæ. Hujus illiusque argumentom in eo habes, quòd Palma nec oneri cedat, nec hyeme aut Aquilone marceſcat; ſed aſſurgat magis & vireſcat. Illud naturæ dabis; miraculo autem quod hîc ſubjicio.

Veniebat Chriſtua ca Bethania, ut Cruci, ut morti præluderet. ubi audiit effuſa portis Solyma, explicata veſte viam ſternit, & victrices palmarum ramos oſtentat; non ſine Numine felicíque præſagio, quod & ipſi Palmæ ſeros in annos profuit: factum enim amabili Dei providentia, ut illa ipſa Palma, è qua ramoa eaciderat officioſa turba, ſteterit in longos annos, ab omni & temporum & militum injuria, & communis excidii ſtrage libera.

Dum enim ſub Tito Imperatore obſidetur, & cadit Solyma, dum ſolo æquantur omnia, dum eaciduntur, eradicantur arbores, & ſuia ſtirpibus nudantur gemuntque ſylvæ; ona illa quæ Chriſto ſervivit Palma, & totiùs urbis, & vicinæ regionis, & ſociarum arborum ſylvarumque excidia ſpectavit, & innoxia riſit. *Cyril. Hieroſolymit. Catech. 10.* Amabat nimirum illa in communi omnium ruina ſtare, & victis ceteria vincere geſtiebat. Neque tantùm aut ſe ipſa vicit, aut aëris cœlique injurias ſuperavit; ſed etiam, quod mireria, ad ipſoa inferos pervaſit Chriſti palma, eorumque poteſtatea inviſo hactenua victoriæ genere debellavit.

Eruamua illud ea antiqois Ægypti monumentis. Cauſſinus vir imprimia diſertus, & de antiquitate poſteriſque ſæculia optimè meritus, ot qui multa ſymbola, & arcana priſcæ ſapientiæ, ſenio quodammodò confecta, fracta & annia obruta, magnâ ſolertiâ eruerit, & luci reddiderit. de palmæ & Crucis victoria ſic habet: Auguſtus Cæſar Ægypto pacata, erocodilum, animal horribile, ad palmam arborem eatena religatom, in nummis cudi voluit, & hodie hic nummus cum hac inſcriptione videtur: *Nemo antea religavit.*

Chriſtus Dominus Ægyptum, hoc eſt mundum vicit, eaitialem generis noſtri hoſtem depreſſit, & Cruci velut illuſtri victricíque palmæ religavit. Ut enim D. Auguſtinos, Dominus noſter JESUS Chriſtus illum tenebrarum, mortis principem colligavit, legiones illius perturbavit, portarum inferni ferreoa vectes confregit, omnes juſtos, qui originali peccato adſtricti tenebantur, abſolvit, in libertatem priſtinam evocavit, & peccatorum tenebria obcæcatos ſplendida luce perfundit. *Serm. 177. de temp.*

Hæc robora, hæ victoriæ, hi triumphi noſtræ palmæ, id eſt Crucis: à quibus abeo, ut te ipſum compellem, Chriſtiane, & palmæ Crucisque vinculia implicem: iia implicari te jam antè voluit D. Ambroſius; manus dabis pedeſque, imò & animum melleæ illius eloquentiæ, quæ tibi hæc in aurem paucis: *Non corporalibus, ut Vlyſſes ad arborem vinculis alligandus eſt animus, ſed ad Crucis lignum ſpiritualibus nexibus vinciendus: ne laſciviarum moveatur illecebris, curſumq; naturæ detorqueat in periculum voluptatis.* *Præfat. l. 4. in Luc.* Sed ne longiùs, à vinculis ad palmam redeo.

Eſt Palma arbor regia, regniqoe ſymbolum: & Chriſto Crux foit arbor regia, nobiléque divinioris regni ſignum ac vexillum: *Regnavit* enim *à ligno Deus.* In quod ligni genus cadere poteſt ille apologus Joathao ad Sichemitas: *Ierunt ligna ut ungerent ſuper ſe Regem: dixeruntq; Olivæ: Impera nobis. quæ reſpondit, Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, quâ dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear?* *Iudic. c. 9.* *Dixeruntq; ligna ad arborem ficum: Veni & ſuper nos Regnum accipe. quæ reſpondit: Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam fructuſq; ſuaviſſimos, & ire ut inter cetera ligna promovear? Locutaq; ſunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis: quæ reſpondit: Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, ut inter cetera ligna promovear? Dixeruntq; omnia ligna ad Rhamnum: Veni & impera ſuper nos. quæ reſpondit eis: Si verè me Regem conſtituiſtis, venite & ſub umbrâ meâ requieſcite.*

Veniam dabis, amice Lector, ſi à litera paululùm aberrem, & elabar ad arcana Crucis myſteria. Foerat olim Rhamnus ſpinoſus, & abjectus frutex, arbuſcula ſentibus & ſpinis horrida. Sic abjecta, & primia ſæculia inviſa Crux fuit, & eò quidem, ut vel ipſum Crucis nomen fugerent Judæi, apud quos numquam Crux exprimi ſolita, propriâ voce, ſed communi quadam appellatione *Eſeph*, id eſt lignum. hinc illud: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*: at ubi Rhamnua, ubi ſpina in Chriſti caput evaſit, ubi in Crucem aſcendit, Crucem attigit Chriſtus; ab eâ neſcio quam gratiam hauſit & dignitatem, à qua omnia ligna illi cedere, illi primas ſceptrumque ultrò deferre. *Deut. c. 21. v. 23.* Dixerunt enim omnia ligna ad Rhamnum, ad Crucem: *Veni & impera ſuper nos. quæ reſpondit eis: Si verè me Regem conſtituiſtis, venite, & ſub umbrâ meâ requieſcite.* Venit, ſedit, qoievit ſponſoa, in eáque nidum poſuit. Venit ſponſa, & ſub umbrâ Crucis ſedit, conqoievit. Veniamua & nos, ſedeamua, quieſcamus, & dum licet in eâ nidum extruamus, ut in nos cadat illud Prophetæ: *In nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix,* ſicut palma, *multiplicabo dies*; *Iob. c. 29. v. 18.* utique regios, beatos, æviternos, quos à Cruce Chriſtua aperiet: hæc enim tibi in aurem & animum dicit ſanctua & verus, *qui habet clavem David, quia perit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* *Apoc. c. 3. v. 7.*

Eſt clavis regni regiæque poteſtatia ſymbolum: hanc ei, præter omnium ſæculorum morem & experientiam, Æternua Pater non manu geſtandam præboit, ſed ipſis humeris ac lacertis efferendam: ait enim per Iſaiam: *Dabo clavem domus David ſuper humerum ejus.* *Cap. 22. v. 22.* Erat ea nimirum clavia majoris omninò moliaac ponderia, quàm ut manu teneri geſtarique poſſet. neceſſum fuit ei humeros ſuppoocre, validóſqoe lacertos ſubmittere & ſoccollare.

Eo labore, onere, ſudore emi debuit ea clavis, ea regni Cœlíque potentia; cui jam inde præluſerat divinus amor ex ipſo Ægypti ſolo, arente & exule terra, in qua, ut Joſepho (qoi Chriſti typus & umbra fuit) regioa animos manúſque faceret, à Pharaone annulum injecit, qui & regioa erat & ſignatorius: utque is eſſet, non tam aulæ ſuco, quàm ex veritate ei Crucem imprimi voluit, tamqoam regiæ dignitatis notam, arrham Fidei, teſſeram poteſtatis. *Aloyſius Novarinus* Hanc ego non annulo tantùm inſcribi velim, ſed & brachio & cordi. Et certè idipſum jam antè voluit ſponſus: *Pone me*, inquiebat, *ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* *Cant. c. 8. v. 6.* ut & in corde & in opere Crux ipſa ſcribatur; imò, ut tenaciùs hæreat, etiam imprimatur.

Audio primis ſæculis, cùm necdum uſus eſſet membranæ, aut chartæ, quæ colorem imbiberet typóſque admitteret, in palmarum foliis primò ſcribi ſolitum: iis committebantur animi ſenſa. *Plin. l. 13. c. 11.*

Ex Cœlis in terras venit æterna Dei ſapientia, ut prima ſalutis principia ſcriberet; nec membrana, nec charta, nec cortex arboria fuit, qui illa exciperet: excepit palma, & purpureo colore, id eſt ſanguine, notavit; & indidit novos omninò typos ac characteres. Ii nimirum eſſe debuerunt, qui in Palmâ, id eſt Cruce, ſcriberentur.

Sunt in acie milites, qui nè vinci poſſint nè ferro ſint pervii, neſcio quos ex inferni typographiâ typos & characteres mutuantur. næ illi multum errant ac

delirant:

deliranti apagè procul, & inferis redde infames illas notas: alias à Palmâ Cruceque accipe vitæ & ſalutis æternæ notas: ut enim rami illius longævi; ita & longævi characteres, qui iis inſcribentur. Ii porrò tibi erunt, *JESUS Nazarenus.* in JESU ſalutem agnoſces, in Nazareno floridum amabis.

CAPUT IV.

Umbra Crucis, umbra Cupreſſi.

DE Cupreſſo ita Arias Montanus: Cupreſſus pulcherrima arboris ſpecies, & odoriſera, in altum aſſurgens ac ſemper virens, non vetuſtatem, aut cariem ſentit, nec temerè rimam aperit, ullâve parte ſatiſcit; quamobrem & materiæ perpetuitate & ſuaveolentiâ fabricandis olim deorum ſimulacris adhibita. arcis conſtituendis, ad efferenda vel aſſervanda oſſa heroum, qui pro ſalute patriæ mortem oppetiiſſent.

Plin. l. 16. c. 33. Deinde Cupreſſus olim piis manibus ſacra, mortis funeriſque ſymbolum fuit; unde & illud Lucani:

Et non plebeios luctus teſtata Cupreſſus.

origine, ut fabulatur, ſumptâ à Cypariſsâ Boreæ Celtarum Regis filiâ, ad cujus tumulum pater eam arborem ſeverit, & Cypariſſus, ſive Cupreſſus nomen indiderit.

Denique Cupreſſus adeò fertilis ac fœcunda, ut apud antiquos abierit in paræmiam, Unam Cupreſſum filiabus in dotem venire & ſufficere.

Si vel è fabulis, vel potiùs è natura aliquid ad inſtitutum noſtrum traduci poteſt; procera Cupreſſus invictiſſimi herois, Dei hominis lugubre ac nobile funus deſignat; cujus bonus odor, & æviternus gloriæ decor ſemper virens, nullam omninò cariem ſentiet, nulla vetuſtate conſeneſcet; ſed erit *quaſi* Eccl. c. 50. v. 11. *Cupreſſus in altitudinem ſe extollens, in accipiendo ſtolam gloriæ.* Quæ ſit illa Cypreſſus ſi quæris, audies ex D. Bernardo Crucem eſſe.

Fabricari debuit arca quæ Deum caperet & in altum efferret: ecce Cupreſſus arbor alta, ecce procera Crucis arbor, quæ Deum hominem capiat, & oſtentet Orbi divinum illum heroëm, qui pro Univerſo, pro mortalibus omnibus vitam animamque fundat.

Exhiberi debuit ſimulacrum aliquod acerbæ illius lucis, quæ contra naturæ leges, Deum hominem vidit, hominem verò & quidem mortalem: Ecce tibi Cypreſſus arbor funerea, ecce mœſta Crux, quæ novos in dies luctus ciet, gemitúſque poſteris æviternos.

Offerri debuit infelici & paupereulæ animulæ dos ampla diveſque, qua à cœleſti Sponſo avito more emeretur: ecce Cypreſſus, ecce bona Crux, quæ veniet in partem dotis; imò & ipſa dos erit, eáque ampliſſima. Ab illa nobis Deus audiit *Sponſus ſanguinum*: eo pignore, eo pretio ſponſa comparari debuit. Ab hoc ſponſæ pignore, ab illo divini amoris oſtento pietatis prodigio, quid aliud ſupereſſe, quid à nobis exigi potuit, niſi unum illud, ut memores funeſtæ Cupreſſi, ſacratæ, inquam Crucis, ſedeamus ſub illius umbrâ, tacitáque mente ac cogitatione percurramus quid actum in illa arbore, quæ nobis imminet? Sub illa quondam ſedit Sponſa; ſtetit MARIA mater noſtra; in illam aſcendit Sponſus: ſi nec aſcendere cum Sponſo, nec ſtare cum MARIA ſit animus; ſaltem cum Sponſa ſedere liceat, & verò etiam libeat: ita fiet ut ea eâ carpamus melioris vitæ fructus, victrices palmas, cœleſte regnum, oleum divinæ miſerationis, & æternam tanti beneficii memoriam.

CAPUT V.

Quæ ſint & quàm uberes fructus ſanctiſſimæ Crucis.

VENIAM dabis, amice Lector, ſi fructus Dominicæ paſſionis ac Crucis, quos alit felicis ingenii partu doctoque calamo explicuerunt, ego in pauculos paragraphos contraham. Faciam quod olim pia mulier, à fortunis inops, à religione dives Marc. 12. v. 24. feciſſe legitur; nec importunè: jecit illa in gazophylacium templi minuta duo, quæ paupertas reliquerat, & à quibus etiam apud Chriſtum laudem invenit: animum ipſe ſpectabat, & ex illo muneris oblati pretium. Et verò apud Superos maximè in pretio eſſe ſolet bonus animus. Eum ego cum ea qua potero demiſſione ad Crucis & Crucifixi pedes abjiciam: hoc uno beatus, ſi ei depoſuero minuta duo, corpus & animum: & exiguos laboris mei fœtus: fundent illi ſpargentque, paupere quidem manu, ſed divite Crucis cornu, fructus eximios, quos & terris & cœlo dedit: horum valorem pretiumque, tum ex ſeipſis æſtima, tum ex eo quod tibi ingerent opportunam Chriſti patientis memoriam, de quâ magnificè & liberè pronuntiat illud Albertus Magnus:

Simplex recordatio, vel meditatio Paſſionis Chriſti plus valet, quàm ſi quis per annum jejunaret in pane & aquâ quâlibet ſextâ feriâ, vel diſciplinaret ſe quâlibet hebdomadâ per annum uſque ad effuſionem ſanguinis, vel quotidie legeret unum Pſalterium. Tract. de Miſſa.

Hæc ille ad gratam Dominicæ Paſſionis memoriam in hominum mentibus excitandam: quæ ut perennis ſit, duodecim ex illa fructus legam, tibique, benevole Lector, in animæ ſinum effundam; colligentur illi à Cruce, ceu arbore fortunata, fœcunda, cœleſti. Quidni enim cœleſtem appellem, quam etiam Joannes plantatam aſpexit amavitque in cœleſti illa Hieruſalem, ſtatione ſedéque beatitatis? Ita enim ab exceſſu ſuo poſteris omnibus inſcripſit.

Et oſtendit mihi (bonus Genius) *fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tamquam criſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni; in medio plateæ ejus ex utrâque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Apoc. c. 22. v. 1.

Quod illud vitæ lignum ſi quæris? Audies non incongruè dici poſſe lignum Crucis, quod per menſes, imò & dies ſingulos, edit fructum Vitæ, ad ſalutem & ſanitatem gentium: utinam etiam ad tuam: hoc Theonim hic opto voveoque: quæ paucis pagellis commiſi, oculo Hom. 10. decurre, & infructuoſas Sodomæ (id eſt ſæculi hujus) arbores fructuſque fallaces rejice & damna.

§. I.

PRIMUS FRUCTUS CRUCIS

Prædeſtinatio & Electio.

CRux olim fuit eritque in ſæcula ſignum Electorum, arrha quædam & teſſera divinæ prædeſtinationis. Quod quia eſt magni momenti ad piorum animos erigendos, & bonâ felicitatis æternæ ſpe iactandos, rem eam altiùs è Scripturis, è ſanctis Patribus, ex antiquitatis fide repetemus.

Prædeſtinatio D. Auguſtino *eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Ea porrò à Cruce naſcitur; Lib. de Perſev. c. 14. ab illa enim præſcivit Deus, & præparavit beneficia ſeriemque gratiarum, quibus certò liberantur quicumque liberantur.

Viderat Æternus Pater humana omnia ſuſque déque verti, & mortales omnes Orbe vago ſparſos, in ſcelera, in pœnas, in apertam perniciem ruere: viderat, inquam, & jam inde ab æternitate velut altiſſima divinæ mentis ſpecula ſugrat contemplatus: ubi tem-

pua affuit, ubi lapſa longè ſæcula, ubi triſtes & acerbi luxêre Soles, tum hominis miſertus, ad filium ait: Eccl c. 24. v. 13. *In Jacob inhabita, & in Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radices.* Ita porrò factum eſt, & factum benè. Beatus omnino Jacob, in quo Deus inhabitat; beatior Iſrael, cui Deus hæreditas; beatiſſimus ille, quiſquis eſt electus, ut in eum mittantur radices futuræ beatitatis. At quæ, inquies, ſunt eæ radices, & cujus arboris? Vide quæ Chriſto, quæ Servatori optimo naſcatur arbor, & tum per ſpecies, quæ ab illa radices oriri debeant. Quæ naſcenti Chriſto nata eſt arbor, ea crux is fuit: ab illa gratiæ ſalutiſque radices hauſit omnis ætas, omnis anima, quæ Cœlo, quæ beatæ æternitati ſpirare debuit.

Vos appello, vos amo, quos olim Ægyptus vetos Hebræos, id eſt tranſeuntes vidit, & à communi Hier in Iſaia 66. excidio liberos ſuſpexit. Tranſibat Dominus percutiens Ægyptios, ſingulaſque domos mœſto funere notabat: ab eà communi cæde immunis fuit Hebræus non eò tantùm, quòd agni ſanguine poſtes & oſtia domorum illiniſſet; ſed vel maximè quòd ea ſacrâ Cruce, velut cœleſti teſſerâ, vitæque notâ deſignaſſet. Ea quondam Hebræus in caule terra, & torrido Ægypti ſolo à Cruce præſidia ſenſit: nec minora tulit amavitque Solyma. Vos teſtor, veſtramque fidem, quos ab alieno ſcelere gementes Solyma vidit, & communi clade exemit.

Dicta jam erat è Cœlo dies, totaque in pœnam efferat; ab illa exiguntur in terras Angeli omnino ſex, divinæ Juſtitiæ adminiſtri ſcelerumque vindices: At qua fronte, quo vultu, quibus oculis, quo vindice telo? Eo certè quod juſtas iras, pœnaſque graves quodammodò ſpiraret: quas ne longiùs abeſſe crederes, eas pleno cornu effundebat vas interitus, quod è cujuſque pronâ ac præcipiti manu defluebat.

Diceres actum eſſe de Solyma: & verò fuiſſet jam inde conclamatum; ſed adfuit unus aliquis è Cœlo genius, mediúſque ſtetit in veſte linea & candida: ei pro armis & ſcuto fuit atramentarium, quod è renibus pendebat. audiit ille à Domino: *Tranſi per mediam civitatem, in medio Hieruſalem, & ſigna thau ſuper* Ezechiel, 9 *frontes gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Paruit ille & abiit, perque cuncta Hieroſolymæ compita, portus, angiportus levi pede circumcurſans inſcripſit, notavit *ſigno thau* eos omnes, quos ferro mortique ſubducere Cœlum Deusque deſtinarat. Ubi data ſcriptaque Cap. 8. v. 5. gementium in frontibus ea vitæ ſalutiſque teſſera, tum agmine facto in urbem irruunt & involant ſex Angeli, eáque portâ ſubeunt, quæ ad aquilonem vergebat: quà enim potiùs? Ea primùm patuerat ſceleri, unáque idololatriam admiſerat; eadem quoque pœnæ patêre debuit, & ſcelerum iratique Numinis vindices Angelos admittere: verùm enimverò illud Domini ad Cain ſceleſtoſque omnes oraculum: Gen. 4. v. 7. *Si malè egeritis, ſtatim in foribus peccatum aderit.* ut quâ viâ peccatum ſubiit, ſubeat & pœna.

Sed abeamus ab illis: ſuo ipſi, cùm ita volunt, ſcelere pereant: at vivant, & beatos vivant in annos, qui aperta & explicata fronte *ſignum thau* excepêre. Sed quod amabo fuit illud ſignum? Sunt qui velint vitæ ſalutiſque ſymbolum fuiſſe: deducunt enim vocem *thau* ab Hebræa *tichie*, id eſt *vives*: itaque *thau vita* fuit, vitæque ſymbolum. credunt alii vocem *thau* innocentiæ teſtem & indicem fuiſſe; *thau* enim, hoc eſt innocens, & illi innocentiæ vita debebatur.

Placuit aliis *thau* ſervatæ legis notam fuiſſe; Hebræis enim *thova*, eſt lex, quæ quia à littera *thau* incipit, legis obſervatores deſignabat vitaque dabat.

Verùm ſua ſit illis opinio; mihi certè magis probatur illa D. Hieronymi; magis placent Syri codices, in quibus pro *ſigna thau*, legitur *ſigna Crucem*; ut jam inde ab illa ætate Crux eſſet electionis & vitæ nota, ſalutiſque ſignum. Quod olim Ezechieli, quod Hebræis à Cruce oſtenſum fuit, fuit & Divo Joanni, qui Divinæ Sapientiæ erat à ſecretis.

In ipſis Eccleſiæ cunis, primáque reſtaurati Orbis infantia, vidit ille aperiri æthera, explicari Cœlos, & ex ipſis elabi quatuor Angelos ventorum præſides: ingens ab illis tempeſtas, horrificus turbo, inviſa hactenus univerſo ſtrages imminebat, ſi modò ventis fræna laxaſſent: & verò laxaſſent quàm citiſſimè; fremebant enim, & horridùm inſonabant impatientes Euri, nec diutiùs cohiberi poterant; ſed conceptos motus repreſſit vox Angeli aſcendentis ab ortu Solis, & habentis ſignum Dei vivi. exclamavit ille: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque* Apoc. 7. *ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* Quod illud ſignum è Joanne, ex Angelo ſi quæritur? Eſt ſignum Dei vivi, ſignum Crucis, in quam nec Aquilo, nec Eurus, nec ullus turbo impetum facere poteſt. Eam quiſquis prima fronte oſtentavit, à pœna liber abiit. Quod Eccleſiæ naſcenti datum eſt, hoc & dabitur occidenti; verum enim illud in ſæcula, Crux ſignum Electorum, vitæ teſſera, ſempiternæ arrha beatitatis.

§. 2.

SECUNDUS FRUCTUS CRUCIS

Converſio & Vocatio.

EX omni antiquitate tres ſibi Jeſus cognomines eſſe voluit. Joſuë in imperio, Iſaiam in prophetiis, Oſeæ in nomine: vox enim *Oſea*, id eſt, *ſalva*, ex quo Oſeas ſalvator & Jeſus dicitur: ut qui populo ſalutem attulerit, quà orando, quà prædicando, quà ſanctioribus vitæ novæ exemplis prælucendo: fuit ille filius *Deeri*, hoc eſt, *puteus mei*: *Hauſit enim aquas* Iſaia c. 12. *in gaudio de fontibus ſalvatoris.* aquas dico, quibus contractas à populo labes elueret, & vitæ puritati redonaret. Quod ut faceret, juſſus à Deo ſibi ſumere *uxorem fornicationum*, ea qua tres omnino proles Oſee c. 1. ſuſcepit.

Quæ primò prodiit, filius fuit, cui nomen inditum *Iezrahel*, quod ſemen Dei, brachium Dei ſignificat.

Secundò genita filia fuit, cui ex divino nutu nomen fecit *abſque miſericordiâ*, durum & malè ominatum nomen.

Tertiò genitus etiam filius fuit, cui nomen ceſſit priore infelicius; audiit enim, *voca nomen ejus, non populus meus.* hic typus, hæc umbra fuit, & imago quædam illius ſcenæ, quam deinde poſt tarda ſæcula divinus amor aperire debuit.

Oſeas Chriſtum; uxor fornicaria, naturam à peccato lapſam, tres illæ proles, tria hominum genera Orbi portendunt atque oſtentant: ex iis primi bono & felici nomine dicimur & ſunt Dei ſemen, Dei brachium: alii ſuo vitio audiunt, *abſque miſericordiâ*: audiunt *non populus meus.* ejus generis fuêre Judæi, quos ab illo nomine malè ominato, nemo non abjectos, non perditos quæreret; at non ita perditi quin aliqua vitæ & ſalutis ſpes affulgeat, & ea quidem ab unâ Cruce.

Paucis accipe quæ de ea jam inde vaticinatur ille ipſe Propheta: *Convertentur ſedentes in umbrâ ejus*, Oſea c. 14. *vivent tritico, & germinabunt quaſi vinea.* E longa v. 8. captivitate, quæ mortis inſtar eſſe potuit, convertentur Iſraelitæ, ſedentes à vinculis, à metu, ab omni vi maloque liberi, meliore nováque ſorte donati, firmi, ſtabiles, fortunati. *in umbrâ ejus*, utique Chriſti ac Crucis, *à quâ vivent tritico, & germinabunt* Hier. ibid. *quaſi vinea.* tritici enim vinique ferax Crux fuit, & utrumque ſuo ſinu velut molli ſubactoque ſolo concepit, & per ipſa paſſionum, vulnerum, mortiſque frigora, triſteſque ac ſævas hyemes, velut emortuum fovit, donec aſpirante naſcentis Eccleſiæ vere, & ſuavi divinæ miſerationis aura Soléque eminente &

triticum

triticum viveret, & vinea germinaret; & nos ab hac illóque viveremus & germinaremus. Ita porrò factum videmus & lætamur; à tritico, à pane, à vite Eucbariſticâ vivimus & germinamus: atque utinam vivamus in ævum, germinemus in æternitatem.

Ita quondam ex ipſa Cruce vixit & germinavit bonus latro. Pendebat ille ad dextrum Chriſti latus, hærebat infami affixus ligno, perque manus apertas, perque pedes à vulnere hiantes, infelicem ſtillabat animam. imò, ſi nonnullis credimus, in ſocias, in maledicas voces erumpebat, & hærentem lateri Chriſtum petulanter impetebat. vix ab illis vocibus & calumniis benè conticuerat, vix reſpirarat infelix prædo, cùm ei à Cruce fluit & effluit divina miſeratio, qua ita mneſcit, ita commovetur totus, ut in alium omnino virum, in ſanctum abeat; Deum in Cruce pendentem agnoſcat, & auctorem ſalutis ſuæ ſuſpiciat, amet, atque in opem, in vitam, in Paradiſum inclamet: *Memento*, inquit, *mei dum veneris in regnum tuum*.

Luc. c. 23. Hic moveri ſolet implexa quæſtio, Cur è duobus, qui Chriſto conſixi latera ſtipabant, convertatur dumtaxat unus? Cur repentè alius ſit à ſeipſo? Cur Cœli Deique totus qui priùs mali dæmonis Erebique totus fuerat? Audio ſanctos Patres clabi in diverſas pugnantéſque ſententias.

D. Anſelmus credit bono latroni datam eſſe ſcelerum veniam, quòd olim de Chriſto infante deque Virgine Matre benè meritus fuerit. Exul ibat & extorris bona Virgo, pergebat in Ægyptum, quæ ad cætera exilii torrentiſque ſoli mala hoc quoque adjecit. Adverſa prædonum turba in Virginem innoxiam, in Deum infantulum incurrit, & pro ea, qua erat immanitate, in utrumque ſævire parabat: fortè hos inter affuit noſter ille latro, qui ut Matrem, ut puerum vidit; majus aliquid humana ſpecie ratus, & eorum manibus, & periculo eripuit: grata hujus beneficii memoria fecit ut in extrema illa vitæ periodo ſuus veniæ locus, ſuus fuerit miſerationi. ita beneficia beneficiis compenſant Superi.

B. Petrus Damianus, aliò ſententiam mentemque flectit; cenſet enim latronem, qui Chriſto à dextris erat, ideò ſibi Deóque redditum, quòd inter Crucem Chriſti ac latronis intereſſet mediaque ſtaret Virgo, à cujus aſpectu benignoque ſidere vitam ſalutemque hauſit: tantum intereſt, quantum à Virgine vel accedas, vel recedas.

Hæc illi Doctores, quibus ſua ſit fides & auctoritas: ego magis inclino ut ſentiam cum D. Vincentio Ferrarienſi. putat ille bono latroni mentem aliam, alia conſilia, alia Fidei Cœlique lumina, alios piarum cogitationum & amoris æſtus injectos eſſe & evibratos à Cruce & Crucis umbra: nimirum eò loci ac temporis incurrebat in umbram Chriſti ac Crucis, eáque ad veniam, ad ſalutem, ad gratiam fuit ſatis: adeò jam verum illud Oſeæ: *Convertentur ſedentes in umbrâ ejus*. Et verò quidni convertantur? Ut enim D. Leo, *Crux tua*, bone JESU, *omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte*.

Serm. de Paraſceve.

Serm. 8. de Paſſion.

Hactenus converſionis illius rationem modumque vidimus: ſupereſt modò ut paucia divinæ vocationis vim & efficaciam inveſtigemus; ea legi poteſt in illis Chriſti verbis: *& ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum*. Sint abjectæ, ſint proſtitutæ, ſint peccatis inſepultæ mentes, & illas traham: ſint dura, ferrea, adamantina hominum corda, & illa nihilominùs traham: adeò nihil impervium, nihil indomitum Chriſto trahenti, nihil extra jactum divinæ vocationis habes illius argumentum in antiquitate.

Ioan. c. 12.

4. Reg. 6. v. 4. Fuerat Elizeus ad Jordanem, cùm fortè incurrit in eos, qui ad fluminis oram ligna cædebant: ex iis unus aliquis, dum altiùs ſecurim attollit, inclinat profundiùs, & totus in ictum incumbit, ferrum ipſum vel ſuapte mole ac pondere, vel impreſſo ferientis impetu elabitur è manubrio, in aquam incidit altéque mergitur. hic miſellus homo attonitus hærere, ſtupere, lugere, exclamare ad Elizeum: *Heu heu, Domine mi! & hoc ipſum mutuò acceperam*; Quid me miſero fiet? Advolat Elizeus, ex eo quærit & intelligit ubi ferrum in aquas incidiſſet, tum deinde vir Dei *præcidit lignum & miſit illuc*. mirum dictu viſúque: *Natavit ferrum, & ait, Tolle: qui extendit manum & tulit*. Aqua ipſius levius eminebat, & innatabat lignum: at imo Jordanis alveo gravius ferrum jacebat, nec aſſurgere poterat. Ubi aqua lignum ſenſit, ferrum in ſummas aquas evaſit, diceres vim ligni ſenſiſſe magnóque niſu ex undis emerſiſſe.

Quiſquis à gratiâ excidiſti, quiſquis ab artifice Dei manu per peccatum elapſus es; dicere ex vero potes: *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam, infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*. non eſt ſpes emergendi, niſi fortè Cœlo propitio etiamnùm adſit Elizeus aliquis, qui lignum in aquas, in mediam ſcelerum eluviem immittat, ferrumque extrahat ex imis undis. Tibi pro Elizeo Chriſtus, pro ligno Crux erit; illa te peccatis licèt profundè merſum extrahet; illa te vocabit, te ipſum tibi, Eccleſiæ matri, Deóque ceu parenti reddet, ut multos alios jam antè reddidit: quo in genere inſignis illa fuit & digna Poſteris vocatio Nobilis cujuſdam Angli, de quo ſuppreſſo nomine, hæc à viris religioſis ac fide dignis accepi, & eadem refero. Pſalm. 69. v. 3.

Fuerat ille in hæreſi jam inde à pueritia innutritus, & quos cum lacte ſuxerat errores, tenaciùs retinebat; nec ab iis ullis rationum momentis, ullo orationis pondere ſeſe dimoveri patiebatur.

Solet enim nobilis animus in arrepto quondam inſtituto firmiùs inſiſtere, ne ſi ab illo recedat, à conſtantiâ ſuâ videatur receſſiſſe: ideóque multùm intereſt quibus artibus ac diſciplinis jam inde à teneris unguiculis generoſa pubes imbuatur; eas enim, cùm adoleverit aut ſenuerit, non facilè dimittet: & verò non dimiſiſſet nobilis ille noſter, niſi major aliqua vis acceſſiſſet: ea porrò cœleſtis ac divina fuit ſanctiſſimæ Crucis: cùm enim de viâ ferretur generoſo vectus equo, ecce ſubitò turbari viſus æther, & in nubem cogi: è qua deinde, velut è cœleſti armamentario, primùm aliùs inſonare mugiréque tonitrua, dein fulmina, miſſiléſque faces evibrare. has dum innoxiùs ſpectat ridetque; derepentè graviùs infremere, minaréque de nube concluſus ignis, & effracto illius ſinu, ingenti ſtridore evolare, atque in viatorem illum noſtrum illabi, totumque ambire ac cingere.

De ſeipſo deque vitâ actum credit: abiit tamen innoxius horror, at non ſine aliquo ſui veſtigio. mirum enim dictu viſuque! chlamis ipſa tota crucibus igneis aſperſa apparuit: eas ſcilicet impreſſerat illapſum è Cœlo fulmen, quod ſeſe in vindices pœnas explicuiſſet, niſi à Cruce pacata fuiſſet Superùm ira; imò & anteactæ vitæ petita venia, ac melioris datæ etiam auſpicia: ea Crucis ſymbolum expreſſit, à quo tanti in illius animâ motus excitati, ut antiquos errores agnoverit atque damnarit, & hæreſim ejurarit, ſibi ac veritati reſtituint. in quo vim Crucis noſſe ac mirari potuit: ſed & in hoc quoque amare, quod ab eâ vocari ſe ſenſit, non ſolùm ad Chriſti peculium, & Eccleſiæ Catholicæ gremium; verùm etiam in portum religioſæ vitæ, in qua & ſecura ſalus, & faciles ad virtutem Superoſque viæ: quas etiam eodem Crucis Dominicæ præſidio ſibi aperiri vidit ex illuſtri proſapiâ virgo Catharina viri nobiliſſimi Sancii Rodriguez filia: agebat illa ætatis ſuæ annum circiter quintum ſupra decimum; nihilque ſpirabat aliud quàm auram hujus ſæculi ac perditæ vanitatis, quam

in cultu corporis, mundoque mulieri ſatis exinde oſtentabat; magis anxia, qua ratione placeret amaſio quàm Deo.

Fuerunt illi floſculi primulæ ætatis; quos illicò decuſſit objectus oculis ſacratæ Crucis horror. Inter aulæas variáque cubiculi emblemata, ornatumque, viſebatur elegans Chriſti crucifixi ſimulacrum, cui imminebat Ipſe titulus, *JESVS Nazarenus Rex Judæorum*. Incurrerat ſæpiùs in puellæ oculos ea imago: at in animum non ita deſcenderat. Habet nimirum Divina providentia ſtata tempora, & notatos albo calculo dies, dies fortunatos, amœnos, beatos, quibus aſpirat melior aliquis divinæ lucis radius.

Hoc igitur die eminentem Cruci titulum lectuare cœpit, & iterum iterumque non tam oculo quàm mente decurrere; imò hærere ad ſingula verba, & apud ſe tacitis cogitationibus penſitare quid amabile, auguſtum divinumque JESU nomen ſibi portenderet? Quis deinde Nazareni floſculus, quis odor, quæ gratia, quæ Regis dignitas ac majeſtas? Quæ Judæos vel cæcitas, vel amentia, vel perfidia eò furoris extraxiſſet, ut & Regem ipſi ſuum tollerent, & infandæ Cruci affigerent.

Hæc omnia dum ipſa ſecum volvit revolvitque Catharina, ſecum loqui, ſecum agere cœpit quid pro ſe JESUS, bonæ mentis amor ac deliciæ; quid ipſa pro JESU aut feciſſet, aut paſſa fuiſſet hactenus; quàm diſſona ac diſſentanea, imò quàm à ſua vita abhorrens fuiſſet vita morsque JESU; quæ in nudo corpore ſpiraret paupertas, quis in laceris artubus amor patiendi; quæ in ore elanguido, aridis labellis animarum ſitis emineret; quis divini capitis cultus, imò quis horror à ſpinoſo frutice; quàm dedeceret ſub ſpinoſo capite membra fieri delicata. Hæc ſingula apud ſe ipſa dum expendit, eos in ſe divini amoris æſtus eſt paſſa, ut è veſtigio & omnem mundum muliebrem cavere, & vana vanis relinquere, & ad religioſæ paupertatis anguſtias aſpirare cœperit; nec à conceptis inde deſideriis deſtiterit, quàm votis potita, & inde S. Tereſiæ monaſterio ritè profeſſa. Hanc autem mentem, & melioris vitæ propoſitum hauſit à Cruce: tantum in illâ pondus eſt ac momenti, tantum lucis ad ſanctæ vocationis inſtitutum.

§. 3.
TERTIUS FRUCTUS CRUCIS
Peccati remiſſio.

Divina miſeratio, ut jam inde ab omni antiquitate oſtenderet ab uno ligno, unâ Cruce, petendum eſſe peccati remedium, alios atque alios capitatores ritus perſcribere voluit. Ex iis duos tantùm attingam. Jubebatur olim leproſus ſeſe primùm ſacerdoti ſiſtere, & offerre paſſerculos duos; quorum unus victimæ cedebat, alteri vita dabatur, & liber in aëra volatus; alligabatur ille baculo cedrino cum cocco & hyſſopo: è quibus nectebatur faſciculus, & ſanguine paſſeris occiſi probè tingebatur; deinde eo ſepties aſpergebatur Leproſus, eâque aſperſione eluebatur omnis illa labes & macula, quæ corpori è leprâ videbatur adhæſiſſe. Hoc ſchemate præluſit Divina bonitas ac ſapientia, ut vel ex eo noſſes futurum aliquando in morbis animi quod in pravis corporis affectionibus.

Quod enim corpori lepra, hoc bonæ menti peccatum eſt: quod leproſo lignum cedrinum, hoc peccatori Crux fuit: quod illi vitta coccinea, hoc nobis Chriſti ſanguis & purpura: quod illi hyſſopus planta ſalubris & boni odoris, hoc nobis odor & fragrantia ſeu gratiæ, ſeu bonorum operum: quod vivus, ſpirans & liber evolans paſſerculus, hoc Chriſti divinitas, quæ mortis vinculis impediri neſcia, à pœnâ morteque libera & immunis evaſit: quod denique paſſer emoriens, hoc Chriſti humanitas, quæ Æterno Patri, quæ ſaluti generis noſtri, quæ leproſo, id eſt, peccatori eluendo victima cecidit. Ecce ut ultima primis apprimè conſentiunt, ut umbra corpori, ut figura congruit veritati. Et hoc primum, in quo Crucis fructus prælibare viſus eſt divinus amor.

Alterum fuit æneus ſerpens, à cujus aſpectu, & vulnerum medela, & ſalus plurima, & vita diuturnior. Vix à prælio reſpirarat Iſraël, vix à partâ victoriâ hoſtiumque ſpoliis ſeſe collegerat, cùm & ſui & divinæ opis immemor in querulas voces elabi cœpit, in laboris viæque tædium venire, cui dum plus æquo indulget, ſeſeque committit impotenti libidini, & Moyſi & Deo inſultare cœpit, & importuniſimpiiſque querelis Superos omnes fatigare, hinc illa in Deum & Moyſem verborum jacula: *Cur eduxiſti nos de Ægypto ut moreremur in ſolitudine, deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.*

Non tulit è Cœlo Deus inſolentes animos, ingratas Superis voces: ex ipſis Arabiæ finibus vaſtâque ac tumendâ ſolitudine eduxit ignitos ſerpentes, denſóque agmine in Hebræos immiſit, ut qui acuerant *linguam ſuam ſicut ſerpentis*, & ipſi à ſerpentis linguâ, morſu ignéque luerent. Ubi à ſcelere pœnarum aliquid exegit Deus, ab illis ſapit, & reſipiſcit Hebræus, & ad Moyſem ait, *Peccavimus, quia locuti ſumus contra Deum & te: ora, ut tollat à nobis ſerpentes. oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt ad eum Dominus: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno; qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Paruit Moyſes, fecit ſerpentem æneum, & fecit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.*

Video hîc duo quæri poſſe, primùm cur ſerpens in pœnam emittitur? Deinde cur æneus in remedium erigitur? In ipsâ Orbis hujus infantiâ à ſerpentis arte dolóque primum peccatum in Orbem evaſit: factum illud ex Evæ genio & conniventiâ, quæ Paradiſum innocentiæ ſedem infecit; ideóque etiam poſt ſeros annos à ſerpente in deſerto pœna petitur, ut quæ à ſerpentis aurâ ſibilóque peccavit, ab ejuſdem morſu dentéque puniatur. *Per quæ enim peccat quis, per hæc & punitur.* Sap. c. 11. v. 17.

Sed ut facilis eſt, & in veniam prona Dei bonitas: ut unde manârat pœna, manâret & pœnæ remedium; ſerpentem æneum erigi jubet, & poni pro ſigno. in quod cadit illud Prophetæ Regii; *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* Pſalm. 59.

Sed cur æneum eſſe placuit? Rabbi David Kimchi, eò credit fuiſſe æneum, ut illuſtrius foret miraculum: ait enim medicinæ peritiores aſſerere, eum, qui à ſerpentis dente ictus fuerit, ſi æs aſpiciat, illicò emori: quod ſi verum eſt, majus illud & inſolens fuit miraculum, ut ab ære haberetur vita unde mors ipſa hauriri debuerat.

Verùm abeamus ab hoc miraculo, dicamusque cum D. Auguſtino, in ſerpentis ære Chriſti divinitatem & æternitatem exhiberi. Vix enim eſt monumentum ære perennius: deinde in ære reſonat Crucis & Chriſti gloria: ut enim vaſa ærea ſunt maximè ſonora, & aures & aëra pulſant complentque ſuo tinnitu: ita è Cruce clariùs & altiùs immenſa Dei charitas inſonuit; ideóque ſerpens ille hebraicè dictus eſt *Saraph*, id eſt, ignitus, à quo & Seraphim, hoc eſt, igniti dicuntur. Fuit enimverò, fuit Chriſtus in Cruce ſerpens, fuit *Saraph*, id eſt, ignitus totus, & ab illo ſeu doloris, ſeu amoris igne, quo æſtuavit, nobis omnibus remedium eſſe voluit à morſu ſerpentis, à mali dæmonis aurâ, à quâ ſibi malóque ſuo medicinam inveniet quiſquis in eum incurrerit, quiſquis piæ mentis oculo fuerit contemplatus.

Vadem habeo & ſponſorem D. Bernardum, cui paſſio Chriſti Servatoris faſciculus fuit myrrhæ inter ubera, & ſuaves amplexus animæ ab amore colliqueſcentis.

ſcentis. hanc ille à Cruce ſpem hauſit ac fiduciam.

Peccavi, inquit, *peccatum grande; turbatur conſcientiâ, ſed non perturbatur; quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſolvetur?* Hanc ubi pro ſeipſe ſpem concepit tum eam firmat ipſâ Domini miſerentis voce: inſonuit illa à Cruce, ceu pulpito cathedrâque miſerationis;
Luc. c. 23. è quâ hoc oraculum: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.*

Serm. fer. 4. hebd. pœnoſa de Paſſ. Ex quibus verbis ita piè Bernardus atque feliciter ominatur: *Volat irrevocabile verbum tuum, Domine, nec revertetur ad te vacuum; ſed faciet, ad quod miſiſti.*

Faciet enimverò in annos, & poſtera longè ſæcula, ſi eo loci ac temporis id fecit: erant enim (ut mutuatâ ſacratiſſimi Præſulis utar eloquentiâ) erant in Servatore quàm optimo: *Hinc multa miſeria corporis, hinc multa miſericordia cordis, hinc dolores, hinc miſerationes. hinc oleum exultationis, hinc ſanguinis guttæ decurrentis in terram, miſericordia Domini multa, ſed & miſeria Domini multa. Vincéntne miſeriæ miſericordias, an miſericordiæ miſerias ſuperabunt?* Hanc ubi quæſtionem intulit, tum impetu quodam, æſtúque ſanctæ ſpei ac deſideriorum: *Vincant*, inquit, *miſericordia tua antiqua, Domine, vincat ſapientia malitiam.*

Ubi voti compos à Cruce factus eſt, tum alto ſtupore, ex prodigio quodam divinæ illius miſerationis victus exclamat: *O quàm magna multitudo dulcedinis tua Domine! ô quàm longè cogitationes tua à cogitationibus noſtris! ô quam firmata eſt etiam ſuper impios miſericordia tua! mira res! ille clamat, Ignoſce; Judæi, Crucifige.* Quàm diſſona horum & illius vox fuit; quàm à veniâ alienum & abhorrens facinus.

Act. in Verrem. Teſte Tullio facinus erat vincire civem Romanum: ſcelus verberare; propè parricidium necare: Quid illo Judice fuiſſet in Crucem extuliſſe?

Si hominis in hominem facinus tantum eſt in foro curiáque Romanâ: quantum in aulâ Cœli, in Supremo Judicio ac tribunali erit ipſum, non Romæ; ſed Cœli, non dico civem, ſed Dominum, ſed Auctorem, ſed Architectum ſuſtuliſſe? Et tamen ut ejuſmodi ſit facinus, ut novum, ut inſolens, ut terris inviſum, ut horrendum inferis, ut Superis deteſtandum; veniam invenit, & à Cruce locum miſerationis.

Verùm demus & illud, aliquando etiam ſuas quoque juſtitiæ vices concedi: demus illam hominum malevolentiâ ac ſceleribus è ſuis quaſi ſedibus excitam nos perſequi: An nullum in iis anguſtiis effugium? Nullum erit tanto malo remedium? Erit certè, & illud quidèm à Chriſto paſſo peropportunum.

Dicitur olim Medæa Colchorum Regis filia Jaſonem docuiſſe, quâ ratione vellus aureum rapere poſſet: cujus audaciæ ac temeritatis conſcius pater, eam dum inſequitur; illa fratrem Abſyrtum fugæ quoque ſocium occidit, diſcerpit, & articulatim conciſum eâ viâ ſpargit quâ tranſiturus erat parens: hoc conſilio ut artus exanimes, & filii ſanguinantis ſemitis effuſus, celeritatem perſequendi retardaret: & verò etiam retardavit: ab illo quippe ſpectaculo moveri ſe ſenſit paternus animus, & iras in miſerationem vertit.

Fabella eſt, & ingenioſum commentum, è quo tamen hoc ad inſtitutum noſtrum & rei veritatem traduci poteſt. Malè te docuit Medæa, docuit carò, vitiorum artifex ac magiſtra; docuit, inquam, & eripuit tibi vellus aureum, gratiæ torquem aurumque charitatis: impatiens tanti ſceleris eſt Cœlum, & Æternus Pater te petit: fuge procul à vultu irati Numinis, & in fuga ſparge Chriſti vulnera, ſanguinem effunde, mortem objice illius oculis, qui & naturâ Æterni Patris eſt Filius, & tibi charitate frater; ac ne dubita, præcipitem elabentis juſtitiæ pedem ſiſtet; & ſeu amore, ſeu dolore à pœna jam impendente, decretóque in tuum caput ſupplicio, revocabitur. Imò, quæ ipſius erit in te pietas, faciet ut à culpa, in quam totus ieras, recedas ipſe, damnesque quas priùs malè amaſti & coluiſti artes.

S. Remigius, ſecundùm Deum Galliæ ſalus, amor ac deliciæ, apud Clodoveum multa de Chriſto patiente diſſeruerat, longamque texuerat concionem de Servatoris innocentiſſimi vinculis, opprobriis, plagis, & acerba morte, quam impotens Judæorum furor ac rabies intulerat. Senſit ſe moveri Rex pius, & ut alto erat ac martio pectore, in juſtas iras excitari, atque in noxia capita animari: ſenſit, inquam, nec illum animi ſui ſenſum gallicosque ſpiritus continere potuit, quin in hæc verba erumperet: *Si ego cum Francis meis ibi fuiſſem, ejus injurias vindicaſſem.* hæc ille adhuc in fide rudis ac tiro religionis noſtræ, qui conceptos irarum ignes, ardoréſque in Judæos tranſtuliſſet: At docuit S. Præſul, in eum quoque illos ſeu amoris ſeu indignationis æſtus traduci poſſe ac debere, cùm & ipſe cauſam tot opprobriis, cruciatibus ac morti dediſſet anteactæ vitæ ſceleribus ac peccatis. Aimon. l. 1. c. 16.

Quod Clodoveo Remigius, hoc cuique etiam tantùm objecta Crucis imago: ea enim pro Doctore eſt; hancque diſcipulis ſuis in primo ſcholæ ſuæ limine prælegit lectionem, quam piè explicat D. Bonaventura: *Ex eo*, inquit, *quòd homo cogitat quod Filius Dei voluit pro eo redimendo talia ſuſtinere, recognoſcit quanta nobilitatis ſit anima ſua, & hoc ipſo ad nobiliora excitatur animaturque. Et quia illum pretioſum Sanguinem pro animâ ſuâ dealbandâ effuſum eſſe cognoſcit, dedignatur ſe vilitatibus peccatorum inquinari.* In ſtimulo amoris.

Et hinc multa ſcelerum antiquorum deteſtatio, fuga, remiſſio, multa ad vitam in poſterum ex virtutum præceptis exigendam præcautio.

§. 4.
QUARTUS FRUCTUS CRUCIS
Vita corporis & animæ.

ALius à Cruce fructus exurgit, iſque nobilis, & inter alios facilè princeps: erit ille *Vita*, non ea tantùm, qua corpus regitur, qua ſuſtinetur hæc carnea & lutea moles, qua mortalibus auris vivitur; ſed ea potiſſimùm, qua tollitur & erigitur animus, qua Cœlo Deoque immortali vivitur: vita nimirum gratiæ, vita deinde gloriæ. & hanc & illam oſtentaſſe viſus divinus amor, tum in ipſa naſcentis Orbis infantia, tum in primis Eccleſiæ cunis, tum deinde poſterorum ſæculorum curſu, ut omnis ætas loqueretur Crucem, & a Cruce vitam amaret. Juvat eorum omnium paucis meminiſſe.

Plantaverat Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio, in cujus medio, facili modicóque trunco aſſurgebat arbor, quæ à vita propaganda dicta eſt arbor Vitæ. Ab hujus arboris fructu hominum vita abiiſſet in ſæcula, nullis malorum contagiis infecta, nullis annorum lapſibus fatigata, nullo ſenii vitio confecta, nulla triſtitiæ nebula obſcurior: ea quippe vis fuiſſet illius arboris, ut & morbos omnes, & ſenium pelleret, & vitàm redderet beatiorem. An autem ea vis arboris naturæ, an miraculo tribuenda? Hìc non diſputo. ſunt qui primum velint, ſunt qui nolint, & ſecundum ament: ut ut ſit, parum intereſt; ab illâ certè manaſſet beatioris vitæ annorumque longæva ſenes. Gen. c. 2.

Verùm illa Vitæ arbor, ille Paradiſus aquis ceſſit, & fuſa quaquaverſum eluvie obrutus periit; ſed enata melior eſt arbor vitæ, quam in ipſo naſcentis Eccleſiæ Paradiſo plantavit, erexit extulitque ſecundus Adam. Neque tantùm in hac abjectâ mortalique terra enaſci & ſurgere voluit; verùm etiam quod mireris, in Cœlos ipſos evexit. Joannem audi. vidit ille in alto mentis excuſſu aperiri cœlos, explicari, effundi immenſa Divorum atria, & felicibus oculis objici ſpeciem aliquam cœleſtis illius ac beatæ Hieruſalem.

& oſtendit

Apoc. c. 22. *& oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni: in medio plateæ ejus, & ex utrâque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menſes ſingulos.*

Ecce ut non terris tantùm, ſed & ipſis Cœlis beatiſque ſedibus inſeritur lignum Vitæ. Quod illud, noſſe ſi voles? Eſt amabilis, fœcunda, divina Crux; enaſcitur illa ſurgitque è terris, elabitur illa floretque Cœlis, ut utramque Orbis Soliſque domum fructu ſuo compleat, ſatiet, beet.

Ab illa fluit in terris fructus vitæ, id eſt gratiæ, qua Deo Superiſque vivimus: ab illa manat in Cœlis vita gloriæ, qua beatæ mentes ævo fruuntur beatiore, ut ſit utroque in Orbe notum illud: *Deut. c. 28.* *Erit vita tua quaſi pendens ante te.* ſive mortalis pugnes in terris, ſive immortalis triumphes in Cœlis, ſemper oberrabit oculis tuis, ubertabit animo vita tua, eaque omnis à Cruce pendebit & fluet.

Ab ipſo mundi exordio, ortuque Eccleſiæ, redeo ad peccatum Adæ & Noëmi diluvium: utrumque à Cruce præſidium ſenſit & vitam amavit.

Si Rabbinis habenda fides, ubi infelix Adam à ſuo ſcelere audiit & extorſit illud Dei fulmen, *D. Damaſc. l. 4. c. 12.* *Morte morieris* (quæ Dei fuit miſeratio) unà etiam intellexit, ſive à bono genio, cuſtode Angelo, ſive occulto divinoque ſenſu, incertum; accepit tamen & audiit, uti ſibi ab unà arbore mortem paràrat, ita ab alia arbore vitam olim eſſe reparandam. hinc, inquiunt, cùm è Paradiſo pelleretur, & ab Angelo Deóque vindice fugeret, de via prenſabat imminentes arborum ramos, iiſque ſibi moram in Paradiſo faciebat, unde ſibi vitam aliquando fore præſagiebat. A peccato Adami, ab infelici pomo, à funeſta arbore elabor ad Noëmi diluvium: & illi in mediis aquis, ipſáque mortis imagine, enatare, eminere potuit arbor vitæ, à qua ſpes omnis reparandi generis noſtri affulgeret.

Eo loci ac temporis nihil erat niſi pontus & æther, fluitabant in aquis urbes & orbes, totóque mors victrix eminebat elemento; octo dumtaxat animas, reliquias humanæ ſtirpis, portabat arca, eáque cedrus erat, ut à cedro, à Cruce vitam crederes eſſe repetendam. De illo ſeu Divinæ Juſtitiæ, ſeu miſerationis prodigio Sapientem audiamus:

Sap. c. 10. *Cùm aqua*, inquit, *deleret terram ſanavit iterum ſapientia, per contemptibile lignum juſtum gubernans*: in quæ verba S. Iſidorus ita habet: *In cap. 14. Gen.* *Noë per arcam & lignum liberatur; lignum quippe & aqua Crucem deſignat & Baptiſma: ſicut enim ille cum ſuis per lignum & aquam ſalvatur; ſic familia Chriſti per Baptiſmum & Crucis paſſionem ſalvatur.* hactenus ille.

A Noëmi diluvio tranſeo ad poſteras ætates, & eæ ſenſerunt vim ligni, & à Cruce vitam adamarunt. Cùm aridus eſſet æther, ſterile & effœtum ſolum, eoque ingens annonæ caritas & fames, à qua propè totus Orbis tabeſcebat; emiſit Deus Eliam in Sarepta. *3. Reg. 17.* *Surge*, inquit, *& vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim mulieri viduæ ut paſcat te.* Abiit Propheta, cumque jam immineret portæ civitatis, occurrit ei mulier colligens ligna: ab ea petiit aquam levandæ ſiti: cumque evolaret illa aquamque hauriret, addidit Elias: *Affer mihi, obſecro, buccellam panis in manu tuâ.* cui vidua: *Vivit Dominus Deus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio, ut comedamus & moriamur.*

D. Auguſtinus in ea vidua Eccleſiæ typum agnoſcit *Hom. 18. ex 50.* & amat; ait enim: *Mulier illa typum gerebat Eccleſiæ; & quia duo ligna crucem faciunt, quærebat moritura unde ſemper eſſet victura.*

Et verò à ligno vixit: abiit enim, paruit, & Eliæ coxit ſubcinericium panem: deinde ſibi ac filiolo ſuo, *& non defecit hydria farinæ, nec lecythus olei uſque in diem quâ Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.*

Neque tantùm à ligno, à cruce ſibi panem & annonam fecit, vitamque protraxit in meliores annos; verùm etiam filiolum, quem immatura mors eripuerat, vitæ reddidit. Dum hæret Elias in viduæ domo, ſeſeque ſuſtentat ſuccreſcente divinitùs annona; ecce aliud ingens malum hoſpitem invaſit: filiolum in tenella ætate mors occupavit, & matri vitæque ſubduxit: hinc uberes lachrymæ, alti gemitus, crebra lamenta, miſeri ac muliebres ejulatus à quibus etiam in querelas itum, & contra hoſpitem malè ominatum non ſemel eſt clamitatum; dixit enim ſeu ab amoris, ſeu à doloris æſtu impatiens vidua: *Quid mihi & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?*

Duræ voces, importuni, injuſti gemitus, quibus venia danda fuit: mater eſt, & nimiùm quàm afflicta mater. Non audit habenas amor dolorque, ubi à morte vitæ frænum excuſſerit. Et certè Elias ipſe veniam dedit afflictæ matri, imò & filiolo vitam reddidit. at quo, inquies modo, qua vi, quo impetu? Non alio quàm ſanctæ Crucis: *Tulit puerum de ſinu matris, poſuit ſuper lectum ſuum, expandit ſe, & menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus. & exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit.*

Sunt qui velint Eliam ideò ſe expandiſſe ſuper puerum, ut eo attactu recaleſceret caro pueri. At ego malim, ut apprimeret algido corpori, emortuis artubus figuram Crucis, à qua calor in artus, anima in corpus revocari poſſet.

Ab hoc Eliæ facto hauſit Eliſæus & illud: *Incubuit* & ipſe *ſuper puerum, & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* *4. Reg. c. 4.* dum puero incumbit, dum ei ſeſe incurvat, ſeſe in Crucem aptat & fingit; Crucem apprimit & vitæ meliori redonat. Ea nimirum vis eſſe ſolet quomodocumque ea imprimatur: in quo id uſu venit quod in regio ſigillo, ſeu auro, ſeu ære, ſeu ferro exprimatur, parum intereſt; fidem facit, pondus addit, auctoritatem conciliat, vel ex eo tantùm, quòd nota ſit & teſſera regiæ majeſtatis. Ita à quocumque Crux inſigatur, eſt vitæ nota, teſſeráque ſalutis.

Ex his aliiſque rerum eventis fortè ad Ægyptios & Romanos emanare potuit eadem ſalutis vitæque nota.

Habuit Ægyptus, ceteras inter Orbis partes probè docta & litteris exculta; habuit, inquam, & exhibuit ſymbola ſua & characteres hieroglyphicos, quos inter is eminuit, quem ἱερατικὸν, ſive Sacerdotalem dixerunt. *Gretſ. l. 1. de Cruce c. 45.* Crucis ille ſpeciem præ ſe tulit, & vitæ venturæ ſymbolum fuit.

Et meritò Crux fuit littera & character Sacerdotalis, quem Univerſo primus inſcribere debuit Dei Filius, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

At quo, inquies, penicillo ſcripſit? Quo imbuit colore? Ne atrum crede, ne virides effunde & fluentes aquas. Quiſquis in Crucem influxit color, purpureus fuit. Ab atro colore luctus & mœror; à viridi, brevioris ævi vitæque fluxus. At à purpurâ, colore regio, à ſanguine vitæ fomite, & ſi voles etiam fonte, manare debuit prima vitæ littera, quæ non tempori, non terræ, ſed Cœlo ſcriberet & beatæ æternitati: ea porrò Crucis fuit.

Hanc etiam ut vitæ ſymbolum adamarunt Romani, apud quos littera T ſoſpitatis & incolumitatis inſigne fuit: ex quo in morem abiit illa ſcribendi ratio, ſi militis nomini appenderetur T, ipſum in bello ſuperſtitem jactabat; ſin autem θ obiiſſe legentibus innuebat.

Imò & apud judices is quoque mos invaluit, ut

damnati

damnati morte litterâ θ, liberandi verò litterâ T notarentur: quem ego morem ab Hæbræis primùm ad Græcos, dein ad Romanos crediderim defluxiſſe. Factum illud amabili Dei providentiâ, quæ etiam in litteris ludere amat, & futuris bonis præludere, ut jam inde noveris à Cruce vitam meliorem, vitæque fructus emanâre: hæc nimirum eſt vita, de qua vas
Coloſſ. 3. electionis Paulus: *Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita*
v. 3. *eſt cum Chriſto in Deo.*

§. 5.

QUINTUS FRUCTUS CRUCIS.

Victoria.

JActavit olim antiquitas heroas magnos, qui ſibi ab armis nomen, ſuis autem ab hoſtium cæde & inſigni victoriâ ſalutem fecêre. Ne à ſacris litteris & hiſtoriis diſcedam, Judices inter illuſtris fuit *Samgar*, id eſt advena, vel ut alii, bellator. Fuit ille filius *Anath*, hoc eſt miſeriæ & calamitatis: è rure & agro ad imperium evectus, in eo ita ſe geſſit, ut hoſtibus terrori, patriæ ſaluti fuerit.

Argumento ſit illud unum Scripturæ eloquium:
Judic. c. 3. *Samgar filius Anath percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros*
v. 31. *vomere, & ipſe quoque defendit Iſrael.*

In obvios agros & innoxia ſata ruebant Philiſthiim: cùm fortè operi ruſtico & agriculturæ vacaret Samgar; non tulit earum agris & ſatis ſtragem inferri, eam Iſraelis nomini infamiæ notam inuri: amor doloreque arma ſubminiſtrant. Eo ipſo vomere, quo terram verſabat, hoſtes verſare, tundere, mactare cœpit; & ex iis ſexcentos ſolo ſtravit letho que dedit: Hunc ego vomerem, ut olim ſuum Plinius, laurea-
Lib. 18. c. 3. tum, & aratorem triumphalem appellare poſſim.

Sed quorſum, inquies, jactantur iſta? Quid nobis cum priſco illo heroë? Ad noſtra tempora & inſtitutum quid faciet? Faciet enimverò plurimum. Quodcumque ei ſeu corporis, ſeu animi robur, quæcumque pugnæ, victoriæ, triumphi, in iis velut umbratili ſcenâ luſit divinus amor, & Chriſto patienti præluſit. Fuit ille velut alter *Samgar*, advena fuit, & peregrinam, humanam dico ſpeciem aſſumpſit, ut nos in terris errantes ac peregrinos patriæ meliori redderet. Fuit deinde *Samgar filius Anath*, hoc eſt calamitatis & miſeriæ, vir dolorum, & ſciens infirmitatem. Fuit denique *Samgar bellator* fortis, qui tartareas legiones invaſit, fudit, diſſipavit, & uno vomere, una Cruce profligavit. Ne mirêre quod vomerem Crucem appellem, vomere frangi ſulcarique ſolet terra: & illa virginis terra, intemerata Chriſti caro, Cruce ſeu vomere frangi, & in quoſdam veluti ſulcos à vomere duci potuit. At ubi ipſe vomer, illa ipſa Crux in Chriſti manus evaſit, tum in ferrum abiit, & hoſti plagam inflixit, ab aratro, à divino vomere proſtravit. Ita modò laureata Crux eſt, & palmas & victrices lauros oſtentat.

Sed abeamus à rure & petitis armis ab aratro. Nobiliora portendit illa Davidis gloria, decus illud
2 Reg. 23 æviternum: *Sedens in cathedrâ Princeps ſapientiſſimus*
v. 8. *inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.*

Quod in Davidem olim, hoc modò in Chriſtum cadit. Sedit hic in cathedra, in pulpito Crucis, è quo docuit quàm grave, quàm immenſum peccati pondus, quàm immane debitum, cui connivere, ſuccumbere, immori ipſe debuit: Princeps omninò ſapientiſſimus, imò & ipſa Æterni Patris Sapientia, quem noſter amor & ſui ipſius demiſſio omnibus honorum & gloriæ titulis ita exuit, ita abjecit, ac ferè proſtituit, ut non homo, ſed quaſi tenerrimus
Pſal. 21. ligni vermiculus dici haberique poſſet; ut de ſeipſo dixerit: *Ego ſum vermis & non homo.*

Qui ligno inhæret, inſidet, innaſcitur vermiculus, eſt ille quidem molliculus, & tamen ipſum lignum terebrando perforat. Erat Chriſtus in ſuâ illâ abjectione, erat in Cruce, quaſi tenerrimus ligni vermiculus, & tamen in ea ipſa lignum terebrabat & quantumvis dura, lignea, arida hominum corda penetrabat. Erat in pace tener & mollis ut vermiculus: erat in bello durus & fortis ut lignum, quo ligno octingentos, id eſt, longè plurimos interfecit impetu uno: *Regnavit* enim, vicit, triumphavit *à ligno Deus.* hoc ligni robur, hæ Crucis victoriæ, ad quas jam inde à primis ſæculis aſpirabat ille ipſe ſapientiſſimus David. Cùm premeretur ingentibus hoſtium copiis, adverſa vi & inſolenti armorum æſtu ac tempeſtate tantùm non obrueretur; ut ei modum finemque poneret, altùm ſuſpirans & gemens exclamare ſolitus:

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt
me, & confundantur; quoniam tu Domine adjuviſti me Pſal. 85.
& conſolatus es me. quod, inquies, eſt illud ſignum v. 17.
in bonum? Quod oſtentum adeò ſingulare divinæ bonitatis? Si Dydimo credimus ſignum illud eſt Virgo Deipara. hoc olim ab Iſaia datum Achab: *Pete* Cap. 7.
tibi, inquiebat, *ſignum à Domino.* v. 14.

Aliis ſignum illud eſt Chriſti Nativitas, de qua Angeli ad paſtores, *Invenietis infantem pannis involu-* Luc. c. 2.
tum, & poſitum in præſepio: & hoc vobis ſignum.

Aliis ipſe Chriſtus infans, quem S. Symeon appellat ſignum *cui contradicetur.*

D. Auguſtinus ait ſignum illud eſſe Jonæ Prophetæ: de quo hoc pronuntiatum Primæ Veritatis: *Ge-* Matth. 16.
neratio mala & adultera ſignum quærit, & non dabitur ei niſi ſignum Jonæ Prophetæ.

Tertulliano ſignum illud eſt Charitas, mutuaque dilectio, quæ eſt veluti ſignum, teſſera & nota diſci- Joan. c. 13.
pulorum Chriſti: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſci-* v. 35.
puli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.

D. Gregorio eſt ſignum miraculorum.

Hæc SS. Patrum placita, è quibus magis probatur
illud D. Hieronymi: ut *ſignum* illud *in bonum* ſit ſig- Lib. 9. Epiſt.
num *thau*, ſignum Crucis, de quo & illud Iſaiæ ora- epiſt. 19.
culum: *Erit Dominus nominatus in ſignum æternum.* in Ezechiel. 9.
quæ verba D. Hieronymus: *Signum erit Dominus in nomen, & in ſignum æternum, ut ex ipſius appellentur nomine Chriſtiani, & Crucis ejus inurantur cauterio.* medicum omnino cauterium, ſignum illuſtre victoriæ ac triumphi, ſeu cum hoſtibus in vitâ certandum, ſeu cum ipſa morte luctandum ſit.

De hac piè D. Cyprianus: *Non timetur mortis periculum, ubi tanta reverentia conſpicitur ſignum.* In extrema illa lucta, in ipſis vitæ mortiſque confiniis, in bivio æternitatis faciet nobis Deus ſignum in bonum, ut videant qui oderunt nos, & confundantur, & pereant: & hæc ultima eſt à Cruce victoria, in qua vertitur cardo totius æternitatis: tum enim viciſſe, aut victum eſſe, æternum eſt. Sed & alius eſt à Cruce triumphus, aliæ lauros & palmæ, quæ in omni vita ſuccreſcunt. Fuit enimverò, eritque in omne tempus, Crux ipſa ſignum & arrha victoriæ.

Eruamus aliquod ex antiquitate monumentum. Cùm adverſus Maxentium iter intenderet Conſtantinus; Romam appropinquanti, & de belli eventu ſollicito, die ſerena Crucis ſacræ ſignum in Cœlo cum hac inſcriptione monſtratum eſt, *In hoc ſignum vinces.* Neque vana oſtento Fides aut Religio: Crucis virtute Maxentius ad pontem Mylvium victus eſt, flumineque hauſtus: ita Roma graviſſimâ tyrannide erepta, religioque Chriſtiana, quæ premebatur, erecta. ab illo Crucis ſigno factum, ut ille ipſe Conſtantinus Crucem in galeam erexerit; dicique de eo poſſet, Galea ſalutis in capite ejus. Ita primùm ſuo genio, auguſtæque devotioni indulſit pius Cæſar: deinde ſic poſteris conſuluit, ut & ipſi ſignum Crucis, tamquam victoriæ ſymbolum in oculis, in animis ſemper haberent. Idcóque divino quodam afflatu æream Crucem in foro ſupra columnam poſuit, quam ipſe *νίκην*, id eſt victoriam appellavit.

Senſerat nimirum & ſibi ab illa datam eſſe victoriam & poſteris etiam ætatibus concedendam: hoc enim Chriſtiano militi inter arma oblatum eſt præſidium.

Orat. de ador. Crucis. *Vides*, inquit D. Chryſoſtomus, *quomodò militem, qui ſe ſequatur, Rex cœlorum armat: non dedit ſcutum, non galeam, non arcum, non thoracem, nec aliud quid de genere armorum; ſed quod his omnibus firmius & valentius eſt, præſidium à Cruce, & ſymbolum victoriæ: hoc gladius eſt, hoc clypeus, hoc thorax, hoc tutum propugnaculum, hoc portus, hoc perfugium, hoc corona.* Ita Chryſoſtomus de præſidio Crucis, quod non tantùm Conſtantinus, ſed & poſteri ſenſêre.

Convenit hoc loco referre nobiliſſimam victoriam, qua nulla clarior extitit in Hiſpania, non humanis viribus, ſed Superûm ope, Crucisque ſigno partam. *Mariana de reb. Hiſp. l. 11. c. 24.* Hiſpaniam occupaverant Mauri, & infami latrocinio lacerabant: ut eo ſe expediret Alfonſus Caſtellæ Rex, militum manipulos colligit, non tam numero, quàm animis & religione præſtantes: exigui videri poterant, nec hoſti pares; à Cœlo petendæ ſuppetiæ, quæ à terra negabantur: albente Cœlo pœnitentia & Euchariſtia religiosè expiati, aciem ad pugnam inſtruunt. Intereà Maurus quo inſtituerat ordine, ſuas copias ordinat; ea multitudine, ut valles & colles obtegere viderentur: ubi ſtetêre in pugnam adverſæ acies, & ſuos hinc Alfonſus, inde Maurus ad fortiter dimicandum brevi oratione compuliſſet; magnis utrimque animis concurritur. Victoria diu anceps fuit, cùm & hi & illi pro extrema ſpe dimicarent: tandem ab Alfonſo ſtetit; cæſaque eo prælio ducenta Maurorum millia, & in his equitum omnino triginta. in qua hoſtium ſtrage, & immani cæde miraculo fuit, è noſtris viginti quinque tantùm occubuiſſe, Roderico præſule auctore: quamquam alii quinderim ſupra centum deſideratos affirment. Exiguus uterque numerus pro tam illuſtri victoria: ad quam ſanè multum contulit ſignum Crucis vario colore in aëre ſub ipſum conflictum viſum, à quo Catholico militi crevit animus, & Maurorum concuſſa mens eſt; & quamquam de hoc ipſo Crucis oſtento inter Auctores nonnulla lis ſit & controverſia, attamen inter illos ſatis convenit, Paſchaſium Crucem, quam Roderico præſuli de more præferebat inſignem, per hoſtium cuneos ſemel & ſecundò circumtuliſſe evaſiſſéque incolumem, tametſi telis omnibus peteretur, multæque ſagittæ Crucis haſtili confixæ & innoxiæ adhæreſcerent. ita verum illud Prophetæ:

Pſal 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à ſagittá volante in die: cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.*

Et hæ in ipſo continenti partæ ſunt à Cruce victoriæ: vis alias in ipſo aquæ elemento; licèt vacuum, inconſtans, fugax, immite, indomitum ſit illud, à cruce tamen edomari potuit.

Ad tua ſæcula, invicte Moyſes, ad tuas ætates recurro, ô Iſraël: cùm te inſtructa ad pugnam acie, immani equitum turma, moléque curruum ſequeretur Pharao, & propè aſſequeretur, non aliud effugium fuit, quàm apertum & divulſum mare, quod à dextris & à ſiniſtris pro muro fuit. ſed unde fluido & fugaci elemento ea vis impreſſa? Utique à Cruce. *Damaſc. l. 4. c. 12. de fide.* Moyſes virga mare percuſſit, eíque figuram Crucis impreſſit; diceres inane elementum ſenſiſſe virtutem Crucis, illicò ſtetit, ſeſeque in vallum extulit & erexit: adeò venerandæ Cruci nihil impervium, nihil indomitum, nè ipſum quidem aquarum elementum.

Hæ tibi è multis à Cruce victoriæ; quas dum audis, audi & D. Ambroſium benè ſuadentem, ut ab ea tibi in hac vitæ militia præſidium facias: *Lib. 2. de Abraham c. 7.* *Exercitata mens*, inquit, *non aquilarum præfert imagines, nec dracones; ſed in Cruce Chriſti, & in nomine JESV progreditur ad prælium, hoc ſigno fortis, hoc vexillo fidelis.*

§. 6.

SEXTUS FRUCTUS CRUCIS

Refrigerium in æſtu ſiniſtri cordis.

VIrorum olim fortiſſimus Sampſon *inventam maxillam, id eſt, mandibulam aſini arripiens interfecit in eâ mille viros.* *Iudic. 15.* è qua pugna, & hoſtium ſtrage propè exhauſtus, præ nimia ſiti exareſcere & deficere cœpit: Quid ageret in iis anguſtiis? Terra durior & arida fontem & lymphas negabat: cœlum itaque ſuſpicit, Deum inclamat, & votis penè fatigat ſuis. Res mira! ſupplici affuit divina miſeratio, & è mandibula aſini, quam fortè in terram abjecerat, limpidum & copioſum fontem eduxit, quem largè bibit & plenis buccis hauſit. Itáque ſitis extincta, & animus ſibi redditus: *Aperuit enim Dominus dentem molarem in maxillâ aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ.* *Verſ. 19.*

De hac maxilla déque dente ac fonte multa quæri poſſent. Primum quidem, eruperitne ille fons è terra, ac deinde in molarem dentem inſilierit, ex eóque velut è canali fluxerit? Hoc vult Joſephus, Arias, & è Rabbinis nonnulli; contra quos pugnavit Ambroſius, Hieronymus, & alii, qui non è terra, ſed è maxilla velut una primáque ſcaturigine manaſſe ſentiunt. ex quo conficitur, illum fontem unà cum maxilla huc atque illuc transferri potuiſſe. Neque adeò novum & inſolens illud cuiquam videri debet; ſi enim verum illud, quod gloſſa habet in caput *Revera*, verbo *petra*; petra, de qua fluxit aqua in deſerto, *De conſecr. diſt. 2.* ſequebatur filios Iſrael: Qui, inquies, ſequebatur? Maris ſoror Moyſis ſecum extulerat partem illius *Rabbini* petræ, & ubicumque opus erat aquâ, illa percuſſa dabat aquas. ita perennes Divinæ providentiæ rivuli, apertique fontes, quos claudi & exareſcere non patitur. Quod in petra; hoc in Sampſonis maxilla fieri potuit; potuit illa, unáque fons ejus, & aquæ perennes circumferri. Perennes aquas voco; neque enim facilè crediderim, eos maxillæ rivos & fontes, ubi bibit, ubi ſitim extinxit & ſedavit Sampſon, illicò exaruiſſe; ſed fluxiſſe poſteros in annos & ſæcula.

Teſtem habeo D. Hieronymum, qui etiam ſuo tempore manaſſe ſcribit; ita enim habet in epitaphio Paulæ: *Apud fontem Sampſon, quem de molari dente mox ille produxit, ſubſiſtam parumper, & arentia ora proluam.* eas Sampſonis aquas, perennes rivos, amabat vir ſanctus, & iis arentes fauces & ora proluere geſtiebat.

Sed abeo longiùs; ad Crucem Chriſtumque redeo: & ille perennes effundit aquas, non eas quas è maxilla, & molari dente eduxit Sampſon, ſed mirum quantùm meliores. Ubi mille viros aſini mandibulâ interfecit Sampſon, ab illa ſtrage ſitit: ſeſe in fontem aperuit mandibula, & aquas ſudit. Sampſone utique potior Chriſtus, ubi Cruce velut altiore mandibula armatus, proſtravit non dico mille viros; ſed omne genus hominum ſibi ſubjecit, ſtygiasque poteſtates edomuit: ab illa lucta pugnáque propè exhauſtus exclamavit, *Sitio.* Qua parte ſcaturire fontes, aquæ fluere, laxari ſuaves lymphæ poterunt? Aperitur ferro latus, & è patenti latere perennes effluunt & manant aquæ; neque tam Sampſoni noſtro, Chriſto, inquam, jam emortuo, quàm nobis noſtræque ſiti ac ſaluti elabuntur.

Si quæras, cur non è maxilla, è dente molari manent aquæ? In promptu cauſa eſt; quia nec maxilla ferit, nec dente mordet qui injurias Cœlo illatas parcendo obliterare venit, non ulciſcendo plectere. Sed cur è latere, eóque dextero? Reſpondent plerique, & benè; explicari nobis & à lancea patère dextrum latus, quòd nobis Chriſtus propinare niſi è dextra. Eſt dextera multùm amabilis, felix, fortunata; ideóque amabiles, felices, fortunatos antiquitùs, filios dexteræ appellari placuit. Is Jacobo

patern

parenti fuit *Benjamin*, qui filius dextræ, qui matri dictus erat *Benoni* filius doloris.

Eras, ô peccator, eras Eccleſiæ matri *Benoni*, doloris filius; at Chriſto, mirùm quantùm tui amanti, viſus Benjamin, filius dextræ, amabilis, felix, fortunatus: ab illo amore, ceu perenni ſonte, tibi è dextro latere ſacros effundit latices, quos largè haurias, ut felix ſis, & æternùm fortunatus.

Et hæc divinæ charitatis inclinatio tibi dextrum Chriſti latus aperuit, quod benè ominatum foret, imò & vulneri tuo medicum: pro eâ, qua erat altiſſimæ mentis vi ac perſpicaciâ, videbat Chriſtus mortalium corda in ſiniſtram vergere & inclinari; ad dextram ſparſo latice revocare voluit. Si medicos audimus, eſt cor hominis ſitum in medio pectore, paululumque vergit ad ſiniſtram; habet hinc & hinc geminos ſinus & quaſi ventriculos; dextrâ alterum, alterum lævâ: qui dextram occupat, eſt officina purioris & defæcati ſanguinis; qui ſiniſtram tenet, eſt ſedes ſpirituum, qui per ipſas venas arteriasque diffuſi pulſus excitant, & crebras venarum arteriarumque micationes: hos inter ventriculos medium eſt, cor, quod in ſiniſtrum latus molliter inclinat & vergit, eo naturæ conſilio, ut ſiniſtra frigidior, modica illa cordis inclinatione recaleſcat.

Quod naturæ datum eſt, hoc plerumque etiam vitio datur: cor hominis, animus, mens, cogitatio, declinat in ſiniſtram: quod ipſum jam inde ſuo ævo Sap. 1. 10. cecinit Sapiens: *Cor ſapientis*, inquit, *in dextrâ ejus, & cor ſtulti in ſiniſtrâ illius.* Ea porrò cordis inclinatio, is lapſus fit ab æſtu & maligna febri, qua corripitur animus. ut enim concinnè D. Ambroſius:

Lib. 4. Luc. c. 4. *Variis criminum febribus caro noſtra languebat, variis cupiditatum æſtuabat illecebris, nec minorem febrem amoris eſſe dixerim, quàm caloris, itáque illa animum, hac corpus inflammat; febris enim noſtra avaritia eſt, febris noſtra libido eſt, eò quòd ignita ſint cupiditates; unde* 1. Cor. 7. *& Apoſtolus ait, Si non ſe continent, nubant; melius eſt nubere quàm uri: febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt, quæ licèt corporis vitia ſint, ignem tamen oſſibus implicant; mentem, animum ſenſumq́, perturbant.*

Ubi blandiùs primùm pertentârint, ubi deinde implicârint tenaciùs, ubi denique incenderint vehementiùs, tum verò ad ſiniſtram valido impetu rapiunt, ad terrena, abjecta, caduca, vitioſa detorquent: ut Chriſtus ad dexteram revocet, ad cœleſtia & divina transferat, dextrum latus aperiri & pateſcere voluit, ut ex eo flueret divini latices, ſuaves aquarum illecebræ, quibus miteſcere, ſopiri, & extingui poſſet omnis ille febrilis æſtus, qui animum invaſerat.

Succurrit & altera: nos humiles animæ, fugitivi milites, abjecto virtutis clypeo dextrum latus hoſti dederamus, ideóque & dextrum dedit ipſe Chriſtus, ut inde flueret aqua, quæ noſtro vulneri medelam faceret.

Unum tamen eſt, quòd piè doctéque advertit D. Bernardus; Chriſto dextrum latus non eſſe apertum niſi poſt mortem, ut nos vel ex eo doceret, quamdiu ſpiramus & vivimus, omni modo tueri & armare dextrum latus, cui vel maximè imminet hoſtis, cui vulnus & ſtragem apparat, ut indubitatum Pſal. 90. ſit illud Prophetæ Regii: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.*

Hoc in loco, utpote obſcuro & difficili, ingenioſa ſeſe verſat ſanctorum Patrum induſtria.

D. Euſebius de Chriſti tentatione ac victoriâ cenſet intelligi oportêre: Ubi ille in deſerto ſtetit ubi à malo dæmone petitus fuit; à ſiniſtro ejus latere mille, hoc eſt pauciores dæmones, à dextro decem millia, id eſt, longè plurimi fuêre, qui licèt dextero lateri imminerent, ad eum tamen non appropinquarunt.

Valentia etiam de Chriſto explicat, Chriſtique in Cruce victoria, in qua à ſiniſtro latere Judæos ſtatuit, gentiles à dextro: quibus ita conſtitutis; cadent, inquit, à latere tuo ſiniſtro mille, Judæi cadent & convertentur, ſed omninò pauci: at verò à dextris decem millia, Gentiles intellige quàm plurimos, qui Chriſto vocanti obaudient & manus dabũt.

Huic ſententiæ jam antè ſubſcripſit Clemens Romanus, qui teſtatur Apoſtolos locum illum interpretatos de Gentium converſione, quos & ipſi à Chriſti dextris ſtatuêre: quod nobis honori & ſolatio eſſe debet, qui jam inde ab Eccleſiæ primordiis Chriſtique Cruce, in dextris locum invenimus.

D. Bernardus ea Pſalmiſtæ verba aliò vocat; ait enim à latere ſiniſtro, nimirum ab adverſitate, cadere mille, ſive paucos: à dextris verò, nempe à proſperitate, perire quàm plurimos: *Cadent*, inquit, *à latere tuo mille, ſiniſtro ſcilicet, per quod ſignatur adverſitas: & decem millia, id eſt, multò plures à dextris tuis, in quibus proſperitas deſignatur.* Serm. 5. in ram. pal. Plures enim ſunt, quos nimiùm effert proſperitas, & ſui Deique immemores facit; pauciores autem quos Cœlo abjicit adverſitas.

Hæc ſententiarum inter ſe pugna, in qua magis arridet ea, quam ſecundo loco paucis inſinuavi, ut dextrum latus ſit ipſa virtus, animi bona, æterna cœleſtisque felicitas: ſiniſtrum verò bona corporis, & fortunæ humana caducáque proſperitas. virtutis ſtudio, animi bonis, cœleſti & æternæ beatitati, magis inſidiatur hoſtis, quàm terreni & mortali: hinc à virtute, à beatitate cadunt, excidunt omninò decem millia, hoc eſt quàm plurimi: felices porrò ac beati, qui in hac vitæ militia, in frequenti hoſtium aſſultu, & periculoſa hujus pugnæ ac ſalutis alea, dextrum latus ſolliciti & fortes armant, pro virtute, pro Cœlo pugnant fortiter, vincuntque feliciter. Infelices porrò, & nimiùm quàm ſtulti, qui dextrum hoſti nudum objiciunt & ſiniſtrum tantùm, caduca, inquam, hujus vitæ bona tuentur. quiſquis ejus fortis eſt miles, ſciat ille ſibi in die Judicii, in longa æternitate ſiniſtrum eſſe reſervatum.

§. 7.

SEPTIMUS FRUCTUS CRUCIS.

Lumen divinioris ſapientiæ.

A Cruce velut alio Cœli ſolique Sole, velut Eccleſiæ candelabro, velut igneâ quadam columnâ, dimanat & effluit divinioris ſapientiæ lumen: quod ut in aperto ſit, quæ, quanta ſit illa lux, videamus.

Figura Crucis omnium perfectiſſima, plenáque cœleſti lumine.

Fuit olim in ſcholis agitata hæc quæſtio, quæ foret figura omnium perfectiſſima? Cenſuerunt plerique omnes eſſe circularem; ita docuit Plato in Timæo: rationem reddidit, quòd figura ſphærica omnes alias figuras ſuo ſinu & ambitu claudere & continere poſſit: poteſt enim & quadra, & triangula, & alia cujuſvis generis circulo capi; circulus autem nulla alia figura claudi & circumſcribi poteſt.

Platoni conſenſit Cicero, ſecundo de naturâ deorum, ubi de Cœli figurâ ita loquitur: *Quid pulchrius eâ figurâ, quæ ſola omnes alias figuras complexa continet, quæq́, nihil aſperitatis habere, nihil offenſionis poteſt, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum.* Hactenus orator.

Pro eadem figurâ pugnat etiam Ariſtoteles, eamque vult eſſe omnium facilè principem; utque velit, ducitur his argumentis: Primùm, figura circularis omnium prima, adeoque perfectiſſima. Primam ex eo convincit, quòd circularis unâ lineâ continetur;

tor; aliæ verò figuræ omnes pluribus componantur: unum autem & ſimplex, pluribus & compoſito prius eſſe debet.

Altera ratio, qua ſuum inſtitutum probat, ea eſt. Perfectum naturâ eſt prius imperfecto: circularis autem linea perfecta; recta omnis imperfecta. quod ut conficiat, hac utitur ratiocinatione: Imperfectum eſt, cui ſemper aliquid addi poteſt, perfectum verò, cui nulla fieri poteſt acceſſio: rectæ lineæ ſemper aliquid adjungi poteſt; circulari verò nihil omninò poteſt accedere: ergo neceſſum eſt, ut rectam, imperfectam; circularem verò perfectam eſſe fateamur.

Et hæc prima ratio, cur Philoſophi primo & nobiliſſimo corpori, id eſt cœlo, figuram globoſam attribuant; imò etiam & Angelis ſphæram adſcribant Theologi, ubi docent Angelos ſubſtantiam ſuam in Orbem & circulum extendere; & illum ambitum circularem, ſphæram extenſionis Angelicæ appellare ſolent.

Imò & ipſi ſupremo Numini, primæ altiſſimæque menti, eam aſcribit Triſmegiſtus; rogatus enim, Quid eſſet Deus? Ubi ſeipſum torſit, ubi omnem ingenii ſui vim & aciem explicuit, ut Dei ſui terminum ac definitionem inveniret: tandem eam extulit: *Deus eſt circulus, cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam.*

Et hæc pro figurâ circulari.

Stant alii pugnantque fortiter pro figura quadrata, eamque volunt omnium abſolutiſſimam, quòd ea ſemper conſiſtat ſua mole, nec unquam decidat: & inde factum autumo, ut figura quadrata antiquis fuerit ſymbolum firmitatis; & contrà, circularis, inconſtantiæ. Ita ex eo ſenſu, majores noſtri ſapientiam, quæ ſua mole firma ſtabiliſque ſemper eſſe debuit, in quadrato hærentem poſuerunt; & fortunam, quæ varia, inconſtans, volubilis, nullo loco pedeque conſiſtens audiebat, verſatili globo inſidentem effinxerunt.

Ex eadem perſuaſione factum, ut Ariſtoteles hominem conſtantem quadratum vocitarit; quòd ad omnem fortunæ jactum firmus ſolidusque in ſapientia conſiſteret, cùm alii leves volvantur & rotentur ut globi.

Ita denique etiam Theologi in ſcholis docere, jactare in pulpitis, & cœlo Empyreo figuram omninò quadram addicere; quòd beatæ ſtabiliſque vitæ ſedes eſſet, eique quàm optimè conveniret quadrata figura, quæ firmitatis erat ſymbolum: ut è contrà, cœlis & orbibus inferioribus figuram circularem eſſe voluêre, quòd ea motui & revolutioni rerum omnium ſublunarium maximè ſervire poſſe videretur.

Et hæc dicta velim ex Aſtrologiæ & Mathematicæ placitis: eſt tamen aliud, quod ſequor & amo ex Arabum ſcholis & Lycæo ſecratiore.

Cenſuerunt illi figuram omnium facilè principem, eſſe figuram Crucis, eamque ita ſuſpexerunt, ut ipſius Cœli ſiderumque dominam, ut omnium miraculorum effectricem eſſe dicerent: qui ſenſus & opinio unum etiam illud perſuaſit, ut Oſiridi, ſive Soli planetarum principi, Crucem attribuerent. Lubet ea vetere tabella hujuſce rei veſtigium petere.

Pictor aliquis doctâ manu, facilique penicillo, in nudæ tabellæ area effinxerat imaginem & ſimulacrum Solis hujus aſpectabilis: erat illi ingens radiorum nitor, & velut amœnus quidam igneæ lucis candor, qui è multo radiorum illapſu, inſitoque fulgore prominebat. Hos inter radios, ipſamque cognatæ lucis imaginem, media viſebatur Crucis figura, in quam velut in centrum deduci mittique ſolares radii, & ab eâ viciſſim multo fœnore reduci, remitti, repercuti in omnem omninò circumferentiam immenſi corporis, ut meritò dubitares, plúſne à Sole Crux ipſa luminis, quàm ipſe ſol à Cruce accepiſſet. Hæc erat tabellæ ſpecies & imago, eáque Cruci maximè conſentiens; cui appendi poterat hæc epigraphe:

In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Pſal. 18.

Ubi enim meliùs fingi pingique Crux poſſit, quàm in ipſa Solis imagine ac ſimulacro? Eſt ipſe Sol aſtrorum Princeps, fons luminis, Orbis oculus, temporum arbiter, naturæ gratia, Cœli gemma, ſoli vita, verbo uno, divinæ mentis ac ſapientiæ ſpeculum aliquod ac ſimulacrum, cui proinde amica & cognata Crux eſſe debuit.

Sed abeamus ab illo Sole aſpectabili: alium volumus & amamus: & fortè alium voluerunt, & amarunt Arabes illi Sophi.

Si Verbum Æternum, ſi Dei Filium ſpectes, fuit ille & Solis & aſtrorum & Univerſi Princeps; fons fuit & origo divini luminis, cœleſtis Orbis, imò veluti quidam Sanctiſſimæ Triadis oculus, & Increata Patris Æterni Sapientia. Ea primò ſe quodammodò claudi & contineri paſſa eſt figurâ quadrâ, id eſt, cœli Empyrei ſeptis, & cancellis beatæ illius ſedis; tum deinde deſcendit in inferiores Orbes, in hujus terræ globum, & eo paucis annis teneri & circumſcribi voluit; nec eminere, nec illuceſcere, donec tandem erupit evaſitque, & figuram ſuſpiciens Crucis, ab eáque ſuſceptâ ex illâ clariùs & uberiùs emicare cœpit. Ut enim Sol ille noſter, qui mortalibus oculis viſitur, qui terris ſurgit & lucet, quandoque latet & tegitur objectu denſæ & opacæ nubis, quam ubi vicerit, tum verò gratiùs eminet, & Cœlo Solóque altiùs irradiat. Ita factum in novo Sole, Æterna Dei Sapientia. Chriſti Divinitas in hoc mortali corpore velut immerſa multis annis latuerat; non emerſerat è nube corporis, ſed ea etiamtum tegebatur, & humanos oculos animosque fugiebat. at ubi in Crucem aſcendit, ubi à Cruce, à morte diſrupta corporis nubes, tum verò longè quàm maximè illuxit: & ne vacua verbis meis ſit fides, ipſum audiamus.

Imminebat Servatori optimo dies ultima, vitæ meta, acerbæ & funeſtæ mortis ſupplicium: ut ei viam faceret, ex Bethania Hieroſolymam venit. Ubi audiit Solyma adventare Chriſtum, quem ut Prophetam & Thaumaturgum habuit, totis portis effunditur; pars una palmarum ramos oſtentat; pars altera explicatâ veſte viam ſternit & mollit; pars inclamat lætum illud acroâma, *Oſanna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini.* Matth. 21. neque tamen vel in hoc populi concurſu, vel in his plauſibus, ac feſtivâ gratulatione ſe prodit quæ latebat lux aurea, Sol æternus Divinitatis: neque verò ſe prodet niſi in Cruce & è Cruce: ideóque ad illam anhelat, Patrem æternum compellat, & ait: *Venit hora ut clarificetur filius hominis, Pater clarifica filium tuum.* Joan. c. 12. Nec ſibi, nec filio defuit Æternus Pater; venit enim vox de Cœlo dicens: *Clarificavi, & iterum clarificabo.* ſed qua viâ, quo tramite ſeſe fundet ea claritas? Non alio, quàm viâ Crucis. Audio enim, reſpondet, *in illâ horâ.*

Mirum profectò illud & inſolens! Video in fatali illa hora, ipſa Filii tui morte, omnia ſurſque deque verti, cœlos, terras, inferos commoveri, concuti, diſrumpi: tegitur Cœlum atra nube; ipſeque Sol, Orbis oculus, ne humanæ perfidiæ teſtis eſſet, ſeipſum ſuosque radios terris eripit, & adulta nocte tegit atque obruit: & tamen in hac Cœli terræque caligine, his in tenebris triſtique nocte, ait: *Clarificavi, & iterum clarificabo.* ipſa marmora, ipſæ petræ, à natura ſua quaſi degeneres, roboris ac duritiæ ſuæ oblitæ, diſſiliunt & franguntur; & nihilominùs ais: *Clarificavi, & iterum clarificabo.* Ipſi inferi panduntur, lugent, ingemiſcunt, emergunt in mortales auras, & inviſis ſpectris obvios quoſque horrore attonitos tenent & quatiunt, & ais: *Clarificavi, & iterum clarificabo.* Una fatiſcentis naturæ vox eſt,

unus

unus Cœlo luctus, unus & communis terræ mœror, ubi Deus in Cruce pendet, & cruentam à ſuppliciis expirat animam. & tamen in hoc naturæ, cœli terræque luctu ac ſquallore ais: *Clarificavi, & iterum clarificabo?*

Ita factum omninò eſt: nunquàm ita ſe prodiit Chriſti Divinitas, ſapientia, lumen, majeſtas, niſi eò loci ac temporis: tum enim omnis creatura Deum hominem agnovit, & Auctorem ſuum muta voce teſtata eſt: aſtra ipſa fugientia, Cœlum atra nube tectum, marmora diſſilientia, patentes inferi, Judæi pectora quatientes, omnis ordo, ætas omnis Deo in Cruce pendenti ingemuit, ejuſque morti ac funeri ſingultus & lacrymas infudit.

Si quæras unde hi doloris æſtus, & in iis elucens divinitas? Audies à Cruce: ea quippe & candelabrum fuit, & ignea columna, quæ altiùs emineret.

Crux lucerna in candelabro Eccleſiæ.

Luc. c. 11. *Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Erat Eccleſia Dei domus; lucerna ejus erat Agnus: latuerat ille totis triginta tribus annis, eóque ampliùs, ſub modio; poſitus tandem & erectus in candelabrum Crucis, ut luceret omnibus, qui in domo, in Eccleſia ſunt.

De hoc piè diſſerit Theophilus Patriarcha Antiochus: *Candelabrum*, inquit, *Crux Chriſti eſt, quæ totum mundum fulgore ſui luminis illuſtravit.* Quid candelabrum dico? Dicere debui Crucem nobis eſſe quod Hebræis olim columna nubis & ignis. L. 1. Comm. in Evang.

Longa illa Iſraelis peregrinatio quatuor maximè miraculis illuſtris fuit; è quibus hoc primum, quod per annos omnino quadraginta per avia & invia, vaſtamque ſolitudinem, circumduxerit innumeram multitudinem, quæ cenſebat hominum tricies centena millia, è quibus quadraginta totis annis ne unus affectâ valetudine, ne unus aut morbo aut morti ceſſit.

Alterum, quod unà cum ætate moléque hominis ſuccreſceret & ipſa veſtis, léque ipſa majori corpori adaptaret.

Tertium, quod è Cœlo manna flueret, è ſilice & arido ſaxo fœcundi latices fonteſque manarent.

Quartum verò longè maximum, fuit ea columna nubis & ignis, qui in medio æthere illuxit. hæc prodigia conceſſit Deus ad Moyſis, Mariæ ſororis, & Aaronis preces: Moyſes dum innocuas Cœlo manus extendit & aperit, Cœlos etiam aperuit, & ſuperos imbres cœleſtéque manna deduxit. Maria ſoror Moyſis petram percuſſit, & in aquas & in fontes explicuit. Denique Aaron Sacerdos ſummus columnam extulit, & Cœlo terriſque conſpicuam dedit: nec immeritò, ea à ſummo Sacerdote peti debuit & impetrari: duo enim à Sacerdote Deus exigit, lucem & ardorem: à doctrinâ lux emanat, ardor à charitate. Sed ne abeam longiùs, ad Crucem redeo.

Crux columna nubis & ignis.

Quod à columnâ habuit Hebræus, hoc à Cruce haurit Chriſtianus.

In vaſtâ ſolitudine deſertiſque Arabiæ locis columna viæ dux fuit, & eduxit è calenti aridóque Ægypti ſolo, ac deinde in terram lacte & melle manantem induxit: hanc viæ ducem dum amat ſtupetque Sapiens, exclamat: *Deduxit illos in viâ mirabili!* Sap. 10.

Quamdiu hoc mortali corpore vehitur animus, errat in Ægypti ſolo, exule terrâ, vaſtâ ſolitudine: ut ab illâ promiſſam ſibi terram, id eſt Cœlum petat, pro duce Crucem habet: eſt illa regia via Cœli: eam tenuêre Sancti omnes, de quibus & illud Sapientis: *Deduxit illos in viâ mirabili.* & hoc Eccleſiæ: *Sancti tui Domine mirabile conſecuti ſunt iter.* Iter arduum, difficile, ſpinis & ſentibus horridum, reſperſum crucibus: & illud unum eſt Cœli iter ac beatitatis, in quo columnam cum Cruce componimus.

Alterum deinde eſt illud, quòd Hebræa columna interdiu eſſet inſtar denſæ & opacæ nubis, quæ Solem æſtumque arceret; at verò noctu denſiſque tenebris inſtar ignis & Solis emicabat. Et hoc ſanctæ Cruci convenit quàm optimè: ſi nobis imminet æſtus aliquis Divinæ Juſtitiæ, ſi tonant fulmina irati Numinis, Crucem nactus es inſtar opportunæ nubis, quæ Solem iratum arceat, & imminentes iræ & indignationis radios igneſque excipiat ac retundat. At ſi incubat nox atra, ſi tribulationum moles incumbit, ignis eſt, qui tenebras illas ac nubes diſſipet, noctem pellat, diemque reddat ſereniorem.

Erat & alterum ab eâ columnâ miraculum, quod una eademque & diem & noctem faceret. Intererat illa Hebræos inter & Ægyptios, & quâ parte ſpectabat Hebræos, Solis inſtar radiabat: at quâ parte incumbebat Ægyptiis, nubea erat & denſæ noctis imago. & hoc ſacratæ Cruci apprimè competit: fideles illa ab infidelibus dividit: illis eſt alta dies amœnumque Divinæ lucis ac ſapientiæ jubar; his autem adulta nox & ſtultitia: *Verbum Crucis*, inquiebat D. Paulus, *pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.* & infrà: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Judæis quidem ſcandalum; Gentibus autem ſtultitiam.* Sed ut iis ſtultitia foret, erat aliis Dei ſapientia, de qua & illud ejuſdem Apoſtoli: *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram.* 1. Cor. c. 1. v. 18. Verſ. 23. Cap. 2. v. 7.

Hanc Dei hominis ſapientiam in ſcholis, in pulpitis declamarunt Apoſtoli, eáque & ſibi & Eccleſiæ tumentes illos & elati ſupercilii philoſophos ſubjecerunt. ut rectè dixerit Ambroſius: *Scientia piſcatorum, ſtultam fecit ſapientiam Philoſophorum.* quod ut probet & evincat D. Auguſtinus, quæſtionem movet in illud Exodi: *Virga Aaronis verſa eſt in colubrum.* Serm. 15. de Temp. c. 7.

Eò loci emittit Deus Moyſem & Aaronem, ut Pharaoni perſuaderent eam eſſe ſupremi Numinis voluntatem, ut liber abiret Hebræus; & quia non facilè flecti poterat obduratum Cœlo pectus, hæc Moyſi Deus: *Cùm dixerit vobis Pharao, Oſtendite ſigna, dices ad Aaron, Tolle virgam tuam, & projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.* ita factum: ſigna petiit & habuit. Aaron virgam abjecit, & verſa eſt in colubrum. *Cur*, inquies, *in colubrum? Cur non potiùs in elephantem, leonem, tigridem, à quâ terreri, diſcerpi, laniari poterat adverſum Cœlo Superiſq́; caput?* D. Auguſtinus pro eâ qua in explicandis Scripturis eſt ſolertiâ, reſpondet: *Virgam illam Aaronis typum fuiſſe Crucis, colubrum autem ſapientiæ ſymbolum.* Et Chriſti Crux, quæ virga fuit & gentibus ſtultitia, verſa eſt in ſapientiam, & devoravit virga Aaronis virgas maleficorum: ſapientia Crucis, omnem hujus mundi ſapientiam abſumpſit, ut benè dixerit Origenes: *Crux Chriſti, cujus prædicatio ſtultitia videbatur, converſa eſt in ſapientiam, & tantam ſapientiam, ut omnium Ægyptiorum ſapientiam devorarit.* Exod. c. 7. Hom. 4. in Exod.

Hanc Crucis ſapientiam & ipſi agnovêre Chaldæi, & ab illis Indi, qui Meliaporæ degunt, vulgóque dicuntur Chriſtiani S. Thomæ, apud quos una vox Chaldæa, *maſ'bal*, & Crucem & ſapientiam ſignificat: adeò hæc illi cognata.

Venio ad ultimum, in quo columna Hebræorum cum Cruce conſentit. Erat ea columna velut ignea quædam Dei ſedes, ſapientiæ thronus, tribunal Judicis, Doctoris pulpitum, è quo Iſraeli reddebat oracula, & ſi quæ moralis, ſi quæ difficilis quæſtio occurriſſet, ex eâ columnâ faciebat ſatis. Ex quo fortè apud Hebræos in morem, in ſcholas abiit illud, ut Doctores, imò & Judices, è columna dicerent.

venr. ita Salomon, ſive ut doceret, ſive ut jus diceret, *ad columnam ſtetit*: & Sapientia dicitur ædificaſſe *ſibi domum*, id eſt Academiam in monte Syon; *excidiſſe columnas ſeptem*, id eſt cathedras, è quibus Doctores & periti legis, Prophetiæ & Scripturæ ſacræ arcana evolverunt. ex quo inſtituto fluxit, ut apud Hebræos eadem vocula, *ghomet*, & columnam & cathedram ſignificaret.

Origenes.
Prov. 9.

In Orbem hunc venit doctor omninò novus, in mortales auras elapſus eſt Judex incorruptus, ipſa Dei Sapientia in carne viſa, ut jus homini diceret, ut doceret, ut explicaret arcana myſteria divini fori, ideóque ad columnam ſtetit, ex eáque docuit, Chriſtianum eſſe & agere & pati fortia. Tum deinde ut eò longiùs audiri poſſet quò ſtaret altiùs, in Crucem aſcendit, ex eáque velut Doctoris ac Judicis ſede, throno, pulpito, ad ſubjectum populum, hæc tacitus & in cordis aurem dixit; Qui diſcipulus meus eſſe volet, ne ſedeat ille in figurâ quadrâ (eſt ea quietis & otii ſymbolum) otium non amo, niſi laborioſum.

Neque etiam inſiſtat figuræ globoſæ; eſt ea volubilis, & ſignum inconſtantiæ: ne ſphœræ verſatili, ne mundo globoſo committat aleam ſalutis ſuæ: ne brevioris vitæ circulo concedat circulum longiſſimæ æternitatis; ſed potiùs evadat in formam Crucis, neque ex eâ deturbari ſe patiatur prioſquàm ex me audierit illa verba & fortunatas voces: *Conſummatum eſt.*

§. 8.
OCTAVUS FRUCTUS CRUCIS
Dei timor & paſſionum frænum.

VBi miſellus homo per peccatum à Deo ſuo longiùs diſceſſit, etiam diſceſſit à ſeipſo: neque tantùm infuſam ſibi à Superis gratiam exuit, ſed etiam, quod mireris, ſeipſum exuiſſe videtur, ut de illo
Pſalm. 48. v. 13. canat Propheta: *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Ecce quò labimur, quò devolvimur ab uno ſcelere; quæ generi noſtro labes & macula adhæreat etiam poſteros in annos, ut qui priùs audiit & fuit homo, jam audiat ſitque abjectum & infelix jumentum, quod etiam niſi regatur, in alias incidet & devolvetur miſerias ac calamitates.

Id ne fieret, benè prouidit Divina miſeratio: jumento, ne aberret, ne vagetur, néve etiam torpeat, & pedem importunè ſiſtat, opus eſt calcaribus, opus eſt fræno: hoc injecit Deus, & illa admovit. Pro fræno erit bonus & ſalutaris Dei timor, cui calcaria adjiciet divinus amor, & excitabit, ſi fortè ſopori & deſidiæ homo, rationale jumentum, connivêre videretur. Hic porrò timor amorque à Cruce initium duxit, pro timore produco paucæ Chriſti patientis.

Piæ mulieres, comite & duce bono genio, Chriſto ad Montem Calvarium properanti obviam venerant, eíque à ſudore madido, à ſanguine cruento, & lacrymas & gemitus dabant; hoc uno beatæ, ſi Deo patienti compaterentur, ejuſque ſanguini ac vulneribus lacrymarum ſuarum fluenta miſcerent & infunderent. Quas ut vidit Servator optimus, ad illas oculos, animum orationemque convertit in hunc modum: *Filiæ*
Luc. c. 23. *Hieruſalem nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos-ipſas flete & ſuper filios veſtros. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quaſi dicat, Si ego viride lignum, plenum ſucco bonorum operum, & gratiæ fluentis exundans, eas tamen Cœlo vindice pœnarum flammas concipio; in arido, exſucco, & cœleſti rore penitùs vacuo, quid fiet? Quæ non admittet incendia? Quos flammarum globos & vortices? Hæc una cogitatio facit, ut æquâ lance juſta Dei judicia perpendamus, & altè admittamus eum timorem, qui jumento, id eſt homini à paſſionibus effræni, & nimiùm quantùm inſoleſcenti, ſit pro fræno, ne extra rationis ſepta virtutiſque limites evagetur: itaque à Cruce, à ligno viridi, verum illud Zachariæ
Vatis: *In illâ die erit quod ſupra frænum equi eſt, ſanctum Domino.* De quo prophetæ vaticinio nonnulla inter Auctores lis eſt & controverſia. Cap. 14. v. 20.

D. Ambroſius primùm illud referri credit ad D. Helenæ facinus, quæ pro ſuâ in Crucem pietate, clavum illum, quo Servator noſter ligno fixus appendit, admovendum putavit fræno equi Cæſarei, Imperatoris Conſtantini. Tum deinde quæſtionem movet; Cur Helena Imperatrix longè ſanctiſſima, à religione & prudentiâ nemini ſecunda, clavum equi fræno infigendum curarit? Erit qui volet ideò infixum eſſe clavum, ut Conſtantino inter adverſas acies hoſtiumque cuneos, ferrum inter & arma, pro ſcuto, pro galeâ, pro thorace foret, & procul à Cæſaris equo, à pectore, à capite infeſtas hoſtium ſagittas & tela removeret. Ea D. Helenæ potuit eſſe ratio, ea mens & cogitatio; ſed alia videtur fuiſſe, interprete D. Ambroſio.

Videbat illa in altiſſimâ filii ſui fortunâ, primo dignitatis & humanæ potentiæ gradu, facile & pronum eſſe, ut in libidines, in vitia inclinaret animus, eò maximè quòd ipſa potentia, & imperii dominatus, longè plurimas invehat peccandi illecebras, ipſamque malè agendi licentiam afferre videatur. Igitur ut inſolentes refrænaret animos, & nimiam peccandi libertatem reprimeret, frænum equo Imperatoris adhibuit; ſed *frænum ſanctum Domino.* Sed Chriſti clavum, quo virtuti, quo Cœli Deique legibus affigi videretur, in aurémque dicere illud: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus; ſed in chamo & fræno maxillas veſtras conſtringite.* Pſalm. 31. v. 9.

Hæc D. Helenæ cogitatio tacitusque ſenſus eſſe potuit; & verò etiam fuit ex mente D. Ambroſii, cujus verba adjicere viſum eſt: *Quæſivit Helena clavos, quibus crucifixus eſt Dominus, & invenit; de uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit: miſit filio ſuo Conſtantino diadema gemmis inſignitum, quas pretioſior ferro innexas crucis Redemptoris divina gemma connecteret: miſit & frænum. utroque uſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges. Principium itaque credentium Imperatorum ſanctum eſt, quòd ſuper frænum ex illo fides, ut perſecutio ceſſaret, devotio ſuccederet.*

Sed quare ſanctum ſuper frænum? Niſi ut Imperatorum inſolentiam refrænaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quaſi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impunè committere.

Quæ Neronum, quæ Caligularum, cæterorumq́; probra comperimus, quibus non fuit ſanctum ſuper frænum. quid ergo aliud egit Helena operatio, ut fræna dirigeret, niſi ut omnibus Imperatoribus ſancta dicere ſpiritu videretur: Nolite fieri ſicut equus & mulus; ſed in fræno & chamo maxillas eorum conſtringeret, qui ſe non agnoſcerent Regi ſuo ſubditos; prona enim poteſtas in vitium ferebatur, & more pecudum vagâ ſeſe libidine polluebat, ignorabat Deum: reſtrinxit eos Crux Domini, & revocavit à lapſu impietatis. exuerunt ſe chamo perfidiæ, ſuſceperunt fræna devotionis & fidei.

Hactenùs D. Ambroſius ore melleo & eloquentiâ dignâ cedro, quam utinam audiat ætas omnis, & poſteri conſequentes.

Occurrit & alia hujuſce facti ratio, eaque toti generi noſtro communis, & peccatori ſingularis. Vulgò jactari ſolet illud: clavus clavo pellitur. quod non tantùm in arte factis, ſed & in homine, ejuſque ſpiritu locum habet; ei quippe infiguntur alii atque alii clavi, de quibus etiam diſertè D. Ambroſius: *Clavus*, inquit, *eſt libido, clavus triſtitia, clavus iracundia, clavi ſunt omnes paſſiones, quæ velut veru quoddam animam noſtram penetrant, & infigunt corpori, viſceribuſq́; ejus annectunt.* Lib. de bono mortis, c. 5.

Contra

Contra hanc clavorum aciem & vulnera, quærendus eſt clavus inque melior, ut clavus clavo pellatur. Quis ille ſit, è Vate Regio ſi quæras? Eſt timor Domini, quem ſibi altè infigi poſtulat his verbis:
Pſal. 118. v. 120. *Confige clavis à timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Carnes animæ*, inquit Ambroſius, *ſunt carnales cogitationes: configat has carnes timor Domini & judiciorum ejus, & ſervituti redigat: quòd ſi carnes illæ rejiciant clavos divini timoris, admittant ſaltem clavos*
Ambroſ. in Pſal. 118. Serm. 15. *Dominicæ Crucis. Eſt quidam clavus ſpiritualis*, inquit Ambroſius, *qui patibulo Crucis Dominicæ affigat has carnes: ut confixus eſt clavis Apoſtolus Thomas, ut diceret, Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, non credam: miſit porrò & credidit. Ecce ut clavus clavo pellitur, & fidei cedit infidelitas.*

Clavi in Apoſtolo erant bonæ cupiditates: clavi erant, etſi non perfectæ fidei; tamen fidei incrementa quærentis: his configitur clavis qui Chriſto commoritur, ut cum Chriſto reſurgat; his configitur clavis qui mortificationem Domini JESU *in corpore ſuo portat: his clavis configitur, qui meretur audire dicentem* JESUM, *Pone me ut ſignaculum in cor tuum, ut ſigillum in brachium tuum, quia valida eſt ut mors charitas, durus ſicut inferi zelus. Infige ergò pectori tuo & cordi tuo hoc ſignaculum Crucifixi, infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua ſint, nihil in his criminis reviviſcat, nihil erroris reſurgat, neque te offendat duritia clavorum; quia eſt duritia charitatis, nec validus clavorum rigor, quia valida etiam eſt charitas, ſicut mors.*

Hæc D. Ambroſius, à quo elabor, ad clavos amoris, tela charitatis, quæ à Cruce ceu tenſo arcu vibrantur.

§. 9.

NONUS FRUCTUS CRUCIS.

Dei Amor & impenſa Charitas.

ERit fortaſſe, qui nolit fræno regi, timore trahi; amore volet ſuaviùs & molliùs duci. Et verò magnæ ac potentes amoris illecebræ; & illas à Cruce hauries ac derivabis.

Lib. 16. c. 44. Teſte Plinio, in ſuburbiis Tuſculanis aſſurgebat collis leni & fallente clivo, in cujus vertice viſebatur nemus opacum, concinnum, amœnum; dicatum olim Dianæ: Paſſienus Criſpus, ſecundùm Romanus Conſul oratorque percelebris, mirum quantùm oblectabatur eo nemore: in quo ut probaret amaretque omnia, mirè tamen deperibat præ cæteris unam aliquam arborem: quo amoris impetu factum ſæpiùs, ut pronus rueret in illius amplexus & oſcula, nec ab eâ avelli ſe, niſi ægrè pateretur. Hinc ſub eâ cubare ſæpiùs, & altiùs ſub viridi tecto indormiſcere ac ſopiri; imò quod fortè rideas, eam non aquâ, non limpido fonte, ſed vino Cretico & generoſo irrigare.

Fatebor equidem illud ſuperſtitionis, inſanæ libidinis, & ſi voles, amentiæ fuiſſe: ſi tamen ex illo liceat aliquid mutuari ſacros in uſus, dicam & ex vero dicam, quos in ſuo nemore, ſuâ ille arbore finxit amoris ſucos atque umbras eas & ipſi Chriſto Servatori quàm optimo & Orbi univerſo à Crucis arbore fuiſſe præparatas. De illâ jure meritiſſimo canit Eccleſia:

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis,
Nulla ſylva talem profert
Fronde, flore, germine.

Eam è Cœli vertice conſpexerat Increata Patris Æterni Sapientia, & ita quidem amârat, ut in eâ figi vellet ac ſanguinem fundere, eóque illam irrigare, ceu novo, ceu diviniore quodam muſto; imò & habere pro lectulo, in quo etiam moriens quieſceret: captus fuit ſcilicet illius amore, & mirâ quadam ſuavitate ebrius. quod acutè expreſſit pictor nobilis. Is doctâ manu facilique penicillo in nuda tabellæ area Crucem erexit, longo & præcelſo ſublimem ſtipite, & in ejus ſinu medio divinum amorem effinxit adoleſcentuli ſpecie; ſed quod mireris, benè potum, ebrium, & quaſi oblitum atque impotem ſui.

Fuit illud amoris emblema, & hæc in eo myſteria. Chriſtus amans humani generis, imò & illius amore quodammodò ebrius fuit.

Ne tamen piis auribus durior accidat ea vox, auctorem habet ac defenſorem Ambroſium, ac Rupertum: credit ille Noëmum à vino potum ac nudum, Chriſti crucifixi figuram typumque fuiſſe; ita enim habet: *In figurâ illâ dormientis & nudati patris, qui ſtultitiam riſit, maledictum eſt; qui venerati ſunt, bene-* In Pſal. 39.
dictionis gratiam adepti ſunt: ſic qui mortem unigeniti Filii Dei Patris & creatoris omnium ad offendiculum aut opprobrium noſtræ fidei objiciendam eſſe crediderunt, peccatorum ſuorum nexibus ad perpetuæ maledictionis ærumnam tenentur aſtricti. Qui verè eam pro totius generis humani abſolutione ſuſcipiunt, virtutis æternæ præſidio fulciuntur.

Cum Ambroſio conſpirat Rupertus: *Noe, inquit, de vineâ quam plantavit inebriatus, & in tabernaculo ſuo nudatus, ipſe eſt Chriſtus à populo, cui legem dedit, morte affectus, & in eadem gente ſuâ deſpoliatus habitus.*

Ecce ut Noemo ſimilis Servator, ut antiquis nova, poſtrema primis bellè reſpondent. Evaſit ille, & aquarum eluviem ſpectavit ab arcâ, à ligno audax procellarum domitor; ſed qui aquæ elemento ſuperior fuit, vino ceſſit inferior, atque ab illo ſopitus etiam indecorè jacuit: cui fortè venia danda; nec enim acres vini ſpiritus & affundendam cerebro nubem prævidiſſe aut præſenſiſſe potuit aquâ ſolùm antea malè potus. Illo certè meliùs & generi noſtro utiliùs Salvator noſter: aſcendit hic in Crucem, ceu novo opere fabricatam arcam, & aquis, id eſt peccatis omnibus ſuperior evaſit: manſit tamen à vino charitatis ebrius, & in tabernaculo Crucis planè nudus. Nudum irriſit Judæus, & in ſe traxit fulmen divinæ maledictionis; è contrà ſuſpexit amavitque fidelis, & paternam in ſe benedictionem derivavit. Imò & pro deliciis habuit, ſæpiùs illi tabernaculo ſiſti, ac propè nudatum intueri eum, qui flores, qui terras, qui animantia, qui hominem, qui Orbem univerſum amœnâ veſte tegit. Eum, inquam, ita contemplari volupe eſt amanti, imprimiſque ſponſæ, cujus hæc vota, hæ ad ſponſum mixtæ ſuſpiriis voces:
Indica mihi, ô ſponſe, *quem* unum *diligit anima mea,* Cant. 1. v. 6.
ubi paſcas, ubi cubes in meridie? Meridie dico amoris atque charitatis; quam ut explicet, propaletque Joannes Chriſti ſcriba, amor ac deliciæ: *Sic*, inquit,
Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Joan. c. 3.
Ea particula, *ſic*, eſt explanantis atque obſtupeſcen- v. 16.
tis: emanat autem è duobus amabilis ille ſtupor; primum ex eo, quòd mundum amarit Æternus Pater; alterum, quòd ſic amarit.

Deum ter Opt. ter Max. aliquid extra ſe amare miraculo videri debet; cùm enim in ſeipſo habeat omne bonum, adeóque omne amabile, à ſe quodammodò abire, à ſe amando diſcedere, novum eſt prorſus atque mirabile. At à ſeipſo abit, à ſeipſo excedit Deus, & tranſit veluti in mundum, quem amat: hoc enim proprium eſt amantis. & hinc prima ſtuporis ratio.

Accedit & quidem potentior altera: quòd hominem, quòd mundum amarit Deus, in quo nulla boni ſpecies, nulla amoris præceſſit ratio. Certè divinum inter & humanum amorem iſtud intereſt, quòd hic in aliis præinveniat quod amet; ille autem nihil in nobis reperiat quod amet, ſed illud ipſum amando faciat. Et hoc etiam nullo ſuo commodo, utilitate penitùs nulla; nec enim ullo ipſe eget, cùm ſibi ſit ipſe ſatis. Sanè à creatis, ſi adſint, ei accedit nihil; ſi abſint, etiam decedit omninò nihil; quia

creata

creata omnia perfectiùs in Deo ſunt, quàm in ſeipſis: ſicut argentum perfectiùs eſt in auro, quàm in ſcipſo, ut advertit Dionyſius: ideóque ſeipſum tantùm amare potuiſſe ac etiam debuiſſe videtur Deus; non autem in creata, nimiâ quâdam amoris indulgentiâ inclinari.

Sed & aliunde accreſcit admiratio: non enim ſolùm non invenit in nobis bonum quod amet; ſed prôh dolor! offendit potiùs malum quod oderit ac deteſtetur: & hic eſt exceſſus Divini amoris, in quo uno deficit Pauli calamus animúſque; hic dum non capit, ille dum non ſatis exprimit: *Commendat*, inquit, *charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus prò nobis mortuus eſt.* *Rom. 5. v. 8.*

Si pro juſtis mortem oppetiiſſet Salvator, ſi pro candidis mentibus, & amœnâ virtutum omnium veſte probè tectis, ipſe victima cecidiſſet, ne Cœlo illæ tandem caderent; certè ea charitatis conniventia etiam ipſo Primæ Veritatis oraculo in ſummis haberi potuiſſet: majorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Si pro amicis major eſt nulla; quæ erit pro inimicis, quales peccatores, qui Superis odio ſunt, nauſeæ atque horrori? Ea ſcilicet erit quæ majore major eſt, adeóque ſumma ac divina, quæ in alium quàm in Deum ipſum cadere non poteſt.

Et hinc agnoſce ac ſuſpice primum in Deo amoris tui miraculum, quo tamen majus & alterum: ſi enim prodigii loco eſt, hominem vel tantùm amaſſe; Quanti erit ſic amaſſe, hoc modo, hac ratione, hac via, quam aperit D. Joannes: *Sic*, inquit, *Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* *Joan. c. 3. v. 16.* *Filium*, ait, non hominem unum aliquem, non Angelum Cœlique principem, non mundum alterum, non hunc ipſum Orbem aſpectabilem, & latentes in eo gazas; ſed *Filium*, eumque *ſuum*. Nos abjecti mortales, ſi quid Deo damus, non noſtra damus, ſed aliena, id eſt Dei, à quo ea accepimus, & cujus etiamnum ea ſunt cùm reddimus: at Æternus Pater Filium obtulit, ejuſdem etiam individuæ conſortem naturæ, adeóque ſummè *ſuum*, & quidem *unigenitum*.

Si plures illi fuiſſent filii, unum Orbi noſtro ceſſiſſe, alios ſibi ſervaſſe videri potuiſſet: at unus fuit, nec alter ab illo eſſe potuit; & hunc *unigenitum dedit* non vendidit accepto ab homine pretio, non commutavit; non mutuò obtulit; ſed donavit. At cui inquies? Mundo, id eſt homini: hoc enimverò novum, inauditum, inſolens, portentoſum. Quid enim? Filius pro ſervo, innocens pro nocente, judex pro reo, Deus pro homine, Creator pro creaturâ donetur? Et quidem ita donetur, ut tollatur in Crucem, affigatur pendeatque de ligno, In eóque ſanguinem & vitam per extremos cruciatus effundat? Nónne hoc eſt ejuſmodi, cui ſimile nec videri, nec audiri, nec concipi umquam poterit?

Si Filium dediſſet Æternus Pater, ut huic Orbi Rex imperaret, ut in eo veluti Deus coleretur, in eo quieſceret ac deliciaretur, ſicuti totâ æternitate in ſinu Patris; & illud ipſum ingentis beneficii loco haberi debuiſſet: at dare, imò quaſi prodigere atque abjicere ad vincula, ad manicas, ad ſputa, ad ſupplicia, flagella, cruces, & infandam mortem; hoc enimverò miraculum eſt ac prodigium, quod omnes amoris limites ac cancellos tranſcendit; & eò quidem magis, ſi etiam illud in mentem veniat, quo fine dederit: *Vt omnis*, inquit, *qui credit in eum, non pereat.*

Expectari potuit, imò & debuit, ut ſi homini pateretur Deus, & Deo pateretur homo: ſi ad alapas, ad flagella, ad probra, ad cruciatus, ad mille mortes, raperetur Dei Filius; & eo quoque raperetur homo, penderetque uni eidemque affixus ligno, & tot nominibus obligatam animam Servatori ſuo etiam per extrema ſupplicia redderet. Verùm nec illud exegit Æternus Pater; ſed quod obvium, facile, delicioſum fuit, hoc ſcilicet, ut *credat*, & credendo *non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Quam ut adipiſcatur homo, patitur Dei Filius, ſanguinem toto corpore exſudat; manicas & vincula induit, alapas excipit & probroſas voces, ſub flagellis gemit, ſub immani Crucis pondere fatiſcit, manus & pedes trabalibus clavis, pectus lanceæ, animam morti committit, ac totum ſe devovet tamquam victimam nil miſerantis tyranni. Et hoc non dices eſſe prodigium amoris? Dices profectò, & eò quidem maximè, ſi & illud attentè mediteris, in Crucem non evaſiſſe Dei Filium, niſi ut ex eâ velut arcu tenſo evibraret ſagittas amoris, & eò quidem longiùs, quò pendebat altiùs? *Cornua in manibus ejus*, inquit Propheta; cornua, inquam, è quibus excutiantur atque evolent ſagittæ Divini amoris impenſæque charitatis; *Abacuc. c. 3.* de quibus & alius Vates: *Sagitta tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* *Pſal. 44.* Et Iſaias: *Poſuit me ſicut ſagittam electam.* Verè ſagitta electa, quæ certo ictu ferit ac ſcopum petit. *Cap. 49. v. 2.*

Jactavit olim antiquitas jaculandi peritiam in Alcone Cretenſi cujus filium cùm rapuiſſet Draco, ipſe arcum tetendit, ſagittam direxit, & draconem illæſo filio confixit. nimirum, ut acutè Manilius, *Valerius.*

Ars erat eſſe patrem. *Suetonius.*

Jactavit & antiquitas eamdem in Domitiano peritiam, cui cùm fortè puer auſu temerario pro ſcopo objeciſſet expanſam dexteræ manus palmam, ſagittas tantâ arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innoxiæ evaderent.

Alia jaculandi peritia, ars alia in Chriſto fuit, de quo verius illud: *Ars erat eſſe patrem.* Pater erat, & nimium quàm bonus pater; nos filii, quos à patre profugos raptabat infernus draco: arcum tetendit, Crucem extulit, nervos & brachia diduxit, certoque ictu draconem transfixit: *Ars fuit eſſe patrem.*

Nos infelices animæ eò quandoque ſurgimus audaciæ, eò temeritatis atque amentiæ, ut divinæ Juſtitiæ pro ſcopo ſimus, & palmam, & corpus, & cor, & mentem ipſam potiſſimam noſtri partem, objicimus cruentis ſagittis irati Numinis, à quibus illicò conficeremur, niſi noſter ille ſagittarius ita dirigeret & flecteret ſagittas, ut quaſi per intervalla digitorum elaberentur. Labuntur autem per intervalla digitorum, cùm ea, quæ nos ambiunt ac circumſtant, feriunt, ut doceant imminentia pericula, ut moneant maturè fugere à facie conſpectúque offenſi Judicis. *Dediſti*, canebat olim David, *metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus.* *Pſal. 59.* Hieronymus vertit, *Signum ac vexillum*, utique Crucis, quæ pro ſigno fuit & vexillo amoris ac commiſerationis, ad quod confugerent timidi mortales à facie arcus, à ſagittis concitatæ cœleſtis iræ.

Et hæc omnia mirum quantum commendent Æterni Patris ac Filii in omne genus noſtrum charitatem, quæ ſuo jure à nobis exigit atque extorquet amorem omnem noſtrum, & ſua quaſi de ſede cor evocat, ut jungatur cordi ſuaviſſimi JESU, vinculo nexúque individuæ charitatis. Quis enim eum intimo animi ſenſu affectúque non amet, à quo ſe ſenſerit ita amari? *Ipſe*, inquit D. Bernardus, *fecit vel potiùs factus eſt, ut amaretur, ſe dedit in meritum, ſe ſervat in præmium, ſe apponit in refectionem animarum ſanctarum, ſe in redemptione diſtrahit captivarum.* *Tract. de dilig. Deo.*

Ecce præcipua amoris capita. primùm enim ſe dedit in meritum, atque (ut ille ipſe melleus Doctor) *Meam ad hoc induit formam, ut ſuſcipiat cauſam.* *Serm. 26. in Cant.* Non in ſuâ ſtetit formâ (quod potuit) non ſua largitus eſt (quod erat munificentiæ) ſed ſeipſe dedit quod videri potuit prodigalitatis: eò maximè, quòd ſe diſtraxerit in redemptionem animarum captivarum.

Ab illo paterni amoris exemplo Paulinus Epiſcopus benè doctus, ſeipſe pro redimendo viduæ parentis filio,

filio, captivum fecit, & hoc amavit ſuſpexitque tota poſteritas, & in ævum omne commendabit. At quid amabò iſtud? Homo hominis pretium eſt, at hominis Deus ipſe, quod ingens amoris incitamentum. Si enim etiam inter mortales amor amoris eſt cauſa (adeò ut liberè pronuntiarit Bernardus: *Ego amans amari me dubitare non poſſum, non plùs quàm amo.*) Quid erit Deum inter & hominem, ubi hic ab illo amari ſe ſenſerit, & ita quidem amari? Erit certè ea Servatoris optimi in abjectos mortales indulgentia cœleſte quoddam amatorium, quo ita inardeſcent illi, ut nihil aliud expirent, niſi æſtus atque incendia amoris.

Serm. 84. in Cant.

Ea quondam accenſo pectore emiſit Bernardus, cujus hæ ad ſororem voces plenæ pietatis: *Chariſſima ſoror, roga ancillas Chriſti, quæ tecum ſunt, & dic eis: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore JESV Chriſti ſponſi mei langueo.*

De modo vivendi ad ſoror. Serm. 2.

Hæc ubi orans atque multum obſecrans edixit, ut aperiret ignes & flammas amoris; tum hujus fructus longè ſuaviſſimos, facili calamo piáque mente fundit: *Hic amor*, inquit, *dulcis, hic languor ſuavis, hæc infirmitas ſancta, hæc dilectio caſta, hæc conjunctio intemerata, hæc complexio illibata.* à quâ ne abiret quiſquis in eam veniſſet aliquando, exponit ille ipſe melleus Doctor, qui ab illo amore proventus expectari debeant: *Mihi*, inquit, *in hac vitâ ſolùm ſufficit amor Chriſti, amor Chriſti dulcis eſt, delectabilis & jucundus. Sanitatem ægris, lumen cæcis, mœſtis lætitiam, peccatoribus veniam, mortuis vitam, terrigenis cœlum, conſortibus jumentorum conſortia Angelorum largitur & tribuit.* Hos fructus præſenſit atque amavit Bernardus: ſentient & alii, ſi tamen his, ut illi, Chriſtus ſit faſciculus myrrhæ, qui inter ubera commoretur. *Locus cordis eſt inter ubera; ergo dilectus meus inter ubera mea commorabitur, id eſt memoria, dilectio & amor JESV Chriſti ſponſi mei: ſemper erit in corde meo.* Hæc fuit in Bernardi Logicâ concluſio: & hanc omnibus ubique temporum ac locorum eſſe velim.

Ibidem.

Serm. 6 in Cæn. Dom.

De modo viv. ad ſoror.

§. 10.

DECIMUS FRUCTUS CRUCIS

Patientia & robur in adverſis.

DE primitiva Eccleſia cecinit olim Deus per Iſaiam: *Ecce ego creo cœlos novos & terram novam, non erit ibi ampliùs infans dierum.* Infans, inquam, à tenellula ætate abjectus, timidus, fugax; ſed à virtute, à robore, ab invicta animi conſtantia adultus, quiſquis & ſenex erit, tótque in virtute recenſebit annos, quot in Chriſtianiſmo exegerit, imò verò quot dies & horas annumerarit.

Cap. 65. v. 19. 20.

Hanc animi ætatem, virtutiſque indomitum robur, teſtatur illud, quòd in aureo illo naſcentis Eccleſiæ ſæculo Chriſtiani ſtatim à Baptiſmo ad martyrium, ab innoxiis & limpidis undis ad purpureos cruentoſque torrentes, à primo melioris vitæ limine, ab ipſis fidei cunis, ad extremos brevioris ævi carceres, ad mortem & tumulum, Chriſti cauſâ provolarent. Hoc nimirum fuit creaſſe cœlos novos, terramque humani cordis omninò novam: quæ quia etiam tum rubebat, imò calebat effuſo Chriſti ſanguine, ea dabat virtutum germina, ea fortitudinis exempla, quæ ſibi pro æterna ſalute, pro religione, pro Deo, Cruces ſtatim effingerent. Quòd ſi fortè deerat tyrannus aliquis qui gravi Crucis mole humeros oneraret, eam ipſi Chriſtiani in fronte, quæ ingenuæ mentis eſt janua, imprimere & candenti ferro inurere ſoliti. adeò Crux in oculis erat & amoribus, adeò omnes invaſerat ingens aliquod patiendi deſiderium, quod (ut inſinuavi) accendebat, quæ à Chriſti cruore adhuc tepebat humus & terra nova; nec enim è vetere Adam, è terra, inquam, rufa & antiqua id expectari potuit.

Nova omninò eſſe debuit: eam porrò novitatem hauſit à Chriſti paſſione, à qua omne robur, vis omnis ac fortitudo. ut enim ſcitè D. Bernardus, *Vbinam vera prudentia, niſi in Chriſti doctrinâ? Vnde vera juſtitia, niſi de Dei miſericordiâ? Vbi vera temperantia niſi in Chriſti vitâ? Vbi vera fortitudo niſi in Chriſti paſſione? Incaſſum proinde quis laborat, in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putet quàm à Domino virtutum, cujus doctrina ſeminarium prudentiæ, cujus miſericordia opus juſtitiæ, cujus vita ſpeculum temperantiæ, cujus mors inſigne eſt fortitudinis.*

Serm. 2. in Cant.

Ab illâ, terra mentis noſtræ, quæ vetus erat, adeóque mollicula, ut non ferro tantùm, ſed & digito cederet, ita in petræ modum obduruit, ut nec ferro nec malleo concederet unquam.

Agitari ſolet à nonnullis interpretibus ea quæſtio: cur primæ tabulæ legis, quas è monte ferebat Moyſes, primo impetu niſuque confractæ? Cur non etiam ſecundæ? Nam etiam ab his peccavit populus, & tabularum ſtragi cauſam dedit.

Huic quæſtioni faciunt ſatis, dum aiunt, ſecundas ſervatas in arcâ, & à ligno arcæ robur accepiſſe, quod nulli incurſui, nulli ruinæ pateret: hæc mens fuit, hæc interpretatio B. Petri Damiani: *Poſtea*, inquit, *dantur tabulæ, ſed non franguntur, quia novi Teſtamenti gratia, quæ per Crucem eſt ſolidata myſterium, nullum novit habere defectum.*

De Invent. S. Crucis.

Quod in tabulis, hoc & in humanis mentibus: iis velut tabulæ lapideæ legem ſuam impreſſit atque incidit Dei manus. Sed, ô malum! primæ tabulæ rimam patiuntur & ſtragem, quia non ſunt ab arcâ, ab arcæ ligno, à Cruce tectæ firmæque: at ſecundis tabulis, animis dico, quibus ſuum à Cruce robur acceſſerit, quos ceperit, imò & ſepſerit ea Chriſti patientis arca, nulla imminet ruina, caſus omninò nullus; ſi fractus illabatur orbis, impavidos ferient ruinæ: poterit equidem, poterit hæc mortalis corporis noſtri compages tundi, contundi, lacerari, ſecari, in partes agi: at animus eo ſuperior in petrâ ſolidatus, in arcâ Crucis probè clauſus tundi non poterit, nedum frangi; ideóque potiori jure jactabit illud Anaxarchi ad tyrannum: *Tunde, tunde Anaxarchi vaſculum, at Anaxarchi conſtantiam non teres.*

Eam in rem rurſum evoco, & in ſcenam educo melleum oratorem Bernardum, teſtem luculentum hujuſce fortitudinis: ita de Martyrum conſtantia clarè eloquitur: *Stat Martyr tripudians ac triumphans toto licet lacero corpore, & rimante viſcera ferro; non ſolùm fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſuâ circumſpicit ebullire ſanguinem: Vbi tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petrâ, nempe in viſceribus JESV, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum: ſi in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea, ferrum profectò ſentiret; nunc autem in petrâ habitans, quid mirum ſi in modum petræ obduruerit? Neque mirum ſi exul è corpore dolores non ſentiat corporis: neque hoc facit ſtupor, ſed amor; ſubmittitur enim ſenſus, non amittitur.* Submittitur, inquit, *ſenſus*, ut ea quæ alioquin dura, inſipida, amara eſſent, mollia, ſapida & dulcia reddantur.

Serm. 61. in Cant.

Hebræi quondam in ſua illa peregrinatione *Venerunt in Marâ, nec poterant bibere aquas de Marâ, eò quòd eſſent amaræ.* Quid, amabò remedii? Populus in querelas facilis, imò præceps, *murmuravit contra Moyſen, dicens: Quid bibemus?* Querulas illas voces excepit & auxit ingens clamor, imò comploratio, ejulatus, ab illis fortaſsè feroces minæ, tonantia verba; quæ compreſſit ſedavitque Moyſis clamor, & ad Dominum oratio: *Clamavit* enim *ad Dominum*, non tam voce quàm animi contentione, *& oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas in dulcedinem verſa ſunt.*

Exod. c. 15.

Verſ. 25.

De hoc ligno ſua inter Auctores lis & contentio. An vis illa dulces aquas reddendi, à natura ei inſita,

an addita miraculo? Sunt qui primum velint; ſunt qui ſecundum ament; quos inter Rabbi Salomon, & Abulenſis, ex quorum ſententia hæc accipe. Lignum illud vulgò nominatum *adelpha*, planta inſulſa, amara, mortifera, ab ea tamen dulces aquæ evasêre, majore Cœli prodigio, quod à ligno quantùmvis amaro, dulcedinem affundere potuit.

Simili quondam miraculo Eliſæus aquas ſteriles, ipſo ſale ſanavit, fœcundasque reddidit contra naturæ pacta modumque; ſale enim & ſiccari omnia ſolent & ſterileſcere.

Fuit illud lignum typus & umbra Crucis. nos abjectæ in terras animæ, à Cœlo Deóque peregrinamur, venimúſque in *Marâ*, in eam mundi regionem, in quâ non ſcaturiunt aquæ, niſi amaræ: Quid bibemus? Evocandus eſſet hîc aliquis è deſerto Moyſes, evocandus è Cœlo Abbas Beſarion, qui littora maris obambulans oratione ſuâ ab aquis ſalſedinem deterſit, ut ex iis biberet Dulas, ejus diſcipulus, ſiti propè deficiens.

Quamquàm, quid ego eos vel è ſolitudine, vel è beatâ Cœli ſtatione in mortales auras devoco, eſt in oculis, eſt in manibus lignum Crucis, quod licèt in ſe ipſo amarum ſit, novo tamen & hactenus inaudito gratiæ miraculo, ſi mittatur in aquas, quantumvis eæ amaræ fuerint, amaritiem deponent: nec verò deponent, niſi à ligno Crucis. Auctorem habeo iterum Bernardum, qui Chriſtum, amores ſuos ac delicias, non invenit niſi in Cruce, nec perſecutionum amaritiem niſi ab ea diluit: *Circuire*, inquit, *poſſum cœlum & terram, mare & aridam, & nuſquam te inveniam, niſi in Cruce: ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie: Crux enim tua Fides eſt, cujus latitudo Charitas, longitudo Longanimitas, altitudo Spes, profunditas timor: in hac Cruce te invenit quicumque invenit; in hac Cruce ſuſpenditur anima, & dulcia poma de ligno decerpit.*

Utique à ligno Crucis dulcia, à ſeipſis acida, ut non tantùm potus, ſed & cibus ab eo dulceſcat, fiatque cibus fortium: quod beneficium etiam portendit illa ipſa Iſraëlis peregrinatio, quæ à Marâ venit
Exod. 15. v. 27. in Elim, *ubi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ. Pulcher eſt hic ordo virtutum*, inquit
Ad Fab. D. Hieronymus: *de Marâ, id eſt amaritudine venimus in Elim, id eſt ad arietes, & robuſtos principes gregis Chriſtiani, ubi duodecim fontes doctrina Apoſtolica, & ſeptuaginta palmæ victricis fidei.* glorioſa, inquam, Martyrum agmina, contra quos etſi tota tyrannorum vis ac barbaries arietarit; eos tamen à ſua fidei conſtantiæque ſtatione dimovere non potuit, quia novum ac divinum à Cruce robur accipere ſoliti. Et nos puſillæ animulæ exemplo magnarum mentium ad illam velut aram fortitudinis, velut ſacram anchoram confugiamus.

Ad eam certè confugere nos voluit Gentium
Heb. 12. v. 3. Apoſtolus, dum ita monuit: *Recogitate eum, qui talem ac tantam ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, ut ne fatigemini animis deficientes.* qui enim ab incumbentium adverſitatum mole fatigetur is, cui occurret animo JESUS de via laſſus & fatigatus, ſedens ſupra fontem? Cui amara erit tribulatio, qui meminerit Dominum in arâ Crucis, in ipſis propè mortis faucibus, extremáque lucta, ſitíque paracuta aceto ac
Epiſt. 4. l. 9. felle potatum? *Velit, nolit*, inquit Sidonius Apollinaris, *quiſquis contempti mediatoris conſequitur regnum, ſequatur exemplum. quantùmlibet enim anxietatum vita præſentis propinet afflictio, pauca toleramus, ſi recordamur quid biberit ad patibulum qui invitat ad regnum.*

Hac una cogitatione & omnes gulæ illecebras damnabat Pachomius, & languidi ſtomachi jejunia
In vit. PP. lib. 1. temperabat: aiebat enim ſibi in cellæ ſilentio, & eremi ſitu ac ſqualore: *Dominus meus crucifixus eſt, & ego nunc oleum comedam?* Adduci non poterat vir ſanctus, ut aliquid ſolatioli indulgeret gulæ, quòd nihil in Cruce ſibi Chriſtus indulſiſſet.

Eâdem Chriſti patientis commentatione ac memoriâ Pammachio animos addebat D. Hieronymus Epiſt. ad Pammach.
cujus ea oratio plena fidei ac gravitatis: *Quòd patritii generis primus inter primos Monachos eſſe cœpiſti, non ſit tumoris, ſed humilitatis occaſio, ſciens Filium Dei, factum filium hominis. Quantumcumque te dejeceris, Chriſto humilior non eris. Eſto, incedas nudis pedibus, fuſcâ tunicâ veſtiaris, æquèris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, cæcorum oculus ſis, manus debilium, pes claudorum; ipſe aquam portes, ligna concidas, focum extruas: Ubi vincula, ubi alapæ, ubi ſputa, ubi flagella, ubi patibulum, ubi mors?*

Hæc eſt ſeries longa tormentorum, quæ ſubiit generis noſtri reparator Chriſtus, & quibus à patientiâ ſuperior evaſit: eam ſuppliciorum molem, atque immanitatem objicit Hieronymus, & cum iis, quæ patiebatur Pammachius componit; ut oſtendat hæc eſſe potiùs puerorum terriculamenta, quàm exercitia virorum. Majora certè perpeti Chriſtianum eſt; decet enim membra ſuo conſentire capiti, nec ſub ſpinoſo vertice mollia eſſe ac delicata.

Ex hac porrò commentatione, pióque oculorum in Crucem conjectu, fit ut non ſolùm æquo patientíque animo parata pro religione Deóque ſupplicia ſubeat Chriſtianus; verùm etiam hilari amœnáque fronte excipiat: ut enim ipſe, cujus antè memini,
Hieronymus: *Chriſtianis vexilla Crucis ſunt delicia; trophæa noſtra vita, non pompis, ſed miſeriis reportantur. In noſtrâ claſſe viri fortes opprobria ſciunt portare, non munera. Nam Chriſti vincula voluntaria ſunt, & vertuntur in amplexus.* In Reg. Monach. de Toll. & opprob.

Si ſuâ de ſede tonet mundus, Crux horrori eſt; ſi de Cœli regia Chriſtus, amori. Si audiatur adblandiens & palpans caro, à Cruce nihil emanat, nihil effluit, niſi fel & acetum; ſi Chriſtus ex eâ propinet, nectar affundet & Ambroſiam. Si vanitas in oculis eſt, trophæa, non aſſignat, niſi ingenti pompæ apparatu, plauſu theatrorum, acclamationibus populi, & humanâ, ut quidam æſtimant, felicitate: at ſi virtus in amoribus eſt, ſi Crux in deliciis, non eriguntur, non eminent trophæa, niſi inſigni hominum maledicentiâ, dicteriis, contumeliis. Nimirum Chriſtiano viróque forti, pompæ ſunt miſeriæ, opprobria munera, vincula, ſupplicia, cruces, mors denique ipſa, deliciæ. Exemplum ex altero, ſi voles Orbe Soliſque domo petamus.

Nicolaus Trigautius ex Indiâ redux narrare ſolebat, & è pulpito jactare, vel ad illius regionis commendationem, vel ad Chriſtianæ fortitudinis exemplum, quod hîc ſubjicio.

In Indiâ adoleſcens erat Paulus nomine, isque viro nobili ſervus à pedibus, ab hero ſuo ſæpiùs malè excipi ſolitus, vel eò tantùm, quòd Chriſtianus eſſet: gerebat ille ex regionis illius more laxiores in vertice comas; quas die quâdam prenſans, ſtringensque ſui impotens herus, ſtricto pugione jugulo ſervi ſui imminet & incumbit totus: jamque ferrum in viſcera adacturus videbatur, cùm ei hæc famulus: abſit, inquit, mi Domine, ut datam Chriſto fidem fallam, ut eum ejurem: abſit etiam ut adeò inglorius moriar. Jugulum ferro petis, & hoc Chriſtiano mihique parum: nimiùm facilis & præceps in ferro mors, & voto meo minùs acerbum ſupplicii lethique genus: aliud amo & volo; lentum illud ſit oportet, durum atque immane: utque ex animi mei ſententiâ ſit ejuſmodi, me judice & auctore hanc pœnæ ſeriem molemque decerne. Si pro religione Chriſtoque mori voles, jube nudum totis tuis regionibus, urbibus oppidisque circumduci, & per compita bellè cædi, atque à capite ad calcem fœdè lacerari, tum per omnes corporis partes ferrum duci, primumque digitorum articulos, dein manum, tum brachium exſcindi, & ita vago per omnia membra vulnere laniari; deni-

que

quæ capite minui; ita tamen ut non ſtatim à trunco dividatur & diſſiliat caput, ſed iterum iterumque repetitis ictibus avellatur potiùs, quàm acutiore ferri acie exſcindatur. Hoc mihi mortis genus eligo, hoc deſigno ſupplicium, adoleſcente Chriſtiano dignum; ferrum enim imo haurire pectore, unoque vulnere tolli Chriſtiano ſatis eſſe non poteſt; in vulnera, in mortes ire volet quiſquis aliquando Chriſto nomen fidemque dederit. Hæc ille.

Invictum adoleſcentis animum, vitâ morteque majorem agnovit & amavit herus, abjectoque ferro, omnique ferociâ. Per me, inquit, licet Chriſtianus ut voles eſto: neceſſum enim eſt, ſanctiſſimam eſſe religionem illam, à qua non naſcuntur, ſed fiunt viri fortes, ferro, ſuppliciis ipſâque morte ſuperiores.

Sed onde, inquies, illa vis, illud infracti animi robur? Certè nonniſi à Cruce, & Chriſto in eâ quondam aſſixo, cum quo pati, mori ac crucifigi Chriſtiano volupe ac delicioſum videtur.

§. II.

UNDECIMUS FRUCTUS CRUCIS.

Obedientia ſingularis.

SI quæ unquam Deo Superiſque grata, ſi quæ Cœlo Soleque teſte officioſa ſtetit in aris victima, ea certè fuit innocentis Iſaaci, quem in ſacrâ lignorum ſtrue, revinctis poſt terga manibus, flexo poplite, cervice nuda, ſub Abrahami parentis optimi manu ferroque pronum ac ſubjectum vidit. Hujus porrò diei, victimæque memoria tranſmiſſa in poſteros omnes ita placuit, movit, rapuit, ut nulla propè domus, nullum olim eſſet atrium, quod non exhiberet, non proferret expreſſam aliquam Iſaaci ſpeciem, doctâ pictoris manu vivisque coloribus animatam.

Neque verò boni vacua fuit ea ſpecies, & inanis tantùm oculorum illecebra; ſed obedientiæ, ſed pietati, ſed religioni ſervire debuit, tacitoque ſenſu per oculos, veluti oſtios, ita in ſpectantium mentes illabi, ut in iis miros excitaret motus, ſeu eos amoris, ſeu doloris, ſeu etiam ſtuporis eſſe velles.

Certè de ſeipſo teſtis eſt D. Gregorius Nyſſenus, eam Iſaaci ſpeciem nunquam in oculos incurriſſe, quin illicò decurrerent ex oculis uberes lachrymæ, profundique gemitus ex imo pectore dimanarent. ubi lachrymis, ubi ſuſpiriis datum erat aliquid temporis & otii, tum deinde ſecum agere, ſecum loqui vir ſanctus, Ubi gentium, ubi terrarum ſumus, ubi pater Abraham qui ferrum educat? Ubi filius Iſaac qui ferrum admittat, & obvium ponat vulneri caput? Scilicet nimiùm delicatuli milites, molles animæ ſumus, nimiùm tenaces amanteſque primogeniti; amoris, inquam, ſenſuſque noſtri, qui Deo Divorumque aris cadere debuit effuſa dudum victima. D. Gregor. Nyſſen.

Hæc ſanctus Pater miro quodam amoris æſtu, quem certè multa provocabant; primùm ætas innocentis Iſaaci, quæ Rabbino Abenezra annos recenſebat duodecim non ampliùs, licèt Joſepho quinque ſupra viginti, Hebræis communiùs ſeptem & triginta numerarit: quamquam ad minuendum dolorem parum omnino intereſſe videatur, qualis qualis ea fuerit, tenella certè fuit; & necdum matura ferro, niſi maturam judicaſſet ætatis temporumque arbiter Deus, qui et victimæ menſem *Thiſri*, qui nobis dicitur September, eſtque legendis frugibus opportunus, deſignavit: cujus memoria ut in poſteros iret, ſancitum eſt ut prima dies menſis ſeptimi ſacrata foret, clangentibus undique raucumque ſonantibus tubis corneis & arietinis, quæ plauſum Iſraëli communemque lætitiam cumularent, ea liberato quondam Iſaaco, & ariete ei ſubſtituto.

Ab ætate, quæ dolori fuit, venio ad victimæ locum, qui & ſpectaculo eſſe potuit & exemplo: fuit ille mons *Moria* multis titulis olim nominatus. primùm in eo victimas obtulit pius Abel, ac deinde à fratris invidiâ odioque & ipſe in eo victima cecidit.

Tum etiam poſt tarda ſæcula, obſcuroſque ſceleribus Soles, Noëmus ab aquis & immenſa terrarum cluvie aperto liberoque ſolo redditus, Deo vindici ac Servatori holocauſtum in eo poſuit.

Tum denique ſeneſcente jam orbe Chriſtus ipſe in eo vitam ſanguinemque homini liberando dedit; ut umbra corpori, figura veritati reſponderet, eademque Deo patienti foret ara, quæ quondam Abeli, Noëmo, Iſaaco erecta fuerat: Quidni enim eadem omninò foret?

Erat Moria mons amarus, myrrhæ ferax & aloës, ſuoque nomine his & illis portendebat amaritiem, quam exſorbere debuerat. *Mor. id eſt Myrrha. Mara, amarus.*

Erat Moria mons timoris, quia eò loci Dei timor, Superûmque reverentia, inſitum parenti filiique amorem ſopire, imò extinguere debuit. *Jare, id eſt timuit.*

Erat Moria mons viſionis, quòd eum viderit Abraham, & cœleſti prodigio illuſtrem aſpexerit: fuit illud ingens & accenſa columna ignis, quæ ſupremo vertici incumbebat; venit illa in oculos Abrahæ, ſuâque luce viam oſtendit ad montem, in quo ſacrificium offerre oportebat. *Raa, id eſt vidit.*

Erat Moria mons altioris diſciplinæ ac doctrinæ; ex eo quippe data lex, & divinioris ſapientiæ placita, quæ ſuadent omnes ſeu naturæ, ſeu rationis humanæ leges altùm ſilere, & premi oportere, ubi cœleſtis vox, divinæque obedientiæ leges inſonuerint. Et meritò mons ille dictus eſt Moria; ex eo enim velut eminentiore pulpito Superis obediendum eſſe docuit Iſaac, docuit & Chriſtus è Cruce, cathedrâ veritatis; docuit, inquam, primùm diſcipulus, dein magiſter. De illo Paulus: *Cum eſſet*, inquit, *filius Dei didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam.* *Jara, id eſt docuit.* *Heb. 5. v. 8.*

Jam inde ab ipſis cunis, imò & à primo ſuæ conceptionis inſtanti, cùm adhuc matris utero, quaſi virginea ſchola, clauderetur, obedientiam ſibi cœlitùs infuſam hauſerat, jam inde eâ ſeſe exercuerat, præceptumque moriendi ab Æterno Patre propoſitum admiſerat, ipſaque totius vitæ ſeries, curſuſque annorum omninò triginta trium, eoque ampliùs debitæ ſubmiſſionis, devotæ obedientiæ curſus extiterat; ſupererat tantùm ultimus actus, iſque difficillimus. illum exhibet in monte *Moriâ*, in ſupremo Calvariæ vertice, ubi ſeſe in victimam, in abſolutiſſimum obedientiæ holocauſtum Cœlis terriſque devovet, vitamque per extrema ſupplicia exſpirans apprimè docet Superis obediendum eſſe, & eò quidem clariùs & efficaciùs, quòd exemplo ſatiùs ſit docere, quàm verbo. Verum enimverò illud, quod Græca parœmia jactari ſolet, τὰ παθήματα, μαθήματα, paſſiones ſunt optimæ doctrinæ & diſciplinæ, compendioſæ illæ quidem, ſed efficaces: *Longum enim iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla.* *Senec. Epiſt. 16.*

Quod autem exemplum efficacius, & ad permovendum aptius eſſe poſſit eo, quod tibi quondam exhibuit Servator tuus? D. Bernardus in ejus ſchola probè doctus, alios certè hoc uno exemplo docet; exclamat enim è ſede pulpitoque veritatis: *Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare.* rationem hujus præcepti ex eo, ſi voles, hanc audies: *De Auctore tuo loquens Evangeliſta, Et erat, inquit, ſubditus illis. Erubeſce ſuperbe cinis, Deus ſe humiliat, & tu te exaltas; Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis Auctori.* quibus verbis, quo torrente facundæ orationis evincit pius Doctor, indignum videri, & ab omni ratione atque humanitate alienum, ut puſillus homo, è pulvere lutoque malè compactus, ſui conditoris exemplo non permoveatur; ſubdit enim; *Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum,*

exemplum, certè non erit tibi indignum ſequi Auctorem tuum.

Venia fortaſſe danda foret, ſi homo cùm ſis, hominis, qui præiſſet, non ſequereris exemplum: at Dei veſtigia legere quiſquis renuit, is certè veniâ dignus non eſt.

Si Bernardum adeò movit ac perculit illa Chriſti ſubmiſſio, qua ſe parentibus, MARIÆ Matri quàm amantiſſimæ, & Joſepho Patri longè omnium mitiſſimo, ſubdidit; Quantùm moveret ac percelleret ea obedientia, quæ infami cruentóque Crucis ligno ſubjecit; quantùm, inquam, percelleret illud Apoſtoli acroâma: *Humiliavit ſemet ipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* [*Ad Philip. c. 2. v. 8.*]

Conſidera, ò homo, quid agas, inquit D. Auguſtinus, *non laboravit Apoſtolus potentiam Chriſti probare, ſed obedientiam prædicare.* Quam porrò obedientiam? *Uſque ad mortem, mortem autem Crucis: parum illi fuit dicere qualemcumque mortem, ſed addidit mortem Crucis: illâ morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium; ubi enim dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à Cruce nominatus; pendentes quippe in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibuſq; confixi productâ morte necabantur: non enim crucifigi hoc erat occidi, ſed diu vivebatur in Cruce; non quia longior vita eligebatur, ſed quia mors ipſa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur.* [*In Pſal. 118. ſerm. 20.*] [*Aug. tract. 36. in Joan.*]

Hæc ubi de Crucis ſupplicio ſcripſit Auguſtinus, tum ad Chriſtum aſcendit, de illóque ait: *Elegit extremum & peſſimum mortis genus, qui omnem fuerat ablaturus mortem, de morte peſſimâ occidit omnem mortem, Crucem ipſe ſuam ſignum habiturus, & tamquam trophæum in frontibus fidelium poſiturus.* Trophæum utique inſigne obedientiæ, quod ideò in frontem erigit, ut in oculis omnium verſetur, in omni vitâ uſurpetur.

§. 12.

DUODECIMUS FRUCTUS CRUCIS
Animi demiſſio, & humilitas.

DIva Helena Imperatrix, Crucis amans & in paucis ſtudioſa, hæc olim dixiſſe fertur ore magni Præſulis Ambroſii: *Ego in regnis, & Crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Chriſti triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ. Quomodo me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? Tollatur ruina, ut vita appareat; aperiatur humus, ut ſalus fulgeat.* Hæc invicta terris Heroina ingenuo quodam pióque rubore ſuffuſa: dum ſe in altiſſimo dignitatis gloriæque gradu conſpicuam videt, Crucem autem, Dei thronum, in obſcuro pulvere ſepultam; optat illam luci Cœlóque aperto reddi, ut in quâ olim ſeſe demiſerat abjeceratque Chriſtus, in ea deinde ſeſe erigeret, tolleretque ſupra quidquid eſt mortale. [*De obitu Theodoſii.*]

Neque ſua deerat illi voto ratio, ita nimirum ferunt Cœli leges, ut attollatur is, qui ſeſe deprimit, & quæ olim demiſſioni opprobrióque ſervierunt, eadem deinde gloriæ laudique ſerviant. Ita factum in Cruce & amo & veneror. Fuit illa Servatori noſtro via ad eam animi demiſſionem, quæ poteſt eſſe longè maxima.

Hebræis olim adeò inamœnum, ingratum & infame fuit nomen Crucis, ut illud efferre nefas omnino videretur: diceres vel ſolâ ejus appellatione & linguas infici & auras ipſas fœdè pollui: ex eâ perſuaſione factum, ut ubi Latinis Rex Hai ab invicto Joſue ſuſpenſus dicitur in patibulo crucéque, Hebræis dicatur *Chalbagets* in ligno gemino ſuſpenſus, ne inviſo Crucis appellatione, neſcio quid abſonum, ferale, maledictum auribus inſonaret.

Inde etiam in ipſas tabulas admiſſum illud, ut maledictus omnis diceretur & eſſet qui penderet in ligno: ita habent ipſa verba legis: *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eâdem die ſepelietur, quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno.* Hebræi legunt: *Quia maledictio Dei eſt ſuſpenſus.* Symmachus, *Quia in blaſphemiam Dei eſt ſuſpenſus.* Alii, *Quia convitium Dei eſt ſuſpenſus.* [*Deut. c. 21. v. 23.*]

Hic agitari ſolet alia atque alia quæſtio, Cur appenſus infami ligno jubetur eâdem die ſepeliri?

Reſpondet Andreas Maſius: quia cenſetur contaminare terram, nec ipſe Sol aſpectabilis Orbis oculus, diutiùs quàm una luce videre poteſt; adeò terræ cœlóque inviſum durumque ſpectaculum: Sed cur, inquies, ab ipſo Deo maledictus? Cur Dei blaſphemia & convitium ſuſpenſus dicitur? Eſt enimverò illud longè acerbiſſimum. [*In c. 8. Joſue v. 29.*]

Reſpondet Cajetanus, Deum Opt. Max. pro eo quo in ſcelus eſt odio, juſtáque animadverſione, omnino voluiſſe, ut maximè facinoroſi, quorum pœna Crux erat & ſuſpendium, ita delerentur è terrâ hominumque conſpectu, ut ne cadaver quidem ſupereſſet, in pœnam ſcilicet tantorum ſcelerum, ob quæ penitùs interimi & quaſi annihilari jubebantur, utpote & animo & corpore execrabiles, indignique qui terram tangerent, auráque etiam mortui fruerentur. & in eo viſa Dei maledictio.

Erant apud Judæos varia reis decreta ſupplicia: hi lapidibus ex lege obruebantur; illi ferro cervices dabant; alii igni & flammis cedebant, ibantque in mœſtos cineres; alii denique in Cruce per ſumma ſupplicia infelicem evomebant animam: & hi ut omnium habebantur ſceleratiſſimi, ita & infeliciſſimi: nec enim cujuſvis criminis crux erat pœna; ſed tantùm blaſphemiæ, idololatriæ & tyrannidi ſervabatur, maxima pœna maximis ſceleribus, utpote quæ prima Univerſi capita, Reges ſcilicet Deumque ipſum inſolenti auſu impetebant: ita Cruci adjudicatus Servator optimus, quòd & regnum affectaſſe, & Divinitatem ſibi aſcripſiſſe videretur.

In quo mireris & ames ſummam ejus conniventiam animique demiſſionem, qui ut foret innocentiſſimus, tamen quaſi nocentiſſimus in Crucis ligno emori & expirare voluerit. Factum illud non exigente ſcelere, quod aberat quàm longiſſimè, non Judæorum malevolentiâ, cui modum ſtatuere omnino potuit; ſed inſitâ adultâque virtute, quâ demitti, deprimi, imò & annihilari voluit. *Factus*, ut inquit Apoſtolus, *pro nobis maledictum*, imò & ipſa maledictio, quam innuit vox Græca κατάρα, id eſt maledictio, execratio: in quo ſumma quæ dici, quæ cogitari, quæ fingi poteſt, fuit animi demiſſio. [*Ad Gal. c. 3. v. 13.*]

Ut eam aliquo ſymbolo exprimeret Propheta Regius, compoſuit cum lapide, qui ab ædificantibus abjectus eſt: *Lapidem*, inquit, *quem reprobaverunt, hic factus eſt in caput anguli.* Eſt inſita lapidi nativa quædam gravitas, qua corporibus omnibus ſeſe ſubſternit, & ad infimum terræ punctum ſuo pondere labitur. Hinc immanem deſcenſum comparant ſacræ paginæ cum lapſu deſcenſúque lapidis; ita enim de Ægyptiis: *deſcenderunt in profundum quaſi lapis.* [*Pſal. 117. v. 22.*] [*Exod. c. 15. v. 5.*]

Quod natura lapidi, hoc demiſſio & humilitas fuit Servatori; ab illâ deſcendit in profundum quaſi lapis. Primùm in uterum Virginis eſt delapſus: de eo lapſu ita D. Auguſtinus: *Ipſe tamquam ſponſus Verbum caro factum eſt, in utero Virginali thalamum invenit; atque inde naturæ conjunctus humanæ tamquam de caſtiſſimo procedens cubili, humilis miſericordiâ infra omnes, fortis majeſtate ſuper omnes exultavit ad currendam viam.*

Et hic primus ab humilitatis pondere deſcenſus fuit; à quo ipſis Angelis, Cœli civibus aulicíſque ſuis, inferior redditus: nec illis tantùm; verùm etiam, quod ſtupeas & propè exhorreſcas, infra homines ipſos ſeſe abjecit, ut diceretur ab Iſaiâ, *noviſſimus virorum*: quam animi demiſſionem propè inſolentem clariùs explicat Hebræus textus, qui habet: *Ceſſationem & deſitionem virorum.* quaſi eò venerit abjectionis, [*Iſai. c. 53. v. 3.*]

ris, ut credas in eo ceſſaſſe, deſiiſſe quod viri eſt humanæque dignitatis, vel ſaltem eò delapſum eſſe, ut omnes ſupra ſe ſuſpiciat, nullum infra ſe deſpiciat. Quod dum attentâ mente perpendit D. Bernardus, victus eſt Servatoris ſui humilitate exclamat: *O noviſſimum & altiſſimum! ô humilem & ſublimem! ô opprobrium hominum & gloriam Angelorum!*

Quanquam neque in eo gradu ſtetit Dei hominis abjectio, profundiùs demerſit quod ub eâ nidebatur pondus. Eò nimirum ut non tantùm hominis dignitas, decuſque toti generi commune, ſed & ipſa natura abeſſe videretur. Id enim de ſeipſo teſtiatus eſt ore Davidico: *Ego autem ſum vermis & non homo.* Quid infirmius, quid abjectius, quid deſpicabilius verme, qui terris adrepere impunè non ſinitur; ſed viatorum pedibus teritur atque atteritur. Et tamen cum eo ſeſe componit Servator optimus, quem verſaoa Judæorum immanitas, in paſſione, in Cruce, in mortu ut vermem habuit, & durum in modum conculcavit.

Quòd ſi ea demiſſio ſumma tibi non videtur; aliam accipe, qua major ne cogitari, ne fingi quidem poteſt. Erit illa hujuſmodi quæ non tantùm infra Angelos, infra homines Deumque ponet; verùm etiam infra quidquid eſt creatum: imò ne in creatis quidem reponi patietur.

Pſal. 68 v. 3. Ita mihi auctor David, qui in Meſſiæ perſona canit: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* limus ille profundi eſt immenſa tormentorum colluvies, acerbi cruciatus, Crux ingloria, dira mors, qua ita mergitur, ut à ſe omnem propè ſubſtantiam videatur abdicaſſe: quod ipſum calamo Apoſtolico clariùs ſcripſit & expreſſit vas electionis, tuba Evangelii Paulus: *Semetipſum*, inquit, *exinanivit*: nec enim ab alio exinaniri potuit; ejus unius fuit eſſe quodammodò ſibi tollere, qui omnibus aliis dat eſſe, ut noveris factum illud non neceſſitate, ſed voluntate. Exinanivit, inquam, ſemetipſum, non tantùm ubi carnem induit; ſed vel maximè ubi eam per immanes cruciatus exuit. Ita aliquando fore portendebat ipſum JESU, id eſt, Servatoris amabile & ſuaviſſimum nomen; de quo Sponſa: *Oleum*, inquiebat, *effuſum* Cant. 1. v. 2. *nomen tuum*: vel potiùs, ut Ambroſius legit, *exinanitum.* Parum enim amanti fuit effundi, niſi ita effunderetur, ut exhauriretur penitùs & exinaniretur.

Et iſta divinæ in nos charitatis profuſionem profundamque humilitatis abyſſum arguunt, damnantque ſuperbos & inſolentes hominum faſtus, qui ut ex vero nihil ſint, aliquid tamen & eſſe & dici volunt: nimirum mendaces in ſtateris ſuis, veraces tum demùm futuri ſi Servatoris ſui demiſſionem imitari non erubeſcant; ut enim grandi ſtylo Tertullianus: *Quodcumque Deo indignum eſt, mihi expedit. Salvus ſum ſi non confundar de Deo meo. alias non invenio materias confuſionis, quæ me per contemptum ruboris probent benè impudentem & feliciter ſtultum.* Tertul. de carne Chriſti c. 5.

CAPUT VI.

Quis olim ſacræ Cruci honos ſit exhibitus?

AD honorem, qui ſacræ Cruci debetur referri poteſt illud, quòd jam inde ab Eccleſiæ prima origine ſignum illud ſalutis noſtræ erectum ſit, ut non præſidio tantùm, ſed & ornamento eſſe videretur.

Homines inter quos parens natura fecit, & è communi luto argillâque malè compegit, duo ſunt ordines qui cæteris eminent, ſeu fortunæ gratia, ſeu favore Superûm, ſeu profanis, ſeu ſacris honoris inſignibus. hi in Infula pedóque venerationi ſunt, illi in purpura ſceptróque nitent; & his & illis ſuum eſt à Cruce decus atque ornamentum.

De illis extat illud D. Auguſtini longè pulcherrimum pronuntiatum: *Crux honorata eſt & finita eſt:* S. Auguſt. in Pſal. 36. *finita eſt in pœnâ, manet in gloriâ: à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum. qui tantum honorem dedit pœnis ſuis, quid ſervat fidelibus ſuis?* Ex alio loco, illud idem ſignum, quod in regia corona ſupereminet, radiatque medium inter gemmas, omnibus rubri maris margaritis anteponit. *Reges*, inquit, In Pſal. 32. *ſignum Crucis Chriſti in fronte jam portant, pretioſius ſignum, quàm quælibet gemma diadematis.*

Quod ipſum Crucis decus gravi eloquentia commendat etiam D. Hieronymus: *Regnum*, inquit, S. Hieron. Epiſt. 7. ad Lætam. *purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutaris figura condecorat.*

Amplius aliquid dico, Crucem ipſam Regibus ac Cæſaribus fuiſſe pro ſceptro.

Teſtem appello Rodulphum Comitem Haſburgicum, qui primus è familia Auſtriaca ad ſolium Annales Imperatoris aſcendit. Huic Imperatori jam Electo FF. Fleron. An. 1273. cùm Germaniæ Principes Sacramentum dicere recuſarent, eò quòd abeſſet regale ſceptrum: ille à religione, à pietate conſilium in re ſubita accipiens, ſimulque etiam Crucem in manus. *Ecce*, inquit, *ſceptrum meum.* Eo certè ſervati ſumus beatæ Æternitati; eo redempti de ſtygis immanique peccati ſervitute. Quis huic ſceptro & caput & animum non ſubmittat?

Valuit ea Rodolphi pietas ad continendos in officio nutantes; valuit & ad extorquendam fidem ſolemneque juramentum. Mox enim Germaniæ Principes & ſacræ Cruci, seu Chriſti ſceptro, oſcula fixêre, & Imperatori recens Electo juramentum præſtitêre. Sic ut olim *Regnavit à ligno Deus*; ita deinde ab eodem regnavit & Rodolphus.

Ecce ut de Cruce imprimis verum illud, quod de Martyrum ſuppliciis disertè pronuntiavit S. Leo Papa: S. Leo ſerm. de S. Laur. *in honorem tranſierunt triumphi inſtrumenta ſupplicii.*

Quòd ſi profana dignitatis inſignia, ſacris miſceri amant ac nitere, ſi Regum diademata, coronæ, ſceptra à Cruce decus ac venerationem humanâ ſorte majorem mutuantur, multò magis glorioſâ hac notâ inſignes eſſe volunt ſacris aris cæremoniiſque devoti.

Geſtabant olim Hebræi Pontifices ad inſigne religionis decus laminam auream, quæ in fronte fulgebat, oſtentabatque auguſtum, divinum, ineffabile nomen *IEHOVA*, in quo legeres ſacra eſſe Superis Deóque capita. Antiqua illa Pontificiæ majeſtatis nota jam exolevit, ut novis cederet ornamentis: ceſſit porrò, inquit D. Hieronymus, & Cruci quidem S. Hieronym. Epiſt. 128. conceſſit, quòd ab illâ plus dignitatis, gloriæ, venerationis accederet. quod magni Doctoris effatum ipſo uſu jam inde ab Apoſtolis & inductum & confirmatum.

Primi illi Chriſtianæ vitæ ſatores ab ipſo Servatore Chriſto probè inſtituti Crucem ferebant ut fidei teſſeram, profeſſionis ſuæ notam, ſymbolum & ornamentum illuſtre pietatis: videre eſt illud in nummis Fulvii Urſini, in quibus prima illa ſurgentis Eccleſiæ lumina, Apoſtoli Joannes & Philippus expreſſi ſunt, & palliola Crucibus intexta ad humeros & pectus habent.

Horum morem avitamque pietatem imitati deinde ſummi Pontifices, in quorum palliis, & à tergo, & à pectore legebantur olim Cruces purpurei coloris, quas Venantius Fortunatus appellat *pallia textili Cruce inſignia*: ab Eccleſiæ capite, ſeu Sole, alii Lib. 2. Ep. 6. Prælati, minora lumina, hauſêre lucem illam pietatis, quæ in morem ſacroſque ritus invexit illud, ut non modò Crucem palliis inſcriberent, aut appenſam è collo geſtarent; verùm etiam quoties in publicum procederent, eſſet è ſacris miniſtris unus aliquis, qui eam præferret, viamque auream quaſi ac divino Crucis fulgore aperiret.

Imò verò, quod in antiquitate mireris & ames, Chriſtianos omnes adeò invaſit & occupavit ille Crucis amor, ut olim à Cruce dicerentur Chriſtiani omnes *religioſi Crucis*, ut mihi teſtis eſt & auctor
In Apolog. Tertullianus: adeò altè omnium animis inſederat amabile auguſtúmque redemptionis noſtræ ſignum, ut ab illo ſibi nomen famamque facerent primi ævi Chriſtiani; quos utinam tota poſteritas imitetur, nec alio ſigno notáve ſeſe inſigniri patiatur.

CAPUT VII.

Quis olim fuerit uſus ſigni S. Crucis.

E Veterum monumentis avitáque pietate accepimus, majores noſtros tres maximè corporis partes hoc ſigno munire conſueviſſe, videlicet frontem, os, & pectus: pro fronte militat plurima ratio, occultaque myſteria, quæ SS. Patres commendant: frons in homine ſedes eſt pudoris, verecundiæ nota, quam qui exuerit, frontem exuiſſe vulgò dicitur, id eſt, pudorem omnem abjeciſſe. Nè porrò eam abjiciat Chriſtianus, ne inani noxióque pudore ſuffuſus detrectet opprobrium Crucis, ei ſigno Crucis frons armatur; ut ſi ſanguine perfundi, ſi ſanguine rubeſcere debeant, non alio perfundatur aut rubeſcat quàm ſanguine Agni immaculati. qua de re illud ele-
Aug. Conf. 3. in Pſ. 30. ganter dictum à D. Auguſtino: *Non ſine causâ ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, tamquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat.*

Eâ de causâ olim in fronte faciéque eam fixêre invicti Martyres, quos deprædicat D. Ambroſius: *Decora*, inquit, *facies, qua non erubeſcit auctorem, non confunditur, redemptore, ſed potiùs oſtendit faciem, ſignaculum Crucis præferens; & inſinuat vocem ſuam, auctoritatem prædicationis aſſumens.* Et hæc Divis Auguſtino Ambroſióque ſuccurrebat ratio.

Alia D. Hieronymo, cui nota ſalutaris in excelſâ illâ corporis parte, uti in januæ ſuperliminari imprimitur, ut per ejus vim divinamque virtutem ſe noverit à funeſtâ Ægypti clade communíque exitio
Hieronym. Epiſt. 8. liberandum. ita monet S. Doctor: *Crebrò ſignaculo Crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat.* Pro eâ, quâ in Superos erat fiduciâ, credebat vir ſanctus eam ætati ſuæ poſteriſque ſæculis concedendam eſſe à ſigno Crucis gratiam, quam olim Iſraëli Cœlo propitio ab Agni ſanguine, à ſigno *thau* largitus olim eſt Deus: nec immeritò; ex quo enim Servator humani generis, immortale Numen, lignum illud attigit, ei vim medicam ſalubremque viſus eſt impreſſiſſe.

D. Chryſoſtomus animum aliò flectit, ad gloriam ſplendiſſimi ornamenti, quod omni diademate ſit illuſtrius: *Omnes*, inquit, *Crucem in fronte circumferi-
mus non erubeſcentes, ſed eâ velut eximio ornatu glorian-* *Chryſoſt. in Pſal. 11.*
tes. Hæc ubi dixit pro aureâ, quâ eſt eloquentiâ, confert diadema cum Cruce: *Diadema*, inquit, *ornat caput, Crux autem animum munit: illud terris & mortalibus illuſtre caput reddit atque oſtentat; hæc verò Cœlis ipſis ac immortalibus facit eſſe venerandum: illud Regum terra; hæc ejus eſt inſigne per quem Reges regnant, & legum conditores jura decernunt: denique puſilli hominis eſt illud; hæc Dei ter Opt. ter Max. eſt ornamentum.* Et hæc ad frontis decus ac notam facere videntur: de ore déque pectore pauca ſubjungamus.

Crucis ſignum labiis ſuis apponere docuit Auguſtinus. Hieronymus, *Crucis ſignum digito in labiis pingendum eſſe dixit.* ut ab illo Dominus poneret cuſtodiam ori, & oſtium circumſtantiæ labiis noſtris, nè in aliena ab eo verba effluerent; facilis enim eſt, & pronus linguæ lapſus: vita & mors in manibus linguæ; apponitur illi, appingitur, imò apprimitur ſignum Crucis, ſignum vitæ ut in verba vitæ ſeſe explicet, abſtineat autem ab iis, quæ animæ mortem afferre poſſent. & iſta pro ore videtur ratio.

Hæc ad pectus ſpectat: eſt illud cordis ſedes, quod ut puriorum ſpirituum caloriſque eſt officina, ita & dives amoris apotheca, eóque ſedulâ curâ ſervari debet, nè eam vitæ ſedem & arcem invadat aut occupet tartareus hoſtis: arcetur illo ſigno Crucis, quod adverſus impudentem ejus audaciam impetuſque malitioſos valet quàm plurimùm; & iſta cauſa pervaſit ad animum; hæc etiam in ipſo corpore hæret, eíque eſt pro medela.

Ingens quandoque vis doloris, tantáque quæ etiam animam exprimat ſpiritumque extinguat: eo ſe propè tangi ſenſit olim S. Paula ex immaturo, ut videbatur, parentum ac filiorum funere; ſed opportuna ad manum fuêre remedia, non è Galeni aut Hipocratis officina longè & operosè petita, verùm à Cruce hauſta. in eo doloris ſenſu, qui potuit eſſe maximus: os illa ſtomachumque Cruce ſignabat, & illicò ſeſe remittebat vis mali, dolorque aut leniebatur quàm plurimùm, aut omninò tollebatur: ea fuit virtus illius ſigni, quam nec ipſe corporis ſenſus nec dolor quantumvis acutus patiebatur.

Auctorem hujuſce rei habeo D. Hieronymum, qui de S. Paula ſic ſcribit: *Os ſtomachumq; ſignabat, & dolorem, Crucis videbatur impreſſione, levire.* *Hieronym. Epiſt. 27.*

Ex indita illa virtute, & animo & ipſi corpori proficua, quam probè norant Chriſtiani, in pium uſum moremque evaſit illud, ut in omni propè actione Crucis ſignum uſurparent, de quo proferri ſolet graviſſimum illud Tertulliani teſtimonium: *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſigno terimus.* Hæc naſcentis Eccleſiæ pietas, hæc in Crucem religio fuit, quam utinam non pigeat imitari.

FINIS.

PH 11656

R. P.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

TRACTATVS DVO ASCETICI:

PRIMVS

DE SACRA CHRISTI DOMINI PASSIONE ET CRVCE.

SECVNDVS

DE RELIGIOSO TEMPLORUM CVLTV.

Adverſus petulantem hujus ſæculi licentiam.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

D. GODEFRIDO

COMITI DE HVYN,

BARONI IN GELEEN,

TEVTONICI ORDINIS EQVITI,

BALLIVIÆ JUNCETANÆ

COMMENDATORI PROVINCIALI,

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS CAMERARIO,

CONSILIARIO AC COPIARUM EJUSDEM;

DUCISQUE BAVARIÆ

EXPRÆFECTO GENERALI

DOMINO IN GEMERT, GRUTRAEDE, S. PETRI AD FURAM,

ORDINGEN, HOESSELT, &c.

PAtieris, ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME DOMINE, hoſce duos *Tractatus* nomini tuo inſcribi. Primus effert atque oſtentat Sacram Chriſti Domini Servatoris quàm optimi *Crucem*: & hanc etiam, velut Equeſtris Ordinis inſigne, veſte ipſa circumfers: nec veſte tantùm; ſed & animo, ſed & manu, Bohemiâ, Auſtriâ, Germaniáque totâ victricibus armis circumtuliſti. Alter aperit *Templum Domini* ac Creatoris munificentiſſimi, & religioſum illius cultum nitorémque commendat: & pro hoc etiam depugnaſti fortiter, non ſolùm martio (id eſt decoro) pulvere ſordidus; ſed & proprio ſanguine non ſemel purpuratus.

Poſita quondam Iulio Cæſari honoris ergò ſtatua, virenti redimita lauro, quæ dextrâ rotabat enſem, ſiniſtrâ calamum regebat; cum hac ſubjectâ epigraphe:

Ex utroque Cæſar.

Denotabat illa ſcilicet utroque excelluiſſe Cæſarem; mente juxta & manu; calamo perræquè ac ferro.

A magnis Principibus non inferiora ſecutus; Heros Excellentiſſime, ex utroque mihi Cæſar eris; ſic enim manu polles, ut animo magis ac conſilio; ſic arma tractare didiciſti, ut priùs tamen etiam liberaliores diſciplinas. Harum fundamenta jeciſti in Leodienſi Societatis IESV Athenæo, quod exultat modò, ingentique triumphat gaudio, quòd Sereniſſimis Germaniæ Principibus, quòd Auguſtiſſimo Cæſari, quòd Imperio toti velut Martem alterum tranſmiſerit, quò Fidei ac Religionis hoſtes acerrimos partim conſilio, partim fortitudine vinctos victóſque exhiberet.

Teſtes volo appellóque militares copias, & numeroſos exercitus, quos cum ſupremo imperio non ſemel duxiſti. Primò in Weſphalia ſub auſpiciis Maximiliani Sereniſſimi Boïorum Ducis: Deinde ad Danubium, ad Rhenum, ad Menum ſub Aquilis potentiſſimi juxta ac piiſſimi Imperatoris FERDINANDI II. Denique ad ipſius Bohemiæ fines ſub imperio invictiſſimi Cæſaris FERDINANDI III.

Ita Sereniſſimi Electores Auguſtique Cæſares aſſenſêre quando Te ad arma, cum ſupremâ in milites poteſtate, toties cenſuerunt eſſe revocandum.

Quod Imperio felix fortunatumque fuit: Primò enim Banierum de gente Suecicâ ſtrenuum belli Ducem, & ipſi Germaniæ formidabilem, Torgaviâ ad mare uſque Balthicum retrocedere coëgiſti. Poſt etiam ad ipſa Bohemiæ confinia eum deproperantem celeritate occupaſti, virtute ſuperaſti, felicitate exarmaſti.

Sed illius præcipuè temporis retinenda nobis recolendáque eſt memoria, quo ſcilicet Cæſar Auguſtiſſimus Ratisbonæ ſalutaria Imperio habens comitia, valdè propinquum ſibi adeſſe ſenſit quem procul agere credebat hoſtem, quin & ipſis propè mœnibus petulanter inſultare; adeò ut ſimilem ſe obſeſſo præter omnem expectationem conſpiceret qui modò ſe tutiſſimum

mum loco in tutiſſimo reputabat. Et ſanè haud procul periculo res aberat. Sed affuit in tempore Divina Providentia, quæ & ab Imperatore, ſoluto gelu, imminens avertit malum, & Tibi non exiguæ laudis præclaram occaſionem præparavit. Nam cùm digreſſus Ratiſbonâ hoſtis, in Bohemiam decurriſſet, ibique omnia longè latéque depopularetur; quis tunc opportunior, quàm Tu, inventus eſt, qui tam audaci, tam ſævo graſſatori ſeſe opponeret, & tantæ ac tam impunitæ licentiæ frænum injiceret? Et ſanè tanta fuit tua in re aggrediendâ promptitudo, in peragendo conſtantia, in conficiendo celeritas, ut hyeme aſperâ, adverſo æthere, itineribus difficillimis hoſtes nihil tale opinantes aſſecutus ſis, adortus ſis, debellaris.

Ex hinc levibus pennis laureata ad Cæſarem advolavit victoria, totíſque Bohemiæ finibus fatigatum ac deſperantem expulit Banierium.

His igitur tuis, tot tamque inſignibus victoriis (de quibus Deo gratias debes immortales) velut pium quoddam appendam anathema, Libellum *De Templorum* (pro quibus tu ſæpè depugnaſti) *religioſo cultu.* Patieris illum prodire ſub umbrâ & patrocinio nominis tui, ac memor dilectæ Tibi Legiæ, quod ex amiciſsimo ejus depromptum eſt ſinu, tam ſerenâ atque amœnâ fronte excipies, quàm volenti ac læta mente cuncta tui mandata Imperatoris excepiſti. Ita vale, vive, vince. Hoc enim cunctis exoptat votis

EXCELLENTIÆ TVÆ

Humillimus cliens, & ſervus

JACOBUS LOBBETIUS
è Societate IESU.

INDEX
IN TRACTATUM
DE SACRA CHRISTI DOMINI
PASSIONE ET CRUCE.

CAPUT I.
De Chriſti Domini lacrymis.

Ad illa verba:
IN diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia. Ad Hebr. c. 5. v. 7. pag. 1

CAPUT II.
De oratione Chriſti in horto.

Ad illa verba:
Progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam orans & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: Verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu. Matth. c. 26. verſ. 39. pag. 3

CAPUT III.
De Chriſti agoniâ & ſanguineo ſudore.

Ad illa verba:
Factus in agoniâ prolixiùs orabat, & ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis. Lucæ cap. 22. v. 43. 44. pag. 4

CAPUT IV.
De oſculo Iudæ, & comprehenſione CHRISTI.

Ad illa verba:
Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Matth. c. 26. pag. 5

CAPUT V.
De contumeliis Chriſto illatis in nocte, quæ illi fuit extrema.

Ad illa verba:
Tradetur Gentibus, & illudetur, & conſpuetur. Lucæ c. 18. v. 31. pag. 8

CAPUT VI.
De flagellatione CHRISTI.

Ad illa verba:
IESUM autem flagellatum tradidit eis. Matth. cap. 19. pag. 9

QUÆSTIO I.
De columnâ: an unica fuerit, an duæ? ibid.

QUÆSTIO II.
De Chriſti nuditate & vinculis. pag 10

QUÆSTIO III.
Quis fuerit numerus flagellantium Chriſtum. ibid.

QUÆSTIO IV.
Cujus generis fuerint Chriſti flagella, & quis ictuum numerus? pag. 11

CAPUT VII.
De coronatione Chriſti.

Ad illa verba:
Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus. Matth. c. 27. pag. 12

CAPUT VIII.
De Crucifixione CHRISTI.

Ad illa verba:
Et duxerunt eum ut crucifigerent. Matth. 29. pag. 15

CAPUT IX.
Exponitur ratio, modusque, quo Salvator affixus eſt Cruci. *pag.* 16

CAPUT X.
De vulnere lateris CHRISTI.

Ad illa verba:
Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Joan. c. 19. v. 34. pag. 18

CAPUT XI.
Quomodo CHRISTO patienti ac morienti compati viſa eſt omnis propè creatura? *pag.* 19

CAPUT XII.
Quæ, qualíſve ſeu ipſi Chriſto, ſeu etiam Chriſtiano Crux fuerit? *pag.* 20

Crux Chriſti lectulus amoris. ibid.
Crux Chriſti eſt liber. pag. 21
Crux Chriſti cathedra docentis. ibid.
Crux Chriſti ſchola patientiæ. pag. 22
Crux Chriſti ſtatera. pag. 23
Crux Chriſti ſpeculum animæ. ibid.
Crux Chriſti eſt altare. pag. 25
Crux Chriſti eſt arcus. ibid.
Crux Chriſti eſt ſcala. pag. 27

INDEX
IN TRACTATUM
DE RELIGIOSO TEMPLORUM CVLTV.

ARGUMENTUM, partitio, & finis hujus Opuſculi. *pag.* 28

CAPUT I.

Quid ſit Templum, & quæ nomina ſortiatur? pag. 28

CAPUT II.

An immortali Deo erigenda Templa? p. 29

CAPUT III.

De reverentiâ in Templo. pag. 30

§. I.

Quanta apud Gentiles Templorum veneratio ac reverentia? ibid.

§. II.

Quæ apud Turcas Moſquearum veneratio, & quam profuſa in iis munificentia, quæ etiam apud Indos Gentiles? ibid.

§. III.

Quæ olim apud Iudæos ſeu tabernaculi, ſeu Templi obſervantia? pag. 31

§. IV.

Quæ apud primos Chriſtianos, & naſcentem Eccleſiam ſacris Templorum reverentia. p. 32

§. V.

Eximia Imperatorum, Regum ac Principum in ſacras ædes religio. ibid.

CAPUT IV.

De religioſo in Templis ſilentio. pag. 33

§. I.

Quid ſit ſilentium, & quæ loquendi in Templis regula? pag. 34

§. II.

Quàm ſacrum olim & inviolabile in Templis ac piis cœtibus ſilentium? ibid.

§. III.

Quàm commendatum à SS. Patribus ſacris in locis ſilentium? pag. 35

§. IV.

Afferuntur nonnullæ rationes, ob quas ſervandum in ſacris ædibus ſilentium. pag. 36

CAPUT V.

De modeſtiâ in Templis ſervandâ. pag. 37

§. I.

Quid ſit modeſtia? ibid.

§. II.

In quo potiſſimùm conſiſtat ea modeſtiæ ratio, quæ in Eccleſiâ requiritur? & quænam illi ſint adverſa? ibid.

CAPUT VI.

De caſtimoniâ in Templo retinendâ. p. 38

§. I.

Templa ſubeunti nonniſi caſtas eſſe debere cogitationes. pag. 39

§. II.

In ſacris cœtibus ac Templis, & ſimplices, & caſti ſint oculi. ibid.

§. III.

In Templis caſta ſint omnia, quæ ſubjiciuntur oculis. pag. 40

CAPUT VII.

De oratione in ſacris ædibus. pag. 42

§. I.

Quid ſit oratio? ibid.

§. II.

Antiquiores orandi Ritus, & ex iis præclara morum documenta. pag. 43

ARGU-

ARGUMENTUM,

PARTITIO ET FINIS TRACTATUS

DE TEMPLO DOMINI.

VIderat fortè unus aliquis, atque damnarat inſolentem hujus ævi licentiam, à quâ in Dei Æde atque orationis domo, fabulæ, joci, riſusq́ liberiores; quos ut comprimeret, optavit edi Libellum aliquem, qui ea ætatis noſtræ vitia carperet, docerétque, quæ ſacris locis debita foret veneratio, quàm reverens ſilentium, quàm religioſa corporis animíque compoſitio, quàm innoxius morum candor & caſtitas, qui denique orationis æſtus, & bonæ mentis in Deum elevatio. In hæc omnia ſtylum duxi, non tam meâ voluntate, quàm imperio eorum, quibus & ſtudia noſtra, & nos ipſi addiximus. Habes, amice Lector, ſcriptionis argumentum, partitionem, & finem; æqui boniq́ conſule, & benè vive ac vale.

JACOBI

JACOBI LOBBETII SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

TRACTATVS DE SACRA CHRISTI DOMINI PASSIONE ET CRUCE.

Serm. 1 in Dominicam Palmarum.

SANCTA Mater Eccleſia, ipſa Dominica in ramis, in ſolemni Miſſæ officio *Proceſſionem addit Paſſioni*, *mirâ* (ut ait D. Bernardus) *conjunctione: nam proceſſio plauſum habet, paſſio planctum*, ideóque tam proceſſio à paſſione diſtat, quàm plauſus à planctu; & tamen tam hanc quàm illam in uno die, unóque officio jungit Eccleſia. quæ cauſa? D. Bernardus, eâ quâ ſolet ingenii facundæque mentis facilitate, hanc reddit: Ut diſcat Chriſtianus, *In proceſſione quò properandum ſit: in paſſione quà ſit eundum: in proceſſione cœleſtis patriæ* repræſentatur *gloria*, *in paſſione* monſtratur *via*: Quæ ſit hæc ſi quæris, audies ex eodem Doctore melleo: *Via vitæ tribulatio præſens, via gloriæ, via civitatis, via habitaculi, via regni.* Ecce quæ tibi ſeu in proceſſione, ſeu in paſſione reſerantur myſteria: Ut hæc altiùs admittas in animum, decrevi paucis, & quaſi compendio tibi retexere ſeriem Dominicæ paſſionis, tamquam viæ, quà & ipſe progredi debes, & quaſi longo vitæ tramite procedere ad patriam cœleſtem, quò tendis.

CAPUT PRIMUM.

De Chriſti Domini lacrymis.

Ad illa verba: *In diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationesq́; ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ.* Ad Hebr. c. 5. v. 7.

APud Comenſes in Italia fuit illud mirabile atque inſolens portentum, cùm Apollonis ſtatua lacrymari viſa eſt.

Aug. lib. 5. de civ. Dei c. 11.

Et meritò: Apollo quippè idem eſt quod ſol: ſolem autem, Orbis oculum, cœli terræque gaudium in lacrymas effundi, uti & novum, ſic & inſolens exiſtimari poteſt.

Iren. lib. 1. cont. hæreſ. c. 1.

Tertul. l. 1. contr. Valent.

Apud Irenæum & Tertullianum pro figmento ac delirio reputatum illud, quod in prima Univerſi moliſione lacrymatus diceretur Deus, & quod inſuper hujus lacryma pro magnitudine Dei adeo vaſta atque immenſa fuerit, ut ex ea ſuſum ſit toto propè continenti mare; etiam ab illa lacryma ſalſedinem hauſit retinuitque in præſens. Hæc, inquam, pro figmentis habita; & anilibus fabulis: quibus affinè eſt & iſtud, quod Mahometes in ſuo Alcorano ait, Deum quotidie ſemel flere, ejuſque lacrymas eſſe eas ſtellas, quæ de cælo labi videntur. Quod ridet refutatque Petrus Cluniacenſis, aliique. Verùm ut ridicula atque inania ſint iſta; ſic & cuipiam mirum iſtud ac novum videri poterit, quod Chriſtus (quem Deum & agnoſcimus & veremur, & quem naſcentis Eccleſiæ, ceu cœli novi, ſolem dicimus ac gaudium) toties noſtris malis aſſeratur illacrymatus.

Bouchier Bouquet ſacr.

Et ſanè ſi nuda ratio ſpectetur, ſi ſuppoſiti Divini Majeſtas divina, etſi in aſſumpta hominis natura ac corpore lacrymari non ſit adynaton: at profectò uti novum, ſic & fortè cuipiam minus decorum cenſeri poterit.

Iſidorus refert è Priſci Philoſophi ſententiâ Regi flere indecorum, tamquam ſi Regis majeſtas, & ea quæ cum lacrymis manare videtur mentis imbecillitas parum cohæreant. Quod ſi Rex certatim flere, à malo non levi eum premi erit argumentum.

Rex David à rebelli Abſalone profugus aſcendebat clivum Olivarum nudis pedibus, aperto capite, & ſuæ calamitati, & filii proditioni illacrymans.

Ramirus Rex Hiſpaniæ, in ſago & togâ inſignis, poſt viginti duos regni annos in extremis conſtitutus, Ordonio filio regnum, quo ſe abdicarat, committens cum lacrymis proclamavit. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc:* Ita nimirum & regno & vitæ, cui cedebat, lacrymas infudit Rex pius: quas certè dare non ſolent Principes ac Reges niſi graviſſimum aliquod malum incubuerit; ut proinde neceſſum ſit, ingens aliquod & propè immenſum Chriſto Servatori impoſitum mali pondus, quod ei lacrymas ex oculis expreſſerit; & quidem non ſemel, ſed ſæpiùs. Riſiſſe enim nec viſus, nec auditus unquam; fleviſſe verò perſæpè: & quidem Primùm cùm ad mortuos abiiſſet Lazarus, eſſetque ab iis revocandus. *Chriſtus*, inquit, Chryſologus, *recipiens Lazarum flevit, non amittens.* Nimirum ut docet D. Cyrillus, ingreſſus in hanc mortalem moram luctu & lacrymis proſequendus, exitus autem gaudio & riſu & plauſu. *Iob. c. 1. v. 21.* *Ioan. c. 11. v. 14.* *Serm. 64.* *L. 7. in Ioan. c. 21.*

Flevit deinde Chriſtus, cùm in oculos incurrit Hieroſolyma, magna illa nobiliſſimæ urbis moles ac majeſtas: *Flevit*, inquam, *ſuper eam*, quòd jam inde miſerandam illius ſtragem excidiumque præviderer. *Luc. c. 19. v. 41.*

Flevit etiam in eâ cœnâ, quæ illi cum diſcipulis poſtrema fuit; in illâ quippe cùm aperienda foret infanda Judæ proditio, ejus atrocitate commotus, *Turbatus eſt ſpiritu* (inquit Evangeliſta) hoc eſt interprete D. Chryſoſtomo: *Lacrymatus eſt* *Ioan. c. 13. v. 21.*

Flevit & in horto Getſemani, in luctâ & agoniâ quam eò loci ac temporis paſſus eſt propter objectam atque imminentem atrociſſimæ mortis imaginem: ita mihi author eſt D. Bernardus. *Chriſtus*, inquit, *non contentus fuit lacrymis oculorum, ſed totius corporis ſanguineis lacrymis peccata noſtra flere & lavare voluit.* *Serm. 3. in Dom. Palmarum.*

Flevit denique altè affixus cruci, cùm ad Æternum Patrem, & natantes in morte oculos, & ſupremas voces explicuiſſet; iſtas nimirum. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Et has: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

Ita habes Servatorem Optimum in ultimo illo vitæ ſuæ actu ter lacrymarum imbres ac torrentes effudiſſe: quidni enim imbres & torrentes, imò & propè maria lacrymarum appellem, cùm incredibili ferè copiâ *Cornel. à Lapide in Ep. ad Heb. c. 5. v. 7.*

copiâ ſint emiſſæ, apertis veluti oculorum humorumque cataractis.

Certè Petrus Calentinus in via Crucis aſſerit Chriſtum in ultimâ vitæ ac paſſionis ſuæ ſcenâ effudiſſe lacrymas ducentas ſupra ſexaginta duo millia. At quas, inquies, lacrymas; amoriſne, an doloris? frigidas, an calidas? aqueas, an ſanguineas? & has certè, & illas.

Problem. 17. Philoſopho teſte lacrymas elicere ſolet modò dolor ac triſtitia; modò etiam amor & gaudium: cum hoc tamen diſcrimine, quod eæ quas dolor exprimit, calidæ ſint; quas verò amor, frigidæ. His ita è naturâ ac Philoſopho conſtitutis.

Dicamus Salvatori in paſſione, primùm manaſſe lacrymas calidas, quas ſcilicet ingens doloris æſtus extorquebat, cùm & illa verba quodammodo extorqueret, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Ab his deinde manârunt aliæ lacrymæ, eæque frigidæ, quas nimirum revocato intus calore, ſuaviter & copioſè educebat amor ac lætitia, vel ex eo orta, quòd peracta jam eſſet vitæ, amaræque paſſionis tragœdia, à quâ auditæ illæ voces amoris ac ſuavitatis plenæ, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, quibus expletis ultima lacrymula decidit, teſtis & index abiturientis animæ.

An autem ea lacrymula, aliæque, quas ad extremum effudit, ſanguineæ fuerint, non auſim pro certo aſtruere, cùm ea Scriptura non conſtet: probabili tamen ratione id conjicere licet, cùm enim ea copia, ea ubertate fluxerint, ut vix iis ſufficere potuerit humor aqueus, qui lacrymis ſervit, dici poteſt eo deficiente puriorem ac ſubtiliorem ſanguinem ex oculis emanaſſe: uti deinde contigit in ſanguineo ſudore, quem dedit abſumpta jam omni nativi ſudoris materia.

Quod ipſum inſinuaſſe mihi viſus eſt D. Bernardus, dum ait, *non ſolis oculis, ſed & membris omnibus fleviſſe*: at his flevit à ſanguine; igitur etiam & illis.

Neque novum illud & inſolens cùm nova & quaſi inſolens eſt cauſa; ſive ea petatur à doloris exceſſu, maliùe inſolentia, ſive ex alia quapiam ratione præter uſitatum ordinem naturæ: uti in Chriſto peti potuit.

Sanè in illis, non pauca ſuppetunt exempla; è quibus hæc mihi in præſentia occurrunt.

Medic. obſerv. c. 15. Rembertus Dodonæus meminit cujuſdam Virginis, quæ quòd calidioris eſſet temperamenti, lacrymas ſanguineas dederit; naturâ ſcilicet ſuper effluentem ſanguinem per oculos expellente.

De natura novi Orbis. Joſephus à Coſta refert, inter antiquos Peruvii Reges, quendam fuiſſe, qui ubi ſe ab hoſtibus prælio victum captumque vidit; ſic indoluit, ut lacrymas ſanguineas & fortunæ ſuæ & vinculis infuderit. Unde ei deinde inditum nomen *Yguaguarque*, quod ſanguineam lacrymam ſignificat.

Alium authorem legiſſe me memini qui aſſerat, Viduam aliquam ſic orbitatem ſuam deploraſſe, ut exhauſto jam omni humore ſubſequentibus deinde ſanguineis lacrymis & luctum teſtata ſit, & immanem profectò doloris ſenſum; qui ſcilicet ſanguinem expreſſit, quem mariti tumulo manibuſque ſuperinfunderet.

Quod ſi in hac & illo tantum potuit vel fortunæ, vel doloris ſenſus; quantum in Chriſto potuiſſe judicabimus? Sanè tantùm, quantum & hujus & illius, ut ita dicam, calamitas, doloſque ea ea natus, ab hoc diſtat.

Et hoc eſt ſacrificium non labiorum tantùm, ſed & oculorum, quod Æterno Patri exhibuit Servator noſter, & quò omnes iratum æſtus, & parata jam ab illis pœnarum incendia extinxit. Et certè quidni extinxiſſet.

Dicuntur olim Athenienſes lacrymas Diis ſuis in ſacrificium obtuliſſe, quòd crederent, iis placandos quàm maximè. Fuit inſignis illa ſuperſtitio; quia iis oblatæ lacrymæ, à quibus nihil opis afferri potuit: At non ſic à Chriſti lacrymis: offeruntur illæ in cœli regiâ, in oculis Omnipotentis & Æterni Patris, & quidem à Filio longè cariſſimo, cui negare quicquam nec velit, nec verò etiam poſſit; hinc Apoſtolus ait, *Exauditum pro ſuâ reverentiâ*; quidni enim exauditus eſſet, qui eas lacrymas profudit quæ ea vero cum D. Hilario dici poterant *Sudor animæ mœrentis*, cum Climaco *peccatorum lavacrum*, cum aliis *Vox valida*, quæ longè meliùs clamaret, quàm olim vox Abelis, vox ſanguinis? Hæc enim vindictam à cœlo petiit atque extorſit; illa veniam ac miſerationem quæſivit & invenit: ſi enim de lacrymis pœnitentis animæ dixit olim D. Ambroſius: *Lacrymæ funduntur, quæ ſolent legationem ſuſcipere pro delictis*: quid de Chriſti lacrymis dicendum erit? Dicendum enimverò quod illæ apud Æternum Patrem legationem ſuſcipiant pro delictis, & quidem totius Univerſi: & hoc primùm ab illis nobis eſt emolumenti: cui accedit & alterum; quod per illas etiam moneamur peccatis noſtris ingemiſcere atque illacrymari. *De Trinit. Gradu 4. In Pſal. 37.*

Chriſtum ad extrema properantem ſequebatur olim pia mulierum turba, & lacrymas dabat ac lamenta, ad quas ille converſus; *Filiæ Jeruſalem*, inquit, *nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* *Luc. c. 23. v. 27.*

Cur inquies tum temporis vetuit ſuis lacrymis, ſudori, ſanguini lacrymas infundi atque miſceri? Cui enim potiùs, cui meliùs fluxiſſent lacrymæ, quàm Deo homini morienti?

Vetuit certè, non quòd importunum eſſet ſibi morienti condolere atque illacrymari; ſed quòd longè opportuniùs videri poterat, ut mulieres iſtæ ſibi, ſuiſque ac ſuorum peccatis illacrymarentur.

Hoc igitur & ab illis, & à te, peccatrix anima, exigit & patiens & emoriens JESUS, ut ſuper te ipſa fleas, ut vitam malè actam deplores, & quo potes lacrymarum fonte diluas.

Ita diluit olim David, qui hæc de ſeipſo & verè & piè. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* *Pſal. 118. v. 136.*

Iis diluit & Petrus, qui à negatione Domini *Egreſſus foras flevit amarè*, non eo tantùm die quo nefandæ negationis ſcelus admiſit, ſed & in omni vitâ: ut enim mihi teſtis eſt S. Clemens Apoſtoli Diſcipulus & in cathedrâ ſucceſſor, D. Petrum adeò ſui lapſus pœnituit, ut deinceps per omnem vitam, omneſque omnino noctes ad galli cantum, in genua procideret, lacrymas funderet, & peccati, licèt jam remiſſi, ſupplex veniam poſtularet: hinc ejus oculi ob perennes lacrymarum rivulos quaſi cruenti, & recenti ſanguine reſperſi videbantur. Ac ne ſolùm ab oculis petita pœna dici poſſet, etiam in corpus totum piè ſævire voluit, ad uſque mortem lupinis victitans, ſic ut Ambroſii verbis utar, *Petrus doluit, & flevit quia erravit ut homo: commune quod labitur, fidei quod pœnitet*: ab hac etiam benè doctus Auguſtinus, adoleſcentiæ ſuæ peccata lacrymis diluere ſtuduit: ſic enim de ſeipſo. *Fluebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.* *Matth. c. 26. v. 75. Niceph. l. 2. c. 37. In cap. 22. Luc.*

Quod ſi Davidi, Petro, Auguſtino cum lacrymis benè fuit; & tibi, ô peccator, erit quàm optimè.

Erunt illæ tibi pro ſpongiâ, teſte Chryſoſtomo; *In codice*, inquit, *ſcripta ſunt peccata tua. Spongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ ſunt, effunde lacrymas, & poteris ea delere*: quia ut diſertè Ambroſius: *Quod defendi non poteſt, ablui poteſt; lavant lacrymæ delictum.* *In Pſal. 50. In c. 22. Luc.*

Erunt & illæ pro baptiſmo, authore eodem D. Chryſoſtomo, qui Davidem ſic loquentem inducit. *Lacrymæ meæ mihi fuerunt pro baptiſmate*: quod ſi lacrymæ peccatori quantumvis immani ſint pro ſpongiâ, pro baptiſmate, ſtupendum ſanè & lamentabile ad eas obduruiſſe mortales, ut etſi flenda committant, flere tamen neſciant: quod elatè, ut ſolet, *Hom. 6. ad Marcum.*

deplorat,

Serm. 7. in Pſal. 118. deplorat D. Auguſtinus. *Quis*, inquit, *ſtupris deditus, flagitiis involutus lavat per ſingulas noctes lectum ſuum lacrymis? Flere neſcit, qui flenda committit, & cum ſit ipſe lacrymabilis, non habet pæne lacrymas ſuas.*

Et qui non habet in hac mortali, ac veluti momentanea vita: habebit in altera immortali, atque æterna: ſi tamen vitam appellare poſſimus, ac non potius mortem perennem, atque æternam, in qua etiam perennes, atque æternas lacrymas effundes.

Iſidoro, monacho Melitinenſi cùm adhuc in conjugii vinculis eſſet, atque in conjugem, Chriſtumque impius (panem enim Euchariſticum in lutum ex contemptu, ac perfidia abjecerat) cùm & poſt biduum apparuit vir Æthyops, qui etiam hæc illi: *Ego, & tu ſimul ad unum ſupplicium damnati ſumus.* cui cùm ille: *Tu quis es?* ſtatim audiit: *Ego ſum, qui conditerem omnium Chriſtum Dominum alapa percuſſi in maxilla paſſionis tempore: atque hac de cauſa à fletu temperare non poſſum.* Ecce juges lacrymas: quas extorquet, & rea conſcientia, & inferni dolores; & ipſa quanta quanta eſt extorquebit æternitas. Ne tibi etiam aliquando extorqueat, ô peccator, qui peccando etiamnum Chriſtum alapâ percutis, age dum vivis, & ſpiras, dumque cœlo propitio potes, pœnitentiæ lacrymas effundas, & ipſis Chriſti Domini lacrymis affundas. In vit. PP. lib. 10. c. 30.

CAPUT II.
De oratione Chriſti in horto.

Ad illa verba: *Progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu.* Matth. cap. 26. v. 39.

Hic aliæ atque aliæ mihi incidunt quæſtiones. Et quidem prima, quis orantis habitus: Altera quis locus: Poſtrema, quæ oratio:

Ad primam quod attinet, diſcipuli magiſtro comites venêre in hortum Gethſemani; tum juſſi ex iis octo ſubſiſtere, & Chriſtus ab his avulſus *Quantum jactus eſt lapidis*: tum Petrus, Joannes, & Jacobus admiſſi in interiora horti, & ab his quoque *progreſſus* paululum, receſſit Dominus, & genua poſuit, & *procidit in faciem ſuam.* Ut vel ipſo habitu præ ſe ferret inſignem aliquam animi demiſſionem atque orantis æſtum. Et hæc de prima quæſtione.

De ſecunda paucis: Joannes Soarius Epiſcopus Conimbricenſis, cenſet is locum qui cœleſti ac divino Oratori ſerviit ſpecum fuiſſe, & antrum exciſum in rupe, de qua ſic Præſul, quo hîc utor authore.

Eſt ibi in loco ſaxum magnum habens tres in ſuperficie concavitates longas, ſed non profundas. In unaq; ſedit unus ex tribus Apoſtolis, & ibi recubuerunt. Ingreſſus eſt Dominus antrum ſubtus terram, in vivo lapide exciſum, ubi ternam Patri fecit orationem. In hoc antrum cùm ingrederemur, omnes tremore quodam & horrore, lacrymis meritò perfuſi ſumus?

Hæc ille de ſpecu, quæ prima Dominicæ paſſionis teſtis fuit, quæ ab orantis voce inſonuit, quæ ardores illos entheos excepit, quæ ſanguineo ſudore maduit atque erubuit, dum ſcilicet iterum iterumque eadem oratio repeteretur atque in cœlos evaderet. Fuit autem hæc ejuſmodi. *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Singula verba vim habent & pondus immenſum.

Pater, inquit. Eſt ea naturæ vox & amoris, quæ magnos omnino motus concitare debuit, eoſque miſerationis atque indulgentiæ: nec enim ad Dominum ſervus, ad Deum homo, ad judicem ſupplex appellabat; ſed ad Patrem Filius, & is quidem qui ejuſdem atque individuæ conſors eſſet naturæ. Appellat autem ut à ſe tranſeat calix, hoc eſt ea, quæ imminebat paſſio, & mors peracerba.

Sed cur, inquies, ea calix? An quia Chriſto ſuavis ut ſitienti potus? An quia lætitiæ ſymbolum atque hilaritatis? An quia ſomnum (hoc eſt mortem) conciliare debuit Salvatori, ut ſolet largiter epotum vinum? Eo certè ſine calicem dictum voluit Theophilactus. Alii quia amarus, & multo felle plenus. A quo dum abhorret pars hominis inferior, hæc in cœlum emittit, *Tranſeat à me calix iſte:* fuit ea naturæ vox, quæ ſibi relicta malum averſatur & horret; at rationis iſta. *Verumtamen non ſicut ego volo. ſed ſicut tu.*

Et hæc fuit Servatoris optimi oratio, è qua diſces amice Lector, qualis eſſe debeat etiam tua. Primùm enim ut illi vacaret JESUS, à Matre quàm optima, à diſcipulis longè chariſſimis avulſus: imò à Petro, Jacobo, Joanne, qui propius erant à ſecretis, paululum receſſit, ut inde diſceret Chriſtianus orator abeundum ſibi ab amicorum turba, à tumultu ſociorum, ut à Deo redeat exorator.

Ita quondam faciendum ſibi docuit Moyſes, qui hæc Pharaoni. *Cum egreſſus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum.* Non in ambitu ampliſſimæ civitatis, non in aulæ ſinu luxuque, non in Regia oculis & gratia preces effundam, & iratum pacabo Numen: ſed in aperto campo, & extra urbis Pomeria; ubi ſcilicet mens ab omnibus, imò & à ſe ipſa quodammodo libera. Exod. c. 9. v. 29.

Hæc igitur ſit prima lex orationis, ut ab externis curis omnibus ſit abſtracta. Altera ut ſit ſolitaria, qualis etiam fuit Chriſti JESU, qui oraturus ſeſe recepit in aliam ſpecum procul à diſcipulis, procul ab arbitris.

Iſaacus Chriſti typus & umbra, *meditaturus egrediebatur*, inquit Philo, & populus Iſraeliticus egrediebatur & colligebat manna. Exod. c. 19.

Et tu quoque, ô Chriſtiane, Deum precaturus egredere, & da te ipſe ſolitudini, uti exemplo Chriſti fecêre quamplurimi, quos inter Bonoſus Monachus, qui in vaſta ſolitudine aſperas inter cautes ſeſe abdiderat. De quo ſic D. Hieronymus:

Quaſi quidam novus Paradiſi colonus incedit, nullus ibi agricolarum, nullus Monachus adhæret lateri comes. Solus ibi. Epiſt. 42.

Et tu ſolus ibi ut ſis oportet, quiſquis ad ſuperos venis orator, ſolus, inquam, ſi potes, etiam loco, ſin minus, at ſaltem mente. Veniens ad Eccleſiam, inquit D. Bernardus, *Pone manum ſuper oſtium, & dic, expectate hic mala cogitationes, intentiones, & affectus cordis, & appetitus cordis. Tu autem anima intra in gaudium Domini tui.* Intra, inquam, ſed ſola; nemo unus omnium tecum intret. Hoc enim exigit bonæ orationis lex, cui accedit & alia etiam ab exemplo Salvatoris. Hic flexo poplite, & prona in terram facie Patrem precatus, ut demiſſionis index eſſet oratio Tract. de Dil.

Contra quam peccant ii qui externo corporis habitu illam minimè præ ſe ferunt.

Tertullianus gravis morum cenſor credit irreligioſos eſſe Oratores illos, qui inter divina officia conſident, niſi aut corpuſculi debilitas, aut alia quæpiam neceſſitas excuſet. Sic enim ſcribit.

Contra Scripturam fecerit, ſi quis in Cathedra, aut ſubſellio ſederit. Siquidem irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu, contraq; conſpectum ejus, quem maximè reverearis ac venereris: quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis aſtante. Factum iſtud irreligioſiſſimum eſt, niſi exprobramus Deo, quod oratio nos fatigaverit. De Orat.

Hæc Tertullianus; quo judice, qui ſic orationi vacat primùm irreligioſiſſimus eſt; deinde Deo quaſi exprobrat, & ipſo corporis ſitu objicit, quod à divinis

à divinis colloquiis remiſſus, laſſus ſit ac fatigatus: in quo ſanè ſupremo Numini injurius eſſe & videri debet. Sed redeo ad Salvatorem & inſignem illius in orando ſubmiſſionem, cujus argumentum eſt & genu poſitum, & facies in terram prona, & ipſa oratio, quæ incipit ab hac Dei laude (*Pater omnia tibi poſſibilia ſunt*) deinde elabitur ad illam petitionem: *Si fieri poteſt tranſeat à me calix iſte.* Ita nimirum, ut in hunc locum piè notat D. Ambroſius,

Prima oratio laudem debet habere Dei; ſecunda ſupplicationem. In hanc iterum iterumque venit Salvator, dum *oravit tertiò eundem ſermonem dicens*: & hinc nobis datur alia lex devotæ ſuperiis orationis, ut ſcilicet opportunè ſit importuna. Cujuſmodi eſſe voluit Orator aureus:

Chryſoſt. in 1. ad Tim. 4. *Accedamus*, inquit, *importunè (imò hoc nunquam eſt importunè accedere.) Sicut enim reſpirare importunum nunquam eſt; ita etiam non quidem petere: ſed non petere, potius importunum eſt.*

Componit S. Præſul orationem, qua cœlo ſpiramus & vivimus, cum reſpiratione, quam ducimus ad temperandum æſtum cordis: ut enim hæc perennis ſit oportet: ita & illa.

Talia quondam fuit junioris Tobiæ, qui hæc ad
Tob. c. 8. conjugem. *Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras & ſecundum cras, quia his tribus noctibus Deo jungimur, tertia autem tranſacta nocte in noſtro erimus conjugio.*

Hæc ille, qui cœlos tertiò repetita oratione fatigare non deſiit, ut eam quam in conjugio optabat felicitatem, impetraret. Et verò etiam impetravit, uti & impetrabunt ii omnes qui hanc precibus ſuis legem præſcripſerint.

Venio ad poſtremum quod in oratione Chriſti ſuſpiciet atque amabit poſteritas. Fuit illud obedientia ſingularis, qua ſeſe totum divinæ commiſit voluntati: illam bellè expreſſit hiſce vocibus.

Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Vel ut habet D. Lucas, *Non mea voluntas ſed tua fiat.*

Serm. 7. de Paſſione. *Hæc vox capitis, ſalus eſt totius corporis*, inquit S. Leo. *Hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes Confeſſores accendit, omnes Martyres coronavit.*

Rectè *fideles omnes inſtruxit*, ut in hoc ipſi, veluti membra, capiti ſuo conſentiant: & tam in proſperis, quàm in adverſis jactent illud: *Non mea, ô Deus, ſed tua voluntas fiat.* At proh dolor pudorque! ſecus omninò in multis accidit, ſi quæ enim tempeſtas ingruit, ſi quis impendet turbo, ſi quæ crux in oculis eſt, illicò objiciunt pudendum illud ſibi atque abjectum. *Tranſeat, tranſeat à me calix iſte*; neque pro coronide adjiciunt illud obedientis animæ. *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Sed potius hoc petulans & cœlis adverſum; non tua, ô Deus, ſed mea voluntas fiat. Ita nimirum Dei ter Opt. ter Max. voluntatem, quæ illis pro regula eſſe debuit, ad ſuam malè detorquere conantur; imperiti profectò oratores, quos ſic notat pungitque D. Gregorius, Nyſſex Pontifex.

Qui imperitè utitur oratione, non ad dandis altitudinem ſeſe erigit; ſed ad humiles, & terram ſapientes cupiditates ſuas, Divinam potentiam deſcendere deſiderat, cùm è contrariò ad eam aſcendere ipſe debuiſſet, & ad illius altitudinem ſeſe erigere.

In cap. 20. Luca.

CAPUT III.

De Chriſti agoniâ, & ſanguineo ſudore.

Ad illa verba: *Factus in agonia prolixius orabat, & ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis.* Lucæ cap. 22. v. 43. 44.

DE Chriſti Domini agoniâ tres ſunt Doctorum ſententiæ. Una cenſet eam fuiſſe luctam pugnamque carnem inter & ſpiritum, dum hic ultrò tormenta appetit atque amplectitur, illa verò eadem fugit atque averſatur. Ita Lyranus, Hugo Cardinalis, & alii.

Si ea fuit lucta, non neceſſitati data fuit, ſed voluntati, quæ paſſa eſt appetitum ſenſitivum ſuas partes agere & malum averſari, quà naturæ malum eſt: ita tamen ut perfectè ſubeſſet ſibi: neque enim ut in nobis, ita & in Chriſto lucta fuit carnem inter & ſpiritum; appetitum ſenſitivum & rationalem: ille enim in Chriſto planè paruit, hic omnino imperavit: neque inter eos pugna ulla eſſe potuit, niſi quam ratio & voluntas ſponte admiſiſſet, idque ad meritum majus, doloremque ampliorem.

Altera ſententia docet eam Salvatoris agoniam nihil aliud fuiſſe quàm mœrorem, anxietatem, & horrorem quo in gravi periculo, malove impendente, quantumvis arduæ mentes corripi ſolent: & hæc eſt opinio Janſenii ſatis conſona Evangeliſtæ Matthæo, qui de Chriſto ait, quod *Cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe*; & Marco, qui inquit, quod *Cœpit pavere & tædere*, quod ita explicat Lucas, *Factus in agoniâ.*

Poſtrema ſententia explicat agoniam Chriſti, eam ferè fuiſſe, quæ in morientibus eſſe ſolet, cùm anima jam eſt in extremis labiis, inter vitæ mortiſque confinia, & cum hac acerbiſſimè pugnat atque luctatur, quaſi contra ſummum naturæ malum.

Et ita cenſuit D. Gregorius: itaque pugnare atque luctari potuit Chriſtus objectâ ſibi duriſſimæ mortis imagine. Ut porrò in eâ ſibi ſolatium faceret, prolixiùs orabat. A cœnâ quippe quæ ei cum diſcipulis ultima fuit, exceſſit, & noctis horâ circiter nonâ in hortum venit, in quo primùm horam integram dedit orationi, tum etiam ſecundam & tertiam, adeoque à nonâ ad duodecimam prolixiùs pro ſalute noſtra ad Patrem orator venit. L. 24. Moral. c. 7.

In illo orationis æſtu, quà de capite ac facie, quà de reliquo corpore ſanguineus ſudor excidit, & copioſè in terram fluxit. Copiam ex eo colliges, quod apertis quaſi poris, omnibuſque ſacri corporis meatibus in terram decurrerint, eamque imbuerint craſſiſſimæ quædam guttæ; quas Græci *Thrombos*, alii *grumos*, Irenæus *globos* ſanguinis appellat. Sed hic dubium incidit, ſitne ſudor tres omnino horas tenuerit, an unicam tantùm?

Sunt qui unicam velint, & eam quidem quæ è tribus poſtrema fuit, cùm ſcilicet animo mœrenti jam magnus increviſſet dolor.

Aliis magis probatur tribus omnino horis ſudorem illum emanaſſe, & tertiò ab Angelo deterſum fuiſſe: & hoc ſuadet impetus orantis, & ſuperinfuſa oranti agonia.

Suadet & illud quod aliquando cuidam moniali Hiſtor. Dom. Monia. dicitur eſſe revelatum. Fuit hæc Agatha de Cruce, è Dominicana familia, quæ in exceſſu mentis (qui tenuit ad horas viginti quatuor, nempe à veſpere Jovis ſancti ad veſperam Paraſceves) iſta bono genio revelante didicit. Chriſtum à prima oratione in horto immaduiſſe ſudore aqueo & frigido, quali ſolent moribundi: tum in ſecunda ac tertia, calidiore, utpote ſanguineo, qui per poros toto corpore exſudabat.

Sed quæ, inquies, agoniæ, ſudoriſque cauſa? Ea triplex afferri poteſt; naturalis, moralis, ſymbolica.

De naturali ſuâ inter authores lis atque contentio?

D. Hieronymo Doctore atque interprete cauſa Lib. 2. contra Pelagian. ſanguinei ſudoris fuit ardor quidam atque æſtus orantis; à quo purior pars ſanguinis evocata, & per poros omnes emiſſa. Huic interpretationi favet vox Græca ἐκτενέστερον, id eſt *intenſius*: oravit enim Chriſtus ſummâ cum animi contentione.

Volunt alii cauſam illius ſudoris fuiſſe triſtitiam & langorem, qui ubi materiam omnem ſudoris excivit atque abſumpſit, ſecrevit deinde puriorem ſanguinis

ſanguinis portionem, & per poros expreſſit: & hæc opinio communis eſt, & io ſcholis paſſim recepta.

Cornelius à Lapide mavult hanc ſudorem elicitam ab actu fortitudinis atque audaciæ: quo & pars animæ ſuperior imperans, & inferior obtemperans, tormenta mortemque ipſam acceptavit, & omnem hujus horrorem heroico ſanè actu ſuperavit: dum enim & tormentorum & mortis horrori acriter reſiſtituc, ex illâ contentione actus nobiliſſimæ virtutis, ſecutum eſt è toto corpore quoddam ſanguinis profluvium. Et hæc de cauſâ naturali illius ſudoris de quo mihi quæſtio: venio ad moralem; es quoque multiplex fuit.

Una ut doloris acerbitatem, & vim amoris Orbi univerſo proderet. Ut enim lentus ignis aquam è roſis guttatim elicit, ſic amoris vehementis æſtusque ſtillas ſanguinis è Chriſti corpore eduxit

Altera ut jam inde à limine, primoque aditu ſuæ Paſſionis, Æterno Patri ſanguinem offerret, velut hoſtiam piacularem pro genere mortalium univerſo, quod eo rore & madere & rubere & elui debuit: ita ſenſit D. Bernardus, qui hæc de Chriſti fletu ac ſudore in horto.

Ubi, inquit, *non ſolis oculis, ſed quaſi membris omnibus fleviſſe videtur, ut totum corpus ejus (quod eſt Eccleſia) totius lacrymis corporis purgaretur.* Et iſta de ratione morali pauca habe de myſticâ.

Ea palam oſtendit è toto Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia emanaturas Martyrum paſſiones. *Orans cum ſudore Sanguineo* IESVS CHRISTVS *ſignificabat de toto corpore, quod eſt Eccleſia, emanaturas Martyrum paſſiones*, inquit Auguſtinus. *Lib. Sent. ſent. 68.*

Dum verò ille ipſe ſanguinis defluit in terram, eamque irrigat atque imbuit, probat homines terrenos Chriſti Sanguine irrigandos, ut cenſet Beda.

Denique impendentia Eccleſiæ mala portendit, eorumque ſenſum exinde eo ſudore teſtatuc, ut deinde lapſis ſæculis etiam in imagine ſua teſtatum voluit.

In Aragonia oppidum eſt, cui nomen *Tonet*: in hujus templo erecta erat ſtatua Virginis Deiparæ ex alabaſtro puerum Jesum geſtantis. Hinc & inde duobus Angelis ligneis ſtipabatur. In hac & illis viſum eſt novum, & ingens prodigium.

La Nuza tom. 4 hom. 14. Vertebatuc annus milleſimus quingenteſimus vigeſimus ſextus, cum omnes illæ imagines, tum Virginis Matris, tum puelluli Jesu, tum etiam Angelorum triginta horarum ſpatio continenti ſudore immaduerunt: alio tamen atque alio modo: nam Deiparæ guttæ aurei coloris majorum acicularum capita exæquabant: Chriſti verò minores quidem magnitudine, colore tamen ſimiles: Angelorum autem & his & illis inferiores: omnes tamen ita copioſæ, ut humor, ſudorde ex iis exceptus phialam vitream juſtæ magnitudinis impleret. Et hoc primum miraculum.

Acceſſit deinde & alterum: etenim ſudor Matris, & Filii cum Angelorum ſudore confundi noluit; ſed iſtorum guttæ inſtar unionum aureorum angelico ſudori innatantes ſpeciem ſuam conſervabant: crederes illis eminere voluiſſe. Et verò eminebant non ſine cœleſti & amabili prodigio, cui etiam aliud additum.

Nam & liquor ad annos nonaginta quinque perſtitit, & quidem ſine ullo ſui decremento. Imò & medicus fuiſſe viſus: anno quippe milleſimo quingenteſimo nonageſimo, Philippo ejus nominis ſecundo ex gravi morbo laboranti ſanitatem reſtituit.

Denique anno milleſimo ſexcenteſimo decimo cum Philippi III. edicto Mauri Hiſpania tota excedere juſſi ſunt, cœpit ille liquoc paulatim imminui: ac tandem cùm è Mauris poſtremi ex *Almonaſor* (loci id nomen in Aragonia) emigraſſent, penitus exareſcere eſt viſus, ne ſtilla quidem illius ſuperſtite.

Et hæc ab illo ſudore prodigia, de quibus ad inſtitutum noſtrum quæri poteſt primùm cur è ſtatua exſucca & arida promanarit? Deinde cur tandem excedentibus Mauris defecerit. Si ſuus piis conjecturis relinquatur locus, ex aliorum atque etiam meo ſenſu dixero, primò ſic ex ſudaſſe ſeu Filii, ſeu etiam Matris atque Angelorum ſtatuam, quòd præſentiret Filius, præſentiret & Mater, præſentirent & Angeli Hiſpaniæ tutelares, quæ illi à Mauris mala, quæ ſalutis animarumque diſpendia imminerent; à quibus eorum abitu, fortunatoque bonis omnibus exilio, dum liberam vidit, ſenſitque; tum exaruit deſiitque ille ſudor, quaſi tacita voce innueret illud: jam Hiſpaniæ bono, ſalutique ſatis datum eſſe ſudoris. *Petr. d'Oultreman. l. 3. c. 3. ſect. 7.*

Quod illa ſtatua puelluli Jesu; hoc ipſemet in extrema illa agonis, in qua præſentiens præſagienſque Eccleſiæ univerſæ mala, ſudorem illis, & quidem ſanguineum infudit, ſeu amoris, ſeu commiſerationis teſtem.

Sed & de hoc altera ſuccurrit hic quæſtio, naturâne, an miraculo ſudor ille cruentus ſit elicitus?

Miraculo vult Hieronymus, alii etiam naturæ idipſum concedunt: quod ut pateat,

Primùm id ſtatuo, quod ſudor nihil aliud ſit, niſi ſerum, ſive pars aquoſa ſanguinis.

Deinde quod unà cum ſero etiam ſubtilior ſanguinis portio excerni poſſit, ex ingenti aliquâ anxietate & horrore, maximè in iis qui delicato, poroſo & raro ſunt corpore; angor enim inflammat atque extenuat ſanguinem, porosque aperit, & per eos etiam ſanguinem educit, præſertim ſi jam penitus exſudarit homo omnemque ſudoris materiam abſumpſerit: tum enim ſanguinem excerni & ſuccedere neceſſum eſt: ſicut ubera deficiente lacte ſi emungas, dant ſanguinem.

Ex his naturæ principiis, placitiſque Philoſophiæ cenſuit Ariſtoteles naturæ vi hominem poſſe ſudare ſanguinem: & ita in Chriſto factum autumant Interpretes plerique omnes, quibus aſſentior: tum quia in eo tum temporis fuit ingens angor, tum quia delicato & poroſo fuit corpore, tum denique quia jam in agoniâ illâ, conſumpta fuerat & penitus exhauſta ſudoris materia, quâ proinde deficiente ſubtilior pars ſanguinis expreſſa, & per poros emiſſa, quæ ubi extrema corporis attigit, & per ſeſe, & propter circumſtantem aërem frigidum eſt condenſata, ſic ut jam non per guttas, ſed per grumos & quaſi globos in terram deflueret. *Lib. 3 de Hiſt. Animal. c. 19.*

Hic oculum pedemque ſiſte mi Lector, & animo ſpecta Salvatorem tuum in horto *Gethſemani*, hoc eſt, *torculari pinguium*; ſpecta, inquam, & vide ut in illo torculari premature, & ſanguinem effundat, quo te tuorumque ſcelerum ſordes eluat: quod ſi eluat, benè tibi erit, & æternùm quidem; ſin minùs, æternùm malè: ne porrò malè ſit, attende ne in te cadant illæ Ezechielis, imò & Chriſti querelæ: *Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de eâ nimia rubigo ejus. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.* *Cap. 24.*

CAPUT IV.
De oſculo Iudæ, & comprehenſione Chriſti.

Ad illa verba: *Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Matth. c. 26.

QUia Romano militi ac miniſtris ignotus erat Chriſtus, ſignum eis præbuit traditor, & quidem oſculi, de quo mihi una alteráve erit quæſtio. Et prima quidem, quàm appoſitè, ſi Chriſtum ſpectemus, ad vincula, ad ſupplicia, ad mortem ipſam uno tradatur oſculo? Altera quàm præpoſterè, quàm

ſceleratè, quàm impiè, ſi Judam attendamus, eodem Salvator prodatur oſculo?

Demus eſſe quod in re ipsâ eſt, non potuiſſe tradi Chriſtum niſi cùm voluit, & eo modo quo aut voluit, aut permiſit: demus, inquam illud, ac deinde quæramus aliud, cur oſculo tradi ſe aut voluit, aut ſaltem paſſus eſt; & tam hujus quàm illius cauſas inquiramus.

Omni ævo oſculum ſymbolum fuit amoris & impenſæ caritatis, à quâ factum ut apud Græcos & Xenophontem eadem vox φιλεῖν & amare & oſculari ſignificaret: nimirum amor qui in cordis regiâ & arcano reſidet ac latet, ſubit quodammodo in os, & per illud tamquam per oſtium animi elabitur.

Ad eam oſculi & amoris tum in voce, tum in re ipſa communionem, acceſſit omnium propè gentium uſus ac ſenſus, quæ amorem uno ferè oſculo prodidêre.

Ita Hebræi cognatas & affines oſculo ſalutabant; & Romanæ fœminæ primis temporibus virorum frontes oſculabantur. Viris etiam datum illud, ut fœminis in ore oſculum figerent, maximè verò poſt latam legem de non bibendo vino.

Lib. 2. ad Gentes.

Hinc illud Arnobii: *Affinibus & propinquis oſculari eas fas eſt, ut ſobrias comprobent*, unâque etiam amorem teſtentur.

Ad vincula, ad tormenta, ad crucem rapiebatur Chriſtus, non neceſſitate, ſed ſuâ voluntate. (*Oblatus* enim eſt, *quia ipſe voluit*) non ſatellitum manu & armis, non vi tyrannorum, ſed amoris impete, vinculiſque caritatis; ideoque non alio ſigno monſtrari debuit ac prodi, quàm oſculo, ſymbolo amoris & caritatis.

Eſt deinde oſculum inſigne pacis, & concordiæ ſymbolum, quod omnium propè gentium conſuetudine ſenſuque receptum. Ita, ut deinde advertit

Tom. 10. Serm. quedam de diverſis.

D. Auguſtinus, *Olim oſculabantur ſe invicem Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis, ſi quod oſtendunt labia, fiat in conſcientiâ, id eſt, ſi quomodo labia tua ad labia fratris accedunt, ſic cor tuum à corde illius non recedat.*

Cœlum inter & terram, Deum & homines acre bellum interceſſerat, à qua nonniſi tonitrua, fulmina, cædes & ſtrages Univerſi expectari poterant. In eam quippe ibat Divina Juſtitia mortalium ſceleribus irritata: ne porrò præceps iret: primùm naturæ noſtræ oſculum dedit Dei Filius, eandemque poſt longa ſæcula, mœſtoſque ſoles exaudiit illud ſponſæ:

Cant. 1.

Oſculetur me oſculo oris ſui. Oſculatus porrò, ubi Deus homo factus eſt. Et hinc primùm ab illo oſculo ſpes pacis, ſed adhuc remota; proxima verò, ubi etiam Judæ oſculum admiſit: priùs enim excipere voluit proditoris oſculum, & in eo ſignum pacis, quàm tibi cum Æterno Patre pacem afferret. Et hinc eminet eximia quædam, planeque ſingularis Chriſti Domini in mortale genus propenſio & caritas: ſed etiam inde aſſurgit magis, & deteſtanda venit infanda Judæ proditio, ut qui à ſigno amoris, à ſymbolo pacis eam belli tempeſtatem in magiſtrum ſuum longè amantiſſimum excitârit.

Hinc in illud oſculum toto animi impete, omnique orationis torrente devolvuntur Sancti Patres, nec facilè verba inveniunt, quibus id ſcelus, id nefas aptè deſcribant. D. Ambroſius ſuavi ut ſolet, ſed

L. 6. Hexam. c. 9.

forti tamen eloquentiâ ſic illud depingit. *Dominum velut prodigii genus in proditore condemnans ait. Juda oſculo Filium hominis tradis? Hoc eſt, caritatis inſigne convertis ad ſignum proditoris, ad infidelitatis indicium? Pacis hoc pignore uteris ad officium crudelitatis?*

Sic ut ejuſdem magni Præſulis ore proſequar, pientiſſimus JESUS, *Judam beſtialis oris obſequio inferentem potius necem, quàm caritatis fœdera deferentem, divina arguit vocis oraculo*: arguit quidem, ſed non correxit, non emendavit, adeò obduratum pectus, & obfirmatus erat in malo animus; quem etiam acri oratione, ceu ſtylo pungit D. Auguſtinus; ſic enim ad illa Chriſti verba.

Matth. 26. Serm. 127. de Temp.

Juda, oſculo filium hominis tradis? Fungebaris, inquit, *diſciplinâ virtutis, & diſcipulus factus es conſilii iniquitatis? Officio ſanguinem fundis? Pro pignore amoris vulnus infligis? Pacis argumento mortem immittis? Servus Dominum tradis, diſcipulus magiſtrum prodis?*

Ubi Chriſtum Judæ proditori ſic loquentem quodammodo induxit & in ſcenam emiſit, tum ponderans illa verba, *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*, exclamat.

De Temp.

O ſignum ſacrilegum, ô placitum fugiendum, ubi ab oſculo incipitur bellum, & per pacis indicium pacis rumpitur ſacramentum: rumpitur enimverò, & quidem per ſummum nefas ubi per oſculum rumpitur. quid enim? per oſculum expirare ſolet ac debet, qui in corde ſpirat amor: & ecce Judas per illud omniſi odia expirat & cruentos animos.

Per oſculum alta pax promitti debet, imò & inferri: & ecce per illud immanis proditor bella indicit, & aperit immitem acerbiſſimæ paſſionis ſcenam.

Lib. 5. de Sponſ.

Per oſculum fides & dari ſolet & accipi, mira enim oſculi vis, adeoque ſacrata vincula, ut ſi quæ à ſponſo ante initas nuptias ſponſæ facta ſit donatio, ea valeat, ſi tamen affuerit oſculum; ſecus ſi defuerit, nihil valitura. Ita quippe ſanciunt & ſtabiliunt jura, humanæque leges.

Concil. Trullenſe Canon. 98.

Nimirum ab oſculo, ceu fidei teſſerâ & ſinceræ mentis notâ contractus firmari ſolet, imò & ſponſalia: Ita ſi quæ virgo poſt contracta ſponſalia à ſponſo oſculum admiſerit, habetur ut adultera ſi ad alium virum deflexerit, ſi aliò amores ſuos inflexerit: tanta in uno oſculo vis ad firmandam amicitiam & ſtabilienda etiam connubia. Et ecce tamen eo per immanem perfidiam abutitur infandus proditor, & fidei ſignum convertit ad infidelitatis indicium: planè infidelis anima, planè adultera, ut quæ toties firmatam oſculo ſui ipſius donationem infirmet, & contracta cum Chriſto, ceu ſponſo, ſponſalia diſſolvat.

Per oſculum exhiberi ſolet ſymbolum honoris, teſtimonium reverentiæ ac ſubmiſſionis; & ita quidem ut vulgo habeatur illud velut publica quædam profeſſio excellentiæ & auctoramentum ſervitutis. Hinc non ori tantùm, ſed & manibus & ipſis veſtibus oſculum infigimus.

Ita Magdalenam paulò antè ſpectarat proditor ad Servatoris pedes abjectam, & iis pio cultu dantem oſcula.

Ita deinde poſtera ſæcula Conſtantinum Imperatorem ſpectabunt, ſuavi antem & oculos effoſſos, & cicatrices Confeſſorum, in ſignum ſubmiſſionis, debitæque venerationis.

Ita denique (ne omnis conſecter) videbit, ſuſpicietque tota poſteritas, & Reges & Cæſares aſſurgentes ad oſcula Præſulum & Epiſcoporum, in teſtimonium illius honoris ac reverentiæ, quam Pontificiæ majeſtati debere ſe profitentur.

Et tamen ô impudens os! ô frontem effrontem! ô perditam Judæ mentem! ô damnandam inferis audaciam! per illud ipſum oſculum Chriſtum rapit ad ſcommata, ad calumnias, ad probra, ad ipſum ignominiæ theatrum, in quo ne Deo quidem, ejuſque honori ac majeſtati Divinæ parcatur. Et non exiſtimabis oſculum illud infame, monſtruoſum, abominabile, & Superis inferiſque deteſtandum? exiſtimabis certè, ſi modò tibi vel de nomine nota vis oſculi, & quæ in eo legi debent magnarum virtutum ſymbola atque teſtimonia.

Paucis abhinc annis (ut mihi retulit vir Religioſus & fide dignus) ſpectavit Venetiis, ſtupuitque in Fratribus ſtratagema priùs inauditum.

Fratres erant Germani quatuor, è quibus unus, ob admiſſum facinus à Senatu capitis damnatus: dicta

jam

jam erat decretoria dies infami ſupplicio notanda: & hinc quà pudore, quà dolore, quà etiam amore anxii Fratres verterunt ſe partes in omnes, ut præſenti pœnâ ferroque imminente fratris caput eriperent: adhibiti qui ad Judicem venirent ſupplices, qui miſericordiam implorarent; ſtetit tamen ille pro Juſtitiâ, nec ullâ ratione flecti ſe eſt paſſus: quid igitur? cùm incaſſum tentata eſſent omnia, è fratribus uni id in mentem venit, ut ſi minùs fratrem ab eo mortis genere liberare poſſet; liberaret certè ab ignominiâ, quæ illi comes eſſe ſolet. Itaque inito conſilio id ſaltem à Senatu impetravit ut ſibi unà cum duobus aliis fratribus captivo fratri extremum liceret valedicere. Datum illud, & quidem benevolè: ſic in ergaſtulum admiſſi, per ſuas quique vices in fratris amplexus & oſcula prorunnt, non ſine aſtantium ſenſu & lacrymis: ſed ô ingenioſa neceſſitas, ô amor, ô dolor, ô pudor, quid non audes? quid non potes? Natu minimus dum in amantiſſimi fratris brachia procidit, dum eum amplexatur & arctiùs ſtringit, nucem plenam præſentiſſimo veneno (quam eum in finem in oro habebat) unà cum oſculo fratris ori infudit: itaque illum eâdem ipſa nocte è medio ſuſtulit in ipſis ergaſtuli tenebris, ne die inſequenti in oculis, & luce ampliſſimæ Civitatis in deſtinatum ignominiæ, mortiſque theatrum educeretur, ferroque periret capite minutus.

Ita peremiſſe ſcelus quidem fuit, ſed ex eo veniâ dignius, quod ab amore, dolore, pudore & inventum ſit, & excuſum: at tuum illud facinus, ô ſceleſte, ô impie, ô perdite Juda, nec gratiæ, nec excuſationi locum ullum invenire unquam poteris. Ecquid enim? ille fratrem uterinum è medio ſuſtulit: Tu verò Chriſtum Dominum, qui tibi & pietate Pater, & benevolentiâ frater erat, ſuſtuliſti.

Ille homuncionem è vili luto argillaú. malè compactum veneno peremit: Tu Meſſiam à Judæis tot antè ſæculis expetitum, à Gentilibus deſideratum, Salvatorem Univerſi, Dei Filium, Deumque ipſum, quantum in te fuit, perdidiſti.

Ille fratrem occidit; ſed criminis jam convictum & nocentem, imò & capitis juſtâ ſententiâ damnatum. Tu verò Deum hominem occidiſti, qui nec culpæ reus eſſe potuit, nec pœnæ, quòd mortalium omnium atque immortalium eſſet innocentiſſimus, imò & ipſamet innocentia, à quâ innocentes omnes, nemo nocens.

Ille fratrem & vinculis & ferro ſubducere laboravit, & cùm non poſſet, id ſaltem egit, ut ſi pereundum illi eſſet; periret certè quàm minimo cum dedecore, videlicet in obſcurâ nocte, in ergaſtulo carceris ſine teſte, ſine judice, ſine tortore, ſed ipſe ſibi & teſtis, & quodammodo judex, & tortor eſſet, nec veniret in lucem, & theatrum infamiæ ſuæ jam erectum, ne ſibi & ſuis æternam ignominiæ notam inureret. Tu autem hominum omnium ſceleſtiſſime, Dominum tuum, Magiſtrum tuum, Servatorem tuum, Deum tuum, qui omni jure modoque & liber erat, & cæteris omnibus vindex aſſertorque libertatis, peſſimis vinculis implicuiſti, catenis oneraſti, publicæ infamiæ, probris, ſcommatibus objeciſti, & poſt immania ſupplicia, ac tormenta à ſæculis inaudita, tandem in Calvariæ vertice, in oculis frequentiſſimæ civitatis, in luce totius Univerſi infami ligno affixiſti, ut in eo & animam ageret, & per extremos dolores quaſi evictam exhalaret: ita & illi quam potuiſti maximam ignominiæ notam inuſſiſti, & toti Diſcipulorum Collegio hanc dediſti maculam, fuiſſe ex iis unum aliquem Magiſtri proditorem in paucis ſceleratum, ibit enim illud in ſæcula, ibit in æternitatem fuiſſe Judam proditorem, quem & homines oderint, & Superi deteſtentur, & ipſi inferi perhorreſcant: ibit in Poſteros fuiſſe Judam, qui hæc olim ad impios ſatellites & injuſtitiæ crudelis adminiſtros dixerit. *Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Tenete*, inquit: ſed quâ manu, quo vinculo? Utique immiti manu, duro, ferreo, immani vinculo.

O quàm meliùs, infidelis turba, eum teneres amicâ dexterâ, & vinculis caritatis: ea certè ex te optaſſet ſibi injici Salvator Optimus: ita quippe eum tibi loquentem inducit D. Auguſtinus:

Veniſti tenere me, quia ego defendi à perſequentibus te? Utinam teneres me, & non perderes te. Sed proh dolor! tenes me, & perdis te. Serm. 132. de temp.

Vide mi Lector, ut aliter Chriſtum oſculeris ac teneas. Admiſit ille oſculum proditoris Judæ: nec admiſit tantùm, ſed etiam, quòd ſtatura major eſſet, caput & vultum demiſit, ut os ſacrum ac purum profano impuroque ori jungeret. Et tibi etiam jungit, cùm ad te in ſacra ſynaxi ſe demittit, cùm ſub blanda panis ſpecie & labellis & ore admittitur. Vide ne tunc in te torqueatur illud, quod deinde in Judam detorſit Ambroſius: *Venenum infundis oſculo, quo gratia charitatis infunditur.* (In S. Brigitta.) (In Pſal. 39.)

Infundes autem venenum oſculo, ſi ore ſacrilego, ſi conſcientia lethalis peccati rea ad ſynaxim accedas: ſi eodem ore quo jactas illud *Ave Rabbi*, dixeris; æternùm vale Rabbi, vale ô Magiſter, ô Domne, ô Salvator, ô Deus. Si amoris ſpecie ſignoque odium exprimas, & quantum in te eſt perimas: ſi denique cùm amicè oſculari debueras, momorderis inimicè.

Fuit aliquando Latronum quoddam genus impium, quos *Philiſtas*, aut *Philetas* appellabant antiqui. Hi viatores ementita amoris ſpecie, complexu & oſculo ſuo necabant. Petr. d'Oultreman l. 7. c. 1. ſect. 3.

Fuit etiam olim infidus Eſau, qui occurrentem ſibi Jacobum fratrem oſculando momorderit; inanè tamen, Deo ſcilicet ita diſponente, ut caro Jacob inſtar eboris induruerit: unde & Eſau dentes obſtupuerunt, & ipſe totus infrenduit: ita Rabbi Eliezer, penes quem ſit iſtorum fides.

Ab illis ego diſcedo, & ad te redeo, qui culpæ mortalis conſcius ad Chriſti menſam accedis. Es enim & Philetis illis ac Latronibus crudelior, & Eſau infidelior; ut qui Salvatorem tuum, imò & fratrem (dum in ſacra Communione excipis) & mordes, & quantum potes, interimis.

Non mordebis porrò, nec interimes; ſed blandè & eum ſuaviari poteris, & in te etiam longum vivere facies, ſi mente pura, illibataque conſcientia admiſeris: ſi inſuper & illius virtutes, atque imprimis manſuetudinem; imiteris. Uti fecerunt aliquando Ægyptii Monachi, de quibus Ruffinus. Hiſtor. l. 2. c. 3.

Hi poſt obitum S. Athanaſii à Lucio Arianæ ſectæ Epiſcopo impetiti, immiſſis etiam peditum, equitumque turmis, ad eos qui in ſe ſtricto ferro proruebant & pectus obvium ferre, & cervices pronas in vulnus inclinare, & addere hæc ipſa Chriſti ad Judam verba. *Amice ad quid veniſti?*

Amicum vocabant, qui nocere venerat, qui mactare, qui perdere.

Ea nimirum Chriſtiani virtus, ea lex poſita, inimicitiæ amicitiam, odio amorem, malefactis benefacta rependere.

Et ita primus omnium rependiſſe viſus eſt Chriſtus, qui tamen ea indulgentia nec Judæ proditoris animum emolluit, nec ſicariorum illorum ferociam mitigavit: ſed exacerbavit magis, in quo profectò ipſa rupe fuere duriores: hæc enim molleſcere viſa eſt, duritiemque ponere; cùm enim arctè jam vinctus, & fœdè raptus eſſet, ceciditſetque ſuper eam rupem, ei manuum, pedumque ſigna altè impreſſit, quæ etiamnum dicuntur obereſſe in lapide quodam vallis Joſaphat, per quam abductus, & violenter abductus. Ita rupes ipſa, inanima licet, ac durior, Salvatori tamen quam optimo mollis fuit, & quaſi (Silveſter Petra ſancta Tommaſia Tom. 3. c. 12.)

cerea,

cerea, cùm interim Judæ, & Judæorum animi ſaxo omni marmoréque duriores permanſerint.

Vide, benevole Lector, ne is quoque ſis, ne durus, ſaxeus, atque indomitus ut illi: ſed potius ad Chriſti indulgentis amores facilis, ac cereus.

CAPUT V.

De contumeliis Chriſto illatis in nocte, quæ illi fuit extrema.

Ad illa verba: *Tradetur Gentibus, & illudetur, & conſpuetur.* Lucæ cap. 18. v. 31.

PRIMUM enormis illius contumeliæ caput exprimitur à Chriſto Servatore hac vocula: *Illudetur.* hoc eſt, ludus fiet. At quis? quibus? & quomodo?

Quis illudetur? Quis enimvero ſit, Animæ fideli, eſt in aperto. Eſt *Deus-homo*, quæ duo cùm dixi, omnia dixi. Homo ab innocentia vitæ, & ſanctitate nemini ſecundus. Homo, prophetiis clarus, miraculis illuſtris, notus à ſingulari in omnes beneficentia: nam & cæcis viſum, & ſurdis auditum, & mutis vocem, & claudis greſſum, & mortuis vitam reddidit, inaudita hactenus à mundo condito beneficentia. Et hæc erat in omnium oculis, in communi, vulgatáque fama: quam ne quidem ignorabant ii; qui tamen & petulantiùs illudebant. Homo, qui ut is eſſet, etiam Rex erat, & Dominus Univerſi, in cujus fæmore ſcriptum eſt illud: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Homo, qui etiam ut is eſſet ab Æterno Patre præſtitutus jam inde Judex Univerſi. Et tamen ut is ſit, illuditur. At quis? *Homo-Deus*: in una quippe Dei perſona convenerat & humanitas, & Divinitas, nexu à ſæculis inaudito, nexu mirabili, cæleſti, divino, à quo homo audit Deus, & Deus-homo. Et tamen, ut is eſſet, illuditur. At rurſum quis? DEUS, quod ubi dixi, omnia dixi.

A quibus? Sed à quibus? hoc eſt ſecundum ignominiæ caput. Ab homunculis è viliore luto malè fictis, à popelli fæce, à ganeonibus, à ſervulis, à mancipiis, à proſtitutis ad omnem libidinem, ad omne ſcelus, quod Sol aſpicit, quod terra ſuſtinet, quod vel ipſi horrent inferi. Et tamen ab his illuditur.

Et quomodo? At quomodo? quomodo Deus fit ludus hominum? Video homines efferos, & perditos, dum inſaniunt, dum feritati indulgent ſuæ, videre ſibi ludere, quod amens, & inſanum eſt.

Ita *Baſilides*, Moſchorum Dux, ludibundus viros, ac pueros quotidie in acervos nivis collo tenus immittere ſolitus.

Ita *Tamerlanus* homines, joci gratia, & quaſi ludibundus ipſe, canibus objiciebat devorandos.

Ita Pagani gladiatorum ludos appellabant, in quibus homines innocentes inter ſe committebant mutuis vulneribus conficiendos.

Ita deinde iidem, Athletas Chriſti, Martyres fortiſſimos feris objiciebant aut nudos, aut beſtiarum pellibus malè tectos. Et hi fuerunt hominum impiorum, & barbarorum ludi; ſed ludi hominum, & cum hominibus: at ludus ille (de quo mihi in præſens agitur) eſt eorundem hominum cum Deo, & de Deo. O ludum infamem! ô efferum! ô execrabilem! Ecquid enim? non jam mergitur in nive, & aqueo

I. Conſpuitur. quaſi vellere Deus homo: ſed ſputis tegitur, obruitur, & propè mergitur auſu nefando; ſputis, dico, è putida ſtomachi cloaca, & graveolentia eductis, & projectis excreando in Dei hominis faciem, in genas in oculos, in frontem Majeſtatis Auguſtæ, Divinæque ſedem. Et terra tacet, cælum videt, & patitur, ſuſtinent inferi, nec dehiſcunt, nec abſorbent inviſa Deo capita.

Fortè aliquando fæmina Princeps, deſpiciens è feneſtra cadaver matris, quod tum efferebatur, è domo; in illud inſpuit. Viſum audax, impudens, impiumque facinus, atque à Judicibus ipſa morte damnatum. Et meritò, fuit enim impietatis in matrem, effrontiſque impudentiæ in filia, deſpuiſſe etiam in exanime parentis corpus: quale, quantumque fuiſſet, *Amice Lector*, in vivam, ac ſpirantem expuiſſe? Et hoc eſt, quod impudenti, impióque auſu fecere impuri illi ganeones, & quod invicta mali patientia tulit Deus-homo. Et hoc primum contumeliæ caput. *Petr. d'Oultreman. Amor Pœnitens, c. 4. ſeſt. 4.*

II. Illuditur. Alterum fuit à ſcommatibus in eum jactis, ab irriſionibus, à linguæ maledicæ jaculis: audiit enim & vini potator, & Samaritanus, & meretricum fautor, & publicanorum amicus, & Sabbathi violator, & magus, & pſeudopropheta, & præſtigiator, & ſeductor, & ſeditioſus, & regiæ majeſtatis impudens affectator, & dæmoniacus: audiit, inquam, & tacuit.

Effera *Tamerlani* barbaries quaſi ludibunda, homines canibus vorandos objecit; & Pilati injuſtitia, atque impietas Chriſtum Judæis, ac Gentilibus, veluti canibus, lacerandum obtruſit, feritate à ſæculis inaudita. Quot enim in eum jacta ſcommata, quot dicteria, tot veluti canum latratus: quot petulantis linguæ jacula; tot canum morſus, quibus lacerari potuit vel ipſa Chriſti innocentia.

Dixit olim, & verè Siracides: *Flagelli plaga facit livorem; flagellum verò linguæ comminuit oſſa.* hoc eſt robor omne quaſi peſſundat, ac deſtruit. Teſtis erit David, cui teſte D. Chryſoſtmo, atrociora fuerunt Semei improperia; quàm filii Abſalonis arma, atque impietas. Queſtus aliquando de Donatiſtis Optatus: *Dei Epiſcopos lingua gladio jugulaſtis, fundentes ſanguinem, non corporis; ſed honoris. Vixerunt poſtea homines; ſed à vobis occiſi ſunt in honoribus Dei Sacerdotes.* *Eccl. c. 28. v. 21. Optatus contra Donatiſtas l. 2.*

Nimirum Viro juſto, atque illuſtri honor id eſt, quod homini vita; & qui eum calumniis, atque conviciis impetit, jugulum impetit, atque vitam: quod ſi homini; quanto magis & Chriſto mortalium omnium, atque immortalium innocentiſſimo. Et tamen, ut is eſſet, ejus nomen, fama, honor impetitus omni propè calumniarum, atque convitiorum genere. Et hoc fuit ſecundum contumeliæ caput; cui additum eſt & tertium; barbæ ſcilicet, & comarum evulſio violenta.

III. Barba illi & coma evellitur. Mures, ut habet antiqua parœmia, leoni mortuo jubam vellunt, atque evellunt: & Chriſto, ecce Leoni de tribu Juda, necdum mortuo; ſed vivo adhuc ac ſpiranti, venerandi capitis crines, & barbæ pilos ignominiosè, & crudeliter evellunt Judæi, evellunt & Gentiles, quos inter impietatis, atque barbariei pugna fuit, quis quæ vinceret. Quanta porrò, & quàm immanis fuerit contumelia ex hoc diſce.

Viro honorato barbam vel levi tantùm manu attingere Veteribus nefas erat; evellere verò, aut præcidere, ſcelus.

Teſtes volo, teſtes appello Romanos ſenes. Hi Urbe jam devicta in ſellis curulibus mortem à Gallis victoribus expectabant: at hi illos veluti Genios, ac Deos venerati, nihil gravius acturi videbantur, niſi quiſquam è Gallis per aliquam amicitiæ ſpeciem, prolixiorem unius barbam manu demulciſſet; quam ille injuriam non ferens, etiam victoris caput ſceptro, aut clava contudiſſet. Unde exacerbatis barbarorum animis eos omnes mactavere, Urbemque diripuere; Senatoribus interim vitam amittere malentibus, quàm eam injuriam ferre, quæ erat, etiam ex leviore barbæ attactu: adeo hæc illis erat ſacra, ut attingere nefas eſſet. Quantum, amabo te mi Lector, quantum in Chriſto? quid enim ad hunc Romani Senatores? quid levior, ac veluti adblandiens barbæ attactus, ad illam in Chriſto evulſionem violentam? *Florus. Livius.*

Certè

Certè David, hominum cæteroquin manſuetiſſimus, Legatorum ſuorum barbam mediam ab Hanone raſam, Ammonitidis regionis vaſtatione, & cædibus ultus eſt: adeo Regi, adeo & Legatis in veneratione fuit barba: ejúsque violatio punienda, atque ignominioſa: Quod ſi his, quanta & Chriſto, quanta & Deo-Homini?

2 Reg. c. 10. v. 4.

Profectò Antiquioribus tria Viro illuſtri venerationi fuere: *Genua*, *Barba*, & *Dextra*, ut teſtis eſt Euripides, apud quem Hecuba Agamemnonem per ea ſic dicitur deprecata:

Euripides in Hecuba.

Agamemnon ſupplico tibi per hæc genua,
Et tuam barbam, dexteramq; felicem.

Nimirum hæc tria ſacra erant, atque ad ea confugere ſoliti mortales, velut ad ſacratiores aras, à quibus manaret gratia, manaret & reis venia. Quod ſi ea ſacra puſillis mortalibus, quanto magis & Chriſto Servatori quàm optimo? quod ſi ſacra, certè & veneranda quàm maximè. Et tamen, ô dolor! ô pudor! ô nefas! ô ſcelus! & hæc genua in Chriſto violata, & barba per ſummam ignominiam evulſa, & dextera etiam auſu temerario maculata.

Genua quidem cùm ad illa illuſoriè procidentes Judæi, ingeminare & iſtud: *Ave Rex Judæorum.*

Barba verò cùm per vim extracta, atque in auras reluctantes fœdè jactata.

Dextera denique, cum in eam immiſſa leviuſcula *Arundo*, ceu ſceptrum ludicri Regis, atque ad hanc feralem ſcenam in theatrum educti. Et hoc tertium fuit contumeliæ caput, cui acceſſit & quartum.

IV. *Lacerantur unguibus Genæ.* Nempe iſtud, quod etiam Chriſto laceratæ unguibus genæ. De hoc ſic queſtus olim Iſaiæ voce, calamóque Servator mitiſſimus: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* *Quod* ipſum *quidam* (ut ait Bernardus) *exponunt de laceratione maxillarum facta unguibus.*

Cap. 5 v. 6

De Paſſion. c. 18.

Nimirum barbaris illis non ſatis fuit & faciem, & genas, & frontem ſputis fœdioribus conſpurcaſſe, non ſatis illuſiſſe improbè jactis in os ſcommatibus, atque dicteriis, non ſatis barbam, & capillos venerandi capitis evulſiſſe, niſi & Genas quoque, ut feles ſolent, ut canes, ut volucres efferæ, etiam unguibus laceraſſent, ad altantium ſtuporem, horroremque. Et hoc quartum contumeliæ caput, cui mox impii addidere & aliud, & quidem ad pœnam atrocius, ad ignominiam violentius.

V. *Colaphis cæduntur.* Nimirum illud, colaphis eum duriter improbèque cecidere, ut fieri aſſolet ſervis viliſſimis, abjectiſque terræ mancipiis: & hoc quidem non liberi ipſi; ſed ſervi, ſed propudioſa mancipia.

In Ioan. c. 18. hom. 22. *Exhorreſce cælum, & contremiſce terra de Domini patientia, & ſervorum impudentia*, exclamat ore aureo Chryſoſtomus. Et verò quidni exhorreſcat illud? & hæc contremiſcat?

In maxilla (ut notat D. Hieronymus) *generis eſt nobilitas, eſt & honor quidam manifeſtus*, eſt & majeſtas adoranda.

Et tamen & hæc, & illa violantur auſu nefario,
In Iob. c. 16. & quidem à ſervis (ut dixi) abjectiſſimis, ab impuris ganeonibus, à ſcelerum omnium monſtris, & hoc in Chriſto, generis noſtri Salvatore, in Deo-homine, in Deo ipſo, in quem eò loci, ac temporis, ſi alius unquam, cecidit illud gementis, ac plorantis
Thren. c. 3. v. 30. Jeremiæ: *Satiabitur opprobriis.* Vis noſſe quibus opprobriis? accipe brevi compendio: Percutitur JESUS ut ſervus, ut nebulo; ligatur ut latro; deridetur ut fatuus; conſpuitur ut leproſus. Quid ampliùs? Terra tremit, cœlum ſtupet, gemunt Angeli, exhorreſcunt vel ipſi inferi. Et tamen ſuſtinet Æternus Pater; & patitur ipſe Dei Filius, ſplendor Patris, & Amor Divini Spiritus. quæ cauſa? Non
Lib. de Patientia. alia, quàm ea, quæ placuit olim Tertulliano: *Quia ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.*

CAPUT VI.

De flagellatione Chriſti.

Ad illa verba: *IESVM autem flagellatum tradidit eis.* Matth. cap. 19.

VT cruentam hanc paſſionis Dominicæ ſcenam clariùs oculis ſubjiciam, eam in varias partiar quæſtiones: quarum prima erit de columna ad quam alligatus Chriſtus ſtetit. Secunda de modo quo ad eam ſtetit & quo vinctus eſt. Tertia de numero flagellantium. Quarta denique de qualitate flagellorum, & ictuum numero.

QUÆSTIO PRIMA.

De Columna: an unica fuerit, an duæ?

AD primam quod attinet, de Columnâ aliqua inter Authores lis eſt & controverſia: quia ſunt nonnulli qui Chriſtum alligatum velint, & cæſum ad duas columnas: ſunt qui ad unam tantùm.

Multi enim (teſte Joanne Severano, libro de ſeptem Baſilicis) credunt Chriſtum nocte totâ in domo Caiphæ alligatum ad columnam, & ibi à famulis petulanter habitum, alapis cæſum, fortè etiam baculis, virgis ac loris flagellatum.

Alii volunt primò flagellatum, ante condemnationem, latamque à Pilato mortis ſententiam: ea porrò flagellatio facta eſt ad columnam, quæ modò viſitur in Eccleſiâ S. Praxedis, eſtque valde humilis, altitudine trium palmorum, & quæ vix pertingebat ad genua: ea ſcilicet aptior erat crudeli, quæ tum parabatur, laniena: quia ſic corpus omne & antrorſum & retrorſum flagellis & vulneri patebat.

Iidem authores cenſent Chriſtum ſecundò flagellatum accepta jam à Judice mortis ſententiâ; tum enim mos erat reum flagellis cædere, aut virgis inſtar ſervi ac mancipii; & tum temporis cæſum volunt ad columnam cujus meminit D. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ. *Oſtendebatur*, inquit, *illi columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.*

Huic ſententiæ favet S. Chryſoſtomus, qui Chriſtum credit bis fuiſſe flagellatum; & certè id omnino concedendum erit, niſi dixeris eam columnam quæ viſitur hodie in templo S. Praxedis, partem eſſe illius columnæ, cujus meminit S. Hieronymus: quod tamen omnino negat Boſius, aliique: & certè meritò *Lib. de Concor.*
negari poteſt, cùm videatur eſſe integra, & supernè ei inſitus ſit annulus cui implicabantur vincula: non fuiſſet autem ei inſitus iſte annulus, ſi cùm flagellaretur Chriſtus, aut baſis erat, aut capitellum illius columnæ, quæ porticum ſuſtentabat.

Verùm ut ut ſit de columna, unáne, an duæ, fortè non tantum intereſt: at plurimum cur ad eam ſiſtatur Deus-homo, Salvator Univerſi?

Columna ſymbolum eſt fortitudinis, & victoriæ trophæum: inde edomitis monſtris columnam ſibi erexit Hercules.

Et ſibi meliorem paravit JESUS, cui potiori jure inſcribi poſſet, quod deinde Petro Athanaſii ſucceſſori ad columnam cæſo D. Gregorius Nazianze- *Orat. 25.*
nus. *Columnæ inſculpit fortitudinem ab omnium oculos.* Et Chriſtus columnæ inſcripſit fortitudinem ſuam, invictumque animi robur; utque inſcriberet etiam ſpectandum mortalium oculis, pro atramento ſanguis fuit, pro calamo flagella.

Ad Columnam tartarea devicit ſtravitque mon- *Columnæ olim pro ſtatuis.*
ſtra, ut quæ olim in columnis viſa fuerant falſorum deorum, veriùs dæmonum, ſimulacra, ad Chriſti columnam alligata, victaque tenerentur.

In columna Iſraëlem per avia deſerti in terram promiſſionis eduxit; quæ ſcilicet per diem ſolida erat

inſtar aqueæ nubis, & per noctem lucida adinſtar ignis. Et Servatoris columna rorida fuit; ſed à ſanguine: lucida fuit; ſed à caritate. Illo temperavit diei hujus, id eſt, ſolis ac vitæ mortalis æſtum inſolentiorem: hac autem duxit in amœnas terræ ſanctæ, id eſt cœli, regiones.

Ut in has ducaris aliquando, *mi Lector*, ſimilis eſto columnis, quæ etiamnum videntur in Calvariæ clivo; in hoc (ut aſſerit Petrus à S. Dominico, aliique, viſuntur lapideæ columnæ quatuor, quæ perpetuò aquam extillant, & Paſſioni Dominicæ, ac columnæ, fletu perenni quodammodo illacrymantur: ſunt verò illæ ſitæ juxta eum montis hiatum, qui maximè patuit quando ex ejuſdem Paſſionis dolore, & quaſi ſenſu, petræ ſciſſæ ſunt, & diſruptæ rupes. Utinam & his rupibus, & iſtis columnis ſimilis eſſes, ut à dolore diſrumpereris totus, & Chriſti columnæ lacrymas affunderes; imo & eam exprimeres in ipſa cordis tui tabella, uti impreſſit *B. Clara à Monte-Falco*, in cujus corde Thomas Bozius affirmat ſe vidiſſe iconem Crucifixi, & flagra, & columnam ex ipſa illius carne veluti opere prominulo affabrè inſculpta; utinam ſic & tuo inſculta, tum eadem columnæ lubens inſcriberem quod olim Hercules ſuæ: *Non plus ultra.* Sed vetat divinus amor, qui ultra pergit ad coronas, ad cruces: illi cedendum mihi erit, & eundum etiam ultra, ideoque

Silveſter Petra ſancta Tammaſia tom. 3. c. 29.

De ſignis Eccleſia l. 15. c. 3.

QUÆSTIO SECUNDA.
De Chriſti nuditate & vinculis.

VEnio ad ſecundam quæſtionem quâ ratione ad columnam ſtetit Servator optimus, & quomodo vinctus.

Nudus omnino ſtetit, ut conſtat ex revelationibus D. Brigittæ, cui de filio ſic olim Virgo Mater.

Lib. 4. c. 70. *Jubente lictore ſeipſum veſtibus exuit columnam ſponte amplectens, & toto corpore nudus*, quod ipſum clariùs explicuit alio loco.

Lib. 1. c. 10. *Alligatus*, inquit, *nihil omnino operimenti habebat, ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ*, inſigni ſanè pudore & verecundiâ, quæ virgineo corpori, puriſſimæque Chriſti menti tormentum erat ipsâ morte majus. Si enim nobis ipſis qui tamen & concepti & nati ſumus in ſordibus, nudi corporis aſpectus in turpitudine ponitur ac ſupplicio; quantò magis Deo homini, in quem nullæ peccati ſordes cadere unquam potuerunt, & cui pudor ac caſtimonia adeò erat in oculis atque amoribus.

Ammonius vir magnæ ſanctimoniæ, cùm fluvium Lycum unà cum ſocio tranſire cogeretur, nec vellet, poſſetve nudus ſuum vel ſocii oculum ferre; juſſit eum porrò ſecedere, donec poſitis tantùm tibialibus vado flumeo trajiceret, ſed cùm ſe nudum ne quidem ipſe pateretur conſpiceretque oculus innocens, hæreretque dubius pudorem inter ac neceſſitatem; in illâ hæſitatione ab Angelo tranſmiſſus eſt. Adeò Superis placuit ingenuus ille rubor, & illuſtris animi caſtimonia; cui è profanis unum adjiciam, ut liquidò pateat, quam vim etiam in naturâ obtineat caſtæ mentis pudor ac verecundia.

Narrat Plutarchus, cùm neſcio quæ moriendi cupiditas Mileſias puellulas invaſiſſet, adeò ut paſſim laqueo ſponte mortem accerſerent, nec à tali dementiâ vel ipsâ vi legum, vel parentum cuſtodiâ, vel minis revocari poſſent: tandem ut huic malo medela fieret, publico Senatus edicto ſancitum, ut quæcumque violentas ſibi manus intuliſſet, ea toto corpore nuda ac veluti proſtituta omnium oculis objiceretur, & ad ſepulchrum tali notata opprobrio duceretur.

Opportunum ſanè conſilium, à quo tantus earum animis injectus eſt pudor, tantus dedecoris illius metus, ut de nullius violentâ morte poſteà ſit auditum. Ita ſcilicet ingenuis mentibus etiam poſt fata ſuus eſt pudoris amor, & is pro fræno.

Quod ſi vel ſolo ductu ſenſuque naturæ is eſt nuditatis horror; quantus erit ſi gratia, ſi caſtimoniæ virtus naturâ ſuperior acceſſerit.

Cauſſin. in Aula ſancta tom. 4.

De Mariâ Stuartâ Scotiæ Reginâ referri ſolet, quod & ad ſpeciem illuſtre, & ad exemplum efficax: eduxerat illa ſecum, & in aulâ ſuâ foverat adoleſcentem nobilem, quem propter eximia, ſeu naturæ, ſeu etiam virtutum dona carum habebat in paucis. Is ſibi conſcius de Reginæ gratiâ ac favore, nocte quâdam illius cubiculum ſubiit, ſuſpenſo gradu, tacitoque pede, ne fortè evigilaret illa: dum lecto regio ſit propior, advertit ex eo pendere Reginæ manum, brachiumque aliquâ parte nudum, & modeſtè accedens, manumque prenſans, eam cum ſubmiſſione oſculatur; Hic excuſſo ſopore, ſeu ſolo tactu, ſeu etiam horrore tam impudentis audaciæ, exclamavit illicò Regina, in cubiculum irrepſiſſe virum aliquem.

Ad regias voces exciti vigiles irruunt in conclave, & ſubito impetu miſellum adoleſcentem transfodiunt & ſolo exanimem inſternunt.

Si Maria Stuarta adeò iniquo animo tulit eam ſeu adoleſcentis, ut videbatur, impudentiam, ſeu ſolius brachii ſui conſpectam nuditatem, quo animo ferre aut potuit, aut etiam debuit Chriſtus, totum ſe denudari in conſpectu, in oculis univerſæ multitudinis, & impudicorum ganeonum, qui ſibi petulanter & improbè inſultabant? Certè niſi & Deus fuiſſet & homo, iniquiſſimè id ferre debuit; tulit tamen quàm æquiſſimè, & eâ patientiâ quæ nonniſi in Deum cadere potuit.

Sed paucis ſtylum ducamus ad vincula, quibus ad columnam fuit alligatus: iis primùm implexæ manus, deinde pedes, tum etiam corpus ipſum, tum denique injecta collo catena rudis & gravis, quæ columnæ inhærens, & quaſi infixa, caput trahebat in declive, totumque corpus pronum ac ſubjectum tenebat; ſic ut totum pateret in flagra ac vulnera, quæ certatim inflixerunt barbara & immani feritate carnifices: de quibus prius quàm agam, alia ſpectabo vincula, quibus ad columnam vel tractus vel illigatus fuit Jesvs. De his ſic ad illum B. Laurentius Juſtinianus.

Tui atque Genitoris te impellente gloria; mea te trahente infinitâ miſeriâ; divina te arctante juſtitia: & ſuperna atque ineffabili in te habitante gratia. His funibus ad columnam ligaris. *De Triumph. agone c. 14.*

Ecce funes, ecce vincula; ſed amoris; ſed etiam paſſionis: & his & illis vinctus eſt Jesvs; & iſtis quoque cum D. Bernardo, *Vinciri* volo *vinculis paſſionis boni* JESV, *at etiam vincula caritatis cum illo vinciri poſſim.* *Tract. 2. de Paſſ. c. 3.*

QUÆSTIO TERTIA.
Quis fuerit numerus flagellantium Chriſtum.

PRimùm à Pilato Præſide de more flagellis cæſus eſt Chriſtus: deinde ab univerſâ Legione, quæ cenſebat mille capita, cujus Tribunus dicebatur Græcâ voce χιλίαρχος, id eſt *millenarius*, à mille ſcilicet militibus, quos numerabat. Denique à tortoribus ad eam lanienam mercede conductis; de quibus etiam aliqua quæſtio dubiumque incidit, quot ii fuerint.

Communiùs dicuntur fuiſſe ſex, qui alternis in Chriſtum fœdè ſævierunt: dum enim à frequenti verbere hi reſpirabant, inſurgebant illi, collectiſque aliquâ quiete viribus, & inſano ſpiritu, in flagra & vulnera toti incumbebant. Et ita de numero flagellantium habet communis opinio, à quâ diſcedunt aliqui inducti authoritate B. Magdalenæ de Pazzi, ſanctimoniali Florentina, quæ & vitæ ſanctitate & revelationibus apud ſuos eſt celeberrima.

Cognovit

In ejus vita Part 4. pag 532.

Cognovit illa in exceſſu mentis Chriſtum à triginta paribus hominum, id eſt, à ſexaginta crudelis lanienæ adminiſtris fuiſſe flagellatum.

Dicere debui diaboli adminiſtris: ut enim docent è SS. Patribus non pauci, dæmones ipſi in eorum corpora, tum in horto, tum maximè hîc inſilierunt, ut ſævirent inſolentiùs, ubi & hominem exuiſſent; & dæmones ipſos induiſſent.

Luc. c. 22. v. 53.

Et verò induiſſe colligitur ex ipſis Chriſti ad illos verbis. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, id eſt dæmonum, qui tenebræ ſunt, & quorum poteſtas omnis, poteſtas eſt tenebrarum, non lucis, qualis eſt in bonis Angelis.

Ea porrò tenebrarum poteſtas omnis tum contra Chriſtum explicata.

Apol. p. 96.

Primùm in Judæis, quos energumenos, ſive dæmoniacos appellat S. Juſtinus Martyr, in quibus ſcilicet *afflatu ſuo procurarunt dæmones* ea omnia, quibus Chriſtum malè affecerunt.

Tract. 35. in Matth.

Deinde in militibus: in iis ſcilicet *operantibus inviſibilibus Regibus & Principibus ſæculi hujus*: hoc eſt dæmonibus, ut ait Origenes.

In cap. 27. Matth. Hom. 88. Lib. 3. c. 11. in Iob.

Denique tam in his quàm in illis; Judæis ſcilicet ac militibus, in quibus, ut advertit D. Chryſoſtomus, *non ſeſtum eſt diabolum fuiſſe, qui in omnes tum bacchabatur.* Hæc ille, cui calculum addit D. Gregorius Pont. Max. dum ait. *Canditatem omnium ſatanæ manui traditum.*

Pſal. 128. v. 3.

Conſentiunt etiam Interpretes in illa Pſalmiſtæ verba: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*, id eſt dæmones, qui antonomaſticè peccatores dicuntur & ſunt: *Fabricaverunt*, inquit Chriſtus, *ſupra dorſum meum*: vel ut vertit Drogo Cluniacenſis: *Dorſum meum incudem fecerunt*: ut flagellis frequentibus, veluti repetitis malleorum ictibus, fœdè & horrendè vapularet.

Hom 5.

Malleorum dico infernalium: quia ut ait Origenes, *In traditione Salvatoris malleus Zabulus* (id eſt dæmon) *malleator Judas fuit. Et multi malleatores in tempore illo, quo paſſus eſt Chriſtus.* Hi quidem lingua, ut Judæi *clamantes, Tolle, tolle, crucifige eum*: illi verò manu, ut in flagellatione carnifices. Ex quibus conjice, quæ & quàm immanis tum fuerit ſacrati illius corporis laniena. Ut ea vel ipſo flagellorum numero ſtrepitu, ac fragore iret in poſteros, ferunt eò loci ubi flagellis cæſus eſt Chriſtus, exaudiri quaſi ictus flagellantium, idque perpetuo, uti affirmavit fratri Boniſacio Cœnobiarchæ Montis Sion Cuſtos loci, experimento annorum amplius ſexaginta, quos ibidem exegerat, quod etiam affirmat *Caronicus*, &

Tom. 4. c. 29.

ex illo, aliiſque Silveſter Petra Sancta in Taumaſia veræ Religionis.

QUÆSTIO QUARTA.

Cujus generis fuerint Chriſti flagella, & quis ictuum numerus?

PAulus à Palatio ſcribit traditum à graviſſimis authoribus Chriſtum primò fuiſſe cæſum virgis ſpineis, vili ſanè ſupplicio; quo non afficiebantur niſi ſervi & abjectiſſima mancipia; flagellatio enim apud Romanos pœna erat ſervorum, ſicuti Liberorum fuſtigatio, ut patet ex Lege *Serviorum*, & lege *Parcia*, & *Semproniâ*. Sic flagellatio non ſolùm pœnæ, ſed & ignominiæ ſervit; ut in eâ Chriſtus Servator generis humani, quaſi pro ſervo, imò & pro fatuo haberetur: hi enim & virgis cædi ſolent; & ita poſteris ſæculis, ad dedecus, ut videbatur æternum, cæſi Martyres, & glorioſi Athletæ Chriſti. Sic S Thomas Epiſco-

Victor Viti. noſis l. c.

pus ad ignominiam virgis cæſus: Sic S. Afra, & S. Eulalia, aliique malè excepti, hoc ſupplicii genus exemplo Chriſti probè docti fortiter ſuſtinuerunt.

Fuit deinde cæſus Salvator noſter funiculis, ſeu potiùs loris hamatis, ut habet hiſtoria Scholaſtica.

Denique etiam catenis aduncis: ita à virgis primùm lacerata cutis exterior, deinde à loris hamatis concisa intrinſecus caro, denique à catenulis ferreis penitus contuſa, ut nihil ad ſupplicii gravitatem deeſſe videretur: juvat audire quid de eo B. Virgo teſtis oculata: ſic illa quondam D. Brigittæ. *Lib. 1. c. 10.*

Conſurrexerunt inimici ejus, & flagellabant corpus ejus ab omni maculâ & peccato mundum.

Ad primum igitur ictum ego quaſi corde percuſſa, ſenſibus abducer, & poſt tempus evigilans corpus ejus laceratum vidi. *Lib. 4. c. 70.*

Quomodo autem laceratum ſit, & quàm fœdè, deſcribere pergit bona Mater.

Flagellis, inquit, *aculeatis, infixis aculeis & retractis, non evellendo, ſed ſulcando totum corpus ejus lacerabatur.* *Ibidem.* & alio loco.

Vidi, inquit, *corpus ejus verberatum & flagellatum uſque ad coſtas, ita ut coſtæ ejus viderentur.* Et verò quidni viderentur ab immiti illâ & propè innumerabili verberum grandine, quæ in humeros, in pectus, in totum corpus Salvatoris depluit. De eâ certè variè varii ſcribunt & loquuntur; quia res adhuc in occulto videtur eſſe.

Granatenſis in ſuis meditationibus ait, Chriſto in flagellatione inflicta verbera quingenta ſupra quinquies mille.

D. Bernardus ſupra ſex millia. *Valadier tom. 2. de Quadrag. Serm. in die Veneris ſancto.*

Alfonſus trecenta ſeptuaginta ſupra quindecies mille.

Landulphus in vitâ Chriſti aſſerit cuidam fœminæ ſanctæ revelatum, ſupra nonaginta, quadraginta, & quindecies mille verbera Chriſto ad columnam inflicta.

Ita cùm ea res adhuc mortales latere videatur, inter ſe variant authores, qui tamen in hoc conſentiunt, & vim & numerum verberum immanem fuiſſe: Et certè eum fuiſſe

Primò probat, quod Chriſtus cæſus ſit à totâ legione, quæ ut minimum milites gregarios mille cenſebat, è quibus ſi ſinguli quaternos, aut quinos ictus inflixerint, jam quinquies millies repetitos numerabis: quid ſi plures quaternis & quinis? Neque enim uno alterove verbere inſana eorum rabies exſatiata, maximè cùm ad eam lanienam etiam Judæorum pecuniâ, pactâque mercede foret excitata.

Deinde ut in immenſum augeri debeat verberum numerus, & hoc etiam ſuadet, quod flagellatus ſit à ſex tortoribus, vel (ut etiam alii credunt) à ſexaginta, & lacertorum robore validis, & ſuâ immanitate ac ferocia ſatis concitatis; & pretio ac pecuniâ, cui omnia obediunt, corruptis

Denique, quod ut D. Brigittæ revelatum, in totâ paſſione impacta vulnera ſupra ſeptuaginta quinque, quadringenta, quinquies mille, quorum pars maxima tribuenda toties ac toties iteratæ flagellationi: quod ſi ſacro Chriſti corpori tot indita vulnera; plura ſine dubio verbera; neque enim ab uno verbere vulnus infligitur.

Et hæc dicta velim ex Authorum fide ac monumentis, è quibus peti debet cruenta illius tragœdiæ ſeries; quam dum oculis ſibi ſubjicit mens Chriſtiana, hæret ſtupeſque attonita, nec ſatis capit prodigium illud vel immanitatis in homine, vel patientiæ in Deo: & hanc & illam animo dum ſpectat Auguſtinus, exclamat.

Ecce pro impio pietas flagellatur, pro ſtulto Sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur juſtitia pro iniquo, miſericordia affligitur pro crudeli, pro miſero repletur ſinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. *Serm. 114. de Temp.*

Ubi per eas antitheſes facti ſeriem expoſuit damnavitque; tum ipſius naturæ, licèt inanimæ, ſenſum exprimit ac horrorem.

Expavit, inquit, *ſcelus hominum natura rerum.* Et certè quidni expaveſcat, horreatque in authore ſuo, in parente Univerſi, in Deo id conſpici, quod in homine perditiſſimo, imò in bruto animante, in cane vix poſſit humanus oculus intueri: & tamen id in Chriſto corporis oculis, & quidem ſine doloris ſenſu conſpexerunt Judæi: & nos qui Chriſtiani dici & eſſe volumus, mentis ac fidei oculis intuemur ſine affectu compaſſionis: An non ille ſtupor, quem inferi ſuperique damnent ac deteſtentur? Sed ab illo diſcedamus, & ad extremum adjiciamus illud quod ſcribit Lanſpergius, viro in primis ſancto, & Dominicæ Paſſionis ſtudioſo divinitùs revelatum, expreſſos in immiti illâ flagellatione ſanguinis globos craſſiores, & juſtæ molis, ſupra quinque ac ducentos etiam triginta millia: quantam igitur eſſe oportuit illam lanienam, à quâ tam copioſo ſanguine propè merſus Deus-homo, Agnusque mitiſſimus, quàm exundans illud torcular, quod calcavit ſolus. quàm *Grande ſpectaculum* (inquit Rupertus) *mundo, Angelis, & hominibus, ut à ſervis peccati, princeps libertatis, ſervilibus & cruentis modis ita caderetur.* Nimirum & *multa* & grandia eſſe oportuit *Flagella peccatoris*, propter quæ Deum ipſum ita flagellari neceſſe quodammodo fuit; neceſſe, inquam, amori & divinæ caritati.

Hom. 10 de Paſſione.

Joan. c. 19.

Pſal. 31.

Illa illa enim eſt, quæ & vincula manibus implicuit, & flagella expediit: *O charitas* (exclamat Juſtinianus) *quàm magnum eſt vinculum tuum, quo Deus ligari potuit? Nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere potuiſſet, ſi charitatis vinculum defuiſſet.*

In ligno vitæ c. 4.

Illa eſt, quæ etſi cætera *omnia conſtituat in pondere, numero, & menſura*: pondus tamen ictuum ſine pondere, numerum ſine numero, menſuram ſine menſura eſſe voluit.

Sap. c. 11.

Illa eſt, quæ Chriſti corpus ceu animæ ſanctioris tunicam, opus Spiritus Sancti, non dico hœdi, ſed innocentis Joſephi ſanguine intinxit. Vide, ô Pater Æterne, An Filii tui tunica ſit? Eſt enimvero, eſt tunica Filii tui; ita nimirum *fera peſſima devoravit filium tuum.* Verè peccatum Adæ, peccatum meum, fera peſſima: fera peſſima Judæorum invidia: fera peſſima carnificum immanis ſævitia. Sed quid de his queror? Quid expoſtulo? quid ingemiſco?

Gen. c. 37.

Illa illa tua caritas eſt, bone Jesu, crudelis laniénæ (pace tua dixero) adminiſtra: illa illa eſt, quæ è cute, è carne, è venis ipſis ſanguinem omnem elicuit. Ita nimirum, ut piè B. Bernardus, nos redimere *qui potuit guttâ, voluit undâ*: & hoc, quia, *quod ſatis fuit ad meritum, non ſatis fuit ad amorem.*

CAPUT VII.

De Coronatione Chriſti.

Ad illa verba: *Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus.* Matth. cap. 27.

OBſervat D. Chryſoſtomus, Matres ſuos olim filios in nuptiis coronaſſe: cujus moris æmula Synagoga, non pia Mater, ſed potiùs impia & ferox noverca, Chriſtum, filium ſuum, miſerabili ſerto coronavit; & hoc quidem in die deſponſationis ejus, de quo carmen illud nuptiale ad Filias Sion, bonasque mentes jam inde à Sapiente tranſmiſſum.

Videte, inquit ibi, *Filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſationis ſuæ.*

Cant. c. 3. v. 11.

De hac ego coronâ, tria mihi tractanda propoſui. Primum cujus generis fuerit, & cujus arboris? Alterum quantum ab eâ Capiti noſtro, id eſt Chriſto, dedecus acceſſerit? Poſtremum denique quantum etiam doloris atque tormenti?

Ad primum quod attinet, ſunt qui juncos marinos hîc uſurpatos cenſeant; ita Toletus, Pererius, & alii. Plerorumque omnium ſententia eſt fuiſſe ſertum è rhamno; ita Baronius, Gretſerus, aliique communiùs: & hoc ſuadet primò, quod in Palæſtinâ frequens eſſet hoc veprium genus, plenum aculeis, & hericio ſimile.

Suadent ſecundò hujus ſerti fragmenta, tum quæ Romæ ſervantur in baſilicâ S. Crucis, tum quæ Pariſiis in ſacello ſacro, tum quæ in Hiſpaniis in Cœnobio de ſpinâ, tum quæ Lovanii in Collegio Societatis JESU.

Suadet tertiò quod rhamnus, ſpinoſus frutex, longè faciliùs in coronam, & quaſi in pilei formam aptari potuerit, quàm marini junci, utpote longiores, & cedere neſcii.

Ut ut ſit, res ea adhuc eſt in lite, & ſub judice: hoc extra litem & controverſiam, ſpinas illas è quibus Salvatori intexta eſt corona, fuiſſe & longas, & acutas inſtar craſſarum acicularum: atque ejuſmodi ſunt ea coronæ fragmenta, de quibus ſuprà mentionem feci.

Venio ad ſecundum quod initio mihi propoſui, quàm gravis & pudenda unà cum ſpineo ſerto Chriſto ignominia ſit impoſita.

Ægerrimè tulit olim Philo, nec id concoquere potuit, quod Flaccus Alexandriæ Præſes diſſimulârit Agrippam Judæorum Regem, à plebeculâ, & pueris quamvis abſentem irrideri.

Fuit autem ea ludificatio ſic adornata.

Carabas homo ſtultus per vias aberrans, in gymnaſium ubi eis vi pertractus eſt. Huic primùm coronam chartaceam impoſuerunt, & pro ſceptro fragmentum arundinis dexteræ inſeruerunt; deinde ludicrum regem loco ſpectabili ſtatuerunt; denique *Marin*, hoc eſt (ſyriacâ linguâ) Dominum ſalutârunt. Et hoc ad injuriam, odium, & dedecus Agrippæ, quem ſciebant eſſe natione Syrum. Hoc inquam, factum iniquiſſimè tulit Philo, quod immanis videretur injuria, Cæſaris amicum, & à Senatu honoratum adeò procaciter irrideri.

Sed, ô mi Philo, quanta eſt illa, quàm tibi fingis, ignominia?

Erat Agrippa puſillus homuncio, è luto malè fictus, perditiſque moribus: at Chriſti Majeſtas immenſa, bonitas infinita, ſapientia inexhauſta, lumen increatum, & forma ſubſtantiæ Patris Æterni; verbo uno, Deus.

Erat Agrippa Cæſaris amicus, Senatui Romano gratus: at Chriſtus non Dei amicus, ſed filius, non à Senatu Patribuſque conſcriptis in honore habitus; ſed à totâ Superûm regiâ, à cœleſtibus Intelligentiis, à beatorum omnium curiâ eo cultu exceptus, qui Deum decet ac Dominum Univerſorum.

Agrippa in homine ſtulto, & ſui quodammodo ſimulacro, & quidem abſens deridiculo habitus: at Chriſtus in ſeipſo & fœdè irriſus, & ignominiis cruentis appetitus.

Agrippa denique in perſonâ unius amentis chartaceâ coronâ per ludibrium redimitus: at Chriſtus ipſemet coronâ tectus ſpineâ, & crudeli ſerto inſtar alicujus ludicri regis, quem ludificare certatim omnes conati, non modò milites Romani, ſed & Pontifices Judæi. Et hoc non cenſebis immane probrum? Cenſeis certè ſi æquus rerum æſtimator eſſe ac videri velis.

Servi olim (quod & notavit Gellius) vendebantur ſub coronâ, quæ tum erat ſignum mercis venalis, uti modò apud nos faſciculus ſtraminis. *Lib. 7 Noct. Att. c. 4.*

Chriſtus pridie mortis ſuæ à ſuomet Diſcipulo venditus: ſed quia mercatorem illum facti pœnituit, quia pretium retulit, & triginta argenteos rejecit, ecce iterum ſtat ſub coronâ, tanquam ſervus ac venalis omnibus: ſic nimirum exinanivit ſe Deus formam ſervi accipiens, & cuique venum expoſitus.

O iterum

O iterum iterumque ter felix, ter beatus mercator, ô felix, ô beata nimis anima, quæ Deum emet! ô ſi ea ſis animula mea, ô ſi Chriſtum tibi dato pretio compares! & verò quidni compares cùm illius pretium omne penes te ſit. Vis noſſe quod illud? eſt amor: illum ama, & emiſti, jam tuus eſt: atque utinam æternùm ſit.

Venio ad ſenſum doloris; ingentemque cruciatum ſub quo tum gemuit Chriſtus, & fatiſcere debuit, niſi eum vis altior ac divina ſuſtinuiſſet.

Petitur ille è duobus. Primùm è parte corporis, quæ ſerto ſpinoſo afflicta: deinde ex ipſis ſpinarum aculeis ac numero.

Eſt caput in homine membrum omnino princeps, & in eo cerebrum, veluti fons & origo nervorum, muſculorum, ſenſuum ac ſenſationum omnium; ideoque in eo quàm maximè viget ſenſus tactus; & quod inde conſequens eſt, in eo præcipuè ſentitur dolor, & punctura etiam leviſſima, quia, ut dixi, ab eo nervi omnes; ex cerebro enim ut docet Galenus, oriuntur ſeptena nervorum conjugia, quæ per totum corpus diſtribuuntur, ut ſentire ac movere ſe poſſit: & hinc etiam fit ut ſenſus doloris qui in capite creatur, deferatur in reliquum omne corpus per nervos, qui à capite in cætera membra deducuntur.

His ita conſtitutis, quis non videat quantus dolor, quantusque cruciatus Chriſto Domino illatus; cùm ſpinea corona caput ipſum omne texit inſtar pilei, cùm altè infixæ ſpinæ, & per ipſum verticem, per tempora, per frontem effuſæ: de iis ſic D. Brigittæ locuta dicitur Virgo Mater, hujus lamenæ teſtis oculata.

Lib. 4 Revel. c. 70. Tunc, inquit, *corona ſpinea capiti ejus arctiſſimè impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, & crines & oculos & barbam replentibus, ut quaſi nihil niſi ſanguis totum videretur; nec ipſe me aſtantem cruci videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem.*

Nimirum in ſanguinis ſtagno natabant & propè mergebantur oculi; oculi inquam lucidiores Sole, imò naſcentis Eccleſiæ gemina ſidera, novique Soles, qui patiebantur ecclypſim ſive à lacrymis, ſive à ſanguine deciduo, velut affuſâ & interpoſitâ nube; ô amaram, ô gravem, ô prodigioſam nubem, quæ deinde doloris vi ſolutâ ſeſe exoneravit in ſanguineos & cruentos imbres: quidni enim imbres appellem, qui de Chriſti vertice, fronte & oculis per genas, per ora, per pectus, per corpus omne defluunt, & terram irrigant imbuuntque ſanguineo rore: ecquid enim aliud expectari potuit ab eâ coronâ quæ divino capiti profundè impreſſa?

Hom. 88. in Matth. Certè ea ſententiâ D. Chryſoſtomi, à ſpineo ſerto Chriſto caput mille locis transfoſſum eſt; quod ipſum confirmat D. Bernardus tractatu de Paſſione Domini. *Mille* inquit, *puncturis ſpecioſum ejus caput devulneravit*: quæ ſententia mihi ſanè veroſimilis videtur. Etſi enim cum opinione communi daremus illud, in coronâ ſpineâ numeratas ſpinas duas ſupra ſeptuaginta non plures, nihilominus diceremus ab illis longè plura ſacro Chriſti capiti impreſſa vulnera, puncturáſve longè plures.

Primùm quia dum tenero capiti aptatur, iterum iterumque ei circumduci potuit: deinde ab unâ ſpinâ aliud atque aliud vulnus infligi: denique quia dum cruci affigendus exuitur, ei unâ cum veſte extracta corona, iterumque per ſummam petulantiam atque immanitatem impoſita; adeoque alia atque alia ſine lege, ſine modo indita à ſpinis vulnera; quæ dum oculo animoque mœrente ſpectas, dic age, dic anima mea cum Tertulliano.

Lib. de Coron. Milit. *Chriſtus JESUS quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubiit? Ex ſpinis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.*

Dic cum D. Hilario: *In iſtis ſpinis eſt peccatorum aculeus.* *In Matth.*

Verè enim (ut inquit Auguſtinus) *Corona ſpinea capiti ejus imponitur, quia punctio peccatorum noſtrorum aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc è diverſo, ut membrorum vita capitis ſit corona*: ut porrò ſit, *In ramis Palmarum. Serm. 1.*

Dic cum D. Bernardo. *Pudeat ſub ſpinoſo capite membrum fieri delicatum.* *Serm. 5. de omnibus Sanctis.*

Dic age cum Chriſtianis, Procul eſte roſæ, procul aurea ſerta, quibus ſe ſuoſque malè coronat mundus: ita dixit & egit olim miles ille, de quo magnificè librum ſcripſit Tertullianus; hic unà cum aliis commilitonibus ob rem præclarè geſtam ab Imperatore Marco Aurelio Caracallâ, coronâ donatus, ſertoque floribus pulchrè contexto, illud manu geſtavit, nec unquam induci potuit, ut reliquorum more modoque in caput efferret: rogatusque cur non efferret, *Reſpondit ſe religione prohiberi, quòd Chriſtus ſpinis coronatus fuiſſet*, unde Chriſtiano roſis coronari habebatur indecorum: quod & alii ſensêre atque etiam liberè dixêre, quos inter S. Ludovicus Franciæ Rex; vetuit enim geſtari roſas ferià ſexta, & hoc in honorem ſpineæ coronæ Servatoris noſtri. Quod hic etiam aliis, hoc & ſibi Godefridus Bullonius qui Anno *Baron. ad* milleſimo nonageſimo nono, ipſo die Paraſceves, *an 1099.* quo Chriſtus in crucem actus, in muros urbis obſeſſæ primus evaſit, & Jeroſolymam recepit, Rex ibi totius exercitus conſenſu proclamatus, nunquam tamen ſuſtinuit coronari auro, ubi Dei Filius fuiſſet coronatus ſpinis: aiebat enim: *Non decere Regem Chriſtianum coronâ aureâ inſigniri in illâ urbe, in qua Chriſtus geſtaſſet ſpineam.*

Ejuſdem animi fuit in purpura Rex Angliæ Eduardus; cùm enim inauguraretur corona & regno, & ex omni Civitatis domo quaquà tranſiret tam ſerta, quàm flores ſoluti ſpargerentur in tranſeuntem, memor Dominicæ coronæ exclamavit: *E cœlo Pater Æternus coronam in Filium demiſit; ſed ſpineam. Hac primitus Rex cœli inauguratus eſt; & ego floreâ, aureâ, gemmeâ Rex terræ inaugurabor? per me, per Superos non faciam*: amabat nimirum Rex pius conſentire cum Chriſto, nec ſuſtinebat ſub ſpinoſo capite membrum ſe fieri & haberi delicatum. *Ludovicus de Malvenda in ſpecul. Principum Part. 2. c. 18.*

Ita neque ſuſtinuit B. Themilla, quæ rubis coronari ſe paſſa eſt ad imitationem ſui Servatoris.

Ita non procul à Toleto puer octennis, cui nomen Chriſtophorus, à Mauris ſpinis coronari ſe, & in crucem agi, non puerili, ſed planè virili & invicto tulit animo.

Ita S. Agapitus Martyr quindecim dumtaxat natus annos, cùm capiti ejus prunæ ardentes imponerentur, memor ſpineæ coronæ exultabundus aiebat. *Parum eſt in terra caput aduri coronandum in cœlo. Quam decorè corona gloriæ ornabitur caput afflictum pro Chriſto.*

Ita (ne vetera tantùm referre videar) hac noſtra ætate, videlicet anno 1613. B. Magdalena Virgo, nobilis apud Japones Martyr, rogo impoſita, cùm funes, quibus ad palum erat alligata, ignis diſſolviſſet, prunas ardentes ſuis ipſa manibus generosè colligens, venerationis ergo capiti ſuperpoſuit, eoque, ceu rubenti quodam roſarum ſerto, ſeipſam coronavit. Ex quibus conficis quòd hic fuerit ſenſus, hic animus in tenellulâ illâ ætate, hic etiam in fœmineo, imbelliquе ſexu, ut proinde rubore ſuffundi debeas, quiſquis vir es, & nec ſapis quod pueri, puellæque in Chriſto ſapiunt.

Non ſapis, inquam; dum enim ſic cùm Servatore tuo, & cum ſanctis in terra refugis coronari; refugis etiam & in cœlo, in quo nemo unus omnium florea donabitur corona, qui non priùs hic ſpinea fuerit donatus.

Sub hac certè primò Chriſtus, Servator Optimus, præ immani doloris ſenſu viſus exaruiſſe; at ſub illa

deinde revireſcere ac florere: ut in illum caderet hoc Davidis Vaticinium. *Super ipſum efflorebit ſanctificatio mea*: vel ut vertit Chaldæus & Hieronymus. *Efflorebit corona ejus.*

Pſal. 131. v. 18.

Et verò etiam revixit, imò & effloruit.

Teſtis eſt D. Gregorius Turonenſis *ipſas coronæ partes quaſi virides apparere.* Imò, & quot annis quibuſdam in locis efflorere teſtatur Boyſſat in Hiſtoria Equitum Melitenſium. Spina enim quæ Rhodi in magni Equitum Magiſtri ſacello colitur, ſingulis annis ſub meridiem ipſius Paraſceves florere ſolita, non ſine illuſtri prodigio, quod etiam anno 1455. præſente ac ſpectante ipſo eodem illuſtriſſimi Ordinis Magiſtro, aliiſque Equitibus plurimis, conſpectum non ſine ſtupore amabili, quem & ſenties in aliis, atque aliis ejuſdem ſerti ſpinis.

In *Umbria*, oppido Peruſiam inter, & Augubium, eſt ſpina una ex eadem doloris corona; qua Chriſtus olim in prætorio Pilati redimitus. Hæc quot annis feria ſexta hebdomadæ majoris ab hora ſexta ad nonam uſque ſemper floret. Quod ſpectarunt & viri graviſſimi, & publica fide ſibi conſtare Bozius affirmavit.

Silveſter Petra ſancta Taumaſia Tom 3. c. 16.

Altera ſpina ejuſdem ſerti eſt in *Samaidi*, & eo die pariter illius cuſpis protuberat, atque efflореſcit. Spina verò, quæ eſt Barii non floret ea quidem, ſed rubeſcit eadem Hebdomadæ ſanctæ feria ſexta.

In urbe verò Orientalis Calabriæ cui nomen *Policaſtrum*, eſt alia item ejuſdem ſerti ſpina, ex cujus cuſpide pendet guttula cruoris, teres, ac rotunda, quæ & movetur, & agitur quaſi recens efflueret ex capite jam ſauciato.

Et hæc prodigia cœlum dedit è Dominicæ coronæ ſpinis aliis, atque aliis, quorum rationem ſi mortali fas eſt quærere atque edicere, hanc equidem opinor eſſe, quòd innuere, oſtenderéque mortalium oculis velit, florea decorandum in cœlis eſſe corona, qui in terris ſpineam portarit: Eccur enim aliàs aut virere, aut florere tot jam ſeculis exſuccæ aridæque ſpinæ? niſi ut probarent jam in cœli ac beatitatis regione ſuper Chriſtum effloruiſſe coronam beatæ immortalitatis; & futurum ut ſic efflorescat aliquando in honoratis eorum capitibus, qui hic ſpineam inſigni patientis & animi robore geſtarint.

Ut porrò geſtent avidiùs, paucis exponam qui tibi ſint à ſpinea corona expectandi proventus, ſi modò eo animo, iis votis illam quæras, quibus olim Invictus Auguſtuſque Imperator Carolomannus.

Juvat illius meminiſſe temporis, quo Conſtantinopolim venit, & ab Imperatore Orientis ſpineæ Coronæ partem impetravit, atque ad Occidentis Imperium fortunato itinere retulit. Ut huic annuente etiam cœlo id ſacri muneris cederet, primùm à Patriarcha Conſtantinopolitano indictum omnibus ſolemne tridui jejunium; quo ritè expleto, ad templum venerunt Auguſti; ſed capite, pedeque nudo. Deinde proſtrati ante ſacrariorem aram, in qua in aurea capſa religioſè ſervabatur Salvatoris Corona, multis precibus lacrymiſque rogare cœperunt impenſiùs, ut Occidentis Imperium aliqua ſpineæ Coronæ parte ditare, ornare, beareque dignaretur. Ubi hæ preces, hæc ſupplicum vota in faventes auras emiſſa, tum Patriarcha flexo genu capſam reſerare; & ecce mira authore Deo prodigia.

Chryſoſt. Henriquez in Faſciculo SS Ordin. Ciſterc. l. 2. d. 2, c. 7.

Primùm enim ex ea emicare ſplendor ingens, & lux aurea toto diffuſa templo: tum ex eadem ſpargi ſuaviſſimus odor ea copia, ea ubertate, ut Urbe Conſtantinopolitana, quanta quanta ea erat, effunderetur. Tum etiam ipſæ ſpinæ, quæ aliàs oculis aridæ atque exſuccæ apparebant, virere cœperunt, & flores edere varii coloris, qui deinde viſi ſunt magis ac magis augeri, proventu ſanè prodigioſo cùm Daniel Neapolitanus Epiſcopus Coronam diviſiſſet; hæc enim aliis atque aliis floribus ex ea enaſcentibus tegi cœpta; quos ad miraculi fidem, piumque animi ſui ſenſum dum colligit Imperator Carolomannus, etiam ex iis chyrothecam implevit, ſervandamque tradidit Hebroino Archiepiſcopo, dum interim ipſe aliis atque aliis floribus colligendis inſatiabili cupiditate intentus erat. Sed ille attonito ac ſtupenti ſimilis, totuſque fuſus in lacrymas, oblatam ſibi ab Imperatore chyrothecam aut non advertit, aut certè è manu inſcius dimiſit; & ecce dum ea quæritur, novum à cœlo miraculum: chyrotheca quippè in aere pendula ac ſuſpenſa viſitur; utique ſuſpenſa vi illius, quem capiebat ſacratioris theſauri, florumque floridi etiamnum JESU Nazareni; à quo & aliud pientiſſimo Cæſari datum miraculum: dum enim aliquo poſt tempore flores illos, seu cœleſte quoddam depoſitum è chyrotheca educere, & decentiore loco collocare parat, eoſdem in manna converſos videt non ſine ingenti ſtupore. Servatum porrò etiam ad noſtram hanc ætatem novum illud ac prodigioſum manna in æde Divi Dionyſii ad illius miraculi fidem ac venerationem.

Audiſti, mi Lector, qui tum ad oculos animoſque fructus à ſpinea Chriſti Corona; attende, qui modò etiam ad te.

Spineam amas ambiſque cum pio Cæſare Coronam, hoc eſt (ut clariùs eloquar) pati amas cum Chriſto, & injuriis, calumniis, morbis, doloribuſque ceu ſpinis coronari: ex his etiam tibi naſcentur flores, & florea ſerta.

Appello B. Meruli fidem atque experientiam: in lacrymas ille pœnitentiæ & mortificationis ſuæ teſtes effundebatur totus etiam cùm eſſet in ægritudinis ſuæ ſeu mortis lectulo: & ecce in ejus caput è cœlo labitur corona è floribus albis contexta. Ita flores excipit emoriens animula, quæ dum in corpore ſpiraret, ſpinas admiſit. Et hic tibi primus ab illis proventus; quem ſequetur etiam alter, ſuavis ſcilicet ac cœleſtis odor; manat enim hic è ſpinis, hoc eſt è perſecutionibus, è ſquallore carceris, è vinculis, ex ipſis flammarum incendiis.

Bollandus in ejus vita 17. Ian.

Ita manavit ex eo, quo S. Priſca Virgo & Martyr, claudebatur ergaſtulo, & ea quidem ſuavitate, quæ omnium aromatum odores facilè vinceret. Hinc illæ ſubintrantis Limenii, & comitum ejus ad invicem voces. *Odorem hunc Dii fecerant pro dilecta Priſca.* At errabant cæci illi Gentiles: non Dii hunc odorem fecerant, ſed pars aliqua ſpineæ coronæ, hoc eſt tribulationis ac vinculorum, quæ amore Chriſti Priſca induerat.

Bollandus in ejus vita 18. Ian.

Qui è carcere ſpiravit bonus odor, ſpiravit etiam ex ipſis incendiis. Teſtem volo S. Polycarpum Epiſcopum & Martyrem. Oravit ille, ut in aliquam cum Chriſto patientiæ ac mortis, hoc eſt ſpineæ coronæ, partem venire poſſet. Et verò etiam venit: mox enim violenta tyrannorum manu in paratum rogum injectus. At mirum viſu dictuque! ignis fornicis inſtar martyrem cinxit, & molliter adlambere cœpit, nec tamen lædere; imò & ſuaviſſimum odorem emittere. Crederes ſacrum D. Polycarpi corpus eſſe in flammis, quod thus in prunis ardentibus, adeo bonum expirabat odorem: nec mirum, cùm illi eſſet ignis pro corona, & ſpinea quidem. Et hic ſecundus eſt ab illa fructus: tertium accipe.

Bollandus in ejus vita 26. Ian.

Erit ille lux amœna, lux aurea, ſplendor quidam cœleſtis, qui etiam è ſpinea corona, hoc eſt patientiæ corona diſpergitur. Ita S. Agneti Virgini & Martyri luxit vel ipſum in quo erat lupanar, quia & illud patientiæ theatrum erat, & in illo ſpinea etiam ſerta. Ita luxêre thermæ carcerque S. Conſtantii Peruſini, & ipſos etiam cuſtodes ad amœnam fidei lucem adduxêre: adeo verum illud ab ipſis ſpinis non ſolùm roſas, harumque odorem, ſed & lucem quoque emanare: lucem dico intelligentiæ altioris ac divinæ.

21. Ian.

29 Ian.

Vis

Vis etiam manna ſuaviſſimum, & hoc dabunt etiam ſpinæ: dabunt, inquam, non ſolùm cœleſtia lumina, quæ mentem illuſtrent atque incendant; ſed & ſaporem longè dulciſſimum, hoc eſt conſolationem ac dulcedinem quandam cœleſtem quâ paſcatur vel ipſe ſuperior appetitus: nec paſcatur tantùm; ſed & reficiatur penitus atque inebrietur.

CAPUT VIII.

De Crucifixione CHRISTI.

Ad illa verba: *Et duxerunt eum ut crucifigerent.* Matth. c. 9.

Hic eſt ultimus actus funeſtæ tragœdiæ, quem in aliquot veluti ſcenas partiar. Una explicabit ſententiam impii judicis: altera viam aperiet ad Calvariæ verticem: poſtrema ſupplicii genus ac modum exponet.

Ad primam quod attinet: ſedit Pilatus pro tribunali: ita Romano ritu ſedendum fuit judici, quod Ulpianus aſſerit, alioquin irrita cenſebatur ſententia: ſedit autem in *Lithoſtrotos*, Hebraicè *Gabbatha*, hoc eſt alto & conſpicuo loco: ſedere porrò Judicis eſt, quia ea corporis compoſitio conſtantem arguit & pacatum animum: eſſe autem eminenti loco, docet Judicem oportere cæteris eminere, & populo, omnique humano reſpectu ſuperiorem eſſe: atque utinam ita ſediſſet Pilatus, non eò lapſus eſſet inconſtantiæ, injuſtitiæ, immanitatis. ſed ad ejus ſententiam venio: eam Latino idiomate dictavit à præcone promulgandam. Quâ autem formâ, quibuſve verbis uſus ſit, lis eſt inter authores.

Hiſtoria, quæ de Nicodemo circumfertur, ita eam exprimit.

Genus tuum comprobavit te Regem: propter quod ego Pilatus præcipio flagellari te ſecundùm ſtatuta priorum Principum, & in eo loco ubi tentus es crucifigi, & duos malignos tecum, quorum nomina ſunt Deſmas & Geſtas.

De Paſcha celebr. Paulus Semprovienſis aliter ſentit, docetque ſententiam in Chriſtum latam eſſe his verbis.

Pilatus & Deorum immortalium voluntate, & Romanorum Principum ac Senatus authoritate, Præſes Provinciæ Judæorum, &c.

Quia IESUM Nazarenum hominem ſeditioſum atque ſeductorem invenimus, ut non ſit veritus contra fas, legesq; imperiales Regem ſibi aſciſcere Judæorum, eumdem tanquam hominem factioſum, & bonorum vitæ, & pacis moribus inſidiantem ultimis ſuppliciis depacamus. Tum quia turpiſſimè degentes ſunt turpiſſimo afficiendi ſupplicio, nefarium hominem quaſi latronem, & factioſorum principem patibulo crucis addicimus. Romanorum atque Divi Cæſaris imperium precamur maneat ſemper, & Deorum immortalium pietate, & bonorum Principum æquitate ſervatum.

Hæc è tribunali pronuntiaſſe Pilatum volt Paulus Semprovienſis, à quo diſcedit Adrichomius, qui ex antiquis Annalibus optimâ fide deſcriptam Chriſti ſententiam his conceptiſſimis verbis proponit.

In deſcr. Hieroſ. n. 115. *IESUM Nazarenum ſubverſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam (ut Majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt) ducite in communis ſupplicii locum, & cum ludibrio regiæ majeſtatis in medio duorum latronum cruci affigite. I Lictor, expedi cruces.*

Hactenus Adrichomius, cui fidem detrahere etſi nolim, malim tamen dicere cum D. Anſelmo, qui cenſet Pilatum eò loci ac temporis hanc formulam uſurpaſſe.

Lib. de Paſſ. *JESUM Nazarenum abjudico vitâ, & adjudico morti ignominioſæ crucis*, & hæc formula meo quidem judicio magis accedit ad veritatem, & Romanum morem, qui verborum compendia probabat; & eadem ferè formulâ uti ſolebat in aliis extremo ſupplicio afficiendis: ab hac tamen paululum recedit Hieremias Drexelius, qui exiſtimat ſententiam à Pilato datam his verbis. *Ieſum Nazarenum Regem Iudæorum crucifigi jubeo.*

Ratio propter quam in hanc opinionem ducitur, hæc eſt, quòd illa magis conveniret cum titulo crucis, qui præferri ſolebat, cùm rei ducerentur, & ex ipsâ ſententiâ damnationis exſcribi.

Hæc authorum inter ſe pugna atque diſſenſio ſatis oſtendit, non omnino conſtare quæ fuerit formula ſententiæ à Pilato in Servatorem prolatæ. Nimirum Divina Providentia ut alia pleraque, ita & illam voluit eſſe in occulto, & adhuc ſub judice: Interea dum illam evolvant explicentque Superi, ſecundam cruentæ hujus tragœdiæ ſcenam aperiamus. Ducetur illa ex iſtis Evangeliſtæ verbis. *Et duxerunt eum*, præeunte ſcilicet tubicine, qui tubam inflaret, populumque ad id ſpectaculum evocaret: & hinc primus Chriſti labor, dolor, ingensque defatigatio à crebris & longis itineribus, hâc ipsâ nocte & hoc manè peractis, maximè exhauſto jam à variis cruciatibus corpuſculo. *Gretſer. l. 1. de Cruce c. 16.*

Primùm enim à cœnaculo iverat in montem Oliveti diſtantem paſſibus 1500. inde eodem ferè ſpatio deductus ad Annæ domum, & ab eâ ad ædes Caiphæ diſtantes paſſibus 330. hinc ad domum Pilati diſtantem paſſibus omnino mille, & ex eâ ad domum Herodis diſſitam paſſibus 350. inde rurſus reductus ad Pilatum, & ab hoc ad montem Calvariæ per paſſus 1321. Itaque habes Chriſtum eâ nocte, dieque quæ illi ſuprema fuit confeciſſe paſſus 6351. quod dubio procul immenſi laboris fuit, attenuato corpore, deficientibus viribus, effuſo propemodum omni ſanguine, adeoque & ſpiritibus, ad motum tamen omnino neceſſariis.

Ad longos illos & varios itinerum labores, moleſtasque circumductiones, additum eſt ingens crucis pondus; erat illa ſi D. Gregorio Nicæno credimus *De S. Baptiſmate.* è graviore ligno, ſcilicet è robore, longa pedes quindecim, & decem lata. Vel ſi magis arridet opinio quæ fuit D. Bernardi, & aliorum; erat compoſita è *Serm. 46.* quadruplici ligno. *Cupreſſo, Cedro, Palma, Oliva. Cupreſſus in profundo, Cedrus in longo, Oliva in alto, Palma in lato*; ita Bernardus, qui ut ſolet piè & ingenioſè eò trahit illa Apoſtoli verba. *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, ſublimitas, longitudo, & profundum*, *Epheſ. c. 3.* utique Crucis in quâ tot amat ſignificationes, quot ei lignorum genera inſervit: eas qui volet, conſulet D. Bernardum; pro cujus ſententiâ citari poteſt Gloſſa in Clementinâ de ſummâ Trinitate, & antiqui illi verſus.

Ligna Crucis Palma, Cedrus, Cupreſſus Oliva:
Pes Crucis eſt Cedrus, corpus tenet alta Cupreſſus:
Palma manus retinet, titulo lætatur Oliva.

Ex quo habes in dubio eſſe, è quo demum ligno fabricata fuerit ea Crux: Verùm ut incertum illud, at certum hoc, ad pondus adeò immanem fuiſſe, ut ſub eâ fatiſcens Salvator ſæpè ſæpiùs conciderit; unde ne ſuccumberet penitus, quærendus ei fuit Simon unus aliquis, qui ei ſuccollaret: dum autem operoſè quæritur ille, omnibus ab infami crucis ligno diffugientibus, propè deficiens atque expirans Chriſtus enorme crucis pondus cuidam petræ (quæ fortè de viâ occurrit) ſuperpoſuit: dum autem ita ab onere tantiſper levatur atque reſpirat, obvia facta eſt Virgo Mater, eo ſeu amoris, ſeu doloris ſenſu, ut, D. Bernardo authore, animi deliquium ſit paſſa, imò ex aliorum Doctorum ſententiâ re etiam ipsâ mortua *De planctu Virgin.* conciderit, ſed illico à filio vitæ reddita, ut & dolori *Veladier* letifero, & ſibi & filio ſuperſtes eſſet: Hæc Authores *tom. 2 Conc.* illi, quos in hoc ſequor, quod is Matri a Filii con- *in diem Ven.* ſpectu injectus ſit dolor, qui & virium & vitæ de- *Sanct.* fectionem intuliſſet, niſi & hanc & illas vis altior ſuſtinuiſſet.

Hujus

Valdiet Serm. in die Ven. Sanct.

Hujus porrò doloris ſeu argumentum, ſeu etiam veſtigium eſt illud, quod nonnulli Authores memorant, quos inter Bernardinus, avulſo jam ab illâ Petrâ filio Virginem Matrem eidem inſediſſe, adeoque amaras frequenteſque infudiſſe lacrymas, ut eam excavarint, inſigni ſanè prodigio; à quo deinceps audiit *Petra lacrymarum*, ut iret in poſteros omnes quid poſſit ſeu amoris, ſeu etiam doloris æſtus, & ab illo eductæ lacrymæ, quibus etiam petra, marmoraque quantumvis dura cedunt, dum earum caſu impeteque excavantur. In quo certè habet unde duritiem ſuam incuſet homo, ipsâ petrâ, marmoreque durior.

Sed à Crucis pondere, ac mole, tranſeo ad inditam illi infamiæ notam: quæ vel ipsâ voce ſe prodit: ſummum enim, & maximè dedecoroſum tormentum ab ipsâ Cruce. *Cruciatus* dicitur, & imprecatio peſſima ea quondam fuit *Abi in malam crucem*: à quâ manavit & illud Oratoris Romani, *Facinus eſt vincire*

Act. 7. in Verrem.

civem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno tam nefaria res appellari non poteſt. Hæc Cicero in Verrem; cui conſentit Calliſtratus. Cujus hoc pro-

A. de Panis in Cereol.

nuntiatum. *Summum ſupplicium videtur ad furcam damnatio*: & Plutarchus. *Maxima hæc peccati pœna ſervo inferebatur ut plauſtri lignum cui temo affigitur, ſpectante vicinia ferens circumageretur: quod ubi factum erat, infidus à domeſticis & vicinis exiſtimatus, furcifer appellabatur.*

Quod ſi Gentilibus ac Romanis infame ſupplicium Crucis, Judæis longè magis, & eò quidem ut vel ipſum nudum nomen averſarentur atque horrerent: hinc apud eos nunquam Crux exprimi ſolita propriâ voce, ſed communi quadam appellatione *Eſeph*, id eſt, lignum: unde factum illud ut Rex Hai, qui à Latinis dicitur ſuſpenſus in patibulo cruceque, ab Hebræis dicitur, *Ghalhagets*, in ligno gemino ſuſpenſus, ne ſcilicet invisâ crucis appellatione, neſcio quid abſonum ferale, maledictum auribus inſonaret.

Inde etiam in ipſas tabulas admiſſum illud, ut maledictus omnis & diceretur & eſſet qui penderet

Deut. c. 21. v. 23.

in ligno; ita habent verba legis. *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno.* Hebræi legunt, *Quia maledictio Dei eſt ſuſpenſus*. Alii, *Quia convitium Dei eſt ſuſpenſus*.

Si quæſieris primò unde ſuſpenſus ſit Dei maledictio, blaſphemia, convitium? audies utique à cruce, in quam vertuntur ea fulmina maledictionis.

Si quæſieris ſecundò cur appenſus infami ligno

In c. 8. Joſue v. 29.

jubetur eodem die ſepeliri? Reſpondebit Andreas Maſius, quia cenſetur contaminare terram, nec ipſe Sol, aſpectabilis orbis oculus, eum diutiùs quàm unâ luce videre poteſt, adeò terræ cœloque inviſum dirumque ſpectaculum: quod ut appareat, pauca ſubjungam de ſuppliciis, quibus apud Judæos rei plecti ſoliti.

Et his aliqui lapidibus ex lege obruebantur, alii ferro cervices dabant, nonnulli igni & flammis cedebant, ibantque mœſtos in cineres: alii in cruce per ſumma ſupplicia infelicem evomebant animam; & hi ut omnium habebantur ſceleratiſſimi, ita & infœliciſſimi: nec enim cujuſvis criminis crux erat pœna; ſed tantùm blaſphemiæ, idololatriæ, & tyrannidi ſervabatur, maxima pœna maximis ſceleribus, utpote quæ prima Univerſi capita, Reges ſcilicet, Deumque inſolenti auſu impetebant. Ita, ut ad Chriſtum Servatorem redeam, unde paululum abii, cruci adjudicatus, quòd & regnum affectaſſe, & Divinitatem ſibi aſcripſiſſe videretur.

In quo profectò mirari licet incredibilem ejus conniventiam, animique demiſſionem, qui ut foret innocentiſſimus, tamen quaſi nocentiſſimus in cru-

cis ligno emori & expirare voluit; *Factus* (ut inquit Apoſtolus) *pro nobis maledictum*, imò & ipſa maledictio, quam innuit vox Græca κατάρα, id eſt maledictio, execratio, in quo ſumma quæ dici, quæ cogitari, quæ fingi poteſt, fuit animi demiſſio, quam non ſatis capiens D. Bernardus exclamat. *O noviſſimum & altiſſimum, ô humilem & ſublimem, ô opprobrium hominum & gloriam Angelorum.*

Ad Gal. 3. v. 13.

Serm. 4. Hebd. Pœn.

Sed diſcedamus ab ignominiâ crucis, & videamus ubi in eâ pependerit Chriſtus, & quâ demum ratione ei ſit affixus.

Locus is fuit qui Latinè mons Calvariæ dicitur, Hebraicè *Golgotha*, quod idem eſt ac nudum hominis cranium. Ita porrò appellari potuit, vel quia in eo multæ ſpectabantur Calvariæ, vel ab Adami Calvaria eo loco ſepulta, ut volunt Origenes, Tertullianus, S. Athanaſius, S. Auguſtinus, & alii. Fuit autem ille mons multis apud antiquos nominibus celebris.

Primùm in eo victimas obtulit pius Abel, ac deinde à fratris invidiâ odioque & ipſe in eo victima cecidit.

Tum etiam poſt tarda ſæcula, obſcuroſque ſceleribus ſoles, Noëmus ab aquarum diluvio, ſibi & libero ſolo redditus, Deo vindici ac Servatori holocauſtum in eo poſuit.

Deinde & in eum Pater Abraham, filium ſuum Iſaacum eduxit, ut obedientiæ, Deoque victima offerretur, caderetque etiam ferro manuque Patris, Ita jubente cœlo; & hinc tum audiit mons *Moria*, hoc eſt mons viſionis, quòd in eo objecta fuiſſet Abrahæ ingens columna ignis, veluti cœleſte oſtentum quo innueretur eò ducendum Iſaacum, ut Superis Deoque immortali immolaretur. Ex inde apud veteres multum nominatus ille mons, maximè tamen ex eo quòd tandem feneſcente mundo, Chriſtus in eo pependiſſet infami affixus ligno; vitamque homini liberando per extrema ſupplicia dediſſet.

Ab hoc factum ut ille ipſe mons, qui priùs erat veluti publicum infamiæ theatrum, jam locus ſit honoris ac venerationis, & tanquam patens omnibus Chriſtianis templum, in quo Deus homo cruci quondam affixus colatur. Ut verè cecinerit Sedulius, Chriſtus emoriens *Pœnam veſtivit honore,*

Ipſaq; ſanctificans in ſe tormenta beavit.

De Socrate dixit olim Seneca, & meo quidem judicio rectè. *Socrates carcerem intravit, ignominiam ipſi loco detracturus.* Sic longè potiori ratione Salvator montem Calvariæ, crucemque conſcendit, ut tam huic quàm illi ignominiam detraheret, adderet venerationem; ut proinde & verè & piè dixerit S. Leo: *Crux Chriſti non templi eſt ara; ſed mundi.*

In Conſol. ad Helviam

Serm. 9. de Paſſ.

Videamus modò qui in eam aſcenderit Chriſtus ut pro genere humano victima caderet.

CAPUT IX.

Exponitur ratio, modusque, quo Salvator affixus eſt Cruci.

VT in hoc argumento clariùs procedam, nodos omnes ac difficultates, quæ moveri poſſent, per varias quæſtiones diſſolvam.

Prima hæc erit: Fueritne Chriſtus in cruce humi ſtratâ, an verò erectâ affixus? Primùm volunt D. Anſelmus, Laurentius Juſtinianus, Abulenſis, Gretſerus, & alii; quia eâ ratione facilior videtur fuiſſe Chriſti crucifixio, & ita communius appenſi ſunt ii, qui crucem in paratum ſupplicii locum detulêre. Inde factum autumant plerique ut die Veneris ſancto Cruci humi depoſitæ figamus oſcula, in memoriam lucis illius, quæ crucem ſtratam vidit in nudâ humo, eique inſtratum luxit gemuitque mundi Salvatorem.

Contra

Contrà tamen exiſtimant alii eum in cruce jam ante erectâ fuiſſe affixum. Ita S. Bonaventura. Toletus, Ribera, Juſtus Lipſius. [*Lib. 1. c. 11.*] Et videtur colligi ex revelationibus S. Brigittæ; cui favet illud Canticorum. [*Cant. c. 7. v. 8.*] *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*; utique Crucis, in quam velut in victricem palmam aſcendit Servator Optimus, ex eaque Orbi jam perituro vitæ fructus dedit. Ut autem ſic affixus credatur, ſteriſſe debuit in ſuppedaneo altiore, ex eoque manus extendere ligno clavis trabalibus affigendas: & hinc emanat

Secunda quæſtio; an non etiam funibus Chriſtus ipſe cruci fuerit alligatus? & fuiſſe vult Sanctus Hilarius, [*Lib. 10. de Trinit.*] cujus opinioni adſtipulatur illud, quod ii funes Romæ etiamnum oſtendantur in templo S. Crucis Hieruſolymis à S. Helenâ extructo; cui ſententiæ favet etiam ea ratio, quòd tota corporis moles via videatur à manibus pendere ac ſuſtentari potuiſſe. Imò ut ſic penderet ac ſuſtentaretur, præter funes, etiam ferrea vincula manibus implexa fuiſſe vult Nonnus Panopolitanus Paraphraſtes; ſic enim habet: [*in c. 19. Ioan. v. 18.*] *Extenderunt Chriſtum, aſtringentes vi explicatas utrimque manus ferreo vinculo*: quale fortè videri modò poteſt in Martyribus Japonienſibus. A funibus iſtis vinculiſque ad clavos elabor; de quibus erit

Tertia quæſtio, tréſne fuerint, an quatuor, ita ut ſicuti manibus ſingulis, ſic & pedibus ſui infixi ſint clavi? Communis opinio tres tantùm numerat: minùs vulgata, & tamen meo judicio verior, quatuor recenſet: [*Lib. 1. revel. c. 10.*] ſic videtur D. Brigittæ ab ipsâ Virgine Matre quondam revelatum; ſic etiam teſtari videntur impreſſa D. Franciſco ſtigmata, quæ clavos omnino quatuor exhibent; [*L. 3. contra Albig. c. 22.*] ut advertit Lucas Tudenſis. Cujus porrò molis fuerint ii clavi non ita conſtat, Andreas Valladier Doctor Theologus, & celebris Eccleſiaſtes aſſerit ſingulos fuiſſe ſeſquipedem longos, ut patet ex eo qui Pariſiis in Sacello Sancto viſitur & colitur. Et certè neceſſum eſt fuiſſe inuſitatæ magnitudinis cùm & in carpum, & ex eo in volam manus, & ex hac in crucem ſint adacti.

Eſt carpus brachii extremitas, quæ proximè nectitur manui, in eo maximè ſentitur pulſus, ceu arteriæ micatio; in eo etiam ſunt plurima nervorum conjugia, & veluti nexus aliquis, & quod inde conſequens eſt, in eo maximè viget ſenſus tactus, adeoque dum is convellitur, ingens dolor. His ita conſtitutis, illud ad extremum conficio clavos ingenti niſu, crebraque contuſione adactos fuiſſe per carpum, non directè, ſed tranſverſim, ita ut per carpum adigerentur in manum, [*Cornel. in c. 27. Matth.*] & clavi extremitas in extremam manus ſuperficiem deſineret, illamque affigeret cruci: ita porrò affigi placuit, tum ut hæreret firmiùs, tum ut majori afficeretur cruciatu; dum clavi per diffuſos in carpo nervos, arterias, venas adiguntur, eaſque contundunt, dividunt, ſecant. Sed & aliundè mirum quantum accrevit dolor, ſcilicet ex diſtenſione pectoris, omniumque propè oſſium luxatione: cùm enim crucem temerè terebraſſent, primùm illi infixerunt manum ſiniſtram: at ubi ad dextram ventum eſt, cùm ea duci non poſſet ad paratum in cruce foramen alterum, neceſſe fuit magnâ vi adnotiſque vinculis eò trahi, diſtentis nervorum compagibus, diſtractis artubus, luxatis oſſibus: in eâ porrò diſtenſione corporis totius, disjunctione oſſium pectoris, diſtractione nervorum & artuum, major quàm in ullo alio cruciatu perceptus eſt dolor; cujus ratio petitur à naturâ, ipſâque humani corporis compoſitione; cùm enim oſſa pectoris ſint inſtar alicujus valli, & quaſi propugnaculum cordis, ſi ea plus æquo diſtrahantur, neceſſe eſt exoriri planè immanem doloris ſenſum.

Et ita experientiâ propriâ didiciſſe ſe teſtatur S. Catharina Senenſis, ſi quando à Chriſto, ceu ſponſo, paſſionis ejus, dolorumque omnium fieret particeps; ſentiebat illa longè maximum cruciatum in diſtenſione & diſtractione pectoris, non abſimili quam olim Servator perſenſiſſet; & certè quantus ſit doloris ſenſus, etiam è ſuo metiri poteſt, qui aliquamdiu extenſis brachiis oraverit; maximè ſi conatus aliquis, ſi vis, ſi temporis diuturnitas acceſſerit, quæ omnia in Chriſto fuêre ſumma: vis enim illata longè maxima, dum carnifices totis viribus, ac lacertorum toris adnituntur diſtendere ac diſtrahere in cruce Servatorem: ad quos ut etiam nonnulli volunt, manum admovêre vel ipſi dæmones, [*Valladier ſuprà.*] aſſumptis ſcilicet ad eam ſcenam corporibus. Eam porrò vim in immenſum auxit ipſa mora longior, ſpatiumque trium omnino horarum, quibus in cruce diſtentus pependit, etiam vivus ac ſpirans, dicereque potuit cum alio gemitu, *Dinumeraverunt omnia oſſa mea.* [*Pſalm 21. v. 18.*]

A tormentis illis tranſeo ad pudendam Chriſti nuditatem, de quâ movebitur

Quæſtio quarta: an pependerit in cruce omnino nudus; more ſcilicet Romano?

S. Ambroſius & S. Bonaventura cenſent Servatorem Optimum, ita in lectulo crucis nudum jacuiſſe & conſpectum eſſe, ut ne verenda quidem ei tecta ac velata, quod & pudori eſſe debuit, & inſignis ignominiæ nota illata animæ, corporique longè caſtiſſimo. De eâ nuditate ita D. Ambroſius.

Nudus Crucem aſcendit: nudum ecce video. Talis ergò aſcendat, qui ſeculum vincere parat, ut ſeculi adjumenta non quærat. Victus eſt Adam, qui veſtimenta quæſivit: vicit ille qui veſtimenta depoſuit, & talis aſcendit, quales nos authore Deo natura formavit. [*Lib. 10. in c. 23. Luc.*] Hactenus S. Doctor: cui conſentit Taulerus, qui primum Adam ſecundo ſic opponit.

Adam ob amiſſam innocentiam tegere ſe, & veſtibus operire feſtinavit: Chriſtus verò nudatus eſt, eò quod integram & illæſam ſervaſſet innocentiæ puritatem; nec ullo ei alio tegmine opus erat. [*C. 31 Exerc. vitæ Chriſti.*]

Ea Chriſti quamvis pudenda nuditas Martyribus animos fecit, ut eam ipſi non iniquè paterentur ejus vel exemplo, vel amore provocati.

Ita S. Flavia Virgo nobiliſſima, & Martyr inclyta, ſororque S. Placidi Martyris, cùm juſſu Manuchæ tyranni nuda ſuſpenderetur; [*Sur. 5. oct. in Actis S. Placidi.*] hæc ad illum virginea invictaque mente.

Ego non tantùm corporis nuditatem ſuſtinere parata ſum; ſed & gladium, & ignem propter eum qui pro me denudari, flagellari, crucifigi voluit.

Ita hoc quo vivimus ævo in Japonia Matronæ & Virgines, quà genere, quà virtute nobiles patiuntur ſe nudas ad ludibrium exponi; & veſtes ponunt, ne fidem deponant.

Sunt tamen alii qui tum temporis conſultum volunt vel ſpectantium oculis, vel pudori Chriſti, ideoque cenſent quidem omninò nudatum immiti barbaraque carnificum manu, at tectum piâ cujuſpiam alterius beneficentiâ: fuit enim ut aiunt ex aſtantibus unus aliquis; [*S. Brigitta l. 4. c. 70.*] quem ejus nuditatis ac pudoris (qui jam in Chriſti vultum aſcenderat) miſeratio cepit; injecit ille linteolum in Chriſti manus, qui illud ſibi circumpoſuit, & eo nuda velavit membra. D. Anſelmus officium illud ſeu beneficentiæ, [*De Paſſione.*] ſeu pietatis aſcribit Virgini Matri, quæ impatiens ejuſmodi nuditatis, ac filii miſerta, velum ſibi è capite detraxit, per confertam militum turbam penetravit; Deique hominis ac filii pudorem texit, quem ſcilicet & natura & ratio & inſitus cuique honeſtatis amor tegi voluit.

Sed hinc diſcedo, tranſeoque ad poſtremam in hoc argumento quæſtionem; cur ſcilicet ex variis mortis generibus, quæ occurrebant, hoc ſibi delegerit Servator Optimus: neque enim exiſtimandum quod illud aut ex neceſſitate, aut ex Judæorum male-

volenti? ſuiberit, ſed ſuâ ipſius voluntate: etſi enim ei ab Æterno Patre impoſitum eſſet præceptum moriendi, adeoque neceſſitas quædam: at genus. & ratio mortis ei penitus libera eſt relicta: cur igitur hanc ſibi ſervatam voluit? hic vertitur cardo quæſtionis.

Scio à Judæis petitum ad crucem: ſcio ad eam damnatum, quòd & Regnum & Divinitatem affectaſſe videretur: quod ſi in Chriſto crimen fuiſſet, ei ex Romano jure crux erat debita pœna: at omni vacuus & liber erat crimine, & mors uti in votis, ita & in optione: ſed cur inquies Crucis? variæ ad mores inde duci poſſunt rationes.

In Orat. ad Arianos. Unu eſt, ut *Ad vita lignum unde excideramus, per ignominiæ lignum revocaremur*, inquit Nazianzenus. & quia ut *Mors per arborem, ſic vita per crucem*, ut di- *In c. 4. Luc.* sertè notat D. Ambroſius.

Altera ut dum pendet in aëre medius cœlum in- *In c. 23. Luc.* ter & terram, cœlites terrenis reconciliaret. *Vt non ſoli ſibi, ſed omnibus vinceret, ut cœleſtibus terrena ſociaret. Manus in cruce extendit*, inquit Divus Ambroſius.

Eodem reſpicit D. Cyprianus, qui aſſerit Chri- *De Paſſione.* ſtum in crucem erectum, *Vt ſanctificaret de excelſo plebem, ut elevaret in ſublimi, & quaſi cœlo proximus, ſcalam erigeret in Patris occurſum.* Vel ut ait S. Atha- *De Incar. Verbi.* naſius. *Vt aërem purificaret, & viam ad cœlum nobis inveniret.*

Tertiam addit D. Auguſtinus. *Noluit*, inquit, *la- Serm. 59. de diverſis.* pidari, aut gladio percuti; quia nec lapides, nec ferrum, quibus defendamur, ſemper nobiſcum ferre poſſumus: at crucem, quâ contra inimici verſutias munimur, ſemper ferre poſſumus; *exprimitur* enim illa levi motu manus.

In cap. 2. Ep. ad Philip. Quartam hanc affert D. Anſelmus. *Peſſimam mortem Salvator elegit, ut omnem mortem occideret.*

Quod dum oculis animoque legit D. Bernardus, amabili ſtupore plenus, exclamat:

In Cant. *O bone* JESU *quid tibi eſt? mors nos debuimus, & tu ſolvis: Nos peccavimus, & tu luis. Opus ſine exemplo, gratia ſine merito, charitas ſine modo.* Et hæc & illa tum in morte, tum in ipſo morientis teſtamento eluxit. Solent pii parentes, ut in ſeros annos abeat eorum beneficentia, pietaſque, teſtamentum condere, & filiis ac propinquis ſua bona legare: quod & fecit Servator Optimus.

In cap. 27. Matth. *Author pietatis* (inquit Ambroſius) *in cruce pendens teſtamentum condidit, ſingulis pietatis opera diſtribuens; Apoſtolis perſecutionem, Judæis corpus, Patri ſpiritum, Virgini Paranymphum, latroni Paradiſum, peccatis infernum, Chriſtianis pœnitentibus crucem.* Sed hæc pro mihi propoſita brevitate ſint ſatis.

CAPUT X.

De vulnere lateris CHRISTI.

Ad illa verba: *Vnus militum lancea latus ejus aperuit.* Joan. c. 19. v. 34.

HActenus oculis ſubjecimus ea vulnera, quæ Chriſto adhuc ſpiranti barbara inflixit manus: ſpectemus ad extremum quæ etiam mortuo.

Erunt hæc ab immiti lancea, quam à dextro latere in ſiniſtrum impegit miles ea vi, atque impetu, ut fiſſo & diſſecto in partes corde, lanceæ cuſpis, (quæ palmaris erat) in ſiniſtri lateris coſta hæſerit infixa. Viſitur ea etiamnum Romæ.

Sic ab illa cuſpide diviſum cor amabile Salvatoris, *Lib. 2. Rev. c. 21.* & ita quidem, ut *ambæ partes cordis eſſent in lancea*: uti deinde B. Brigittæ revelavit Diva Mater. Itaque non tam vulnus fuit, quàm immanis quidam hiatus; quem expreſſit D. Joannes & ipſe teſtis oculatus, dum ſic de illo. *Vnus militum lancea latus ejus aperuit*: ut aperturam eſſe indicaret potiùs, quàm vulnus. Nec enim dixit latus percuſſit aut vulneravit, ſed aperuit.

At cur, inquies aperuit? Ne tribue immani ferro, ne militi ferienti, ſed amabili Dei Providentiæ, & illi, qui etiamtum in corde mortuo calebat sedebatque divinæ in nos caritatis, igni: voluit hic educi, quod in corpore reliquum erat ſanguinis, & quod re etiam ipſa erat circa cor.

Cùm quis emoritur, ſanguis nativo quodam impetu fluxuque recurrit ad cor, ut illam vitæ ſedem & arcem ſuo calore foveat ac tueatur: Et inde cor uti primum vivens, ſic & ultimum moriens.

Erat in Chriſto, & à Chriſto factum, æſtu quodam & doloris & amoris: dolor immodicus & fatalis ſanguinem ad cor Jesu morientis evocavit: amor autem ad te (ô homo) revocavit, & hinc lancea latus illius aperuit, ut tibi etiam inde efflueret.

Et hoc ipſum eſt, quod aliquando ad ſponſam ſponſus illius amantior. *Vulneraſti cor meum ſoror mea, vulneraſti cor meum.* *Cant. c. 4. v. 9.*

Ac ſi apertè diceret, inquit Bernardus: *quia zelo amoris tui vulneraſti me, lancea quoque militis vulneratus ſum: & vulneratur lancea furoris, qui prius vulneratus fuit lancea amoris.*

Et hæc ad Chriſtum ceu ſponſum ſpectat ratio; ea quam ſubjicio ad animam ceu ſponſam. Voluit huic etiam à morte latus aperire. *Vt illic quodammodo vitæ* *Tract. 120. in Joan.* *oſtium panderetur*, inquit Auguſtinus. *Vita*, inquam, tum gratiæ in hac ora mortali, tum gloriæ in cœli regia & beatitatis ſede.

Quo etiam attinet illud D. Chryſoſtomi, qui lanceam illam *Cœli clavem* appellavit: quod uti quondam eâ apertum erat Chriſti latus, ſic deinde ſponſæ cœlum ipſum deberet aperiri. Ut de lancea quoque dici poſſet, quod de clavo D. Bernardus. *Clavus penetrans, eſt clavis reſerans*: ſic & lancea latus aperiens, eſt clavis cœlos reſerans. Et hæc ad beatitatem oſtium aperit; quas ſubjungo ad virtutes, ceu opportuna, imò neceſſaria ad illam media.

Ex his prima, ut apertum Chriſti latus tangat & palpet aut ſaltem videat anima.

Sic vidit *B. Margarita de Cortona*, cui Chriſtus ſpecie Crucifixi aliquando apparens, etiam vulnus la- *Bollandus* teris aperuit, & per illud cor ipſum oſtendit, ad quod *22. Febr.* animo, & votis evaderet, ceu caſti amoris habitacu- *in ejus vita c. 6.* lum, in quo & quieſceret ipſa, & divini amoris pateretur incendia.

Sic & *B. Gertrudi* ſe viſendum dedit, ſuum ei latus aperuit, & in illud manum immitti voluit, ut in cor ipſum, amoris ſedem, officinam caritatis, etiam immitteret, hauriretque inde & lucem & ignem divini amoris. Et certè etiam hauſit. Vidit enim *Inſin. S. Gertrud. l. 2. c. 5.* ſenſitque radios à corde Chriſti in cor ſuum evibrari; & hinc transfigi ſe totam, totam uri ſe ſenſit. Ut & tu, ô anima mea, ſic felici lancea transfigaris, ſic illo ardeas igne; per illud ipſum patulum Chriſti latus, cor illius tange: *Tanges*, inquit eadem B. Gertrudis, *ſi amorem Chriſti ponderes.*

Ubi porrò attenta meditatione ſic ponderaris; tum in ipſum quoque cor intrabis per ipſum lateris vulnus, quaſi per oſtium admiſſus.

Sic intravit aliquando anima B. Angelæ de Fulginio *Bollandus* etiam adhuc corpori immerſa: intravit, inquam, in *in ejus vita* Chriſti latus & cor ipſum, & ibi miros concepit *4. Jan. c. 6.* divini amoris ignes, admiranda lumina, & ea gaudia, quæ nec mens capere, nec lingua valeret eloqui. Et hinc cum ab illo exceſſu mentis ſibi eſſet reddita, nec ſtare poterat in pedes, nec verbum eloqui: nec mirum, quia totam occuparat ardor amoris.

Et hic in te erit etiam à Chriſti lancea, ſi modò illi latus obvium præbes; hoc eſt animum, illius, qui ab ea vulneris fuit, memorem, gratumque.

Viſa aliquando in manu S. Popponis lancea, quæ *25. Jan.* in modum faculæ nimio ſplendore radiabat, & quaſi inflammata ardebat cuſpide.

Quod in S. Popponis Abbatis lancea vidit oculus; hoc,

hoc, & multò quid amplius, in Chriſti lancea ſpectabit animus; ſpectabit, inquam, & fulgorem, quo totus illuminetur, & flammas quibus totus ardeat.

Et certè quidni ardeat ea Chriſti patientis ea citatus caritate; à qua quot fluxere guttæ ſanguinis, quot probra: tot fuere incitamenta noſtri in Salvatorem optimum amoris.

Vis noſce brevi compendio, quot illæ, quot etiam hæc? paucis accipe. A primo tragicæ illius paſſionis
Per Calv. tinum in vita Crucis. actu ad extremum uſque, elicitæ è ſacratiſſimo Chriſti corpore guttæ ſanguinis craſſiores ad nonaginta ſeptem millia, quinque & trecentæ.

Hi nimirum fuere pretioſi Sanguinis torrentes, hæc flumina, hoc mare ac diluvium, quo abripi, mergi ac obrui potuit ac debuit incenſa tyrannorum rabies; quæ tamen (ô malum! ô nefas! ô prodigium! ô monſtrum humanæ crudelitatis!) ea ſanguinis profuſione non eſt extincta; ſed accenſa magis: ab hac enim ad infanda quæque ignominiarum genera prorupit: ut enim ex piorum hominum revelatione, authorumque fide didicimus.

Chriſtus, Deus-homo, Univerſi Redemptor,
Landſperg. Ser. de virt. in paſſ. exhibitis. Verbum Æternum, Patris ſapientia, unicuſque Filius percuſſus in facie alapis centum duabus; pugillis centum viginti, in ore præcipuè triginta; calceis centum quadraginta vicibus: percuſſionibus in brachiis ſexaginta duabus; in pectore viginti octo; in cruribus triginta duabus; in humeris & dorſo octoginta: conſputus in facie ſexaginta tribus vicibus: per terram capillis tractus viginti ſeptem: mille punctionibus tranſpunctus in capite: ſex millibus ſexcentis ſexaginta ſex flagellorum ictibus fœdè
Joſeph. Spanaxo de Chriſti Paſſ. punct. 156. laniatus: ac denique quinque millibus quadringentis, ſexaginta quinque in toto corpore vulneribus affectus.

Et hæc ſumma tormentorum, quæ ſeſe in perſona Salvatoris explicarunt: quæ utinam, quiſquis es in terris viator, appenderes in ſtatera cordis tui, & cum tuis ipſe ſceleribus comparares; iis certè modum, finemque poneres, neque rurſum inaudita à ſeculis crudelitate noſtris ſceleribus Chriſtum, quantum in te eſt, crucifigeres; ſed potius intimo animi tui ſenſu compatereris, & lacrymas lacrymis, ſanguinem ſanguini infunderes, ut vel ſic ſaltem immenſum Salvatoris tui dolorem mitigares.

CAPUT XI.

Quomodo CHRISTO patienti ac morienti compati viſa eſt omnis propè creatura?

VEnio ad ſenſum quem morienti Chriſto univerſa rerum natura teſtatum voluit. Ut enim diſertè S. Leo. *Pendente in patibulo creatore univerſa*
Sermo 6 de Paſſ. *creatura congemuit, & Crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt.* Nimirum *debebat hoc teſtimonium ſuo mundus authori, ut in occaſu conditoris ſui vellent cuncta ſtare.*

Hic porrò ſeu doloris, ſeu commiſerationis ſenſus primùm fuit in *Angelis pacis*, qui ut præſaga vo-
Cap 33. v. 7 ce dixit Iſaias, *amarè flebant*: utque flerent, in eam ſcenam aſciviſſe ſibi corpora credunt è SS. Patribus nonnulli, ut Deo ac Domino ſuo morienti etiam corporeas lacrymas affunderent.

Matth c. 27. v. 45 Deinde cœlum ipſum pulla veſte tectum: *tenebræ enim factæ ſunt ſuper univerſam terram*; & quidem adeo
In c. 15 Mar. v. 25. denſæ, ut Hieronymo teſte nemo ſe loco movere poſſet. Ita nimirum Sol & Luna, gemini Orbis oculi, cœlo primùm, tum etiam terris luctum attulerunt ipſa luminis defectione atque eclypſi miraculoſa; quæ etiam Romæ relata eſt in acta, ut teſtis eſt
In Apolog. Tertullianus; ſed vulgari prohibita.

Eam Heliopoli Ægypti urbe vidit D. Dionyſius cum Apollophane Philoſopho, hancque illicò vocem extulit. *Aut natura author patitur, aut mundi machina diſſolvitur.* Vel ut Græcè effert Suidas. *Aut Divinitas patitur, aut patienti compatitur.*

Tum etiam terra tremuit, & ipſæ *petra ſciſſæ* ſunt in ipſo Golgothæ monte, ſeu horrore, ſeu dolore, ſeu impatientia quadam Domini patientis victæ.

Eam porrò rupis in ipſo Calvariæ vertice ſciſſuram in argumentum ſuæ religionis coram Præſide attulit S. Lucianus Antiochenus Presbyter, utpote quæ omnium pateret oculis, & quæ tam immanis erat, ut latitudo illius hominem facilè caperet; profunditas autem immenſa, & veriſimiliter ad inferos uſque: ut quæ hactenus etiam à curioſis bolide de- *Deſcript. Ieroſol.*
prehendi nequiverit: ut ſcribit Adrichomius.

De hoc terræ motu ſic quærit D. Hilarius. *Terra* *Lib. 9. de Trin.*
quid fecit? & reſpondet. *Ad onus Domini pendentis in ligno intremuit.* Petræ autem ſciſſæ ſunt pio fortaſſis ſenſu, ut corpori Dominico ſepulchrum aperirent: uti deinde D. Jacobo Apoſtolo, de quo hoc refert *De Mirac. l. 1. c. 32.*
Euſebius Nierembergius.

Ubi primùm Yriam flaviam appulit navis, qua corpus ſacrum in Hiſpaniam vehebatur, ipſa rupes ſeſe aperiens, & in ſepulchri formam exſcindens, illud excepit.

Quod diſcipulo obſequium obtulit una rupes; hoc fortè Magiſtro plures Orbe toto, utpote quæ Divinæ illius mentis exuvias geſtarent excipere. Sed à rupibus ad columnas aſcendo; nam & hæ Domino condolere & collacrymari viſæ ſunt.

Petrus à S. Dominico ſcribit, in hunc uſque diem in Calvariæ templo ſpectari quatuor lapideas co- *Nieremb.*
lumnas, quæ fuſis quaſi lacrymis, Dei ac Domini ſui *ibid. c. 65.*
paſſionem mortemque defleant.

Ita ſcilicet ipſo dolore tum diſſiliunt, tum ſolvuntur marmora. Uti & ipſum *velum templi*, quod *Luca c. 23. v. 45.*
ſciſſum eſt à ſummo deorſum: ſciſſum, inquam, & quidem (ut ait S. Ephrem) à Spiritu ſancto, qui in ſpe- *De Paſſ.*
cie columbæ continuò evolaſſe eſt viſus. Addit *In Matth.*
D. Hieronymus ex Nazaræorum Evangelio, ſuper- *c. 27. v. 51.*
liminare templi, quod immenſæ erat molis ac magnitudinis, etiam effractum diviſumque.

Aperta etiam monumenta, ut corpora, quæ devoraverant, quaſi è terræ ſtomacho egererent; ut è cordis dolore intimo, cibus ſolet è ſtomacho ejici evomique.

Ad hunc, qui in rebus inanimis fuit doloris ſenſus, acceſſit etiam in hominibus Orbe toto ſparſis: ut enim Deo revelante didicit S. Brigitta, eo temporis puncto, quo in cruce expiravit Chriſtus, toto Univerſo hominum genus omne ingenti quodam mœrore & dolore cordis propemodum lethali oppreſſum ſe ſenſit, etſi cauſam minimè noſſet.

Imò ad ipſos inferos deſcendit ſenſus illius pars non parva:, eadem quippe teſte D. Brigitta, & dæmonibus & damnatis omnibus in duplum auctæ tam temporis pœnæ ac ſupplicia; & hinc in illis quoque immanis quidam atque inuſitatus ejulatus ac lamenta.

Et hæc de pio illo, qui in creaturis etiam inanimis fuit, ſenſu, ut ei ſimilem, imò & longè potiorem in te, ô homo (cui uni Deus patitur ac moritur) excitarem. Et quidem primùm à peccatis tuis luctum ac mœrorem. Si enim *Sol* ipſe, Orbis tamen oculus, & Univerſi riſus ac gaudium, *Factus* tamen
eſt niger tamquam ſaccus cilicinus: Si caliginem tanquam *Apoc. c. 6. v. 12.*
ſaccum induit, Judæorum, imò hominum omnium
ruinam deplorans; quidni & tu induas, tuam ipſe à *Greg. Nyſſ.*
ſceleribus cladem ſtragemque deplorans? *in Reſurr.*
Quidnî dolore, & cordis compunctione diſſilias *Chriſti.*
diffringatiſque totus? quidni ſolvaris in lacrymas? Solveris certè niſi marmore duriorem eſſe te fateaaris.

Quidni etiam à metu impendentis mali ac gehennæ contremiſcas, ut terra? Quidni ut etiam illa, quod in te mortuum eſt evomas? peccatum dico, quod mortis fœtus, imo mors ipſa: hanc profectò ſi ſapis ejice, & per ingenuam confeſſionem è conſcientia, velut è ſepulchro, quod latebat, quod jacebat ſcelus, evome. Et hoc ad animæ ſanitatem, ad vitam, ad beatitatem erit ſatis.

CAPUT XII.

Quæ, qualíſve ſeu ipſi CHRISTO, ſeu etiam Chriſtiano Crux fuerit?

AB ipsâ mole Crucis, lignoque rudi, de ſylvis exciſo, elabar ad myſticas illius ſignificationes, deſcriptioneſque metaphoricas, quas mihi ſuggerunt vel ſacræ Paginæ, vel Sancti Patres, ut clariùs oſtendant, quæ in Cruce vis, quæ occulta myſteria, & qui illi poſſint ac debeant appendi tituli. E quibus hic primus erit.

Crux Chriſti lectulus amoris.

PIctor nobilis, doctâ manu, facilique penicillo, in nudâ tabellæ areâ crucem erexit, longo & præcelſo ſublimem ſtipite, & in ejus ſinu medio divinum amorem effinxit adoleſcentis ſpecie; ſed, quod mireris, benè potum, ebrium, & quaſi oblitum atque impotem ſui.

Fuit iſtud amoris emblema, & hæc in eo myſteria. Chriſtus âmans humani generis, imò & illius amore quodammodo ebrius, adeoque ſuæ majeſtatis, parum ut videtur, memor. Ne piis auribus durior accidat ea vox, Chriſtus *Ebrius*. authorem habet ac defenſorem Ambroſium, & Rupertum, qui credunt Noëmum à vino ebrium ac nudatum, Chriſti crucifixi figuram typumque fuiſſe: ille quippe à vino, hic ab amore captus atque ebrius.

Amorem porrò illum prodit ipſe; in ſuo enim ad cœlos aſcenſu rogantibus Angelis; *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Reſpondit, *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.*

Poterat, inquit Rupertus, *optimè reſpondere. Sunt monumenta charitatis, ſunt teſtimonia obedientiæ, ſunt ſigna juſſionis paternæ, ſunt pretia redemptionis humanæ.*

Hæc omnia non extulit; ſed unicum illud: *In domo eorum qui diligebant me*, domo ſcilicet Abraham, Iſaac, & Jacob; domo quondam amantium: cætera tacuit Servator Optimus, ſatiſque credidit addidiſſe ubi factæ eſſent iſtæ plagæ, ut intelligerent, à quo & cur factæ; ſcilicet ab amore, qui eſſe debuit in domo amantium. Eumdem amorem aperit illud ſponſæ, dum ſedula quærit, *Indica mihi*, ô ſponſe, *quem* unum *diligit anima mea: ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* In meridie dico, æſtuque caritatis: utique, ô ſponſa, in cruce cubat, ut in amoris lectulo.

Hunc etiam agnovit S. Ignatius, qui hæc olim in Epiſtola ad Romanos. *Amor meus crucifixus eſt.*

Non dicit Chriſtum crucifixum, ſed amorem, & ſuum quidem; quia ex vero & Chriſtus affixus cruci, & cum eo noſter amor. Quem etiam non ſine amabili ſtupore ſuſpexit pius Præſul Franciſcus Sales Epiſcopus Genevenſis: dum enim quærit quid Chriſtum peremerit, ita canit.

Aut amor, aut furor eſt, qui te bone Chriſte peremit.
Eſt amor, & furor eſt. hic meus, ille tuus.

Ab illo amore Servatori quàm optimo Crux ipſa lectulus fuit, uti etiam erit & piis mentibus, & quidem amoris lectulus.

Bollandus in ejus vita 4. Ian. Ita fuit B. Angelæ de Fulginio, quæ inter exceſſus orationis, hæc ad Chriſtum, amores ſuos, jactare ſolita. *Laudo te dilectum, & in tua cruce habeo lectum meum.*

Hunc porrò ita componebat, ut pro cervicali paupertatem, pro culcitra dolores, pro ſtragula deſpectum haberet quo tegi tota poſſet. His enim, inquiebat, ſibi dilectus lectulum ſtravit, in his quievit, jacuit, expiravit: & ego in eodem quieſcere, jacere, atque emori volo, & inde etiam volo ſalvari, in quo enim potius, quàm in eo amoris divini lectulo: in eo certè & jacere in extrema vitæ linea, & feliciter excedere geſtiunt fideles animæ, Chriſti Crucifixi amantiores.

Ita geſtiit aliquando, *B. Antonius Padilla.* Hic in ultima cum morte lucta mirè angi cœpit, mirè & timere; ſed mox defixis in Chriſti Crucifixi ſimulacrum oculis, poſt profundum duarum horarum ſilentium, exclamavit: *O mi Deus! ô Chriſte! cur timerem, cùm tot mihi è Cruce teſteris amores? cùm & ex eadem Advocatum agas apud Æternum Patrem?* Dixit, & ſiluit, & felicem animam inter Crucis brachia reddidit. *In vita P. Baltas. &c.*

Quod ille: hoc & *P. Iulius Facius*, è Societate noſtra, vir magni nominis, ac virtutis. Hic morti vicinus, nunquam à Crucifixo oculos avertere voluit, adjiciens & amantis illud, & in Cruce confidentis: *Inter brachia Domini mei, & vivere volo, & mori cupio.* Dixit, atque ut inter ea piè vixit: ſic & obiit piiſſimè, ſecurus ſui, ſecurus & ſalutis.

Et verò quidni ſecurus, cùm in eadem Cruce Advocatum invenerit, qui cauſam diceret, cauſam ageret apud Deum Patrem: *Si enim aliquando in hac vita homo ſe committit diſerta lingua, & non perit: committis te Verbo, & periturus es?* Enimvero non es. *D. Auguſt. Tract. 1. in Ioan.*

Et hoc primum à Cruce, ceu amoris lectulo diſcet anima, tum etiam & alterum amantem Chriſtum redamare, certe nullum potentius amoris illicium eſt, quàm amor: doceamus illud è profanis.

In Achaia urbs erat, cui nomen *Patræ*. Hanc incolebat idolorum ſacrificulus nomine *Coreſus*, qui mirum quantum deperibat Virginem, cui nomen *Callirhoe* cujus ut captaret amores nihil non tentabat, nihil non moliebatur; demittebat enim ſeſe ad omnia urbanitatis officia, ad omnia demiſſionis obſequia: ſed id caſſum cedebant omnia, omnia quippe dedignari, contemnereque *Callirhoe*, imò & amaſium odiſſe, atque averſari. *Nicolaus Leonicus Thomaeus lib. 1. de varia hiſt. c. 34.*

Quid hic *Coreſus?* certus ſe nihil omnino promovere in cupitis amoribus, ad idolum ſuum confugit, ultimum ut credebat in malis iſtis remedium, quod illico adfuit: non quidem ab idolo, ſed à vero Numine: cujus ſcilicet manu immiſſa in eam urbem ægritudo, quæ ſeſè degenerabat in rabiem, & furias animi ſui impotentis, quibus agitari cives propè omnes. Hinc ſtupor, horrorque, cui ubi aliquid datum eſt, commune conſilium fuit, ſuper eo conſulendum oraculum, atque ex eo quærendum, ecquæ tanti mali cauſa, quódve remedium? Quod ſtatim reddidit oraculum, nempè eam mali luem à Cœlo vindice immitti, nec deſituram priuſquam *Coreſus Callirhoem* immolaſſet, aut illius loco quempiam alium.

Id reſponſi omnes attonitos habuit, maximè verò *Callirhoem*, quæ levandæ publicæ calamitati cadere debebat victima: optabat illa unum aliquem alium, atque enimverò quærebat, impenſius, nec inveniebat: nemo enim unus omnium publico ſervire certus ſuo diſpendio, ſuóque malo. Debuit ergo eam mali aleam ſubire *Callirhoe*, atque ad aras cadere etiam *Coreſi*, amaſii utique ſui, manu ferróque; neque modus erat id detrectandi, neque ulla effugii via: urgebat enim vincebatque publica calamitas, quæ tollenda unius cæde ac fato. Cui & cedendum duxit *Callirhoe*, quæ etiam ad ſacrificii locum proceſſit, decore veſtita etiam ad luxum, & pompam, uti mos erat apud Gentiles. Ubi eò ventum eſt, in genua procidit, cervicem nudavit, inflexit, & eburnea colla,

impera-

impendenti ferro ſubjecit, quod protinus è vagina exemit *Coreſus*, eumque totus in ferrum, in cædem iret, ecce ſubito recurrit amor, & vulneri, cædique imminentem ſiſtit, & *Callirhoe* vultus, & ora contemplatus, ſimulque ſuos olim amores, delitiaſque ſuas, dum non ſuſtinet in lacteam amatæ cervicem ferrum immittere, in ſeipſum vertit, altéque in pectus intrudit, & cadit ipſe, idolo ſuo victima, verius amoris victima.

Quid non audes? quid non potes amor? Ardorque amoris: hunc ut vidit, ut ſenſit *Callirhoe*, non equidem tulit; ſed enſem, nudatumque ferrum, & jam *Coreſi*, amaſii ſui ſanguine madens, ac rubens, & ipſa virili, maſculáque manu, in proprium pectus convertit, urgetque in viſcera, & ſuper *Coreſi* jam expirantis corpus collapſa, cruentam & ipſa effundit animam, & ſanguinem ſanguini, pectus pectori, os ori, genas genis admovet, & quaſi ultima libat oſcula; amoris oſcula, doloris oſcula. Quid non audes, quid non potes amor? Quod ſi hæc profanus, quid non ſacer?

O miſerabilis, ô infelix animula, ſimilis es illi *Callirhoe*, te ardentiùs amat Chriſtus, ceu cœleſtis ſponſus, & quod mireris, & prenſes, tuas etiam nuptias amat, ambitque multo melior *Coreſo*: at tu durior es, atque inclementior quàm illa; amori enim amores non reddis, ſed pervicacem animum, ſed immania ſcelera, propter quæ in te parat deſævire cœlum, ferrúmque parat, & ignes in ſceleſtum caput, à quibus malè pereas, cadaſque victima nil miſerantis orci: videt hoc, ſpectatque Chriſtus, tui amantior, & cœlo placando occidere geſtit nobilis Æterno Patri victima, & verò etiam occidit in cruce, ceu amoris lectulo, & hoc intueris, ô anima, nec amore ejus inardeſcis, nec amanti cædis, nec ſanguinem, nec vitam fundis, utique aſperior, utique crudelior illa *Callirhoe*.

Ecquid enim? *Coreſi* unius, id eſt homuncionis, amore victa cecidit, cecidit illa, & ſanguinem, & vitam dedit, noluitque amanti ſuperſtes eſſe, ſed ſanguine fluenti, & ſolo jam inſtrato, inſterni & ipſa voluit, atque inter amplexus, oſculáque emori in ſeipſa quodammodo crudelis, in ſponſum autem atque amaſium miſericors, & pia: & tu, ô anima Chriſtiana, videbis Chriſtum, ſeu ſponſum, tui certè amantiorem in cruce mori, & totos effundere ſanguinis torrentes, unaque cum illis amores ſuos, nec tu cum illis effundes etiam tuos: effundes profecto ſi modò ea eſſe vis, quæ es à Chriſto Chriſtiana.

Crux Chriſti eſt Liber.

SAncta Veronica de Binaſco cùm meditaretur ſanctius vitæ inſtitutum, conceptoque jam Religionis voto, in eam admitti vix poſſet, utpote litterarum penitus ignara, ad Dei Matrem ſupplex confugit, rogavitque impenſiùs, ut quàm citiſſimè litteras addiſcere poſſet, quò voti ſui compos fieret.

Annuit illicò Diva Mater, & ſic ad illam paucis. Bono animo eſto filia mea, nec de multa litteratura labores: hæc enim mea voluntas, ut trium dumtaxat litterarum notitiam habeas. *Bollandus 10 Januarii vita ejus.*

Dixit, & illi virgineum codicem oſtendit, in quo tres tantùm pagellæ.

In quarum prima viſebatur *littera coloris albi.* In ſecunda, *coloris ſubnigri.* In tertia, *coloris rubri.*

Has litteras oculo primùm legere juſſa eſt Veronica; tum audire quid vellent illæ, quidve potiſſimùm ſignificarent.

Audire, inquam, ſed à Virgine Matre, ceu magiſtra altioris ac divinioris cujuſdam ſapientiæ, quam ſic explicuit.

Album illud *litteræ elementum* indicat inſignem animi candorem, ac munditiam cui ſtudere te velim.

Nigrum autem, eam maculam ac fuliginem, quæ à peccato eſt, & quam averſari ac fugere te oportebit.

Rubrum verò, in oculos animamque ingerit cruentam filii mei paſſionem, crucem, ac mortem, quam recolere te volo, & in teipſa, quantum licebit, exprimere.

Et hic liber eſt, quem ſi memoria tenueris, eris mihi, eris & filio meo probè docta.

Hæc Veronicæ, ceu diſcipulæ, dixit cœlorum magiſtra, & Dei Mater; ex qua id habeo, quod Chriſti paſſio, mors, ipſaque Crux ſit *Liber*, in quo *habet ſerus ſimplex & indoctus quod legat: habet ſpiritualis & perfectus quod intus intelligat. In eo enim ſcripſit charitatis compendium, perfectionis celſitudinem, virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum ordinemq́. Quem cùm ſcribere compleſſet, nihilq́ ſupereſſet ſcribendum, inquit, conſumatum eſt.* Ita B. Laurentius Juſtinianus de triumphali agone Chriſti, cujus ſpectaculum mortalibus juxta atque immortalibus aperuit in Cruce, ceu libro, quem etiam fuſiùs explicuit in eadem Cruce tamquam cathedra docentis, & patientiæ ſchola, ut mox videbimus.

Si tamen etiam priùs illud, Crucem dixero eſſe Librum, in quo futura legas, & quaſi de longè proſpicias, caveaſque dum licet.

Et verò ita mortales omnes & aſpicere, & cavere Deus voluit. Imperium Romanum regebat *Maximilianus I.* imperator Auguſtus, cùm ecce Cruces viſæ in veſtibus hominum, in induſiis, in mappis, aliaque linea ſuppellectile: imo & ſacra templorum, qualia ſunt Albæ ſacerdotum, Corporalia, & ſimilia ad uſum altarium, in quibus impreſſæ Cruces paſſim viſebantur nemine mortalium manum admovente. *Trithemius in Chronicis.* Erat nimirum altior aliqua manus, quæ eas imprimeret, futuras utique præſagio malorum Eccleſiæ impendentium. Cœperunt ex primò conſpici ad Rheni plagas; dein & tota Germania ſpargi; tum etiam in Poloniam quaſi elabi; tum denique in Angliam, & Franciam.

Ea porro res ut nova, & inſolens fuit: ſic & ſtupori, & terrori, eò maximè, quod è cœlo delabi Cruces iſtæ viderentur. Certè die quadam dum in templo de more caneretur *Salve Regina*, pluſquam quadraginta perſonæ viſæ ſunt iſtis Crucibus notatæ, in capite, in veſtibus, in collaribus, aliáve corporis, aut indumentorum parte. Erant autem eæ Cruces coloris ſubrubri, & ita tenaciter inhærentes veſtibus, ſeu laneis, ſeu etiam lineis, ut nulla arte, nullo molimine elui poſſent.

At quod, inquies, in illis legi poterat mali præſagium? quod omen futuri? illud profectò, quod deinde ſecutum ingenti Eccleſiæ damno, in Germania infanda hæreſis Lutheri, in Gallia Calvini, in Polonia, Angliaque alia hæreſum monſtra; quæ in Cruce, ceu patenti, apertóque libro Deus exhibere voluit.

Crux Chriſti Cathedra docentis,

HUjuſce appellationis authorem habeo D. Auguſtinum, & D. Thomam Aquinatem. Ita enim ille. *Lignum crucis, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magiſtri docentis:* *L. de Agone Chriſtiano c. 11.* Hic autem ſic habet. *In quacumque tentatione invenitur in cruce præſidium, ibi enim eſt obedientia ad Deum, ibi caritas ad proximum, ibi patientia in adverſis, denique in cruce invenitur doctrina, & exemplum omnis virtutis.* *In cap. 12. ad Hebr.* Unde Auguſtinus: *Crux non ſolum patibulum fuit patientis, ſed etiam cathedra docentis.* Hæc S. Doctor tum ex Auguſtini ſenſu, tum etiam ex ſuo.

Quid autem è pulpito crucis ſubjectos mortales docuerit Salvator, oſtendit Apoſtolus, ubi Deum orat ut Epheſii pleniùs inſtruantur myſteriis in cruce

latentibus, ſcilicet ut comprehendant ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, & quæ ſit illius latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum.

Ad Epheſ. c. 3. v. 18. 19.

Latitudo crucis eſt quæ in eâ legitur inſcripta caritas ad omnes latè fuſa, ad omnes qui ante legem, in lege, poſt legem.

Longitudo eſt ipſa quanta quanta eſt æternitas, è quâ præ definitum ut in ligno expiraret Deus-homo.

Profundum ſunt ipſi inferi, ad quos etiam deſcendit ipſa virtus Chriſti, visque Crucis.

Sublimitas eſt ipſa Cæli regia ad quam per Crucem velut per ſcalam aſcendit Chriſtus, eoque evexit primitias generis noſtri.

Ecce quæ nobis ceu diſcipulis è cathedrâ Crucis prælegat Magiſter optimus: vis etiam plura? audies è Sanctis Patribus, atque Interpretibus, quorum pius labor atque induſtria ludit in hoc Apoſtoli loco, utpote difficili & obſcuro.

Sedulio *altitudo* crucis eſt Oriens, *Profundum* eſt Occidens, *Longitudo* eſt dextrum cornu crucis, quod Septentrionem reſpicit; *Latitudo* eſt ſiniſtrum crucis cornu, quod ad Meridiem vergit: ecce quatuor crucis dimenſiones, à quâ dum ſignantur quatuor Orbis partes, ad eam quoque evocantur ipſæ, ut ſub illâ tanquam ſub erecto ſalutis vexillo militent; ut proinde D. Gregorius Nyſſenus rectè Crucem appellarit *Vinculum univerſitatis*, quod ſcilicet univerſum quantum illud eſt, ejusque partes omnes jungit atque connectit uno fidei nexu vinculoque.

D. Hieronymo *Sublimitas eſt Cælum, profundum eſt infernum, media longitudo & latitudo eſt acceſſus ad unum vel alterum*: ecce quæ docemur à cruce, quæ ſcilicet cuique homini noviſſima, & quæ via ut ab inferno recedamus, & ad cœlum accedamus.

D. Anſelmo in Cruce ſignatur Eccleſia, cujus ſpiritualis longitudo eſt ſpes longanimis; latitudo eſt caritas; altitudo vita cœleſtis, & opportuna ex tunc in cœlis converſatio; profundum eſt fides, cujus ſcilicet myſterio in imo & profundo recondita, procul à ſenſibus, procul ab humanâ ratione.

D. Auguſtino ſic viſum Pauli verba intelligere; *In latitudine bona opera caritatis, in longitudine perſeverantiam uſque in finem, in altitudine ſpem cæleſtium præmiorum, in profundo inſcrutabilia Dei judicia, unde iſta Dei gratia in homines venit.*

D. Bernardus, qui totus eſt lacteus, ea Pauli verba revocat ad divinam eſſentiam, quæ in Dei Verbo, Deo-homine, quodammodo pependit in cruce. *Divina eſſentia*, inquit, *res una tùm ſit, eſt tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter caritatem, ſublimitas propter majeſtatem, profundum propter ſcientiam. Hæc quadriga Dei: comprehendimus hanc duobus brachiis; timoris & amoris: timor ſublimi & profundo, amor longo latoq; reſpondet: vel quatuor virtutibus; longitudinem enim tenemus & comprehendimus perſeverantiâ; latitudinem charitate, majeſtatem veneratione & adoratione; ſapientiam & abyſſum judiciorum timore & humilitate.*

Lib. 5. de Conſid.

Ecce *ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*, vel ut S. Auguſtinus, *ſupereminentem ſcientiam charitatis Chriſti*, quæ profectò non aliundè meliùs & uberiùs hauritur, quàm à Cruce, ceu cathedrâ veritatis, quæ oſtendit quod nec natura unquam capere, nec humana ratio explicare, imò nec ullius votum aſſequi potuit: ut enim piè & doctè Nierembergius noſter, Tale eſt beneficium & Sacramentum redemptionis, quem ſi quis poſtularet, antequam manifeſtaretur hominibus hoc modo quo facta eſt, preces blaſphemæ crederentur, ſpes inſana temeritas, votum ſacrilega voluntas, opinio impietas.

Epiſt. 121.

Lib. 4. c. 5. de Adorat.

Crux Chriſti Schola Patientiæ.

A Cathedrâ veritatis, è quâ docet Chriſtus, tranſeo ad ſcholam patientiæ, quam mortalibus omnibus, ceu diſcipulis aperuit, tum in omni vitâ, tum vel maximè in cruce ac morte. de illa ſic D. Cyprianus: *Omnes actus Chriſti ab ipſo ſtatim adventu patientiâ comite ſignantur*: quod fusè oſtendit S. Doctor, dum vitæ totius ſeriem, ultimumque illius actum, paſſionem ſcilicet ac mortem, explicat, itaque concludit.

Lib. de bono Patientiæ.

Uſque ad finem perſeveranter ac jugiter tolerantur omnia, ut conſummetur in Chriſto plena & perfecta patientia: conſummata portò fuit in ultima vitæ ſcena, de quâ ut ſolet magnificè Tertullianus:

Traditur, inquit, *& adducitur, ut pecus ad victimam ille, cui legiones Angelorum ſi voluiſſet, uno dicto de cælis affuiſſent, ne unius quidem diſcentis gladium in ultionem probavit, patientia Domini in Malcho vulnerata eſt*, miro ſanè prodigio. Ecquis enim ille Malchus? vilis erat homuncio, natus è pulvere, è vulgi ſordibus, ex abjecto famulorum grege, è circulis impiorum generum evocatus; & tamen ut is eſſet, in eo *Patientia Domini vulnerata eſt*.

Lib. de Patientia.

Erat Malchus Judæ proditoris comes, aſſecla, & præcipuus actor in illâ ſcena, quam terra ſtupet, exhorrent inferi, Superi damnant ac deteſtantur: & tamen ut is eſſet, in eo *Patientia Domini vulnerata eſt.*

Ante alios omnes quâ ferociâ, quâ etiam audaciâ eminebat Malchus, & fortè primus Chriſto, ceu innocenti agnello vincula injicere parabat, cùm ferrum exemit Petrus, eique auriculam abſcidit: & ecce in eo vulnere *Patientia Domini vulnerata eſt*.

Eò ſeu ingratitudinis, ſeu etiam temeritatis ac impudentiæ venturus erat Malchus, ut deinde ipſi Chriſto alapam infligeret immani prorſus opprobrio: & tamen ut eum futurum eſſe jam inde prævideret Servator, non tulit ei vel leviſſimum infligi vulnus, ſed & in eo *Patientia Domini vulnerata eſt*.

Nempe veriſſimum erat illud, quod poſtea pronuntiavit Tertullianus. *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat.* quæ cauſa? non alia ſanè, quàm ut nobis recluderet palæſtram inſignis patientiæ, doceretque eam in omni vita exercendam non verbo tantùm, ſed quod efficacius erat, etiam exemplo.

Ibidem.

Ut enim altiſſimæ divinæque mentis intelligentiâ præditus erat, ſatis ſentiebat nos omnes, homunciones licèt, & ad quævis adverſa noſtro vitio abjectos, mirum tamen quantum à patientiâ alienos eſſe, ideoque primus omnium *Saginari* voluit *voluptate patientiæ*, ut ſaltem illam nos ipſi extremis labris deguſtare non reformidaremus

Joannes ſecundus Luſitaniæ Rex cùm adverteret ex aulicis ſuis unum aliquem ſibi carum in paucis horrere ac refugere medicam potionem, valetudini tamen recuperandæ neceſſariam, & hoc ob inſignem illius amaritiem; potiorem illius partem exſorbuit, quod reliquum erat, ægro ebibendum dedit: qui Regis ſui vel exemplo, vel amore permotus intrepidè & alacriter exhauſit. Si licet exiguis rebus componere magna, idipſum & longè majus effecit Servator Optimus: quippe ægra jacebat humana natura, nec ei ſpes erat ulla obtinendæ aliquando ſanitatis, niſi ab inſigni in adverſis patientia, ceu medicâ potione; quàm cùm horreret, juberetque eſſe procul, eam non tantùm arripere Chriſtus, orique admovere, ſed etiam epotare, eaque repleri atque ſaginari cum magno ſenſu voluptatis: eâ ſcilicet mente, eo fine, ut æger homo illam ſaltem vel ſummis labellis attingeret, & ſi fieri poſſet, etiam exſorberet: & verò quidni poſſit tanto non dico Regis unius mortalis, ſed & Dei immortalis exemplo permotus? potuerunt certè ii omnes qui Chriſtum in cruce pendentem, & inter extrema ſupplicia miro patientiæ prodigio expirantem ſunt aliquando contemplati.

Granat. Conc. 2. in fer. 2. Paſchæ.

Potuit S. Elzearius Comes, cui ſi quando vel infimæ plebis homines, vel etiam (quæ ejus erat conniventia) ipſi famuli petulantiùs inſultaſſent, referebat ille ſeſe ad Chriſtum ceu patientiæ Doctorem,

rem, ad ejus paſſionem & crucem, ceu ejuſdem patientiæ ſcholam: ita enim ſecum ipſe loquebatur.

Si tibi, ô Elzeari, famulus aliquis procacior barbam vellicaret, eraderetque, ſi in faciem ſpueret, ſi cæderet alapis, ſi contumeliis oneraret, ſi laceraret flagris; quid hæc ad Chriſti Domini, Dei tui paſſionem & mortem? quid ad illius ſputa, alapas, injurias, flagella, cædem? Hac cogitatione ſopiebat omnes animi motus, omnemque patientiæ, ceu potionis alicujus amaritiem diluebat: Quod ipſum ætate noſtrâ feciſſe legitur Bloſius, Abbas Lætienſis, vir à calamo notus, & vitæ ſanctitate notior; aiebat enim neminem omnino de ulla re quantumvis gravi & acerbâ meritò queri poſſe, qui vel tantùm in crucem oculos conjeciſſet. Nimirum ei notum & frequentiùs uſitatum illud Sidonii Apollinaris: *Pauca toleramus, ſi recordamur quid biberit ad patibulum qui invitat ad Regnum.*

Lib. 9.

Hac una eademque cogitatione ſe pariter ac ſuos armare ſolebat Baſilius Magnus, cujus hæc olim oratio.

Hom. 10.

Si ſtultus & indoctus appellaberis, reminiſcere eorum quæ à Judæis jactata ſunt in veram ſapientiam: Samaritanus es, & Dæmonium habes. Alapâ, ſeu pugillo caſus es? expuit aliquis in faciem? nec ipſe Chriſtus ab expuentibus, aut cædentibus faciem avertit. Calumniam pateris? & Dominus. Tua laceratur veſtis? & à Domino quoque veſtis per vim excalla; & ſuper eam miſſa ſortes. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda ut ad ejus imaginem pervenias. Talia, & horum ſimilia tibi ſuccurrant, memineque, tua impetum ac iram compeſcant. Similes namque præparationes & animi diſpoſitiones, morſus cordis facile delebunt, & animi cogitationes in tranquillum ſtatum deducent.

Crux Chriſti ſtatera.

Rectè Eccleſia & SS. Patres Crucem appellant ſtateram, in qua librentur, & quaſi in trutinâ ſuſpendantur hinc debita peccatis noſtris ſupplicia, iſtinc Chriſti dolores, & pœnæ longè graviſſimæ.

De Dom. Paſſ. Sacrd.

In eam aliquando cogitationem venit Drogo Oſtienſis. *Neſciebam*, inquit, *contumelias & terrores, & colaphizantem me inceſſanter Satanam, niſi viderem artem medicinæ tuæ; ſimilia ſimilibus curantem, & appendentem in ſtaterâ, hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam.* Ita interprete illo authore Pater Æternus in Crucis bilance hinc poſuit Filii ſui dilectiſſimi calamitatem, & inde iniquitatem hominis cœlo, ſuperiſque exoſi; eo ſcilicet fine, ut illa hunc præponderaret. Quod ipſum ſentit ſanctiſſimus Præſul Ildefonſus, cujus hoc oraculum, hoc de Chriſto pronuntiatum:

Serm. 1. de Aſſumpt.

Qui cuncta quaſi ſuſpenſa tenet, ceu ſtatera ſuſpenditur.

Invaſerat virum ſanctum ſtupor amabilis dum animo recoleret Dei Filium (qui vel ſolo digito molem Orbis ſuſtinet, qui appendit fundamenta terræ) in ligno ſuſpendi, at ita tamen ut ex eo ſuſpenſa teneret Univerſa: quod etiam agnovit D. Bernardus, & ut aliàs ſolet ſtylo facili deduxit.

Rom. 3 de Diſcipul. euntibus in Emaus.

Crux, inquit, *facta eſt ſtatera Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia; cùm enim ipſe crucifigeretur, appenſa ſunt cum ipſo peccata, quæ commiſimus, & calamitas, quam incurrimus.*

Ibidem.

Ipſe erat innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & *Excelſior cælis converſatio ejus; & quoniam tantus ac talis tam indigna in Cruce dignatus eſt pati, cœpit præponderare calamitas, & peccata levigari.*

Et hoc ipſum tum temporis perſenſiſſe videntur mali dæmones, quos tum invaſit ingens ſtupor ac terror, ne quid ab impoſita illi homini calamitate eorum imperio decederet; hinc iterum iterumque ac ſæpius uti Sacerdotum ac Scribarum linguis, & urgere ut è cruce deſcenderet. Cœperat nimirum in bonum humani generis inclinari ſtatera Crucis, & poſita in ea calamitas præponderare, & eò propendere ut omnia totius mundi peccata, debitaque ipſis ſupplicia deprimeret. Cui veritati ut major habeatur fides, placet eam confirmare ipſis D. Bernardi verbis:

Cùm adhuc, inquit, *in Cruce erectus ſtaret Servator, vacillare videbatur ſtatera, nec planè cognoſcebatur quà cadere deberet; cùm inclinato capite emiſit ſpiritum, tunc calamitas præponderando cadens, quaſi arena maris hac gravior apparuit; gentes quaſi momentum ſtateræ reputata ſunt: nam in ſtaterâ ceciderunt, qui partes adverſæ damnationis noſtræ chyrographum amiſerunt*: quia ut dictè Chryſoſtomus, *delevit* Chriſtus in Cruce *Chyrographum*, quia *pœnam ſolvit & peccatum, & pœnam*; & quia illud antequam evenire metuere cœperunt mali genii, ideò importunè per Scribas & Phariſæos inclamare iſtud: *Si Filius Dei eſt, deſcendat de Cruce*: at non deſcendet: neque ex eâ ſe deponi patietur niſi mortuus inclinatâ penitus in veniam ſtaterâ; paſſionis ac mortis pondere: inclinavit porrò illa, ubi Chriſtus ſpiritum tradidit inclinato capite; de quo ſic D. Bernardus:

Ibidem.

Hom. 7. in c. 2 ad Coloſſ.

Matth. c. 27.

Magna infirmitas mors; ſed planè ſic mors virtus immenſa; planè immenſa à quâ ſcilicet & peccatorum omnium & pœnarum æternarum evicta atque excuſſa moles immenſa, quæ homini incumbebat, & hanc & illam piæ mentis oculo dum contemplatur Bernardus, ita de iis loquitur: quæ in ſtaterâ Crucis appenderat Æternus Pater.

Feria 4. hebd. pœnoſa.

Hinc multa miſeria corporis, hinc multa miſericordia cordis, hinc dolores: hinc miſerationes, hinc oleum exultationis, hinc ſanguinis guttæ decurrentis in terram: Miſericordia Domini multa, ſed & miſeria Domini multa.

Serm. 4. hebd. pœnoſa.

Ad has & illas te evoco, mi Lector, ut eas æquâ lance ponderes ipſe, & appendas in ſtaterâ cordis tui: utque appendas quàm ſtudioſiſſimè, inſtat & urget S. Auguſtinus, dum ſic omnes Chriſtianos admonet:

Inſpicite vulnera pendentis, cicatrices reſurgentis, ſanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant cogitate. Hæc in ſtaterâ charitatis appendite.

De Virgin.

Crux Chriſti ſpeculum animæ.

Ne me damnes, amice Lector, ſi elatam Chriſto crucem, aut ſi mavis in ea fixum *ſpeculum* appellem. Id facio ex ſanctorum ore atque ſenſu.

D. Bernardus totus melleus, totus in amoribus Crucifixi. *Utrumque*, inquiebat, *es mihi Domine JESU, & ſpeculum patiendi, & præmium patientis.*

Serm. 47. in Cant.

B. Laurentius Juſtinianus eodem pietatis guſtu aiebat, *Es mihi, ô Domine JESU & ſpeculum patiendi, & meritum patiendi, utrumque fortiter provocat, & vehementer accendit*: maximè autem ubi & Crux objicitur, & impendet tribulatio: tum enim ad Crucem Chriſti, ceu ſpeculum convertuntur oculi, nec ſine fructu. *Quoties adverſa premunt, tentamenta gravant, vires animi in crucifixi ſpeculo reparantur. Quis enim pati renuet patiente Domino*, inquit ille ipſe magnus Præſul. Nemo certè, nemo unus omnium, qui in Chriſtum, ceu ſpeculum, mentis æque intelligentiæ oculos conjecerit: quod ipſum etiam ſenſit ac dixit Drogo Oſtienſis; ſic enim ad Chriſtum converſus. *Feciſti de corpore tuo ſpeculum animæ meæ*; ſpeculum, inquam, in quo te primùm videat ac contempletur, deinde etiam ſeipſam: quod nos quà verbis, quà re etiam ipſa docuerunt Adoleſcentes duo, ſtudioſi quondam Societatis noſtræ Monaſterii. His erat Mater & hæreſi infecta, & plus æquo addicta mundo muliebri: ut ab hoc & illa revocarent Filii pro parente piè ſolliciti, eam rogarunt impenſiùs, ut ad ſpeculum, in quo ipſa ſæpiùs intueri ſolita erat,

Cap. 5 de Pat.

De caſto Connub. c. 8.

De Dom. Paſſ.

Societ. Annuæ 1599.

erat, appendi ſineret arte factam Chriſti è Cruce pendentis effigiem, eo conſilio, ut poſtquam in ſpeculum curioſiùs oculos conjeciſſet, demitteret deinde ad Crucifixi ſimulacrum: nam & hoc quoque ſpeculum eſt; ſed animæ. Paruit illa, & Filiis hoc dedit ex voto; nec ſine fructu: quippe ex frequenti oculorum conjectu in Crucifixum, & ad ſe rediit ipſa, & ad Deum: hæreſim enim ejuravit, & mundum muliebrem abjecit. Vidit enim in eo legitque quid pro ſe Deus-homo paſſus eſſet, & quid ejus cauſa amoreque pati nos oporteret. Utrumque enim exhibebat imago Crucifixi, ceu ſpeculum quoddam ſpiritale, ad cujus aſpectum nos invitat Salvator Jeremiæ voce.

Thren. c. 1. v. 12. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Chaldæus legit; *Adjuro vos*, per quidquid ſive in terris, ſive in cœlis eſt ſacrum, *attendite dolorem meum, ut in eo dolore meo, videatis dolorem veſtrum: dolor meus imago veſtri doloris eſt.* *Ibidem.* *Quod attenditis in corpore meo, attendite & vos ſi ſimilis dolor non eſt in corde veſtro: Tranſite à vobis ad me, tranſite à me in vos, & videte ſi ſimilis dolor in vobis ſit ſicut dolor meus.*

Hactenus Drogo Oſtienſis, qui ut oſtendat eſſe in anima peccatrice dolorem ſimilem illi, qui eſt in Chriſto Servatore; ad ipſa Chriſti ſupplicia, probra, doloreſque ex iis enatos elabitur.

Ibidem. *In domo*, inquit, *Principis Sacerdotum velatâ facie colaphizatur Chriſtus, quia in domo conſcientia cæca cæcatâ mente colaphiſatur Chriſtianus. Quod enim Chriſtus in publico, ego patior in occulto; quod ille foris à miniſtris Caiphæ, ego intus à negotiis Satanæ.*

Quæ porrò ſint illa Satanæ negotia, à quibus primùm paſſa eſt peccatrix anima, deinde & propter ipſam ejus Redemptor, oſtendit olim ipſe Chriſtus *In ejus vita de 7. viſione c. 33.* piiſſimæ fœminæ, cui nomen *Angela de Fulginio*: oſtendit, inquam, & docuit idcò paſſum ſe in omnibus membris innoxii corporis, quia & ipſa in ſuis membris omnibus deliquerat: ita enim ad illam Chriſtus in alto mentis exceſſu, & in eo, etiam objectu ſanctiſſimi ſui corporis.

Caput mihi ſæpiùs arundine percuſſum, juncorum aculeis pervium, & altè confoſſum, coronâ ſpineâ per ſummum ludibrium redimitum, & undique ſanguine fœdè cruentatum; quia tibi priùs caput improbè ornatum eſt oleo malè imbutum & ſine modo, ſine lege diſcriminati capilli effuſaque temerè cæſaries, ut & auræ eſſet & vanitatis inſanæ ludibrium.

Facies mihi crudeli manu frequentiùs alapis cæſa, ſputis deformata & propè obruta, ſordido velata panno, quia tibi nimis inſolens fuit cura formæ, quia facies minio tincta, ut æmula roſis eſſet, & illecebra impuri amoris.

Oculos habui, & in geminos lacrymarum fontes effudi, quia tu primùm in vana & ludicra ſpectacula effudiſti: eos ego fletu merſi, & velut in ſanguinis ſtagno natantes ſenſi; quia tu iiſdem velut jaculis uſa es, ut inuentium corda ferires, & iniquitatem veloti ſanguinem eliceres: eos ego claudi ac velari ſum paſſus; quia tuos ipſa malè aperuiſti, & iis quaſi patente cordis animique janua juratum mihi tibique hoſtem admiſiſti.

Aures meæ ſæpiùs vapularunt à jactatis impiè calumniis, accuſationibus, dicteriis, blaſphemiis, quibus & cœlum, & Superi omnes fatigari, & Pater Æternus in juſtas iras excitari; ego verò vel maximè condolere; & hoc quidem quia tu quondam tuis auribus malè uſa, effeciſti ut quæ eſſe debuerant velut anſæ ad virtutem, eſſent apertæ ad ſcelus viæ, & tamquam geminæ portæ, per quas in animum intrarent atque illaberentur impudicæ voces, obſcœni cantus, ludicræ narratiunculæ, & verba in proximi nomen famamque temerè prolata: ego ex eo præcepto, quod olim Eccleſiaſtico tibique dederam, judicari *Aures meas ſepiendas eſſe ſpinis*; quia tuas ipſa *Cap. 28. v. 19.* roſis circumcinxiſti, dum & inanis jactantiæ verba, & adulationis lenocinia admiſiſti.

Os mihi à jejuniis, fame, & ſiti penitus exaruit, à felle & aceto mirum quantum amarum fuit; quia tu nimium gulæ genioque indulſiſti, quia ventrem improbè farciſti, quia vino melleque ſuaviore maduiſti.

Ego quaſi mutus atque elinguis coram judicibus ſteti, nec jactatas in me calumnias, nec falſæ accuſationis capita, & ab iis inditam bono nomini maculam elui; quia tu nimiùm prona fuiſti ut etiam malè geſta palliares, ūſque excuſationis locum invenires, nimiùm præceps ut verba verbis, injurias injuriis compenſares.

Paſſus ſum ego ſputorum graveolentiam, & infamem putentis ſtomachi ſentinam in os, in faciem, in aures meas exonerari; quia tu odoribus malè capta es, quia tu eos patenti narium hiatu admiſiſti, nimium quantum mollis ac delicatula.

Collum ego ac humeros ſubmiſi graviori Crucis ligno, & æquo animo tuli, ut *Dorſum meum incudem* *Drogo ſupra.* *facerent, & ſupra dorſum meum fabricarent peccatores*; Quia tu, ut olim filiæ Sion, elevata es, & ambulaſti *Iſay. c. 3. v. 16.* extento collo, & leve Patris mei jugum excuſſiſti, ut grave mundi jugum ſubires, collaque ejus vinculis innecteres.

Manus mihi trabalibus perfoſſæ clavis, infami ligno affixæ & quodammodo captivæ: quia tibi reſiæ & ſolutæ ad illicitos amplexus, ad tactus molles ac venereos.

Pedes mihi perforati ac confixi cruci, & ita quidem ut nec eos contrahere, nec deducere, nec ulla ratione movere poſſem; quia tibi nimis expedni, ut in viam peccatorum ires & modò ſuperbè inſultares ſolo, modò leviuſculè ſaltatorium verſares orbem. Ita in omnibus mei corporis membris acerbiſſima quæque pati volui, ut exſolverem quæ in tuis non ſine gravi piaculo paſſa fueras. Et quia poſt hæc omnia ſupererat mihi cor unicum, quod quia intrinſecus latebat, coſtis ac pectore veluti vallo probè munitum, adhuc à vulnere, à plaga, à ferro intactum erat: & illi volui grave infligi vulnus etiam poſt fata, medium, inquam, immiti lanceâ diffindi; & hoc ut curarem ea vulnera, quæ, ſeu indomitæ paſſiones, ſeu effrænes concupiſcentiæ tuo cordi fœdum in modum intulerant.

Hæc olim Chriſtus B. Angelæ de Fulginio & piè & paternè objecit; non ſine magno illius & rubore & dolore. Cœperat nimirum illa per ſuos ſenſus omnes, per ſua membra excutere, & de iis (ſtante Chriſto ceu ſponſo amabili, ceu gravi cenſore) queri atque expoſtulare; imò & acerbè per hæc omnia accuſare & damnare ſeipſam, quòd iis & Dominum & Parentem aliquando malè cauta offendiſſet.

Hinc ei Salvator Optimus fuſè exponere cœpit, quæ cuique membro, cuique vulneri adhibita à ſe remedia. Hæc, inquam, illi exprobravit; ſed amicè, ſed paternè, ſed piè: at tibi, ô infelix anima, gravius obtrudet aliquando, quia etſi illa audias, nec moveris tamen ipſa, nec viam nocendi deſeris; obtrudet inquam, ut D. Auguſtini verbis utar, *In illa* *Serm. 67. de Tempore.* *metuendo judicii die, cùm tremente mundo, perſtrepentibus Angelorum buccinis in Majeſtatis ſuæ throno circumdatus cœleſtis militia luce conſederit.* Hæc tibi tum objiciet, quæ modò in cruce veluti ſpeculo viſenda propono; notoque ipſo D. Auguſtini ſtylo.

Irridentium palmas & ſputa ſuſcepi, acetum cum felle bibi, flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfoſſus, ut te eriperem morti animam in tormentis dedi. En clavorum veſtigia, quibus affixus pependi, en perfoſſum vulneribus latus. Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem; ſuſcepi mortem tuam, ut in æternum viveres.

viveres. Conditus jacui in ſepulchro, ut tu regnares in cœlo. Cur quod pro te pertuli perdidiſti? cur ingratæ redemptionis tuæ munera renuiſti? Non te ego de morte meâ quæro, redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indeſinenter occidis. Cur habitaculum, quod mihi in te ſacraveram, luxuriæ ſordibus polluiſti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculaſti? Cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa in quâ quondam pependi, afflixiſti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua invitus pendeo, quàm illa, in qua tui miſertus, mortem tuam acceſſurus aſcendi. Cum eſſem impaſſibilis pro te pati dignatus ſum: ſed tu deſpexiſti in homine Deum, in infirmo ſalutem, in viâ reditum, in judice veniam, in cruce vitam, in ſuppliciis medicinam. Et quia poſt omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari.

Hæc aliquando interprete D. Auguſtino objiciet Chriſtus peccatori in extremâ illâ mundi periodo, ac nimia tremendo judicii die; objiciet, inquam, & quidem ſine illius fructu, quia tum ſerùs erit pœnitere domareque durum ac ferreum pectus: ideoque author illi ſum, ut dum adhuc in terris agit, dum ſuus eſt ſalutari pœnitentiæ locus,

Stephan. Cantuar. adc. 3 Sophia — *Accedat & videat Chriſtum propter ſe multatum morte, turpatum cruce, ſputis illitum, plagis lividum, ſpinis coronatum; lancea perforatum, & eſſe adverſarius erubeſcat.*

Ita Chriſtum vidit Abbas *Stephanus*, ad quem cùm veniſſent è ſenioribus duo, ut ab illo verbum, ut aiebant, *ædificationis*, audirent; ille omnino conticuit. Cui cum ſeniores intuliſſent illud: *Nihil nobis reſpondes Pater?* ſic illis ſimplici quidem ſtylo; In Vitis PP. Lib X. c 14.
ſed candido, ſed pio: *ignoſcite mihi, uſque modo non adverti quid locuti ſitis, verumtamen quod habeo, hoc do vobis. Ego die noctéq; nihil aliud aſpicio, niſi Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM in ligno pendentem*

Hæc ſanctus Abbas, qui in Crucifixum, ceu ſpeculum, ita erat intentus, ut ne loquentes quidem audiret; noctu, diuque in illum defixus. & tu is quoque ſis oportet, *Amice Lector*,

Crux Chriſti eſt altare.

FEſtus exiſtimat *Altare* dictum ab altitudine; Veteres enim Diis ſuis ſacra faciebant in ædificiis à terrâ ſublimibus atque elatis.

Iſidoro appellatur *Altare*, quaſi *Alta ara*, in quâ ſcilicet victimæ authori rerum omnium Deo immolarentur: dicebatur autem ara, vel ab aedendo; quòd in eâ arderent victimæ; vel à precibus, quas Græci ἀρὰς dixêre, ab ardore ſcilicet religioſæ mentis, pioque orantis æſtu.

Tam hujus, quàm illius etymologiæ vis Cruci quàm optimè convenit: Fuit enim Crux ara ab altitudine, de quâ canit Eccleſia, *Flecte ramos arbor alta.*

Fuit etiam ara ab ardore; in illa quippe tantum incendium excitavit divinus amor, ut eò conflagrare potuerit atque conſumi Deus homo, ceu alter melior que cœli Phœnix, qui ſuo calet & ardet igne.

Crux ara fuit tum ab ardore æſtuque divinæ ac ſupremæ mentis, tum ab oratione Servatoris Optimi, qui (ut ait D. Paulus) *In diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesq; cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia.* Hebr. c. 5. v. 21.

Crux ara fuit, in qua Æterno Patri oblata victima, qua nobiliorem Sol aſpexit nunquam, qua placari potuit iratum Numen, qua cœlum tot ſæculis clauſum recludi, qua deleri chirographum mortis quo damnatum erat genus hominum univerſum.

Effetat Abelis aras, easque jactet prima naſcentis Orbis infantia, in quibus ſcilicet innoxia manu, candidaque mente ceciderunt primogenita gregis. Gen c. 4

Gaudeat terra ſibi ſoliſque ab aquis vindicibus jam reddita, & Noëmo ſacrificante oſtentet *Altare*, quod *ædificavit Domino.* Gen. c. 8.

Sibi plaudat, & grâtuletur Judæa de avita religione fideque Jacobi, parentis optimi, qui erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper, dicat illum eſſe locum terribilem & cœli portam. Gen. 28.

Ego Crucem tuam, bone JESU, altare dicam non Abelis, non Noemi, non Jacobi; ſed Servatoris Univerſi, ſed immortalis Dei, in qua non alia victima cadat, quàm Dei Filius, Deus ipſe, miro ſanè amoris prodigio.

Sed & nobis quoque, ſi modò pateris, Salvator Optime, Crux ara eſſe debet, ad quam velut ad aſylum confugiamus, ſi nos ſequatur ac perſequatur hoſtis.

Ara eſſe debet ſuper quam appendamus donaria, & ſi velis etiam hujus ſæculi ſpolia, & vitiorum ſeu fomenta, ſeu irritamenta.

Ita quondam ea depoſuit Virgo nobilis Provinciæ Neapolitanæ, complevit illa totam urbem præclari Anno 1599.
facinoris admiratione. Erat & generis claritate & divitiis pollens, & viduæ matri proles unica; jamque nobilis ſpem omnibus dederat illuſtrandæ domus ampliſſimo matrimonio: Nec optatus ejus rei eventus longiùs aberat; amici quippe & conſanguinei, idoneum matrimonium opulentiſſimi adoleſcentis adornabant; cujus non inſcia, facinus concepit quod amabit ac ſuſpiciet omnis ætas: fuit autem illud ejuſmodi. Rata cœleſtes cum Chriſto nuptias etiam clandeſtino matrimonio iniri poſſe, in ſacreto conclavi, remotis arbitris, ad Chriſti de cruce pendentis effigiem ſupplex provoluta, præciſam ſibi manu ſua comam (ceu mundi muliebris, ceu carnis hujus ſpolium) ad illius clavos appendit, veluti dotem & archam æterni conjugii; tum etiam illi virginitatem ſuam concepto voto deſpondit; tum denique religioſam veſtem, quam in id tempus ſibi occultarat, induit, & talem ſe in matris nihil ſimile cogitantis conſpectum dedit. Hæſit illa primùm dubia an oculis habenda fides: at ubi, ſi minùs ex veſte, at certè ex facie omnino habendam eſſe duxit: ubi filiam propiùs intuita, tum ingens ſtupor, dolor, lacrymæ, crebri anhelitus, & quidquid concipere, eloqui, & agere poteſt, ſeu amore, ſeu dolore propè furens Mater; cui puella, nihil his commota. Age, inquit, Mater, & mecum ama cœleſtes caſtasque nuptias, & in iis vel divinam voluntatem agnoſce, vel certè deſperatione conjugii mortalis pro ſolatio utere. Mihi certum eſt ſponſo meo Chriſto junctam & vivere & mori; pro hujus connubii fide, ſpolium capitis in Cruce, tanquam ara depoſui, veſtemque mutavi, unaque etiam omnem ſæculi hujus amorem.

Hæc dixit egitque puella, quam utinam imitentur ætates omnes longè conſequentes.

Crux Chriſti eſt arcus.

PRopheta regius Meſſiam in campum educit militarem in modum: primùm enim armat gladio, dein ſagitta: illo ut cominus pugnet; hac autem ut etiam eminus hoſtes ſuos petat, vulneret, ſternat.

Accingere, inquit, *gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Pſ. 44. v. 4.

Quis ille ſi quæris, audies ex SS. Patribus eſſe verbum Evangelicæ prædicationis, quæ ſeparat omnes neceſſitudines, omnia carnis vincula ſecat ac dividit, Ad Hebr.
& ut cum Apoſtolo loquar, pertingit uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, itaque de mundo ac carne c. 4.
victoriam reportat. Scilicet potentior eſt Meſſiæ gladius omni gladio cujus unquam meminerit antiquitas.

Potentior Goliæ gladio, cui appenſum hoc lemma. *Non eſt huic alter ſimilis.* 1 Reg. c. 21.

Potentior gladio Saülis, de quo jactatum illud: *Gladius Saul non eſt reverſus inanis.* 2. Reg c. 1.

Iudic. 7. 9. Potentior gladio Gedeonis, cui *Tradidit Dominus Madian, & omnia caſtra ejus.*

His, inquam, omnino potentior fuit gladius ſpiritus Meſſiæ verbum: hoc enim ipſi immortales animi penetrantur; illis autem tantùm mortalia corpora tangebantur.

Verùm de Meſſiæ gladio plus ſatis: ad ſagittas venio, quibus eminus pugnat & vincit: de illis idem *Pſal. 44. v. 6.* Vates regius canit: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.*

Quæ ſint illæ noſſe vis: ſunt amoris, ſunt caritatis ſagittæ, quas è Cruce veluti extento arcu, evibrat Meſſias tamquam è cœli regiâ demiſſus in terras ſagittarius.

Ne me damna, benevole Lector, ſi Deum hominem ſagittarium appellem. Ita certè appellandum cenſuit Origenes, qui hæc olim ad ſponſam, hoc eſt *Hom. 2. in Cant.* ad animam Chriſti ſui amantiorem. *Præbe te jaculo formoſo, ſiquidem Deus ſagittarius eſt.*

Poëtæ veteres, quibus animus ad docta commenta facilis, Deos ſuos arcu & ſagittâ armatos voluerunt.

Jovem quidem propter Supremam puniendi poteſtatem.

Apollinem autem ob perſuadendi vim planè ſingularem.

Cupidinem denique ob ſuaves, ſimul ac potentes amoris illecebras.

A fabulis illis atque commentis ad veritatem tranſeo: dedit enimverò, dedit Æternus Pater Chriſto Filio ſuo & arcum & ſagittas.

Arcus Crux fuit, amor ſagitta: quibus enim armis inſtruatur potiùs?

Potentiam habet, eamque cœleſtem ac divinam, quam in rebelles animos, & adverſa cœlo capita exerat.

Vim habet ad perſuadendum, eamque inſolitam ac prorſus incredibilem, utpote quæ non nitatur verbo tantùm, ſed & opere firmetur. *Cœpit* enim *JESVS facere & docere*; & hinc in eo mira perſua-*Sever. ep. 16.* dendi vis; quia *Efficacius vita, quàm lingua teſtimonium eſt, homines enim amplius oculis, quàm auribus credunt.*

Miras habet amoris illecebras, & potentia ad redamandum incitamenta; & hinc quàm optimè cœlo judice, ſagittâ donatur & arcu.

Crux ipſa arcus eſt, ad quam traduci poteſt illud *Cap. 9. v. 13.* Zachariæ vaticinium, *Extendi mihi Judam quaſi arcum*, id eſt, Chriſtum è Judæ tribu prognatum extendi in cruce inſtar arcus. Hebraicè *Calcavi, & calcando extendi*: ſolent enim arcus ingentis molis extendi calcando pedibus arcum, ac manibus attrahendo nervum: & ita in cruce, ceu cornu & arcu quodam diſtentus eſt Salvator; utque diſtenderetur magis, quaſi pedibus calcatus, dum factus eſt *Opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

Sic porrò diſtendi oportuit, ut ſagittas ſuas, & longiùs & validiùs jaceret: ad quod indubiè etiam alluſit Propheta Habacuc, ubi de Servatore mundi vaticinans ait.

Cap. 3. v. 4. *Cornua in manibus ejus*, cornua utique Crucis, quæ Chriſti manibus infixa, & quidem trabali clavo, ut ea ipſe adducendo, & quaſi diſtendendo ſeu Crucis, ſeu etiam corporis arcum, ſagittas emitteret acutas *in corda inimicorum Æterni Regis*, hoc eſt Patris ſui, ſub cujus imperio caderent tum arcu victa, tum ſagittâ confixa.

Ita porrò factum eſt, & factum benè: quot enim ſive ex Judæis, ſive etiam ex Gentilibus evicti amore crucis, Deo immortali pro ſe affixo palmas dedêre; nolim in eo morari, quòd in aperto ſit, & omnium oculis.

Et verò quid adeò mirum eſt, cùm Æternus Pater poſuerit *Cornua in manibus ejus*, vel ut ad meum inſtitutum vertunt Septuaginta: *Poſuerit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ.*

Agnoſcant interpretes illi in Cruce dilectionem robuſtam divinæ fortitudinis; quia ut ait D. Hieronymus,

Deus Pater cornua, ſeu regnum Crucis poſuit in manu Filii ſui, ut faceret dilectum ſuum ab hominibus diligi non leviter, ſed in virtute, id eſt vehementer & fortiter.

Ita dilexit Paulus, cujus eæ voces amoris teſtes. *Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti?*

Ita deinde dilexit Auguſtinus, qui hæc de ſeipſo & ingenuè & verè confitetur.

Sagittaveras Domine cor meum.

Ita dilexit S. Elizabeth, quæ ſagittis iis confixa, ornamenta ſua, omnemque mundum muliebrem, veluti ſpolium ac tropæum victori Crucifixo appendit.

Ita denique (ne omnes conſecter) Rex Ethnicus in Cuſio oppido, cum ingenti militum catervâ, victas manus dedit, evictumque cor eâ caritatis ſagittâ, *Raderus in notis ad Menologium Græcum.* quam è Cruce, ceu arcu; à Crucifixo ceu ſagittario emitti videbat: mirabatur nimirum Rex ille, etſi Ethnicus, eò amoris atque indulgentiæ venire potuiſſe Deum hominem, ut è Cruce velut arcu penderet, incredibili profectò prodigio caritatis, quo ſibi cor, amoris ſedem atque officinam, peti atque transfigi ſentiebat: bono ſanè ac felici vulnere; ut enim piè ac doctè Origenes. *Quàm beatum hac ſagittâ vulnerari!* Beatum, inquam, quia ut animadvertit *2. Cant.* D. Ambroſius, ea ſagitta vivificat occidendo; vivificat Chriſto, occidendo mundo. Ea nimirum eſt ſagittatoris noſtri peritia, ut dum vulnerat, ſanet. *Exhort. ad Virginem.*

Jactet Antiquitas ſagittariæ artis peritos in paucis; eumque in primis, qui cùm Alcionis filium rapuiſſet draco, draconem illæſo filio ſagittâ confecit. Cambyſem Perſarum Regem, qui Prexaſpis filio in veſtibulo regiæ conſtituto medium cor ſagittâ transfixit.

Domitianum qui in pueri procul ſtantis, auſuque temerario palmam dextræ manus objicientis, ſagittas tantâ arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innoxiè elaberentur. Commodum qui etiam volantes grues telo configebat, quod & modò Indi facere perhibentur: Hos, inquam, aliosque efferat ac laudet ſtulta nimium antiquitas: ego omiſſis illis artis humanæ ludis, & damnanda fortaſſis in eâ vanitate, te ſuſpiciam & amabo, bone JESV, & quà licet deprædicabo artem illam tuam, qua è Cruce, ceu arcu quodam cœleſti in cor hominis, velut in deſtinatum tibi ſcopum ſagittas emittis; ſagittas inquam, amoris atque caritatis, quam pro armis habes, & qua omnia vincis: Si enim de charitate D. Stephani verè pronuntiavit S. Fulgentius: *Stephanus charitatem pro armis habebat, & per ipſam ubique vincebat.* Si, *Serm. de S. Steph.* inquam, de Stephano diſcipulo quondam tuo id dici potuit, quantò magis de tuâ illâ immenſâ atque infinitâ caritate, quam in hac vitæ militiâ pro armis habuiſti, & per quam ubique viciſti.

Viciſti enimverò per illam, viciſti in cœlo, & parata Divinæ Juſtitiæ fulmina de manibus excuſſiſti; Patremque Æternum ad aliquam generis noſtri miſerationem induxiſti.

Viciſti in terris, ubi filios Adam attraxiſti in vinculis amoris, vinculis caritatis.

Viciſti in ipſis inferis, ubi tartareas poteſtates debellaſti, penitusque fregiſti, ubi Patres ex obſcuro Limbi ſinu ac carcere, in læuores auras, in hanc lucem, imò in beatitatem eduxiſti: perge porrò bone dux animæ meæ, bone JESV, perge ſic vincere atque triumphare.

Et hæc pauca de ſacrâ Chriſti paſſione Cruceque velut in faſciculum collegi, ut tu ea uno ferè intuitu aſpiceres, benevole Lector: longè plurima ſunt quæ de ſacro illo vexillo dici poſſent, & quæ ſancti Patres, Authoresque paſſim ſparſerunt.

Dici

Lib. 4. Dici poſſet cum D. Damaſceno, *Crux Chriſti clavis Paradiſi, infirmorum baculus, Paſtorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ ſalus & corporis, omnium malorum averſio, omnium bonorum datrix.*

Serm. 2. de Roſar. Dici poſſet cum D. Bernardo, *Crux omnium plenitudo virtutum.*

Ad popul. Antioch. Dici poſſet cum D. Chryſoſtomo, *Crux vita fons*; *In Pſal. 4.* & cum Caſſiano: *Humilium tuitio, invicta ſuperborum dejectio, victoria Chriſti, perditio diaboli, infernorum deſtructio, cæleſtium confirmatio, mors infidelium, vita juſtorum.* *In Epiſt. ad Galat.* Et iterum cum Auguſtino, *Crux grande ludibrium impiis, grande myſterium piis.*

Conſtium de Elogio. ſerval 14. c. 6. Denique cum oratore hujus temporis appellari Crux poſſet, injuria perfuncti periculi, prædicatio ampliſſimi beneficii, teſtimonium præteriti temporis, trophæum fortitudinis, ara gloriæ, theatrum amoris, *Lignum verè magnum*, quod ubi tanti cruoris purpurâ fuit debbutum, inter auguſtorum diadematum margaritas puriùs fulget, quàm Luna inter micantium ocellos ſiderum; & in apicibus Regum triumphat, quod furciferorum pedibus fuit antè ſubjectum.

Hæc, inquam, aliaque plurima dici poſſent in laudem ſanctæ Crucis, quæ volens omitto, memor propoſitæ brevitatis; propter quam in argumento ſatis obvio & noto, pauca mihi tractanda cenſui, & hoc quidem eo fine, ut homo, ſi minùs cum authore ſuo patiatur, ſaltem aliquando compatiatur, ne in illum cadant ex D. Hieronymi querelæ, juſtæque expoſtulationes.

In Matth. *Omnis creatura compatitur Chriſto morienti, Sol obſcuratur, terra movetur, petra ſcinduntur, velum templi dividitur, ſepulchra aperiuntur, ſolus miſer homo non compatitur, pro quo ſolo Chriſtus patitur.*

Lib. 4. c. 8. Tradunt Hebræi, & ex iis Lyranus & Galatinus, quadraginta annis ante everſum templum à Romanis, portas templi, quæ veſpere claudebantur, nocte intempeſtâ ſuâ ſponte fuiſſe reſeratas, ac ſummo manè venientem eò R. Johanam, qui ſuos inter eminebat; eo prodigio territum exclamaſſe.

O domus, ô ſacra domus, quid ſibi vult, quod tu tibi timeas? equidem ſcio interitum tibi ac vaſtationem imminere & jam illud vaticinium de te editum fuiſſe, Aperi Libane portas tuas.

Zachar. c. 11. v. 1. Ex hoc Zachariæ vaticinio, & iſta Rabbini illius interpretatione, colligit Ribera portas templi Jeroſolymitani ſuâ ſponte apertas eo ipſo tempore, quo & in Cruce expiravit Chriſtus, & velum templi ſciſſum eſt.

Nimirum & petræ ſciſſæ, & apertæ templi valvæ, ut homini vel exemplo forent, vel documento, ut & ipſe ab intimo doloris ſenſu diſcinderetur, naque Chriſto morienti paterent ambæ cordis valvæ, vel amori vel etiam commiſerationi. Et certè niſi pateant, fateatur illud eſt neceſſe: ſibi cor eſſe petrâ durius, & æneis templi portis inclementius.

Crux Chriſti eſt ſcala.

IN amœns unius ſomni imagine Jacobo mirum quantum afflicto objecta ſcalæ ſpecies. Et Chriſto Servatori non objecta modò, ſed oblata Crux velut altera ſcala Jacob, ex qua, ut ait D. Hieronymus, *In Pſ. 91.* deſcendunt Judæi increduli atque impii: aſcendunt autem Chriſtiani fideles ac pii; æmuli ſcilicet Salvatoris ſui, qui in eam ſic aſcendit, ut non deſcenderit niſi mortuus, reddendus per illam vitæ meliori, & cœlo, in quod ut attollaris ſcalis, opus eſt.

Joſephus ſcaliger in Veronenſium Scaligerorum familiam intruſus, ſcalas alatas in ſcuto prætulit, adjecto etiam hoc lemmate.

Scalis & alis.

Petr. d'Oultreman l. 2. c. 2. Amor patiens. Objiciebat argutè quidam & homini heterodoxorum partes ſecuto, ut ad inferos rueret,

Ibi non opus eſt ſcalis, nec alis.

Et verò ſic eſt: ut eò vel ab hæreſi, vel ab alio ſcelere lethali quis præceps ruat; nec ſcalis opus, nec alis; ſuum illi plus ſatis eſt unum peccati pondus.

Verùm ut in cœlos evadas, *ſcalis* opus & *alis*. Pro *alis* erit, *Amor*, qui alatus eſt totus, qui in ſublime ſemper tendit, & nunquam terris adrepit, aut labitur ad infima. Pro *ſcalis* erit ipſa Crux Chriſti; per hanc homines cœleſtes & terreſtres Angeli deſcendunt ad ima per humilitatem ac demiſſionem ſui: aſcendunt autem ad ſublimia per contemplationem Incarnati Verbi, paſſi, mortui, ac deinde ex illa etiam ad gloriam, ac beatitatem.

Ita Crux illis eſt ſcala, & quidem potior quàm olim ſcala Jacob. In hanc aſcende, mi Lector, in hac pende; & illi trabalibus affixus clavis etiam per omnem vitam perdura. Ut enim piè & verè D. Auguſtinus:

Serm. 20. de diverſis. *In hac Cruce per totam iſtam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, debet pendere Chriſtianus. Non eſt enim in hac vita tempus evellendi clavos. Si terreno limo greſſus non vis immergere, noli de iſta cruce deſcendere.*

Et hæc tibi Præſul Hipponenſis, quem utinam audias: audiit certè Henricus Suſo è Dominicana familia, qui & in hac Cruce pependit: utque penderet certius, crucem ſibi ligneam fecit longitudine palmi virilis, eique primum infixit clavos triginta, *Bollandus in ejus vita 25. Ian.* tum inter ſcapulas ad nudam carnem extendit, geſtavitque noctu diuque ad annos octo: ac deinde anno nono (qui & illi ultimus vitæ fuit) eidem addidit, impreſſitque acus ſeptem, ut earum aculeis etiam pungeretur; denique & ea cruce bis in die ſeſe flagellabat, in Chriſtum Servatorem pius, in ſe durus ac crudelis.

Vidiſti qui aſcenderit in Crucem per afflictationes corporis; attende qui deinde ad ejuſdem lucem ac gloriam etiam in hac mortali via.

Cùm ex horis matutinis rediiſſet paſſus eſt exceſſum mentis, in quo ſeipſum introſpexit, viditque cor ſuum cœleſti illuſtre lumine, & in illo crucem auream pretioſis gemmis mirè decoram ac nobilem; in quibus decore divino nitebat amabile auguſtumque JESU nomen.

Ecce qui per Crucem, ceu ſcalam aſcendit vir ſanctus etiam in hac vita. Vis noſſe qui etiam in alia, accipe ex ſpecie ſtellatæ Crucis olim exhibitæ; erit hæc index gloriæ ac beatitatis, ad quam hæc ſcala ſit gradus atque aſcenſus.

S. Euſebia Virgo Romana, ut genere, ita virtute nobilis, è paterna domo profugerat, ut & caſtitatem illibatam ſervaret, & datam Chriſto, ceu ſponſo, fidem: tandemque multis in religioſa vita per- *Bollandus in ejus vita 24. Ian.* functa laboribus, diem ſuum piè ac ſanctè obierat; cùm ecce tibi inviſum in cœlo prodigium. Ipſo in Meridie, alto Sole, ſudoque aëre, apparuit corona è ſtellis micantibus contexta, in cujus medio Crux erat miri ſplendoris.

Et hæc è cœlis imago, in quâ illud ad noſtrum inſtitutum notari velim, Crucem ſtellis undique & undique cingi, ut inde videas à Cruce ad coronas, ad ſtellas gradum fieri; ut ad ſublime per ſcalas fieri ſolet. Ita factum S. Euſebiæ Virgini, ita Sanctis omnibus: ita & fiet tibi.

FINIS.

JACOBI LOBBETII
SOCIETATIS JESU THEOLOGI,
TEMPLVM DOMINI,
SIVE
DE RELIGIOSO TEMPLORVM CVLTV.

Adverſus petulantem hujus ſaculi licentiam.

ARGUMENTUM.
Partitio, & finis hujus Opuſculi.

VIDERAT fortè unus aliquis atque damnârat inſolentem hujus ævi licentiam, à quâ in Dei Æde atque orationis domo, fabulæ, joci, riſusq́be liberiores: quos ut comprimeret, optavit edi Libellum aliquem, qui ea ætatis noſtræ vitia carperet, doceretque quæ ſacris locis debita foret veneratio; quàm reverens ſilentium, quàm religioſa corporis animique compoſitio, quàm innoxiùs morum candor & caſtitas, qui denique orationis æſtus, & & bonæ mentis in Deum elevatio. In hæc omnia ſtylum duxi, non tam meâ voluntate, quàm imperio eorum, quibus & ſtudia noſtra & nos ipſi addiximus. Habes, *Amice Lector*, ſcriptionis argumentum, partitionem & finem: æqui boniq́ue conſule, & bene vive ac vale.

CAPUT PRIMUM.
Quid ſit Templum, & quæ nomina ſortiatur?

DE Templo duo quæri poſſunt. Primùm quid nominis? deinde quid rei?

Templum apud Gentiles erat omnis ille locus qui ab augure vel in cœlo, vel in terrâ notatus erat, adeoq́ue religioſi cultus gratiâ inauguratus.

Lib. 15. c. 4. Dicebatur autem *templum*, vel quaſi *tectum amplum*, ut vult Iſidorus; vel ut opinatur Varro, à *tuendo*, id eſt, conſpiciendo, quòd ſcilicet omni ex parte conſpicuum eſſet: hinc Antiquis cœlum templum dici placuit, quòd ipſum primo aſpectu quantum quantum eſt mortalium oculis pateret. Vel ſi mavis, dic *templum* à *tuendo*, quòd illud tueatur ac protegat Deus ſingulari quadam providentia.

Vocabatur etiam à Paganis *Fanum*; vel à *Fauno*, qui primus oraculi conditor fuit; vel à *fando*, quòd in eo vel Apollo, vel alius quiſpiam Deorum conſultos faretur, hoc eſt reſponſa daret atque oracula.

Placuit aliis *delubrum* appellari; vel à *diluendo*, eò quòd ante ſacrum ſacrificulus manus ablueret; vel à *deluendo*, quòd ſcilicet homines in eo pericula ſua deluerent, vel pilum, vel ſcutum, vel alia votis ſuſcepta, aris appendendo. Et hæc ferè apud Paganos recepta nomina.

Chriſtianis verò templum dicitur, & eſt ille locus, qui peculiari quodam ritu Deo ter Opt. ter Max. ad ſacrum & religioſum cultum eſt conſecratus.

Sortitur autem illud alia atque alia nomina, ob alios ſcilicet atque alios fines, propter quos extruitur: è quibus

Unus eſt ad ſacrificandum immortali Deo; & hinc *templum* appellatur.

Alter ad orationem, & pios æſtus devotæ Superis animæ; & hinc audit *Oratorium*.

Tertius ad Martyrum reliquias, exuvias magnarum meritum, debita cum veneratione aſſervandas; & ab iis inſcribuntur *Baſilica*, Hebraicè *Hechal*, id eſt, Baſilica ſive palatium ſplendidum & auguſtum, in quo velut adlecta in terris ſede habitet auguſtum Numen.

Quartus finis erigendi Deo ac Superis Templi, eſt ſanctitas; quæ vel in illud inferri debet, vel ex eo etiam peti; & inde nominatur *Sanctuarium*. De quo hoc cœli oraculum. *Sanctuarium meum metuite, ego Dominus.* Levit. c. 19.

Quintus denique eſt ut in iis Dei verbo & Sacramentis alatur ac reficiatur fidelis populus; & ab illa eſca ſpirituali indigitantur *Eccleſia*.

Et hæc ferè ſunt templi nomina communiùs uſurpari ſolita; maximè ex eo tempore quo veri Numinis cultus, & illata à JESV CHRISTO atque Apoſtolis religio in publicum ire cœpit, & per ſacras ædes magnificentiam ſuam explicare: in ipſis quippe naſcentis Eccleſiæ cunis (cum iis undique incubaret malus dæmon, & efferа tyrannorum vis impenderet) vel in cryptis, vel in domibus piorum hominum ſacris operari mos erat; & hinc illæ vocabantur *Oratoria*, *Dominica*, Græcè *κυριακά*. *Martyria*, *Apoſtolea*, *Confeſſio*.

Oratoria ab oratione Dominica, vel à cœli terræque Domino, vel quod mavelim à die Dominicâ ibidem religioſè obſervanda.

Ita quondam S. Anyſia Virgo & Martyr Theſſalonica, interrogata à quodam è ſatellitibus Maximiani Imperatoris, quænam eſſet, & quò nunc iret? reſpondit *Sum Chriſti ancilla, & vado ad Dominicam*, id eſt templum.

Martyria à Martyrum corporibus, quæ iſtic & ſepulchrum inveniebant & venerationem.

Apoſtolea ab Apoſtolis Eccleſiæ columnis ac principibus.

Confeſſio denique, quòd eo loco Jeſum Chriſtum quà voce, quà etiam opere confiterentur Chriſtiani.

Alia præterea ſunt Templi nomina, vel ſacris Scripturis, vel Sanctis Patribus uſitata.

Ab ipſo Servatore quàm optimo dicitur *Domus Dei*. Matth. 21.
Domus mea, inquiebat olim, *domus orationis vocabitur*. v. 14.

Ab Iſaiâ *Turris* appellatur: ubi enim deſcribit ampliſſima beneficia, quæ Deus præſtitit Iſraëli, Cap. 5. v. 2.
componit cum vineâ electâ, in cujus medio *ædificavit Turrim*, hoc eſt, ut explicant Interpretes, *templum*, quod ſcilicet erat inſtar turris, è quâ ſpeculatores, id eſt, Epiſcopi & animarum Paſtores hoſtem adventantem deſpicerent ac propulſarent.

A Chryſoſtomo vocabatur templum, *ſpiritalis* Hom. 24 de
animæ portus. Ut enim in mari portus, ſic Eccle- Bapt. Chri-
ſias in urbibus erexit Deus, ut à tumultuum ſæcu- ſti.
larium turbine huc confugientes ſummâ tranquillitate fruerentur.

Alìud

De vita Conſtant. l. 1. c. 46. Aliud ab Euſebio templo nomen acceſſit & decus; nominat enim illud *venerandum & auguſtam virtutum ſcholam*, in qua ſcilicet & rectè vivendi præcepta doceantur, & ad ſalutem ac beatitatem via facilis inveatur.

De Orat. Dom. Iſta Divi Patres templi dedere nomina, quibus alius hoc addidit S. Nilus, dum etiam *cœlum* eſſe dixit. Sic enim olim ad ſuos: *Eccleſiam ut cœlum adi, & nihil in ea aut loquere, aut age, quod terram ſapiat.*

CAPUT II.

An immortali Deo erigenda templa?

Lib. 2. c. 3. & 4. FAuſtus olim apud Auguſtinum Catholicis objecit unum illud tanquam ingens piaculum, quod Deo immortali templa erigerent, extruerentque altaria, more ſcilicet gentium, rimque Judæorum; quem omninò damnavit ipſe, damnarunt & ejus aſſeclæ Manichæi, quos deinde ſecuti Meſſaliani, qui omnes una voce & templa & altaria deteſtabantur.

In eorum hæreſim poſteris ſæculis ivêre Petrobruſiani, Waldenſes, Taboritæ, Anabaptiſtæ, Tranſſylvani; aliique quos in præſentia taceo, ne chartam onerem & commaculem execrandis eorum nominibus.

Contra hos omnes ſtetit, ſtabitque in ævum omne Catholici dogmatis ea veritas; & rectè & ſanctè ſupremo Numini ædificari templa, & altaria conſecrari. Huic aſſertioni favet natura, adſtipulatur ratio, & ipſa cœli oracula ac præcepta quæ locum aliquem ſacrificiis offerendis opportunum ſacrumque eſſe voluerunt.

Deut. 6. 12. v. 4. Appello verba divinæ legis. *Ad locum, quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis in loco illo holocauſta, & victimas veſtras.*

Fuit autem ille locus, primò Tabernaculum, unica Sacrificii ſedes, quæ tenuit à Moyſe uſque ad Salomonis ædem: ad illud evocabatur quiſquis æterno Numini erat litaturus; extra ſi litaſſet, lata de cœlo lege capitis ſupplicium incurrebat. Erat autem Tabernaculum illud, veluti templum aliquod mobile, in quo unà cum Iſraële peregrinari quodammodo atque inambulare videbatur Deus, quæ ſumma cœli indulgentia fuit.

Ab illo deinde erectum Salomonis templum, quod ſacrificia, victimas, & holocauſta admiſit, publicumque cultum, ac ſupremi authoris venerationem.

De illo extat illud Scripturæ oraculum.

2. Paralip. c. 7. v. 12. *Elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii*, à quo ita religioſus ac ſacer fuit ille locus, ut extra eum ſacra facere nefas eſſet, profanum, hæreticum: inde Samaritani, qui in monte Garizim ſibi templum erexerant, pro hæreticis vulgò reputati.

Quod ſi divinæ illius inſtitutionis ratio quæratur, ea in oculis eſt, & quidem alis atque alia.

Lib. 2 de Monarch. Philo Judæus cenſet uno loco exhibita quondam ſacrificia, ut unum Deum loquerentur. *Unus Deus*, inquit, *nonniſi unicam ſibi poſtulare videtur.*

Hæc ratio apprimè conveniebat inconſtanti Judæorum ingenio: cùm enim illi pro ingenita ſibi levitate faciles, imò præcipites eſſent ad idololatriam, in eam proni abjiſſent ſi diverſis in locis Deo ſacrificium obtuliſſent.

Non ſic in lege gratiæ Chriſtiani: non arctantur illi unius tabernaculi, aut templi anguſtiis; ſed Orbe univerſo ſacras ædes Deo ſuo apparant; ut locus propè omnis pietatem ſpiret ac religionem.

Matth. 26. Ut autem illud faciant, inducuntur primò exemplo Chriſti, qui *quotidie* ſedebat *docens in templo.*

Deinde Apoſtolorum & primorum Chriſtianorum, qui teſte Paulo conveniebant *in Eccleſiam*. Et certè conſtat ex Clemente, D. Petro Antiochiæ prædicante Theophili domum in Eccleſiam converſam fuiſſe, ibique Apoſtolorum Principi cathedram conſtitutam, ut ex eâ ſubjectum populum doceret ſummus Eccleſiæ Paſtor. *1. Cor. c. 11 Lib. 10. Recognit.*

Omitto alia Sanctorum Patrum de hoc argumento vel exempla, vel teſtimonia, quòd ea res in aperto ſit: & verò ſi ad alia miniſteria, v. g. ad judicia, ad convivia, ac ſimiles hominum uſus etiam profanos, ſua ſunt loca; quantò magis ad res ſacras, ad conciones, ad Euchariſtiæ participationem, ad Dei ter Opt. ter Max. cultum ſuas decet eſſe ſedes, in quas dum corpore convenit populus, etiam conveniat animorum unione: ut enim ad diſſociandas amicitias multum poteſt loci diverſitas atque diſtantia (juxta vulgatum illud, *Non ſunt amici, qui procul ras incolunt*:) ita ad integrandas firmandaſque confert quamplurimùm unius ejuſdemque loci communio, pro qua inaugurari ſolent templa, Deóque ac Sanctis conſecrari; quod probavit Cœlum ſuperique, editis etiam ad illud ipſum firmandum prodigiis: è multis pauca accipe.

Sebertus Rex Orientalis Britanniæ Londini, quæ Civitas eſt regni caput, S. Petri Principis Apoſtolorum Baſilicam fundarat extra mœnia, eratque jam dies pro ſolemni illius inauguratione conſtituta. Sed nocte quæ proximè anteceſſit, piſcatori cuidam S. Petrus (& ipſe olim piſcator) apparuit ad Thameſim amnem, & nauli ſponſione (uti erat ſchemate peregrini amictus) impetravit, ut in ripam ulteriorem ad eam baſilicam tranſveheretur. *Beda hiſtor. Anglican. l. 2. c. 3.*

Intravit porro nauta comite, ecce ſubito lux de cœlo affulſit, adfuitque multitudo Cœlitum modulatè canentium, & ab ipſo Apoſtolorum Principe ſideris illis adminiſtris peracta omnia, quæ ſolent in ſacra templorum inauguratione.

Hæc ubi ſpectavit nauta, ad piſcationem redire juſſus eſt, atque ad prædam retia explicare; quam etiam uberem pro naulo accepit, ea tamen lege, ut piſcem præ aliis eximium Epiſcopo Londinenſi ferret, nuntiarétque Eccleſiam ab ipſo Apoſtolorum Principe eam Cœlitum choro jam probè initiatam, quod & ſigna parietibus ipſis impreſſa teſtari poterant, ut etiam oculis eſſet fides. *Mellitus* erat tunc Londini Epiſcopus, qui propterea Romam profectus eſt ad *Bonifacium* ejus nominis *quartum*, qui ut alia multa, ſic & illud in Synodo Romana diſcuti voluit, num rata haberi deberet ea Londinenſis Eccleſiæ inauguratio; & certè quidni rata eſſet in terris, quæ in cœlis rata, probataque jam tum videbatur?

Et hoc prodigium ſatis ſuperque probat Deo ac Cœlitibus rectè erigi templa: uti & illa, quæ ſubjicio.

Subinde cœlo auſpice aream ipſam illis deſignari. Ita factum Romæ in Baſilica *S. Mariæ ad Nives* ſub *Liberio* Pontifice; ita & Leodii in area Eccleſiæ *Sancti Pauli*, quæ & illapſis æſtate nivibus ſignata.

Subinde etiam immiſſa de cœlo luce, accenſitque lampadibus: ſic in Urbe Romana cum *S. Gregorius* cognomento, & reipſa *Magnus* D. *Agathæ* ædem, quam violarant Gothi, rurſus initiare vellet, lampades extinctæ arſerunt ſponte, & Cœlitus demiſſa luce, etiam aram ipſam nubes obvolvit non ſine magna odoris fragrantia. *Ioannes Diac. in vit. S. Gregorii.*

Subinde etiam aliis prodigiis teſtatum voluit Deus, quam accepta ſibi eſſet ſacrarum ædium erectio.

Ita cum *Pipinus* ad Rhenum *S. Goaris* Eccleſiam extrueret, toto tempore, quo ejus extructio tenuit, nunquam vel pluviæ guttula in ejus aream illapſa, etſi hinc, & inde ſæpius effuſi de cœlo nymbi effunderentur, & in ſata etiam longè, latéque deſævirent. Diceres ea tunc revereri ſignatum Eccleſiæ, Divóque locum; ut vel ex hoc etiam revereri oportere doceret: quod ut probetur magis, ſit *Surius in vita S. Goaris.*

CAPUT III.

De reverentia in Templo.

VT eam præ ſe ferat ac præſtet quiſquis & nomine, & re etiam ipsâ Chriſtianus eſt, eum primò mente ac cogitatione ad gentiles deducam; tum etiam ad Judæos; tum denique ad ipſas naſcentis Eccleſiæ cunas, viroſque Principes ac Cæſares: ex his & illis exhiberi ſolitam in ſacris ædibus reverentiam hauriet, & ſi is eſt, qui eſſe debet, eorum exemplo permotus, etiam reddere conabitur.

§. I.

Quanta apud Gentiles Templorum veneratio ac reverentia?

NOn amo eam venerationem, quam inani & ad pompam paratâ oratione jactat atque eventilat linguâ, ſed eam potiùs quam opera exhibent ac notant; hæc quippè efficacior eſt ad permovendos hominum animos, qui ſcilicet plus oculis, quàm auribus credunt.

Igitur ut eam ſub aſpectum ponamus, dabimus aliqua illius reverentiæ exempla etiam petita à gentilitate, cæteroquin cœcâ & veri Numinis cognitione deſtitutâ.

Eam in rem primùm menti objicitur laudabilis & jucunda Suevorum conſuetudo, qui vetuſtiſſimis temporibus cùm nullum haberent fanum, ſed lucum tantùm religione ſacrum, ubi verſari Numen opinabantur: nemo illud ingrediebatur *niſi vinculo ligatus ut minor, & poteſtatem Numinis præ ſe ferens*, ut ſcitè notavit Tacitus. (*Tacit. de mor. Germ.*) Omnes igitur fuêre vincti ut rei, & multâ verecundiâ cooperti, Deique ſui tanquam ſupremi Judicis adeò reverentes, ut vix ſe dignos crederent qui ſolum ipſum conſecrati luci contingerent.

Huic affinis eſt ea ſuperſtitio, quæ primùm eſt enata in Dagonis templo, deinde etiam ad alia idolorum fana emanavit.

Cùm infame Dagonis ſimulacrum coram arcâ Domini proſtratum ita jecuiſſet, ut & *caput*, & *duæ palmæ manuum ejus abſciſſa eſſent ſuper limen*, (*1. Reg. c. 5 v. 4.*) tanta miniſtellos illius invaſit religio, veneratio tanta, ut Scriptura teſte *Propter hanc cauſam non calcarent Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediebantur templum ejus, ſuper limen.* (*Verſ. 5.*) Nimirum in honorem ac reverentiam ipſius Dagonis, templum ingreſſuri, limen tranſiliebant; quòd ducerent nefas eſſe illud pedibus attingere, quod aliquando Dagon attigiſſet.

Similis aliqua perſuaſio Saracenos occupavit; hi (*Exod. c. 3.*) enim Lyrano teſte prima templorum limina nonniſi nudis pedibus attingebant: quæ conſuetudo etiam apud Gentiles invaluit, qui ſcilicet fana ſua ſubituri calceos deponebant, ut animadvertit Juſtinus Martyr. (*Apolog. 2. p. 74.*)

Fortè legerant illud Dei ad Moyſem oraculum. *Solve calceamentum de pedibus tuis.* (*Exod. c. 3.*)

Si quæras unde porrò tanta ſacri liminis reverentia, audies ex Varrone inde fluxiſſe, quòd crederent Templorum veſtibulis Numen aliquod ineſſe: ex qua opinione alii atque alii apud Gentiles fuêre ritus.

Hi enim in exteras oras abituri templorum aditus religiosè ſalutabant. Unde illud Juvenalis, *Limen ſuperum inferumq; ſalve ſimul & vale.* (*Satyra 6.*) Et illud Virgilii.

Tarpeium limen adora.

Alii non ſolùm illud operosè ſalutare & religioſiùs adorare; ſed & amplexari, & oſcula illi figere. Hine de fœminis Troianis illud Poëtæ:

tectis ingentibus errant,
Amplexæq; tenent poſtes atque oſcula figunt.

Neque verò ad religionis obſervantiam viſum illud ſatis, ſi ſalutare, ſi oſculo dignari ſacros illos poſtes; ſed & ad eos capita tundere placuit atque obtundere: ex quo illud Tibulli:

Non ego ſi merui dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus
Non ego tellurem dubitem perrepere ſupplex,
Et miſerum ſancto tundere poſte caput. (*Lib. 1 Eleg. 2.*)

Hæc Poëta de cultu ſacrati liminis. Nimirum Gentiles illi Deos ſuos in templorum veſtibulis collocabant, ut ingredientibus & egredientibus ob oculos verſarentur, itáque reverentiam conciliarent ac venerationem: à quâ ut Chriſtianos avocet atque deterreat Tertullianus.

Chriſtianus, inquit, *nec januam ſuam laureis infamabit, ſi norit quantos Deos etiam oſtiis diabolus affinxerit Januam à Jano, Limentinum à limine, Forculum & Cardeam à foribus & cardinibus.* (*Lib. de Corona milit. c. 13.*)

Hæc ille gravi & aculeatâ oratione: è quâ etſi vanam illam ac futilem Gentilium ſuperſtitionem colligamus atque damnemus; attamen unum illud colligimus atque ad utilitatem noſtram conficimus, verendum omninò ne in magni judicii die Chriſtianorum hominum levitatem, & impudentem audaciam coarguant Gentiles illi, qui adeò templorum ſuorum reverentes fuêre, cùm è contra noſtrorum minùs obſervantes ſimus; ut qui illa ſubeamus elatis cervicibus, incompoſito greſſu, vagâ mente, ſine ullo metu & reverentia Dei & videntis & præſentis: quod impudentiæ genus damnandum eſt atque intolerabile: ex eo genere quiſquis eſt, Senecam audiat è Quiritibus unum, & Urbis ſuæ oraculum.

Intramus, inquit, *templa compoſiti, ad Sacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur.* (*Lib. 7. Nat. Q.Q. c. 30.*)

Hæc Seneca, Gentilis ille quidem atque Ethnicus; ſed is tamen à quo non ſine rubore ac gemitu diſcat Chriſtianus, quæ ſit officii ſui ratio, quæ norma inſtituti.

§. II.

Quæ apud Turcas Moſquearum veneratio? & quam profuſa in iis munificentia? quæ etiam apud Indos Gentiles?

QUÆ Gentiles fana, Chriſtiani Eccleſias dixere; hæc Turcæ Moſquæas appellant: de inſolenti harum apud illos cultu ornatuque pauca ſubnectam.

Et hoc quidem vel ut Principibus Chriſtianis ſtimulos addam, quò & ipſi in ſacra Deo Diviſque Templa pii ſint, benefici, liberales: vel ſi ſecùs parci & ſordidi, ruborem injiciam.

Inter Moſquæas celeberrima eſt Meccana, quæ teterrimo pſeudoprophetæ Mahometes tumulo eſt erecta: in ea ſacellum interius ſupernè totum auro collucet: & hinc atque inde attalico periſtromate obtegitur: lampades ex eo pendent propè innumeræ; & quidem ingentis omninò molis ac ponderis: eſt qui recenſeat argenteas ad tria millia: atque ex auro ſolido ſea ſupra triginta; præter candelabra auro, argentóve fuſa, quæ, uti & lampades, diu noctuque collucent exuviis ac ſepulchro impii Mahometes, luſu ſanè perquàm damnando, qui tamen arguit Chriſtianorum multis in locis parſimoniam; ſordidamque tenacitatem, qua fit ut neque ſanctorum reliquiis vel una appendatur ardeatque lampas, neque (quod deplorandum magis) ipſi Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

Sed de hoc ſuus erit aliquando tractandi locus: interim ad prodigam Turcarum ſuperſtitionem, profanasque moſquæas redeo: viſuntur illæ quà longè patet eorum imperium.

In Cayra, Ægypti hodie Metropoli, ſexies mille ſupra octingentas, eæque turribus inſignes. (*Itiner Radzeviuii.*)

In

Eſtat & Empires Tom. II. In urbe *Feſſa* pluræ ſeptingentis, quarum quinquaginta ſuperbè extructæ ſunt. Earum princeps, *Carannem* dicta, nongentis lampadibus collucet, & (ſi recenti hiſtorico fides) ducentis aureis in dies ſingulos dives eſt.

Mitto alias aliis in locis ædificatas: neque enim hîc animus fuit longiùs in eo argumento ſtylum ponere; ſed verbulo tantùm indicare, ut Chriſtianis animos facerem majores ad Dei Divorumque in Eccleſiis cultum, ornatumque ſacratiorem, ne in eos quoque cadant antiquæ illæ de Judæis querelæ, de quibus ſic ad Aggæum Prophetam *Dominus exercituum. Populus iſte dicit. Nondum venit tempus domus* Cap. 1. *Domini ædificandæ. Et factum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens. Nunquid tempus vobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?*

Domus, inquam, *Domini exercituum*, quæ quia ab impiis Judæis deſerta, damnati ſunt immani ſterilitate, quibus ſcilicet & terra aruit, & cœlum factum eſt æneum, quia prius in eorum animis, cordibusque Dei cultus, & ſacratæ ei domus cura exaruerat. Sed ne longiùs:

Ad immanes illas Moſquæarum ſubſtructiones adjiciam unum è cæca Indorum Gentilitate, ex quo de reliquis facilis erit conjectura.

In Ceilano regno extructum ab incolis & mole & opere viſendum fanum, quale hactenus non tulerat India; Pagodem ipſi vocabant. In eo colebatur dens ſimii candidi auro & gemmis incluſus.

Cultus autem illius dentis eò uſque invaluerat, ut Jarric hiſt. Ind. illius adorandi causâ à quingentis circumquaque milliaribus ingenti numero peregrini concurrerent: quæ ſuperſtitio non tantùm plebeculæ animos occuparat; ſed, quod mirere, etiam Principum ac Regum corda ſenſusque ita dementarat, ut ex iis nemo unus eſſet, qui non quot annis legatum eò deſtinaret, & religionis (veriùs ſuperſtitionis atque infamiæ) ergò dentis illius imaginem ceræ impreſſam, magnoque emptam ad ſe reportaret.

Ecce quò labitur cæca mortalitas, ecce quò rapit emiſſa de ſtyge ſimia, & miſellis gentilibus illudit improbè: At non diu illudet. Veniet enim unà cum ſuo fano impurus ille dens in Luſitanorum poteſtatem. Et verò etiam venit, non ſine immani dolore, luctuque Indorum Principum ac Dynaſtarum, qui dentem illum quà precibus, quà minis, quà etiam oblato ſeptingentorum millium aureorum lytro repetierunt: adeò pretioſæ illis profanæ, impiæque etiam Numinis umbræ ac ſimulacra: quæ tamen nec eo pretio redimi paſſi ſunt Luſitani, ne Indis illis, cæcæque gentilitati, aut materia ſuperſtitionis, aut idololatriæ occaſio reſtitutа videretur.

Huc velim oculum animumque flectant ævi noſtri hæretici, qui ſacrarum reliquiarum cultum ornatumque adeo & odiſſe & averſari & damnare ſolent, iterum ingeminantes vetus illud atque infame proditoris Judæ. *Ut quid perditio hæc?* Velim, inquam, etiam à paganis aliquid in pios uſus, moreſque deducant, admittantque ſacratioribus illis magnarum mentium exuviis & aurum & gemmas etiam totius Orientis bellè impendi.

§. III.

Quæ olim apud Iudæos ſeu tabernaculi, ſeu Templi obſervantia?

TAm hujus, quàm illius obſervantiam ac religionem conciliavit ea ſanctitas, quæ utrique ineſſe credebatur. Erat porrò hæc tanta, ut & tabernaculum & templum antonomaſticè *ſanctum* diceretur.

Pſal. 22. v. 4. Appello Prophetæ Regii fidem atque vaticinium: *Tu autem*, inquiebat, *in ſancto habitas laus Iſraël*: &
Pſal. 76. v. 14. alio in Pſalmo *Deus in ſancto via tua*. Erat enimverò, erat *in ſancto*, hoc eſt in tabernaculo via Dei, qua in eo, & cum eo inambulare Numen ipſum ſacroſanctum videbatur.

Inerat autem iſti Tabernaculo ea ſanctitas atque ea hinc petitâ reverentiâ, ut plerumque nonniſi ad illius oſtium ſive populo, ſive Judicibus ac Senioribus, ſive etiam Sacerdotibus accedere liceret.

De populo fidem facit illud cœli præceptum ad Moyſem: *Congregabis omnem cœtum ad oſtium taber-* Levit. c. 8. v. 3. *naculi.*

De Sacerdotibus iſtud: *Aaron ac filios ejus applicabis ad oſtium tabernaculi*: eò quippe ſiſtendi erant Exod. c. 29. v. 4. ſacris initiandi: imò & Nazaræi ſolemni ritu conſecrandi; ut conſtat ex hac latâ quondam lege, *Radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi.* Num. c. 6. v. 18.

Eò quoque acciti ſeptuaginta Seniores, populi Judices conſueto ritu inaugurandi, ſecundum illud Numerorum. *Duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis faciesque ibi ſtare tecum.* c. 11. v. 16.

Denique ſi quando & ipſe Moyſes cum Deo acturus eſſet, & oracula accepturus, jubebatur ſeſe ſiſtere ac ſtare ad oſtium tabernaculi; ac tum primùm *deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium* Exod. c. 33. v. 9. *tabernaculi, loquebatur* Dominus *cum Moyſe*.

Si porrò quæſieris cur & populus, & Sacerdotes, & Judices, & ipſe Moyſes ſtare juſſus ad oſtium tabernaculi, ac non potiùs in illud evadere atque admitti? audies ab Interpretibus aliam atque aliam rationem proferri.

Sunt enim qui velint ex hoc veluti ſymbolo quodam jam inde Iſraëli oſtenſum ingens omninò malum, quod ſcilicet tandem aliquando excludendus eſſet ab aditu tabernaculi altioris, hoc eſt æternæ beatitatis; in quam deinde inducenda eſſet Gentium Eccleſia, quam Rex cœleſtis, ceu ſponſus ſponſam ſuam, *introducet in cellaria ſua*, in quibus ſeſe proluet Cant. 2. v. 4. meliore muſto, & deliciis nunquam perituris. Malunt tamen alii ad oſtium tabernaculi ſtetiſſe, nec in illud intromiſſos, ob illius ſanctitatem, debitamque iſti loco ſingularem reverentiam.

Quæ opinio ſi verò proxima eſt (ut certè eſſe velim) quantam apud Chriſtianos eſſe oportebit templorum obſervantiam? religionem quantam? tanto profectò ampliorem, quanto apud nos ſacras ædes antiquorum tabernaculo præſtare eſt neceſſe: ſed de hoc poſtea fuſiùs.

Tranſeo ad eam reverentiam, quam illi ipſi Judæi poſteris deinde ſæculis Salomonis templo reddidêre. Cum afflatu planè divino æterno Numini templum ædificaſſet Sapiens, foris in ambitu curavit *melathra*, id eſt domunculas, tum ad ſacra vaſa In lib. 3. Reg. c. 6. cuſtodienda, tum ut nemo ex Levitis *parietes templi contrectaret*, ut ait Procopius: tanta nimirum fuit ſinguli loci reverentia; quæ etiam à ſacro ordine in populum evaſit: hic enim horrore quodam, ac metu reverens in magnificum illud Numinis domicilium introibat, atque ad ſolum pretioſum affuſus magno ardore devotionis cruſtas marmoreas oſculo excipiebat & complectebatur, addebatque inter oſcula & amplexus pium illud carmen. *Complacuerunt ſervis tuis lapides ejus.*

Hujus obſervantiæ etiam meminit D. Gregorius Nazianzenus: teſtatur enim Salomonis templum adeo Orat. 9. ſeverâ religione dedicatum, ut ne parietes quidem attingere populo licuerit. Quam ob cauſam alii quidam veluti prophani parietes ædificati ſunt, qui ſacros illos contegerent.

Neque tantùm in lætiore fortunâ his Hebræis ſenſus fuit, ſed etiam in triſti atque adverſâ: cùm ærumnis & longâ captivitate eruditi, mirificè lætabantur, ſi quando de reditu nuntium excepiſſent: tum enim geſtire omni gaudio, non quòd vineas & cultiſſima oliveta, non quòd ſuperbas ædes, auroque ac picturis decoras eſſent reviſuri; ſed quod *in Domum Domini ituri*:

In Pſal. 121. *itur*: quod ipſum longè antè præſagâ mente prævideràt Regius Vates, ut doctè notavit D. Chryſoſtomus.

Neque tantùm ea templi Hieroſolymitani religio populum occupâvit, ſed & Reges ipſos; ii enim ſi quando in illud ſe conferebant, admonebantur inſolentis animi ſuperbiam, & regale faſtigium in eo loco abjiciendum, ubi Deo cœli cultus adhiberetur.

Procop. in l. 3. Reg. a. 14. Inde factum ut ſatellites, qui Regem honorificâ pompâ comitabantur, ingreſſuri templum Jeroſolymis deponerent ante fores arma ſua; quam ob cauſam extra venerandum illud delubrum ædificata fuit aula grandior, ubi eadem arma reponebantur.

Ex his colliges, amice Lector; modum quo veteris Synagogæ viri ſacram ædem honoraverint; & quo jure ſanè potiori honorare debeant Chriſtiani in altiore illa, qua fruuntur Fidei luce.

Erant in templo Salomonis multa, quæ ad eximium animi decus ac venerationem invitarent: ut Menſa, Aræ pretium & artificium mirabile, inſigne Candelabrum, Panes ſacierum, Arca inumbrata gloriâ Domini, venerantes Cherubini, & ſimilia quæ declarabant ibi eſſe Numinis ſedem, ad quam nonniſi ſanctè homines accederent: at longè potiora noſtris in Eccleſiis ſpectantur: Ara nimirum ſacroſancta religione horrens cœleſte tabernaculum; & regius velut thronus, ubi ipſe Dei Filius, ter ſanctum Numen in Sacramento venerabili inhabitat, cum totâ cœli pompâ, cum ſplendore gratiarum, circumamictus gloria ac majeſtate, à qua peti poteſt ac debet eximiæ cujuſdam reverentiæ ac venerationis argumentum.

§. IV.

Quæ apud primos Chriſtianos, & naſcentem Eccleſiam fuerit Templorum reverentia.

JAm inde ab ipſo Religionis noſtræ exordio hauſêre Chriſtiani ſingularem erga ſacras ædes reverentiam: hinc ad eam ſeu conciliandam, ſeu etiam augendam, aliæ atque aliæ enatæ conſtitutiones.

Conſt. Apoſt. l. 2. c. 57. Inter eas facilè princeps eſt illa, quæ recenſetur inter Apoſtolicas, eſtque hujuſcemodi.

Stare oportet in Eccleſia *ſapienter, ſobriè, & vigilanter*: Stare, inquam, quod compoſiti eſt ac reverentis animi atque ad divina myſteria cõtremiſcentis.

Hic Apoſtolicæ Conſtitutioni conſonat illud, quod olim in templis, cùm divina res fieret, clara voce denuntiabat Sacerdos, *In ſapientiâ attendamus*,

Liturg. Græc. *ſtemus honeſtè, ſtemus cum timore Dei*: quæ verba expreſſè legebantur atque uſurpabantur in Liturgiis Patrum Græcorum; & deſumpta fuêre ex Apoſtolorum inſtitutione, in quorum decretis ponitur à Clemente, Diaconos antequam inchoaretur ſacrum

Conſtit. Apoſt. l. 8. a. 12. inclamare ſolitos: *Stemus recti Domino, cum metu & tremore ad offerendum.*

Ut autem eam reverentiam pavidæque mentis horrorem non verbis tantùm; ſed re etiam ipſâ teſtarentur, imitari voluerunt Seraphinos, quos vidit Iſaias Dei ſolium inexplicabili majeſtate verendum circumſiſtentes, qui trepidis alis Angelicæ mentis demiſſionem præ ſe ferrent.

Primis enim Eccleſiæ temporibus eam conſuetudinem induxerunt, ut dum ad aram plus Pontifex ſacris operaretur, hinc inde Liturgi adſtarent linea veſte conſpicui, qui flabella è volucrum pennis & alis confecta ſuper honorandum ſanctuarium agitarent, ut ſcilicet ea ratione Seraphinorum alas imitarentur, metumque immenſum, quo propter Dei præſentiam cohorreſcebant. Ita notavit Jobius antiquitatis amans

Lib. 6. de verbo incarn. & obſervans in paucis: ait enim; illius timoris ac tremoris ſpecimen haud obſcurum eſt, *alarum illarum agitatio, quam miniſtrantes adhibent.*

Novi probè hujuſce ritus, & cæremoniæ ſacratioris, alias quoque afferri potuiſſe rationes, atque inter cæteras etiam iſtam, facilem illum alarum motum indicaſſe alatos eſſe oportere Myſtas omnes: & ventulum illum qui motis alis excitabatur velut ad refrigerandum, inſinuaſſe; cum fuiſſe tum temporis ſacrificantium fervorem, eos æſtus piæ mentis, ut protis temperandis opus fuerit aliquando ſeu corporis, ſeu etiam animi refrigerio; erat enim initio naſcentis Eccleſiæ mirus ardor animorum: & eum ſignare potuit ille ritus. Verùm (ut ingenuè dicam quod ſentio) exiſtimo eò maximè referri debuiſſe, ut in ædibus Deo ſacris, velut in medio precantium Seraphinorum, excitaretur in omnibus ſingularis pietas, & ſumma Numinis æterni veneratio.

Ad hanc etiam ſpectat antiqua illa primorum Chriſtianorum conſuetudo, quæ ante ipſum templi aditum devota quadam ſubmiſſione prælucebat.

Solebant enim ad illius limina procumbere, ea deoſculari, & preces inibi ardentiores effundere: quorum morem, cultumque reverentiæ pleniſſimum altè deprædicat os aureum.

An non videtis, inquit, *quot homines templi hujus veſtibula oſculentur? hi quidem pronis capitibus abjecti; alii verò manu contingentes, tum eandem admoventes ori*, quaſi indignos ſe crederent, qui ſacris poſtibus oſcula figerent.

Neque mihi dixeris eam ab infima dumtaxat plebecula templorum aditis exhibitam venerationem; tenuit illa, tenuit enimverò vel è Curia purpuratos, vel è venerando Pontificum cœtu infulatos Patres, de quibus audi magnificè canentem Prudentium.

Ipſa & Senatus lumina,
Quondam Luperci, & Flamines,
Apoſtolorum ac Martyrum
Exoſculantur limina.

Ex hoc ritu pleno ſanctitatis ac pietatis uſus obtinuit dicendi, proficiſci ad limina Apoſtolorum, hoc eſt ad Baſilicas.

Hæc velim oculo memorique mente legant poſteri, ut inde liquidò intelligant quantum ab avitâ pietate & religione receſſerim, quámque verum hoc quo vivimus ævo illud Horatii,

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

§. V.

Eximia Imperatorum, Regum ac Principum in ſacras ædes religio.

JUvat animo & cogitatione revocare Lectorem ad aurea Conſtantini magni ſæcula, & in iis ſpectare quid actum Romæ Urbium principe & arce religionis: viſum eſt eò loci ac temporis Deo immortali templum erigi oportere; quam in rem non modò theſauros ſuos, & gazas opulentiores aperuit pius Imperator, ſed & manus explicuit, imò & humeros ſuppoſuit, inuſitatâ & à ſæculis inauditâ ſubmiſſione. Primùm enim poſito diademate ac purpurâ, aliquamdiu humi jacens, ingentem vim lacrymarum profudit: deinde etiam accepto ligone terram eruit: tum etiam cophinos terræ omninò duodecim in humeros extulit in honorem ſcilicet duodecim Apoſtolorum, quorum Principi D. Petro Baſilicam parabat.

Ita nimirum factum eſt, & factum benè, ut primum Urbis Romanæ templum ab inſigni illâ demiſſione eò altiùs aſſurgeret, quò profundiùs Chriſtianæ humilitatis in ea poſitum erat fundamentum.

Habent certè in eo Cæſares quod ſuſpiciant atque imitentur, maximè verò ſingularem erga ſacras ædes venerationem; quam non modò in terris ſpirans inter mortales, teſtatam voluit, ſed etiam cœlis

additus,

additus, & reſpirans ævo beatiore inter immortales genios: cùm enim his animum dediſſet, & corpus humo, memor tamen etiam tum ſuæ illius pietatis ac reverentiæ in auguſta templa; corpus ſuum, bonam ſcilicet ſui partem, ad prima ædificatæ à ſe ædis adyta, ipſumque veſtibulum collocari voluit: eamque mentem Conſtantino filio ſuo, ditionum ac virtutum hæredi, injecit. De eo ſic olim facunda mente calamoque aureus orator.

Homil. 26. in 2. ad Cor. *Conſtantinum Magnum magno ſe honore affecturum exiſtimavit ejus filius Conſtantius ſi in veſtibulo collocaret piſcatoris, at quod in regiis janitores ſunt Regibus, id in ſepulchra reges ſint piſcatoribus.*

Hæc S. Præſul Chryſoſtomus, ex quo duo conficies. primum, Piſcatorum veſtibula præſtantiora eſſe Imperatorum aulis ac palatiis, cùm in illis recondi velint glorioſos cineres, & magnarum mentium exuvias.

Alterum, quæ ex Cæſarum Orbisque univerſi ſenſu debeat eſſe intima penetralium ac templorum religio, ſi tanta eſt ipſa veſtibulorum reverentia.

Audire lubet quid de his & illis ſenſerit olim in eadem purpura ſceptroque Junior Theodoſius.

Nos, inquit, *qui legitimi Imperii armis ſemper circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non convenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema, regiæ majeſtatis inſigne, humiliter deponimus, & ſacra altaria munerum tantùm offerendorum causâ accedimus; quibus quoque oblatis ad extimum communeque atrium mox nos recipimus.*

Hoc eſt effatum magni Cæſaris & humilis animi, cujus meminêre acta Concilii Epheſini, ad omnem ſcilicet Poſterorum memoriam, illuſtreque ſeu pietatis, ſeu abjectionis Chriſtianæ documentum, cujus tria recenſet argumenta.

Primum eſt, quod foris arma relinqueret, antiquo ſcilicet ac pio more, quo cavebatur in templa inferri ferrum, hoc eſt, animi acerbitatem, morum duritiem, & pondus quoddam naturæ ſocordia, nec ad officium ſuum attendentis.

Alterum, quod diadema, auguſti capitis inſigne, deponeret, vel in ſignum demiſſionis (ne coram Rege ſæculorum, & cœli terræque Domino, Regia Cæſarisve habitu compareret) vel in argumentum continentiæ, ne dum auro cingitur ac redimitur, ſub eodem quaſi captus & ſub jugum miſſus videretur.

Et illud quidem etiam apud Veteres recepto
In civil. Conſ. more, quo, Plutarcho teſte, delubra ingredientes aurum omne relinquebant, uti & ferrum: duo ſcilicet potentiſſima vitiorum inſtrumenta; quæ à ſacris quàm longiſſimè eſſe oportuit.

Poſtremum denique erat illud, quod intima ſacratæ ædis penetralia non ſubiret Auguſtus, nec ad altaria gradum promoveret, niſi ut Deo ſuo munera offerret, quibus officiis expletis ſeſe recipiebat in atrium extimum, intima Liturgis ac Pontificibus relinquebat; quod argumentum erat ſummæ venerationis, cujus ſtudioſa fuit Antiquitas.

Fuit olim in Templis, & etiamnum eſt lapis Deo
Gregor. Nyſſen. de Bapt. Chriſti. conſecratus, *Menſa ſancta, altare immaculatum*, quod meritò Βωμὸν χαρίτων, *Aram gratiarum* appellare poſſumus: illud ambiebant cancelli, quibus Sanctuarii principes ac Liturgi à profanis, ſeu laïcis diſtinguebantur: patebant enim illi ſolis Sacerdotibus, ideoque D. Gregorius Nazianzenus eos dicere ſolebat *Divorum hominumq; limitem certum*; quo ſcilicet *Divi*, hoc eſt Sacerdotes ab *hominibus*, hoc eſt à populo, Magiſtratibus, Principibus, Regibus, Cæſaribus, imò & Monarchis ſecernebantur: his enim etiam, ut notat D. Dionyſius, *Valvæ adyti*, hoc eſt cancelli clauſi fuêre. Eo nimirum honore Sanctuarium illud majores noſtri proſequebantur, ut nemo unus omnium niſi ſacris initiatus auderet attingere, ne Cæſares quidem, quibus ſummum erat in Orbem imperium ac dominatus.

Ita S. Ambroſius, cui inter ſacra, Numinis majeſtas in primis curis fuit, juſſit Theodoſium Imperatorem ad cancellos manere. Sozom. l. 7. c. 24.

Ita (ut eò redeam, unde paululum digreſſus ſum) ſua ſponte, jubente ſcilicet ſolius Numinis ac Sanctuarii reverentiâ, oblatis ad aras muneribus extra eoſdem cancellos abiit Theodoſius Junior, ſeſeque ad atrium commune recepit: quod modeſtiæ ſingularis exemplum utinam & legeret & ſequeretur tota poſteritas; maximè verò viri Principes, qui cùm in excelſo ætatem agant, ſua facta omnium oculis objicere ſolent, vel ad ſubditorum ruinam, vel ad ſalutem: quis enim adeò perfrictæ frontis ſit, adeò abjectæ ac proſtitutæ mentis, qui Dei templum ceu ſanctuarium, ceu glorioſum propitiatorium non ſuſpiciat ac revereatur; ſi Regum ac Cæſarum exem- Lipom. tom 5.
plo ducatur: è contra, quotuſquiſque erit illius reverentiæ retinens, ſi eos, qui prælucere debuerant, Anno Domini 912.
jam antè viderit eam exuiſſe; ut olim exuit Alexander Imperator, ſed ſuo malo.

Solebat ille, ſeu inſolenti faſtu, qui plerumque ſub purpurâ naſci ſolet, ſeu familiarium perſuaſione, ſeu etiam perversâ indole, ſacratas Deo ac Superis ædes ſubire capite cooperto, contra communem Regum, Cæſarumque morem. Non tulit inultum id facinus Divina Juſtitia, quæ etiam coronatis Cæſarum verticibus imminet ad debitam ſcelerum ultionem; quam ut exigeret, effecit primùm ut mente caperetur; deinde ut ſcaturientibus toto corpore vermibus infelicem animam expueret: caſu ſanè prodigioſo, à quo poſteri diſcent

Juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Sed abeamus ab infelici Cæſare: jacet ille cæſus & divinâ quidem manu, ejusque memoria infami notata probro, juſto Dei vindicis judicio, cujus extat vox ac minæ: qui me contemnunt, erunt ignobiles; ut è contra, & terris & cœlis illuſtres ii, qui & religioni, & ſacris aris debitum cultum reddidêre: quos inter eminet profectò Sancta Eliſabetha Regis Hungariæ filia, quam Deus eò magis extulit, quò magis ſeipſam depreſſit.

Cùm adiret illa templum unà cum Sophiâ matre ſponſi, & Agnete ejuſdem ſponſi ſorore, in primo ejus ingreſſu coronam deponebat, atque tamdiu nudum verticem oſtendere perſeverabat, quoad ritus ſacrorum completo, domum redire monebatur. Sur. tom. 6.
Pium illud ac religioſum facinus, ut in multorum in ejus vitâ.
oculos, ita & in invidiam ac maledicas voces incurrit; imò & Sophiam ipſam commovit, adeoque perculit, ut alienum ſentiret, & diceret à regia majeſtate, cauſamque quæreret tam inuſitatæ atque inſolentis, ut rebatur, ſubmiſſionis: cui Regina, & modeſtè, & perargutè hæc adjecit. Abſit à me procul tanta impietas, ut ibi caput meum terreno faſtu micantis coronæ ſuperbiat, ubi caput Salvatoris mei ſpinis coronatum acerbè compungitur.

Liberæ profectò & regiæ voces, dignæque cedro, quas utinam legerent atque æmularentur ætates omnes longè conſequentes.

CAPUT IV.

De religioſo in Templis ſilentio.

FUit olim in templis picta atque expreſſa imago ſilentii, prudenti ſanè conſilio, ut ſcilicet ea ſub- Chryſoſt.
itori, legerent impoſitum ſibi ſilentium veluti regulam aliquam divini cultus ac venerationis: amat nimirum, etiam judice Triſmegiſto, Deus ineffabilis ſilentio ſolo prædicari: quæ ratio fuit, ut etiam publicâ præconis voce ſub ſacrificii tempus ediceretur illud: *Favete linguis: quod verbum*, inquit Seneca,

De vita Mont. c. 26. *non ut plerique exiſtimant à fatore trahitur, ſed imperatur ſilentium, ut biti peragi poſſit ſacrum nullâ voce mala obſtrepente.*

Quod ſi etiam apud profanos, quales fuêre vel Romsni, vel Pythagoræi, vel etiam Ægyptii, Deus ſilentio religioſo colendus fuit; quantò magis apud Chriſtianos, quibus & veri Numinis agnitio, & nova fidei lux affulſit: ut potiò ſic colatur, docebo primùm quid ſit ſilentium, & quæ illius in ſacris regula: deinde quàm illud in Eccleſiâ olim ſolemne ac ſacrum; tum etiam quantum commendarint Divi Patres, quoúe orationis impetu in eos invecti ſint, qui illud violârint: denique tam hujus quàm illius rationes producam.

§. I.

Quid ſit ſilentium, & quæ loquendi in Templis regula?

HAbet homo multa cum cæteria creaturis communia: eſſe nimirum cum inanimis, cœlo, elementis; vivere, vegetari, creſcere cum plantis; ſentire cum brutis animantibus; intelligere & ratiocinari cum Angelis, beatis illis ſpiritibus: habet & aliquid ſingulare, ſibique proprium; loqui ſcilicet & voces articulatas edere, quod ſummi Authoris beneficium eſt, cujus meminit Moſes ubi primam illius molitionem explicat: ait enim.

Gen. c. 2. v. 7. *Factus eſt homo in animam viventem*: velut exponit Paraphraſtes Chaldæus, *In animam loquentem*: habet enim à natura loquelam, uti & rationem: ſed proh dolor! ut illâ benè præditus ſit ſæpè tamen utitur quàm peſſimè; interdum enim tacet ubi loqui par eſt, quandoque etiam loquitur cùm tacere oportuit: & hinc opus aliqua virtute quæ illi ſit pro fræno, eamque modò laxet, modò contrahat.

Virtus autem illa apud Aſceticos *Silentium* appellatur: quod ita Albertus Magnus definiendum putavit.

Parad. 1 31. *Silentium taciturnitas vera & perfecta eſt, non ſolùm moderari linguam à verbis illicitis, ſed etiam ab utilibus*
Iſ. c. 38 v. 1. *& licitis, juxta illud, Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.*

Quod ipſum breviùs exponi ſic poteſt.

Silentium eſt taciturnitas moderans linguam etiam in
De confuſ. ling. *bonis juxta regulam*: quod Philo Judæus paulò aliter explicuit; dicit enim, *Silentium eſſe facultatem quamdam diſpenſatricem temporum loquendi, quâ benè morati reverentiam præ ſe ferunt.*

Et hæ definitiones ferè ſunt ex Logicæ norma ac præceptis; exhibent enim, ut cum Philoſophis loquar, & genus, & differentiam, quæ duo definitionem faciunt: à qua ut diſcedam perplacet illa Diadochi, viri ſapientis, deſcriptio.

De Perf. c. 70. *Silentium mater eſt ſapientiſſimarum cogitationum*: per illud enim hominis animus, mens & intelligentia ſeſe intra ſe colligit, ſecum agit, ſecum loquitur; uti è contrà per vocem patenti ore penitùs effundit.

Dicamus etiam amplius, quod ſilentium animæ cuſtos ſit atque integritatis, quod nutrix pietatis ac devotionis.

Epiſt. 41. Denique, quod & notavit D. Baſilius: *Ad contemplationem, & mentis energiam per quam Deo conjungimur, commodè comperitur ſilentii tranquillitas*: ideoque
In Edeſ. ut eleganter obſervavit Ennapius: *Silentium myſteriis congruum, & ſacrorum præſide digna taciturnitas*: quam quia in illo quærimus, regulam, qua linguam, lubricum & difficile membrum, dirigere poſſit, proponimus.

Erit illa, quam D. Gregorius Nazianzenus in matre ſua Nonna prædicare ſolebat; cujus vocem in
Orat. 19. ſacris conventibus nunquam ait fuiſſe auditam, *niſi in rebus neceſſariis & myſticis*, hoc eſt ad ipſa ſacra quæ peragebat, vel quibus intererat ſpectantibus.

Et hanc regulam ſervatam imprimis velim à Clericis ac Liturgis ſacratioribus, ne inter tremenda illa myſteria aliquid effundant, quod vel à ſuo inſtituto alienum, vel à Divina Majeſtate, cui litant, abhorrens videri poſſit: ſecùs enim ſi fecerint, næ illi profectò grande ſcelus incurrent, næ gravem capiti ſuo pœnam accerſent.

§. II.

Quàm ſacrum olim & inviolabile in Templis ac piis cœtibus ſilentium?

DE Philoſopho pronuntiavit olim Julianus imperator, in Lycæo ac gymnaſio *ne reſpirandum* *Zonaras tom. 3.*
quidem illi eſſe: tantam in eo non vocis tantùm, ſed animi quoque moderationem atque honeſtatem requiſivit, ut ſi fieri poſſet, ne reſpirandum quidem illi eſſe videretur, ne ſcilicet aut debitæ Magiſtris reverentiæ, aut attentioni obeſſet vel ipſa ſola reſpiratio.

Quod in Philoſopho, quod in ſtudioſa prophanæ Sophiæ palæſtra amavit Imperator; hoc in auguſta Dei domo & obſervare & reddere debet impenſiùs quiſquis eſſe volet Chriſti diſcipulus, & nomine ac re etiam ipſa Philoſophus Chriſtianus: & verò jam antè viſus eſt reddidiſſe.

Philo Judæus ubi diſputationem inſtituit de cœ- *Lib. de vita Cont.*
tibus Chriſtianorum, ſub nomine Eſſenorum Alexandrinorum, aſſerit tantùm in iis fuiſſe ſilentium, *ut ne mutire quidem cuiquam liceret, aut reſpirare vehementiùs.* Tanta nimirum fuit vel modeſtiæ ratio, vel ſilentii cura atque obſervantia; quam etiam in
Ægyptiis Monachis commendavit Caſſianus. Nar- *Lib. 2. c. 10.*
rat enim etſi convenifſent illi numero longè maximo, tamen eam ſilentii ſervaſſe legem, ut præter illum, qui pſalmum decantabat, audiretur nemo. Non ſputum, non excreatio, non tuſſis, non oſcitatio, non gemitus, non ſuſpiria, nedum vox ulla alia reſonabat: diceres eſſe te inter ſilentia nemoris, & mutas rupes, in avia quapiam ac deſerta ſolitudine.

Et hic genius fuit naſcentis Eccleſiæ, hæc ſacrorum locorum reverentia: cui ſimile quippiam lego ex Ariſtæa, ubi hæc de reverentia in templo antiquæ legis.

Miniſterium Sacerdotum robore, decore, & ſilentio *Lib. de 72. Interpr.*
cuncta ſuperabat: ſilentium tantum ineſt, ut cum ſeptingenti ferè miniſtrorum continuò adſint, & offerentium libamina multitudo ingens, ne unum quidem hominem in loco verſari putes: ſummâ namque veneratione cuncta, & magna Dei pietate perficiuntur.

Si tanta & tam reverens in miniſteriis illis antiquis religio; quanta in venerabili, & auguſto Miſſæ ſacrificio, cujus illa dumtaxat umbra fuêre ac ferè boni vacua imago quædam? Certè quantum intereſt corpus inter & umbram, tantum inter debitam & huic & illis venerationem neceſſe eſt intereſſe.

Sed inſtitutum noſtrum proſequamur, & videamus quàm ſeriæ & graves de ſilentio in ſacris ſervando Majorum noſtrûm fuerint præceptiones.

In actis Damaſi olim in Eccleſia legi ſoliris ſeverè præcipiebatur, ut ii omnes ex Eccleſia non ſine nota ac dedecore ejicerentur, qui eam vanis confabulationibus profanaſſent.

In Conſtitutione quinta Pii V. fœl. recórd. hujuſmodi Eccleſiarum turbatores pœnis Ordinariorum arbitrio puniendi tradebantur.

Omitto alia plurima Conciliorum ea de re ſeu *Anno Sig. c. 38 Seſſ.*
monita, ſeu decreta, ut Turonenſis tertii, Tridentini, & aliorum: at omittere non poſſum illuſtre *22. c. de obſerv.*
decretum S. Stephani Regis Hungariæ.

Is pro ea, qua fuit in Deum religione, & in ſacris myſteriis reverentia, ſeverè ſanxit & ſtatuit, Ut ſi *Decretal. c. 8.*
quis inter Divina miſſarum ſolemnia, & Scripturæ in templis prælectiones, fabulas otioſas intexeret,

ſi major

ſi major eſſet (hoc eſt illuſtri domo natus) cum publica infamiæ nota ex Eccleſia pelleretur ; ſin autem minor , id eſt , è vulgo , in ipſo templi atrio primùm vinculis oneraretur , deinde etiam flagellis acriter corriperetur , vel ad aliorum exemplum , vel ad ſuæ temeritatis ſupplicium.

Meritò ſanè Rex pius ea animadverſione dignos cenſuit illos , qui profana confabulatione loca ſacra contaminarent ſibi noxii, & aliis graves quos proinde divini cultus amator Chryſoſtomus extra Eccleſiæ Hom. 1 de verb. Iſaj. ſepta proturbandos eſſe cenſebat , etiam *ut alienæ ſalutis inſidiatores* : juſtè profectò ; neque enim quicquam eſt tam ſalutis inimicum , quàm alicujus mentem à religione disjungere , & à fructuoſiſſimo Dei commercio petulantiùs avocare.

§. III.

Quàm commendatum à SS. Patribus ſacris in locis ſilentium ?

VAlentiniani hæretici , qui veterum ſuperſtitionem ad rituum Chriſtianorum majeſtatem ac ſapientiam traducere cònati ſunt, ſilentium cònſecraverunt & fecerunt veluti fomem & caput Divinitatis, Lib. advers. Valent. quod doctè obſervavit Tertullianus :

Eleuſiniana Valentiniana , inquit , *fecerunt lenocinia ſancta , ſilentio magno, ſolâ taciturnitate cæleſtia.*

Rebantur nimirum illi magnâ eſſe in caſto ſilentio illecebras potentiaque lenocinia ad permovendos ſpecie religionis animos.

Hæc illi non ſine ſuperſtitione ac vanitate : ſaniora Divi Patres ex veritate & ſenſêre & dixêre. Hi certè de ſacro ſilentio ita locuti, ac ſi in illo uno & religionis noſtræ majeſtas & ſanctitas eſſet conſtituta.

Hoc in genere celebrari ſolet illud axioma Liberii Summi Pontificis, viri & ſanctiſſimi & ſapientiſſimi.

Apud Amb. l. 3 de Virg. *Maxima eſt virtus tacendi , præſertim in Eccleſia.* cui conſonat & illud D. Chryſoſtomi. Hom. 36, ad popul. *Nihil tam congruum Eccleſiæ quàm ſilentium.*

Ad hoc Chriſtianos omnes invitat brevis illa , ſed efficax B. Nili ſententia.

Eccleſiam , inquit , *ut cælum adi , & nihil in ea aut loquere , aut age quod terram ſapiat.*

Si judice Beato Nilo Eccleſia ut cœlum adeunda , ſi nihil , in ea aut loquendum , aut agendum quod terram ſapiat ; qua animadverſione digni erunt illi , qui terrenum illud cœlum , qui domum orationis verterint in forum contentionis , qui in ea verba fuderint otioſa , atque etiam ipſi Deo & loco injurioſa.

Quidni enim injurioſa appellem ? Certè B. Damiano teſte injuriam irrogat & immanem quidem , L. 7 epiſt. ep. 1. *qui de Eccleſia non oratorium, ſed loquutorium ; non oraculum , ſed conciliabulum facit , ac in ea domo ſæcularia verba permiſcet, quæ dumtaxat ob hoc conſtructa dignoſcitur ut in ea prorſus à negotii ſæcularis actione vacetur.*

D. Chryſoſtomus , os illud aureum , etiam de ſuæ ætate queſtus , deque deploranda quam in ea ſpectabat metamorphoſi.

Hom 13 in Matth. *Domus* , inquit , *priſcis temporibus Eccleſiæ erant , nunc ipſa etiam Eccleſia in domum redacta eſt. Nihil ante in privata domo carnale loquebantur , nihil nunc in Eccleſia ſpirituale memoratur. Cumq; Deus loquatur non modò ipſum ſilentio non auditis ; verum etiam contraria inſerentes inculcatis. Quas ob res acerbè fleo , & nunquam flendi finem faciam.*

Hæc ſanctus Doctor non ſine ingenti doloris ſenſu , & fonte lacrymarum : cui ſuos quoque gemitus ac lacrymas miſcere velim Eccleſiæ Præſules ac deplorare petulantem hujus ſæculi licentiam , in quam potiori ratione verti poſſunt illæ magni Chryſoſtomi querelæ.

Ex vero enim hoc quo vivimus ævo , multæ Eccleſiæ veluti in privatas converſæ domos , & profanas quidem ; adeò in illis , & nugis , & fabulis , & negotiis vacare lubet, quaſi Dei domus, domus eſſet negotiationis , imò & ſpelunca latronum , in qua etiam maledica lingua in tranſeuntes & obvios quoſque involet, & eorum famam laceret ac perdat : quæ impudentia ſanè deploranda , & omni ſupplicio digna.

Servator optimus ejecit olim *omnes vendentes & ementes in templo* , imò & eoſdem flagellis excepit : Matth. c. 21. quod dum æqua lance expendit Venerabilis Beda , ſic ait.

Si Dominus nec ea volebat venundari in templo , quæ volebat offerri ; quanta putas animadverſione puniret , ſi inveniſſet ibi aliquos riſui vel vaniloquio vacantes , aut aliis cuilibet vitio mancipatos ? ſi enim ea quæ alibi geri poterant , Dominus in domo ſua geri non patitur ; quantò magis ea quæ nuſquam fieri licet, plus cæleſtis iræ merentur ſi in ædibus Deo ſacratis aguntur.

Eodem argumento uſus etiam D. Ambroſius , eodem & D. Chryſoſtomus ; qui eximiam in mercatores illos Chriſti Domini manſuetudinem dum amat & ſuſpicit , ſimul etiam gravius detonat in Chriſtianos, qui in templis vel loquuntur, vel rident, vel locantur impudentiùs ; cenſetque illos dignos non qui verbere & flagello mitiùs excipiantur à Domino , ſed qui etiam cœlo vindice , *Fulmine* percutiantur. Juvat illum etiamnum in ſcriptis ſuis ſpirantem & fulminantem audire.

Et hoc , inquit , *profectò terribile , quod non venis hùc ut ſaltes in ludo & choreâ, & ſtes ſine ordine : neſcis quod cum Angelis ſtas , cum illis cantas , cum illis hymnum dicis , & ſtas ridens ? Etenim non eſſet mirum ſi fulmen demitteretur non ſolum in illos , ſed etiam in nos. Digna enim fulmine ſunt hæc.* Hom 24. in Acta.

Ecquid enim (ut mutuatâ magni Præſulis Ambroſii utar eloquentia)

Eſtne quicquam indignius quàm oracula divina circumſtrepi ne audiantur, ne credantur, ne revelentur : circumſonari Sacramenta confuſis vocibus , ut impediatur oratio pro ſalute deprompta omnium , cùm Gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo deferant : unde illud exemplum proditur, Alexandro Macedonum Rege ſacrificante, puerulum barbarum , qui ei lumen accenderet , excepiſſe ignem brachio atque aduſto corpore manſiſſe immobilem : nec dolorem prodidiſſe gemitu. nec tacito pœnam indicaſſe fletu, tanta in puero barbaro fuit diſciplina reverentia, ut naturam vinceret : atque ille non Deos , qui nulli erant , ſed Regem timebat. Lib 3. de Virgin.

Hoc argumentum è profanâ Gentilitate producit Ambroſius, ut Chriſtianis ruborem injiciat : & verò quidni injiceret illud unius puerult , & quidem barbari , pium facinus.

Ignem ille vincit, & omnem ſeu doloris, ſeu etiam naturæ ſenſum : & nos unius linguæ petulantiam , ac pruriginem etiam in ſacris ſuperare non poſſumus.

Semiuſto corpore ſtat ille immobilis, ne vel indecoro geſtu , vel leviore brachii motu ſtrepitum aliquem excitet ; & nobis ad inſulſos & indecoros corporis motus & pedes & brachia pruriunt.

Gemitus ille alto corde premit ac cohibet , nec lacrymas intimi doloris teſtes etiam tacito lapſu fluere patitur ; & nos in fabulas , in jocos , in riſus toti effundimur?

Regem ille mortalem timebat , & Macedonici imperii , hoc eſt unius terræ puncti , Dominum , & unicè cavebat illud , ne quid in illius oculos auréſve incurreret , quod poſſet offendere ; nos immortalem Deum, & Univerſorum Regem non reformidamus ? & quidem in illâ ipsâ horâ quâ Servator optimus velut è cœli regiâ devocatus ſacrificio præſens aſſiſtit : in illa dico hora , quam *terribilem* appellat ore aureo Chryſoſtomus : *Nos* , inquam, *ſub horam terribilis illius ac myſticæ menſæ in vaniloquentia conventiculis occupati*

pati ſumus, parum memiores qood Sacerdoti adpromiſimus; dicenti quippe *Surſum corda*, reſpoodimus *Habemus ad Dominum*: in hoc perfectò impudentes mendaces: quod nefas dum ſtupet horretque Chryſoſtomus:

Hom. in Encaniis. *Quid facis*, inquit, *ô homo? non promiſiſti Sacerdoti, qui dixit Surſum corda, & dixiſti habemus ad Dominum: non erubeſcis ea hora mendax inveniri?*

Si alio tempore locóve aliud loqueretor lingua, aliud cor meditaretur, venia fortaſſis danda foret; at in templi ſacrario, Chriſti regiâ, Servatoris oculis, inſolentis mendacii, & impudentis garrulitatis reum teneri, nec intolerandum eſt crimen læſæ Divinæ Majeſtatis, cui proinde parata de Superis ultio; à quâ ſusque deque vertuntur omnia.

Appello D. Chryſoſtomi fidem; agens ille de Liturgiâ Eccleſiæ, hæc ſeverâ & gravi eloquentiâ, ac plenâ querelia & minis:

Hom. 2. in ep. 1. ad Cor. *Quidam*, inquit, *adeò ſunt incogitantes, ſtulti ac diſſoluti, ut non ſolùm eo tempora, quo hac aguntur cum Catechumenis; ſed etiam in his, qua aguntur cum fidelibus, ſtent & fabulentur: hinc ſubverſa ſunt omnia, hinc perierunt omnia, & quidem ea tempore, quo magis erat placandus, illo magis irritato diſcedimus.*

Hic oculos, hîc ſtylum fige, mi Lector, & tacitis apud te cogitationibus expende illa verba, *hinc ſubverſa ſunt omnia, hinc perierunt omnia.*

Deus bone, an hic mundus aſpectabilis non alia parturit ſcelerum monſtra, à quibus ſubvertatur & pereat; non alia, inquam, quàm fabulas in templis, ut his adſcribi debeat quidquid in terris cœlo vindice eſt mali? Parturit enimverò alia, nemo abnuat; at illa magis in Dei oculos atque iras incurrunt, quæ in locis ſacris obtruduntur.

Cap. 7. ex Sept. Hinc minatur Deus per Amos Prophetam deſtructurum ſe βωμοὺς γέλωτος, *Aras ridiculi*, hoc eſt ſecundùm nonnullos Interpretes, aras, & delubra eorum, qui potiùs ad fabulas, & profana quædam ludicra, quàm ad domum orationis convenire viderunt.

Nec mirum ſi id minetur ultor Deus, & re etiam ipsâ ab iis exigat, qui propter inſolentem garrulitatem, *Cum parvo peccata ad Eccleſiam veniunt, & cum peccatis multis de Eccleſia recedunt*, ut ſcitè animadvertit D. Ambroſius. *Serm. 23.*

§. IV.

Afferuntur nonnulla rationes, ob quas ſervandum in ſacris ædibus ſilentium.

RAtiones illæ petendæ primùm à nobis ipſis, deinde ab ipſo loco, denique ab æterno tremendoque Numine, quod ibi religioſo ſilentio colitur.

Ubi pedem in ſanctâ intulerit homo, primò ſeipſe circumſpiciat, ſibique dictum ſentiat illud, *Noſce teipſum*; quis & unde ſis.

Es homo, hoc eſt lutea progenies, pulvis, cinis: id atteſtatur atque evincit illud Scripturæ oraculum tibi jam inde à primâ Univerſi molitione editum. *Gen. c. 3. v. 19.* *Pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Es homo, hoc eſt Philoſopho judice, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, corruptionis ſpeculum, temporis ſpolium.

Es homo, hoc eſt mancipium mortis, viator tranſiens.

Es homo, id eſt pila, qua ludit Deus, ut inquit Plautus.

Es homo, circumgeſtans imbecillum corpus, & fragile, nudum, inerme, alienæ opia indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, ut diſertè Seneca.

Es homo corruptionis vinculum, viva mors, ſentiens cadaver, ſepulchrum circumvertibile, velamen opacum, ut rectè Triſmegiſtus.

Es homo, puta ſimulachrum, & tenuis umbra: denique verbo ut abſolvam,

Es homo, id eſt umbræ ſomnium. Et is quidem es à natura: à culpa longè his omnibus & inferior, & deterior: & tamen ut is ſis, ſubis nihilominus ſacroſancta Dei tui limina, illiusque conſpectui te ſiſtis, imò & in colloquium venis. Vide quibus oculis, qua fronte, quo ſtupore ac notitia mentis, & quàm reverenti ſilentio.

Dixit olim ex antiquis nonnemo. *Parva cura loquuntur, ingentes ſtupent*, & verò quidni ſtupeant eæ curæ, quæ de divinis ſunt, ipſoque immortali Deo! cujus adminiſtri in templo ſumus, cujus convivæ in ſacratiore Miſſæ ſacrificio.

In conviviis olim Dominorum, ſi quis eorum qui menſæ miniſtrabant, aut verbulum dixiſſet, aut riſum feciſſet, crudelem in modum excipiebatur.

Infelicibus ſervis, inquit Seneca, *movere labra, ne in hoc quidem ut loquantur licet; virgâ murmur omne compeſcitur, & ne fortuita quidem excepta ſunt, tuſſis, ſternutamentum, ſingultus, magno malo ulla voce interpellatum ſilentium luitur.* Hæc ille. *Epiſt. 47.*

Quod ſi eò loci ac temporis tanta ſervis tacendi impoſita neceſſitas; quantum erit, mi Lector, ſilentium illud quod à te ſervo, ac viliſſimo mancipio jure ſuo Dominus Univerſorum exigit; quantum illud quod ipſa loci religio ac ſanctitas; quantum denique quod poſtulat illius menſæ, quæ ibi ſternitur, apparatus.

In ea quippè, ut cum Scriptura loquar, eſt convivium pingue, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, ubi cœli ac paradiſi menſa inſtruitur, ubi calix inebrians, ubi agnus ipſe immaculatus cum omni ſuavitudine gratiarum apponitur; ubi denique aſſidet ille in cujus femore ſcriptum eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium: & non putabis illud verendò, omni ſilentio: & amabili ſtupore dignum? putabis enimverò, niſi tibi emota mens, & vultus effrons.

D. Chryſoſtomus ut à loci ſacri religione, religioſum quoque induceret ſilentium, illum cum ipſo cœlo componit; ubi enim quærit quid ſit Eccleſia, reſpondet.

Eſt locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipſum. Ubi hanc Eccleſiæ definitionem extulit, tum ſubjicit illud ad mores ritè efformandos: *Quemadmodum igitur ſi cœlum quiſpiam in anguſtum illud redactum illuc inducat, etiamſi patrem, etiamſi fratrem videas, tamen præ ſtupore non alloquare. Sit neque hic aliud quàm ſancta ſonare decet; nam & hic cœlum. dubitas? menſam iſtam vide, cujus gratia conſtituta ſit, & quapropter; cogita quis hic ſit progreſſurus, ante progreſſum certè horrebis.* Hæc aureus Orator, qui in Eccleſia tantum amat ſilentium, quantum in cœlo, Dei regia & ſede beatitatis.

Certè ſi nobis daretur quod datum olim Apoſtolo, rapi in tertium cœlum; ſi, quod modò beatis mentibus, admitti in conſpectum, conſeſſumque Angelorum; quantum, & quàm reverens ſilentium, quàm mirabilis ſtupor illigaret & linguam, & mentem tanta rerum cœleſtium novitate ac majeſtate attonitam.

Quod cœlo concederemus, hoc & Eccleſiæ; hæc enim ut cum B. Paulino loquar, *Eſt beata cœleſtium præparatio manſionum*, eſt Sanctorum in terris ſacrarium, eſt tabernaculum Divinitatis, Propitiatorium altiſſimi, in quo Deus majeſtatis ac gloriæ, præſentiam ſuam accommodat, & vota intereſt mortalium; *Epiſt. 12.* & ea riſu, voce, fabellis interpellare, imò & diſturbare non vereberis? Vereberis profectò ſi tibi noveris & ſcriptum illud: *Pavete à ſanctuario meo*; & hoc Vatis regii, *Te decet hymnus Deus in Sion*; ſeu ut ad inſtitutum noſtrum accommodè vertit D. Hieronymus, *Tibi ſilentium laus Deus in Sion*, eſt enim, & linguæ, & animi ſilêtium eximium quoddam laudis genus, quo tacitè & demiſsè Numen ipſum veneramur. *Levit. c. 26. v. 2.*

Numen

Numen, inquam, in quo vivimus, movemur, & ſumus, cui nuda & aperta ſunt omnia, cujus in oculis ipſi Seraphimi & vultus & pedes obvelant, cujus vel ſolo nutu columnæ cœli contremiſcunt, cujus denique à facie *ſilet omnis caro.*

Zachar. c. 2.

Et certè quidni ſileat? decet enim ut non modò tacitis animi votis, & religioſo metu, verùm etiam honeſto ſilentio Deum præſentem veneremur: quo in genere mirabilis mihi ſemper atque amabilis viſa conſuetudo antiqua Sacerdotum, cujus meminit Caſſiodorus; ait enim ſolitos olim illos ſuas aures thure complere, ne ſcilicet peregrinis ullius verbis turbarentur, neve etiam in eas aliquid admitterent, quod à divinis eſſet alienum; adeò ab omnibus aliis exiſtimabant ſileri oportere.

Optarem hoc quo vivimus ævo & Sacerdotes, & canonicis officiis addictos omnes, non aures tantùm, ſed & ora thure complere; non ea foret inter ſacra ſolemnia & fabulas miſcendi & audiendi licentia: ad quam coërcendam vellem etiam revocatum illum morem Græcorum, apud quos Sacerdos ad ſacrificium acceſſurus, priùs altâ voce quærebat τίς τῶδε, *quis hic?* reſpondebant autem qui intererant, *Multi & boni.* Id ſi verè dici poſſet, de retinenda in templis modeſtia, deque ſervando ſilentio non adeò foret laborandum: ſed proh dolor! nec ea quæſtio modò à Sacerdote ſacrificaturo injicitur, nec ſimilis aliqua ab Auditoribus reſponſio dari poteſt: ut enim *multi* ſint; at non *boni*, non memores officii ſui, debitæque tum temporis reverentiæ ac venerationis: cui malo etiam fortaſſis anſam præbent vel ipſi Clerici ac Sacerdotes, quibus inter divina officia nimia eſt confabulandi licentia, qua & ſibi periculum creant, & aliis ſcandalum.

Fuêre certè, fuêre quondam aurea illa ſæcula, in quibus à modeſtia inſignes, *Sacerdotales viri* nominabantur: unde manſvit illud Apollinaris. *Plus ego admiror Sacerdotalem virum, quàm Sacerdotem.* At modò, quæ hujus ſæculi labes eſt & macula quædam, multos in Clero videas Sacerdotes, at omninò paucos Sacerdotales viros, qui à modeſtia & ordini ſuo ſint ornamento, & aliis etiam exemplo atque documento.

Lib. 4. Ep. 9.

CAPUT V.

De modeſtia in Templis ſervanda.

Pſal. 44.

PUlchrè cecinit olim Vates regius: *Omnis gloria filia regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quæ ſit illa ſi quæris, audies eſſe hominis animam, quæ filia Regis eſt, & altiſſimi quidem, cujus forma, nitor, & gloria princeps, eſt *ab intus*, à gratia, caritate, cæteriſque virtutum ornamentis, quibus intrinſecùs nitet, & rapit Superûm oculos, quos etiam oblectant ac diſtinent *fimbriæ aureæ*, hoc eſt externa quædam ſpecies, & concinna totius corporis compoſitio, ad regulas modeſtiæ expreſſa: de qua mihi in præſens erit diſceptatio, eaque brevis, atque inſtituto meo accommoda.

§. I.

Quid ſit modeſtia?

MOdeſtiam Sancti Patres ac Theologi quandoque preſſiùs definiunt ex Philoſophiæ regulis ac norma, quandoque latiùs ex quadam oratoriæ artis indulgentia: ex hac nonnulla petamus.

In epiſt. ad Tit.

D. Hieronymus eam appellavit *quandam decoris ſacri dignitatem.*

Lib. 1. Offic. c. 18.

D. Ambroſius veluti delibatam è divina mente portionem. *Dives*, inquit, *eſt modeſtia, quia portio Dei eſt.* magnificum ſanè & tanto Præſule dignum oraculum.

De cultu fem. c. 8.

Tertullianus graviore uti aliàs ſtylo uſus, modeſtiam cenſebat eſſe *ſeveritatem quandam* amabilem *in facie, in cultu, in totius hominis contemplatione.*

Alio loco quaſi divitem animi *ſupellectilem, quam foris inſpiciat ut ſuam.*

Ep. ad Trallianos.

S. Ignatius modeſtiam aiebat eſſe *magnum caterorum diſciplinam.*

De vita Moſ.

D. Gregorius Nyſſenus *pudorem modeſtum.* ita ſuavi colore modeſtiam pinxit S. Doctor.

Alii aliter atque aliter effinxêre: hi enim appellavêre *gratiam bonam*: illi *decorum in geſtu & habitu*: iſti *Donum Deorum pulcherrimum*: & hi quidem omnes (ut antè inſinuavi) modeſtiam deſcripsêre potiùs, quàm definivêre.

Definitionem qui volet hanc accipiat. Modeſtia virtus eſt emanans ab animo benè compoſito, & elucens in ore, geſtu, totoque corpore, & concinnam veluti decori harmoniam efficiens.

De Patient. c. 13.

Dixi emanare ab animo, quia ut eleganter Tertullianus. *Rector animus facilè communicat cum habitacula ſua*, hoc eſt corpore, in quo reſidet velut in proprio quodam domicilio, cui (ut cum eodem authore loquar) communicat *ſpiritus invecta*, hoc eſt quæ ſpiritus invehit, importatque in corpus; ex quo manavit illud Caſſiani: *De exterioris hominis motu, interioris ſtatus cognoſcitur*; & hoc Ariſtotelis: *Mores hominum corporis geſtu prodi ac ſignificari.* Cujus ratio ea eſt quam paucis, nervosè tamen explicat D. Ambroſius, *quia corporis motus vox quadam animi eſt*; ſuavis illa quidem, & concinna, ſi hic fuerit benè compoſitus; ſin ſecùs, rudis & abſona: ſed hæc pro definitione Modeſtiæ dixiſſe, plus ſatis.

L. 12. c. 29.

§. II.

In quo potiſſimùm conſiſtat ea modeſtiæ ratio, quæ in Eccleſiis requiritur? & quænam illi ſint adverſa?

Lib. de Muſica.

CAſſiodorus in vitâ Chriſtianâ petebat muſicam aliquam diſciplinam, ut ſcilicet in eâ ſuaviter & concinnè fluerent omnia, ac veluti per muſicos rythmos, quos perfectè redderet atque adumbraret decēs in ore, in vultu, in geſtu, in toto corpore modeſtia.

In Pſal. 29.

Divus Baſilius eâdem uſus ſimilitudine & causâ, corpus appellat *Pſalterium*; & pſalmos, ſeu rythmos ipſas corporis actiones, ex normâ reguliſque modeſtiæ, veluti numeris quibuſdam compoſitas.

In Pſal. 4.

Quod ſi corporis humani ſtructura *Pſalterium* eſſe debet etiam quovis in loco, quantò magis in Eccleſiâ? in quâ neceſſum eſt ut exhibeat omnes omninò modeſtiæ partes, in vultu, ore, oculis, geſtu, habituque toto: Si enim, ut inquit Divus Chryſoſtomus, virum aliquem principem allocuturi, priùs os, habitum, inceſſumque componimus *ad decus quoddam ac honeſtatem*; quantò magis acturi cum Deo, ſummo Imperatore Univerſi?

Itaque primùm generatim habenda ratio habitus totius corporis, ut vel decenter ſtet erectum, vel in genua humiliter pronum.

Conſt. Apoſt. l. 2. c. 12.

Illud olim ante ſacrum exigere atque inclamare ſoliti Diaconi in hæc ipſa verba. *Stemus erecti Domino cum metu, & tremore ad offerendum.* Hoc enim requirit ſupremi Numinis reverentia, cui flectitur omne genu. Unde nullo modo probare poſſum, ut quis inter ſacra cum torpore ſedeat, niſi fortè illud aut infirma valetudo, aut etiam neceſſitas exegerit; tum enim venia danda.

Apud Judæos tanta fuit Bibliorum reverentia, ut juxta ea ſedere nefas ingens duceretur, ea ſcilicet apud illos ſacrorum librorum obſervantia, quam ab ipſo Moſe, Sanctiſſimiſque Patriarchis hauſerant: quæ certè ſi probanda, multò magis ea religio, quæ Deo debetur, & ſacroſanctis ejus myſteriis. Ecquid enim? Judæo non licuit Bibliis ſacris aſſidere, & licebit Chriſtiano coram Venerabili Euchariſtia, coram Agno, ipſoque Patris Æterni Verbo, & Vitæ libro conſidere? Non licebit certè: hoc enim à modeſtia nimium quantum alienū eſt atque abhorrens.

 Id ſanè

Id ſanè advertit S. Etmundus Cantuarienſis Epiſcopus, de quo hæc Surius. *In ædibus ſacris reverenter, & pie ſe geſſit, & nunquam, vel rariſſimè illic aſſidere valuit.*

Primum ergo illud in templis habe atque obſerva, mi Lector: aut ſta, quod eſt reverentiæ, aut utrumque genu flecte, quod eſt demiſſionis.

Cura deinde & alterum, ut in vultu, ceu præcipua & regali ſede, habitet ingenuus pudor, maximè verò in oculis, quos modeſtè demiſſos eſſe convenit, aut in ſacra continenter intentos, ut de iis dici poſſit & illud Prophetæ Regii: *Ecce ſicut oculi ſer-*
Pſal. 122. *vorum in manibus Dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ.*

Euſebius in Conſtantino Magno tria producit
Lib. de vita Conſtant. cap. 10. ſingularis modeſtiæ argumenta. *Erant illi*, inquit, *oculi demiſſi, vultus pudor, inceſſus moderatio*, cùm ſcilicet in Concilium Nicænum ingrederetur Auguſtus: quod ſi invictiſſimo & potentiſſimo Cæſari, ea fuit cura modeſtiæ, etiam cùm in hominum tantum conſeſſum admitteretur; quantò major cùm in conſpectum Angelorum, ipſiusque Dei, inter ſacra Miſſarum ſolemnia eſſet evocandus?

Hæc velim animo memori recondas, quiſquis ſpiritus geris altiores, & ut ais nobiles, indeque fortaſſe ſumis anſam in ſacris cœtibus ac templis & liberiùs & licentiùs agendi; quaſi verò pluſculum liceret viro nobili, & cum avito ſanguine hauſta foret irreligioſa quædam atque indecora agendi ratio; ſecùs omninò ac oportuit: decet enim viros illuſtres, ut genere, ita Chriſtiana modeſtia cæteros antecellere; exemploque ſuo, ceu muta quadam voce, ſubjectos ſibi populos erudire.

Ita quondam fecêre duo Curiæ lumina, Purpurati Patres, Feſtus & Symmachus, de quibus ele-
P. 445. ganter Ennodius: *In ipſis eſt nobilis Curiæ principatus, quos vidiſſe, erudiri eſt.*

Sed hæc attigiſſe ſit ſatis: ad inſtitutum redeo; atque ex modeſtiæ regulis aliud exigo, ut in ſacris ædibus non oculi tantùm; ſed & manus, & pes, & corpus quantum eſt, imò & veſtis ipſa ſit ad divini Sacrificii dignitatem atque majeſtatem aptata; & nihil ſeu in geſtu, ſeu in actione diſſonum atque aſperum. Itaque ne imerſint communibus Eccleſiæ precibus,
Chryſoſt. in Pſal. 5. *fricantes, hiantes, oſcitantes, torpeſcentes*, aut aliud quippiam agentes, quod nullam, aut perexiguam animi venerationem, & Numinis cultum præ ſe ferre videatur.

Certè religioſiſſimi Patres eam ſacris in locis reverentiam cupiebant, ut ſi fieri poſſet, nec tuſſire quemquam vellent, nec exſcreare.

Liberius ſummus Pontifex cùm in frequenti hominum concione B. Marcellam D. Ambroſii ſororem ſacro velo inumbraret, inter alia religioſæ vitæ documenta adjecit etiam illud, ne ſpuendum quidem eſſe iis in locis, ubi ſacris cæremoniis coleretur Deus. *Tu*, inquiebat, *in mysterio Dei gemitus, ſcreatus, tuſſes, viſus abſtine*: quod effatum magni Pontificis ad omnem poſterorum memoriam D. Ambroſius efferri
Ambroſ. l. 3. Virg. voluit, atque commendare. Et verò commendârunt re etiam ipſâ alii SS. Patres.

Divus Gregorius Nazianzenus ex eo laudat Non-
Orat. 19. nam matrem ſuam: quod in templis *nunquam illius vox audita ſit, quòd ſilentio Sancta honorarit, quod venerandæ menſæ nunquam terga obverterit, nec in divinum pavimentum expuerit.*

Oculos hîc fige, benevole Lector, & attende quod vel ipſum templi pavimentum *Divinum* appellet, in quod etiam expuere grande nefas: quid dicturus fuiſſet de aliis ſacratioribus templi partibus? quid de aris venerandis?

Eandem omninò reverentiam altè etiam depræ-
In ejus vita. dicat in S. Gorgoniâ, quæ ne auſa quidem fuit unquam, in æde ſanctâ expuere: tanta eam illius invaſerat veneratio: à quâ quàm longè abiit degener poſteritas; cui ut frænum injiciam, ob oculos ponam ut antiquum, ita nobile emblema, quod olim Dioſpoli, urbe Ægypti, fuit expoſitum.

In Baſilicâ, quæ vocabatur *Pylon* expreſſus erat puellus ſignum generationis, ſenex verò interitûs; & rurſus Dei ſymbolum accipiter, uti & piſcis hieroglyphicum odii; denique & Crocodilus ſignum impudentiæ. Hæc fuit illius emblematis ſpecies, cui pro lemmate, ſeu potiùs explicatione B. Clemens hæc ſubſcribi poſſe ac debere putavit:

O qui naſcimini & interitis, Deus odio habet impu- *Lib. 5. Stromatum.*
dentiam.

Voluerunt viri ſapientes hoc emblemate monitos omnes, ut in templis ſeſe haberent verecundè, modeſtè, religioſè; ſecùs ſi feciſſent, inſignis impudentiæ, quam Deus odit, reos teneri.

Eminet autem imprimis, & ſeſe inſolenter oſtendit id genus impudentiæ in vultu, in geſtu, in externo agendi modo, ſi nimirum geſtus petulantior, ſi fractus inceſſus, ſi motus indecorus, ſi vagi oculorum orbes, ſi præpoſteri & incompoſiti mores, ſi denique temeritas, levitasque actionum: quæ omnia, quia à ſacris abeſſe volumus quàm longiſſimè, ideò hanc tibi pagellam legendam objecimus, amice Lector, ut hinc diſcas eſſe re etiam ipſâ quod es nomine, *Chriſtianus*, hoc eſt modeſtus. Ne mirere ſi Chriſtianum & modeſtum, cenſeam eſſe propè ſynonima: fuit enim, fuit olim tempus, cùm modeſtia inter notas Chriſtianorum reponeretur.

Hujus mihi author eſt Minutius Fœlix: dum enim quærit, qui dignoſci poſſint Chriſtiani? ſcitè reſpon-
det: *Nos non notaculo corporis; ſed innocentia ac mo-* *In Octavio.*
deſtia ſigno faciles dignoſcimur.

Ita cæteros inter, olim agniti ac commendati domeſtici omnes S. Wolſtani, Wigornienſis Epiſcopi, curâ videlicet ac ſtudio tanti Pontificis.

Erat ille ſeverus quàm maximè in retinenda ſuo-
rum diſciplina ac modeſtia, præſertim autem in ba- *Surius to. 1. in ejus vita.*
ſilica: in qua cuſtodes apponere ſolitus, qui ſedulò obſervarent, an rideret unus aliquis, an nutu, an geſtu petulantior eſſet; & ne impunè abiret ille, eo die aut potu carebat, aut ferulæ manum ſubmittebat, pœnasque dabat ſuæ aut levitatis, aut impudentiæ: optandum profectò fuiſſet, ut tanti Præſulis ſeveritas iſſet in poſteros omnes, ſiquæ etiam modò templis adhiberetur cuſtodia; non ea foret in iis vel ridendi, vel jocandi licentia, quam deploramus, & ſtylo perſequimur.

CAPUT VI.

De Caſtimonia in Templo retinenda.

TErtullianus humanæ mentis, quæ Dei ſpiritale *De cultu*
templum eſt, æditnam & antiſtitem eſſe voluit *fem. c. 1.*
pudicitiam, quæ nihil aut immundum, aut profanum inferri ſineret. Si quid mea poſſent vota optarem etiam in templo aſpectabili primoque ſacratæ ædis limine pudicitiam velut æditùam atque antiſtitem ſtatui, cujus ſpecies etiam oculis poſſet uſurpari; fortè magis tum commoveret illa cùm ſub aſpectum caderet, quàm modò, cùm animo tantùm hauritur ac cogitatione: Verùm cùm negetur illud, noſtræ curæ ac laboris erit, Lectorem hic monere, eique ſub oculos ponere, quæ ſit hæc æditua, & quàm caſtæ illius præceptiones: Docebit illa in Eccleſiam nihil immundum, nihil profanum induci oportere, adeoque eam intranti candidas & puras eſſe debere cogitationes; deinde ſimplices & pudicos oculos; denique nutus, motus, & totius corporis eam moderationem, quæ ſingularem caſtimoniam præ ſe ferre videatur.

§. I. *Templa*

§. I.

Templa ſubeuntes nonniſi caſtas eſſe debere cogitationes.

TErtullianus gravis morum cenſor, Flaminibus & ſacrorum gentium miniſtris objecit olim illud: (In Apolog. c. 41.) *Inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque Æditorum & Sacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, & purpuris thure fragrantem libidinem expungi.*

Quod etiam obtruſit Minutius Fœlix iis ipſis Idolorum Sacerdotibus.

(In Octavio.) *Ubi*, inquit, *magis à Sacerdotibus quàm inter aras & delubra conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur.*

Fuit nimirum diabolicæ illius ſuperſtitionis labes & macula quædam, ut in ipſis delubris etiam Miſtæ non tam ſacra, quàm flagitia meditarentur.

Alia profectò, alia ſacrorum noſtrorum ſpecies, alia Baſilicarum apud nos religio ac ſanctitas, quæ nihil impurum admittit, nihil patitur niſi caſtum & ſanctum. Ideoque longè potiori jure in templorum noſtrorum propylæo inſcribi poſſet illud, quod (Clem. l. 5. Strom.) olim Epidauri fano, *caſtum eſſe oportere*, quiſquis illud ingrederetur.

Vates regius cùm animo ac cogitatione præconciperet, quæ deberet eſſe Dei domus, eam eſſe vo- (Pſal. 44.) luit *eburneam*: & meritò; quia ut notat Arnobius, ſicut eburnea domus tineam non patitur, nec fert corruptionem; ita nec Dei domus ullam peccati libidinem, morſúmve putidæ carnis admittit; intacta ſit oportet, & neſcia impuro dente teri atque corrumpi: qui enim ab inceſto amore violetur illa domus, in qua eſt ipſe Deus? Verum enimverò illud (De cultu fem. c. 8.) Tertulliani, *Ubi Deus, ibi pudicitia*: at Deus in templis noſtris, igitur etiam in iis pudicitia, & primùm ea, quæ intrinſecus eſt, mentis ſcilicet ac cogitationis; quod etiam in antiqua lege, rudi licèt illa, expreſſum voluit Deus, ubi præcepit ut Levitæ omnes pilos carnis raderent.

Sunt pili carnis, ſymbolum aliquod cogitationis luteæ & carnalis, quam eradat oportet quiſquis in (In num. l. 2. c. 20.) ſancta pedem eſt illaturus. *Is, qui in obſequiu divinis aſſumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere*, inquit Rupertus.

Eodem ſpectavit & ritus alius, quo ſedulò cavebatur ne victima Deo offerenda, aliquo nævo & macula notata foret: quod non cauſa victimarum fiebat, ut ait Philo, ſed ut ſacrificium obituri mone- (Lib. de victimis.) rentur, *Nullum animi morbum, & flagitioſam tepiditatem in Sanctiſſimi DEI conſpectum induci oportere.*

Quiſquis in templum venis, eo certè conſilio venis, ut immortali Deo offeras ſacrificium labiorum, & quaſi thus incendas devotæ Superis animæ.

Vide proinde quis in ara cordis tui caleat, quis ardeat ignis; multum enim ad ſalutem intereſt.

Filii Aaronis flammis olim hauſti atque abſumpti, quòd contra jus, faſque religionis, ignem alienum in ara excitaſſent: quo ſupplicii genere puniendi, ſi etiam impurum intuliſſent?

Et tu tricubitalis homo, qui quantus quantus es, profanus es, audes non tantùm in arcana mentis tuæ, ſed etiam in templum, hoc eſt, orationis domum, ſanctum penetrale, innocentiæ ſedem, domicilium virtutis, Dei ipſius ſacrarium, libidinoſas inferre faces, & inſanæ cupiditatis incendia excitare; & non attendis, non times, non horreſcis imminentia capiti tuo fulmina. Nimirum & frontem, & mentem, & omnem ſalutis curam exuiſſe mihi videris, qui tantum nefas ac flagitium ſub oculos habeas, nec deplores tamen atque deteſteris.

D. Auguſtinus qui in primo ætatis æſtu, in id ſcelus exceſſerat, ſibi deinde ac virtuti redditus, & vitæ præteritæ levitatem, & fœdam odioſamque Superis nequitiam ingenuè confitetur ac luget. Sic enim Deum ſuum compellat alto gemitu, profuſiſque lacrymis.

Auſus ſum etiam in celebritate ſolemnitatum tuarum, intra parietes Eccleſiæ tua concupiſcere, & agere nego- (Confeſſ. l. c. 3.) *tium procurandi fructus mortis.*

Quid autem ab illis infeſto cœlo ſenſerit ſupplicii, paucis edicit. *Unde*, inquit, *me verberaſti gravibus pœnis, ſed nihil ad culpam*: quæ enim pœna par eſſe poteſt illi, qui eo loco procurat fructus mortis, ubi vitæ partus legere debuit, ac æternæ quidem.

Divina certè mens, quæ humanis rebus ſemper invigilat, gravibus ſuppliciis id ſcelus ulciſci ſolet; vel in hac vitâ, quod quandoque eſt miſerationis; vel in alterâ quod ſemper eſt Juſtitiæ.

Exemplum habes in Petro Piperno Cardinali, (Q. 8.) cujus meminit Albanus.

Velabat ille purpurâ nitente ſordidum & impurum animum, eumque inferebat in templa, & quod inſolentis erat audaciæ, etiam in iis Chriſti corpus adorabat. Videri poterat externâ ſpecie ſacer ille cultus & Superis gratus; ex vero tamen & profanus & ingratus erat quàm maximè, extremoque tandem ſupplicio mulctandus. Et certè re etiam ipſâ malè mulctatus. Mirum enim dictu viſuque! in omnium luce atque oculis eo ipſo loco à dæmone interfectus eſt, ut ex eo diſcerent omnes quantum interſit vel ad ſalutem, vel ad damnationem, quem ſacris altaribus atque templis animum importes. Certè D. Hieronymus vir inſignis caſtimoniæ, & conſummatæ virtutis, ita de ſeipſo olim & ſentire & loqui. *Quando* (Contra Vigil.) *aliquid mali in animo meo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo pertimeſco.* Si per quietem, deerrantis phantaſiæ vitio, ſpectrove nocturno, ſe propè pollutum, & indignum aria cenſuit D. Hieronymus, ſi Martyrum baſilicas ingredi non eſt auſus, ſi totus & corpore & animo perhorruit; quid dicturus fuiſſet ſi in ipſo ſanctuario, in divinâ Liturgiâ, in ſacrificio ter ſancto, vigili mente & corpore, oberraſſet turpis aliqua atque obſcœna cogitatio? quid ſi ex eâ etiam ultrò quæſita delectatio? Deus bone, quàm ejuſmodi hominem procul eſſe voluiſſet ab altari, & ſacris Martyrum Eccleſiis?

§. II.

In ſacris cœtibus ac templis & ſimplices, & caſti ſint oculi.

DE oculo primùm quæri poteſt quid à naturâ ſit, deinde quid à vitio.

D. Chryſologo *oculus eſt animæ feneſtra, ſpeculum mentis, lumen corporis, membrorum dux.* (Serm. 128.)

Hæc oculi deſcriptio petitur à fine quem illi propoſitum voluit author naturæ Deus: & is quidem duplex eſt.

Primus, ut extrinſecùs poſitas rerum ſpecies atque imagines excipiat, ac deinde transferat in animum tanquam fidelis illius internuntius?

Alter eſt, ut corpori luceat, & ſuâ luce motus illius omnes regat ac moderetur. Et hinc Pythagoræ (Laërtius l. 8.) dicti ſunt oculi *portæ ſolis*, vel quaſi gemini ſoles microcoſmi, id eſt hominis: hoc igitur à natura ſunt oculi; ſed à vitio longè alii: ab hoc enim dicuntur, & verò etiam ſunt latrunculi quidam & animæ prædones: appello Prophetæ fidem atque authoritatem: *Oculus meus*, inquit, *deprædatus eſt animam meam*: Sunt (Thren. c. 3.) feneſtræ de quibus ipſe Salvator, *Mors intrat per feneſtras.* Sunt *naturales quidam animi cuniculi*, ſic eos appellandos cenſuit Salvianus: ut enim ignis (L. 5 de Provid.) cuniculo ſubterraneo applicitus, paulatim ſerpit nutritus exiguo pabulo, donec tandem in amplam materiam, nitratumque pulverem infuſus, ingens excitet incendium, immanemque turrium urbiumque

que

que trahat ruinam: ſic & oculus objectâ ſibi ſpecioſâ formâ, non ſemper urit primo appulſu, ſed lenè ſerpit, & per internos ſenſus quaſi quodam ſpecierum vehiculo ignem deducit, donec tandem evadat ille in mentis arcem, & alias ex aliis cogitationes excitando, miſerabile creet incendium, & totius animi & ſalutis ſtatum evertat.

Habes, amice Lector, quis à vitio, naturaque depravatâ tibi ſit oculus, & quod ab eo periculum; vide proindè qui eum colligas, qui contineas etiam omni loco, maximè tamen ſacris in cœtibus ac templis.

In iis amo & volo oculos, quos olim in ſponsâ & amavit, & voluit Sapiens: qui ſint illi quæris? *oculi columbarum*, hoc eſt pudici, & à ſordibus alieni. Sunt oculi, *recta videntes*, ſunt *ſimplices* quales eſſe voluit mundi Servator. Verbo uno ſunt *ſpiritales*, quales optavit D. Gregorius Nyſſenus: *ſpiritales* dico, hoc eſt, qui nihil carnale diſpiciant, nihil ſectentur prophanum, nihil impurum venentur.

Proverb c. 4 v. 23. *Matth. c. 6. v. 22.* *Hom. 4. in Cant.*

Procul igitur, procul ab Eccleſiâ, à Dei domo *oculi ſtultorum*, qui ut ait Sapiens, *ſunt in finibus terræ*, hoc eſt nunquam apud ſe, ſed ſemper foris, & huc illuc temerè & inconſideratè conjecti.

Proverb c. 17. v. 24.

Procul oculi ſublimes & elati, contra receptum olim inter Chriſtianos morem, quibus demiſſus in terram obtutus ſemper placuit, exemplo ſcilicet Servatoris, qui dicitur oculos ſublevaſſe, non ſine myſterio, *ut diſceremus*, inquit Beda, *quod oculos non erigebat*.

In Ioan.

Procul *oculi* putres, & *per res varias fornicantes* quos olim Moſis calamo notavit Deus, & quibus pro ſuâ miſeratione id remedii paratum eſſe voluit: objecit enim illis in angulis palliorum vittas hyacinthinas, hoc eſt cærulei coloris, ut eas intuentes Hebræi, *non ſequerentur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes*.

Num 15. v. 39.

Procul, inquam, procul ſint tales oculi, vagi, emiſſitii, & impuræ voluptatis mali venatores; procul & illi adoleſcentes levituſculi, qui ut ait D. Ambroſius, docti ſunt in templo *ludere oculis*, *rotare cervicem* etiam inter ſacra myſteria, in quibus (quod ſanè deplorat D. Bernardus) *plus tribuunt oculo, quàm oraculo*, dum nimirum inſanam videndi, & curioſè atque impudicè circumſpiciendi voluptatem Dei voci atque Evangelio anteponunt.

Lib. 3. de Virg. *Serm. 28. in Cant.*

Quod malum ſuo quoque tempore invaluiſſe luget Orator aureus:

Multi, inquit, *ad formas mulierum aſpiciendas, ad adoleſcentulorum pulchritudinem curioſius intuendam, in Eccleſiam veniunt. Non miraris quomodo undique fulmina non deferuntur, quomodo cuncta funditus non evertuntur? hæc enim non fulminibus ſolùm, ſed etiam gehennæ ſupplicio digniſſima.*

Hom 74. in Matth.

Quid facis homo? mulierum ſpeciem curioſiùs in Eccleſiâ perſcrutaris; nec horreſcis tantâ templum Dei afficiens contumeliâ? Proſtibulum tibi videtur Eccleſia, & foro ignobilior, nam in foro erubeſcis, etiam times, ne quis te videat mulierem ſectari: in Eccleſiâ verò Dei, cùm ipſe Deus te alloquatur, & ab illis deterreat; eo ipſo tempore maximè fornicationi ac adulterio uteris: quo tibi magnâ voce intonatur, ut ab his fugias, nec horreſcis, nec ſtupes?

Hactenus Chryſoſtomus, quem utinam audirent impudorati noſtri adoleſcentes, qui etiamnum in Eccleſiâ, in formidando ſanctuario, inter ſacroſancta myſteria, non dico curioſis, ſed & impuris fœminarum aſpectibus implicantur; utque illi libidini vacent impenſiùs, hærent ad prima templorum limina, ut ſi quæ vel ingrediens, vel egrediens muliebris venuſtas objiciat ſeſe, eam lenonibus oculis & animis haurire poſſint commodiùs. Videbis illos ceruſſatos, molliculos, comptulos muliebrem in morem diſſolutâ cæſarie: videbis, inquam, ſtare rejectâ molliter in humeros cervice, modò uno dumtaxat genu niti, modò barbulam ſtudioſiùs vellicare, modò (quod in Sabiniano reprehendebat D. Hieronymus) impudicis nutibus loqui, & interea huc atque illuc vaga circumferre lumina, atque à muliebri formâ pendere ut à magnete ferrum ſolet; imò quod exarare calamus, quod eloqui lingua, quod concipere mens ipſa horret, inſtar emiſſariorum adhinnire, & in ipſo Dei ſacrario fornicationes, adulteria, inceſtus, ſacrilegia, aliaque id generis immanis ſcelera meditari: & non miraris qui cœlum ſilet, qui fulmina continet minaceſque flammas; non miraris qui tantum opus terra ſuſtinet, nec illius impatiens dehiſcit? non miraris qui Deus ipſe ter Opt. ter Max. qui ſcelerum ultor eſſe ſolet ac vindex, diſſimulat tamen, nec paratas ſeu cœlo, ſeu terrâ, ſeu etiam erebo pœnas expedit?

Epiſt. 48.

Eſt ſanè quod mireris cum Chryſoſtomo, atque etiam in hac ipsâ Dei tui patientiâ, ſecretiores ejus vias, & inſcrutabilia judicia, ſuſpicere diſcas ac revereri.

Ecquid enim? ſi vel ipſâ hujus mundi conſuetudine, vel profanorum judicio *turpes lenonum, meretricumq; perſonæ à conſpectu vel Judicis, vol Imperatoris arcebantur, ne turpiſſimorum viſus offenderet vultus regii claritatem*; quantò magis impudici illi adoleſcentes, & ſuæ cupiditatis lenones ejiciendi eſſent ab Ara, & Chriſti Domini ſupremi Judicis atque Imperatoris conſpectu? ejiciendi profectò eſſent: & hoc ipſo quo vivimus ævo requirendus D. Chryſoſtomi zelus, qui Clericum ſuum illicò ab altari amovit, quòd animadvertiſſet eum in Sanctuario petulanter oculos in fœminam conjeciſſe. Si multi modò forent Chryſoſtomi, quamplurimi de Clero, Deique ſorte ac hæreditate, vel amandarentur ad ſæculi ſortes, vel in vigili ſtarent oculorum cuſtodiâ, nec eos adeò liberè & vagè circumquaque diffunderent.

Ambr. in Pſal. 118. *Metaphr. in ejus vita.*

§. III.

In Templis caſta ſint omnia, quæ ſubjiciuntur oculis?

Hic erit mihi ſtylo pungenda denudatio ſinus ac pectoris, quæ non ſine quâdam hujus ævi macula in fœminis viſitur, & in omni loco damnanda eſt, maximè verò in Templis & ſacris cœtibus.

Non erit illud ab inſtituto meo alienum; ſi enim in templis caſtos oculos eſſe volui, etiam caſta volo omnia quæ in eos ibidem veniunt. Igitur ut ad rem ipſam proximè deſcendam, primùm quæram in qua potiſſimùm corporis parte pudor ac verecundia ſedem poſuerit? deinde quæ ad illum pudorem ſacris in ædibus faciant? Ad primum, ſunt qui velint *frontem* eſſe pudoris ſedem, fortè quia magis aperta atque explicata incurrit in oculos, quos ne offendat, pudore ceu velo, tegi debet.

M. Tullius in *ore*, verecundiæ domicilium ſtatuit. Unde apud illum os perfricare, aut etiam offerre, magnæ viſum eſt impudentiæ. *Tuſc. 3.*

D. Bernardus in *vultu* reponit ingenuum pudorem: cui ſententiæ favet vel ipſe naturæ inſtinctus, quo fit, ut qui verecundantur, manu vultum inumbrare ſoleant. Quem naturæ motum eruditè animadvertit Alexander Aphrodiſienſis, *Sunt*, inquit, *qui naturam ſeſe protegere copia ſanguinis aſſeverent, quo modo & manum, natura genio atque ductu, faciei admovere tantiſper ſolemus dum pudore afficimur.*

Serm. 86. in Cant. *Lib. 1. probl. 19.*

Plinius *genas* cenſuit eſſe veluti proprium verecundiæ domicilium. *Genæ*, inquit, *pudoris ſedes, ibi maximè oſtenditur rubor.* *Lib. 11. c. 37.*

Malunt alii pudorem in *oculis* tabernaculum fixiſſe, & ita docuit Ariſtoteles purioris Philoſophiæ ocellus, apud quem lumina, inverecunda quadam licentia aut tollere, aut liberiùs circumferre, impudorati animi

fuit

Lib. 2. offic. c. 18. fuit evidens argumentum. *Eſt in oculis verecundia, ut nec videre viros fœmina, nec videri velit*, inquit Ambroſius: quo interprete ac judice tantus in fœmina debet eſſe pudor, qui etiam eas corporis partes obtegat, quas tamen natura nudas eſſe voluit. Etſi enim hominis partes omnes ut plurimùm velamentis operiantur, ipſa tamen facies plerumque in aperto collocatur; nec aliud habet integumentum quàm verecundiam, quæ pudentis & regit animi eſt paludamentum.

Et hinc mihi ducetur prima ratio adverſus petulantem illam atque inverecundam puellarum hujus ſæculi nuditatem; quam impetendam ſecundo loco mihi propoſui.

In primo naſcentis Eccleſiæ infantia, cùm adhuc innoxia eſſet ætas, jubebantur in templis fœminæ obvelare caput, uti è contra viri liberum apertumque relinquere; & hoc quidem vel conſilio Apoſtoli, vel etiam præcepto: ſic enim ille ad Corinthios, Ad Cor. c. 11. v. 4. 5. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum: omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum, unum enim eſt ac ſi decalvetur.* quaſi diceret Apoſtolus.

Turpe eſt viro velari, adeoque honeſtas, libertas, & virilitas requirit, ut vir caput non velet, non tegat, ſed potiùs nudum apertumque exponat. Uti è contra turpe eſt mulieri non velari; nam honeſtas, pudor, & verecundia muliebris, id ſuo quaſi jure exigit, ut mulier capiti ſuo velamen obtendat; & hoc Verſ. 10. quidem inquit idem Apoſtolus, *propter Angelos.* Qui autem illi, fuit inter ſacros Interpretes controverſia.

Chryſoſtomus, Theophilactus, Theodoretus, per Angelos intelligi volunt, beatos illos genios, cœleſteſque ſpiritus, in quorum conſpectu velari decet mulieres, non quòd illi corpus circumducant obnoxium libidini (ut ſenſerunt aliqui, non ſine erroris notâ) ſed quod Angelos teſtes habeant ſui vel pudoris, vel impudentiæ.

Lib. 2. Hypotyp. Clemens alò mentem ſententiamque flectit, & Angelos interpretatur eſſe viros bonos, & ſanctos Angelicæ æmulos puritatis.

Ambroſius, Anſelmus, D. Thomas, per Angelos, accipiunt Sacerdotes atque Epiſcopos, quos ne offendat muliebris forma, & venuſtus quidam faciei decor, obvelari jubetur, ne in oculos primùm, dein in animum evadat ea ſeu frontis, ſeu oris, ſeu oculorum ſpecies, ſub qua veluti ſub cinere doloſo plurimus latet ignis impuri amoris.

Neque porrò velamen illud à Chriſtianis duntaxat fœminis uſurpatum, ſed etiam è Gentilibus; quales Lib. 6. c. 3. fuêre Troianæ, Romanæ, Arabes, Lacenæ: teſte Valerio Maximo, qui horridum narrat Caii Sulpitii maritale ſupplicium; hic enim uxorem dimiſit vel eò tantùm, quòd eam capite aperto foris verſatam cognoviſſet. Quod Gentilibus, hoc *& Judeæ fœminis,* Coron. mil. c. 4. *apud quas tam ſolemne fuit velamen capitis, ut inde dignoſcerentur*, inquit Tertullianus: qui ex hoc ipſo illud quoque conficit, *Judicabunt nos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput tantùm, ſed faciem quoque ita* Lib. de vel. Virg. c. 17. *totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint dimidiâ frui luce, potiùs quam totam faciem proſtituere.*

Hactenus Tertullianus, quo judice, ea mulier totam faciem proſtituit, quæ totam oculis adſtantium exhibet atque oſtentat. Quod ſi faciem vel inde proſtitui cenſet quia patens atque operta; quid de ſinu, uberibuſque nudis cenſuiſſet? quantum ab illis Angelos, puros illos ſpiritus? quantum pias ac religioſas mentes atque oculos? quantum Sacerdotes, & ſacris altaribus miniſtros offendi eſt neceſſe? quantum denique periculi creari vel ipſis virginibus, quibus ea nuditas in amoribus eſt; vel adoleſcentibus, quorum oculis ea fœdum in modum objicitur?

De Virginibus certè auſim illud pronuntiare, vix eas animo caſtas videri poſſe, quæ ſic volunt corpore videri: quis ut ait Tertullianus, *Pura virginitas ſemper timida oculos fugit, confugit ad velamen capitis quaſi ad galeam contra ictus tentationum, contra jacula ſcandalorum, contra ſuſpiciones & ſuſurros.* Lib. de vel. Virg. c. 15.

Quod ſi pura atque illibata virginitas oculos fugit, profectò illa quæ adoleſcentulorum oculos & nutus ambit ac venatur, nec pura nec illibata cenſeri poteſt; *ejuſdem* quippè *libidinis eſt videri & videre.* Tertull. l. de vel. Virg. c. 2.

Quod ſi virginitas ad velamen capitis confugit quaſi ad galeam, ſub quâ ſecura deliteſcat, & libidinis ictus & jacula ſcandalorum declinet ac fallat; certè quæ velamen illud, non dico capitis tantùm, ſed & uberum ac pectoris objicit, & tentationi patere, & veneris jaculis obviam eſſe, & proximam proſtitutioni videri eſt neceſſe: *Denudaſti puellam à* Ibid. *capite*, inquit Tertullianus, *& tota jam virgo ſibi non eſt, alia eſt facta*: unde porrò alia ſi quæris? audies vel ideò tantùm, quia nudata è capite. quid ſi à collo, à ſinu atque uberibus? Sanè Virgines illæ, quæ affectant pudendam illam nuditatem, appellari poſſunt *Capita nundinatitia, quæ non erubeſcunt co-* Ibid. *gnoſci immodica, quæ non pavent quod detegantur quaſi ad ſtuprum.* Ne te offendat ea vox, *quaſi ad ſtuprum*, quia *omnis publicatio Virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt, & arbitrio permiſſa res eſt, aut tegi, aut proſtitui*, inquit Tertullianus.

Neque mihi dixeris primùm eas virgines animo caſtas eſſe, & nudo ac patenti licet ſinu, minimè tamen nudum ac patentem libidini ſpiritum habere; quia, ut ille ipſe author, *Spiritus ipſe violatur in virgine,* Ibid. *& ſublato velamine diſcit amittere quod tuebatur.*

Neque etiam obtrudas antiquum ac frigidum illud, receptam modò inter puellas, etiam principes, eam conſuetudinem, quæ deinde abiit in vulgus, à quo recedere non potes ſine notâ.

Primo enim cum Tertulliano, *conſuetudini etiam* Cap. 2. *conſuetudinem opponam*, & Græciam producam, aliaſque nationes quæ *virgines ſuas abſcondunt.*

Deinde addam & iſtud cum eodem authore, eam eſſe poſſe *conſuetudinem, quæ virgines negat, dum* Cap. 2. *oſtendit.*

Nolim tamen, ut ingenuè dicam quod ſentio, adeò ſeverus eſſe cenſor, ut illicò damnem incontinentiæ atque effrontis animi eam virginem, quæ ut illi conſuetudini pareat, nudum caput ac collum ſpectantium oculis obtrudit: ſcio plerumque plus eſſe levitatis, quàm impudicitiæ; et etiam plus eſſe periculi, quàm credi poſſit: ſi non tibi; at aliis, in quorũ oculos dum incurris, incurris etiam in amores.

Pluribus ſuperſedeo quia de hoc ipſo argumento extat Libellus, cui titulus *Le Couvre-ſein*, eum conſulere poteris, amice Lector, & inde petere argumenta, quibus nimiam hujus ævi licentiam impetas ac damnes.

Occurrebat & aliud in Virginibus vitium, quod aculeato ſtylo pungit etiam Tertullianus, *Sunt,* Lib. de vel. Virg. c. 12. inquiebat ille, *quæ vertunt capillum, & in acu laſciviora comam ſibi inſerunt, crinibus à fronte diviſis, apertam profeſſæ mulieritatem; jam & conſilium formæ à ſpeculo petunt, & faciem moroſiorem lavacro macerant, forſitan & aliquo eam medicamine interpolant.*

Hæ ſunt illius authoris & graves quidem de Virginibus querelæ, quæ etiam cadunt in noſtram hanc ætatem, in quâ ad immanem in veſtibus luxum, infamemque ſinus denudationem, accedit quoque effuſa capillorum luxuries, quæ à fronte diſcriminata, in collum & humeros defluit, affectatâ quâdam atque inſolenti mollitie: quam dum in Virginibus damno, ſimul in eaſdem verti poſſe credo illud Euſebii Emiſ- Tom. 4. in Epiphan. ſeni, *deputant ad inſtrumenta nequitiæ ornamenta naturæ.* Sunt capilli, in fœminis præſertim, ornamenta naturæ, quos dum temerè in aures, in collo, in humeros ſpargunt, ea vero deputant ad inſtrumenta nequitiæ ornamenta naturæ.

CAPUT VII.

De Oratione in ſacris ædibus.

CUm Eccleſia ipſo divinæ ſapientiæ judicio domus ſit orationis, de hac nobis brevis erit diſputatio, eaque iuſtituto noſtro accommodata.

§. I.

Quid ſit Oratio?

ORatio *eſt elevatio mentis in Deum*, ſic eam preſſiùs definiunt Theologi. Latiùs explicant Scripturæ, & SS Patres aliis atque aliis metaphoris, quæ quia plurimum faciunt ad commendandum imprimis orationis ſtudium, è multis paucas ſeligam, & benevoli Lectoris oculo ſubjiciam.

Oratio *vinculum eſt*, quo ligari poteſt ac teneri vel ipſe Deus, qui hæc olim de Sponſæ ſuæ labiis, hoc *Cant. c. 4. v. 3.* eſt oratione, protulit. *Sicut vitta coccinea labia tua:* in quæ verba Gilbertus: *Vulneratur*, inquit, *ſponſus oculo ſponſæ, & labio ligatur:* & ita ligatum ſe à Moyſe confeſſus olim Omnipotens, dum diceret. *Exod. c. 32. v. 10.* *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Hebraicè legitur *Ianach*, *me mihi permitte, relinque me abire liberum*: tenebatur igitur, & ligabatur vel unà Moyſis oratione, ceu potenti vinculo: quod etiam agnoſcit Hieronymus inquiens. *Epiſt. 10.* *Quando dixit dimitte me, oſtendit ſe teneri poſſe, potentiam enim Dei ſervi preces impediebant*; & vim quodammodo *Gradu 28.* amabilem inferebant; hinc à Climacho oratio dicta eſt *pia quædam tyrannis Dei*: quam ei à Moyſe illatam admirans Bernardus exclamat: *Feriendi licentiam* *Serm. 99 de Magdalena.* *quærit à Moyſe, qui Moyſem fecit.*

Oratio *frænum* eſt, quo Divina Juſtitia in ſontium pœnas exultans quodammodo, atque effervescens, cohibetur ac retinetur; ſic teſtatus olim *Cap. 49.* Deus Iſaiæ voce calamoque. *Laude mea*, loquit, *infrenabo te*, hoc eſt interprete Vatablo, *propter laudem meam frænum injiciam mihi, tui causâ, ne te omninò exſcindam.* Ea porrò laus, eſt oratio, quæ cœleſti Juſtitiæ eſt pro fræno.

Oratio *ſcutum* eſt, quod opponitur fulminanti Numinis iracundiæ, & quo omnia illius tela vel excipi feliciter, vel retundi feliciùs ſolent.

Sap. c. 18. v. 21. Ita quondam Aaron *proferens ſervitutis ſuæ ſcutum, orationem, reſtitit iræ Dei.*

Ita deinde poſteris ſæculis D. Jacobus ab illa vi *Phot. Cod. 222.* ſcutoque devotæ orationis dictus eſt ab Hebræis *oblam*, hoc eſt *præſidium, & protectio populi.*

Ita denique Sacerdotes omnes ab eodem orationis clypeo, metaphorâ non multum abſimili, Univerſi *columnæ* ab Eucherio ſunt appellati; quòd ſci- *Hom. 8.* licet *nutantis mundi ſtatum orationibus ſuſtinerent.* Sed reſumo orationis ſcutum: hoc probè munitus David cum Goliatho in arenam proceſſit, pugnavit, vicit, triumphavit.

Eum in primo pugnæ limine, cùm jam pes pedi, manus manui eſſet conſerenda, ſic Goliatho locutum vult orator aureus:

Hom de David & Golia. *Tu terrenis dimicas, ego cœleſtibus pugno; tu in lanceâ, ego in fide; tu in clypeo, ego in prece:* ab hac etiam pugili Chriſtiano de Superis præſidium, & quidem longè præſentius quàm à ferro & arcu. Ad Auguſtini verba, fidemque provoco: ubi ille de Theo- *Lib. 5. de Civit. c. 26.* doſio Juniore contra Eugenium tyrannum dimicante, ſermonem inſtituit: *Magis*, inquit, *orando, quàm feriendo pugnavit.*

Et hæc quidem orationis deſcriptio à militia petitur, à qua priuſquam diſcedam, adjiciam & illud, quod Oratio ſit *arcus*, aut ſi mavis *ſagitta*, quæ hoſtem etiam quàm longiſſimè poſitum attingat tamen, vulneret, ſternat.

Poſuiſti, inquiebat olim David, *ut arcum æreum* *Pſal. 17. v. 35.* *brachia mea*: hoc eſt interprete Ephrem Syro, orationem, quam extenſis in modum arcus brachiis faciebam, ut arcum poſuiſti mihi, ô Deus meus. Sic *Lib. de Panoplia.* oratio Chriſtiano militi & arma dat, quibus hoſtem offendat, & præſidium, quò ſe ab ictu & vulnere indemnem ſervet ac tueatur: quod magnum profectò videri debet: at hoc etiam majus, quod ornamento ſit; aperit enim opulentiores cœli gazas, & divito cornu cœleſtes effundit opes: hinc ipſo SS. Patrum teſtimonio audit *Cœli clavis.* *Serm. 226. de Temp.*

Oratio juſti clavis eſt cœli: aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio, inquit Auguſtinus, non minùs magnificè, quàm verè.

Sic, ut ad priſca ſæcula redeamus, *Clavis cœli fit ſermo Eliæ: jubet enim, & clauditur cœlum; orat, & aperitur:* in quo ſanè elucet vis aliqua naturâ major, qua proinde uti deberent puſilli & pauperculi mortales, ſi ſuæ inopiæ benè conſultum vellent; & cœli divitias in ſe derivare: quod cuique facile ac pronum eſt, vel orando tantum; eſt enim, ut cum S. Dionyſio Areopagita, alia metaphora utar, eſt inquam oratio *Catena magna.* *Cap. 3 de Div. nom.*

Jactavit Homerus catenam auream, quâ Univerſum hoc, Jovis nutu ac voluntate ſuſpendebatur, & quâ vel homines ad Deum, vel ad homines Deus trahi videbatur.

Fabula eſt, & inanis Divi inane commentum: Hæc una & certa veritas, orationem eſſe catenam auream, quæ mortales cum Deo nectat, imò ad Deum trahat, & ſi lubet, etiam ad mortales Deum. Quod ipſum agnovêre Hebræi ſapientes, à quibus oratio dicta eſt *tephilah*, à radice *taphal*, id eſt *copulare*, quòd pia oratio ſit animæ cum Deo conjunctio: Ab hac viſitur in illâ mira ac ſtupenda metamorphoſis; ab illo quippè conſortio, nexuque cum Deo, redit anima alia penitùs à ſeipſa; redit, inquam, alia: &, ut D. Auguſtini verbis utar, *quæ ibat effuſa, redit con-* *Serm. 64. de verb. Dom.* *fuſa*, dum ſe in authore ſuo meliùs cognoſcit, quàm in ſeipſâ. Hinc iſtud D. Bernardi de oratione pronuntiatum, *Dulce commercium, ſed breve momen-* *Serm. 85. in Cant.* *tum, & experimentum rarum*; rarum, inquam, deſidioſis hominibus, & iis, qui languidis mundi voluptatibus diſtinentur; at frequens bonis mentibus, quæ & à vitio liberæ ſunt, & honeſto precandi ſtudio eruditæ: His dulce cum Deo in oratione commercium, quod etſi ad horas, ad noctes & dies extrahatur, momentum tamen videtur breve, ob incredibilem ſenſum voluptatis, quam cùm ſæpiùs hauſiſſet S. Barnabas Apoſtolus, meditationem appellare ſole- *Clem. l. 2. Strom.* bat *opus lætitiæ*, quòd ſcilicet ab illa & dulciſſima pax, & velut liquidi cœli & amœni ſerenitas oriretur.

Sunt & alia, eaque magnifica nomina, quibus SS. Patres orationis vel dignitatem ac præſtantiam, vel eximiam vim atque in adverſis robur explicare ſolent: quæ conſultò omittenda duxi, ne in argumento ſatis obvio nimis effuſus viderer.

D. Gregorius Nyſſenus eam appellare ſolebat, *De ſcop. Christ. in vita Thaumat.* modò *virtutum antiſtitem, ducem ac præſidem*, modò *commune propugnaculum, arcem, munimentum.*

B. Macarius *totius boni inſtituti caput*, & *honeſtarum actionum, & excellentium virtutum ſummum verticem ac perfectionem.* *Hom. 40. Coſſiani.*

D. Chryſoſtomus *bonorum caput atque fontem*, imò *bonorum extremum, & divinam colophonem.* *Orat. 1. de orand.*

Tertullianus amabili voce uſus, orationem eſſe dicebat *Animæ dotem, & velut munus aliquod maritale,* *Lib. 1. ad Uxor. c. 4.* quod à Domino, ceu ſponſo conſequeretur, & quo inſtructa viam ſibi faceret ad cœleſtes nuptias; quas ſi ambis, amice Lector (& verò quidni impenſiùs ambias?) author tibi ſum, ut animum adjicias ad orationem, & quidem eo niſu, eaque normâ, quam cœlum præſcribit atque amat, & quam priſci ævi Patres ac ſtudioſa uſurpavit antiquitas. Ut ex illius

ritibus ac præceptis te ipſe dirigas, pauca de iſto argumento ſubjiciam oculis, & ſideli memoriæ ſervanda committam.

§. II.

Antiquiores orandi Ritus, & ex iis præclara morum documenta.

INter orandum ea requiritur totius hominis compoſitio, quæ & Deum, qui oratur, deceat; & ſupplicem, qui orationem fundit, non dedeceat.

Illa porrò duplex eſt: una externa, quæ hæret in corpore; altera interna, quæ etiam evadit ad animum: hæc ſita eſt in orantis affectu; illa in externis quibuſdam ritibus, qui inter orandum adhiberi ſolent, & omninò probandi ſunt, ſi modò notæ ſint ejus, quæ intrinſecùs eſt virtutis, piæque affectionis: & quia eos eſſe volumus, ideò in præſentiâ nobis erit de illis diſceptatio, è quâ præclara quædam orationis ſeu documēta, ſeu etiam præcepta petemus.

Ex antiquitate, qui primus ſuccurrit orandi ritus, manavit à Judæis ad Gentiles, & ab his etiam ad Chriſtianos.

Apud Hebræos Sacerdos ad ſacrificium acceſſurus abjiciebat veſtimenta, conteſtans, omnia aliena (quales ſunt laneæ veſtes) eſſe oranti deponenda,
Lib. 1. ep. 45. ut rectè notat Iſidorus Peluſiota.

Horum morem æmulati Gentiles, orationem faciebant poſitis penulis, quaſi penulatos Deus non audiret; imò & ipſâ penulâ Deorum ſimulacra induebant, rati eo ritu & capi Deos, & oblectari.

Tertull. de orat. c. 12. Chriſtiani verò, damnatâ omni ſuperſtitione, & ipſi Deum oraturi quoque veſtimenta exuebant, in-
Primus orandi Ritus, veſtes exuere. nuentes hoc ritu deponere ſe amictum vetuſti Adam, & induere novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.

Et nos ipſi idem faciamus oportet. Subimus ſacratas ſuperis ædes, & ſupplices Aris advolvimur, vota noſtra, & orationes in cœlos emiſſuri: Ut porrò emittamus, neceſſum eſt deponamus veteris Adæ, hominiſque veſtes, veſtes pelliceas, curas inquam domeſticæ rei, & importunas de negotiis hujus ſæculi cogitationes. Solent illæ ſæpè ſæpiùs orantis animo illabi, eumque vel à ſeipſo, vel etiam à Deo avocare: ita ſibi quondam vel repugnanti factum agnoſcit ac gemit D. Hieronymus, pius cæteroquin orator.

In Dialog. adverſ. Luciferan. *Creberrimè*, inquit, *in oratione meâ aut porticum deambulo, aut de fœnore cogito, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero.*

Has aberrantis phantaſiæ evagationes paſſus eſt S. Doctor etiam ſine vitio, quia ſine conſenſu. At non ſic alii, qui eas vel ultrò accerſunt, vel iis ſuâ voluntate ſeſe diſtinent contra bonæ orationis leges, & eam, quæ ſupremo Numini debetur, reverentiam, ad quam etiam ſpectat & alius orandi ritus.

Secundus etiam calceos ponere. Jubet ille ante templorum limina calceos ponere, & nudo pede devotum Divis calcare ſolum. Ita præcepit etiam Moyſi cùm ad ignem de medio rubi ardentem (hoc eſt ad Deum, qui totus ignis, totus amor eſt) accederet; tum enim audiit, *Solve calceamentum*
Exod. c. 3. v. 5. *de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.*

Monitus eſt hac voce Moſes, monetur etiam Chriſtianus, ut antequam orationem fundat, deponat calceamenta, hoc eſt paſſiones, & depravati animi affectiones.

De hac re, quæ tanti eſt momenti, extat quoque illud monitum Sapientis.

Eccleſ. c. 4. v. 17. *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias.*

Pedem vocat affectum quo animus inambulat perque multa levi actu diſcurrit. Hunc igitur cuſtodiendum ait, ne veniat pes ſuperbiæ, ne pes invidiæ, avaritiæ, libidinis, atque aliarum paſſionum, quæ vim omnem pietatis exhauriunt.

Ita locum illum illuſtrat Chaldæus Paraphraſtes. *Tu*, inquit, *Fili hominis, cuſtodi pedes tuos: in tempore, quo ieris in domum ſanctuarii ad adorandum, ne venias eò plenus peccatis ante Dominum.*

Ita pedem ſuum cuſtodivit David, qui hæc & candidè & verè de ſeipſo: *Pes meus ſtetit in directo*, hoc *Pſal. 25. v. 12.*
eſt *in rectitudine*, ut explicat Auguſtinus.

Pes tuus, ô Chriſtiane, nudus erit, & hinc etiam ſtabit *in rectitudine*, ſi nihil ſit in affectionibus tuis ſordidum & impurum, nihil extuberans, impolitum, aſperum, nihil quod ſanctum locum dedeceat; ſed omnia in animo tuo nuda, hoc eſt ſincera, caſta, & æquabilia, uno verbo digna Deo. Cujuſmodi fuêre in Davide, qui hæc etiam de ſe. *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum*, domum ſcilicet tuam, ô Deus meus.

Et tu pariter ingredere, mi Lector, & in adyta ſacratiora, edomitis omninò paſſiones, & benè compoſitum animum inferre memento: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt; quæ nec debet, nec poteſt calceo teri ac pollui, ſed nudum amat pedem, nudamque mentem: de quâ dum mihi eſt quæſtio, ad alium morem elabor.

Uſitatum olim non ſolùm apud Ethnicos ac Judæos, ſed etiam apud Chriſtianos, ut oraturi manus lavarent.

Tertullianus qui hoc lavandi ante preces ſtudium *Lib. de Orat. c. 11.*
in Ethnicis ridet, ſubjicit plus operæ ponendum eſſe, ut qui orat puras, quantum attinet ad ſordes *Tertius lavare manus.*
à ſpiritu refuſas, quàm diligenter aquâ ablutas manus, ad Deum ſuſtollat; ideoque ſugillat obiter Chriſtianos illos, qui ante omnem orationem lavabantur univerſo corpore; in quo aliquid ineſſe potuit Judaicæ ſuperſtitionis: quam etſi improbet Tertullianus; at cæremoniam illam improbare non poteſt, ſi modò puritatem animi & operum in orante deſignet, uti profectò deſignavit in Eccleſia primitiva, in qua Chriſtiani omnes templum ingreſſuri manus lavare ſoliti: quem in uſum viſebatur pro foribus vas ingens aquæ, opportunum ſacræ illi lotioni, cujus loco in præſentia ad templi januam ſervatur vaſculum aquæ luſtralis, quo non tam corpus, quàm animus eluitur.

Hujus inſtitutionis tum antiquæ, tum piæ, duplex ratio fuit.

Una quidem, quia tum temporis Chriſtiani ſacroſanctam hoſtiam non ore (ut modò uſus obtinuit) ſed manibus excipiebant, domumque deportabant, ideoque illas & probè lotas & puras eſſe oportuit.

Altera, eaque præcipua cauſa, hæc fuit; ut ea manuum lotione, ceu ſymbolo quodam, tacitè monerentur, quæ deberet eſſe animi puritas, & quàm illibatus vitæ morumque candor.

Videri poteſt D. Chryſoſtomus. de aqua manuali *Hom. 6. in*
ante orationem à Chriſtianis adhibita: imò etiam *2. ad Tim.*
ante lectionem Libri ſacri; ex qua occaſionem ſumit S. Doctor auditores ſuos excitandi ad internam animi munditiem procurandam.

Et jure ſanè meritiſſimo: neque enim ad Dei aures appellere poteſt ea oratio, quæ impuro ſpiritu effunditur; quia, ut magnificè Tertullianus, *Oratio animus omnino confuſione libera eſſe* debet, hoc eſt, quæ verecundari & confundi coram Deo nequaquam *Lib. de*
timeat; eò quòd ſit *de tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt* *Orat. c. 10.*
ſpiritus, ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit à ſpiritu ſancto Spiritus inquinatus, aut triſtis à læto, aut impeditus à libero. Nam adverſarium recipit nemo. Nemo niſi comparem ſuum admittit.

At Spiritui ſancto adverſarius eſt & diſpar is animus, qui aliqua peccati ſorde pollutus: igitur ab eo nec recipi poteſt, nec admitti. Hæc eſt Tertulliani ratiocinatio, eaque nervoſa & efficax, cui pondus addet illud D. Auguſtini. *Quid prodeſt, quia hymnum cantat lingua tua, ſi ſacrilegium exhalat vita tua?* enimverò nihil prodeſt, niſi fortè ad momentum pœnæ, & ſupplicii, ſi non reſipiſcas, etiam æviterni.

Quartus eaſdem elevare.

I. Sed de hoc ſatis. deſcendo ad alterum orandi ritum etiam in antiquitate receptum: is poſitus aſt in quadam manuum ad cœlum elevatione; quam admiſit omnium propè nationum uſus, etiam natura duce.

Lib. de Mundi ep. 41.

Ariſtoteles eam probavit, nec improbavit Seneca; hic enim tantùm contendit non eſſe fatigandum Deum ſublatis in cœlum manibus pro bona mente, quam ſibi quiſque non interpellato Deo impetrare à ſeipſo debet, juxta arrogans Pelagianorum placitum à Stoicis hauſtum, à quo Chriſtiano penitùs diſcedendum. Et verò ut ab illis ipſi quoque abeamus, videamus quæ cæremoniæ (qua de agimus) ratio, & quàm probata Superis.

Habitus orantis is eſt, inquit Apuleius, *ut manibus extenſis in cœlum precemur.*

Ejus ratio in oculis eſt, quod cœlum Dei ſedes ſit, & velut apertum, atque explicatum templum, quo proindè ſpectant & tolluntur manus.

Ex illo ſeu naturæ ſenſu, ſeu Sapientum inſtinto factum ut Romani pietatis ſimulacrum effinxerint ſublatis in æthera manibus; & ipſe Conſtantinus, auguſtus, & pius Imperator etiam lata lege præſcripſerit, ut Gentiles ipſo Dominico die feriarentur, & vota ſua elevatis in cœlum manibus exponerent.

Hunc porrò morem probarunt Superi etiam prodigiis; tum in alta pace, tum in martio pulvere.

Ioſeph l. 3. Antiq. c. 1.

Orabat Moyſes expanſis de more manibus; & ecce mirum è cœlo benigniore prodigium: ros de cœlo lapſus in precantis manibus concrevit; cum ipſe primus guſtavit, deinde etiam aliis guſtandum dedit.

Fuit ille ſignum divinæ munificentiæ, & objectum ſtuporis, à quo & nomen accepit; audiitque *Manna*: illapſum autem eſt in manus orantis, ut donum piæ orationis eſſe intelligeres.

Et hoc Iſraëli in alta pace annonæ ſubſidium: vis etiam inter arma belliqúe tumultus præſidium? & hoc explicatæ ad orationem manus tibi cumulatè præſtabunt.

Exod. c. 17. v. 11.

Adverſus Amalec ferro pugnabat Joſue, Moyſes prece; &, ut Scripturæ verbis utar, *Cùm levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec*: Tantùm ad victoriam erat momenti in ſacra illa manuum elevatione. Sed cur inquies tantùm?

Lib contra Marcion, c. 18.

Tertullianus credit in ea manuum extenſione fuiſſe typum aliquem & imaginem Chriſti è cruce pendentis, à qua etiam tum Iſraëli ſalus ac victoria.

Malunt tamen alii eo habitu corporis expreſſam animi contentionem, æſtumque orantis, à quo dum extolluntur manus, extollitur & vincit Iſraël: & in eam ſententiam concedo lubens, non inſcius Deum ter Opt. ter Max. non actione, non geſtu corporis moveri, ſed animi; hunc enim maximè ſpectant Superi, & huic beneficentiæ ſuæ fontes aperiunt: eos in te quiſquis derivare ſtudes, vide ut dum tolluntur tibi manus, attollatur & animus, & cœlo Deoque ſeipſe reddat: hoc nimirum tacitè monet pius ille precandi ritus. Audi quid de eo Clemens Alexandrinus.

Caput, inquit, *& manus in cœlum extendimus, corpus à terra educere conantes, erectam & elevatam animam deſiderio meliorum, cognitus in ſancta progredi magno animo corporis vinculum deſpicientes.*

Quintus Pedes attollere.

Intelligebant nimirum majores noſtri adeuntes ad Deum, atque precibus ſancti Numinis colloquium ambientes, abjecta omni futilium rerum curà, erectis animis eſſe oportere: quod ipſum prodidere alia conſuetudine plena religionis & inuſitatæ pietatis: obtinuit illa ut cùm in templo ſacris precationibus darent operam, in clauſulis orationum pedem omnes attollerent, ut præ amore ſempiterni domicilii, ſtudioque cœleſtium, è corporis ergaſtulo migrare velle viderentur, ac Superis, Deoque conjungi.

Hujus quoque conſuetudinis meminit Clemens Alexandrinus. *Pedes*, inquit, *attollimus* in extrema orationis acclamatione; prompto & alacri animo cupientes inſequi beatam illam naturam, quæ ſola mente & intelligentia percipitur. *L. 7. Strom.*

Et ita cupiebat olim David, qui hæc ingenuè de ſeipſo. *Levabo manus meas ad mandata quæ dilexi*: levavit autem vel maximè in æſtu piæ mentis, cùm *dirigeretur* ejus *oratio ſicut incenſum* in conſpectu Dei, hoc eſt cùm in cœlum aſcenderet more modoque thymiamatis, quod ex rebus odoratis confectum ſummus Sacerdos in nobiliſſimo templi adyto, foculo imponebat.

Pſal. 118. v. 48
Pſal. 140. v. 2.

De hoc narrant illud memorabile Rabbini, quod ſcilicet inde orta ſuffumigatio, & odorata expiratio, ſurſum rectà ferretur, inſtar palmæ, nec ullius procellæ vi, ac turbine in partem aliquam flecti poſſet: quod non humano artificio; ſed divino prodigio fieri oportuit.

Ad hujus fumi morem modumque contendere debet in cœlum oratio, & quidem directo ſemper itinere in Deum ferri, nec in terram abjici, aut ad creaturarum latera declinare; uti fieri videmus: ut enim verè D. Ambroſius.

Plerumque negotiator venit ad orationem, & avarus de pecuniâ cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate, & putat quod eum Deus poſſit audire. enimverò non poteſt: qui enim audiret irreverentes illos & impudoratos oratores, qui ad colendum, orandumque Deum ingreſſi, ad alia omnia ſeſe convertunt, non ſine gravi tantæ majeſtatis injuria.

Lib. 6 de Sacram. c. 5.

De Judæis electo ſibi populo ita queſtus olim Univerſi Dominus. *Averterunt facies ſuas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorſum*: facies dico ſuas, id eſt conceptus, qui ſunt imagines mentis averterunt à Deo ſuo, & illi quodammodò terga verterunt, contra honeſtatis leges, & debitam ei reverentiam.

2. Paralip. c. 29 v. 6.

Quod Judæi quondam, hoc in præſentia faciunt è Chriſtianis quamplurimi, ſimiles Syſigambi Darii matri, quæ cùm in Alexandri conſpectum veniſſet, ad Epheſtionem converſa, illum pro Alexandro ſalutavit errore quidem venia digno, ut quæ in illo adoleſcente regiam indolem videret; propter quam & illud Alexandri. *Non erraſti mater, nam & hic Alexander eſt*: at erras, erras quàm maximè, ô Chriſtiane, qui in templum venis, ſanctum & glorioſum Numen ſalutaturus, & tamen res ab eo alieniſſimas convenis ac dignaris honore; neque ut illa quondam Epheſtionem pro Alexandro, ſed pro Deo mimum aliquem aut ganeonem, aut etiam meretriculam inverecundam ſalutas, & in illam oculos, hoc eſt & conceptus tuos conjicis; imò & amores tuos immolas, vide quàm immani ſcelere, & portentoſo ſacrilegio.

Curt. l 5.

Non ſic ſacri oratores, non ſic: cùm recipiunt illi ſeſe in templum, unà etiam recipiunt in cubiculum ſuum, hoc eſt interprete D. Ambroſio, *in mentis arcanum, animiq́; ſecretum*, & *egrediuntur* quodammodò *de corporis ſui exteriore veſtibulo*, ut in Dei ſanctuarium admittantur totis cogitationibus & affectibus.

Lib. 1 de Abel c. 9.

Sic olim feciſſe legitur Propheta regius, qui *De profundo* ad Dominum clamabat, hoc eſt authore Chryſoſtomo *ex corde profundiſſimo, ex ipſis mentis penetralibus.*

In Pſal. 129.

Sic orarunt olim in primitiva Eccleſia Chriſtiani, quorum oratio authore Tertulliano, *ad cœlum Deo expandebatur*, hoc eſt elatis in ſublime manibus in cœlum evolare videbatur.

Lib 5. in Marc. c. 15.

Sic, ne tantùm antiqua commemorem, è Societate noſtra oraſſe viſus Pater Didacus Martinius, de quo duo refert Pater Euſebius Nierembergius.

Primùm cùm orationi vacaret *ferè ſemper circumfuſum quadam luce ſplendidiſſima Trinitatis*, in cujus

Lib. 4. de Ador. in ſpir. CXVI.

ſcilicet

ſcilicet contemplatione ac amore immerſus erat totus; cujus argumento eſt illud alterum, *quod uſque ad quatuor mille actus amoris Dei quotidie faciebat, cum ſumma diligentia & ratione.* Ibid. c. 2.

Habes, amice Lector, in iis exempla quæ ames ac ſuſpicias, & quæ etiam ſequaris, pari ſi per animum liceat pede: & verò quidni liceat? Non ſua illi virtute, ſed cœleſti ope id aſſecuti: & hæc quoque tibi in manibus erit, ſi modò cum iis mentem ad orandum quà potes explicaris.

Deſcendo ad alium precandi morem, quem mihi poſtremo loco propoſui; is docet in oratione corpus incliinare, & curvum in terras etiam abjicere.

Ita quondam abjecêre reverentes ac profundi oratores.

Ita Helias Propheta qui Deum precari ſolitus eo ardore ac vehementia, ut etiam corpus inflecteret univerſum.

Ita Patrem Æternum oravit ipſe Chriſtus, & orare docuit, cùm in extrema vitæ ſcena *procidit ſuper terram, & orabat ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora.* Marci 14 v. 35.

Ab illo Servatoris optimi ſeu exemplo, ſeu etiam documento, viros ſanctos occupavit ea Numinis reverentia, ut ſi ad illud precabundi accederent, proſternerent illi ſeſe, & fronte terram tangerent; imò & oſculo dignarentur, quod inſignis alicujus demiſſionis argumentum fuit non vulgare. Teſtabantur nimirum ea totius corporis inclinatione, quod originis ſuæ probè memores eſſent, quod pulvis & cinis; cujus olim meminit magnus Gentium Pater Abraham, cùm, ut iratum Numen placaret, ait: *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis*, hoc eſt interprete Vatablo, vi liſſimus atque abjectiſſimus; quales ſeſe præſtiterunt ii etiam omnes, qui cœlo benigniore ad altiſſimam rerum divinarum contemplationem ſunt evecti. Gen. c. 18. v. 27.

Coriarius ille Alexandrinus, qui cæteris omnibus & optabat, & verò etiam locum dabat in ſublimi illa cœleſtique regia; ſibi autem uni retruſos inferni carceres reſervabat, & is magni Antonii perfectionem, vigileſque orationes ſuperabat.

Frater Vrigman è Dominicana familia, qui nullum Orbe toto congruum locum reperire ſe poſſe putabat, niſi in profundiſſimo inferni ſub ipſomet Lucifero: is fuit ſenſus religioſiſſimi viri etiam inter æſtus atque extaſes elatæ mentis, inter quas & hanc è cœlo vocem audiit. *Citò aſcende ad thronum altiſſimum in cor Dei Patris*: ſic *aſcendit homo ad cor altum*, ſed humilis & in ſe abjectus homo. Qualis etiam ævo noſtro fuit B. Franciſcus Borgia: hic inter orandum demittebat ſeſe, etiam infra pedes Judæ proditoris; deceſſit tamen inde, & loco ceſſit, ubi attendit à Domino ſuo, JESU humillimo, eum locum aliquando fuiſſe occupatum. Nieremberg de ſer. l. 1. c. 8.

Et hic fuit humiliatis gradus, à quo ſibi ad arduum orationis aſcenſum fecerunt præcelſæ illæ mentes. clamabant illæ *De profundis*, ſive *de vallibus*, hoc eſt in humili æſtimatione, & deſpicientia ſui, & ab hac in ſe derivabant uberrima gratiarum fluenta, quæ ſcilicet indulgens Deus emittere ſolet ad abjecta convallium: quod agnovit Vates, ubi de Domino cecinit illud: *qui emittis fontes in convallibus*, hoc eſt interprete D. Gregorio, in humilibus. Habet nimirum illud humilis oratio, & parata Dei fulmina decutit è manibus, & torrentes elicit gratiarum. Pſal. 103. v. 10.

Ferrariam aliquando occupârant Veneti; cùm in eos Clemens hujus nominis Quintus, fulmen jecit excommunicationis: ne eo arderet Reſpublica Catholica, Legatos emiſit Avenionem ad ſummum Pontificem, à quo tamen nec auditi illi, nec admiſſi. Id ubi ex iis ſenſit Senator unus, caninâ pelle ſeipſe induit, abjecitque ſub menſam, atque ex eâ de improviſo erupit, ſtupente, qui aſſederat, Pontifice; qui eâ demiſſione permotus & vincula ſuſtulit excommunicationis, & ſupplicem etiam paterna gratia ac donis oneravit.

Quod in terris Dei Vicarius, hoc in cœlis Deus, ad quem ſi humilis accedas orator, redibis indubiè etiam exorator. Ut proinde meritò dixerit S. Chryſologus: *Eccleſia plus lacrymis, quàm viribus contendit; neque enim tantùm virtus & ſudor fortium, quantum poſſunt lacrymæ*, ſeu oratio *parvulorum.* Serm. 128.

Teſtis erit mulier illa Chananæa *pertinax in precibus, ſapiens in reſponſis, fidelis in verbis*, inquit Ambroſius. Ad mundi Servatorem illa venit, & adoravit eum, dicens: *Domine adjuva me*: cui ille, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus* Quid ad hæc Chananæa, quæ canis audit, & canis inſtar à menſa Domini, pane filiorum, id eſt à gratia miraculorum repellitur: quid, inquam, ad hæc illa? non intumeſcit, non iraſcitur, non indignatur ſe pro cane haberi, Judæorum ſcilicet more, qui idololatras (qualis & ipſa erat) inſigni opprobrio canes appellabant: non detrectat, inquam, canis appellationem, ſed ultrò etiam acceptat; ait enim: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſâ Dominorum ſuorum*: quaſi diceret interprete D. Chryſoſtomo. *Non reſpuo opprobrium, tantùm accipiam vel eſcam canis. Tu fac quod debetur cani, quia canem me vocas. Da mihi micas, ô Domine: factus es advocatus meæ poſtulationis, abnegando promittis.* Matth. c. 15. v. 21. v. 26. Verſ. 27. Hom. 17. in Matth.

Hæc illa cenſuit, hæc dixit ore aureo: quid inde? Audi quid ab illo demiſſionis ſenſu, quid ab humili oratione ſit aſſecuta; audi, inquam, ex S. Chryſologo.

Meritò. inquit, *quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem commutatur. Meritò adoptatur in filiam, levatur & honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſam laudabili humilitate dejecit.* Serm. 100.

Hæc S. Præſul qui æqua lance expendit humilitatis pondus, & quantum apud Superos valeat demiſſæ mentis oratio: ut quæ ex cane hominem faciat, & ex ſerva filiam.

Quæ olim Chananeæ preces, eædem deinde B. Laurentii Juſtiniani, qui in extrema vitæ periodo hæc in cœlos emiſit vota, hæc ſuſpiria ad Deum jam jam abiturientis animæ.

Fælicium ſpirituum ſedes affectare non auſim: portionem aliqua creatura tua poſtulat micas ſuaviſſimæ menſæ tuæ: nimium mihi fuerit, & plus quàm nimium, ſi ſubtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic puſillo ſervo non negaveris. Sur. in ejus vita 8. Jan.

Ita de ſe humiliter cenſuit, ita locutus eſt magnus in terris Præſul: at major in cœlis, indubiè locandus inter Patriarchas, & eò quidem altiùs, quò Deum orando, magis ac magis ſeipſe demiſit atque abjecit.

Habes, amice Lector, in his ritibus aliquam piè precandi normam, ad quam teipſe exigas ac fingas oportet, ſi cœlo ac Superis gratus orator eſſe velis; ſi referre fructus, qui in omne durent ævum.

Apud Ægyptios iis, qui in Deorum templis orabant, dabantur virentes rami: cujus inſtitutionis tres affert rationes Clemens Alexandrinus, è quibus duæ huic loco conveniunt. L. 5. Strom.

Una erat, ut inde intelligerent homines, ſe ramorum inſtar germinare, augeſcere debere, fructuſque producere qui ipſam ferant æternitatem, etſi ad eam exigua temporis uſura ſit concesſa.

Altera, ut ſcirent quod ſicuti rami tandem areſcunt atque exuruntur; ita ſe vitam hanc mortalem brevi deſerturos, & ignis opus futuros; ideoque vitæ alteri immortali proſpicerent: quod ſine dubio faciunt, ubi ſuperis ac Deo ſupplices accidunt, eò quò par eſt nitore mentis ac contentione.

FINIS.

JACOBI LOBBETII

LEODIENSIS,

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

DE FORTITVDINE

ET CONSTANTIA

CHRISTIANA

LIBRI TRES.

ADMODVM
REVERENDO PATRI
IN CHRISTO
P. MVTIO VITELLESCO
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI.

EGIT olim, & quidem ſtudioſè ac fortiter, ADM. R. P. Iacobus Lainius, ut Generalatum, quem annuente Societate univerſa ſuſceperat, eadem approbante aliquando deponeret. Habitum eâ de re Primorum Patrum Concilium, atque ex more ad ſuffragia itum. P. Bobadilla, ut facili & amœno erat ingenio, pro ſua in eum benevolentia, ac præſertim pro ſtudio curaque fovendæ atque augendæ Societatis, his ſuffragium ſuum verbis inſcripſit.

Quod ad Generalatum ſpectat, ſententia mea hæc eſt; ut quemadmodum Conſtitutiones jubent, perpetuus ad vitam ſit; inque Tua Reverentia ita ſit ſtabilis, ut in annos duret centum. Sique poſt mortem ad vitam remigrares, meum ſuffragium eſt, ut munus hoc tibi reddatur, & uſque ad ſupremum generalis Iudicii diem prorogetur.

Hiſtor. Societ. P. 2. l. 5. n. 122.

Hæc ille calamo notavit, atque ut iis fides major eſſet, ſua etiam manu ſignavit.

Scio & in ſcholis & in pulpitis agitari potuiſſe quæſtionem: Si vitæ, cui antea ceſſiſſet, redditus is fuiſſet, an etiam & officio? Scio, inquam, id à pleriſque ex jure negandum: ſcio tamen etiam ab omnibus ex ſingulari quodam in eum affectu fuiſſe concedendum. Et ſanè concederemus illud ipſum omnes, ADMODVM R. P. V. ſi nobis primùm à morte eriperetur, ac deinde vitæ redonaretur. Verùm, nè in eas quæſtiones abeamus; ſed potiùs demus aliud, quod extra litem & controverſiam ſit; illudque à Deo Rege ſæculorum uno precemur ore, animóque, ut vitam (quâ ad commune Societatis bonum fruimur ADM. R. P. V. faciat eſſe diuturnam; nec eam (ſi modò cœli leges patiantur) reſcindi velit niſi quàm tardiſſimè, & ſi placet, poſt ſæculum etiam alterum. Primùm enim (quæ fuit amabilis Dei providentia) jam vidit: & ſi in eo quod hactenus geſſit munere, centum annos non recenſuerit; at ſaltem Societatem ſuæ curæ concreditam ad centeſimum perduxit, & quidem adeo valentem ac vegetam, ut jactare poſſit voces haud multum abſimiles iis quas olim Caleb apud Ioſue:

Ep. Romæ data An. 1639. 13. Nov.

Hodie centum annorum ſum ſic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſa *ſum: illius in me temporis fortitudo uſque hodie perſeverat tam ad bellandum, quàm ad gradiendum.*

Ioſue c. 14. v. 11.

Minima Societas IESV apud Imperatorem ſuum IESVM hæc ingenuè profiteri poteſt. *Hodie centum ſum annorum ſic valens ut valebam eo tempore*, quo primùm enata, exploratum abii qua parte, quibúſve viis utramque ſolis domum tuo ſubjugarem imperio: *illius in me temporis fortitudo uſque hodie perſeverat*: illius, inquam, temporis, quo Ignatium habuit Italia, Xaverium India & Iaponia, Lainium Gallia, Rodericium Luſitania, Fabrum Hiſpania, Iaïum Germania, Paſchaſium & Salmeronem Hibernia, Codurium Velitræ, Bobadillam Inſula Ænaria;

Decem primi Patres toto ferè Orbe ſparſi.

omnes omnino tamquàm exploratores expeditos *tam ad bellandum* contra Divini Nominis hoſtes acerrimos, *quàm ad gradiendum* ad ultimos utriuſque orbis fines.

Et hi quidem ſunt Societatis noſtræ Duces ac Progenitores, quorum fortitudo uſque hodie in filiis poſteriſque perſeverat. Et hoc tuo imprimis (ô ſupreme Rex ſæculorum) beneficio; tua deinde gratia, Virgo Mater; & favore veſtro, Superi omnes; ac denique ſecundùm illos, labore ſtudioque tuo, ADMODVM REVERENDE PATER. Te enim illi Societatis IESV Præpoſitum Generalem Paſtoral. c. 7. voluêre, ut ei talis eſſes, qualis ex Divi Gregorii voto Animarum Rector: *Mater pietate, Pater diſciplinâ.* Verùm ne longiùs: ſentio enim tacitè moneri me, ut parcam verbis laudibusque tuis: & verò parcam, tuáque jubente modeſtia conticeſcam. Audebo tamen libellum hunc meum, *DE FORTITVDINE CONSTANTIAQVE CHRISTIANA*, tuo nomini inſcribere. Erit ille ſyncerus animi mei teſtis; & licèt rudis ſit atque impolitus, permixtus tamen cumulo aliorum operum, & locum & gratiam inveniet: ſimulque (ut ibi deſinam unde cœpi) deferet in Urbem Authoris ſui votum ſimile ei, quod olim fuit P. Bobadillæ: *In Tua Reverentia Generalatus ita ſit ſtabilis, ut in annos duret centum:* neque unquam in terris deſinat, niſi ut in cœlis duret, in ſæcula, ipſamque, quanta, quanta eſt, æternitatem.

Leodio 6. Julii,
Anno M. DC. XL.

ADMODVM R.DÆ PATERNITATIS VESTRÆ
Servus in Chriſto, & filiorum minimus,

JACOBUS LOBBETIUS.

DE FORTITVDINE ET CONSTANTIA CHRISTIANA,

INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

CAPUT I.

Quid ſit, & quotuplex Fortitudo? *p. 1. & ſeq.*

CAPUT II.

Quæ ſint partes Fortitudinis? *p.* 2

LIBER PRIMUS.

De Actibus Fortitudinis, qui in ſuſtinendo poſiti ſunt. p. 3

CAPUT I.

De morbi moleſtiis æquanimiter tolerandis. p. 3
§. 1. *Quid ſit morbus? Et quæ illius cauſæ?* ibid.
§. 2. *Quæ in morbo afflictioni eſſe ſoleant? Quæ etiam præſidio?* p. 4
§. 3. *Qui fructus è morbo corporis ad animum emanare ſoleant?* p. 5
§. 4. *Præclara quædam ſingularis in morbo patientiæ exempla?* p. 6
§. 5. *Opportunæ in morbo conſiderationes.* p. 7

CAPUT II.

De Morte. p. 8
§. 1. *Mors inevitabili Naturæ lege, ac neceſſitate impoſita: æquo conſtantique animo excepta actus eſt Fortitudinis.* ibid.
§. 2. *Mors in juventute alacriter obita actus eſt Fortitudinis.* p. 9
§. 3. *Mortem propinquorum tolerare fortiter excelſi eſt animi.* p. 11
§. 4. *Mors gratiâ amicorum excepta fortem animum probat.* p. 12
§. 5. *Eadem veritas declaratur heroica filii in parentem pietate.* p. 13
§. 6. *Qui juvandis peſtiferâ lue infectis ultro ſe devovet inter Chriſtianos Heroas numerandus.* p. 14
§. 7. *An qui peſte laborantibus ex caritate aſſiſtit, in eóque officio moritur, inter Eccleſiæ Martyres ſit accenſendus?* p. 15
§. 8. *Mors pro Religione, pro Fide excepta eximius actus Fortitudinis.* p. 16
§. 9. *Præclara incitamenta patientiæ ac fortitudinis ex Tertulliano deſumpta.* p. 18
§. 10. *Effuſa Martyrum etiam in tormentis lætitia atque exultatio.* ibdid.
§. 11. *Qui filium, civium ſuorum libertati immolat, næ ille fortis.* p. 19
§. 12. *De civili morte, ſive exilio æquanimiter tolerando.* p. 20

LIBER SECUNDUS.

PROŒMIUM.

Quid ſit, & quotuplex injuria? 21

CAPUT I.

Injuriarum tolerantia, eximius actus Fortitudinis. p. 22
§. 1. *De injuriâ quæ ſolis verbis infertur.* ibid.
§. 2. *De injuriâ quæ fortunæ bona diſſipat atque evertit.* 23
§. 3. *Opportunæ conſiderationes, quæ ſolatio ſint in amiſſione bonorum externorum.* 24
§. 4. *Altera conſideratio, eáque maximi momenti, quod divitiæ plerumque ſint occaſio peccandi, & abeundi à virtute ſummóque bono, id eſt, Deo.* 25

CAPUT II.

§. 1. *De injuria ac macula illata bono nomini.* 26
§. 2. *Pia meditatio cùm acriùs animum extimulabunt injuriæ.* 27

CAPUT III.

§. 1. *De injuria quæ corpus malè afficit ac lædit.* 27
§. 2. *Exempla ſingularis patientiæ in injuriâ corpori illatâ.* 28
§. 3. *De injuria quæ vitam noſtram aut propinquorum impetit.* 29
§. 4. *Afferuntur ex Senecâ nonnullæ ſimilitudines quæ ſolatio ſint, cùm viderimus viros bonos pro virtute, Deóque pati.* 30
§. 5. *Nonnulla ſubſidia ad patientem quarumvis injuriarum perpeſſionem.* ibid.
§. 6. *Quæ pœna cœlo vindice iis infligatur qui injurias ſibi illatas non remiſerint?* 31
§. 7. *Quæ, illatas injurias ultrò remittenti, parata cœlo benigniore præmia?* 32
§. 8. *In ſapientem non cadit injuria.* 33

LIBER TERTIUS.

PROŒMIUM.

De Fortitudine conſtantiáque Chriſtianâ in malis publicis. 35

CAPUT I.

§. 1. *In malis publicis remedium ac ſolatium peti debet à divina Providentia, quæ ea vel facit vel patitur.* 35
§. 2. *In publicis calamitatibus ſolatio eſt meditatio viciſſitudinis, ſenectutis, & occaſus rerum omnium.* 36
§. 3. *Sapienti nec novas, nec miras videri debere publicas calamitates.* 37
§. 4. *Publica mala à Deo immitti ad caſtigandam ſæpius in hac vitâ inſignem hominum malitiam: ne eam gravius puniat in æternitate: & hoc viro forti ac juſto ſolatium.* 37
§. 5. *Quomodo publicæ calamitates Dei electos terris eripiant, ut cœlo reddant.* 38
§. 6. *E malis publicis bona publica Deus elicit, & è privatis privata: & hoc bonæ menti ſolatio eſt.* 39
Oratio D. Auguſtini paulò ante obitum in obſidione Hipponenſi compoſita, ejus operibus non contenta, à Cardinale Seripando, olim Generali Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Patribus Concilii Tridentini exhibita. 41
De actu Fortitudinis qui in aggreſſione conſiſtit. ibid.

CAPUT UNICUM.

De Fortitudine militari. 41
§. 1. *Quæ militari fortitudini ſint adverſa?* ibid.
§. 2. *Virtutes annexæ militari fortitudini.* ibid.

LECTORI BENEVOLO.

EST mihi de Fortitudine Conſtantiáque Chriſtiana brevis diſceptatio; in qua ne me damnes, AMICE LECTOR, quaſi actum agam. Scio Viros magnos, Scriptoresq́; illuſtres in id ferè argumenti genus incubuiſſe. Lipſius à Doctis ingenii monumentis Orbi notiſſimus, duos Libros inſcripſit de Conſtantia in malis publicis. Theophilus Raynaudus è Societate IESV calamum longius duxit, atque etiam de privatis malis multa fusè doctéque in Poſteros emiſit; uti & alii, quos in præſentia taceo. Quid igitur ab illis reliquum, inquiet unus aliquis? Omnino permultum. Eſt enim ejus generis argumentum illud, in quo ut copiosè dixeris, ſupererit tamen quod efferas copioſius. Et verò ab illis aliquid novi edere me credo, quamvis de materia non nova. Nam etſi Authores illos aliosq́; legiſſem ipſe ſtudioſiùs, ex iis tamen omnino pauca, ex Collectaneis meis quamplurima eam in rem congeſſi, tibíque reddenda putavi, BENEVOLE LECTOR, ut in malis, quæ nos, velimus nolimus, impetunt, aliqua habeas, ſi non tollendo, at ſaltem leniendo doloris ſenſu. Quod ſi aſſequor, & meo & tuo etiam calculo rem utilem fecero..

JACOBI

PA 1/6
BK5

JACOBI LOBBETII SOCIETATIS JESU. THEOLOGI,

DE FORTITUDINE ET CONSTANTIA CHRISTIANA, LIBRI TRES.

EX iis malis quæ nos circumſtant ac premunt, quædam nobis inſita ſunt, & quodammodo congenita; ut morbi, ſitis, fames, aliáque prope innumera, quæ conſequitur mors ipſa brevis ævi meta: quædam deforis appellunt, & nos pulſant aliena potiùs malevolentia, quàm vitio noſtro: quædam denique non quemque privatum modò involvunt ac turbant; ſed Civitates, Reſpublicas, & Regna quatiunt, ſuiſque veluti ſedibus dimovent.

Ne porro hîc etiam ſapientis animum de ſua conſtantia, & firma quaſi ſtatione depellant, operæ pretium ſacturum me putavi ſi de iis tres Libros ſcriberem, futuros amico Lectori vel remedio, vel ſolatio.

Primus complectetur ea mala, quæ naturæ quodammodo ſunt ac neceſſitatis. Alter quæ aliorum invidia, culpáve nobis inferuntur. Poſtremus denique quæ ad publicas attinent calamitates; quibus addemus pauca de actu fortitudinis, qui in aggreſſione conſiſtit.

CAPUT I.

Quid ſit, & quotuplex Fortitudo?

Eth. 2. FOrtis eſſe & dici poteſt unus aliquis, vel à robore corporis, viſque lacertorum; vel ab habi- Eth. 3.
tu qui animæ inſidet, eamque diſponit ad ardua quæque ac terribilia aut ſuſcipienda, aut ſuſtinenda; vel denique à potentiâ ad operandum: hæc ferè uni Deo propria ac ſingularis; nec enim à corpore, & nervosâ artuum compage fortis audire poteſt, cùm ſit illius expers: nec à qualitate menti divinæ inſitâ: eam enim non patitur actus omnino puriſſimus, cui etiam nihil difficile ſit & arduum: ſupereſt ergo ut ab infinitâ potentiâ, & agendi virtute fortis appelletur Deus: at homo, qui nervis compingitur, & hæret oſſibus, ab illis quoque fortis nuncupari poteſt: ſed ea fortitudo cum animantibus illi communis: hæc autem, quæ inhæret animo, illi propria ac ſingularis; & de hac mihi in præſentiâ eſt diſceptatio; & verò ea in ſcholis dubiâ & ancipiti doctorum inter ſe pugnâ pridem eſt ventilata.

Quæſt. 123. art. 2. D. Thomas purioris philoſophiæ ocellus, fortitudinis nomen, remque ipſam aliter, atque aliter uſurpare ſolet.

Primùm pro firmitate animi in bono honeſto; & ſic non una ſingularisque eſt virtus, ſed omni quodammodo virtuti ſervit, ejuſque cuſtos eſt fidiſſima, ne à bono honeſto ullis incommodis aut periculis avelli ſe, aut dimoveri patiatur.

Ea ſententia prius placuit Ambroſio; ita enim ſuavi eloquentiâ diſcurrit.

In duobus generibus fortitudo ſpectatur animi. Primo, ut externa corporis pro minimis habeat; & quaſi ſuperflua deſpicienda magis, quàm expetenda ducat. Secunda, ut Lib. 1. de offic. c. 35.
ea, quæ ſumma ſunt, omneſq; res, in quibus honeſtas, & illud πρέπον cernitur; præclarâ animi intentione uſque ad effectum perſequatur.

Preſſiùs ab aliis accipitur fortitudo, ut ea ſit firmitas animi in ſuſtinendis & repellendis iis, in quibus difficillimum eſt animum regere, & ſtatum rationis retinere. Ubi enim peculiaris quædam eſt difficultas in retinendo rationis præſcripto ac dictamine, ibi neceſſe eſt nos peculiari virtute dirigi: ea autem eſt fortitudo, & conſtantia quædam Chriſtiana, quæ præſidio eſſe ſolet tum in variâ & ancipiti fortunæ aleâ, adverſiſque caſibus, quibus agitur jactaturque hæc vita mortalis, tum in ipsâ mortis imagine ac periculis: in his enim ſua eſt, eaque maxima difficultas, ut quis decorè, & ex rationis normâ, & intrinſecus, & extrinſecus ſe gerat, appellente fluctu quodam æſtuque multarum & ingentium paſſionum.

Nimirum ubi in hominem incurrunt, eumque petunt tot pericula, & veluti quædam fatiſcentis ac labantis fortunæ, vitæque ipſius ruinæ; vel excitatur ingens timor, ad mali odium fugamque, quem difficillimum eſt ita coërcere, ut non perturbet, & ad aliquid indecori compellat; vel inſurgit motus audaciæ, impetuſque ad impendentis mali repulſam: qui etiam moderandus eſt, ne temerè in periculum eat, ſeſeque præcipitet: vel utraque affectio, alternantibus animi motibus, & veluti inter ſe confligentibus, exoritur, & tum utramque ſimul ad rationis leges ac placita revocare, & ex iis temperare oportet: quod officium eſt, & oportunus labor fortitudinis: quæ non unius in omnibus ordinis eſſe ſolet. Una quippe naturalis eſt, qualis eſſe poteſt ſine fide, & veri Numinis ac religionis profeſſione, qualiſque fuit in antiquis illis Heroibus; & hæc mortis pericula, fortunæ inclinationes, vitæ incommoda atque adverſitates ſuſtinet, timorem audaciamque moderando: vel eâ tantum conſideratione, quia ita fieri decens ac neceſſum eſt ab homine, qui ratione præditus ſit, aut philoſophiæ præceptis imbutus, aut illuſtri familiâ clariſque majoribus prognatus.

Altera ſupernaturalis eſt, & fidem affectumque naturâ ſuperiorem præſupponit, & prudentiâ ejuſdem ordinis ut regulâ utitur. Hæc qualemcumque malorum incumbentium molem excipit ac tolerat, vel eò tantùm, quòd agere & pati fortia, ſit Chriſtianum.

CAPUT II.

Quæ ſint partes fortitudinis.

FOrtitudo non una ſimplexque qualitas, ſed velut urbana quædam humanæ mentis eſt veſtis, quæ ſuis conſtat partibus: ex quatuor ab Auguſtino recenſentur.

Lib. 83. q. 31. *Fortitudo*, inquit, *eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio: ejus partes, magnificentia, fidentia, patientia, perſeverantia.* Dicuntur illæ partes ex ipſius fortitudinis officiis, quæ in duobus potiſſimùm ſita; in *aggrediendo*, & in *ſuſtinendo*: ad quorum ſingula etiam alia duo requiruntur.

Primum alacritas, & quædam animi promptitudo ad periculum ultro quaſi, & ſpontaneè ſuſcipiendum; & hanc præſtat *fidentia*: qui enim de ſuperando imminenti periculo ſpem ac fiduciam hauſerit, altéque admiſerit, is facilis ac pronus periculum tentabit atque induet.

Alterum eſt *ſtrenuitas* in executione: & hanc tribuit *magnificentia*, *quæ*, teſte Auguſtino, *eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione, cogitatio, & adminiſtratio.*

Ab his duabus virtutibus, quæ fortitudini vel pediſſequæ, vel comites, vel, ſi mavis, filiæ ſunt, parſque matris non exigua; præſidium affertur, vis & robur ad audendum & aggrediendum.

Alterum Fortitudinis munus eſt, gravia ac difficilia pati ac ſuſtinere; & huic officio ſerviunt binæ virtutes velut illius adminiſtræ: hinc ſcilicet *patientia*, quæ triſtitiam doloremque compeſcit, animumque continet, ne hiſce paſſionibus evictus, à recto & decoro deſciſcat: inde verò *perſeverantia*, ne diuturnitate malorum quaſi ſuccumbens & fatiſcens benè cœpta abrumpat, & deſinat.

Macrobius in ſomnio Scipionis, ſupra explicatis fortitudinis partibus, tres alias adducit, ſcilicet *magnanimitatem*, *ſecuritatem*, *& conſtantiam*, quas tamen bonâ illius veniâ etiam aliis ſubjiciemus, dicemuſque iis ipſis facilè comprehendi; addemus tamen, tum lucis gratiâ, tum ad formandos mores,
Lib. 4. Eth. conditiones omnino viginti, quas Ariſtoteles in viro magno requirit.

Prima. *Dignum ſe honore exiſtimare*: ſpectato ſcilicet officio, quod in Republicâ gerit, aut Dei ter Opt. ter Max. donis, quibus aliis eminet.

Secunda. *Modicè honoribus etiam magnis, & à bonis viris oblatis delectari; à vulgo, & ob res parvas delatos contemnere.*

Tertia. *In proſperis, & adverſis moderatum ſe præbere.*

Quarta. *Non offerre ſe caſibus parvorum periculorum, nec amare pericula, eò quòd parvas res magni faciat; magnis tamen ſe exponere, & tunc vitæ non parcere.*

Quinta. *Acceptum beneficium majore beneficio compenſare*, & quodammodo obruere.

Sexta. *Neminem, aut vix quemquam rogare*, ne ſcilicet à quoquam pendeas, aut ei quidquam debeas, aut debere te fatearis.

Septima. *Libenter alteri operam dare, atq; inſervire*; ut omnes tibi obſtricti ſint, tu verò aut paucis, aut omnino nemini.

Octava. *Cum viris principibus, atq; opulentis, præſtare ſe magnum & excelſum*: ne ſcilicet eorum authoritate opprimi te patiaris, aut inani, abjectaque aſſentatione plus æquo indulſiſſe videaris. Contrà verò *cum mediocribus & infimis modeſtum ac moderatum ſe exhibere*; æmulatione quadam ſupremæ illius ac divinæ mentis, *quæ humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.*

Nona. *Non ſe locis aut functionibus honoratioribus ingerere*: hoc enim ambientis eſt, & immoderati, non magni animi argumentum.

Decima. *Cunctari, & quietum agere, niſi res magna ſit propoſita*; neque enim vis ingens, & robur arduum excelſæ mentis ſeſe explicat, ubi anguſtus induſtriæ, laborique aperitur campus, niſi fortè, ut aperiat magis, & *ut pauca faciat, ſed magna.*

Undecima. *Apertè odiſſe, ac apertè amare*, quæ ſcilicet odio vel amore digna judicaris. *apertè*, inquam, *quia timentis eſt & ſervilis animi fronte occultare ſententiam*; ſibi autem fidentia, liberique ſenſum affectumque, quiſquis is eſt, prodere & manifeſtare.

Duodecima. *Apertè omnia dicere, & agere*, (intra tamen prudentiæ modeſtiæque limites & cancellos) amat enim orationis libertatem, ſuam quiſquis amarit; & quod intra præcelſæ mentis adita, intimoſque conſiliorum receſſus rectè conceperit; liberè pandit & in lucem apertumque, quà voce, quà actione effundit.

Decima-tertia. *Uti diſſimulatione in vulgus*, cujus ſcilicet laudes calculumque nec amat, nec quærit: vix enim in magnis ſubſelliis probatur, quod vulgus probarit.

Decima-quarta. *Non poſſe alterius nutu vivere, niſi amici*: ſervilis enim eſt animi alterius nutum obſervare, & ex eo vivere, ſuaque omnia regere ac moderari; niſi fortè is ſit amicus in paucis; qualis etiam Religioſo eſt ſuperior, qui non tam officio, quàm amore præſidet, non tantum diſtat dignitate, quantum accedit caritate.

Decima-quinta. *Non facilè admirari, quia nihil ei magnum eſt*, inquit Philoſophus: quî enim in humanis rebus magnum aliquid æſtimet, qui eas omnes infra ſe jam poſuerit, & quaſi ad pedes abjecerit?

Decima-ſexta. *Non meminiſſe injuriarum; viri enim magnanimi non eſt memorem eſſe præſertim injuriarum, & malorum; ſed ea potius pro nihilo putare*, inquit Ariſtoteles. Ex quo ad mores conficio, viles eſſe animas, quæ privatas injurias perſequuntur: quî enim viles non ſint, quorum ſtatus & dignitas uno verbulo concutitur, & labefactatur; nec niſi eo vindicato ſtare poteſt, aut reparari? Secus omnino apud generoſos ſe res habet: ſtatum illi ſuum ac dignitatem extra fortunæ aleam, extra teli jactum repoſitam ducunt; nec ſe à quoquam, niſi à ſe ipſis lædi poſſe putant.

Decima-ſeptima. *Non cupidè loqui de hominibus; quia neque ut laudetur ſollicitus eſt, nec ut alii vituperentur, nec aliorum laudator eſt, nec maledicus, ne in inimicos quidem, niſi acceptâ contumeliâ*; tum enim eam modeſtè diluere, etiam magni eſt animi; majoris pati, & contemnere. *Leo*, quippe, *ad latratus canum vix reſpicit*, nedum jubas excutit & commovet.

Decima-octava. *In rebus quæ neceſſariò perferendæ, vel quæ exiguæ ſunt, non eſſe queribundum, aut ſupplicem, quia eſt animi nimium rebus humanis addicti.*

Decima-nona. *Malle poſſidere res honeſtas: quàm fructuoſas; hoc enim magis proprium eſt hominis ſeipſo contenti*, & qui ſuâ virtute, ceu veſte, ſe involuit, non aſcititiis phaleris obtegit.

Vigeſima. *Habere motum tardum, vocem gravem, orationem ſtabilem ac ſedatam: quia feſtinare non ſolet qui paucis rebus ſtudet, nec vehementer contendere cui nihil magnum eſſe videtur.*

Et ea ſunt Philoſophiæ pronuntiata, quæ poſteris inſcripſit Ariſtoteles, ex naturæ genio, Lycæi placitis, & rationis præſcripto. à quibus deſcendo ad actus fortitudinis, qui alii ſunt atque alii, ut alia atque alia eſt certantium palæſtra.

LIBER PRIMUS.

De Actibus Fortitudinis, qui in ſuſtinendo poſiti ſunt.

IN duobus potiſſimùm ſeſe exerit atque explicat virtus fortitudinis; in agendo, & patiendo: in utrovis magis, adhuc eſt ſub Judice; lis enim illa validis hinc & inde nititur rationum firmamentis: nec in alterutram partem facilè inclinat victoria; ſed hæret, dubio quaſi & ancipiti marte: in quo ſi quid poſſet meus calculus, propenderem, ut patienti potiùs palma cederet, quam agenti: ſed quia hæc diſceptatio non eſt mei fori, neque admodum conducit ad mores, eâ prætermiſſâ, deſcendam ad actus fortitudinis, qui in ſuſtinendo conſiſtunt; ii præſidio ſunt, & ſolatio adverſus omnia gravis & honeſta, ſive pericula ea ſint, ſive mala, quæ in vitam incurrunt atque involant: cujuſmodi ſunt morbi, vincula, exilium, mors, fortunarum everſiones, amicorum caſus, & eorum (quos nobis natura ſanguiſque junxit) ruinæ & fata: aliæque his affines in rebus humanis viciſſitudines, atque lapſus, quos pati ac tolerare virilis eſt & infracti animi, atque à Chriſtianâ fortitudine probè communiti.

Is olim fuit D. Chryſoſtomus, qui hæc candidè & verè de ſe ipſo. *Quidquid terroris habet mundus, contemno: quidquid delectabile habet? rideo: divitias non cupio, paupertatem non horreo, mortem non timeo.* Ut neque hanc, neque morbos illius prodromos, neque cætera mala plus æquo reformides, de ſingulis mihi ſuus erit diſceptandi locus.

CAPUT. PRIMUM.

De morbi moleſtiis æquanimiter tolerandis.

INter cætera, quæ nos pulſant & affligunt mala, quædam domi ſunt, & nobis quodammodo congenita; quædam deforis adveniunt, & in nos incurſant, vel hominum malevolentiâ, vel quandoque amabili Dei providentiâ, quæ mortales in hac vitâ ut pilas habet.

Primi generis ſunt morbi & corporis ægritudines, morſque ipſa.

Secundi illatæ extrinſecus injuriæ, quæ vel famam, vel fortunas, vel corpus ipſum impetunt: adverſus hæc omnia nobis paratur bellum, & palma ſi vincimus; non tamen ſine labore, ſudore, ſanguine: ut enim aureè Chryſoſtomus.

O christiane, delicatus es miles, ſi putas ſine pugnâ te poſſe vincere, ſine certamine triumphare. Fortiter dimica, atrociter in prælio concerta, conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce. Pactum quod ſpopondiſti, conditionem ad quam acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti. Hoc enim pacto quos miraris, omnes pugnaverunt; hac conditione Univerſi vicerunt; hac militiâ triumpharunt.

§. 1.

Quid ſit morbus? Et quæ illius cauſæ?

GNoſtici morbos dicebant eſſe dæmones, & proinde incantationes, ſeu carmen quoddam excogitaverãt ad eos ex humanis corporibus ejiciẽdos.

Inſanus hic error eſt, & hæreticorum commentum, à fide, à natura, à medicorum placitis prorſus alienum: docent illi morbum aliud nihil eſſe quàm pravam aliquam corporis affectionem; quæ ferè cum ipſa vita trahitur. Ut enim D. Auguſtinus: *Quis non ægrotat in hac vita? Quis non longum languorem trahit? Naſci in hoc corpore mortali, incipere ægrotare eſt.* Sic ab ipſa nativitate inſita quædam corpori noſtro labes, & invaletudinis ſcaturigo, à qua tot effunduntur morborum examina, ut in uno oculo centum & duodecim contrarias affectiones Galenus notarit, & *In Introd.*
Plinius non dubitaverit aſſerere morborum trecenta *Lib. 26. c. 1.*
eſſe genera in humana vita, hoc eſt, ut interpretantur alii, propè innumerabilia: quorum omnium origines hîc paucis inquiremus.

Ut malo cuipiam medelam facias, aut ſi minus poſſis, æquo ſaltem conſtantique animo feras, intereſt quàm plurimùm illius cauſas jam antè perviſſe. Ea ratio mihi ſuadet ut primùm aperiam morbi fontes, tum ad remedia delabar.

Suarez à calamo, doctiſque ingenii monumentis orbi notus, morbos omnes ex unâ aliquâ harum cauſarum oriri docuit: vel ex parentum vitio, pravaque complexione, quæ etiam in fœtum emanat; vel ex quadam intemperie, & humorum inter ſe diſſidentium pugnâ: vel ex aeris injuria, cœlique inclementioris influentiâ: vel deniquè ex ipſo peccato, quod prima radix malorum omnium.

Prima illa & innoxia hominis ætas, morbum ne de nomine quidem noverat; neſciebat quid febris, quid calculus, quid podagra, aut chiragra, quid aqua intercus eſſet; multoque minus quid à febri algere aut ardere, quid calculo ceu equuleo torqueri, quid aqua interente diſtendi, quid à podagrâ & chiragrâ lentam alluviem, duramque tyrannidem pati. Hæc, inquam, non viderat prima orbis ætas, nec ſenſerat Adam in ſuo illo innocentiæ ſtatu, qui utinam & poſteris & illi fuiſſet diuturnus (ſed irrita cadunt vota) nec nobis erit, qui prius à peccato ad hæc mala damnati, quàm nati, nec illi etiam fuit. Si enim S. Ephrem credimus, creatus Adam horâ nonâ matutinâ: & ſceleris reus ſub tertiam pomeridianam; adeoque etiam morbis obnoxius. Vel ſi mavis age, dic cum Toſtato conditum die Veneris ſub *In Geneſim.*
Solis ortum, Sabbato peccaſſe ſub occaſum. Vel ſi arridet magis cum Pererio, Torniello, Saliano, judica & pronuntia in Paradiſo, ſedeque voluptatis, dies vidiſſe octo, non amplius: Certè ut ſentias, & loquaris, ad propoſitum meum parum intereſt: manebit ea lis ſub Judice, & veritas in occulto; at hoc in aperto erit: ſtatim atque peccavit ſui ſceleris pœnam ſenſiſſe, & in corpus quaſi in hoſpitium morbos omnes admiſiſſe, eorumque vitium in poſteros tranſmiſiſſe, non tranſmiſſurus unquam ſi ſcelus abfuiſſet. Erat enim conſtans & intemerata valetudo, datum à ſuperis velut innocentiæ privilegium: pro cujus fide etiam appello illud quod Ruffinus in vitis *Lib. 2. c. 17.*
Patrum, Palladius, aliique de Abbate Iſidoro, ejuſ- *Lib. 3. c. 71.*
que monachis prodiderunt.

Erat magnus ille Præſul, erant & Monachi, parentis optimi æmulatores filii, eâ vitæ morumque innocentiâ, cui aliquid ſupra vulgus, ſtatamque naturæ legem concedi potuit; & verò re etiam ipsâ conceſſum eſt. Fuit autem illud ejuſmodi, ut nunquam ægrotarent; ſed vitam ducerent etiam in ſeros annos, nullis unquam morbi contagiis viciatam: cui privilegio additum & alterum; ut cùm immineret ultima dies, & ſanctioris ævi meta, ea pateret illicò, & divinâ revelatione noſceretur. Tum Religioſi viri, impendentis fati memores, quàm optimè diſpenſare reliqua perituræ vitæ momenta, atque ad beatam æternitatem facilem aditum parare; nec tam abripi violenta morte, quàm ſuavi ſopore terris ſubduci, & cœlo reddi.

Et hæc paucis à me dicta ſunt, ut evincerem illud, ab animi noxâ in ipſum quoque corpus morbi vitium trahi. Ut non immeritò pronuntiarit olim Democritus, ſi corpus animum in jus vocaret, haud quaquam futurum ut ille muneris malè adminiſtrati crimen effugeret: cùm enim in corpore, velut in præſidio, collocatus ſit, hoſtem, id eſt peccatum,

omni

omni conatu vique arcere debuit; & tamen (ô malum!) illud ipſum patentibus atque explicatis valvis admiſit, malus omnino ſui corporis cuſtos ac præſes; & hinc laxantur infeſta morborum agmina, quæ ubi illud invaſerunt, etiam ſceleratæ menti pro pœnâ ſunt: non ita tamen, quin aliquando & ſæpiùs pro medicinâ: ita ſcilicet diſponente ſuavi Numinis providentiâ; ut poſtea fuſiùs explicabitur.

§. II.

Quæ in morbo afflictioni eſſe ſoleant? Quæ etiam præſidio?

DIvus Chryſoſtomus facundâ mente, & ore, ut ſolet, aureo, patientiam, quæ in morbi aculeis ac doloribus exhibetur, in ſummis reponit: ſic enim epiſtulâ quartâ ad Olympiadem.

Nihil eſt, inquit, *Olympias, quod ad laudem & gloriam adipiſcendam cum patientiâ in doloribus perferendis comparari poſſit. Nam ea virtutum regina, & coronarum apex eſt.* Ac ne illud ſine teſtimonio & exemplo fudiſſe videatur, Jobum (quem *adamantinam animam, & turrim patientiæ* vocat) in arenam educit, quaſi pugilem fortiſſimum, & cum omnibus injuriis luctatorem. Ac primò quidem cum fortunarum jacturâ, & bonorum clade: deinde cum acerbo ſuorum fato, quos, ut ait, ex utroque ſexu omnes ſubitâ & immaturâ ætate, & violentâ morte malus genius ita oppreſſit, ut in ipſo mortis modo ac ratione extemporaneum tumulum invenirent. Et tamen *cùm tantam in agris, domi in pecudibus, in liberis tempeſtatem excitatam, fluctúſq; fluctibus continuò ſuccedentes, & continuos ſcopulos, & profundam caliginem, & intolerandum naufragium conſpiceret, nec tamen premebatur, nec ea quæ acciderant, penè ſentiebat. At poſteaquam morbo & vulneribus deditus eſt, tum verò & mortem exoptabat, & in luctû ac lamentis verſabatur. Ex quo intelligas licèt, quemadmodum hoc omnibus rebus adverſis gravius ſit, ac ſummum patientiæ genus. Atque hoc ne perverſus quidem dæmon ignorabat. Ac proinde cùm omnibus illis rebus tentatis pugilem tranquillum & à perturbatione immunem perſpiceret, ad hoc certamen tanquam omnium maximum ſe contulit. Cætera videlicet tolerabilia eſſe ducens, etiamſi fortunas, etiamſi liberos, etiamſi quicquam aliud amittat. At eam demum mortiferam eſſe plagam cùm quiſpiam in corpore dolores excipit.*

Ubi porrò illos ſedatâ mente, infractóque animo excipere viſus eſt Jobus, tum demum & à cœpto deſtitit malus hoſtis, & ſeſe victum orco reddidit, victori terram cœlumque reliquit velut illuſtrem patientiæ ſcenam, theatrumque fortitudinis: de quâ dum mihi movetur quæſtio, in eâ paucis excutiendum erit, quæ in morbo afflictioni eſſe ſoleant, ac deinde quæ præſidio.

Tria, inquit Plinius, *in omni morbo gravia ſunt. Metus mortis, dolor corporis, intermiſſio voluptatum*; adde & *officiorum*, ad quæ nos vel natura finxit, vel ipſa vitæ ratio vocavit. Contra hæc omnia ſua viro forti ſuos auxilia, & primùm quidem adverſus inſurgentem mortis metum *extinguenda vitæ cupido eſt, diſcendumq; nihil intereſſe quando patiaris, quod quandoq; patiendum eſt. Quam bene vivas referre, non quamdiu: ſæpè autem in hoc eſſe benè, ne diu.*

Seneca Epiſt. 101.

Sopitâ autem, & penitus edomitâ illâ vitæ cupidine, enaſcetur & ipſe mortis contemptus, de quo disertè ille ipſe Seneca.

Epiſt. 78.

Non tantùm morbi, ſed totius vitæ remedium eſt contemnere mortem. Multorum mortem diſtulit metus, & ſaluti illis fuit videri perire. Morieris, non quia ægrotas, ſed quia vivis. Iſta te res & ſanatum manet. Cùm convalueris non mortem, ſed valetudinem effugies: quod ſi illam effugere non poſſis, quid adeo te ipſe torques atque excrucias. Profectò degener eſt anima quæ ſepulta latet in corpore, & tamen corpus amat non ſecus quàm quæ humi ſerpunt luſtra ſua belluæ.

Sed audio reclamas, & mihi ingéminas illud, à morbo huic corpuſculo eſſe malè.

Sed amabo te, mi Lector, *Quid eſt habere malè? appropinquare diſſolutioni, quâ anima ſeparatur à corpore. Sed quid ea res iſta habet periculi? Si nunc non appropinques, paulo poſtea accedendum erit. An te morto ſcilicet mundus everteretur?* Sed ecce iterum obſtrepis: *magnos cruciatus habet morbus: ſed hos tolerabiles intervalla faciunt: nam ſummi doloris intenſio invenit finem. Nemo poteſt valdè dolere, & diu. Hoc nempe ſolatium vaſti doloris eſt, quod neceſſe eſt deſinas illum ſentire, ſi nimis ſenſeris. Vir magnus ac prudens animum deducit à corpore, & multum cum meliore & divina parte verſatur, cum hac querulâ & fragili quantum neceſſe eſt. Levis dolor eſt ſi nihil illi opinio adjecerit. Contra ſi exhortari te cœperis ac dicere nihil eſt, aut certè exiguum eſt. Duremus, jam deſinet. Levem illum dum putas facies.* Pleruṁque enim *ad opinionem dolemus, & tam miſer eſt quiſq; quàm credit.*

Epictetus c. 10.

Seneca Epiſt. 78.

Verùm demus etiam illud, immanem eſſe doloris ſenſum: ſi tamen in eo ſuus eſt æger: *toto contra illum pugnet animo: vincetur ſi ceſſerit, vincet ſi ſe contra ſuum dolorem intenderit. Quemadmodum pernicioſior eſt hoſtis fugientibus, ſic omne incommodum magis inſtat cedenti & averſo. Sed, grave eſt. Quid? nos ad hoc fortes ſumus ut levia portemus? Cogita quid honeſtè, quid fortiter feceris, bonas partes tecum ipſo tracta, memoriam in ea quæ maximè miratus es, ſparge: tunc tibi fortiſſimus quiſq; & victor doloris occurrat. Ille qui dum varices exſecandas præberet, legere librum perſeveravit. Ille qui non deſiit ridere, cùm ob hoc ipſum irati tortores omnia inſtrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur dolor ratione, qui victus eſt riſu?* Vincetur certè, ſi modò is es, qui eſſe debes. Sed & aliud à morbo malum eſt, videlicet intermiſſio voluptatum, & ea malus eſt nodus, cui quærendus etiam cuneus omnino malus.

Duo ſunt genera voluptatum: corpus aliæ, animum aliæ benè afficiunt: neque has, neque illas morbus tollit: ut enim ille ipſe Plinius, quo authore hîc utor. *Corporales* voluptates *morbus inhibet, non tollit: imò ſi verum æſtimes, incitat. Magis juvat bibere ſitientem, gratior eſt eſurienti cibus. Quicquid ex abſtinentiâ contingit, gratius excipitur. Illas verò animi voluptates, quæ majores certioreſq; ſunt, nemo medicus ægro negat. Has quiſquis ſequitur, & benè intelligit, omnia ſenſuum blandimenta contemnit.* Verùm non ita forſitan illud, quod ultimo loco poſui, tanquam à morbo malum: erat illud intermiſſio eorum muniorum, ad quæ nos vel natura formavit, vel impulit fortuna, vel noſtra voluntas induxit.

Da mihi è multis unum aliquem in paucis ad ſtudia facilem ac pronum, da eum, cui tota vita litibus teritur; da alium, ſi voles, qui inter arma, & tubarum clangorem innutritus vitam ferè exegit martio pulvere non indecorè ſordidam: & huic, & illi importunæ morbi moleſtiæ, & vis acerba: quid enim? is qui in omni vitâ litteris aſſedit, an non damnabit infœlix illud otium, quo & à ſtudiis malè feriari jubetur, & in molli anſere deſidioſus cubare? Quid alius, cui Martem ſpirat animus, qui curſu capitur & pugnâ, qui æſtus tolerat, ac ſoles, nunquid inertes atque ingloriosos clamitabit eſſe dies illos, quibus non tam ſibi, quàm morbo vacat; non tam cum hoſte pugnat, quàm cùm ingenti morborum catervâ, & modò calculo, modò podagræ & chiragræ litem movet, & ſibi ſtomachum. Certè & medicos omnes procul eſſe, & morbos volet, quiſquis ab iis ſibi eripi ſenſerit jucundiſſimam illam animi exercitationem, quæ vel in ſago vel in togâ quæritur. Non volet tamen, ſi attendat etiam in morbis ſuas eſſe animæ delicias, & honeſtiſſimas exercitationes: ſunt ex virtutes propè omnes, quibus ſcholas aperit ipſe morbus. Plinium audi etiam de hoc argumento diſſerentem.

Corpus

Corpus tuum valetudo tenet, non animum, ſi animum tibi in uſu eſſe ſolet, ſuadebis, docebis, diſces, quæres, recordaberis. Quid porro? Nihil agere te credis, ſi temperans æger ſis? Eſt, mihi crede, virtutis etiam in lectulo locus. Non tantùm arma & acies dant argumenta alacris animi, indomitiq́ue terroribus. Et in veſtimentis vir fortis apparet. Habes quod agas, bene luctare cum morbo. Si nihil te coegerit, ſi nihil exoraverit; inſigne prodis exemplum. O quàm magna erat gloriæ materia, ſi ſpectaremur ægri; ipſe te ſpecta, ipſe te lauda. Laudabis autem, ſi te ita morbus à conſuetis officiis abducat, ut tamen à pulcherrimarum virtutum exercitiis non abducat.

§. III.

Qui fructus è morbo corporis, ad animum emanare ſoleant?

SI morbi vim æſtimare velis ex ſenſu depravatæ naturæ, pœnam eſſe dices; ſi è ſuavi Dei providentiâ, ac miſeratione, remedium ac medicinam eſſe fateberis.

Pſal. 21. *Intelligat homo*, inquit Auguſtinus, *medicum eſſe Deum, & tribulationem*, atque etiam morbum, *medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus ureris, ſecaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem; ſed audit ad ſanitatem.*

Lib. 2. ep. 9. Quod ipſum ore melleo dedurit Ambroſius epiſtolâ ad Bellicum ægrum, in quâ jactat illud Scripturæ Deique ad Hebræos oraculum.
Deut. c. 32. v. 39. *Percutiam, & ſanabo: Percuſſit*, inquit, *infirmitate, & ſanavit fide.*

Nimirum dum Bellico jaceret ægrum corpus, ſeſe erexit animus, & ad altiora Fidei myſteria, ſolemnemque profeſſionem evexit,

Simile quoddam ſupremi Numinis à morbo beneficium etiam ipſi agnovère pagani: quos inter Plinius doctè, ut ſolet, ac facundè. *Nuper*, inquit,
Lib. 7. ep. 26. *me cujuſdam amici languor admonuit, optimos nos eſſe dum infirmi ſumus. Quem enim infirmum aut avaritia aut libido ſollicitat. Non amoribus ſervit, non appetit honores, & quantulumcumq́ue, ut relicturus, ſatis habet. Tunc Deos, tunc hominem eſſe ſe meminit; invidet nemini; neminem miratur; neminem deſpicit; ac ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur. Balnea imaginatur, aut fontes, hæc ſumma curarum, ſumma votorum, mollem impoſterum, pinguemq́ue, ſi contingat evadere, hoc eſt innoxiam beatamq́ue, deſtinat vitam. Poſſum ergo quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus Philoſophi docere conantur, ipſe mihi tibiq́ue breviter præcipere, ut tales eſſe ſani perſeveremus, quales nos futuros profitemur infirmi.*

Nimirum dum ægri ſumus, enaſci ſolet magna præteritæ vitæ pœnitentia, futuræ præcautio, multaque providentia; ſi morbo benè monenti pareamus: quod olim Sigiſmundo Imperatori apertè inſinuavit Theodorus Archiepiſcopus Colonienſis; cùm enim ex eo quæſiſſet Cæſar, quæ recta eſſet in cœlum via? Subjunxit magnus Præſul.

Si tuam vitam inſtitueris, ut facturum te promiſiſti, dum calculus aut podagra, aut alius morbus gravior te oppreſſit. Nempe tum temporis ſaniora ineuntur conſilia, quia in ægro corpore ſanior eſt animus: ut enim diſertè Salvianus.

Infirmitas carnis vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus vires corporum in vires tranſeant animorum,
Lib. 1. de Provid. *Non turpibus flammis medulla æſtuent, non malè ſanam mentem latentia incentiva ſuccendant, non vagi ſenſus per varia oblectamenta laſciviant; ſed ſola exultet anima, læta corpore affecto, quaſi adverſario ſubjugato.* Etſi enim anima ſit hoſpes comesque corporis, ab hoc tamen quaſi ab hoſte ſibi malè meruit, maximè verò cùm valens ac vegetum eſt: tum enim velut equus indomitus animum tamquam ſeſſorem excutit, non excuſſurus ſi aut fame languens, & tabidum, aut morbo jacens atque oppreſſum eſſet: tum enim animo ceu domino cedit, ejuſque admittit imperia: nullâ quandoque aliâ vi, niſi ægritudine edomandus; quod eleganti ænigmate doctum poëta voluit. Legitur illud apud Dyphilum, eſtque de tribus fortiſſimis; ſcilicet ferro, fabro, & febre: hos inter olim ſua lis, & de fortitudine contentio.

Pro ferro faciebat illud, quod & durum ſit & propè indomitum, & quod ipſum cætera frangat atque edomet.

Pro fabro militabat iſtud, quod ipſe ferrum cudat, verſetque formas in omnes, ideoque ferro fortior audire videatur.

Pro febri verò hæc objecta ratio, quod fabrum, ferri domitorem, edomet ipſa, debilitet, lectulo inſternat, penitusque frangat.

Hoc ænigmate poëta luſit, docuitque humanos animos à morbo flecti vincique, qui nec occultâ nec apertâ vi edomari potuerunt. *Infirmitas gravis*, Cap. 31. v. 2. inquit Eccleſiaſticus, *ſobriam facit animam*, quam valetudo priùs ebriam fecerat.

Exemplo erit Ezechias, qui valens, Deo ac ſuperis minus gratus; æger omninò gratior. Excepit illud ab Iſaiâ oraculum. *Diſpone domui tuæ*, Cap. 38. *quia morieris tu, & non vives.* Ad has voces, & immiſſam altiùs jacenti corpuſculo morbi luem, excitatus *convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum, & flevit Ezechias fletu magno.* Firmo ac valenti pumice ſicciores erant oculi, infirmo humentes, & velut in lacrymarum ſtagno natantes; priùs obduratus ad monita precesque animus, jam cereus & flecti facilis: antè in terram pronus atque abjectus, modò in cœlum ac ſuperos erectus. Quid deinde? Ægrotantis preces audit, & lacrymas vidit pacatum Numen, & adjecit ad vitæ dies annos omnino decem ſupra quinque. Utque certa foret divino promiſſo fides, hoc ei à Domino annexum prodigium. In horologio parentis Achaz umbra ſolis, imò & ipſe ſol ad decem lineas receſſit, ut tot filio adderentur lucis & ſolis horæ, quot antè parenti detractæ.

Si Rabbinis habenda fides, diei, quo Regi Achaz juſta perſolvi debuerunt, quo funus duci, quo ſepeliri Rex impius: ſol ipſe, Orbis oculus, occidere feſtinans; illi, inquam, diei decem omnino horas detraxit, quas deinde ægrotanti filio reddidit.

Ecce quis à morbo fructus, quis proventus: non vitæ tantùm, & uſuræ hujus lucis; ſed & virtutis. Ut proinde in ægros pleroſque cadat illud, quod in Petri Piſcatoris filiam dictum olim ab optimo parente: *ſic expedit ei.*

Jacebat illa gravi morbo preſſa, cùm pater, qui in alios omnes beneficus, in eam durior atque inclementior, roganti cuipiam cur filiam à febri non expediret, vel attactu levi, vel ſi vellet etiam umbrâ, reſpondit. *Sic expedit ei.*

Ita omnino & plurimis etiam expedit, ut vel calculo intrinſecus torqueantur, vel torreantur febri, vel podagræ alluviem ſentiant, vel alias cujuſpiam morbi moleſtias, ut in ægro corpore ſanus habitet animus.

Ita factum olim legimus in vitâ S. Thomæ Cantuarienſis: ad ejus ſepulcrum, piosque cineres ſeſe conſulerat æger unus aliquis, & quæ magni præſulis miſeratio, etiam excuſſo morbo priſtinam valetudinem impetrarat: cùm ecce ſibi ſuisque jam reddito ſuboriri cœpit ſcrupulus, num ſanitas æquè ac morbus ad ſalutem ac beatitatem eſſet profutura: (hanc enim maximè ſpectabat æger, cui animæ ſalus ac vigor longè potior corpore) dum ergo pungit, & conſcientiam extimulat ea cogitatio, ad ſancti Martyris ac præſulis ſepulchrum revertitur, ſibique datum à ſuperis medicum orat atque obteſtatur, ſi fortè ſanitas corporis minus animo conſentanea,

minus proficua beatæ æternitati foret, eam rurſus exueret, & morbum, ceu veſtem animæ aptiorem, indueret. Vix è corde, ceu pietatis ac religionis officinâ evaſerant pauci gemitus, vix è labellis aliquot voculæ exciderant, precesque; cùm in corpus velut in diverſorium præpropera feſtinatione deſertum morbus rediit, futurus diuturnior hoſpes. Nimirum ægro illi data erat ſanitas aliquâ ſuperum indulgentiâ, & morbus deinde majore gratiâ redditus.

Solent enim beatæ illæ mentes, quibus in oculis Deus, in amoribus eſt beatitas, animo non corpori, æternitati non tempori ſervire, & illud concedere, quod in altiſſimâ divinâque mente, ceu ſpeculo, magis profuturum intuentur. Et quia plerumque plus à morbo boni ac gratiæ accedit, quàm à ſanitate, ideo illum hac meliorem ducunt.

Ita ducere doctus Henricus Suſo è Dominicana familia Vir notæ ſanctitatis. Huic erat Eliſabetha, Virgo in paucis ob virtutem cara; ſed admodum ægra: pro cujus valetudine dum ſuperos Deumque ſupplex orat, in eo ſeu orationis, ſeu etiam doloris æſtu à ſenſibus abſtractus, vidit è cœlo in ſacellum delabi bonos Angelos, qui primùm ſuave cœleſteque carmen accinere auditi; (fortè ad Henrici Suſonis levamen ac ſolatium) deinde & illud addere. Huic Virgini immiſſum à Deo morbum ad aliquod gratiæ gloriæque incrementum.

Bollandus 21. Ian in ejus vita.

Ecce ut à morbo accedit quod à firma valetudine non accederet; imò & fortaſſis omnino decederet. Argumento ſit iſtud, quod aliquando cœlo judice, & B. Virgine Ida interprete didicimus.

Evocatus erat ad ægram Colummannus Epiſcopus à virtute & ſanctimonia nominatus, ut ab eo benedictionem & inde etiam ſanitatem acciperet: & rectè tam hanc, quàm illam avidè expectabāt mœſti parentes, pro filiæ incolumitate mirè ſolliciti. Sed, ô mirabiles Divinæ Providentiæ vias! ô pugnantia mortalium immortaliumque conſilia! ô alia hominum, alia Dei judicia: dum hic in morbo ſummum veluti bonum reponit; illi propè ſummum in terris malum eſſe putant. Quod ipſum in aperto poſuit B. Ida; cùm enim Colummanno Præſuli ſiſteretur ægra, hæc ad parentes Ida Virgo cœlitus edocta.

Bollandus 13. Ian in ejus vita.

E duobus alterum eligite, vel ut filia veſtra ſana ſit corpore, ac deinde in peccato moriatur, & pereat: vel ut hic, ad tempus brevioris ævi, infirma ſit, & ægro ac languente corpuſculo; mente interim firma ac vegeta, atque ad extremum æterna donetur vita ac beatitate: eligite, inquit, eligite; è duobus enim Deo Judice datur optio.

Hic primùm ſtupere parentes optimi, ſtupere Præſul ipſe Colummannus: ac deinde poſtremum eligere; quod ſani prudentiſque conſiliū fuit.

Ecce ut infirma valetudo, ut morbus, qui puſillis mortalibus videtur monitor importunus, ex vero opportunus eſt; ſuadet enim ab ægritudine ad animam emanare & gratiam & gloriam, cùm aliàs à firmiore valetudine & hæc & illa periiſſet. Quod docente cœlo cùm didiciſſent Viri ſancti, morbos ipſos habuerunt in primis curis atque amoribus.

Vita PP. 2. p.c.148.

Ita (ut cæteros in præſentia taceam) habuit S. Romitus, magnus eremi cultor ac ſolitudinis. Solebat ille quotannis ſemel morbo tentari, ducebatque illum in bonis; cùm neſcio quo fato anno uno liber fuit, & primùm mirari ac ſtupere, dein etiam graviter dolere, gemere, queri, quaſi à Deo deſertus eſſet, & ſuperum gratia vacuus, qui morbo vacuus erat.

Ecce, mi lector, quis magnarum mentium de ægritudine ſenſus, quæ cogitatio, hauſta ſine dubio, non à corpore, carneaque compage, quæ ſemper eſt querula, quia fluxa & mortalis; ſed ab anima, nobiliore hominis parte, quæ ſtabilis eſt atque immortalis.

Ab hac probè doctus ex antiquis Patribus nonnemo, diſcipulum ægrum ita ſolari ſolitus, Ne te, fili, morbi tædeat pigeatque; quin potius Deo moderatori gratus eſto: ſi enim tibi ferreus eſt animus, à morbo, ceu igne, rubiginem exuet; ſin vero aureus, ex eo quoque purior evadet.

§. IV.

Præclara quædam ſingularis in morbo patientiæ exempla?

IN morbo non ſolùm prodeſt ad alias cogitationes avertere animum, & à dolore diſcedere; verùm etiam cogitare, quid honeſtè, quid fortiter alii, quos olim adverſa probavit valetudo; ſic enim ad eorum exemplum ſeſe eriget æger, & ſi minus pares, at ſaltem ſuppares animos induet.

Eâ cogitatione uſus olim Seneca, tum ad corporis ægritudines, tum ad quodvis aliud, ſeu naturæ, ſeu fortunæ incommodum depellendum.

Dic tibi, inquit, *ex iſtis quæ terribilia videntur, nihil eſt invictum. ſingula vicère jam multi. Ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato. Et nos vincamus aliquid. Aliquid faciamus*, imò & patiamur *aliquod*: *ſimus inter exempla. Quare deficimus? quare deſperamus? quidquid fieri potuit, poteſt.* Epiſt. 98.

Rectè ſanè & eleganter: cùm enim propè omnia vicerint alii, quidni & nos vincamus aliquid, quidni inter exempla ſimus; cùm etiam inter ea fuerint tenellulæ virgines, imbelliſque ſexus: nec enim te, mi lector, ad viros ducam, nec ad Jobum unum aliquem, *quem*, ut ait D. Cyprianus, *vulnerum vaſtitas, & tabeſcentes ac diffluentes artus, vermium quoque edax pœna conſumpſit*. Non ei te ſiſtam, aliiſque, quos tulere lapſa retrò ſæcula; ſed ad puellulas te vocabo, & in molli infirmoque ſexu, patientiæ miracula. Lib. de patientia.

Claram tibi in exemplum proponam; & nomine, & re etiam ipſa longè clariſſimam.

Eam omnino malè excepere alii atque alii morbi, iique graviſſimi, etiam totos viginti octo annos, quos exegit ipſa ſummâ patientiæ laude, maximè verò cùm ad extrema deducta eſt vitæ confinia, in quibus agitata quàm acerbiſſimè dies omnino ſeptemdecim vixit ſine cibo potuque: cumque eam à morbo lamentam æquo, ut aliàs, fortique animo ferendam dixiſſet frater Reginaldus, qui ei à confeſſionibus erat, adjecit Sancta Virgo: Ex quo me, D. Franciſco duce ac patrono, Dei mei obſequiis totam mancipavi, nullus morbus gravior accidit, nulla acerbior pœna, nullus patientiæ rigor non ſuavis.

Sanctæ Claræ accedet D. Lyduina, exemplar ſanctitatis, & patientiæ prodigium: in eam tamquam in ſcopum incurrère morbi propè omnes facto veluti cuneo, non tamen fregère, ſed erexère potius, ut ægritudine, dolore, imò & ſeipſa ſemper eſſet ſuperior. Qui eam triginta totos annos lecto continenter affixam, oculis non animo legiſſet, aliud vidiſſet nihil, niſi vivum ac ſpirans cadaver, in quo tamen alacer, vegetus, & fortis ſpirabat animus, & uni cœlo, Deoque reſpirabat. cui enim potius? Senſerat illa ſibi corpus eſſe pro diverſorio, imò ſi voles, etiam pro carcere, è quo liberior evolaret animus, diſſoluto jam & effracto ergaſtulo corporis: & hinc illæ deliciæ, illud gaudium, ille plauſus à morbo, ceu aſſertore ac vindice libertatis; ad quam accedebat & illud bonum, quod ægritudinem ſciret eſſe virtutis palæſtram, & ſcholam ſanctitatis, in quâ docentur bonæ mentes Chriſto ſervatori ſuo in doloribus, in tormentis, in cruce conſentire.

Quod ipſum ſpectavit aliquando S. Virgo Aldegondis Belgii noſtri decus, Virginum gemma, patientiæ ſingularis exemplar: quod ut ſpectarent poſteri omnes, à Chriſto, ceu cœleſti ſponſo, multis

precibus

precibus id petiit, & piè extorſit, ut mamilla dextra cancro inficeretur.

Eſt autem cancer morbus ab atra bile efferveſcente proficiſcens, cum alias corporis partes, tum mulierum mammas imprimis infeſtans: ſic dictus vel quia paulatim ſerpit cancri piſcis ſimilitudine; vel quòd venas circa ſe habeat extenſas, inſtar brachiorum cancri; vel quòd pertinaciter hæreat ut ſolet cancer ſi quid chelis apprehenderit. *Malum* utique *immedicabile*, ut appellat Ovidius, quod ſolet

Serpere, & illæſas vitiatu addere partes.

Verùm ut ejuſmodi eſſet, hoc nihilominus vel pia quadam Christi patientis æmulatione, vel ardore patiendi, ambivit Virgo tenellula, regio oriunda ſanguine, vocavitque familiare ſibi ac quotidianum martyrium, imò & purgatorium, quo ſcilicet expiaretur mens ſancta, atque etiam minimas labeculas elueret; ſicque cœlo ſponſoque ſuo, ideſt Chriſto, pura atque immaculata ſiſteretur.

Molanus in Natal. SS. Belgii.

Qui D. Aldegondi ſenſus fuit, fuit, & S. Colettæ, quæ a Deo, JESU ſuo ſummis votis expetiit, ut dolorum ejus aliquando particeps eſſe videretur. Votis annuit Salvator optimus, & exinde famulam ſuam quinquaginta annis morbis gravioribus exercuit, ad ſtuporem & miraculum; imò etiam ad querelas, gemitus, lachrymasque ſororum: quas eliciebat, vel unus ipſe ægræ Virginis aſpectus, quibus illa ſubridenti ſimilis. Quorſum, aiebat, hæ lacrymæ, ô ſorores meæ? Quod patior vobis grave, animò certè meo leviſſimum; & ut grave ſoret corpori, eò tamen fit levius, quòd in eo ſentiam amicam Dei manum, quam excutere, crudele & impium foret; exoſculari autem ſuave, amabile, pium. Hæc illa non verbis tantùm, ſed re etiam ipsâ cùm occaſio tulit, eſt teſtata: ſi enim exigeret Numinis gloria cultusque, etiam afflicto corpuſculo non exire, ſed efferri domo ſe patiebatur: & dicenti ſibi, periculum adire ne in viâ moreretur, *Parum eſt*, inquiebat illa, *Domine, an foris moriamur, modo in Domino.* In ejus manibus tutò excidet anima, ſi è corpore exciderit.

Surius in ejus vita.

Et hæ ſunt voces, hæc oracula, ſanctarum mentium, quæ eas carnis afflictiones non è ſenſibus, ſed ex divinis rationibus metiuntur.

§. V.

Opportunæ in morbo conſiderationes.

Dixit olim Neroni Demetrius, *Mortem tu mihi minitaris, natura tibi.* Tua voluntas aut potius inſolens tyrannia & libido quædam ſæviendi, ferrum, & ignes oſtentat, mortemque per atrocia ſupplicia ſub oculos ponit: at teipſum, ô tyranne, eædem manent, imò graviores fati leges, & hæ quidem non homuncionis alicujus voluntate; ſed neceſſitate, ſed naturâ: à quâ diſcedere ut velis quàm maximè, non potes.

Epictetus l. 1. apud Arrian. c. 25.

Quod ille de morte jactavit, hoc ego de morbis, qui ad illam ducunt: imponuntur illi, non noſtrâ, non alterius cujuſpiam depravatâ voluntate; ſed inſita quadam naturæ neceſſitate: cùm enim corpus hoc mortale conflatum ſit è quatuor humoribus, quorum ſemper inter ſe pugna luctáve, neceſſum eſt illud ab his pati, concuti, torqueri: quod ſi neceſſum eſt, amabo te, quiſquis ex æger, cur contra neceſſitatem depugnare vis, cur effugere quod effugit nemo: Si natura tibi id imponit oneris, quid eam averſaris ac damnas? ſi ad hoc natus es, ut aliquando infirmus eſſes, ut ab ægritudine exſuccus & aridus; quid ſemper ab ætate, à valetudine viridis ac vegetus eſſe vis? Cogita tibi in hac vitâ mortali idem uſu venire quod ariſtis.

Ariſtæ quam ob cauſam naſcuntur? Nonne ut inareſcant? Ideo autem areſcunt, ut videlicet demetantur nunquam; at dira imprecatio hæc eſt ariſtarum, ut demetantur nunquam. Sic ſtatuendum in hominibus quoque deteſtationem eſſe ſi quis optet non aliquando æger eſſe, non aliquando mori: cum ſimile id ſit voto, quo ut non matureſcant ſegetes, nec ut demetantur, quiſpiam optet.

Epictet. l. c. 6.

Sicuti ergo ſi ariſtis ſuus eſſet ſenſus, ſua mens & intelligentia, optarent illæ ſuo tempore inareſcere ac deinde meti, quia eas ad hoc natura formavit, cui obſequi volupe eſt: ita viro ſapienti, & conditionis ſuæ probè conſcio, non grave, non acerbum, non durum & execrabile, ſed potiùs leve, jucundum & amabile videri debet à febris æſtu, ceu ſole, inareſcere, collaque fato ſubmittere, & mortis falcem æquanimiter pati: eo maximè quòd ideo exareſcit ac diſſolvitur corpus, ut aliquando revireſcat in ſæcula, imò & in æternitatem. Hoc igitur primùm adverte, & apud te tacitis cogitationibus expende cùm à morbo lecto affixus es: cogita deinde & alterum, & vinctum tibi propone unum aliquem: is dum carceris ſui putreſcere paulatim muros videt, & ruinam minari, ſtat tantiſper, exitumque è vinculis expectat ac libertatem. Idem tibi evenit cùm æger es: vides ipſe, ſentisque tabeſcere ſolvique corporis ergaſtulum: benè habet: ne geme, ne querere, ne morbum incuſa, ne damna; ſed exulta, & ad propoſitam libertatem aſpira: imò & hoc quoque apud te meditare, Hanc pellem, hæc oſſa, has carnes reſpectu animæ, nihil aliud eſſe, quàm diei unius penulam, aut pannos tenues, quos ubi ab ægritudine, à vulnere, aut alio quopiam corpuſculi vitio, videris defluxiſſe: erecta in te ſtet anima, nec aliud quàm tempus expectet, quo miſerrimas has deponat exuvias: utque has abjiciat etiam lubens volensque, perpende & illud; hunc mundum quantus eſt, tibi pro ſcenâ eſſe, è qua ſpectes pompam ludorum hujus ævi mortalis, recedasque cùm ita libitum fuerit ei, qui te in ſcenam vocavit atque admiſit.

Egredere igitur, ac diſcede, ut gratus, ut verecundus. Da locum aliis; alios naſci oportet, quemadmodum & tu fuiſti natus, poſteriſque concedendus eſt locus: conceditur autem per morbos variosque caſus, à quibus è mundi proſcenio ſubducimur, futuri ſpectatores Dei in totâ quantum protenditur æternitate.

Epictetus.

Sed audio, injicies illud, Nimis citò, & præproperè ſubdicimur ægritudinis vitio; & hinc malum, hinc dolor, cui medelam affert D. Antoninus; qui te in ſcriptis ſuis etiamnum ſpirans ſic alloquitur.

Heus, tu, civis fuiſti in hac magnâ urbe, quid attinet utrum quinquennio? Etenim quod ſecundùm leges, id omnibus eſt æquum. Quid ergo grave ſi te urbe emittis Dominus? Non id facit injuſtus judex, ſed potius natura, quæ te introduxit, perinde ac ſi Prætor hiſtrionem emittat è theatro, in quod eum introduxerit.

Lib. 12. n. 29.

Quod ſi is dicat ſe non quinque, ſed tres modò actus recitaſſe, rectè dicet: at in vita tres actus fabulam implent: Et ſi non impleret ab urgentis morbi importunitate, quid intereſt, ſi is te evocat, qui fabulæ author eſt ac moderator.

Diſcede igitur æquo animo, nam & is qui te dimittit Deus, propitius tibi eſt, & in eo quod te dimittit, ſpectandum imprimis illud, tecum agi ut cum fructibus ſolet, ex iis qui præcoces ſunt, niſi citò excutiantur, computreſcunt, neque iis injuria fit ſi decutiantur, imò fieret niſi decuterentur. *Oliva maturitatem conſecuta, ſi decidat, arborem, quæ ipſam tulit ac genuit, collaudat, & gratias agit.* Et tu pariter lauda, & grates age: ſi enim importuno morbo, & ut videtur præcoce fato, abeundum eſt, ſcito quod è vitâ velut arbore dejicieris: terræ, ceu communi matri redderis, ne diutiùs arbori, id eſt vitæ adhærens, à vitiis & voluptatibus computreſcas.

D. Anton. l. 4. c. 59.

CAPUT II.

De morte.

Clem. Alex. l. 3 ſtrom.

Dicitur olim Maria Salome, prudens Matrona, à Chriſto generis noſtri Servatore quæſiviſſe, *Quamdiu vigebit mors?* Cui Dominus. *Quo adusque vos mulieres parietis.* Divinum ſanè, ſapienſque dictum.

L. de Anima cap. 5.

Ibidem.

Nihil enim tam naſcentis proprium eſt, quàm ut intereat; & parentis atque parientis vterus fœtum ſuum non ad vitæ vſuram magis, quàm ad mortis expectationem effundit. Id dum animo ſpectat Tertullianus, ita de imminentis fati debito chriſtianè philoſophatur. *Hoc ſtipulata eſt Dei vox, hoc ſpopondit omne quod naſcitur.* Qod ſi ſpopondit illud, & adeò quidem, ut etiam *publicâ totius generis humani ſententiâ, mors naturæ debitum ſit*, videndum nobis erit, ut quod neceſſitati, velimus nolimus, eſt concedendum, faciamus eſſe virtutis.

§. I.

Mors inevitabili Naturæ lege ac neceſſitate impoſita, æquo conſtantiq; animo excepta actus eſt fortitudinis.

De morte varii varia cenſuêre. Tertullianus mortem eſſe dixit *Vltimam quæſtionum omnium.* Digna ſanè tanto viro ſententia.

Exiſtimavit nimirum vitam hanc mortalem ſcholam eſſe, in quâ aliæ atque aliæ proponi ſoleant atque agitari quæſtiones; quas inter, omnium vltima & difficillima eſt de morte, cujus nodum ſolvere ne unus è toto genere noſtro poteſt; nempe pluſquam herculeus eſt ille nodus.

Midam ferunt curru nodis quibuſdam inexplicabilibus connexo vectari ſolitum: de hoc in templo repoſito proditus erat apud Phrygas rumor, ut qui vinculum illius ſolviſſet, eum Aſiæ imperaturum: explicuit Alexander, & totius Aſiæ imperium tenuit. At mortis nodum diſſolvere atque explicare non potuit, ideoque ipſe & Aſiæ & orbi & fato ceſſit: & verò cedent omnes quos aut terra feret, aut ſol aſpiciet: quia *mors quæſtionum omnium ultima eſt*, & difficillima. Imò ſi Philoſophos, ipſumque audiamus Ariſtotelem, *omnium terribilium terribiliſſimum eſt mors*: diceres ex eorum ſenſu omnia ſeu fortunæ tela, ſeu vitæ vulnera, inania quædam eſſe puerorum terriculamenta, præ terrore, horroreque deſignatæ à naturâ mortis, extremæque neceſſitatis.

Ethic. 3 c. 6.

Verùm ut ea ſit & habeatur mors puſillo fractoque homini; at non ita viro forti & magnanimo: alit ille, intimiſque penetralibus claudit ingens animæ præſidium, ſcutum inexpugnabile, & ad adverſus fati tela, duræque neceſſitatis incurſus, clypeum adamantinum & impenetrabilem: virtutem inquam fortitudinis, quæ ut cœtera mala excipiat ac tôleret, ita & inviſam mortis faciem æquo placidoque vultu aſpicere doceat, atque contemnere; imò etiam, quod ames ac mireris, appetere, atque impenſiùs ambire. Nimirum animo forti, veréque Chriſtiano, vita peregrinatio eſt, mors ad patriam via; vita ſomnus, mors vigilia; vita carcer, mors facilis ad libertatem aditus; vita morbus & inſania, mors medicus; vita mare, mors portus.

Vita peregrinatio.

Bonos inter & malos hoc intereſt, quod his terra patria videatur & ſit: illis autem mundus exilium, & cælum patria. Teſtes erunt gemini fratres, quos foverunt primæ naſcentis mundi cunæ; Cain & Abel, de quibus illud Auguſtini. Abel primus mundi civis, & exul cæli: ideoque hic vitæ tenax, & mortis fugiens; ille vitæ ferè prodigus, & mortis amans: hoc ſcilicet à bono parente Adamo hauſerat, & probè retinebat, vitam eſſe peregrinationem, quâ per inevitabilis fati vias ad cælum, ceu patriam tenderemus: quod etiam agnoverunt, & altè in animum admiſerunt Heroës inclyti qui aliis id ipſum pro documento vitæ benè fortiterque inſtituendæ eſſe voluerunt.

Virorum fortiſſimus Jacob, ut qui cum Deo luctari auſus, & fortis eſſe etiam adverſus ſupremum Numen; inclinata jam ætate, rogatus à Pharaone. *Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ?* Reſpondit.

Dies peregrinationis meæ centum & triginta annorum ſunt, parvi, & mali. *Gen. c. 47. v. 8.*

Meritò longæ vos vitæ dies appellat dies peregrinationis, quia ut ait Auguſtinus: *omnis qui ad ſupernam pertinet civitatem, peregrinus eſt mundi: & dum temporali vitur vitâ, in patriâ vivit alienâ*: vivit, inquam, dies parvos, id eſt paucos: in vitam enim eâ lege naſcimur, ut parum in eâ commorari protinus exeamus: illudque Davidis ad Ethai hîc vſurpare licest. *Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi.* Ita, ut inquit D. Nanzianzenus, à tumulo tumulum petimus, id eſt ab vtero matris ad ſepulcrum, & communis omnium parentis, hoc eſt terræ gremium tendimus: quia, ut pulchrè Seneca, *Quotidie demitur aliqua pars vitæ, & tum quoq; cùm creſcimus, vita decreſcit: hunc quem agimus diem cum morte dividimus: mox ut in vitam ingredimur, ſtatim aliâ porta exire incipimus.* *Epiſt. 19.*

Audite hæc, Tantali, qui hujus vitæ annos ſitiſtis maximè diuturnos: peregrinos vos ſcitote, non incolas, & quidem brevis & moleſtæ viæ peregrinos.

Hæc certè audit ſentitque vir fortis, ideoque duo declinat mala, eaque graviſſima; vitæ unum, mortis alterum.

Vitæ eſt illud quod triſti næniâ deplorat D. Gregorius, dum ait *Vitam hanc viam eſſe ad cælum. Viatores autem multos via amœnitate ſic paſci, ut magis eos diu pergere, quam citiùs pervenire delectet.* *L. 21. Moral. cap. 24.*

Vita ſomnus.

Mortis autem eſt iſtud: horror quidam & agonia reluctantis animulæ, atque indignantis, tam citò exeundum eſſe: qui error, eſt vitium depravatæ mentis; à quâ longius abeſt excelſus animus ipsâ morte ſuperior. Cenſet enim ille, vitam eſſe ſomnum, mortem autem vigiliam, à qua redditur luci numquam perituræ, diei qui occaſum neſciat, ævo fœliciori quod finem non inveniet. Et hinc animo ſua quies, & ſumma in extremâ fati lineâ tranquillitas.

Ubi concubiâ nocte oculos clauſit ſopor, & velut ſuperinfuſa nube obruit ac fefellit variis ſomniorum imaginibus; jucundum eſt, orto jam ſole, ſomnum excutere, & vigili ſenſu ac mente detegere fallaces illos ſopitæ mentis typos, ſpes vanas, ludicra commenta, noctiſque unius deliria. Sic erit viro forti longè graviſſimum à vitæ mortalis ſomno reſtitui vigiliæ longiſſimæ æternitatis, & hoc quidem mortis beneficio, ſine quo immortalis animus corpori, ceu molli plumæ inſtratus jaceret, ſomno graviore oppreſſus.

Vita eſt carcer, & quidem arctiſſimus: talis audiit D. Gregorio Nyſſeno, oratione quam de dormientibus inſcripſit. *Vita carcer.*

Quis, niſi ſtultus ſit & mentis inops, non credet eos miſeros eſſe, qui carcere elapſi teneantur; fœlices autem, qui eo liberantur, atque emittuntur: illos riſu, hos lacrymis, ſi quis proſequatur, næ ridendus ipſe atque à ſapientibus explodendus.

Rarò eſt in promptu, carcere quippe detenti ſuas miſerias incolunt; eo liberi, è ſuis calamitatibus evolant.

Non aliter qui vivunt; ſuum ipſi ſecum trahunt ergaſtulum: qui obeunt, eo eximuntur, & cum moleſtâ corporis ſarcinâ carcerem ſuum exuunt; ideoque hoc uno fœlices ac fortunati.

Vita morbus eſt, imò morborum omnium colluvies: quæ & corpus & animum obſident, obruunt, *Vita morbus.*

perdunt

perdunt: *mors ultimus morborum medicus*; ita enim eam appellavit Sophocles, qui cenſuit multis malis, & morbis moleſtiis à morte finem imponi, quibus nec Galeni, nec Hippocratis ſchola modum afferre potuit: quis autem non gaudeat, ſi è corpore velut morborum diverſorio evocetur animus, ut longùm, ut æternùm ſanus ſit?

Vita mare. Vita proceloſum eſt mare, mors fida ſtatio. Quis inter adverſos vitæ fluctus non perhorreſcat? Quis in ipſius mortis littore conſtitutus non gaudeat, ſibique gratuletur quòd decumanos illos fluctus, vitæque ſyrtes ac ſcopulos, tot naufragiis infames, ſuperarit; aliorum certè caſus & pericula ſecurus ille ſpectabit, & ex æternitate velut ſpeculâ deſpiciet gaudebitque à morte tantùm ſibi obveniſſe ſecuritatis.

Hæc aliáque meditatur elatus animus, ſibique in extremâ illâ lucta ab iis præſidium facit, turrimque fortiſſimam, è quâ mille clypei pendeant, & omnis armatura fortium: quidni armaturam appellem eas cogitationes, quæ hominem muniunt, ne aut timori, aut mortis jaculis, aliquo modo penetrabilis eſſe videatur.

Serm. 5 de mortalitate. Certè D. Cyprianus inde ſibi aliiſque animos fecit, lacrymaſque puſillis mentibus deterſit. *Non ſunt*, inquiebat, *lugendi fratres noſtri de ſæculo liberati: cùm ſciamus non eos amitti, ſed præmitti; ut proficiſcentes & navigantes deſiderari eos debere, non plangi.*

Proficiſcentes ait, & navigantes, hac mortali vitâ, ceu labili navigio vecti in portum æternitatis.

Eâdem cogitatione uſus olim Seneca adverſus querulos, & à morte plus æquo ſibi metuentes.

Epiſt. 100. Iniquum eſt, inquit, queri de eo: uni accidit, & omnibus reſtat. Eo igitur æquiore animo eſſe debemus, quòd quos amiſimus, ſequimur.

Reſpice celeritatem rapidiſſimi temporis, cogita brevitatem ſpatii hujus, per quod citatiſſimi currimus. Obſerva comitatum generis humani eodem tendentis, minimis intervallis diſtinctum, etiam ubi maxima videntur. Quid autem dementius, quàm cùm idem tibi metiendum ſit, flere eum qui anteceſſit? Quiſquis autem queritur aliquem mortuum eſſe, queritur hominem fuiſſe, omnes eadem conditio devinxit; cui naſci contigit, mori reſtat: intervallis diſtinguimur, exitu æquamur: hoc quod inter primùm diem & ultimum jacet, varium eſt.

Hæc ubi de communi lege, fatalique neceſſitate pronuntiavit Seneca: tum illud ad extremum conficit. *In procinctu ergo animus ſtet, & id quod neceſſe eſt, nunquam timeat, quod vero incertum eſt, ſemper expectet.* Ut autem expectet, & volens etiam ac lubens ceddat; oſtendit auræ hujus ac vitæ uſum à Deo conceſſum, ſine cujuſquam injuriâ repetendum. Eorum, inquit, quæ hîc habemus uſus fructus noſter eſt, cujus tempora ille, arbiter muneris ſui temperat, nos oportet ea ſine querelâ reddere creditori. Peſſimi debitoris eſt creditori facere convitium: ſæpe admonendus eſt animus, ut tanquam ceceſſura, imò ut recedentia amet, quæ à Deo hic nobis data ſunt. His affinia repetit, & inculcat libro de remediis fortunæ.

Moriens, inquies mihi; ita hominis natura eſt, non pœna. Morieris; hac conditione intravi ut exirem. Morieris, gentium jus eſt, reddere quod acceperis mutuatum. Morieris, peregrinatio eſt vita; cùm multum deambulaveris, redeundum eſt. Morieris, exiſtimabam te aliquid dicere novi; ad hoc veni, hoc ago, huc me ſinguli dies adducunt. Quid habeo quod indigner? Stultum eſt timere quod vitare non poſſis, iſtud nemo effugit qui diſtulit. Morieris, nec primus ego, neque ultimus. Anteceſſerunt me multi, ſequentur omnes. Morieris, hic eſt humanæ vitæ finis, quò tranſit orbis, & ego tranſibo. Morieris, quid grave eſt, quod ſemel? Morieris: æs alienum, non meum, vitam meam eſſe novi. Hoc equidem cum eo creditore contraxi, de quo ego queri non poſſum.

Et hæ quidem cogitationes ad mortis dolorem vel temperandum, vel etiam penitus extinguendum, hauriuntur ex ipſo naturæ gremio: aliam viro forti ac Chriſtiano exhibet Tertullianus: ea deducitur è cæli legibus, è Numinis indulgentiâ, quæ ſparſos cineres, oſſa arida, animæ vitæque, aliquando reſtituet; unde non exiguum arduis mentibus affulget præſidium. Cùm, inquit, *conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas ſi periiſſe non credis? Cur impatienter feras ſubductum, interim quem credis reverſurum? Profectio eſt, quam putas mortem: non eſt lugendus qui antecedit, ſed plane deſiderandus. Id quoq; deſiderium patientiâ temperandum.* *Lib. de Patientia c. 9.*

§. II.

Mors in juventute alacriter obita actus eſt fortitudinis.

Divo Antonino teſte ac ſcriptore Adrianus Imperator, cùm è Philoſopho quodam, cui nomen *Secundus*, quæſiviſſet, quid eſſet homo; hoc ab eo reſponſum accepit. *S. P. Hiſt. lib. 7. c. 4. § 2.*

Homo eſt mancipium mortis, hoſpes loci, viator tranſiens, & acervus nivis.

Hæc audi, & è ſapientiæ lycæo oracula excipe, quiſquis es homo, & ne victum ac detritum Philoſophi unius pallium contemne: ſæpè ſub vili lacernâ, ſordidoque pallio latet ſapiens animus: ex eo audis.

Primùm quòd ſis mancipium mortis, illius ſervituti, jam inde ab utero addictus; naſceris enim non tam vivere, quàm mori certus: cætera brevioris ævi mala declinare potes; pauperiem, eſuriem, ſitim, ſolis æſtus, aquilonis imbres, & frigora vel fallere, vel effugere: mortis tela, nec ut velis, potes; adeo illius es mancipium.

Hoſpes etiam es, cui pro diverſorio orbis ipſe, quantus eſt: ex eo excedendum, & quidem cùm mors volet nudus exibis, ut veniſti nudus. Viator es & quidem tranſiens, quia pedem, id eſt vitæ curſum ſiſtere non potes; urgent enim & inſtant fata, mora vetat; ideo etiam ex hoc illius es mancipium.

Acervus es nivis: & ut illa ad primos ſolis radios ſolvitur, elementoque ſuo redditur; ſic terræ redderis è terrâ malè compactus, & in cineres ibis, etiam ab unius febriculæ tantùm æſtu: adeo etiam ex hoc capite, mortis mancipium es: quod ſi eſſes adulta jam ætate & in extremo tantum ſenio, cùm curva in terram ſenectus ad communem matrem ſe ipſam inclinare videtur; tolerandum illud foret. at aliæ mortis leges, quæ non tantum ſortitur inſignes & imos; ſed etiam immitti falce primùm enaſcentes floſculos demetit, ſolo inſternit ac conterit.

De arbore, à cujus fructu peccavit Adam, ſita inter antiquos pugna.

Moſes Barcepha vitem fuiſſe credit, Pomum alii, & melius. *Cap 19. de Paradiſo.*

Nonnulli (ut Theodoretus & Procopius) ficum fuiſſe autumant: Ex quo fortè manavit illud emblema excuſum in monetis Imperatorum Romanorum: viſebantur duo ſepulchra, unum decrepiti ſenis, alterum comptuli adoleſcentiæ; in medio aſſurgebat ficus, & tam hoc, quàm illud fatali tegebat umbrâ, quod ſcilicet & ſenum & juvenum mors fatumque inevitabile à ficu defluxiſſet. Ita:

Miſta ſenum ac juvenum denſantur funera, nullum *Horat.*
Sæva caput Proſerpina fugit.

Sæva, inquam, ſed tum præcipuè, cùm ætatem fato immaturam, & veluti præcoces adoleſcentiæ fructus, aut cæca manu legit aut nimium præcipiti falce metit. Hoc enim ut inopinatum, ita durum

quàm maximè accidere ſolet. Illud quippe à natura cuique comparatum eſt, ut amet ac velit dies antiquos, ſeroſque ſoles ac lunas, nec hoc orbe excedat, niſi plenus dierum.

Teſtis erit Rex Ezechias, cujus hæ preces, & mixtæ lacrymis querelæ: *Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* *Iſaiæ c. 38.*

Prophetæ oraculo audierat ſibi è vivis abeundum, & quidem *in dimidio dierum*; *&* hinc regiæ lacrymæ, profundique gemitus: adeo difficile, & arduum eſt, etiam in mediâ ætate mori; quanto difficillius in primâ? Et inde opus animi robore, inſignique fortitudine, quam ut aſſequaris, Benevole Lector, nonnulla ſubjiciam, quæ fati telum ſi non excutiant & frangant, at certè retundant quàm plurimùm.

Hoc in genere primùm occurrit illud Menandri, *Dilectus Diis in juventute moritur.* Illud nempe ſibi perſuaſit Antiquitas, eos omnes qui ſuperis curæ eſſent & amori, citius è terris educi, cæloque donari; tum ne diutius objicerentur iis malis, quibus hæc mortalis aura jactatur; tum ut quàm ocyſſimè beatitatem illam, ad quam à naturâ formati eſſent, aſſequerentur.

Lib. de remed. fortuit. Unum jam antè pervidit & attigit Seneca. Ubi enim varia à morte ſibi objecit, adjicit & illud: *Juvenis, inquies, morieris? Fortaſſe alicui malo ſubducar: quod ſi nulli alii, certè vel ſenectuti. Juvenis morieris? Non refert, quot annos habeam, ſed quot acceperim: ſi plus vivere non poſſim, hæc eſt ſenectus mea. Maximum ſolatium eſt cogitare id ſibi accidiſſe quod ante ſe paſſi ſunt multi, omneſq́; paſſuri; & ideo mihi videtur rerum natura, quod graviſſimum fecit, commune feciſſe, ut acerbitatem facti conſolaretur æqualitas.* Hoc Senecæ ſolatium eſt, quod à morte, quæ juveni obtingit, ſubducatur alicui malo, quod ſera invexiſſet ætas: quod ipſum dicit Sapiens factum amabili Numinis providentiâ. *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores tranſlatus eſt, raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* *Sap. c. 4. v. 10. 11.*

Ubi Juvenem aliquem in primulo pubeſcentis ætatulæ flore ſuccidi vides, crederes adverſo cælo, & inimicis fatis id accidere; crederes rapi tempore non ſuo, caſu factum æſtimares, & cæco quodam impete deerrantis naturæ: at non ſic eſt: emoritur certâ & amicâ Numinis providentiâ, cui illud eſt curæ, *ne moriatur juſtus tempore non ſuo.* *Eccl. c. 7.*

Quemadmodum enim Poëta pro arbitrio alios in ſcenâ diutiùs detinet, longamque fabulam exhibere permittit, alios oſtendit tantum, nec vel uno verbulo auditos revocat: ita in hujus Univerſi theatro, vitæque mortalis fabulâ, illum vario munere & actione Deus in ſcenam emittit. *Oſtendent terris hunc tantum fata, nec ultra eſſe ſinent.* *Virg. l. 6. Æneid.*

Quid facias? Acquieſcendum eſt divinæ voluntati, quæ rationum inſtar omnium, quanquam & illi ſua cauſa, etiam puſillo homini accommodata, quam ore calamoque Sapientis expreſſit. *Raptus eſt*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.*

Naturæ parens & author Deus, qui nos ut pilas habet, hoc vitæ ludo cedere cogit, ne malè cedat, ne periculis, quæ altâ mente prævidet, incauti reſervemur; ſive in iis privata, ſive publica vertatur ſalus.

4. Reg. c. 22. v. 20. Ita Deus, Joſiam Iſraelis amores ac delicias, abſtulit, ne regni excidium videret, & imminentem populo ſervitutem.

Ita Auguſtinum, ſerâ licèt, canâque ſenecta, mortalibus oris ſubduxit Deus, ne ſponſam ſibi longè cariſſimam, id eſt Hipponenſem Eccleſiam, à Wandalis obſeſſam, ab iiſdem captam, ſpoliatam violatam intueri cogeretur.

Ita Alphonſus cognomento Catholicus Gallæciæ Rex, nutantis Eccleſiæ columen & Saracenorum glorioſus domitor, terris vivere deſiit, & cœlo cœpit, ne averſam fortunæ faciem aſpiceret. In ejus obitu his vocibus totus æther reſonaſſe dicitur. *Ecce quomodo tollitur juſtus à facie iniquitatis, & erit in pace memoria ejus.* *Baron. anno Chriſt. 737.*

Et hæc prima ratio, publica calamitas, in quam veniret juſtus, ſi vita iret in ſeros annos, gravemque ſenectam.

Altera privatum attendit bonum, & cujuſque ſalutem, quæ Deo eſt in primis curis: Ex æternitate velut altiſſimâ quadam ſpeculâ deſpicit, non tantum rerum humanarum motus ac viciſſitudines, à quibus.

Irus & eſt hodie, qui modo Crœſus erat;

Verùm etiam humanæ mentis inconſtantiam, à cujus vitio, cras impius, & ſuperis inviſus erit, qui hodie juſtus audit, & ſuperum gratiâ doniſque fruitur. Ne tanta morum inclinatio, virtutum ſtrages, æternæque ſalutis ruina juſtum aliquando obruat ac perdat; longius extrahi non patitur vitæ lineam, nec in ſenium educi ſat; ne tantum virtuti decedat, quantum ætati accederet.

Et hic eſt amabilis divinæ providentiæ ludus: quem ſuſpexit, & altiore ut aliàs animo, ſtyloque commendavit Nazianzenus: ut oſtenderet vitæ bonum non eſſe poſitum in ejus ſpatio, ſed in uſu. *Orat. 10.* Quid inquiebat, lucri facimus, quantocumque illo quod adjicitur ſpatio, niſi ut plura mala partim videamus, partim patiamur, partim fortaſſis etiam faciamus; ac tandem nihilominus tributum naturæ debitum pendamus? Aut quid magnopere ſapienti deperit, ſi momentaneæ huic vitæ aliquot momenta decerpſeris? Certè nihilo minoris æſtimat ſapiens, qui vitam à virtutis ſtudio metitur, non ex ſolis longæque curſu.

Eſt vita circulus quem in arenâ ducimus; majorem, an minorem in eâ ſcribas, ad ſpatium ejus pertinet, non ad perfectionem. Maneat ille diutius, obducatur iſte, & in pulverem ſolvatur cui impreſſus eſt, circuli naturæ ac perfectioni nihil intereſt. Ita nec vitæ; ſive ei longiorem, ſive breviorem circulum deſignaris; *ætas* quippe *ſenectutis* eſt *vita immaculata*: *Sap. c. 4. v. 9.* nec enim ea dicenda ſenectus, quæ menſibus, annis, & ſæculo ſi voles advolat; ſed illa potius quæ virtute, quæ rebus benè geſtis comparatur. Non quamdiu, ſed quàm benè vivitur, curandum. Et ſanè curant in primis ſuperi, Deuſque; & hinc plerumque vitæ metam contrahunt, aut diducunt.

Pro hac veritate ſponſorem habeo Davidem, à quo & Salomon hauſit melioris ſapientiæ placita. Ita canit ille de impiis.

Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viventes, ſic in irâ abſorbet eos. *Pſal. 57. v. 10.*

Verborum hæc involucra videntur, quæ ſic evolvit Paraphraſtes. *Priuſquam impii teneri dureſcant, dum adhuc ſunt ſicut herba; tempeſtate & turbine deſtrues eos.*

Ut validus turbo, ſævaque ventorum procella in ſurculos teneraſque plantas violentior irruit, quàm in truncos, & annoſas quercus ac cedros: ſic in impios mors amplius ſævit, & ſtragem edit miſerabiliorem, & quidem dum adhuc ab ætate molles, teneri, & flecti frangique faciles: dum adhuc ſunt ſicut herba, fragilique culmo ſuccreſcunt, tum eos valido mortis turbine ac tempeſtate ferit, ſternit, deſtruit, antequam ab annis & ſenio malis ſuis indureſcant: & hoc divinæ miſerationis beneficium eſt, quæ non patitur eos aurâ diu frui, & terris ſuſtineri, qui & cœlis inviſi, & mundo oneroſi ſunt.

Sic impii in primo quaſi ævi ſui limine metam aſpiciunt, & damnanda involvuntur æternitate. Juſti verò in verno quaſi flore demetuntur, ne poſtmodum maligna vitiorum aura afflati emarceſcant ac decidant. Ita ſecum actum eſſe gaudet amatque ſponſa. *Flores*, inquit, *apparuerunt in terrâ, & tempus putationis advenit.* Sunt illi Juventutis floſculi, qui

dum

dum apparere atque erumpere geſtiunt, ſubitò imputantur; benè habet, quod amicâ, id eſt divinâ manu.

§. III.

Mortem propinquorum tolerare fortiter excelſi eſt animi.

CHryſoſtomus, os illud aureum, è quo tot emanant oracula, quot verba; Parentum in filios caritatem, & pronam illam in ſanguine junctos propenſionem appellare ſolebat *quandam Naturæ tyrannidem*, quam ferè vix exuas, vix abjicias; niſi cùm vitam ipſe depoſueris.

Cant. c. 8. v. 12.

Vis illius tyrannidis, & nativæ ſervitutis potiſſimùm eminet, cùm parenti filium, amicum amico ſubduxeris: quod à morte fieri ſolet; tum enim vel maximè hominem invadit, implicat, & captum tenet impotens amor, atque in varias paſſiones agit, potenti tyrannide, æſtuque ſeu iræ, ſeu doloris, ſeu etiam triſtitiæ; eæ quippe affectiones partito quaſi in animam imperio dominantur, cumque habent ſub jugo, ſuaque ſervitute; à quâ ſeſe indemnem ac liberum ſervare viri fortis eſt, & ipſi Naturæ imperantis.

Puſillus animus, quæ credit eſſe Naturæ jura diſſimulare non poteſt: ſit enim, Vincit pietas, jus ſanguinis compellit, & quaſi injectâ amoris manu captivum trahit vinculis caritatis: imò quòd ipſe etiam lugeas ac damnes, extorquet lacrymas, ſuſpiriis exhaurit penetralia, & in miſerabiles effundit ejulatus ac muliebria lamenta: quæ naturæ ſanguiniſque tributum appellat eviratus animus; damnat autem ac deteſtatur, quiſquis virum eſſe ſe ſenſerit. Is enim æquus rerum humanarum æſtimator ac judex, à ſe avelli non iniquè patitur quem ſua vocant atque avellunt fata.

Is olim fuit Anaxagoras illuſtris in pallio Philoſophus, cui cùm in amicorum coronâ, nuntiata fuiſſet mors filii, eaque ſubita ac repentina; nihil commotus adjecit illud Lycæo dignum ac poſteris.

Noveram me genuiſſe mortalem.

Is fuit & Pericles inſignis in togâ, facundus linguâ, à quâ dum altiùs tonat, Olympius dictus: audiit ille ſibi uno in prælio duos periiſſe filios: quid inde? Non abiit in gemitus, non effluxit in lacrymas, non pullo indutus eſt habitu, non cinere aſperſus caput, non nudo pede everrit humum: indecora ſunt iſta, & à forti diſertoque oratore mirum quantum aliena: hoc affine, & proprium: coronâ inſignitus eſt, candido amictu de more patrio ornatus, ex eodemque veſtigio pulpitum aſcendit, ſi aliàs, tum verò maximè facundus orator, qui Athenienſibus ad bellum calcar addidit, & martios ſpiritus injecit.

Ejuſdem animi fuit Xenophon, & ipſe ab oratoriâ arte nominatus; is cum intellexiſſet filium in acie dimicantem occidiſſe, addidit illud parente dignum & oratore. *Malle ſe habere filium ſtrenuum, quàm longævum.*

Idem in purpura ſceptroque ſenſit Rex Antigonus; cui cùm in bello glorioſâ morte occubuiſſet filius, elato animo extulit illud.

Serius, ô fili, tam glorioſam mortem obiiſti. Hæc è profanis, ipſâque Antiquitatis fide excerpere volui, & verò diu antè excerpſit D. Hieronymus, ut ſibi, Heliodoro, aliiſque ſolatium afferret in morte Nepotiani; de quo ita ad Heliodorum ſcribit.

In Epitaph. Nepotiani.

Nepotianus, meus, tuus, noſter, imò CHRISTI, *& quia* CHRISTI, *idcirco plus noſter, reliquit ſenes deſiderii ſui jaculo vulneratos, & intolerabili dolore confectos. Quem heredem putavimus, funus tenemus. Cui jam meum deſudabit ingenium? Cui litterulæ placere geſtient? Stupet animus, manus tremit, caligant oculi, lingua balbutit. Quidquid dixero, quia ille non audit, mutum videtur. Stylus ipſe quaſi diſſentiens, & cerâ ſubtriſtior vel rubigine vel ſitu obducitur.*

Hæc ubi indulſit amori; tum ex ſe ipſe quærit.

Quid igitur faciam? Iungam tecum lacrymas? Sed Apoſtolus prohibet, Chriſtianorum mortuos, dormientes vocans. Quid igitur: *læter, & gaudeam, quia raptus eſt ne malitia mentem ejus mutaret, quia placuerat Deo anima illius? Sed invito & repugnanti per genas lacrymæ fluunt, & inter præcepta virtutum, reſurrectioniſq. ſpem credulam mentem deſiderii frangit affectus. O mors, quæ fratres dividis & amore ſociatos crudelis ac dura diſſocias.*

Ubi hoc orationis telum in mortem intorſit, tum ad ſe ipſe quodammodo redit, à quo doloris impetu tantiſper abreptus,

Quid agimus, inquit, *anima? Quò nos vertimus? Quid primum aſſumimus? Quid tacemus? Exciderunt ne tibi præcepta Rhetorum; & occupata luctu, oppreſſa lacrymis, præpedita ſingultibus dicendi ordinem non tenes? Ubi illud ab infantiâ ſtudium litterarum, & Anaxagoræ ac Telamonis ſemper laudata ſententia. Sciebam me genuiſſe mortalem.*

Tum proponit innumera virorum fortium exempla. *Maximos, Catones, Gallos, Piſones, Brutos, Scævolas, Metellos, Scauros, Marios, Craſſos, Marcellos*, quorum non minor in luctu, quàm in bellis virtus fuit.

Ac ne in iſtis ſtylum figere videatur, ait mirum omnino & inſolens fore, *ſi non præſtet fides quod exhibuit infidelitas*; ſi hæc viros fecit & reddidit, illa non faciat ac reddat? *Igitur*, inquit, *ut ad noſtra veniamus, non plangam cum Iacob & David in lege morientes, ſed cum Chriſto in Evangelio recipiam reſurgentes. Iudæorum luctus Chriſtianorum gaudium eſt. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Unde & Moyſes moriens plangitur.* IESUS *abſque funere & lacrymis in monte ſepelitur.*

Ut autem ita ſepeliatur quiſquis nobis amicus erit, non authoritate tantùm, ſed & ratione pugnat Hieronymus. Et primò quidem argumentum ducit à mortis memoriâ, fataliqúe neceſſitate, cui velis nolis, eſt cedendum.

Platonis, inquit, *ſententia eſt omnem ſapientum vitam meditationem eſſe mortis. Laudant hoc Philoſophi, & in cœlum uſque ferunt.* Quod ſi hæc illi, *debemus & nos animo præmeditari quid aliquando futuri ſimus, & quod velimus, nolimus, longius abeſſe non poteſt. Nam etſi nongentos excederemus annos, ut ante diluvium vivebat humanum genus, & Mathuſalem nobis tempora donarentur; tamen nihil eſſet præterita longitudo, quæ eſſe deſiiſſet. Etenim inter eum qui decem vixit annos, & eum qui mille, poſtquam idem vitæ finis advenerit, & irrecuſabilis mortis neceſſitas, tranſactum omne tantumdem eſt, niſi quod ſenex magis onuſtus peccatorum faſce proficiſcitur.*

Illud ſolatium eſt, & levamen aliquod doloris, ſi tibi propinquus excedat, necdum maturus ævi, anniſve gravis: hoc autem, quacumque efferatur ætate, ſeu impubes ea fuerit, ſeu etiam ſenilis, atque effœta; quod ille quem ſua rapiunt fata, *deſiderandus ſit tibi quaſi abſens, non quaſi mortuus, ut illum expectare, non amiſiſſe videaris.*

Sed & alius conſolandi modus: is D. Hyeronymo eſt quod *ubiq. luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago. Romanus*, inquit, imò & totus *orbis ruit, & tamen cervix noſtra erecta non flectitur*, Flecteretur ſanè *ſi poſſemus in talem aſcendere ſpeculam, è quâ univerſam terram ſub noſtris pedibus cerneremus.*

Ex eâ tibi oſtenderem, inquit idem author, *totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna colliſa, alios torqueri, alios necari, abſorberi fluctibus, alios ad ſervitutem trahi; hic nuptias, ibi planctum: illos naſci, iſtos mori.*

Hæc eſt rerum omnium viciſſitudo, hic orbis occaſus & ruina; ad quam vix mille, mille ducunt

aditus

aditus: & in communi illa ſtrage te ipſe, tuoſque amicos exitio immunes ac liberos eſſe voles? Et ſi fortè ex iis unum aliquem ſors ultima involverit, amiſſum planges ac deplorabis? Non facies enimvero, non facies, maximè ſi conſideres, vitam ipſam, quam ducimus, mortem potius eſſe dicendam quàm vitam: ut enim iterum utar mutuatâ D. Hieronymi eloquentiâ. *Senſiſne obſecro te, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robuſtæ ætatis, quando ſenex factus ſis? Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos eſſe credimus? Hoc ipſum*, inquit, *quod dicto, quod relego, quod emendo, de vitâ meâ tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum damna ſunt temporum. Scribimus atque reſcribimus, tranſeunt maria, epiſtolæ, & ſcindente ſulcum carinâ, per ſingulos fluctus ætatis noſtræ momenta minuuntur.*

Quod ſi inevitabili naturæ lege, ita tu ipſe, ita quidquid eſt hominum commutatur, minuitur, tollitur; amicum aliquem vitam hanc in melius commutaſſe lugebis? Dolebis minutum eſſe aliquid exigui temporis, & additum eſſe immenſum aliquod pondus æternitatis? Patieris iniquiùs ſublatum eſſe & mortuum, quem ex chriſtiana lege ſcis eſſe reſurrecturum? Fuit certè, fuit olim mors in luctu, cùm ſcilicet pœna fuit: at modò in gaudiis eſſe debet ac deliciis, cùm gloriæ famulatur ac beatitati: quod aureâ fandi copiâ ad mortalium ſolatium expreſſit Chryſologus.

Serm. 63. de Lazaro.

Mors, inquit, *quando ab Evâ proviſa eſt, tunc lamentandi materia fuit; nunc verò facta eſt virtutis occaſio: quia tunc ad pœnam peccantis data eſt, nunc permiſſa eſt reſuſcitantis ad gloriam: tunc tartarus invenit hominem, nunc amittit.*

Quod ſi virtuti, ſi meliori vitæ, ſi reſurrectioni mors ſervit; quid amabo, in morte vides eſſe deplorandum? Certè omnino nihil, ſi æquus vitæ ac mortis cenſor eſſe voles.

Sed, inquies, ea ſunt amicitiæ jura, eæ leges amoris; quæ in amici funere gemitus & lacrymas exigunt atque extorquent: fateor ita eſſe apud eos, quibus humilior atque abjectior eſt animus: at non ſic apud Heroas & fortes: ii ſuorum etiam amiciſſimorum funera ſiccis oculis, & obfirmato adverſus dolores animo aſpiciunt.

Teſtis erit D. Bernardus, qui verbo, quà exemplo; illum audiamus videamuſque in funere fratris ſui Gerardi longè cariſſimi.

Serm. 26. in Cant.

Feci, inquit, *vim animo, & diſſimulavi uſque huc, ne affectus quidem vincere videretur. Plorantibus aliis, ego ſiccis oculis ſecutus ſum inviſum funus: ſiccis oculis ſteti ad tumulum, quouſque cuncta peracta ſunt exequiarum ſolemnia. Indutus Sacerdotalibus ſolitas in eum orationes proprio ore complevi; terram meis manibus ex more jeci ſuper dilecti corpus terram mox futurum. Qui me intuebantur flebant, & mirabantur, quod non flerem ipſe, cùm non illum quidem, ſed me potius, qui illum amiſiſſem, omnes miſerarentur.*

Hæc ubi de ſe ipſe dixit & ſcripſit Bernardus, tum aculeatâ oratione pungit ac vellicat eos, qui ſecus faciunt, qui ſeſe immoderato luctu macerant.

Videmus, inquit, *mortuos quotidie plangere mortuos ſuos: fletum multum, & fructum nullum; non culpamus affectum, ſed cauſam. Plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præſentis incommoda; ſed plorandi, qui ita plorant.*

Hæc eſt cenſura D. Bernardi, à qua etſi recedere non velim, nolim tamen adeo ſeverus eſſe cenſor & judex; ut excludi poſſe credam omnem doloris ſenſum: ſed tantùm ejus immoderantiam culpo & damno; optoque imprimis dictum illud, & uſurpatum D. Cyrilli erga charos noſtros vita functos: *quibus ex toto nec compati, nec mœrere, ferinum eſt & durum: horum verò exuberantia muliebre.* Memini Jobum mortalium fortiſſimum auditâ filiorum morte indoluiſſe: *ſcidit enim veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adoravit.* Iob 1. v. 20.

Veſtem ex lugentium more rituque dum ſcidit, hominem ſe probavit, & parentem commendavit: dum autem tonſo vertice corruit in terram, Numenque ſupremum adoravit, ejus ſervum ſeſe oſtendit, ad omnes nutus paratum atque obſequentem, & tam inter adverſa, quàm inter proſpera gratum: ita nimirum ut aureè Chryſoſtomus.

Natura condoleſcentis ſenſus oſtendendus erat; animi quoque philoſophia minimè occultanda; eodem tempore docuit & naturæ viſcera & philoſophiæ præſtantiam indicari. In catenâ.

Quod Jobo viro principi ac fortiſſimo conceſſum indulgente naturâ, connivente Chryſoſtomo, hoc cuique licitum velim: neque enim ut doctè Origenes: *victoriâ quis idcirco potitur, quia non patitur; ſed ideo quia cùm patitur, animo perfert invicto.* In catenâ græcâ.

§. VII.

Mors gratiâ amicorum excepta fortem animum probat.

MAgna omnino vis amoris, quàm ut in lucem, apertumque efferret Sapiens, cum ipsâ morte componendam eſſe duxit. *Fortis eſt*, inquit, *ut mors dilectio.* Cant. c. 8. v. 6.

Orbem hunc aſpectabilem animo ſubjecit Sapiens, & oculo intelligentiæ obivit illud omne, quod cælum tegit, aut celat, & ex iis invenit omnino nihil, cum quo opportuniùs veriuſque, quàm cum ipsâ morte compararet. Nimirum mors longè fortiſſima, robur ejus inexpugnabile, inexorabilis genius, inevitabilis neceſſitas: cui obſiſtere nullus omnium poſſit mortalium. *Æqua*, ſcilicet, *lege ſortitur inſignes & imos*; & ſic leonem, ut agnum jugulat; ſic elephantem, ut culicem ſternit; ſic Crœſum, ut Irum terrâ tegit atque obruit. Et in his elucet atque eminet mortis fortitudo; ſed multo major amoris, qui ipsâ morte fortior eſt, atque ſuperior: quis enim neget morte fortiorem eum eſſe, cui mors ipſa contemptui, imò cui in votis ac deliciis. Et ea certè eſt amanti, qui vitam, quâ nihil carius, amori cedit, mortem obit, quâ nihil difficilius, aut horribilius.

Et inde factum autumo, ut adeo in terris rara ſit amicitia. Vix omnibus ſæculis, ait Cicero, tria, aut quatuor numerantur amicorum paria. Plutarchus Theſeum, & Pyrithoum recenſet; Achillem, & Patroclum; Oreſtem, & Piladem; Damonem, & Pythiam; Epaminondam, & Pelopidam. Totidem ferè paria ex Romanâ hiſtoriâ adjungi poſſunt, vix plura. C. Gracchus cum Pomponio. C. Lælius cum Scipione, T. Voluminius cum M. Lucullo: & hi ferè tantum nominati: adeo rara avis in terris amicus verus; is nimirum qui amici causâ, honoque nec mori timet, nec amat vivere, niſi & vita & mors amico proſit. Lib. de amicitiâ.

Celebre par amicorum Pilades & Oreſtes, de quibus illud jactarunt antiqui, ſemel tantùm in vitâ contendiſſe, nec amplius: eaque contentio omnis in hoc poſita, uter pro altero moreretur. De cœteris nulla unquam lis fuit, nulla diſſenſio, aut diſceptatio: una de morte pugna, in qua vicit amor morte fortior ac potentior: ad hunc quondam alluſit vates, & ingenioſus Ovidii labor.

Ire jubet Pilades charum moriturus Oreſtem, 2. de Pont. 5.
Is negat: inq; vicem pugnat uterque mori.
Extitit hoc unum quod non convenerat illis,
Cætera pars concors, & ſine lite fuit.

Videtur eadem olim fuiſſe contentio inter fratres Joſephi, cùm ex illius voto ac imperio quæſitum quis ex iis futurus eſſet obſes, quis carcere tenendus, quis objiciendus periculo ac ſervituti, atque etiam ſi opus eſſet, ipſi morti? Cùm enim fraternum animum, amoreſque

Gen. 4 v. 19. amoresque blandos ſevero vultu tegens Joſeph, dixiſſet: *Frater veſter unus ligetur in carcere; vos abite.* Hac datâ optione, non exſpectato fratrum reſponſo, Simeonem ipſe ſuo arbitrio ac voluntate vinculis deſignavit, cœteris abire juſſis. Cur ita? *quia*, ut inquit Abulenſis, *non videbatur fraterno amori convenire, ut ipſi de ſe ipſis determinarent, unum magis, quam alium vinculandum: ſed magis quilibet eorum ſe pro alio offerre deberet.*

Habes inter charos & fratres pro ſervitute nobile amantium certamen: accipe pro morte; *Fortis*, enim, *ut mors dilectio.*

Ut multæ in purpurâ ſunt illecebræ, multus honos; ita & frequentes inſidiæ, atque immania pericula, quibus obvia patet aula, & regium caput: *feriunt enim altos fulmina montes, non humiles caſas.* Ac ne multis in argumento per ſe noto præludere videar; è regibus unum tibi dabit Anglia, eumque Stephanum nomine. Illi ſicarius unus aliquis ſtricto ferro occurrerat, & certè in pectus immiſerat: hiabat apertum ac patens vulnus, ſanguinemque largè fundebat; qui ubi arte medica ſiſti cœpit atque areſcere, ecce tibi grande malum aliud; nudati enſis acies peſtilenti veneno imbuta toxicum nutriebat, & in viſcera carnemque ſpargebat latens ac fatale virus: cui tollendo impar Galenus, impar & Hippocrates, omniſque medicorum ſchola.

Joſephus Speranza pag. 193.

Quidquid in illâ induſtriæ artiſve fuit, id explicatum omne curando vulneri; ſed artis molimina, vimque omnem eludebat dolor, & tacitè viſceribus inſpiratum malum. Quid igitur? An ferro, an toxico, an fato concedat regis caput? Ingenioſa neceſſitas, id cuipiam medico ſuggeſſit remedii: ſi quis vitæ ſanguiniſque ſui prodigus os vulneri admoveret, apprimeret, & concretam ex eo ſaniem exſugeret; ille Regi pro medico, pro medicinâ, ſibi autem exitio. Hæc ſplendidè depromuntur, hæc jactantur in aulâ, in proceres eunt, imò & in caulas ac famulorum greges.

Quid deinde? Varius ſuper ex re ſermo, magnaque judiciorum atque animorum pugna, ſenſus alius atque alius, dum hic præſens eſſe cenſet remedium, hic eludit, atque explodit: ex omnibus tamen nemo unus fuit, qui periculum faceret, qui daret illud regi aliàs perituro, qui ſua morte domini ſui vitam æſtimaret atque emeret: amare regem omnes, ſed ſe ipſi magis: velle regi benè, ſed ſibi quàm optimè. Ea nimirum ſunt aulicorum ingenia, nata regi ſervire, ſi tamen prius ſibi: neque verò id obſequii ſibi ſuæque ſanitati depoſcebat Rex pius: noverat enim ita ſibi indulgere, ut tamen ſubditis parceret, neque cujuſquam periculo, morteque, diſcrimen ſuum vitamque redimi cenſebat oportere.

Dum hæc ultro citroque commeant, & per famulantium ora feruntur, audiit Regina, & tacuit, altéque ſua conſilia preſſit: prudentis eſt, quod citò factum voles, tacere: manu enim ſæpiùs opus, non linguâ: quanquam hîc & linguæ & manus uſus aliquis. Igitur noctis intempeſtæ ſilentio, adultiſque tenebris, regio de cubili ſe proripiens Regina, conjugis longè cariſſimi conclave ſubit, lento & laneo pede, furtivóque gradu: lectulo propior facta, à dolore ſopitum, & quaſi ſenſus expertem maritum deprehendit, mollique ac tenellâ manu, admota plagæ vincula contrectat, ſenſimque diſſolvit, tum libero patentique vulneri os admovet, labia diducit, linguam exerit, & manantem ex eo ſaniem haurit atque epotat. Non ſic à curſu, æſtuve ſolis exareſcens venator aliquis, ad opportunos fontium ductus & lenè murmurantis aquæ rivulos advolat, largéque bibit, ut ſitim extinguat; atque defluentem è tabido pectore ſaniem abſumpſit Regina, unáque etiam (quod in eâ ames ac mireris) & ipſam mortem.

Hoc invictæ Heroinæ facinus, hoc propè ſcelus amoris, ſibi vitam eripuiſſe, marito reddidiſſe: adeò hîc etiam *Fortis ut mors dilectio.*

§. V.

Eadem veritas declaratur heroïcâ filii in parentem pietate.

VUlgatum illud Philoſophi. Deo, parentibus ac præceptoribus pares reddere nunquàm poſſumus.

Deo quidem, cui ut omnia debeamus, ita animum quàm maximè, potiſſimam hominis partem, & quaſi delibatam ex altiſſimâ illâ divinâque mente portionem.

Parentibus vero, à quibus quod ſpiritui affine, & conjunctum eſt accipimus, corpus, inquam, mortale, quo immortalis vehitur & circũducitur animus.

Denique præceptoribus, à quibus etſi non ducamus *eſſe*, ut loquuntur Philoſophi; at certè haurimus *benè eſſe*, dum ſuis illi præceptionibus nos imbuunt, & ad omnem humanitatem erudiunt.

Ex illo ſeu naturæ, ſeu rationis debito, fit ut ſi quando eorum agatur cauſa, in eâ ſe totum vel uno gratitudinis nomine impendere debeat tum parenti filius, tum præceptori diſcipulus: non ita tamen ut ſolius naturæ cenſeatur eſſe molimen illud; ſed & virtutis actus, iſque aliquando nobiliſſimus: qualis is eſſet qui Dei aut Religionis cauſa vitam eriperet; cui ſuppar alius, qui etiam parenti ſpiritum donaret.

Eo in genere exemplum illuſtre vidit ſtupuitque Hiſpania. Inteſtina diſſidia, bellique motus Caſtellæ Regem Toletum acciverant; tum ut tumultus componeret, tum ut inde hoſtem, qui ſubitâ invaſione irruperat, expelleret. Ubi porrò fœliciter expulit; ira in cives verſa, è nobilitate nonnulli cæſi, è plebe duo & viginti. In eo numero aurificis filius octodecim annos natus. Juvat illius diei, cædiſque meminiſſe. Inter eos, quos orta ſeditio crimine involverat, erat Aurifex, vir grandævus, & octoginta annis major; ei cum aliis dicta dies ultima, decretumque capitis ſupplicium: quod ubi impendere vidit filius, adoleſcens decem & octo annos natus, quâ miſeratione, quâ pietate in parentem ſeſe Regi illico ſtitit, & ultro ſupplicio obtulit. Hic arrecti Aulicorum omnium animi, & futuri eventus expectatione ſuſpenſi; pars amare & mirari grandem in abjectâ fortunâ indolem; pars tantæ caritati veniam etiam ultro dandam arbitrari; pars etiam metuere, ne Regia ira in vindictam præceps in caput innoxium deſæviret. Et verò præter expectationem, atque ſpem deſæviit; nam pro veniâ, quam eximia pietas omnium judicio meruerat, Rege permutationem concedente, ſupplicium ſubiit, & ferro caput amiſit. Fœdum populo ſpectaculum, miſericordiæ permixtam crudelitatem. Nomina memoriæ ſubtracta, de facto ſatis conſtat.

Molina de reb. Hiſp. l. 10.

Hîc ego te tuoſque manes appello, miſerande adoleſcens, quem ei fato natura ſervavit, & una parentis noxa devovit: hic, inquam, ex te ſciſcitari velim, quæ ratio, quæ vis ævo longiore natum immaturâ nece præcidit? An in ſenem optimum & annis gravem miſeratio? An in parentem obſervantia, pietaſque? Sat ſcio & hanc & illam altè tibi inſitam fuiſſe: verùm nec hæc, nec illa animos ſupplicio, ferro, mortique pares facit; niſi affuiſſet germana pietatis ſoror fortitudo: ea ex intimis penetralibus in pulverem excivit; in forum egit; in Judicis, in Regis oculos ac ſententiam impulit, ut quod paterno capiti imminebat ſupplicium in te ipſe detorqueres, caderesque ad fortitudinis aras, nobiliſſima amoris, caritatis, pietatis victima, quam amabunt ac ſuſpicient ætates omnes longè conſequentes. Ut enim *enerves animos odiſſe virtus ſolet*, ita fortes atque infractos amare, complecti, poſteriſque omnibus impensè commendare.

Valer. Max. l. 2.

§. VI.

Qui juvandis peſtiferâ lue infectis ultro ſe devovet, inter Chriſtianos Heroas numerandus.

Lib. de Mart. per peſtem. HOc argumentum, ut alia pleraque, doctè, fusè piè tractavit Theophilus Raynaudus Societatis noſtræ Theologus, vir variæ eruditionis; ego ex illo aliiſque pauca delibabo, ut mihi cœteriſque animos faciam, ad tam illuſtre ſanctumque Chriſtianæ caritatis officium ultro votis omnibus expetendum: Multa ſunt quæ illud arduum ac difficile probant. Primum ipſa morbi vis ac ratio; tum mortis genus miſerabile, acerbum, omnique ſolatio vacuum; tum etiam ii, quibuſcum in iſto munere vitam exigas, pauperculi, abjecti, ſordidi, & ad extremam ferè inopiam ac miſeriam proſtituti; tum denique & ipſe funeris honos, quieſque ſepulchri, in quo ingloriæ jacent magnæ mentis exuviæ, excelſique cineres.

Cauſa peſtis Ad primum quod attinet, peſtilentis mali vis ex eo cæteris morborum moleſtiis eminet, quòd ejus cauſa plerumque in occulto ſit, & altâ nocte: eſt enim illud medicorum effatum, peſtem exitioſam quandoque ex contagione, quandoque & ſæpiùs ex maligno quodam cœli afflatu, & ſiderum conſtitutione oriri: altiſſima nimirum eſt divinæ providentiæ juſtitiæque ratio, quæ ſuperis illis orbibus noxias impreſſiones dedit, quibus eos feriat, qui ſuâ culpâ Deo Cœleſtibuſque inviſi fuerint.

Ex eâ perſuaſione, quæ apud medicos eſt recepta, manavit illud ut morbi inopinati ac latentes dicantur ab iis *ſiderationes*, quaſi maligni quidam & exitiales ſiderum afflatus, quibus remedium ars ipſa non inveniat, vel ex eo ſolùm quòd cauſam ignoret.

Et his objicitur, quiſquis non prece, non pretio, ſed ſolâ Chriſtianæ caritatis lege ductuque, peſte laborantibus miniſtrat, & in iis, quæ ad animæ forum attinent, noctu diùque indefeſſo labore aſſiſtit: & non putabis illud eſſe majoris animi, & eximiæ cujuſdam fortitudinis? Certè ſi in adverſas acies irrumpere, ſi obvium dare ferro caput, ſi pectus opponere, militaris eſt roboris: quidni majoris erit infeſto quodammodo iratóque cælo ac ſideri, ſui prodigum offerre caput, & adverſam illam aſtrorum lucem pati, gravéſque ac noxias ſiderum influentias contemnere: Et hoc ideo tantùm ne vacuus ſolatio frater occidat, ne inops conſilii, ne ſacramentorum præſidiis deſtitutus ex hac vitæ ſtatione diſcedat.

Et hæc prima ratio, quæ periculum auget, & opus illud arduum ac difficile probat; quòd mali cauſa, fonſque peſtiferæ luis, non in corpore, non in humoribus ſit (qui aliorum ferè morborum ſedes ſunt aut receptacula) ſed in aſtrorum cælique impreſſionibus, damnandaque ſideris unius face, quam ut velis, declinare non poſſis.

Eſſe autem vim illam aſtrorum, cœleſtiumque corporum mortalibus oris incenſam, ex eo etiam conficio, quòd D. Joannes in placido mentis exceſſu vidiſſe ſe memorat.

Apoc. c. 8. *Tertius*, inquit, *Angelus tubâ tecinit, & cecidit de cælo ſtella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, & nomen ſtellæ abſinthium.* Alcazar vertit, nomen ſtellæ *peſtis*.

Ecce habes, Apoſtolo judice teſteque, noxiam humano generi faculam, ſtellamque è cœlo in terras elabi, & in miſeranda capita vim ſuam exerere, timendaſque impreſſiones: verùm ut eas horreant fugiantque cæteri; at nec horret, nec fugit is, qui vitam fraternæ caritati devoverit, Deóque ac ſuperis, quod reliquum eſt, committendum eſſe putaverit: Et illud eſt Chriſtianæ fortitudinis illuſtre quoddam argumentum.

Accedit & alterum, atrocitas quædam tormentorum ac cruciatuum, quibuſcum pugnant fortiter, vincúntque fœliciter caritatis Martyres; quibus nihilo mitior à morbo luéque ſubeunda carnificina, quàm Fidei Martyribus ab equuleo, ferro, cruce, flammáque ſit expectanda. *Morbi peſtilentis vis.* Mirum enim quàm atrocia ſymptomata, & quàm immanes corporis affectus importet atque invehat peſtilens iſta morbi lues: eos illigatâ ſuis numeris oratione perſecutus eſt Lucretius, *Lib. 6.* & tragicus Poëta, choro primo Oedipi, qui preſſum funere funus, longúmque ad manes ordinem agminis mœſti, cùm deſcripſiſſet, æſtu quodam abreptus Poetico exclamat.

O dira novi facies lethi,
Gravior letho! piger ignavos
Alligat artus languor, & ægro
Rubor in vultu, maculæq; caput
Sparſere leves. tum vapor ipſam
Corporis arcem flammeus urit.
Multóque genas ſanguine tingit.
Oculique rigent, & ſacer ignis
Paſcitur artus, reſonant aures,
Stillátque niger naris adunca
Cruor, & venas rumpit hiantes,
Intima creber viſcera quaſſat
Gemitus ſtridens: jamque amplexu
Frigida preſſa ſaxa fatigant
Quos liberior domus elata
Cuſtode ſinit, petitis fontes,
Aluitúrque ſitis latice ingeſto.
Proſtrata jacet turba per aras,
Orátque mori.

Quidni enim oret? Certè licèt mors in ſe ipſa plurimum habeat doloris atque horroris; minus tamen in ſe habet pœnæ, quàm lenta illa tabes, ſævaque peſtis, quæ primùm inſolenti quodam æſtu ſanguinem vitæ ſedem ac fomitem occupat atque incendit, deinde totum hominem edaci cruentáque flammâ depaſcitur, tum etiam in externas corporis partes elabitur, inficitque infami contagio morbidæ putredinis: ita nihil ab hoc malo vacuum atque immune: aut enim in cerebrum evaſit peſtilens aura, & tum ad aurium colliqúe confinia delabitur, aut cor, vitæ fontem atque arcem, invaſit, & tum ſub axillis erumpit, ingentique tumore malum creat augétque, aut jecur ipſum, officinam & receptaculum ſanguinis, imbuit, & tum in inguine ſeſe jactat peſtiferum virus, & bubonem effert atque oſtentat, aut etiam carbunculo urit; aut denique occupato toto corpore, vitiatóque ſanguine, in maculas degenerat, & hominem illicò ſternit ac peſſundat.

Ab hac malorum mole, & colluvie quadam morborum omnium, factum autumo, ut peſtis ipſâ morte gravior ac pejor audierit; imò ut Hebræis ſapientibus peſtis dicta ſit *Deber*, id eſt mors: ita enim à nonnullis exponitur ille locus Oſeæ, *Ero mors tua, ô mors*, Hebraicè *deber*, id eſt, *peſtis*, quæ eò mali venit, ut dicatur & ſit veluti mors ipſius mortis, puta ſupplicium morte acerbius. *Cap. 13.*

Ad illam dolorum immanitatem appellit ſæpiùs & ipſa mentis emotio miſerabilis, à quâ hic è feneſtrâ aut tecto præceps ruit, infelici caſu cervices eliſit; ille concito curſu in obvium flumen inſilit, & aquis extinguere febrile incendium dum molitur, ſeipſe iiſdem præfocat atque extinguit: iſte in ignes involat, ut flammam flammâ, ignem igne temperet aut tollat.

Mitto cætera quæ mali illius ſenſus apertiùs edocent, quàm aut animus concipere, aut vox eloqui, aut calamus exprimere poſſit.

Ex hac qualicumque adumbratione peſſimi ſtatus corporum, tonúſque hominis per peſtem, æſtimari debet fortitudo martyrum miſericordiæ; ita enim eos appellare placuit, qui caritati ac miſericordiæ vitam devovent, & in ejus aris occidunt nobiles victimæ.

Certè

Certè hominem unum aliquem ſano corpore & animo, propter Deum, & proximi commodum ultro, imò alacriter in eam dolorum immanitatem, & mentis emotionem miſerabilem mittere ſeſe, eximiæ cujuſdam & heroicæ fortitudinis ſpecimen videri debet: cui potiori jure aptari poteſt illud D. Cypriani ad Chriſtianos, ut iis animos faceret adverſus infeſtæ luis horrorem ac malum.

L. de morte num. 14. *Hoc*, inquit, *quòd ſolutus in fluxum venter eviſcerat; quòd in ſaucium vulnera conceptus medullitus ignis exæſtuat; quòd aſſiduo vomitu inteſtina quatiuntur; quòd oculi vi ſanguinis inardeſcunt; quòd quorundam vel pedes, vel aliqua membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur; quòd per jacturas, & damna corporum prorumpente languore, vel debilitatur inceſſus, vel auditus obſtruitur, vel cæcatur aſpectus, ad documentum proficit Fidei.* Ubi hanc à peſte malorum iliadem ſub oculos poſuit; tum illam infracto ſpiritu perpeti, quantæ fortitudinis ſit, ita oſtendit. *Contra tot impetus vaſtationis, & mortis inconcuſſæ animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo eſt? Et quanta ſublimitas inter ruinas generis humani ſtare erectum, nec cum iis, quibus ſpes in Deum nulla eſt, jacere proſtratum?*

Sed etiam ex alio capite ducitur inſigne Chriſtianæ fortitudinis argumentum: eſt illud divulſio à dulci charorum conſuetudine; ex quo enim homo caritate ſaucius huic ſancto operi ſe addixit, æquè per univerſum miniſterii tempus refugitur ac ipſe letifer morbus, quem jure in alios transfuſum iri timetur. Itaque adhuc ſanus & incolumis horrorem ſui, timoremque aliis ingenerat, ut etiam viventem præmori quodammodo ſuis, & à civili ſocietate extraneum fieri oporteat, quæ non exigua eſt patientiæ ac fortitudinis materia: quæ etiam ex eo augetur, quòd ut in vitâ ſic etiam in morte ab omnibus adverſum ac quodammodo deſpectum eſſe ſit neceſſe.

Illud ſanè in communi fato levamen eſſe ſolet, quòd in eo ſit qui lumina claudat, qui abiturientem ſpiritum vel ſuſtineat, vel amantis ore, extremiſque baſiis excipiat, qui funera luctu condecoret, calenti buſto lacrymas infundat, & exanime corpus mœſtoſque cineres quieti reddat ac majorum ſepulchro. At iis omnibus ſolatiis caret ille, qui peſti cedit, ne caritati aliquid decedat: deſtituitur enim & amicorum lacrymis, & luctu, & pompâ funebri, & communi ſuccumbentis naturæ ſolatio: quòd malum quantum ſit, quàm grave, acerbum, & cuique mortalium inviſum eleganter deſcribit Seneca; ſic enim canit.

Pars nulla regni immunis exitio vacat,
Sed omnis ætas pariter, & ſexus ruit;
Juveneſque ſenibus jungit, & gnatis patrem
Funeſta peſtis; una fax thalamos cremat,
Fletuque acerbo funera, & queſtu carent.

Fletu, inquit, & queſtu carent funera, quod extremum eſt miſeriæ ac calamitatis; quam & mœſtâ næniâ proſequitur etiam Ovidius.

Corpora miſſa neci nullis de more feruntur
Funeribus; neque enim capiebant funera portæ.
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos: & jam reverentia nulla eſt.
Deque rogis pugnant, alieniſque ignibus ardent,
Qui lacrymans deſunt, indefletæque vagantur
Natorum matrumque animæ, juvenumque, ſenumque,
Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignem

Hæc eſt Poetæ oratio, ſuis quidem illigata numeris, at lacrymis quereliſque ſoluta: ſolvit autem in eos gemitus vel hoc ipſum quàm maximè, quòd cadavera indotata abjiciantur in ignes, in rogos, quòd iis nulla ſit reverentia.

Quod ſi Ovidio cuipiam, viro ad omnem libidinem proſtituto, ea viſa eſt cura corporis ac ſepulchri: longe major eſſe poteſt ac debet animis à gratiâ cœlo jam renatis, quibus corpus opportunum in hoc ævo diverſorium fuit: Theodori quidem nihil intereſt, humine, an ſublimè putreſcat: at Chriſtiano ac religioſo homini refert quàm maximè. Appello Abrahæ, Iſaaci, Jacobi fidem & vota, quibus id ſtudium fuit, ut ad Patres ſuos apponerentur, redderentur eidem tumulo, & oſſa oſſibus, cineres cineribus jungerentur.

At eam quoque curam ſtudiumque ponit, quiſquis ex caritatis indulgentiâ, peſte laborantibus inſervit; eoque nomine ſui in paucis, non in vitâ modò (quòd altioris animi) ſed & à morte contemptor, (quòd altiſſimæ mentis, & heroicæ virtutis argumentum eſt, atque illuſtre quoddam martyrii genus) ut in ſequenti paragragho docebimus.

§. VII.

An qui peſte laborantibus ex charitate aſſiſtit, in eoque officio moritur, inter Eccleſiæ Martyres ſit accenſendus?

IN hac quæſtione ex me nihil ſtatuam, nihil definiam: ejus cenſura ac judicium eſto penes Eccleſiam, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis. Tantùm noſtræ curæ & laboris erit in medium afferre ſanctorum Patrum teſtimonia; tum etiam Eccleſiæ ſenſum, tacitamque approbationem; tum denique, ſi quæ pro eo argumento faciant rationes. Et hæc omnia brevi compendio: plura qui volet, percurrat opus P. Theophili Raynaudi de martyrio per peſtem.

Patrum pro affirmante ſententiâ authoritas, & Eccleſiæ ſenſus.

Pro hac ſententiâ, quæ heroas illos, Chriſtique pugiles Martyrii laureâ condecorat; acriter pugnant Antiquitas, & Scriptorum illuſtrium authoritas; è quibus primus in aciem prodit Clemens Alexandrinus, ſcriptor omnium conſenſu ut antiquiſſimus, ita & graviſſimus.

Martyres ille partitur in duas claſſes, eoſque Chriſto propinquos facit; qui ad nos & ipſe acceſſit amoris viâ, pro nobis vitam & ſanguinem ponens: ad eum porrò & ipſi accedimus ac propinqui ſimus, ſi aut pro ipſo morimur, aut pro fratre ac proximo: ejus hæc ſunt verba libro quarto ſtromatum, ubi de Martyrii gloriâ diſputat.

Si vel pro proximo moriaris propter caritatem, exiſtimes Servatorem noſtrum eſſe propinquum: imò & *fratrem*: addit enim commuuni illius temporis Chriſtianorum appellatione ita nominandum; quòd Chriſti frater verè eſſet, cujus etiam in alios caritatem, morte ex caritate obitâ loqueretur.

Quiſquis igitur in eam arenam deſcendis, atque occumbis, hunc tibi titulum erige, hoc tumulo Epitaphium inſcribe:

Hic jacet N. Chriſti propinquus ac frater.

Clementi calculum addet S. Dionyſius Alexandrinus in epiſtolâ paſchali, cujus hoc fragmentum extat apud Euſebium.

Ubi deſcripſit immanem à peſte cladem quam paſſus eſt Romanus orbis, cœlo vindice, ob fuſum per ſcelus Chriſtianorum ſanguinem, tum extollit ac prædicat flagrantiſſimam eorum caritatem, qui in juvandis ægris operam vitamque profuderant. Hic ex illius ore ſenſus fuit illius temporis ac venerandæ antiquitatis. *Adeo*, inquit, *ut illud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à martyrii ſplendore abeſſe videbatur.* Lib. 7. c. 17.

Hîc ſtylum oculumque fige, mi lector, & in eo caritatis officio ſuſpice *incredibilem pietatem ac robuſtam fidem*, quæ nihil à martyrio Fidei causâ ſuſcepto diſtare viſa. Certè niſi robuſta foret ea fides, palmamque gloriæ ſub mentis oculos poneret, non adeò vitæ prodiga, & mortis eſſet patiens.

In Interpret. Hiſt. Euſebii. Dionyſio accedit Ruffinus, & ipſe gravis author; cujus hoc de Chriſtianis illius ævi eſt teſtimonium. *Conſtantiſſimâ & ardentiſſimâ fide, tanquam ſi martyrii tempus inſtaret, *miſerando infirmos, ſemetipſos hujuſmodi mortibus inſerebant, miſericordia ex hac martyrium capere præſumentes.*

Veſtros amo ac veneror æſtus, illuſtres animæ, Heroes inclyti, ſive tuos Franciſce, ſive tuos Xaveri ſive etiam tuos in timido ſexu, Tereſia; ab illo certè etiam ad remotas barbaraſque nationes exceſſiſtis, ut in alieno ac truculento ſolo ſuccreſcentem uberiùs martyrii palmam inveniretis, quam in patriâ & domi legere non poteratis: vos inquam vel ea eo tantùm generoſæ mentis impetu colo ac ſuſpicio: neque vos minus amo ac demiror, qui ut in ſortem martyrum miſericordiæ veniretis, in eam morborum lanienam lubentes volentéſque deſcendiſtis: ſed ab arenâ, campoque gloriæ veſtræ, in quem animo jam abii, ad authores, qui honori veſtro velificantur, revertor, & Clementi ac Ruffino addo Auguſtinum, cujus authoritas ac doctrina cæteris facilè ſupereminet.

Quærit ille, quod ſit Eccleſiaſtici Paſtoris officium, quæ partes in publicâ calamitate, ſive ea creetur ea barbarorum incurſu atque illuvie, ſive etiam à peſtilentis morbi vi atque ſtrage (eadem enim hujus atque illius eſt ratio) & reſpondet id eſſe muneris, id officii boni Paſtoris, non ſeſe fugâ periculo ſubducere, etſi poſſit, cùm ita publica neceſſitas caritaſque poſtularit: deinde ſubdit, quæ eis in cælo repoſita laurea, ſi mortem in eo Chriſtianæ miſerationis ſtudio oppetierint.

Epiſt. 180. *Qui*, inquit, *patiuntur, quia fratres, qui eis ad Chriſtianam ſalutem indigebant, deſerere noluerunt, ſine dubio ſuas animas pia fratribus ponant.*

Quanti autem apud eum ſit ea animæ pro fratribus abjectio, vel ex eo conſtat, quòd illam etiam ei martyrio anteponat, quod ſubit is, qui fugiens perſecutorem, comprehenditur, vitámque perdit, ne fidem perdat atque proſtituat.

D. Auguſtino calculum addet B. Laurentius Juſtinianus, qui D. Martinum vel ex hoc tantùm donat martyrii laureâ, quòd noluerit iratis principibus, fugiendo, periculum declinare: quæ ſententia ſi vero proxima, quidni & illum ornet palma martyrii, qui à morbo letali, ceu tyranno, non fugit, cùm tamen etiam tuta conſcientiâ poſſit, urgeantque quodammodo vel ipſæ naturæ leges, & is, qui cuique inſitus eſt vitæ amor ac cupiditas; non fugit inquam, ne quid labanti, atque à lue deficienti fratri deeſſe videatur quod ad animæ ſalutem faciat. Sed hactenus Patrum ſententiis pugnatum eſt ſatis; etſi enim ab illis magnum in hac materiâ pondus accedat, longè tamen maximum ab authoritate Eccleſiæ, cujus etiam ſolius nutus, & aliquâ ratione expreſſus ſenſus, viro catholico, bonóque ſatis ad fidem eſſe debet: hunc portò tenemus, non tam vivæ vocis oraculo, quàm exemplo firmatum.

Ita enim de SS. Alexandrinis, qui lue contactos juverunt, & in eo caritatis obſequio diem ſuum obierunt, habent antiquæ tabulæ, & Romanum Martyrologium Eccleſiæ authoritate probatum: in quo hæc leguntur verba pridie calendas Martii.

Alexandria commemoratio SS Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum quàm plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, lubentiſſimè mortem appetiere, quos velut martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit.

Fuit Alexandria Romanæ Eccleſiæ filia, inter cæteras facilè princeps, ſede Patriarchali nobilis, & à D. Marco Chriſti Scribâ & Hiſtoriographo inſtituta: à quo indubiè primos hauſit & puros puróſque Chriſtianæ religionis latices, placitaque veritatis; inter quæ & illud, Martyrum albo aſcribendos illos, qui in communi illâ clade, & obviâ mortis imagine, ipſis fatis ſuperiores evaſiſſent, vitamque in eo caritatis officio depoſuiſſent; quos inter ordine & dignitate primi recenſentur presbyteri, qui peſte laborantibus ſacramentum Confeſſionis adminiſtrarunt.

Proximè ſequuntur Diaconi, qui ex antiquo Eccleſiæ more, rituque operam ſuam navabant porrigendæ populo Euchariſtiæ. *Ep. ad Hieron. com. Ep.*

Deinde alii plurimi, quos è populo fuiſſe docet Dionyſius Alexandrinus, & his corporum cura maximè incubuit: partito ſcilicet onere ac labore, ut hi corpus, illi animum in extremis morbi anguſtiis levarent, & cadavera animâ jam ac ſpiritu vacua decenter ſepelirent.

Et quia illud Chriſtianæ miſerationis officium viſum eſt arduum, pium, ſanctum, qui in eo vita exceſſiſſent communi illius Eccleſiæ ſenſu atque approbatione, Sanctos appellare placuit, utpote jam relatos in album Sanctorum, ſuperûm omnium, Deique ipſius calculo, quo Martyres illos miſericordiæ, proximos eſſe voluit martyribus Fidei, in ſede thronoque beatitatis.

Ne verò, ut in humanis pronum eſt, labentibus annis elaberetur ex hominum animis ea pietas ac caritas, ne lapſu temporis aliquo modo deteretur, placuit ſignare diem unum, quem ut ſacrum haberet coleretque Alexandrina Eccleſia, ſolemni commemoratione SS. Presbyterorum, Diaconorum, aliorumque plurimorum, *quos velut Martyres religioſa piorum fides venerarentur.*

Quæ autem fuerit illa dies, eſt in altâ nocte, dubioque: hoc tamen in luce, certáque ſcientiâ, Romanam Eccleſiam ex veteribus ſcriptis horum athletarum memoriam hauſiſſe, & in ſuos faſtos tranſtuliſſe, cum ſacro martyrii titulo iiſdem jam olim Alexandriæ aſcripto, quem etiam Romana Eccleſia, quæ Petri ſedes eſt ac ſpecula veritatis, in ſuis ipſa tabulis ratum firmumque habuiſſe, non habitura, niſi etiam Martyres ipſa probaſſet, & omnibus Chriſti fidelibus orbe toto ſparſis probari voluiſſet.

§. VIII.

Mors pro religione, pro fide excepta eximius actus fortitudinis.

FOrtem cenſuit, fortem amavit Eleazarum Antiquitas: non eò tantum quòd audax in hoſtem irruerit, quòd adverſa ferro capita meſſuerit; ſed ob illud unum vel maximè, quòd elephanto, cui inſidebat Antiochus, ſeipſe ſuppoſuerit, ut liberius in alvum immanis belluæ, carneæque molis enſem immitteret, ſterneretque unà cum illâ etiam ſeſſorem. *Quanta*, inquit Ambroſius, *virtus animi, ut mortem non timeret, ut medium penetraret agmen, ut molem beſtia ſubiret, quo pleniori feriret ictu, cujus ruinâ incluſus magis, quàm oppreſſus ſuo eſt ſepultus triumpho*: Et eo quoque ſepeliuntur Martyres, excelſa cœlo capita, heroes inclyti, quorum virtus omnis in patiendo potius eſt poſita, quàm in agendo.

Eos ab illa fortitudine, luceque ſanctitatis, modò *cæli gemmas ac ſidera* triumphantis Eccleſiæ, modò militantis robora, fulcra, columnas appellare ſolemus. Certè ſi è voce noſcitur vir, & qui latet animus, etiam ut è voce audiatur martyr oportet: Eſt enim ea interpres magnæ mentis, altiſſimarum cogitationum, & eximiæ fortitudinis, quam etiam luculenta oratione teſtatam voluêre invicti pugiles, & ii quidem non è virili tantùm ſexu ac robore; ſed, quod magis etiam ames ac mireris, ex imbelli timidaque mulierum turbâ: quas inter enituit S. Fœlicitas, nominis omine bonóque fœlix, fœlicior è partâ prole, datiſque Eccleſiæ Martyribus omnino ſeptem. *D. Baſil.*

Ardebat

Serm. 154.

Ardebat illa, ut aureâ D. Chryſologi utar eloquentiâ, *atque anhelabat ut eos uno die ſacros Martyres pareret, quos vix parvulos per annorum curricula generabat: Ecce mater quam vita filiorum fecit anxiam, mors ſecuram. Diſcurrebat illa latior inter confoſſa cadavera, quam inter cunabula chara filiorum: quia internis oculis tot cernebat bravia, quot vulnera; quot tormenta, tot præmia; quot victimas, tot coronas.* Hæ illi fecêre animos, & liberam omnino vocem, quâ filiis longe chariſſimis calcar adderet ad ſupplicia, ferrum, ignes, cruces, & acerbiſſimam mortem, Dei ac religionis cauſa obeundam. Erat nimirum in

Cant. c. 8. v. 6.

matre, erat in filiis *fortis ut mors dilectio*, imò ipſa morte fortior ac ſuperior.

Fortitudo Martyrum ab amore.

Qui mortem rerum omnium quæ ſub cœlo ſunt fortiſſimam eſſe dixit, næ ille certè verum dixit: quidquid enim aut terra tulit, aut cœlum aſpexit indomitum, invictumque cæteris, illud edomuit viciteque mors ipſa: verùm ut ea ſit vis mortis, major tamen eſt amoris, qui in Martyrum animis ardet atque exæſtuat. De eo magnificè D. Chryſologus.

Serm. 40.

Nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil letale computat verus amor: quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem valent ſuperare perfectum? Amor impenetrabilis eſt lorica, reſpuit jacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem ridet: ſi amor eſt, vincit omnia: neque vincit tantùm, verùm etiam ipſis ſuppliciis, mortique crudeliſſimæ inſultat: quod dum è cellâ ſuâ ſacróque ſilentio contemplatur Bernardus, manum explicat, ſtylumque ducit in laudes & præconia tam eximiæ fortitudinis.

Serm. 61. in Cant.

Stat, inquit, *Martyr tripudians, & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, ſed alacriter ſacrum è carne ſuâ circumſpicit ebullire cruorem.*

Ac ne credas eam vim, ea tormenta, in Caucaſum, in duros ſcopulos, in rupem expertem vitæ ac ſenſus incurriſſe, proſequitur S. Doctor, & cauſam reddit, fontesque aperit, è quibus tantum roboris emanet.

Nec facit, inquit, *hoc ſtupor: ſed amor: ſubmittitur enim ſenſus, non amittitur; nec deeſt dolor, ſed ſuperatur, ſed contemnitur.*

Si oculis & auribus habenda fides eſſet, crederes invictos Chriſti athletas ſub equuleo, immanique totius corporis laniena, queri, gemere, fatiſcere: at ex vero non eſt ita; ut enim melleâ eloquentiâ D. Ambroſius.

Tunc vincit Chriſtianus cùm perdere putatur, & tunc perdit perfidia cùm ſe viciſſe gratulatur. Plaudit ergo tum illi inſultatur, & ſurgit tùm premitur. Haud ſimilis victrici palmæ, quæ ponderi cedere neſcia, eò magis in altum tollitur, quò gravatur amplius.

Prov. c. 9. v. 2.

Ad hoc porro animi robur, excelſamque fortitudinem edocti Martyres, imò educati à *ſapientiâ* quæ *immolavit filias ſuas*; vel ut Septuaginta: *Sophia jugulavit filios ſuos.* O *bonam matrem*, inquit Tertullia-

In Scorpiac. c. 7.

nus, *opto & ipſe in filios ejus redigi, ut ab eâ occidar.*

Multum certè intereſt Patrem inter & Matrem in filiorum educatione: ut enim doctè animadvertit

Lib. de provid.

Seneca: *Aliter patres, aliter matres filiis indulgent: illi excitari jubent liberos ad ſtudia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt: matres fovere in ſinu, continere in umbrâ volunt, nunquam flere, nunquam triſtari, nunquam laborare.*

In humanis illud eſt diſcrimen patrem inter & matrem, ex hujus, illiuſque genio: at non ſic in divinis; ſit Martyri ſapientia mater, ſit Chriſtus pater, & hic & illa eum paternè, hoc eſt ſeverè, educat: nec patitur inglorium domeſticâ ſub umbrâ latere, aut molli cubare in anſere; ſed in campum, in ſolem evocat, & duris laboribus exercet, imò vinculis onerat, & è ſquallore tenebriſque putidi carceris, in arenam educit, in qua modò cum igne, modò cum ferro, modò cum beſtiis certet, ut olim Ignatius, cujus eæ voces æterna memoria dignæ.

S. Ignatius Ep. ad Rom. apud Hier. de ſcriptor. Eccleſ.

Utinam fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ. quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne, ſicut & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quod ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer.

Hæc ubi extulit alto ſpiritu; tum ad ſuos blandè ſtylum convertens exclamat: *Ignoſcite mihi filioli: quid mihi proſit, ego ſcio.* Ac ne videatur ea dixiſſe ſine gravi cauſâ, ardore quodam æſtuque concitatæ mentis ſubjungit:

Nunc incipio eſſe Chriſti diſcipulus, nihil de his, quæ videntur, deſiderans, ut Jeſum Chriſtum inveniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant: tantùm Chriſto fruar.

Ecce dignas cælo voces, & amentia verba; à quibus ad rem ipſam, & extrema ſupplicia itum eſt. Ubi primùm è caveâ educti Leones, ubi excuſſæ jubæ, auditique immanes rugitus, qui alium ab Ignatio terruiſſent atque exanimaſſent, mirum quantum animarunt: ita ad beſtias, ad lanienam, ad mortem abiit, adjiciens illud pro lemmate.

Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar.

Ac ne credas excelſum illud ingentis animi robur in viros tantùm cecidiſſe, martiumque genus; è virgineo, imbelliqne ſexu unam è multis producam: Erit illa puella terdenis; ſexu, ætate, naturâ ſuperior. Agnes erit inter virgines martyreſque facilè princeps: de qua magnificè Ambroſius.

De virgin. l. 1.

Non ſic, inquit, *ad thalamum nupta properaret, ut ad ſupplicii locum læta ſucceſſu, gradu feſtina virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu. Mirari pleriq́, quod tam facilè vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, jam quaſi perfunctam donaret. Stupere univerſi, quod jam divinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Quanto terrore egit carnifex ut timeretur, quantis blanditiis ut ſuaderet, quantorum vota, ut ſibi ad nuptias proveniret? At illa: & hæc ſponſi injuria eſt*, inquit, *expectare placituram. Qui me ſibi prior elegit, accipiet: quid percuſſor moraris? Pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, tremere percuſſoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret ſuo.* Quî enim timeret illa, quæ in Chriſti ſcholâ probè docta duce ac magiſtrâ Dei ſapientiâ?

Epiſt. 82.

Si de profanâ ſapientiâ auſus eſt pronuntiare Seneca. *Philoſophia circumdanda eſt, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit. In inſuperabili loca ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſua vindicat. Infra illum omne telum cadit.*

Si hæc, inquam, de ſua Philoſophiâ dixit ille; quid de cœleſti, divinaque ſapientiâ proferemus? ab illa ſtat martyris animus in inſuperabili loco, & humanis omnibus altior, fortitudine, ceu *arce ſe ſuâ vendicat*, & ita quidem ut *infra illum cadat omne telum*: quomodo enim non caderet infra illum, qui ſupra, imò extra terram eſt, humanoſque caſus, vimque tyrannorum.

L. ad Martyr. c. 2.

Audi quid de martyribus etiam in carcere, vinculiſque protulerit olim Tertullianus. Ita ad illos oratione plenâ majeſtatis. *Habet tenebras carcer, ſed vos lumen eſtis; habet vincula, ſed vos Deo ſoluti eſtis; triſte illic ſpirat, ſed vos odor eſtis ſuavitatis: Judex ſpectatur, ſed vos eſtis de judicibus judicaturi: contriſtetur illic qui fructum ſæculi ſuſpirat: Chriſtianus etiam extra carcerem ſæculo renuntiavit, in carcere etiam carceri: nihil intereſt ubi ſitis in ſæculo, qui extra ſæculum eſtis.*

Ecce quò rapit impetus animi, quò viros ardua: ſi corpus ſpectes, & hunc quem ſpiramus aërem, in

ſæculo ſunt Martyres; at ſi mentem ipſam, piuſque voluntatis æſtus, extra ſæculum ſunt: & hinc eximia vis ac fortitudo ſuperior huic ſæculo, iisque omnibus quæ in eo terrori ac pœnæ eſſe poſſunt.

Plura, eaque illuſtria SS. Patrum teſtimonia producere poſſem, quibus eximia Martyrum conſtantia probari poſſet: ſed quia ea in omnium oculis & luce eſt, ſtylum ſiſtam, tibique, ſi modò poſſim, benevole lector, addam animos, ut exemplo Heroum illorum, quos cælum amat, & terra ſuſpicit, etiam aliquid audere diſcas & pati: ita verbo, ita re etiam ipsâ docuere invicti Chriſti pugiles: ita S. Ignatius ad quem redeo, teque evoco, ut illum etiamnum in ſcriptis ſuis ſpirantem ac loquentem audias. Sic iſte tibi, ſic omnibus olim in terris, ſic modò de cælis.

Firmiter dum cæderis, quaſi incus ſtato; generoſi eſt athletæ cædi, & vincere; maximè verò propter Deum nobis omnia patienda ſunt, ut ipſe nos patiatur.

§. IX.

Præclara incitamenta patientiæ ac fortitudinis ex Tertulliano deſumpta.

TErtullianus ad martyres librum inſcripſit, ſtylumque duxit altiùs, vel ut iis animos faceret, vel ut invictam eorum conſtantiam deprædicaret: & quidem.

Primùm ex eo quòd Spiritus Sanctus cum eis introeat in carcerem, qui ex vero *Diaboli domus eſt, & in quâ familiam ſuam continet.* Eò porrò perveniunt martyres, ut illum etiam *in domo ſuâ conculcent:* jam enim foris congreſſi conculcarent fide muniti, & concordiâ armati. quæ enim potius? pax quippe Chriſtiana bellum eſt illi; in quod ubi conceſſerunt Chriſti pugiles, omniaque generoſi animi impedimenta uſque ad limen carceris deduxerunt, exinde ſegregati ſunt ab ipſo mundo; multoque magis à ſæculo, ejusque rebus.

Et hinc ſeſe erigit Martyrum conſtantia: ſed inde etiam magis, quòd extra carcerem ſæculo renuntiaverint, in carcere autem etiam ipſi carceri. Hinc illæ Tertulliani voces, illud de Martyribus encomium.

Nihil intereſt ubi ſitis in ſæculo, qui extra ſæculum eſtis.

Ex eo verò quòd extra ſæculum ſint, primùm fit, ut auferatur carceris nomen, & potiùs ſeceſſus vocetur: etſi enim corpus includatur, etſi caro detineatur, omnia tamen eorum ſpiritui patent, quia totum hominem animus circumfert, & quò vult, transfert. Fit deinde & alterum, quòd etiamſi in equuleo & catastâ diſtendi videantur, etiamſi lento igne torreri, atque uſtulari, gemereque ſub immensâ tormentorum mole, non gemunt tamen: quia, ut magnificè ille ipſe Tertullianus, quo authore hîc utor, *Nihil crus ſentit in nervo, quum animus in cælo eſt.*

Quidni autem in cœlo ſit bonum agonem ſubiturus, *in quo Agonothetes Deus vivus eſt, Xyſtarches Spiritus ſanctus, corona æternitatis bravium, Angelica ſubſtantiæ politia in cælis, gloria in ſæcula ſæculorum*: ad quam priuſquam pervenirent, Epiſtates Chriſtus JESUS eos Spiritu unxit, ad illud ſcamma produxit, & inſtar Athletarum ad ſtrictiorem diſciplinam ſegregavit; quia ſcilicet *virtus duritiâ extruitur, mollitie verò deſtruitur.*

Ad eam porrò duritiam, qua ſurgit ac conſtruitur virtus, formantur Martyres: non carne, ſed ſpiritu; illa enim infirma, hic firmus eſt. Timet caro gladium gravem, & crucem excelſam, & rabiem beſtiarum, & ſummam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis. Sed ſpiritus contraponit ſibi & carni, acerba licèt iſta, à multis tamen æquo animo excepta, imò & ultrò appetita famæ & gloriæ cauſâ; & quidem illius, quæ tenues vaneſcit in auras, & mortalis vitæ ſtadio clauditur: quo in genere produci poteſt Lucretia, quæ vim ſtupri paſſa, cultrum ſibi adegit, ut gloriam caſtitati ſuæ pareret.

Aſdrubalis uxor, quæ jam ardente Carthagine cùm maritum ſuum ſupplicem Scipionis videret, unà cum filiis ſuis in incendium patriæ devolavit.

Meretrix illa Athenienſis, quæ conſcia conjurationis, cùm propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit conjuratos, & noviſſimè linguam ſuam reſectam in faciem tyranni expuit, ut nihil agere ſe ſcirent tormenta, etſi ultra perſeverarent.

Produci poteſt & illa ſolemnitas apud Lacedæmonios longè maxima, quæ flagellatio dicitur. In eâ ante aram nobiles quique adoleſcentes flagellis affliguntur, aſtantibus parentibus & propinquis, & uti perſeverent adhortantibus. *Ornamentum enim & gloria deputabitur, majora quidem titulo, ſi anima potius ceſſerit plagis, quam corpus.*

Produci denique poteſt (ne omnes conſecter, quod longum eſſet) Mutius, qui manum ſuam dexteram in arâ cremavit, ut hoc factum ejus famâ haberet.

Quod ſi tantum terrenæ gloriæ licuit de corporis & animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, aliaque tormenta contemnerent mortales, ſub præmio laudis humanæ; quid licebit ad conſecutionem gloriæ cæleſtis ac divinæ? *Si tanti vitream, quanti veram margaritam? Quis pro vera non tantum habeat erogare, quantum alii pro falſa?*

Certè hæc una cogitatio, & patentis cæli, ceu mercedis aſpectus, Martyribus animos addidit ad audendum, ad patiendum quidlibet.

Atque etiam nobis addere debet, ne in ſupremo Judicii die, cùm orbis cum orbe componetur, & cum Gentili etiam Chriſtianus, meritò confundamur. *Si reformidaverimus pati pro veritate in ſalutem, quæ alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.*

§. X.

Effuſa Martyrum etiam in tormentis lætitia atque exultatio.

PRocopius invictus Chriſti pugil, Mutio illo longè ſuperior, thus manu accipere, illudque ſubjectis prunis ardentibus ſuſtinere juſſus, ut ſi fortè dolore victus dextram invertiſſet injectis in ignem ſuffitibus, Diis litaſſe videretur. Ea tyranni vis ac dolus fuit, quem probè eluſit vir ſanctus: manum quippe immotam lento igne aduri paſſus, ne qua maledicentiæ daretur occaſio: ac ne vox, ne animus eſſe videretur, interea dum arderet ſtillaretque manus, accinebat illud Davidis. *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.*

Has inter voces, ſacrumque cantum, fortè Procopio ex oculis lacrymula decidit, molli lapſu genas irrigavit; quam ut vidit Præſes, ratus victi jam animi & doloribus cedentis indicium eſſe, non ſine ſcommate petulantiùs illud ipſum objicere cœpit: cui glorioſus Chriſti Martyr, etiam in tormentis ludere doctus, *Nec mirum eſt*, inquit, *etiam lutum cùm igni admovetur, ſudat*; quaſi diceret: corpus hoc mortale, quod circùmfero, mihi pro luto; quod cùm aqueo humore compactum ſit, quid adeo mirum eſt ſi paululum exſudat, ſtillatque? Ita liberali pioque joco hominis petulantiam coercuit, docuitque lacrymas ſudorem eſſe, non mœrentis animæ (ut nonnulli voluere) ſed quandoque, & ſæpiùs, à gaudio exultantis. Hil. ro. de Trinit.

Teſtes appello voloque Martyres, qui ex illo impetu, ſacroque æſtu geſtientis animæ, ad ſupplicia, ad ignes, ad cruces, ad mille mortes ultrò devolarunt, & in iis mirum quantum exultarunt.

Fœlicianus acceptâ jam capitali ſententiâ adjecit illud. *O quàm jucundos dies annuncias octoginta jam annis expectatus.*

Neſtor Pergæ Epiſcopus, non minus à genere, quàm à virtute nobilis, cùm in equuleo etiam ad ſpectantium horrorem lacrymaſque torqueretur; non lamentabili voce, ſed amœnâ, ſed hilari, & gaudia jam cœleſteſque delicias ſpirante, dixit. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.*

Cumque ei Præſes ſpecie aliquâ commiſerationis ingeminaret ſæpiùs illud, ut ſeſe tormentis eximeret, objecit illud dignum cedro.

Cum Chriſto ſemper fui, & ſum, & ero.

Ac ne ſola vocibus illis eſſet fides, è cruce pendens ad ſubjectam turbam verba faciebat, Fidei plena atque caritatis.

Ejuſdem animi fuit Euſebius, qui cùm nervis diſtraheretur, igne torreretur, plumbatis cæderetur, exciſâ linguâ, trepidantibus ad miraculum tortoribus, orabat.

Gloria tibi Domine JESV Chriſte, qui me dignatus es ſervu tuu ad gloriam adjungere.

Nimirum invictis illis Heroibus pati morique, & gloriæ fuit, & voluptati.

Ita S. Victor, non nomine tantùm, ſed & re etiam ipſa victor, teſtatum voluit: cùm enim à tortore, qui nervos equuleò laxarat, etiam ſecretis naturæ partibus fervens oleum infunderetur; quaſi affuſo humore, ſuaviq́ue lympha ad tyrannum jactavit illud. *O quàm ſuave eſt hoc, ſicut aqua ſitibundo.*

Si quæras unde illa ſuavitas, illud in æſtu refrigerium etiam contrà naturæ vim ac tormentorum? Probè intelliges fluxiſſe ab animo, qui eò loci ac temporis, omnibus lætitiis incedebat, à quibus etiam Petrus, qui Diocletiano à cubiculis ac ſecretis fuit, in igne, mediiſque flammis, quaſi in roſis expiravit. Ac ne putes eos altioris animæ ſpiritus in viros tantùm cecidiſſe, martiumq́ue genus: multas videbis è fœmineo molliq́ue ſexu, quæ etiam ultro in ignes ac rogos inſiluerunt, brevioris ævi vitæque prodigæ, & ad beatam nunquamq́ue finiendam æternitatem aſpirantes.

Et hæc præclara magnarum mentium facinora loquitur omnis ætas, à quibus etiam ad eos venio, quibus lætitiæ vociſque exultabundæ finem ne mors ipſa quidem attulit, à quâ tamen altùm ſilere ſolent omnia. Atque ut vetera taceam, ad ea delabor, quæ quia recentioris ſunt memoriæ, lectori benevolo accident gratiora.

In Occidentali Indiâ, quæ hac noſtrâ ætate plurimos Eccleſiæ Martyres parit, ſub annum Chriſti milleſimum ſexcenteſimum vigeſimum octavum terris vivere deſiit & cœlo cœpit inclytus è Societate Jeſu Martyr, P. Rochus Gonzales.

Excoluerat ille ſummâ cum opinione ſanctitatis, & labore ſane magno barbaras illas nationes, à quibus tandem totis cervicibus ferrum hauſit, & vitam amiſit: ſed, quod in eo mireris, reſecto jam capite per ipſum cor eloqui auditus, & clarâ expeditáque voce abire in Dei ſui laudes: truncum erat corpus, ab eoq́ue revulſum caput illud quod fuerat officina altiſſimarum de Deo cogitationum; muta, atque emortua conticeſcebat lingua; at cor ipſum minimè mutum & ſilens, ſed ſonorum & facundum, exceſſit in Creatoris ſui laudes; & ignes amoris, quos olim conceperat, etiam poſt fata emiſit. Adeo liberalis & effuſa Martyrum lætitia, ut etiam poſt fata ſpiret in exanimi corpore: cui affine eſt & illud, quod memorat P. Marcellus Maſtrilli, in ſua illa Indica peregrinatione, quam S. Xaverii nutu fœliciter ſuſcepit, atque ex ejuſdem auxilio peregit fœliciùs; tandemq́ue etiam fœliciſſimè concluſit, fuſo Chriſti causâ ſanguine.

Refert ille duos è Societate JESV in Japonis Martyres, non in ſuppliciis modò, quæ fuerant atrociſſima, ſed etiam poſt mortem hactenus inaudita & ſtupenda lætitiæ argumenta edidiſſe.

Martyrio affecti diverſis in locis, diſcreti quidem corpore, non tamen animo: longè enim antè prædixerant tortoribus ſe eadem pariter horâ, è vita Dei causâ migraturos: prædictioni reſpondit eventus, non ſine alio & quidem mirabili prodigio: cùm enim corpora ad ſepulturam eundem in locum comportarentur, ad mutuam præſentiam ſeſe ſalutarunt, & collocuta ſunt, perinde ac ſi viva fuiſſent, non ſine ſtupore aſtantium, & amabili cæli prodigio.

Si ex me ſciſciteris, quæ fuerint illa Martyrum colloquia? Quæ voces? Quæ gratulatio? Audies eam fuiſſe de gloria ac beatitate, quâ modò fruebantur in cælis fœlices animæ, de tormentorum brevitate, pretioque generoſæ mortis, à quâ ſibi aditum feciſſent in æternitatem. Jactabant nimirum illud quod in vitâ Paulus Gentium Apoſtolus.

Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Si quotidie*, inquiebat Auguſtinus, *oporteret nos tormenta perferre, ſi gehennam ipſam parvo tempore tolerare, ut Chriſtum videre digni eſſemus venientem in gloriâ, & Sanctorum ejus numero ſociari; nonne erat dignum pati omne quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?* 1. Rom. c. 8. v. 18 Serm. 2. de Feſto SS. omnium.

In arenam evocat Auguſtinus *omne quod triſte eſt*: ſeu illud eſſe voles paupertatis anguſtias & ſordes, ſeu acervum cumules injuriarum, ſeu corpuſculi hujus afflictiones, morbos, vulnera, ferrum, ignes, cataſtas, cruces, mortemq́ue ipſam per extrema ſupplicia exigendam: illud, inquam, omne heroicâ mente provocat devocatq́ue, ut cum eo certet, qui gloriæ ac beatitatis fuerit candidatus, audetque polliceri, ut hic omnibus illis ſuperior evadat: adeo potentes ſunt ſtimuli gloriæ ac beatæ æternitatis: quam animo dum legit D. Franciſcus, perciſus eſtu quodam voluptatis, exclamat.

Tanta eſt gloria quam expecto, ut omnis mi pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, perſecutio omnis, mortificatio omnis.

Delectet, inquit Franciſcus, quia animo, cui terra eſt in poſtremis, & cælum in primis curis, volupe eſt pro hoc adipiſcendo quidlibet & agere & pati.

Hinc es vota, & piæ querelæ S. Gordiani Centurionis, fortiſſimi Martyris, qui dum omni propè ſuppliciorum genere cruciaretur, aiebat nihilominus, *Damno ſi effici, quod non ſæpiùs mori pro Chriſto poſſit.* Nimirum ei ſatis non erat vel una vita, ſpiritusq́ue; plures optaſſet ut eos Dei ſui causâ profunderet, & hoc quidem excitatus vel una ſpe cœleſtis gloriæ; quâ etiam olim uſus eſt opportunè Puſices Medicus, ut Ananiam ſenecta debilem, & ad objecta tormenta trepidantem animaret, hac uſus oratione. *O ſenex pauliſper oculos claude, & æterna vide.* Claude, inquam, oculos terræ, & huic Univerſo aſpectabili; & cælis aperi, illiq́ue gloriæ, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit: ubi illi præmio ac laureæ, mentis atque intelligentiæ oculos recluſeris, in equuleos, in cataſtas, in cruces, in rogos, in mortes ibis: hoc uno beatus, quod cœlo teſte, Deo judice ac remuneratore patiaris. 2 Cor. c. 4.

§. XI.

Qui filium, Civium ſuorum libertati immolat, næ ille fortis.

Neque mei conſilii, neque hujus exigui operis eſt, vel antiqua commemorare, vel unum velati in faſciculum cogere ea fortitudinis exempla, quæ omnis propè ſpectavit ætas; ſed è multis unum producere, quod quia recentioris eſt memoriæ, Lectori benevolo gratiùs accidet.

Aluit Hiſpania devotum patriæ pectus, Regiq́ue ſuo in paucis fidum: is Alfonſus fuit, Cartheiæ Dux fortiſſimus.

fortiſſimus. Eum olim obſederant Mauri, & jam ſæpiùs quà pollicitationibus, quà minis, quà etiam armis, & impete facto ad deditionem ſollicitarant. Ille Hiſpanæ Fidei animique tenax, omnes deditionis leges reſpuere, fugere, averſari. Interea filius, qui ei erat unicus, dum ſortè imprudens & incautus elabitur, hoſtiumque agros pererrat, in eorum manus incidit. Hic exultare Mauri, jamque de Cartheiâ actum credere: captivum adoleſcentem bellico plauſu ac clamore circum mœnia ducunt, patri oſtentant, minanturque niſi urbem dedat acturos ſe nati in viſcera ferrum. Quid hîc agat infœlix parens? Si urbem hoſti tradat, in patriam impius, in Regem erit injurius; ſi neget, in filium crudelis videri poterit: maluit tamen in filium durior, quàm in Regem minus fidus videri. Itaque patrem exuit, & ducem induit, torvóque lumine Mauros deſpectans.

Méne, inquit, deterrere putatis,

Venales animæ, & Dominos mutare paratæ?
Si me feciſſet proles ſcutena parentem,
Staret & hoſtili natorum turba ſub ictu;
Nil me præterea tecti de cramine flectant,
Exarmentve ducem lacrymæ, mortéq; meorum,
Hæc dicens ſubitò vaginâ liberat enſem,
Elatóque minax: rabies ſi tanta cruoris,
Ferrum, ait, accipite: ferrum de mœnibus altis
Projecit pater, inde ſuos, & tecta reviſit
Securus, potuitq; paratæ accumbere menſæ.

Hæc Alfonſi conſtantia primo Mauros attonitos habuit ac dein irâ ac furore præcipites in miſeri adoleſcentis vulnera & cædem egit.

It cœlo barbarorum clamor, & civium è mœnibus comploratio.

Et ferrum in venas pueri nil tale merentis
Et fruſtra palmas ad mœnia tenta levantis
Immergunt, donumq; patris in viſcera condunt.
Interea
Evocat Alfonſum fragor, atq; in mœnia currit,
Et nati aſpiciens letho languentia membra,
Quanquam animo redit uſque parens, tamen exuit illum
Dux melior, civeſq; objurgans: hoc erat, inquit,
Quod veluti captâ comploraviſtis in urbe,
Voſq; puerque meus caſu pendetis ab uno?
Illum ego nutribam patriæ, jam reddidi & urbi.
Has reor infeſtum placabit victima Numen.
Dixit, & extemplo ad convivia uſta recurrit.
O ingens anima, ô fatis inſuperabile pectus

Viciſti patria, viciſti, & omnea ſeu blandientia naturæ illecebras, ſeu ferocientia hoſtis impetus ſuperaſti. Ita nimirum æquum eſt, ut ſe patrem neſciat, quiſquis ducem eſſe noverit; nec naturæ, natiſque pareat, quiſquis Regi, patriæque parere didicerit.

§. XII.

De Civili morte, ſive exilio æquanimiter tolerando.

DE hoc argumento multi multa ex naturâ, ratione, hiſtoriis, omnique penu eruditionis: ego meo more pauca, & quidem primum quid ſit exilium, tum quæ in eo gravia eſſe videantur, adverſum quæ depugnare debet fortis & generoſus animus.

De conſol. ad Helviam c. 6. Exilium, inquit Seneca, *Loci commutatio eſt*, quæ id affert acerbi, quod quiſquis eſt exul, carere debet Patriâ, quod incommodi genus, ut quà licet, elevet ac minuat; liquidò oſtendit, è mortalibus pleroſque non tam neceſſitate, quàm voluntate, ſua carere Patria, adeóque etiam exulare.

Aſpice, inquit, hanc frequentiam, cui vix urbis immenſi tecta ſufficiunt. Maxima pars illius turbæ Patriâ caret. Ex municipiis & Coloniis ſuis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios adduxit ambitio, alios neceſſitas officii publici, alios impoſita legatio, alios luxuria opulentum & opportunum vitiis locum quærens, alios liberalium ſtudiorum cupiditas, alios ſpectacula. Quoſdam traxit amicitia, quoſdam induſtria, latam oſtendendæ virtuti nacta materiam; quidam venalem formam attulerunt, quidam venalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrit in urbem & virtutibus & vitiis magna pretia ponentem. Hæc ubi produxit Philoſophus, tum illud ad extremum conficit, nullum eſſe exilium, in quo non aliquis animi causâ moretur: addamus & virtutis; quæ quandoque & ſæpius ab ipsâ neceſſitate ingens ſumit incrementum, pluraque dat ſui vel documenta vel exempla in exilio, quàm in patriâ. At, inquies, tria in illo videri poſſunt graviſſima.

Primum eſt, quòd exul cogatur extra patriam vivere. Alterum, quod inde conſequens eſt, patriis honoribus carere. Tertium deníque, quòd etiam neceſſariis deſtitui.

Prima ratio hominis, cui benè ſedet animus, inanis eſt, & vacua; nam omne ſolum viro forti patria: ideoque rectè Socrates mundanus dici & eſſe volebat: & certè volet, quiſquis ſe ipſe ſpectabit & mirabitur: ut enim Seneca, quo in hoc opere liberalius utor, Magna, inquit, & generoſa res eſt humanus animus. Nullos ſibi poni, niſi communes, & cum Deo terminos patitur.

Primum, humilem non accipit Patriam, Epheſum, aut Alexandriam, aut ſi quod eſt etiamnum frequentius incolis, lætius tectis ſolum. Illi patria eſt quodcunque supernè, univerſa circuitu ſuo cingit. Hoc omne convexum intra quod jacent maria cum terris, intra quod aër humanis divina ſecernens, etiam conjungit, intra quod diſpoſita tot Numina in actus ſuos excubant: chriſtianè dixiſſet illud omne viro forti patria, intra quod Numen in ejus actus excubat, ut deinde ab exilio, meliore, ideſt cœleſti patriâ, donet; & quis hanc attendit, ad hanc ſuſpirat, & totis animi viribus anhelat generoſus Chriſti Athleta, ideo exilii ne de nomine quidem noſſe ſe fateri volet. *Epiſt. 112.*

Vadem habeo Baſilium Magnum, qui D. Gregorii Nazianzeni ore linguaque Valenti Præfecto exilium minanti ſic loquitur.

Exilium haud cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque hanc terram, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco; imò ut rectius loquar, univerſam terram Dei eſſe ſcio, cujus advena ego ſum, & peregrinus. *Orat. 20. num. 24.*

Et quia Dei eſt univerſa terra, hinc etiam ſuam eſſe credit, quiſquis ei uni ſe commiſerit, ſenſeritque ſua eſſe quæ Dei, ad quem ut advena & peregrinus celeri curſu contendit.

Neque porrò majoris momenti erit ſecunda ratio apud prudentem, qui ſolidos honores, non in hominum oculis, in aulæ gratiâ, in principum favoribus collocatos eſſe noverit; ſed in una virtute, quam ſecum circumfert ipſe, quocumque tandem eum vel fortuna jecerit, vel adverſariorum vis atque potentia detulerit.

Hoc Varro Romanorum doctiſſimus, adverſus incommoda, quæ exilio adhærent, hoc ſatis eſſe putabat remedii, quòd liceret in exilium euntibus virtutes ſuas ferre ſecum: quò etiam reſpexit Seneca, dum ait.

Dic, quæ pulcherrima ſunt, quocumque nos moverimus, ſequentur: natura communis, & propria virtus. *In conſol. ad Helvid. c. 8.*

Nec denique movere quemquam debet poſtrema ratio, quæ in exilium abeunti proponit domeſticæ rei anguſtias, paupertatis ſordes, incommoda, quæ ad ſapientis animum appellent quidem, ceu fluctus aliqui in hoc æſtu vitæ mortalis; at eum non tangent, nedum concutient, & de ſuâ ſede dimovebunt: Scit

eum

enim ut antiquum illud, ita veriſſimum. *Neceſſariis rebus exilia ſufficiunt, ſupervacaneis, nec regna.* Animus eſt qui divites facit. Hic in exilia ſequitur, & in ſolitudinibus aſperrimis tantum quantum eſt ſuſtinendo corpori invenit, ipſe bonis ſuis abundat, & fruitur. Pecunia nihil ad animum pertinet. Lapides, aurum & argentum, & magni levatique menſarum orbes terrena ſunt pondera, quæ non poteſt amare ſincerus animus ac naturæ ſuæ memor: & quia amare non poteſt, ideo neque de illis ereptis impotenter dolere.

Bollandus in ejus vita 5. Ian. Quod ipſum opportuna ſimilitudine declaravit olim S. Adelardus Abbas Corbeienſis, & Ipſe multo damnatus exilio, in quo ut ſibi ad patientiam animos faceret, & ovis ſimplicitatem ſibi proponebat, & incertam leporis ſedem. Ovis, inquiebat, haud ægrè patitur ſuo ſe vellere exui ac nudari, ut alium induat, tegat, foveatque contra omnem aeris inclementiam: ſic nec ego bonis omnibus (quæ mihi inſtar velleris erant) deſtitutus aut querar, aut gemam, certus in eo oviculæ genium moremque imitari: ut etiam leporis. Hic ſi fortè aut venatoris impulſu, aut canum latratu latibulum ſuum deſerere cogatur, deſerit enimverò, & celeri fuga elapſus aliud quæritat, in eoque, ut in priore, probè delitescit. Quid facias? Lepus eſt, adeóque natus ut & venatoris peritiam, & canum velocitatem ac latratus exerceat, imò & patiatur. Sic & ego, aiebat S. Præſul, ad inſtar timidi fugacisque leporis, & magnatum ac Principum inſidias impetusque, & invidorum ſeu latratus ſeu morſus æquo animo patiar; nec locum, è quo pellar, cum mœrore deſeram; nec eum, ad quem propellar, cum amore tenebo, paratus quotidie motare. Et hoc in illo Chriſtianæ fortitudinis exemplum fuit: demus & aliud in eodem genere.

S. Meletius Patriarcha Antiochenus malis artibus, doloque inſolenti hæreticorum Arianorum à Valente Imperatore exilio damnatus eſt. Quod ubi in vulgus ſpargi cœpit, illicò totius populi commovit animos, & confertam civium turbam in plateas, in compita, in forum exeivit: it cælo ingens clamor, & quà amore, quà dolore, quà etiam ira S. Chryſoſt. Hom. de S. Meletio. concitatæ, aliæ atque aliæ voces; quas inter auditæ & iſtæ: certum eſſe ſtatumque omnibus potius mori, ferroque dare obvia capita, quàm permittendum, ut à ſuis ovibus bonus Paſtor, à ſua Eccleſia Præſul avelleretur. Dum ea pro foro jactantur, & omnium aures animoſque pulſant, urbis gubernator, veritus populi tumultuantis impetum, vimque jam paratam atque imminentem, ut eam vel falleret vel eluderet, ad Præſulis ædes advolavit, cumque clam ſuam ipſius rhedam conſcendere juſſit: ratus eâ ratione civibus inſciis abduci poſſe: ſecus tamen evenit: ut enim in omnes occaſiones intentus eſt amor, timorque plenus ſuſpicionis & benè oculatus, deprehendit illicò Epiſcopum eâdem cum gubernatore rheda vehi, & citato curſu in exilium deportari. Fit populi concurſus, fit clamor, fit comploratio; & inter mulieres ejulatus ac lamenta, à pueris, ab adoleſcentibus, à viris, ab omni ordine, ſexuque ad ſaxa, ad lapides itur, & grandinis inſtar petitur ac prope obruitur ſcelestum caput. Quid hic putatis feciſſe Meletium? Potuit illicò exilire rhedâ, ſuisque filiis parens optimus reddi; potuit impium Præſidem inter ſaxa mortisque tela deſerere, obruendum ſine dubio, & denſa inter jacula lapidumque aggeres tumulandum: non fecit tamen; ſed potius, inaudito à ſæculis ſeu patientiæ ſeu caritatis exemplo, ſurrexit ipſe, & gubernatorem ſaxis undique impetitum arctè cinxit, amplexatus eſt, togáque ſuâ involvit ac celavit, hacque ratione præſenti periculo eripuit: Etſi enim in juſtas iras, vindictamque arſiſſet populus, manúſque levaſſet ad jactum, ſuſtinuit tamen ne fortè aberrante ſaxo, manúque jaculantis, Epiſcopus ipſe vel leviter tangeretur: Interea temporis, concitatis equis trahitur, urbe educitur, & in exilium raptatur, non tam imperantis neceſſitate, quàm pronâ voluntate obedientis, qui etiam in eum, à quo per ſummum nefas in paratam exilii ſedem vehebatur, beneficus eſſe ac videri voluit, vitámque illi donare, à quo, licèt innoxius, damnabatur civili morte, hoc eſt exilio: ut inde noveris, viro forti veréque Chriſtiano plûris fuiſſe poſteris dediſſe documentum aliquod, & exemplum ſeu inſignis patientiæ, ſeu inuſitatæ caritatis, quàm ſibi ſuisque reſtitutum in patriâ, in oculis, in amoribus, in ſuorum civium filiorumque ſinu reliquam vitam exegiſſe. Hæc animo memori recondè, hæc ſæpiùs apud te meditare, quiſquis fortè patrii ſoli fumique amantior, exilii incommoda damnaque pertimeſcis ac fugis; non eâ curâ iſthæc declinaturus, ſi tibi cælum patria foret, & terra exilium.

Sed inquies, eſt iſtud magni Præſulis & ſanctiſſimi Herois facinus: non omnibus eadem mens, idem animus, inditaque à Superis conſtantia. Non abnuo: verùm, ne inde tibi blandiaris improbè, credaſque ſubinde licere à virtute & fortitudine diſcedere. Ne diſcedas à patriâ, tibi ſub oculos pono illuſtre Scipionis facinus, qui cùm in eas anguſtias redactus eſſet, ut vel Romam deſerere, vel ejus libertatem premere cogeretur, ſibi ipſi exilium indixit, his apud Senecam verbis.

Nihil volo derogare legibus, nihil inſtitutis; æquum inter omnes cives jus ſit: utere ſine me beneficio meo Patria: cauſa tibi libertatis fui, ero & argumentum: exeo, ſi plus quàm tibi expedit, crevi.

Hæc dixit fecitque Scipio, nihil legibus patriis, nihil antiquis inſtitutis derogatum unquam voluit; & tu, qui Chriſtianus eſſe & haberi voles, quandoque juſtitiæ, divinæ legi ac virtuti aliquid decedere patieris, ne tibi à patriis laribus focisque commodi aliquid decedat? Non voles certè ſi is es, qui eſſe potes ac debes.

DE FORTITUDINE CHRISTIANA.

LIBER SECUNDUS.

PROOEMIUM.

Quid ſit, & quotuplex injuria?

L. 1. ff. de injuriis & fam. libell. VLpiano, *Injuria eſt omne id quod ſine jure fit.* Ea alia eſt atque alia: quædam enim verbis irrogatur; quædam re etiam ipſa; illa ſæpè nuda eſt, & abſque damno (niſi damnum eſſe velis aculeum linguæ, qui plerumque plus pungit ac lancinat quàm ipſa ferri acies.) Hæc verò quæ in facto eſt poſita, vel involat in fortunæ bona, vel famam & honorem impetit, vel in ipſam corporis molem incurrit, eamque malè afficit: nec illam tantùm, ſed & animam quoque ferit, & niſi caveas, etiam perturbat. Solent enim ab illata injuria enaſci affectiones variæ, ac primùm quidem ira, (quæ eſt *ebullitio ſanguinis circa cor*) à quâ deinde multæ excitantur paſſiones, eæque ſubinde bonæ, & conformes naturæ ac rationi: ſubinde etiam malæ atque difformes.

In bonis cenſeri poteſt zelus aliquis Juſtitiæ ad coercendam nimiam & inſolentem malè dicendi
Cicero. agendique licentiam. Verè enim, ut *magna illecebra*
Longinus. *peccandi eſt impunitatis ſpes; ita nimia in facinoroſos lenitas, in bonos crudelitas eſt*: ne porrò ſit aut hæc, aut illa, benè providet atque proſpicit ardor quidam igneus exercendæ Juſtitiæ, debitæque in ſceleratos ultionis: in qua tamen ſervari imprimis velim illud Lactantii Firmiani.

De ira Dei. *Surgamus ad vindictam, non quia læſi ſumus; ſed ut diſciplina ſervetur, mores corrigantur, licentia comprimatur.*

Epiſt. 9. Et hoc D. Gregorii monitum: *Ira in vindicta malorum, ſequi rationem, non præire debet.* Et quia quandoque & ſæpiùs aliter omninò fit, etiam evenit
32. Mor. illud, *ut in ulciſcendis injuriis ſæpe crudelitas ſit, & tamen Juſtitia putetur.* Ita nimirum nobis illudimus improbè. Verum enim in natura depravata illud
Hiſtor. l. 9. Cornelii Taciti. *Gratia oneri, ultio in quæſtu habetur.* Ne porrò habeatur, nobis erit in hoc Opuſculo adlaborandum.

CAPUT PRIMUM.

Injuriarum tolerantia, eximius actus Fortitudinis.

PRimo libro explicui ea ferè mala, quæ nobis vitio unius culpæ natura impoſuit duráque nimium neceſſitas: hoc autem educam ea tela, quæ adverſa hominum vis ac malevolentia in nos evibrat, iiſque vel excipiendis, vel etiam retundendis, opponam ſcutum Chriſtianæ fortitudinis: eo utêris benevole Lector.

§. I.

De injuriâ quæ ſolis verbis infertur.

EA cuipiam fortaſſe levior videbitur, qui verba tantùm ponderabit, & ſonum, quo inanes & innoxiæ vapulant auræ: non eſt tamen ex vero levis quæ voce etiam ſolâ ad aures injuria appellit.

Teſtis erit Bernardus, gravis morum cenſor, & hujuſce diſceptationis arbiter: cenſet ille ingentem eſſe linguæ aculeum, lanceâ clavoque duriorem. Illum in ſcriptis loquentem audiamus.

Levis, inquit, *res ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat: leviter tranſit, ſed graviter urit: leviter* Serm. de
penetrat animum, ſed non leviter exit; profertur leviter, 3 cuſtod.
ſed non leviter revocatur: facile volat, atque ideo violat caritatem; facile lingua labitur, non minus facilè illabitur cordi, & ei mirum quàm immane vulnus infligit; vulnus certè quod gravius eo ſit, quod à vi, manúque violentâ paſſus fueris.

Appello ad ipſa Jobi tempora, inſignemque patientiam, quæ fortunis orba, & prolibus, quæ toto corpore ſaucia vocem tenuit, altoque ſilentio dolorem compreſſit: ſed à linguæ jaculo ſeſe continere non potuit, quin erumperet, & in juſtas querelas gemituſque elaberetur: nimirum fortiora linguæ jacula, quàm ferri: ab illis impetitus ita gemit mortalium omnium patientiſſimus.

Uſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſer- Iob c. 19.
monibus? In ædium ruinâ erectus ſtetit Jobi animus; v. 2.
è chariſſimorum pignorum ſtrage ac tumulo ſuperior evaſit; à corporis univerſi laniená quati potuit, non concuti, nedum atteri; at, quod mireris, atteritur ſermonibus: Tanta vis eſt in linguâ, tanta in maledico dente acies, quæ hominem ipſo ferro ſecari neſcium, atterat ipſa, penituſque conſumat.

Ita, ut inquit Origenes in illa Jobi verba, *Sæpe-*
numero qui corporis cruciamenta toleravit, non paſſus eſt Lib. 2. de
verba: cui conſentit D. Ambroſius, ubi de Jobo Interp. in
quæſtio incidit: *Amiſerat*, inquit, *Job omnia ſua:* Iob c. 3.
patiebatur vulnera toto corpore: manebat ut tentationes verborum vinceret: nihil enim ſic penetrat animam ſicut ſermo fucatus: nihil iterum ſic mordet, ut durior ſermo: multi cum vicerint adhibita tormenta, ſermonum duritiam non ſuſtinuerunt. Hactenus ore Ambroſio magnus Præſul, cujus ea verba multum habent momenti ac ponderis. *Manebat Jobus, ut tentationes verborum vinceret*: ſi crudelem corporis carnificinam, ſi fluentem undique ſaniem, ſi hiantia vulnera ſpectaſſes; non hominem, aut è vivis unum aliquem credidiſſes, ſed exutam ſuâ pelle feram, ſed ſpirans cadaver credidiſſes, è quo velut è malo indignoque tantamente hoſpitio erupiſſet evolaſſetque anima, niſi etiamnum in eâ ſtatione notari debuiſſet, ut quæ cætera vicerat, etiam verborum tentationes vinceret, tanquam extrema hoſtis tela, contra quæ opus ingenti robore, nervóque arduæ mentis; quam explicabis tum opportunâ mollique reſponſione, tum verò vel maximè ſilentio.

Si ei, qui tibi verbis inſultat improbè, tu verbulo fecceris ſatis; dabis inſigne patientiæ documentum, majus quandoque quàm ſi profundo ſilentio conceptos animo motus oppreſſeris.

Ita quondam Servator optimus militi ſibi objicienti inſulſum illud & immane, *ſic reſpondes Pontifici*, utque linguæ conſentiret manus, alapam per ſummum nefas impingenti, adjecit illud: *ſi malè locutus* Ioan. c. 18.
ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, quid v. 23.
me cadis.

Exemplo fuit illud ac documento; quo monentur poſteri verbis quandoque verba reddere, illatam injuriam

injuriam blandè diluere, & quaſi è ſinu mentis, ore diducto emittere.

Mortales inter, quibus in vindictam prona mens, & præceps manus, ſilentio ſæpè nutritur ira, diuque clauſa magis effervescit; ideóque ſuadendum pleriſque ut per amantia verba, mitéſque querelas elabi ſinant atque evaneſcere.

Id ſi feciſſet olim Abſalom, in fratricidium aliquando non erupiſſet. Is acceptâ inſigni injuriâ à fratre ſuo Ammon, totum biennium tacuit: &, ut
2. Reg. c. 13. v. 22. Scriptura notat, *Nec locutus eſt ad illum bonum, nec malum.*

Silentium illud adeo diuturnum patientiæ aſcribi non debuit; ſed impatienti iræ, odioque quod aſſurgebat magis, quò diutius premebatur: & verò ita tandem aſſurrexit, ut in fratris cædem evaſerit.

Non ſic ex rationis lege, Chriſtique placito tacere jubemur, ut ſilentium ſit potius tacita quædam vindictæ meditatio, quàm injuriæ remiſſio: ad hanc etiam ſpectant mollia & amica verba; quibus etiam ſuis in
Pſal. 68. parabolis uſus olim Servator, *adverſum quem loquebantur*, vel (ut legit Euthymius) *nugabantur, qui ſedebant in portâ*, hoc eſt Judices, qui in portis urbium judicia exercebant; quos etſi inſtruat, carpatque ſuis in parabolis, amicâ tamen ſemper voce compellat.

Sic ad eum, qui nudus à veſte caritatis nuptiarum
Matth. 20. v. 12. locum ingreſſus fuerat, ait, *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?*

Amicum appellat, ab invidiâ, ab immani ſcelere & ſibi & Deo Patri inimicum; imò non amicum tantùm, ſed & indulgentiori voce filium, aut filiam: ita enim ad peccatores Deus ore Sapientis.

Cant. c. 2. v. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ita amica mea inter filias*: hoc eſt, Interpretum judicio: ſicut lilium inter ſpinas, ſic juſtus inter peccatores: prodigio ſanè divini amoris ac patientiæ, quæ juſtos amicos, peccatores etiam filias amantiori nomine compellat, ut quod ſentire, quod loqui debemus, & verbo doceret & exemplo.

Et hoc primum eſto remedium adverſus inſolentem linguam, ejuſque jacula: addo & alterum, quod in ſecretâ ſilentii lege poſitum, & eximiæ cujuſdam patientiæ eſt argumentum; quod vel ab ipſo ſupremo Numine petendum: ejus calamo vocéque ita
Cap. 42. v. 14. quondam Iſaias. *Tacui ſemper, ſilui, & patiens fui.*

Puſilli mortales hoc orbe luteo ſparſi, capita ſæpiùs erigunt, cælis inſultant, & impudenti ore blaſphemáque lingua & Superos omnes, & Deum ipſum laceſſunt: tacet tamen ille, & profundo ſilentio illatas Majeſtati ſuæ injurias involvit; & hoc uno vel maximè humanâ majorem patientiam oſtendit.

A Deo ſecundus generis noſtr. Servator; & hic,
1. P. c. 2. v. 23. ut Prophetæ verbis utar, *Cùm malediceretur non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.*

Impia, excors Judæorum turba, maledicâ voce Chriſtum impetebat, & immania Gentilium cohors in corpus innoxium crebro verbere ſæviebat: manabat undique per vulnera ſanguis, & à capite ad calcem nil niſi vulnus erat: quid inter tot ſupplicia, crudelémque lanienam Deus homo? Iſaiæ vaticinio paucis excipe: ſic ille ore præſago jam inde à primis ſæculis.

Cap. 53. v. 7. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.*

Quod de eo verbis expreſſerat Propheta, hoc deinde re etiam ipsâ reddidit, quà in vitâ, quà in
Matth. 27. morte. In illâ quidem, cùm ſæpiùs importunè argueretur à Judæis, *electus alliis* abibat in ſilentio;
Hom. 18. quia, ut diſertè notat author operis imperfecti, *Malum hominem melius locum dando poteſt aliquis vincere, quàm reſpondendo; quia malitia non inſtruitur ſermonibus, ſed excitatur. Et ideo Dominus recedendo compeſcere ſtuduit quos reſpondendo non compeſcuit.* Et hæc patientiæ exempla totius vitæ ſeries exhibuit; majora mors ipſa, quæ virtutum ævique ſcenam clauſit: in ea ſtetit

tanquam ſurdus ad audiendas injurias; *tanquam mutus* Pſal. 37.
ad recipiendas.

Atrox illa fuit contumelia, quæ ei quondam in Herodis oculis illata; ad eam tamen ne verbo, ut
Lucæ c. 23. maximè poterat, reſpondit. Quia, ut doctè notat
Lib. de Patientia c. 3. Tertullianus, *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat*: erat enimverò poſt diem abiturus è vitâ, in quâ quantum licuerat, ſe ipſe patiendi ardore refecerat atque recreârat: at eodem in extremo vitæ limine mortiſque articulo *ſaginari volebat*, vel ipsâ *voluptate patientiæ*, à quâ etiam triumphum retulit. de quo Ambroſiana eloquentia

Serm. 17. in Pſ. 118. *Chriſtus calumniis impetitus ſilentium detulit triumphale*: hoc ſi ames & ambias, eandem etiam tibi ſilentii legem impone: Chriſtum imitare, & eum, qui ex vero juſtus eſt; de quo etiam Ambroſius.

In Pſ. 37. *Iuſtus accuſatus tacet, læſus remittit, diſſimulat laceſſitus*: quia, ut ille ipſe melleus Doctor, *bonum eſt*
In Pſ. 118. *ferre convitium, & convitium non referre.*

§. II.

De Injuriâ quæ fortunæ bona diſſipat atque evertit.

FOrtuna quibuſdam mortalibus eſt mater, aliis noverca; illis plenâ manu fundit opes, & auro gazas opplet: his conceſſa bona eripit, & ab ampliſſimis facultatibus ad extremas paupertatis ſordes abjicit: quod quandoque caſu, quandoque etiam hominum malevolentiâ ſolet evenire. Jus illa violat, quod alicui in fortunæ bona competit, dum vel ea clanculùm furto ſurripit, vel apertâ vi ac rapina etiam in oculis tollit, vel importunis litibus, malóque dolo ac fraude ſenſim exedit, ac etiam ditiſſimum quemque exhaurit atque eviſcerat.

Ne te offendat, amice Lector, ea vocula, eviſcerat; ea vero enim huic injuriæ convenit quàm optimè; quia viro opulento divitiæ ſunt quod corpori viſcera, imò & cor ipſum.

Avitam appello fidem, & illud Labani ad Jacob.
Gen. c. 31. v. 26. *Quare ita egiſti, ut clam me abigeres filias meas?* In Hebræo eſt, *Quid feciſti? Et furatus es cor meum, & abduxiſti filias meas.* Id eſt, ut explicat Cajetanus: *Furatus es meas divitias, quæ mihi erant inſtar cordis.*

Ita nimirum ſe res habet, divitiæ hominibus hujus ævi pro corde ſunt, pro intimis viſceribus; ideoque, qui eas per injuriam aufert, & viſcera extirpare, & cor è ſuâ ſede ac ſtatione dimovere cenſendus eſt, & quod inde conſequens, quaſi è vitâ tollere.

Hinc illæ Pharaonis voces ac minæ: *Interficiet eos*
Exod. c. 15. v. 9. *manus mea*; vel ut Hebræi legunt, *depauperabit eas manus mea*: hoc eſt Hebræos ex Ægypto fugientes pertinax & potens Pharaonis manus bonis omnibus cavet, depauperabit, imò & interficiet: quippe viro diviti opes ipſæ pro vita, paupertas eſt pro morte; ideoque ſicuti ad hanc fortiter ſuperandam opus eſt inſigni robore; ita & ad illam æquo animo tolerandam planè neceſſaria virtus fortitudinis: à qua ut te inſtruam, benevole Lector; primùm rationes nonnullas producam, quæ malum illud, ſi non omnino tollant, at ſaltem multum extenuent: tum exempla proferam eorum, quos utraque fortuna ſibi ſemper ſimiles ac conſtantes vidit atque ſuſpexit.

Pro ratione, qua leniri poteſt ac ſolet dolor in illis
Sen. in conſol. ad Helviam, c. 10. fortunæ injuriis, eſt, *Quod cupiditati nihil ſit ſatis: naturæ ſatis ſit etiam parum*: & hoc plerumque relinquit etiam reſtans fortuna, & adverſariorum invidia, à qua quidquid ſubtrahitur, ſubtrahitur voluptati, non neceſſitati: illi non ſufficiunt quàm plurima, huic etiam pauciſſima ſunt ſatis; ut enim rectè Seneca: *Parva fames conſtat, magno faſtidium.*
In conſol. ſuprà. *Et neceſſariis etiam exilia ſufficiunt, ſupervacuis nec regna. Animus eſt qui divites facit* non tam fortunis quàm virtute, qua pauper etiam omnibus exutus ſe ipſe

involvit ac tegit; eò expeditior futurus ad virtutis curſum, ad gloriæ ac beatitatis culmen, quò ab iſtis fortunæ phaleris atque impedimentis fuerit liberior: quod argumentum pulchrè illuſtrat Minutius Felix in Octavio opportunâ ſimilitudine.

Prorſus, inquit, *ac vivendum velut ad natandum is melior, qui onere liberior. Sunt enim ſimiliter in iſtâ vitâ humanâ tempeſtate, levia ſuſtentatui, gravia demerſui.*

Cùm eſſes à fortunæ hominúmque injuriis immunis, & auro multo gravis, levior ex vulgi opinione tibi fluebat vita: at ex ſapientum placitis gravior erat, quàm cùm eo ſpoliatus es; parúmque intereſt juréne an injuria ſis ſpoliatus, ſi eo ſpolio liberior evadis ad natandum, hoc eſt ad emergendum ex hoc vitæ pelago, in quo quàmplurimi divitiarum onere ita premuntur ut ſubſidant; evaſuri omnino ex iis fluctibus, ſi peregrinã illam fortunæ veſtem exuiſſent.

Ne mireris ſi divitias, & blandientis vitæ bona, peregrina appellem & aliena: nec enim verè tua ſunt; ſed omnium conditoris, qui ea quaſi mutuo tibi dedit ad uſum hujus temporis: quod bellè docuit Stoicus ille Philoſophus, qui diſcipulis ſuis præcipiebat illud, ne quis inopum, bonique alicujus jactura diceret: *illud perdidi*; ſed: *illud reddidi*. nempe Deo, à quo fuerat acceptum.

Sed audio, his præceptionibus reclamas & obtundis illud: benè quidem mones æquo ferendum animo ſi quæ Deus obtulit & ipſe repetat? reſtituet enimverò lubens quiſquis eam cœli manum agnoverit: at hominis alicujus, atque etiam furciferi eſt ea malevulentia, ac rapina, quam proinde non ſuſtinet etiam vel maximè patiens animus.

Benè habet, hîc te volo amice lector, & ad unius viri quondam opulentiſſimi exemplum ac fidem evoco. Is erit Jobus ſuperis amicus in paucis, & cui parem in orbe ſuo Sol non aſpexit. Ei cœlum indulgens tot opes effuderat, quot ævo ſuo ferè nulli: ſed eas vel momento rapuit ac diſſipavit invidus Dæmon, & ab omnibus vacuum nudúmque etiam in ſterquilinio reliquit, non ſine inſigni probro, ſenſuque doloris, in quo tamen ſemper ſuus: has gementibus inferis, ſtupente terrâ, probante cælo voces emiſit. *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. ſit nomen Domini benedictum.* Iob. c. 1. v. 21.

Eam ædium ſuarum ſtragem, bonorúmque dilapidationem non aſcripſit fato, & excutienti fortunæ, non Euro, ventiſque ſævientibus, non Inferis maloque Dæmoni; ſed ſupremo rerum omnium Moderatori, qui eam pro ſuo nutu aut laxat, aut reprimit: eaque fortunæ bona, quæ explicatâ manu fuderat, contractâ deinde eripit, cùm ita viſum fuerit; ideóque quod juſtè queraris non habes, puſille homuncio, Dominus enim cùm ſit, auferre poteſt quod ſuum eſt; tuarum duntaxat partium eſt, re etiam ipſâ exhibere quod cecinit Vates:

Si dederis, perlætus ero, repetiveris, æquus.

Quâ de re etiam ſapienter Seneca. *Iniquus eſt, qui muneris ſui arbitrium danti non relinquit; avidus, qui non lucri habet, quod accepit, ſed damni quod reddidit: ingratus eſt qui injuriam vocat finem voluptatis, ſtultus, qui nullum fructum eſſe putat bonorum, niſi præſentium.* Seneca ad Poly. c. 29.

Hactenus Seneca, ex quo ſi ſapere & loqui diſcas, bonorum tuorum jacturam, qualis, qualis demum ea ſit, non tam injuriam putabis, quàm amabilem Divinæ providentiæ legem, quæ incautis mortalibus argentum & aurum eripit, cùm fortè prævidet cæleſtibus theſauris, atque opibus, quas in primis curis eſſe vult: idcóque ſuperûm voluntati probè acquieſcens, cùm Gregorio Nazianzeno hæc ſentire debes atque eloqui. *Gratias ago ut in lætis rebus; ita etiam in acerbis, quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum noſtrarum apud ſummam rationem expere rationis eſſe.* Epiſt. 69.

Tibi, dum es in hac vitâ, ceu altâ nocte, nullum apparet rationis lumen, cur eam injuriam, cælum ipſum cæteroquin ſcelerum impatiens, patiatur tamen, atque ſuſtineat: ubi corpus hoc, ceu inſcitiæ indumentum exueris, ubi ſuperis eris additus, tum velut orto Sole, altoque etiam die æternitatis tibi illuceſcente, liquidò perſpicies ita ex bono tuo factum oportuiſſe; nihilque rerum tuarum apud ſummam rationem expers fuiſſe rationis.

Ejus porrò probè conſcius (ut ibi finiam unde hujuſce meæ diſceptationis initium duxi) cùm tibi aliquid mali accidit, dic age cùm Jobo, *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* ecce enim, ut inquit Auguſtinus, *ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Et non dixit, Dominus dedit, Diabolus abſtulit. Intendat ergo caritas veſtra, ne fortè dicatis, Hæc mihi Diabolus fecit. Prorſus ad Deum refer flagellum tuum, quia nec Diabolus tibi aliquid facit, niſi ille, qui deſuper habet poteſtatem, permittat aut ad diſciplinam, aut ad pœnam. Ad pœnam impiis, ad diſciplinam piis.* Et quia te inter pios eſſe & volo & credo, mi Lector; ſi forte pateris, ne plangas: ut enim eodem ore calamoque Auguſtinus. *Quod pateris medicina eſt, non pœna; caſtigatio, non damnatio.* Et hæ proferri poſſunt cauſæ è multis, quas in ſecreto habet mens ſuprema, ſummaque ratio, apud quam nihil expers rationis. S. Auguſt. in Pſ. 32.

§. III.

Opportunæ conſiderationes, quæ ſolatio ſint in amiſſione bonorum externorum.

Externa bona, quæ ex vulgi opinione, magis quàm ex veritate tua eſſe credis, eripere tibi fortuna poteſt, te ipſum non poteſt; nec mentem, ſi voles, à virtute conſtantiam: ſtabit illa, & ſi fractus illabatur orbis, etiam impavidam ferient illius ruinæ: hujus rationem reddidit Seneca: quia *ſapienti non nocetur à paupertate, non à dolore, non ab aliis tempeſtatibus vitæ*, quia ſcilicet ad omnes caſus *aptus*, *bonorum rector eſt, malorum victor*: quod ſi fortè quis imprudentior eum ab his premi credat, fallitur; *illum premi putat malis, & tamen utitur* ad virtutis, excelſique animi exercitationem: ſimilis, inquit Seneca, ſculptori, qui è qualibet materiâ ſimulacra fingit ac format. Epiſt. 85.

Non ex ebore tantùm Phidias ſciebat facere ſimulacra, faciebat ex ære; ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illâ fieri optimum poſſet. Sic ſapiens: virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit; ſi minus, in paupertate: ſi poterit, in patria; ſi minus, in exilio: ſi poterit Imperator, ſi minus miles: ſi poterit integer, ſi minus debilis: quamcumq; fortunam acceperit, aliquid ex illâ memorabile efficiet.

Quod ſi, authore & judice Senecâ, id potuit iſto ævo ſapiens; quid noſtro chriſtianus? *Si dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, & cætera horrenda, cum ad ſapientem pervenerint, manſueta ſint*: qualia erunt ubi ad Chriſti cultorem appulerint? Erunt certè quàm manſuetiſſima; nec omnino afficient malè, niſi malum, atque inſipientem: quid enim? nonnè tuo calculo inſipientem diceres eum, cui labor eſſet abire longiùs, atque ex hoſpitio in patriam emitti?

Finge tibi (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ) hoſpitem unum aliquem advenisse in diverſorium, cui amœna tecta, aulæa pretioſa, ſupellex argentea, tori molles in plumâ & anſere, menſæ opiparæ, verbo ut abſolvam, ad commodum, ad voluptatem, ad delicias omnia: ubi his uſus fuerit vel unâ tantùm nocte, orto jam ſole, & ſtratis equis non illubens abit, ſed & volens & hilaris: quia meminit hoſpitum eſſe, & ea bona de viâ tantùm ſpectat, atque ad ſe nihil pertinere, niſi forte ad uſum exigui temporis: quod ſi quis illius diverſorii commodis atque opulen-

tiâ

tiâ illectus ægrè ſe ab eo avelli pateretur; omnium judicio & imprudens & inſanus haberetur. Et is eſt qui plus æquo dolet ſibi fortunæ bona eripi: non meminit ille ſibi hunc mundum, quantus is eſt, pro diverſorio eſſe, & illius bona, omnemque opulentiam ac majeſtatem ſervire hoſpiti unius diei: qualis eſt vita noſtra ut longiſſima ſit cum æternitate compoſita. Non meminit, inquam, ſe hominem, id eſt hoſpitem eſſe, imò & viatorem.

Dic age, peregrinus aliquis de viâ feſſus adultâ jam die, & impendente ſolis æſtu, ut eum declinet ac fallat, ſeſe recipiat ſub arbore pomifera, ſubque tecto viridi umbram captet: quamdiu credis eâ frui volet? Certè dum vires refecerit, dum ab alto die reſpirarit; ſibi enim paululum & quieti redditus, ab illâ mox ſurgit, & viam init, pergitque leviore greſſu: quod ſi captus amœnâ illâ frondium viriditate, ſuavitate fructuum & umbraculi commodis, ad ſolis occaſum, primaſque tenebras immorari vellet, profectò parum ſui memor & compos haberetur.

Sic eſt omnis homo, quem umbra vitæ nimium capit ac delinit, quem nimis diſtinent pendula ex arbore poma, hoc eſt hujus ſæculi bona, quæ ſibi, utpote viatori, relinquenda non novit: verè tamen ſunt relinquenda, vel ipsâ probante ac volente bonorum externorum naturâ. audi de illis, ut ſolet,

Ep. 98. elatè diſcurrentem Senecam.

Mortale eſt omne mortalium bonum. Unum eſt verum bonum, quod non moritur. Certum eſt illud, ſempiternumq;, nempe ſapientia, & virtus. Hoc unum contingit immortale mortalibus. Cæterum tam improbi ſunt, tamq; obliti quò eant, quò eos ſinguli dies trudant, ut mirentur aliquid ſe amittere amiſſuri uno die omnia. Quidquid eſt, cui Dominus inſcriberis, apud te eſt; tuum non eſt. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum & invictum eſt. Tam neceſſe eſt perire, quàm perdere. Et hoc ipſum ſi intelligimus, ſolatium eſt, æquo animo perdere quod periturum eſt.

Multa hic tibi ſub oculos ponit Philoſophus: primùm mortale eſſe omne mortalium bonum: quid igitur quereris, ſi tibi quodammodo moritur atque occidit quod naturâ ſuâ eſt tale & tamen ut ſit, plerumque adeo ſui immemores ſunt puſilli homunciones, ut ſtupeant, querantur, gemant, cùm aliquid amittunt, & non cogitant ſe uno die, imò & momento amiſſuros eſſe omnia. Se dominos credunt, eoque nomine ſibi illudunt improbè: & tamen ex vero bonoque, Domini non ſunt: apud ſe quidem habent bona, villas, poſſeſſiones amplas, aliaque fortunæ blandientis dona; ſed ea commodatò poſſident, tanquam aliena, non ſua: vellent illa eſſe firma, ſtabilia, æterna, & non cogitant ea minus convenire infirmo, & fragili: dolent cùm ea perdunt, & non dolent cùm pereunt. Certè ſi neceſſum eſt ea aliquando tandem, imò forte poſt paucos dies tibi perire, quid adeo lugendum putes, ſi modò perdas, cùm inter perdere & perire ſit tantùm diſcrimen & intervallum modici temporis: & hoc quidem conſtitutum ex ipsâ rerum externarum naturâ, & fortunæ perfidiâ, à qua nemo eſt indemnis. de hac diſertè Seneca libro de tranquillitate animi. *Quæ ſunt*, inquit, *divitiæ, quas non egeſtas & fames & mendicitas à tergo ſequatur? Quæ dignitas, cujus non prætextam, & augurale, & lora patritia, ſordes comitentur, & exportatio, & nota, & mille maculæ & extrema contemptio? Quod regnum eſt, cui non parata ſit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis iſta intervallis diviſa, ſed horæ momentum intereſt inter ſolium, & aliena genua.*

Hæc ubi dixit, ne verbis tantùm addicatur fides, exempla profert, quæ verſatilis fortuna dedit ad luctum & ſtuporem Univerſi, & ad ea lectorem evocat.

Locuples es, inquit? *Nunquid ditior Pompeio, qui cum tot flumina poſſideret in ſuo orientia, & in ſuo cadentia, mendicavit ſtillicidia.*

Honoribus ſummis functus es? Nunquid aut tam magnis, aut tam inſperatis, aut tam univerſis quàm Sejanus? Et tamen quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta diviſit. In quem quidquid congeri poterat, Dii hominesq; contulerant, ex eo nihil ſuperfuit, quod carnifex traheret. Rex es? Ad Crœſum te emittam, qui rogum ſuum & aſcendit juſſus, & extingui vidit, factus non regno tantùm, ſed etiam morti ſuæ ſuperſtes.

Ubi hanc fortunæ inclinationem animo ſubjecit, tum monet ut illam expectemus ipſi, & in tantâ rerum ſurſum ac deorſum verſatione pro futuro habeamus quidquid fieri poteſt: ſicque neceſſitati pareamus, & rerum humanarum conditioni, quàm mutare non poſſumus. *Id poſſumus, magnum ſumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ conſentiamus:* natura autem ſicut univerſa mutationibus temperat, ita & ſingula. Senec. Ep. 107.

Nubila ſerena ſuccedunt, turbantur maria cùm quieverunt, flant invicem venti, noctem dies ſequitur, pars cæli conſurgit, pars mergitur, contrariis rerum æternitas conſtat; ad hanc legem animus noſter aptandus eſt. Hanc ſequatur, huic pareat, & quæcumque fiunt debuiſſe fieri putet, nec velit objurgare naturam. Optimum eſt pati quod emendare non poſſis, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Et hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit. At contra ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi male exiſtimat, & emendare mavult Deos, quàm ſe.

§. IV.

Altera conſideratio, eáque maximi momenti, quod divitiæ plerumque ſint occaſio peccandi, & abeundi à virtute, ſummoq; bono, id eſt, Deo.

SCripſit olim D. Ambroſius, & rectè. *Magna illecebra delinquendi eſt rerum affluentia ſecundarum; ſupinat, extollit, authoris oblivionem inducit.* Lib. 2 in Iob. c. 5.

A divitiis duo humanæ menti importari mala cenſet. Primum eſt, quòd ab iis *ſupinat*: hoc eſt ita per inſolentem ſuperbiam erigitur, ut tamen per quamdam ignaviam, rerumque divinarum deſpicientiam deprimatur magis, pronúsque ac præceps in terram ruat: quod in Matthæo olim publicano notavit ac deploravit S. Chryſologus in illa verba: *vidit* Matth. c. 9.
hominem ſedentem in telonio. Sedebat, quia ſtare non v. 9.
poterat, pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſa totus conſcientiâ fraudis incurvus: nimirum aurum naturâ grave, Serm. 29.
gravius fit avaritia. Hinc eſt quod plus habentem deprimit, quàm ferentem; & vehementius aggravat corda, quàm corpora. Naſcitur in terrâ profundâ, perq; ima venarum caſu diſcurrit anfractibus, & dum ſuam repetit ad naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit; dum ſcilicet ſalutis Deique oblivionem inducit, quod alterum eſt ſummumque malum.

Teſtis erit infamis ille magiſtri ſui proditor Judas, cui inſignis & cæca avaritia ſic illuſit, ut & ſui, & Dei ſit oblitus, & primùm ad infandum proditionis ſcelus, deinde etiam ad laqueum properarit; *retulit enim triginta argenteos*, & abiens *laqueo ſe ſuſpendit*, quod dum altiùs expendit Drogo Oſtienſis. Matth. c. 27. v. 5.
Vide, inquit, *quàm magni ponderabat argenteos, non projecit eos in ſterquilinio, ſed in templo. Ecce infelix* Lib. 1. de Paſſione.
qualiter excæcatus eſt. Maluit ſeipſum perdere, quàm denarios perire: denarios templo, ſe ipſum laqueo addixit.

Sed non omnibus à nummis id vitium eſt, non omnes eadem ruina premit: ſunt qui divitiis utantur benè; ſunt qui ſeſe ab iis erigant, ſibique in cælis domicilium emant ac parent. Non enim omnibus argentei pro laqueo ſunt, qui ſibi vitam ac ſalutem eripiant.

Non abnuo quoſdam eſſe, qui creditis ſibi à Deo naturaque opibus fruantur rectè: ſed aſſero omnino

paucos, longè verò quàm plurimos, qui eas diſpenſent improbè, ſibique inde exitium creent: & univerſim id pronuntio, quod antè pronuntiavit D. Baſilius. Aurum *blandiſſimum animæ inſidiatorem, parentem peccati, ac Diaboli adminiſtrum eſſe.* Ac ne multis te morer, amice Lector, in argumento ſatis obvio, unico exemplo tibi fidem facio.

Ep. ad Chilonem.

Eulogius opificio latomus cæteras inter virtutes eximia fuit in peregrinos caritate, cujus admiratione captus Daniel Eremicola, apud Deum ſummis precibus egit, ut latomo iſti pauperculo ampliores facultates elargiretur, ratus omnino fore ut tum ſe multo impenſiùs in opera caritatis aliarumque virtutum effunderet. Accepto cælitus reſponſo, amplas facultates haud expedire Eulogio ad animæ ſalutem, parandamque virtutum ſupellectilem; perſeveravit nihilominus in precibus, & quidem ea importunitate, ut Deum ipſum in ſua vota traxerit. Igitur annuente cælo, cui pateſcit omnis terra, & aperiuntur quantumvis abditi in imis ejus penetralibus theſauri, ex iis unus aliquis Eulogio recluſus, quo reperto dives atque opulentus effectus eſt: ſed ita brevi à ſolitâ pietate defecit, ut nemo unus omnium eum agnoſceret. Cumque jam puderet inter ſuos vitam agere, Conſtantinopolim abiit, ubi pecunia (cui cedunt omnia) ita ſe promovit ut cohorti Imperatoriæ præficeretur. Ea porrò fortunæ blandientis indulgentia, atque fœlicitas, hominem in omnem vitæ libertatem extulit. Interea Daniel dum precibus de more vacat, viſus eſt ſupremo aſtare Judici ab eòque increpari ob perditum Eulogium; tum etiam ad pœnas rapi. Cùm ſpopondiſſet reducturum ſe illum ad meliora, pepercit Judex: ipſe verò Conſtantinopolim contendit ad Eulogium, illi narrat ut ſuis precibus à Deo ipſi divitias impetrarit, ſe ſperaſſe certò fore ut iis ad majus Dei obſequium uteretur, non verò ad majorem vitæ licentiam. Cumque virum liberiùs increparet, Eulogius, pelli ipſum velut delirantem jubet: tum autem vel maximè ſenſit Daniel quàm officerent ipſi divitiæ; ac propterea Deum impensè rogavit, ut Eulogium ad priſtinam paupertatem reduceret. Et certè vim habuerunt preces; mortuo enim Juſtino Imperatore, Eulogius è Juſtiniani (qui ſuffectus erat in Imperium) gratiâ excidit, eâ re offenſus, Hypatio, & Pompeio, qui ad Imperium aſpirabant, adhæſit. Verùm cùm Juſtinianus utrumque cœpiſſet, & debito affeciſſet ſupplicio, fugit Eulogius parem pœnam veritus; ejus bona Fiſco addicta: redactus ad priorem egeſtatem reſipuit, & ſalutaribus Danielis monitis aures dedit.

Cauſinus ex Baron. Ann. Chriſti 528. ſub Juſtin. Imperatore.

Et hæc in Eulogio data tragicomœdia, in qua ut ultimus actus benè ceſſerit, primus tamen ac ſecundus luculenter oſtendit, divitias pleriſque mores in pejus mutare, & ad ſalutem obeſſe.

CAPUT II.

§. I.

De injuria ac macula illata bono nomini.

FAmæ duabus potiſſimùm viis impeti ſolet: unâ quidem cùm verum crimen è latebris eruitur, & in lucem ſolemque profertur: alterâ cùm etiam falſum affingitur, & inuritur nota bono nomini: tam in hoc, quàm illo ſuum eſt ſcelus. Uriam ferro mortique obvium dederat David, à venere in vulnus cædemque præceps: latebat Iſraelem illud Regis facinus, cùm illud tumultuanti plebeculæ aperuit Joab, veritus ne militaris turma Uriæ caſu concitata in ſe invidiam manumque retorqueret: tum enim regias litteras reſeravit, & in apertum extulit quod malè tectum erat ſcelus. Ea injuria regio capiti illata adeo perculit etiam mitiſſimum Davidis animum, ut jam è corpore abituriens Salomoni filio ſuo præceperit, ut è medio tolleretur Joab. Hæ morientis fuêre voces.

Tu noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Sarviæ: non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos. *L. 3. Reg. 2. v. 5. & 6.*

Hæc inter ultima præcepta, & teſtamenti tabulas: Sed quî, inquies, in Davidem peccavit Joab? Reſpondet Rabbi Salomon apud Lyranum, *per hoc intelligitur malum, quod fecit Joab contra perſonam David, oſtendendo aliis litteras, quas ſibi ſecretè miſerat David de morte Uriæ.* Ita nimirum regia noxa è tenebris per nefas eruta, ipſâ Joabi morte fuit expianda; quia ut diſertè S. Chryſologus.

Devoti militis eſt regis ſui tacere fugam, referre conſtantiam, virtutes loqui, timores ſilere, prædicare victorias, aperire fortia, infirma reticere.

Quod ſi ingens piaculum illud, delictum re etiam ipſâ patratum, ſed tamen latens prodidiſſe; quanto majus erit virum honeſtum & ſui nominis amantem culpâ aliquâ graviore falſaque notaſſe: certè tantum erit, ut qui illud admiſerit contra omnia Dei præcepta dicatur incurriſſe, quia contra caritatem, in quâ eſt legis plenitudo.

Et ſanè jactura boni nominis, natusque ex eâ doloris ſenſus tantus eſt, ut *multi etiam ad laqueum convolarint famæ opprobria non ferentes*; ita diſertis verbis, & ore aureo Chryſoſtomus: quod etſi flagitio non careat, liquidò tamen oſtendit, quanta apud magnas mentes ſit honoris ac famæ æſtimatio: in quâ quia hoc quo vivimus ævo quàm maximè patitur juſtus, mei muneris erit tanto malo proferre remedium. *Homil. 15. in Matth.*

Petetur illud à Chriſto, qui poſitus olim in ſignum, cui contradiceretur. Ut in album collimare ſolet ſagittarius, & ſua tela profundiùs immittere, atque infigere: ſic petulantes & inſanæ Judæorum linguæ, ceu maligna ac venenata jacula, Chriſtum impetebant, ejuſque nomen in circulis villicabant: ea porrò jacula auſu temerario contorta, validiſque lacertis evibrata, inſignis patientiæ ſinu, ceu albo excipiebat Servator optimus, ſervabatque tenaciùs opportuno in ſilentio.

Chriſtianus es, cui pagella hæc ſcribitur, tuum illud nomen lege, & eo condignam vitam exige; utque tibi mediis in convitiis non elabatur patientia, Salvatorem tuum ſedulus intuere.

Si quos olim venenato dente læſerat ſerpens; vel uno oculorum conjectu in ſerpentem æneum, illicò ſanabantur: miraculo illud, Divinæque potentiæ aſcribi debuit, hoc quod ſubjiciam, amori ac caritati. *Num. c. 21.*

Invidus unus aliquis in nomen famamque tuam unguem immiſit, & ſi voles, etiam dentem: læſus es, & quaſi multo vulnere ſaucius: agedum oculos, & animum in crucem erige, & non tam à flagris, quàm à calumniis lacerum Chriſtum ſuſpice; & derepentè ſeu doloris, ſeu amoris prodigio omne venenum expues: ſi enim de ſerpente æneo dixit Ambroſius: *Bonus ſerpens, qui de ore ſuo remedia, non venena fundebat!* ſi, inquam, bonus ille ſerpens; longè quàm optimus Salvator, qui de ore ſuo medelam effundit, & gratiam; gratiam dico ſingularis patientiæ, & æquitatis in tolerandis fortiter injuriis: ut enim magnificè Tertullianus: *ubi DEUS*, ubi JESUS, *ibidem & alumna ejus patientia.* *Serm. 6. in Pſ. 118.* *Lib. de Patientia c. 15.*

Teſtem unum è multis producam, is erit è Dominicanâ familia vir Apoſtolicus S. Petrus Martyr. Ei (quæ ſuperum Deique fuit indulgentia) ſæpiùs humanâ ſpecie ſeſe viſendas exhibebant beatæ mentes, Virgines inclytæ, Agnes, Catharina, Cœcilia: cùm fortè eas advertit religioſus unus aliquis, & in virum ſanctum ſeu errore, ſeu zelo acriùs exarſit, quaſi virgines in clauſtra, in intima cubiculi penetralia, contra religioſæ vitæ morem & leges admiſiſſet. Illius culpæ quaſi jam reo dies indicitur, accuſatur, damnatur, & domeſtico carcere mulctatur. Benignioris cæli

favorem

favorem & gratiam celat ipſe demiſſionis amans, & patientiæ ſtudioſus in paucis; ſed cùm longiùs iret pœna; nec in lucem veniret ignocentia, die quadam ſeu doloris, ſeu amoris æſtu evictus animus, blandè piéque cum Crucifixo queri cœpit, & arguere longas in illo ſquallore moras, quas inter ſæpiùs auditæ illæ voces: *Domine quid feci? Quidve commerui?* Cui Chriſtus ex ipſâ Crucis imagine hæc reddidit: *Et ego Petre quid feci?* Cerne pedes, & manus affixas infami ligno; cerne hirſutum ac cruentum à ſpinis caput; cerne hians & apertum à ferro latus; cerne ſparſa toto corpore vulnera; & quod iis acerbius fuit, audi in ipſo mortis aditu, extremaque luctâ, jactas in me calumnias, & ſcommata. *Et ego pro his Petre quid feci?* ægrè pateris intra domeſticos parietes, & religioſa clauſtra, de tuo nomine famâque aliquid decedere; & ego paſſus ſum eam lacerari in Calvariæ vertice, in oculis numeroſæ multitudinis, in conſpectu ſolis hujus: & ut hoc paterer ipſe *quid feci?*

Ribad. in ejus vitâ.

Ea vox ita pupugit animum, tantóque rubore ſuffudit, ut de querelis cogitaſſet nunquam, etſi totus in eum facto impete injurioſus ruiſſet orbis: Tu idem cogita & meditare, & nulla tibi gravis appellet injuria.

Sed & alterum ſi voles apud te ſedulus expende: quis ille qui te maledictis appetit; cujus farinæ ſit homuncio, cujus vitæ, quàm profligatæ. *Malè de te loquuntur homines*, inquiebat Seneca *ſed mali. Moveret ſi de me M. Cato, ſi Lalius ſapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt ullam authoritatem habere ſententia, ubi qui damnandus eſt damnat. Malè de te loquuntur. Moveret ſi judicio hoc facerent. Nunc morbo faciunt. Malè de te loquuntur, benè neſciunt loqui: faciunt non quod merear, ſed quod ſolent. Quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent.*

De remediis Fortuitor.

Maledicum cum cane Philoſophus componit; quod ut hic, ita & ille vano & irrito latratu auras feriat.

Sit tibi in oculis ſonipes, cujus (ut bellè Poëta,)
Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.
Eum de viâ petat, allatret, ſequatur, & urgeat de caſâ ruſticâ malè laxatus canis: an ille pedem ſiſtet? An curſum intermittet? An ungula feriet? ne hoc quidem, niſi in eum dum fortè humo tollitur, ſeſe temerè ingerat canis: nimirum caninas iras, latratusque deſpicis, curſui martique progenitum animal, neſcitque iraſci, atque effervеſcere, niſi cùm arma cædesque nuntiarit tubæ clangor; tum jubas erigit, ſeſe in hoſtem armat & in acies effundit præcipitem.

Sic generoſus Chriſtiani hominis animus, verba maledica, ceu canum latratus, contemnit, & libero pede cœptum virtutis curſum perſequitur, nec oculo dignatur etiam convitiis inſequentem.

§. II.

Pia meditatio cùm acriùs animum extimulabunt injuriæ.

Vir olim Religioſus in paucis cùm aures animumque pulſarent petulantes linguæ, verborumque jacula, ſeipſe cum cane domeſtico componere ſolitus.

Eſt hic genius blandi canis, quanquam ab hero domeſticisque cædatur atque inſigniter vapulet, non ideo tamen eos allatrare, nedum mordere nititur; ſed potius demiſſo capite, abjectâque caudâ, verbera patiens tolerat, & fuſtem excipit. ubi autem ita malè habitus fuerit; ſi herus vel verbulo prorітet, vel oculo nutúve blandiri pluſculum videatur, illico immemor illatæ prius injuriæ, primùm timidius ac reverens ad genua vocantis adrepit, tum etiam accurrit advolatque alacriùs.

Ex hoc genio bruti animantis præclarum ſibi patientiæ documentum aſſumpſit olim Religioſus frater, de quo S. Dorotheus. Erat, inquit, in Cœnobio noſtro frater, antequam ego inde digrederer, quem nunquam videbam vel turbatum, vel afflictum in aliquo: è contra aſpiciebam plurimos ex fratribus illi verbis aſperis moleſtos ac graves, quæ omnia animo æquiſſimo ferebat & patientiſſimo. Mirabar, fateor, excellentiam patientiæ ejus, optabamque ex eo audire, quo modo ſibi eam virtutem paraſſet. Cùm igitur illum aliquando obvium habuiſſem, datâ pace, orare cœpi ne me celaret quid undiuſterius cogitaret, cùm à multis plurimis afficeretur injuriis, & quomodo tantum pati poſſet & ferre. Reſpondit ille mihi ſimpliciter nulla circuitione & recuſatione, Ego me ſic habeo ad illas injuriàs, & ita eas perfero, ut ab hominibus blandi canes.

Hactenus S. Dorotheus ſimplici quidem, ſed piâ eloquentiâ, quæ multorum hujus ævi impatientiam vellicat ac pungit; utpote qui ſimiles ſint non domeſtico, ſed ſilveſtri cani, qui nonnocentes tantùm, ſed & innoxios venenatâ linguâ, ceu latratu petunt, & calumniis injectis, ceu dente lacerant: longè alieni ab illo fratre, qui auditis injuriis quantumvis enormibus, nec loqui doctus, nedum carpere, & injurias injuriis compenſare.

CAPUT III.

§. I.

De injuriâ quæ corpus malè afficit, ac lædit.

Benè cenſuit, benè ſcripſit olim Seneca. *Proprium eſt magnitudinis vera non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpexit: ſic irritum ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Qui non iraſcitur, inconcuſſus injuriâ perſtitit; qui iraſcitur, motus eſt.*

Lib. de Ira c. 25.

Hæc ubi dixit altiore ſtylo, tum è lycæo, tum è foro exempla producit eorum, qui inflictam corpori injuriam æquâ mente tulerunt; & primùm quidem Diogenis, Philoſophi Stoici: *cui de irâ cùm maximè diſſerenti, adoleſcens protervus inſpuit. Tulit hoc leniter & ſapienter. Non quidem, inquit, iraſcor, ſed dubito tamen an iraſci oporteat.*

Ibidem.

Alia ejuſdem notæ injuria illata & alteri: *cui cùm cauſam agenti in frontem mediam quantum poterat attractâ pugni ſalivâ inſpuiſſet Lentulus ille factioſus & impotens, abſterſit faciem, & Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere.*

Ibidem.

Non abſimilis patientiæ documenta dediſſe legitur Socrates, qui calce à quodam percuſſus in publico, monitusque ut hominem repercuteret. *An*, inquit, *ſi aſinus mihi calcem impegiſſet, eum repercuterem?*

Hos illi animos hauſêre è ſcholæ, fortique diſciplinâ, in quâ melioris ſapientiæ placita fuſiùs explicabantur: à quibus habet etiam Chriſtianus unde petat opportuna morum documenta, ſtomachique æſtuantis remedia. Quanquam quid ad profanos illos Lectorem evoco? quid ad Diogenis Socratisque lycæum appello? Potior erit ſchola Chriſti, ſingularis ac divinæ patientiæ gymnaſium: in quo laureati proceſſerunt ii omnes, quos terra verè Chriſtianos tulit, & cælum amavit: didicerunt illi à Chriſto & injurias æquo animo pati, & iis, qui etiam per ſummum nefas intulerint, condonare: quo in genere habes illuſtre exemplum in Ludovico XII. Rege Chriſtianiſſimo, qui cùm eſſet Aureliæ Dux, ſub Carolo Octavo gravia perpeſſus, etiam vincula & carceres, cùm ad ſceptrum elatus eſt, ſummamque potentiſſimi regni dignitatem, in eâ veluti ſpeculâ conſtitutus, poſteris omnibus oſtendit, verè regium, verè Chriſtianum eſſe injurias & remittere & oblivіſci.

Vix ſceptro donatus erat regiaque poteſtati, cùm ei neſcio quis paraſitus in aurem inſuſurravit illud,

jam

jam tempus agi rem; jam in manibus eſſe hoſtes, quos deprimere, imò & opprimere poſſet vel uno nutu regiæ Majeſtatis. Hæc ille boni Regis malus aulicus: cujus impetum iraſque præcoces ut retunderet Rex Chriſtianiſſimus, adjecit illud dignum cedro. Nequaquam ad Franciæ Regem ſpectare, injurias Ducis Aurelianenſis ulciſci: quibus apertè inſinuavit ſe cum purpurâ regios animos, id eſt, injuriarum penitus immemores induiſſe: quod ut non verbis tantùm, ſed & re etiam ipsâ proderet, ſibi in chartâ offerri voluit probè ſcriptam ſuorum olim hoſtium ſeriem ac nomina, quæ ipſe regio calamo cruce ſignavit. Ubi ex aulâ (è quâ facilè quidvis effluit) in vulgus omne ceſſit ea rerum geſtarum fama; ubi notata cruce tot nomina in oculos venêre, tum ſimul vênit in animum opinio metuſque, eos omnes, quos Rex ita deſignaſſet, in malam crucem evocari: hinc (ut ſemper malè crudela timidaque eſt conſcientia culpæ ſceleriſque rea) modò hi, modò illi fugam capeſſere, regnoque citatis equis excedere. adeò poſt equitem ſedet atra cura: quàm ut cerneret Rex pius, primùm mirari cœpit præcipitem ſuorum fugam, dein etiam monere ut pedem in regno ſiſterent, timoremque malè conceptum deponerent; inde petendam eſſe ſpem ſalutis, unde ipſi deſperationem induerant. Sic enim regiâ mente,

Cauſſin. tom. 4. voceque. Ego quidem, cùm ad meorum olim inimicorum nomina crucem adjeci, in eâ mihi recolendam putavi, quam orbi aliàs perituro lectionem fecit Servator optimus, & quidem è ligno, ceu cathedrâ altiore magnus omnino magiſter: docuit ille, & voce & vulnere, parcendum etiam iis, qui in ſe quoadam injurii, etſi corpus illi vitamque per ſummum nefas imperiiſſent: dixit enim inter extrema verba, ultimoſque ſpiritus. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Hæc verba Servatoris mei, ceu monita, ceu præcepta in cruce, velut explicatâ patentique tabellâ, etiamnum lego; & iis cæli typis obnubilo, imò & oblitero illatas mihi quondam injurias, inimicáque meo capiti nomina.

Et iſta quidem in purpurâ ſceptroque Ludovicus, graviſſimis alias affectus injuriis; tu verò puſillus homuncio, è pulvere lutoque malè fictus, ſi vel ungue tantùm lacereris, vindictam ſpiras, & ultrices flammarum globos evomis: non ſic arduæ mentes, non ſic Salvator tuus; cujus verba tibi & oſcula & præcepta: ea paucis excipe ore calamoque Auguſtini. *Judex dixit occide*, & tortor occidit: & tu quando dicis, Occide inimicum meum, te facis judicem, & Deum quæris eſſe tortorem.

Reſpondet tibi Deus, non ero prorſus, non ero peccatoris tortor, ſed liberator: quia nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat: nam ſi voluntatem tuam haberem, te prius occiderem antequam invitatus venires: nonne me blaſphemaſti? Nonne me in tuis malis operibus irritaſti? Nonne nomen meum de terrâ delere voluiſti? Nonne me in præceptis vel in ſervis meis contempſiſti? Si tunc te occidiſſem inimicum, quem modò faceres amicum? Quid ergo malè orando doces me, quod non feci in te? Imò ergo dicit tibi Deus, doceam te ut

S. Auguſt. Serm. 4. de S. Stephano. imiteris me: in cruce pendens dixi: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*: docui hoc milites meos, docui Martyres: prius eſto & tu Martyr meus, tyro meus adverſus Diabolum; aliter invictè nullo modo pugnabis, niſi *pro tuis inimicis oraveris*.

Hæc tibi, hæc Chriſtianis omnibus Salvator: quem utinam ſi minus è cruce loquentem, at ſaltem è cœlo tonantem audires, diſceresque, quæ tibi mens, quódve conſilium in injuriis eſſe debeat.

Audivit certè, probéque didicit magiſtro Serva-

In hujus vitâ. tore S. Eliſabetha Hungariæ Regis filia: Deum ipſa oravit olim, imò & exoravit, ut quoſlibet, qui eam injuriâ aliquâ affeciſſent, afficeret ipſe ſingulari quodam beneficio. Ea indulgentis animæ oratio in cælos evaſit, ſuperos omnes rapuit inſolito miraculo caritatis, ipſique ſupremo Numini ita fuit accepta, ut nunquam aliàs gratius oraſſe ſe, Divino oraculo didicerit. Ejus quoque ſententiæ ac genii fuit magnus ille morum magiſter, qui ſuo diſcipulo perfectionis ſtudioſo hanc ad eam viam aperuit; deditque illud in mandatis. In vitis Patrum.

Primùm ut toto triennio aliorum onera ferret, deinde ut altero triennio etiam condignum pretium iis penderet, à quibus ſeu convitio, ſeu injuria quapiam fuiſſet laceſſitus: fecit ille imperata omnino fideliter: & Athenas ductus, cùm in primo urbis illius ingreſſu convitiis petulanter urgeretur, ſubridere cœpit, & amicè blandiri: ut riſum & blanditias advertit convitiator, tantâ rei novitate attonitus, odium & ſcommata in amorem & admirationem vertit, ex eoque amicè quæſivit, cur à ſe impetitas & ſannis exploſus rideret: cui diſcipulus: *non rideam*, inquit, *qui tribus annis mercedem ſolvi iis, qui me maledictis onerarunt, & hodie gratis id abs te patior*: Attonito ſimilis Athenienſis, ingredere, inquit, urbem, dignus es cœtu ſapientum. Nimirum eam ſapientiam nunquam quantumvis doctæ viderant Athenæ: debuit illa peti ex eremo, piaque ſolitudine; uti & hæc cujus meminit Abbas Pimenius in vitis Patrum. Lib. 5. c. 4.

Erat inter Monachos illius ævi inſignis patientiæ vir, cui nomen Decimus: is poſt convitiis, etiam alapâ cæſus à Philoſopho, mox aliam maxillam ei præbuit: quod ut vidit ille, captus altiore Philoſophiâ, & potenti tantæ virtutis illecebrâ, ad ejus genua accidens exclamavit, *Verè Monachus es*; addiderim & ego, *verè Chriſtianus*: quem eſſe te velim, amice Lector, non nomine tantùm; ſed & re etiam ipsâ. eris autem ſi vel in hoc uno bonus Chriſti fueris æmulator.

§. II.

Exempla ſingularis patientiæ in injuriâ corpori illatâ.

Scitè pronuntiavit Philoſophus unus aliquis, Ut ſpeculum oculus eſt artis, ita oculus ſpeculum Plin. l. 11. c. 37. eſt naturæ: quod adeo homini eſt curæ, ut nihil magis; ideoque ſi afficiatur malè, ſi læditur, ſi eruatur, neceſſe eſt totum hominem peſſimè affici, lædi, ac propè perire. Ex quo id primùm confici velim magnæ eſſe patientiæ oculorum jacturam æquo animo ferre; majoris autem etiam grato: quod illuſtri exemplo probat Petrus Damianus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

Producit ille in theatrum hominem, cui neſcio quis ſicarius ſomma feritate utrumque oculum eruerat, damnaratque miſerabili cæcitate, à quâ in Monaſterium ſeſe receperat, ut quà liceret & ſibi vacaret, atque etiam aliis pluribus officiis Chriſtianæ caritatis, quantum ſcilicet pateretur oculorum & lucis ac ſolis hujus aſpectabilis orbitas.

Contigit autem non ita multo poſt, ut ille ipſe ſicarius gravi ac diuturno oppreſſus morbo in Monaſterium deferretur: eo quippe hominem redegerat egeſtas, & miſeranda morbi vis, atque impotentia; à qua dum in lectulo jacens deportatur, ſecum ipſe cogitare cœpit, non dico quibus oculis, ſed quo animo eum ferret, quo iratum æſtu, quo impete juſtæ ultionis, ille ipſe quem ſuo vitio atque immanitate cæcum fecerat. Nimirum expectabat omnino, verebaturque ne in frontem, in oculos involaret, pœnaque damnaret talionis. Et certè eam expetebant per ſummum ſcelus erepti oculi, & gratiſſima lucis hujus uſura crudeli facinore ſublata. Secus tamen accidit; ſtupendo profectò Chriſtianæ caritatis prodigio. Ubi enim hoſtem ſuum adeſſe

ſenſit cæcus ille noſter, ut inter ægrorum jaceret agmina propè ab omnibus depoſitus, rogavit impenſiſſimè Cœnobii Præſidem, ut ſibi liceret ei quale poſſet obſequium deferre, nihil eo ſibi gratius. Hîc primùm hærere ac mirari Præſes, deinde mirum quantum extollere eximiam viri caritatem, denique & ei benignius annuere. Hic voti ſui compos cæcus noſter ſeſe propè aliis omnibus expedire, ut huic uni vacaret quàm maximè, ſeque totum impenderet: & certè omnes omnino corporis partes impendit (ſi modò oculos excipias) ſi enim pro ægro curando huc illucque diſcurrendum erat, ibat ille, redibátque ſedulus; ſi miniſtrandum, ſi potus, ſi cibus porrigendus, & hunc & illum porrigebat officioſa manus, & longè magis officioſus animus, ad ſpectantium ſtuporem, & tantæ pietatis miraculum. Nimirum illi cæco mens erat benè oculata, & perſpicax animus, cui lucem altiorem addiderat omnimoda injuriarum oblivio, longáque patientia: quam etiam in ſimili caſu, diſſimili tamen fortunâ, ſuſpexit & amavit Bohemia.

Iohan Solimanus in elogiis Reg. Bohem. Mortuo Boleſlaio tertio ſceptrum tenuit Hiaromirius multum ab exteris domeſticiſque exagitatus, maximè vero ab Udalrico fratre, quem tamen ipſe per ſummam indulgentiam etiam Regni conſortem admiſerat. Verùm ut inſolens & indomita ſemper ambitio, Udalricus Hiaromirium dominationis ampliſſimæ ſocium non tulit; ſed etiam per ſummum nefas oculis orbatum, Regnoque exutum in ordinem redegit, ut ſceptrum regeret ipſe ſolus: & verò rexit aliquamdiu, nec omnino infœliciter, tandemque & regno & fatis ceſſit, relictò etiamtum Hiaromirio ſuperſtite: qui quo in fratrem eſſet animo, quâ pietate, quâ injuriarum oblivione ſatis oſtendit: Nullum certè habuit Bohemia ſpectaculum illuſtrius Hiaromirii in fratrem emortuum caritate. Stetit enim hic exoculatus ad fratris cadaver, manúmque in illud cùm extendiſſet. Sine, inquit, Udalrice, ultimùm te tangam, quem videre non poſſum. Numquam gravior oculorum jactura mihi viſa eſt, quàm hodie. Tuum funus exequor ſine lacrymis. Quanquam, quæ per oculos nequit erumpere, graviùs cor premit dolor: carior mihi oculis fuiſti, dum oculos habui; poſtquam voluiſti me oculis carere, corde cariorem habere cœpi. Tuum imperium oculos mihi eripuit, corde me ſponte meâ privavi, volui eſſe tuum, ac æternùm hoc volo. Poſt hæc, in extincti fratris amplexum corruit, attonitis eo amoris ſpectaculo ac propè miraculo cæteris. Et jurè ſanè meritiſſimo; quò enim humana ingenia ſtudioſiùs ambire ſolent imperia, eò impotentiùs ab iis ſeu dolo, ſeu etiam vi detrudi ſe patiuntur.

Spectaſti, benevole Lector, quid in purpurâ, ſceptroque potuerit inſignis quædam injuriarum tolerantia: attende quid in infulâ, pedoque paſtorali.

Venuſtanus Toſcaniæ gubernator, ſub Imperatore Maximiano, homo ad omnem immanitatem natus, S. Sabino Epiſcopo ambas manus juſſerat amputari, duosque ejus Diaconos, Exuperantium & Marcellum, è medio per extrema ſupplicia tolli, cùm ecce Deus qui ſceleri puniendo ſemper invigilat, impio Præſidi acerrimum oculis malum immittit; fœdamque luem, à quâ ille extingui penitus ac perire. Eâ doctus victusque tyrannus, ad Sanctum Epiſcopum *Surius 30. Decemb. Baron anno Christi 301.* velut ad aſylum recurrit, ut tanto malo remedium faciat. Annuit pius Præſul Sabinus, nec jam manus, ſed trunca brachia, & adhuc recenti cruore manantia in cælum tollit, Deumque orat, atque exorat, ſuiſque precibus Venuſtano oculos reddit, amiſſamque lucis hujus uſuram; nec eam tantùm, ſed & à ſuperis fidem ei impetrat, ceu bonæ mentis oculum. Ita viri ſancti non ſolùm æquâ mente illatas corpori injurias tolerare norunt, ſed & malefacta beneficiis compenſare, exemplo ſcilicet Servatoris, qui, ut ait

Divus Ambroſius, *Cùm poſſet ulciſci maluit immolari;* *I. Ep. 2.* cùm fulmina de cælo ſuperiſque ſedibus devocare, & & in ſcelerata capita jacere, maluit illud emittere in pacatiores auras, æternique Patris aures. *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. O verbum magnæ dulcedinis, magni amoris, & inenarrabilis caritatis;* *Serm. de Paſſione.* exclamat D. Ambroſius.

§. III.

De injuria quæ vitam noſtram, aut propinquorum impetit.

CUm animanti vitâ nihil ferè carius ſit, eam omni ope niſúque tuetur, ubi adverſa vis incurrerit: quod ſi hanc nec eludere poſſit nec frangere, pro ſummâ habet injuria ei cedere, & (quod longè cariſſimum eſt) ſpiritum dare, atque per nefas effundere. Et quis in eo impetitur, ſummèque læditur jus, quod cuique relictum eſt ad vitam omni ratione modoque conſervandam; ſit ut eam quoque injuriam remittere, eximiæ cujuſdam ac ſingularis ſit caritatis: quæ non tantùm elucet ubi proprium jugulum petitur; verùm etiam ubi eorum, quos nobis natura ſanguiſque junxit, & eò quidem vehementius, quò vinculum illud fuerit arctius, majorque neceſſitudo; qualis eſt filii ad parentem: ea quippe tanta habetur, ut qui parenti filium ſuſtulerit, unáque etiam parentem ſuſtuliſſe videatur: nec immeritò, quia, ut ait Philoſophus; filius aliquid eſt parentis, & delibata quædam, imò & detracta ejus portio: unde fit ut ſicuti filio vim inferre, ſummæ in parentem ſit injuriæ; ita eam remittere incredibilis cujuſdam miræque caritatis: quo in genere tibi, benevole Lector, illuſtre exemplum dabo, & quidem in fœminâ, in matre, quæ in donanda illa injuria, & ſexu & ſeipſa quodammodo ſuperior evaſit.

Vidua erat, cui unicus filius, adeoque in oculis *Ioannes Oſorius Con. in fer. 6. poſt Cineres.* & amoribus, utpote ſpes una ſui generis, familiæ columen, baculus ſenectutis, verbóque ut abſolvam, bonæ matris corculum ac deliciæ. Ei ad inſignes naturæ dotes, ingenii vim ac ſolertiam, formæ quoque decor & elegantia acceſſerat: imò & avitus ſanguis, majorum imagines ac ſtemmata, indeque apud ſuos partum nomen atque æſtimatio. Verùm ut ia eſſet, è medio per ſummum ſcelus ſuſtulit neſcio quis terræ filius, & ſeſe ab illo facinore abſcondit, ne tantum nefas aut cœlum aſpiceret, aut quiſquis obvius eſſet mortalium. Patrati ſceleris rumor primùm ad matris aures appellit, dein in oculos venit ipſum quoque exanime filii cadaver. Expectari hîc potuit, imò & debuit ingens quidam naturæ ſenſus, lacrymæ, queſtus, lamenta, & fœminei ejulatus, nec illi modò, ſed & querelæ graves, iræ, juſta indignatio, & vindictæ appetentia, quæ ab æquo Judice expectari debuit, imò urgeri atque extorqueri: nihil tamen horum in matre viſum: dedit illa pluſculum naturæ, juſtóque dolori; quod reliquum fuit, caritati, & Chriſtianæ indulgentiæ: cùm enim ſubintellexiſſet ſicarium illum ac filiicidam à prætore ad vincula, ad mortem quæri; hoc apud ſemetipſam conſilium iniit ab amore ac miſeratione quæſitum: equum filii exanimis illico ſubmiſit, burſamque multo auro gravem, candidè monens atque opportunè, ut ſibi ac ſaluti ſuæ fugâ conſuleret, præſentique periculo eriperet. Hoc pietatis, hoc matris facinus fuit, quod ibit in poſteros & ſæcula: imò in cælos ipſos ea tunc evaſit, & pro filio, qui in ignibus expiatoriis erat, Deum exoravit: eò quippe loci ac temporis conclave ſuum ingreſſa pia mater, Deo ter Optimo, ter Maximo ſupplex accidit, & pro filii ſalute non ſine magno pietatis æſtu, & lacrymarum imbre inſtare cœpit: nec oranti cælum defuit & benigna Dei miſeratio; mox enim in cariſſimæ parentis conſpectum datus eſt filius clarâ circumfuſus luce, ſicque matrem affatus.

Eſt quod tibi, Domina mater, gratias habeam immortales; ex vero enim mihi duplici nomine mater es, tum quia terris olim me genuiſti, tum quia modò etiam cælis: dum enim inimico & tuo & meo veniam dediſti, mihi cælum aperuiſti, quod ad annos quàm plurimos occluſum erat: erant illi in pœnis & ignibus exigendi; modò in gloriâ ac beatitate: gaude igitur mater, & virtute tua, & bono meo. Vix hæc ediderat, cùm in amantiſſimæ parentis conſpectu ſublimis in cælum abire viſus. Tantum apud ſuperos potuit indulgentia atque injuriarum remiſſio.

§. IV.

Afferuntur ex Senecâ nonnulla ſimilitudines quæ ſolatio ſint, cùm viderimus viros bonos pro virtute Deóque pati.

Libro Quare bonis viris mala accidant. CUm videris bonos viros, acceptoſque Deo, laborare, ſudare, per arduum aſcendere; cogita illos veluti filios diſciplinâ triſtiori contineri: nimirum patrium habet Deus adverſus bonos animum, & illos fortius amat, ideóque hìc etiam, cælo teſte, operibus, inquit, doloribus àc damnis exagitentur, ut verum colligant robur. languent per inertiam ſaginata; nec labore tantùm, ſed mole, & ipſo ſui onere deficiunt.

Filius eſt.

Athleta. Cogita Athletas eſſe. his prima virium cura eſt, cum fortiſſimis quibuſque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipſos viribus utantur, cædi ſe vexarique patiuntur. Etſi non inveniunt ſingulos pares, pluribus ſimul objiciuntur; & hoc eò tantùm ut exerceatur virtus quæ ſine adverſario marcet. Idem profectò viris bonis eſt faciendum, nec dura, nec difficilia reformidare debent; neque, ſi accidant, de fato queri, ſed potiùs boni conſulere, & in bonum vertere: multum enim intereſt non quid facias, ſed quemadmodum.

Miles. Expende, ſi lubet, & alterum militem eſſe, quiſquis eſt bonus; proinde non aliter gaudere debet adverſis rebus, quàm fortes milites bellis. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori caſu ſanguinem oſtentant, nec amant integri reverti ex acie, ſed ſaucii. Ita viri probi virtus, quia periculi eſt avida, gaudet ſibi præberi materiam aliquid animosè fortiterque faciendi: quia ut gubernator in tempeſtate, in acie miles intelligitur; ſic ille in adverſis: de quo dicamus & iſtud, non militem tantùm ſed & ducem eſſe: ac ſicut in caſtris periculoſa fortiſſimis imperantur, ſic & bonis eadem ab imperatore Deo imponuntur: proindéque quemadmodum in acie nemo eorum qui exeunt, & hoſtium aut inſidiis, aut aperto marti objiciuntur, Imperatori dicet: *malè de me meruit, ſed bene judicavit*: ſic dicet & juſtus omnis, qui à cælo jubetur pati: *bene de me meruit, benè judicavit. Dignus viſus ſum Deo, in quo ſcilicet experiretur quantum humana natura poſſet pati.*

Quod ſi à militiâ abire velis, pedemque tollere à Martio pulvere, dic age virum bonum Dei diſcipulum eſſe, in quo proinde eam ſequatur rationem,

Diſcipulus. quam in diſcipulis præceptores; qui plus operæ ab his exigunt, in quibus certior ſpes eſt; quia labor optimos citat. Sic altioris diſciplinæ arbiter Deus, durè generoſos ſpiritus tentat, quia nunquam virtutis molle documentum eſt. Ideóque ſi nos in ea palæſtrâ verberat & lacerat fortuna, patiamur. Non eſt ſævitia, certamen eſt in quo præbendi fortunæ ſumus, ut contra ipſam ab ipſâ duremur.

Quod ſi à comparatione, quæ ab animatis petitur, ad ea gradum facere velis, quæ ſenſus & animæ ſunt expertia, & in iis viri fortis ac juſti ſymbolum aliquod agnoſces.

Spectaſti aliquando non ſine magno voluptatis ſenſu, blandáque oculorum illecebrâ, proceram arborem in edito ſitam: non eſt illa ſolida, nec fortis, Arbor. niſi in eam ventus incurſarit, ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices figit: fragiles ſunt quæ in apricâ valle creverunt.

Eſt homo Philoſopho judice arbor inverſa, eſt juſtus velut arbor alta, plantata in vertice prærupti montis: ut eſſe poſſit interritus, neceſſum eſt ut multum inter formidoloſa verſetur, & æquo animo ferat, quæ non ſint mala, niſi malè ſuſtinenti: non eſſe autem omnino mala probat illa ſimilitudo, quæ à palea & auro duci conſuevit.

Malus palea, bonus aurum eſt, Ignis tribulatio: Aurum. illa ab igne patitur, abit in cineres, & naturam mutat; hoc à flammâ purius evadit, & adulterinam materiam exuit. Ita juſtùs omnis quæ aliàs vitio fuiſſent, à vexatione deponit; quia ut ignis aurum probat, ſic miſeria viros fortes: à quâ tamen ne miſeros putes, illud tibi perſuade, Deum hujus Univerſi Dominum atque architectorem cùm hominibus feciſſe, quod cum lignis aut parietibus plerumque artifices noſtri. Hi ut oculis illudant improbè, parietes habent extrinſecus cultos, intrinſecus autem ſordidos: ligna, & trabes oſtentant extrinſecus ornatas ac ſplendidas; intus autem cæſas, & cariem vitiumque paſſas.

Sic Deus improbis bona falſa circumdat, & animos inanes velut longo fallacique ſomnio ludit. Auro illos, argento & ebore ornat: intus boni nihil eſt. Iſti quos pro fœlicibus aſpiciunt nimium creduli mortales, ſi non quà occurrunt, ſed quà latent videantur, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt illa ſolida & ſincera fœlicitas: cruſta eſt, & quidem tenuis. Dum illis licet ſtare, nitent, & imponunt; cùm autem aliquid inciderit, quod diſturbet ac detegat, tunc apparet quantum altæ ac veræ fœditatis alienus ſplendor abſcondèrit. Non ſic cum probis agi voluit rerum omnium author Deus. Omnia mala ab illis removit, ſcelera & flagitia & cogitationes improbas, & avida conſilia, & libidinem cæcam: bona verò certa dedit, & manſura, quæ ſcilicet honeſtatis, quæ virtutis ſunt. Non fulgent illi extrinſecus; bona ſua intrinſecus obverſa habent: & jure ſane meritiſſimo; altus enim animus cælo Deoque natus exteriora contemnit, ſpectaculo ſui lætus, ut qui intus omne poſuit bonum.

Hoc ſi aſſequaris, mi Lector, ſi tuâ te virtute ſemper involvas, nullus unquam evolvet, nedum evertet caſus.

§. V.

Nonnulla ſubſidia ad patientem quarumvis injuriarum perpeſſionem.

IN iis, quæ nos circumveniunt urgentque malis, plerumque plus damus opinioni, quàm veritati: quod in convitiis atque injuriis maxime evenire ſolet: in his ſæpè plus opinione premimur, quàm vero damno.

Plura ſunt, inquit Seneca, *quæ nos terrent, quàm quæ premunt: & ſæpiùs opinione, quam re laboramus.* Epiſt. 13. *Citò accedimus opinioni. Non coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt, nec excutimus; ſed trepidamus. Neſcio quomodo magis vana perturbant. Vera enim modum ſuum habent.* Hæc Seneca, cujus pronuntiatum maximè verum eſt in injuriis quæ bonam famam impetunt.

In eam hoſtis tuus incurrit verbulo, & linguâ petulante: credis ab eâ multum tibi inferri damni: opinaris ſiniſtram de te aliis ingeri opinionem: & tamen ex vero calumniis illis, quæ in te jactantur, magis vapulant inanes auræ, quàm aures mortalium: quia plerumque illis nulla habetur fides; ideoque tollendus

tollendus etiam metus, qui in te ex iis ſoboritur; quia, ut pulchrè Seneca, *Nulli tam pernicioſi, tam irrevocabiles, quàm lymphatici metus ſunt. Cæteri enim ſine ratione, hi ſine mente ſunt*: & ii quandoque & ſæpiùs ſunt, qui è convitiis malè fuſis in nobis enaſci ſolent.

Verùm concedamus illud; ab illis verum damnum importari, & lacerari apud alios famam noſtram; quantum iſtud eſt malum? Tantum quantum à nebulâ ſoli objectâ.

Epiſt. 92.

Salvis vis & lux integra eſt, etiam inter oppoſita: & quamvis aliquid interjaceat, quod nos prohibeat ejus aſpectu; tamen in opere eſt, curſu ſuo fertur. Quoties inter nebula luxit, non eſt ſereno minor, nec tardior quidem; quoniam multum intereſt utrum aliquid obſtet tantum, an impediat. Eodem modo virtuti oppoſita nihil detrahunt; non eſt minor, ſed minùs fulget. Nobis forſitan non æque apparet ac nitet; ſibi eadem eſt, & more ſolis obſcuri, in occulto vim ſuam exercet. Hoc itaque adverſus virtutem poſſunt calamitates, & damna, & injuria, quod adverſus ſolem poteſt nebula. Sicuti ergo ſi ſoli ſua mens eſſet ac intelligentia, non excandeſceret, non efferretur impete quodam æſtuque paſſionum, ex eo quòd aſpiceret oppoſitam ſibi ſuiſque radiis nebulam: quia ab illa nihil omnino ſibi decedere ſentiret; ſed potius aliis, & huic mundo ſublunari: Ita fortis & generoſus animus, cùm audit ſibi ſuóque nomini ac bonæ famæ, ceu ſoli obtrudi denſam aliquam calumniæ nubem; ne ferat iniquiùs, ne exardeſcat irâ, ne mœrore ſe conficiat, ſatis conſcius innocentiæ ſuæ, ac virtutis, cui ſua lux illibata, ſuus ſemper eſt ſplendor, & idem omnino curſus ad æternitatem.

Orat. 14.

Quod ſum, inquiebat olim Nazianzenus, *hoc maneo, ſive maledictis aſſiciar, ſive laudibus in cœlum ferar. Quantum petram ſpuma, aut pinum aura, tantum me lingua circumfluunt.*

A duobus ſimilitudinem petit inconcuſſæ mentis. Primum quidem à ſpumâ & ſalivâ æſtuantis oceani, quæ cùm ſit auræ ventorumque ludibrium, huc illucque jactatur, & ſi ad petram appellit, illicò frangitur ac diſſilit.

Alterum propoſitæ ſimilitudinis caput, eſt à pino, aliaúe arbore procerâ, quæ cùm altis hæreat infixa radicibus, tumultuantes ventos, & nequicquam frementes Euros immota ridet.

Sic juſtus omnis, ceu petra in medio hujus vitæ oceano, auras temnit & æſtus, ſpumamque, ſi fortè incurrit, diſpergit, ſua ſemper mole conſtans: ceu etiam alta pinus, quæ ventis concuti poteſt, excuti omnino, aut ſuâ ſede locóve moveri, non poteſt; quia adverſus hæc omnia ſuâ ſemper virtute ſe involvit ac tuetur. Secum enim loquitur, ſecum agit, tacitiſque cogitationibus ſe revocat ad forum animi, proponitque illud ipſum, quod olim ſibi D. Nazianzenus: *In injuriis quæquam*, inquiebat, *hujuſmodi mecum ipſe commentor. Si falſa objicit accuſator, non me magis, quam eum, qui loquitur, hac oratio tangit. Si vera, meipſum potius, quàm eum, qui loquitur, accuſabo. A me enim illa ſermonis materia ſubminiſtratur; non autem illius ſermo cauſa eſt quòd talis ſim.* *Supra.*

In Enchi. c. 37.

Eodem omnino clypeo ſe tegit Simplicius adverſus emiſſa verborum jacula: *Neque verò*, inquit, *tam gravem eſſe contumeliam inde conſtat. Aut enim verum eſt crimen, aut falſum: ſi verum, cur moleſtè ferimus veritatem? Cur facere non piget, audire piget? Sin falſum, ille, qui mentitur, læditur.*

Iiſdem etiam rationibus ſe ipſum ſuóſque aſſeclas erexit Seneca.

Ad *contumelias*, inquit, *deſpiciendas, non ſapienti opus eſt viro, ſed tantùm conſpicienti, qui ſibi poſſit dicere. Utrùm meritò iſta mihi accidunt, an immeritò? Si meritò, non eſt contumelia; judicium eſt. Si immeritò, illi: qui injuriam facit, erubeſcendum.*

Hæc eleganter & nervoſè Seneca, in libro ad Serenum, *quod in ſapientem non cadit injuria*: è quo tibi pauca reddam, benevole Lector, atque ex ejus ſcriptis velut areolis floſculos legam, & apis matinæ more modóque mella libabo, & hoc quidem paragrapho ſeptimo.

§. VI.

Quæ pœna cœlo vindice iis infligatur qui injurias ſibi illatas non remiſerint?

HÆc lata cœlo judice lex eſt. Injuriis affectus es, remitte.

Et hanc ſibi legem quodammodo impoſuit Deus Ipſe, qui *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos*: quod non ſolum remiſſionis eſt, ſed & beneficentiæ.

Quod elatè, ut aſſolet, explicat Tertullianus: *Nobis*, inquit, *exercendæ patientiæ authoritatem, non affectatio humana caninæ æquanimitatis ſtupore formata, ſed vivæ ac cæleſtis diſciplinæ divina diſpoſitio delegat: Deum ipſum oſtendens patientiæ exemplum, qui florem lucis hujus ſuper juſtos & injuſtos æqualiter ſpargit, ſuſtinens ingratiſſimas nationes, ludibria artium & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem, ut ſua ſibi patientia detrahat: plures enim idcirco Dominum non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.* *Lib. de Patientia c. 2. Epiſt. 51. Tertul. ſupra c. 3.*

Ecce ut hujuſce legis obſervans eſt vel ipſum Numen; ecce ut injuriam condonat etiam cum aliqua ſui injuria. Quod ipſum etiam fecit Deus-homo, Chriſtus JESUS, qui (ut notat D. Ambroſius) *cum poſſet ulciſci maluit immolari. Qui ne unius quidem diſtentu gladium in ultorem probavit.* Imò, quod in eo miteris, etiam *patientia Domini in Malcho vulnerata eſt.* Ideoque *& gladii opera maledixit in poſterum, & ſanitatis reſtitutione, & quem non ipſe vexaverat, ſatisfecit per patientiam miſericordiæ matrem.*

Ecce ut alienus etiam à juſta ultione Deus-homo, ut ad veniam pronus. Cujus exemplo etiam ab illa alienæ, & ad hanc faciles ac pronæ fuerant illuſtres animæ.

Appello Stephanos, Jacobos, alioſque ſexcentos, quorum eæ in acceptis injuriis voces, *Domine ignoſce illis*, etiam in ipſo vitæ limine per extrema ſupplicia extortæ. Appello & Cæſares Auguſtos: quos inter Theodoſius Imperator, qui etiam lata lege ſanxit, ne ii, qui Majeſtati ſuæ imperiali maledicerent, aliquâ pœnâ multarentur: cujus & rationem hanc adjecit. *Quoniam ſi ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum; ſi ab injuria, remittendum.* *L. 1. Theodoſ. quis Imp. maledixerit.*

Et hæc Magni Cæſaris lex fuit, conſona ſcilicet divinæ, cujus obſervantes ſunt magnæ mentes, & cælo dignæ: uti è contra prævaricatores, puſilli homunciones, abjectæque in terras animæ, & inferis aliquando mancipandæ; ut exemplis docebimus: hæc enim feriunt animos, cùm verba plerúmque ad aures tantùm appellant.

Primum petetur è vita S. Wulſtani Epiſcopi Vigornienſis. Cùm huic aliquando ſiſteretur unus aliquis, qui illatam fratri necem inimico remittere pertinaciter renuebat, ſic ad eum pius Præſul. *Bollandus in ejus vita 19. Ian.*

Dixit Dominus in Evangelio. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Si ergo *pacifici beati, & filii Dei*; neceſſum eſt, *ut diſcordes & miſeri ſint, & filii diaboli. Illi igitur, cujus filius es, te commendo, & trado ad interitum carnis.* *Matth. c. 5. v. 9.*

Vix hæc dixerat S. Præſul, cùm ecce in miſellum, velut in paratum ſibi hoſpitium irrumpit malus dæmon, & miris modis torquet ad ſtuporem ac miſerationem aſtantium, qui impenſiùs D. Wulſtanum rogarunt, ut tartareo illo hoſpite hominem liberaret.

Aonuit Præſul, & vel verbulo tantùm dæmonem excedere juſſit: tum ſibi redditus ille jubetur inimico veniam dare: at eam negat pernegatque, ſed ſuo rurſus malo. Mox enim in eum redit revolatque dæmon, & magis magiſque affligit: ſed, quæ ſpectantium, quæ etiam Epiſcopi erga hominem miſeratio fuit, è ſua ſede ac ſtatione iterum pellitur dæmon: utque jam malo ſuo doctus condonet monetur infelix ille: at rurſum renuit. & ecce deſertam à ſe ſtationem iterum repetit malus genius, & hominem ſic agitat, ſic concutit, ut jam jam animam exhalaturus videretur: & tum demum ſuis evictus malis, pacem iniit, & importuno illo ſtygioque hoſpite in perpetuum liber fuit.

Crederes nullum ipſi eſſe jus in corpus, niſi cùm animus injuriarum acceptarum retinens eſt, atque ultor.

Diſt. 9. exemplo 94.

Vidimus quomodo in vita punitus ille; ſpectemus quomodo alius etiam à morte. Hujus meminit Henricus Magnus natione Allemanus, tacito quidem nomine. Vir erat ab ira & vindicta ſui parum potens, qui nec in vitæ curſu, nec in ipſo vitæ mortiſque confinio hoſti veniam concedere voluerat, diemque ſuum obierat. Cui cùm elato in templum cadavere juſta perſolverentur, ventumque eſſet ad illud quod de more in defunctorum officio accinit Sacerdos. *Parce mihi Domine.* En derepentè oculis triſte ſpectaculum, en auribus duræ & metuendæ nimium voces ab ipſo Chriſti Crucifixi ſimulacro. Hoc enim & manus clavis affixas refixerat, & aures ſuas illis occluſerat, addens & horrendum iſtud. *Non pepercit, non parcam.*

Hac voce, ceu tonitru perculſi omnes, primùm hærere; deinde juſta Dei vindicis judicia revereri ac formidare; denique rati quod erat, animam illam jam inferis inſepultam, etiam cadaver, infame quondam illius domicilium, è ſacris ædibus elatum, & profano ſepulchro, aſinique ſepultura damnatum eſt.

Francisco Chriſtoval en la Iornada primera c. 17. Anno 1570.

Ab hac triſtiore miſelli hominis ſcena deſcendamus ad alium actum, eumque tragicum; hunc poſteris omnibus ſpectandum dabunt religioſi duo ejuſdem criminis, ideſt odii mutui ac vindictæ complices. Ex his unus cùm lætali ægritudine lecto jaceret affixus, ſeu metu mortis imminentis, ſeu etiam facti pænitudine ductus, adverſarium à quo jam à duobus menſibus diſſidebat, ad ſe vocavit (& hoc priuſquam ſacramentis ad extremum ſe muniret) eique lubens voleuſque injuriam omnem remiſit, imò & amplexus eſt. Hic (ut erat petulanti ingenio) ad ſocium alium converſus, Bonus ille vir, inquit, mori timet, ideóque dimittit. Pupugit ea vox moribundum, & eò quidem, ut veniam, quam donarat revocaret illicò, adderetque durum illud atque immite. Nec tibi condono ipſe, nec à te mihi condonari velim. Dixerat & ſtatim quà voce, quà ſenſu omni privatus in agoniam incidit, in qua ita ſopitus, ita merſus fuit, ut & judicio omni & ratione deſtitutus ad extremum uſque fuerit, ſicque infælicem exhalarit animam. Fiunt tamen ei juſta de more, imò & ab illis menſæ à Religioſis omnibus accumbitur: & ecce ſub hanc funeſta ac lamentabilis tragedia: ſubitò enim in cœnaculum mortuus intrat atroci vultu, oculiſque ignem ſpirantibus, rigente horridaque coma, tum defixo in omnes obtutu, vocem hanc expedit, velut emiſſum è nube ferali tonitru. Ob immane odium, quo vivus in terris arſi, ardeo in inferis mortuus, æternumque ardebo. Sed & ille, cujus culpâ ardeo, brevi ardebit. Tum ſic ad religioſum illum ſibi olim in vivis inimicum. Sat epulis datum eſt, à menſa ſurge infelix; lata quippe & in me & in te à Deo judice ſententia, ut qui odium & inimicitias aluimus in terris, alamus etiam in inferis, & æternùm quidem.

Dixerat, & in illum adhuc menſæ adhærentem irruit, raptat, ſtringit: & dum ab hoc & illo quà pugnis quà unguibus, quà etiam dentibus ac morſibus res agitur, & fatalis lucta; derepentè ſub pedibus fatiſcente ac dehiſcente terra, abſorbetur uterque, atque ad inferos devolvitur, nihilque ab illis reliquum fuit niſi intolerabilis fœtor. Ab hoc itum eſt ad ſepulchrum, ubi jacuerat infame illius cadaver, atque ex eo repertum omnino nihil. Exceſſerat nimirum, utpote indignum quod terra diutiùs tegeret, & animæ junctum erat in pœnas ac cruciatus ſempiternos. I modò quiſquis iræ es impotentior, quiſquis odii concepti tenacior, & hoc & illam ſi voles fove: fovebis certè tuo malo æternos in annos. Verùm ut ſpero minimè fovebis ſi decreta irreconciabili inimicitiæ ſupplicia hinc attenderis, & inde reconciliationi ac chriſtianæ paci ſtatuta præmia, quæ paragrapho ſequenti paucis exponemus.

§. VII.

Quæ illatas injurias ultrò remittenti parata cælo benigniore præmia?

CAtonem aiunt geſtaſſe annulum, in quo inſculptæ fuerunt hæ voces. *Amicus unus, inimicus nullus.* Ita nimirum illi cum paucis, imò cum uno fuit amicitia; inimicitia verò cum nullo. Ut ea quoque tibi ſit, benevole Lector, nolim annulo inſcribi illas voces (hoc enim ad virtutem, quam hîc ſequor & amo parum attinet) ſed animo: cui ſi impreſſæ ex vero hæ voces, atque typi. *Amicus unus, inimicus nullus;* benè habet, ad virtutem, ad beatitatem id ſatis. Hinc enim benè erit corpori, famæ, fortunis, animo, & huic quidem æternùm.

Benè corpori, cui ſua ſtabit valetudo firmitaſque, quamdiu cum omnibus ſtabit amicitia, inimicitia nulla, vindictæ appetentia nulla. E contrà corpori erit quàm peſſimè ſi in ultionem exarſerit animus. Hoc enim facit vindicta quod vipera, quæ ut vivat, matrem occidit, dum ventrem rumpit ut exeat.

Benè honori ac famæ: quid enim honorificentius quàm Deo ſuo ac creatori aſſimilari, cujus natura & ingenium eſt etiam inimicis benè velle ac benè facere? E contrà quid abjectius, quid vilius quàm adeò anguſti eſſe pectoris, ut nihil concoquere, nihil perpeti poſſit. Certè uti magnarum eſt virium negligere lædentem, & ignoſcere regium; Ita imbecillis & vulgaris animi eſt, injuria ſtatim commoveri, & in vindictam exardeſcere.

Saul Davidi vaticinatus, *Scio,* inquiebat, *quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu regnum* 1 Reg. 24. v. 21.
Iſrael. At unde obſecro ſcivit? Ex inuſitata morum manſuetudine qua hoſti pepercit, nec ultus eſt; & oram chlamydis reſcidit, cùm vitam poſſet: & hæc ipſo Saule judice viſa eſt virtus regia. Et meritò: hæc enim regium animum aut prodit, aut etiam facit, atque apud Poſteros commendat; & eò quidem ut ſubinde hinc petant ſymbolum aliquod vel avitæ nobilitatis, vel etiam virtutis. Quo in genere illuſtre eſt illud, quod de antiquiſſima ac nobiliſſima Loiolæ familia referri ſolet.

Omnis Biſcaiæ nobilitas pro inſignibus habet lupos, (& hoc in ſignum gentis avitæ) quibus ad aliquod familiarum inter ſe diſcrimen, additur aliud ſymbolum; & illud quidem, de more patriæ, peti conſuevit ex inſigni aliquo facinore.

Hinc familia Loiolæ in ſcuto ſuo gentilitio duos habet lupos, eoſque in pedes erectos, atque in ollam è camino pendentem intro ſpicientes. Id autem hinc ortum. Caput Loiolanæ familiæ ab alio nobili graviter diſſidebat, in cujus ædes cùm inopinatò eſſet ingreſſus, eumque altè ſopitum ac dormientem reperiſſet, nihil omninò mali illi intulit; ſed ollam duntaxat (quæ fortè è camino, ſubjecto etiam igne,

depende-

dependebat) abſtulit. Ut vel inde noſcet adverſarius, fuiſſe ſe in Loiolæ, id eſt hoſtis ſui, manu ac poteſtate, & tamen etiam eò loci parcitum. Ex nobili illo ac verè regio facinore, tota Loiolæ familia pro ſymbolo ſuo ſumpſit ollam è camino pendentem, ut unà cum illo & avita nobilitas probaretur, & illi quodammodo adnata virtus, injuriarum ſcilicet remiſſio: à qua benè etiam erit fortunis; has enim auget erga inimicos indulgentia: & ſic auxit Davidi, qui eâ ærarium, militem, regnumque acquiſivit. Quo enim ſtratagemate Saulem decollavit, urbes vicit, in ſolium evaſit? non alio quàm in hoſtes amore ac beneficentia.

Ab hac etiam benè erit animo. Primùm enim ab illa id aſſequetur boni etiam in hac aura mortali, ut Filius Dei nominetur & ſit, quod ſummi eſt beneficii. Sic enim apertiſſimè ſpopondit Christus, *Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Quod aliis ſpopondit, hoc & in ſeipſo expreſſit; agnitus quippe à Centurione Dei Filius cùm pro hoſtibus oraſſet, cùm clamans expiraſſet: tum enim hæc ab illo expreſſit effuſa iſta in hoſtes caritas. *Verè hic homo Filius Dei erat.* Et hoc primum animo injurias remittenti præmium: accedit alterum; benigna quædam Christi miſerentis in eum inclinatio; quam non tam verbis, quàm factis & ipſa hiſtoriarum fide probare eſt animus. Sicarius neſcio quis vim intulerat conſanguineo S. Joannis Gualberti, qui deinde fundator fuit ordinis Vallis Umbroſæ. Potuit hic, atque ex ſæculi lege fortè etiam debuit in vindices iras & juſtam ultionem totus ire: non ivit tamen, ſed ultrò crimen remiſit, & veniam dedit. Placuit Servatori quàm optimo ea indulgentia: & certa placuiſſe etiam extrinſecus oſtendit: cùm enim die Veneris ſancto Florentiæ in Ecleſia S. Miniati orationem Dominicam decurriſſet, veniſſetque ad illud. *Et dimitte nobis debita noſtra; ſicut dimittimus debitoribus noſtris.* Simulacrum Chriſti Crucifixi benignè annuit, & caput ad illum inclinavit, quaſi ad oſculum pacis & amoris.

Math. c. 5. v. 44.

Cap. 27. v. 54.

Surius 12. Julii.

Quod ipſum deinde eadem divinæ bonitatis inclinatione contigit Nobili Anglo. Huic adhuc puero ruſticus unus aliquis ferro Parentem ſuſtulerat: & cùm ætas ad arma vindictamque minùs tum eſſet idonea, grandior deinde factus & illa tractare cœpit, & hanc quoque meditari, atque in omnem intentus eſſe occaſionem. Hæc fortè oblata eſt ipſo Die Veneris ſancto, cùm ruſticus ille iret ad templum, iret & nobilis hic noſter, qui ut parentis homicidam advertit, illicò ferrum expedit, ſtrinxit, & in hoſtem incurrit. Hic ob ſenectam cùm non eſſet reſiſtendo (utpote impar adoleſcenti) in fugâ ſalutem quæſivit, &, quod ſalubre imprimis fuit, ſeſe abjecit ad illud, quod fortè in via tum occurrit, Chriſti Crucifixi ſimulacrum, perque illum, (qui moriens pro inimicis ſuis oraret, & dimitti à Patre Æterno impensè petierat) rogavit etiam ſibi dimitti.

Mathias Paris in hiſt. angl.

Hic adoleſcens licèt irâ præceps & ferox, ferroque minax ac timendus, primùm tamen hærere cœpit, manùmque jam expeditam in vulnus ſuſtinere: deinde totus intrinſecùs commoveri: denique Chriſti amore atque exemplo condonare. Interea labuntur menſes & anni: at non elabitur repoſita apud Deum merces; manet illa, manebitque in ævum omne. Et verò in hoc nobili etiam manſit: cùm enim ob venationem contra Regni leges factam juſſus eſſet à Richardo Rege exulare, atque in Normanniam cum conjuge, liberis, totáque familia receſſiſſet; fortè contigit & ipſum quoque Regem in Normanniam, atque in templum itare, quò iverat & ipſe nobilis; qui dum ferventer preces funderet, orationemque Dominicam ſæpiùs recitaret, facta ſemper ad illa verba (*Et dimitte nobis debita noſtra: ſicut dimittimus debitoribus noſtris*) pia ac ſupplici Crucifixo genuflexione: notatum ab ipſo Rege, quod ad ſingulas genuflexiones, ipſum Chriſti crucifixi ſimulacrum, caput demitteret, atque ad eum inclinaret. Ratus autem (quod erat) ſubeſſe quid in eo magni, à Sacro, nobilem ad ſe evocavit, quæſivitque ex illo quid hominis? Et ubi ſuo juſſu exulem eſſe cognovit, totamque rei jam narratæ ſeriem; liquidò intellexit, eam Crucifixi inclinationem manaſſe ab eo, quòd ille in veniam inimico capitali dandam, aliquando ſeſe inclinaſſet; & ſtatim regiis litteris eum, patriæ, boniſque omnibus reddi voluit.

Ecce quæ piæ iſti injuriarum dimiſſioni præmia dedit indulgens Chriſtus: vis noſſe, quæ ex eadem etiam aliis? Ex uno diſce.

Infamis homicidii reus, ipſo die Veneris ſancto, (die utique benè ominato) injecto etiam ad collum laqueo, fratrem illius quem truculentè occiderat, convenit, prociditque ad illius pedes, veniam inclamans. Hic autem, ſeu ſacræ illius lucis reverentiâ, ſeu ſupplicis demiſſione permotus, inter amplexus & oſcula, ſceleris admiſſi veniam lubens volensque dedit, ſpectante probanteque cœlo. Nocte quippe proximè ſequenti ſeſe illi viſendum obtulit Chriſtus, & hæc illi difertis verbis. *Quia mei nominis amoriſq; causâ inimico pepercisti, eadem ipſa hora, è purgatorii flammis & animam fratris tui, & patris exemi, cœliq; gloria donavi, ad quam etiam te post dies octo evoco:* & verò evocavit: elapſo quippe octiduo ad ineundum iter æternitatis ritè paratus, diem ſuum obiit, atque ex ipſo Veritatis oraculo, Fratri Patrique in cœleſti regia eſt additus. Nimirum hoc ære cœlum emitur, hac vis itur ad aſtra, hac ratione fit gradus ad beatitatem, & ſi quid ultra eam eſt, ad Deum ipſum. & jure ſanè meritiſſimo: quia, ut ſanctus Valerius Epiſcopus, *Ultra felicitatem exultat eſſe victoria, inimicum ſalvum feciſſe, nec injuriam vindicaſſe.*

Phil. d'Oultreman Ped. Chriſt. tom. 2.

§. VIII.

In Sapientem non cadit injuria.

STоici virilem ingreſſi viam, pronuntiarunt ſapientem terris eripi oportere, velut in editum verticem educi, adeoque extra omnem teli jactum ſurgere, & ſupra fortunam eminere.

Atque eum fuiſſe volunt Catonem, qui cum ambitu congreſſus, multiformi malo, & cum potentiæ immensâ cupiditate, quam totus orbis in tres diviſus ſatiare non poterat, adverſus vitia civitatis degenerantis, & peſſum ſuâ mole ſidentis, ſtetit ſolus, & cadentem Rempublicam, quantum modò unâ manu retrahi poterat, retinuit, donec vel abreptus, vel abſtractus, comitem ſe diu ſuſtentatæ ruinæ dedit: ſimulque extincta ſunt quæ nefas erat dividi. Neque enim Cato poſt libertatem vixit, nec libertas poſt Catonem.

Hæc ubi de Catone magnificè extulit Seneca, tum hæc infert quæſtionem. *Huic tu putas injuriam fieri à populo potuiſſe, quòd aut præturam illi detraxit, aut togam, quòd ſacrum illud caput purgamentis oris aſperſit?*

De Conſtant. l. 2 c. 2.

Ubi hæc contumeliarum genera jactavit, tum audacter & liberè profert adverſus ea tutum omnino Catonem, tutum ſapientem fuiſſe, nec ullâ affici, aut injuriâ, aut contumeliâ potuiſſe: quod ut evincat, ſtatuit illud quod extra controverſiam eſt, non defore, qui ſapientem laceſſat, qui tentet; non tamen ideo qui lædat, qui vulneret: eſt enim *invulnerabile, non quod feritur, ſed quod non læditur:* atque ex hac notâ ſapientem exhibet Seneca; aliâ atque aliâ ad rem appoſitâ ſimilitudine.

Una petitur ab adamante, qui nec ſecari, nec cædi, nec teri poteſt, ſed incurrentia ultrò retundit.

Altera ducitur ab iis, quæ non poſſunt igne conſumi: ſed flammâ circumfuſâ vigorem ſuum habitumque conſervant.

Alia à ſcopulis, qui in altum projecti mare frangunt, nec ulla ſævitiæ veſtigia tot verberati ſæculis oſtentant.

Poſtrema à cælo, & ſole, qui tanto intervallo à contactu inferiorum abductus eſt, ut nulla vis noxia uſque ad illum vires ſuas proferat; & quamvis tela, aut nervo, aut tormentis aliis in altum exprimantur, citra cælum tamen flectuntur. Unde ſtolidus fuit ille Rex, qui cum multitudine telorum diem obſcuraſſet, credidit aliquam ſagittam in ſolem incidere potuiſſe. Sic & ſtultus, & amens erit ille, qui maledico ore, ceu ſagittâ tangi poſſe ſapientem credet: citra illum vis omnis, impetus omnis deficiet.

Rationes ſi quæras, eæ aliæ ſunt atque aliæ. Una quidem, quia etſi injuria propoſitum hoc habeat, aliquem malo afficere, malo tamen ſapientia non relinquit locum. Unum enim malum ei eſt turpitudo; quæ introire eò, ubi jam virtus honeſtumque eſt, non poteſt.

Altera ratio, cur ad ſapientem non perveniat injuria, eſt quia omnis injuria diminutio ejus eſt in quem incurrit. Nec poteſt aliquis injuriam accipere ſine aliquo detrimento vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos poſitarum. ſapiens autem nihil perdere poteſt; omnia enim in ſe poſuit, nihil fortunæ credit: bona ſua in ſolido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget.

Ex quibus id conficit Seneca, ſapientem nihil perdere quod perire ſenſurus ſit. Unius enim in poſſeſſione virtutis eſt, ex quâ depelli nunquam poteſt: cæteris precariò utitur.

Et quia dictum illud audax, ne parum Fidei habeat, ſponſorem dat Stilponem Philoſophum, quem ego etiam Chriſtianis velim eſſe propoſitum. Rogatus ille à Demetrio, qui Megaram ceperat, num quid perdidiſſet? Nihil, inquit; omnia namque mea mecum ſunt. Atqui & patrimonium ejus in prædam ceſſerat, & filias rapuerat hoſtis, & patriam. At ille victoriam illi excuſſit, & ſe urbe captâ non invictum tantùm, ſed indemnem eſſe teſtatus eſt. Habebat enim ſecum vera bona, in quæ non eſt manus injectio. At ea quæ diſſipata & direpta ferebantur, non judicabat ſua, ſed adventitia, & nutum fortunæ ſequentia. Erat ille ſenſus Philoſophi; ideo inſultanti hoſti, quòd omnia rapuiſſet, non minus liberè quàm verè reſpondit.

Solus ego hoſtilia circa me omnia videns, tamen integrum incolumemque eſſe cenſum meum profiteor; teneo, habeo, quidquid mei habui. Non eſt, quod me victum, victorem te credas. Vicit fortuna tua fortunam meam. Caduca illa, & dominum mutantia, ubi ſint neſcio. Quod ad res meas pertinet; mecum ſunt, mecum erunt. Perdiderunt iſti divites patrimonia, libidinoſi amores ſuos, & magno pudoris impendio dilecta ſcorta: ambitioſi curiam, & forum, & loca exercendis in publico vitiis deſtinata: fœneratores perdiderunt tabellas ſuas; quibus avaritia falſo læta divitias imaginatur. Ego quidem omnia integra, illibataque habeo. Illis eripuit fortuna quod dedit: mihi virtutem, quam non dedit, non detraxit: eâ ſalvâ etiam ſalva omnia, quæ mea duco. Hæc ille Philoſophicè, hoc eſt omnino verè, & ſapienter.

Et hoc primum argumentum quo probat ſapientem lædi non poſſe: alterum eſt illi affine atque ejuſmodi. Quod validius debet eſſe quod lædit eo quod læditur. Non eſt autem potior nequitia virtute: non poteſt ergo lædi ſapiens, neque à malis, quia ipſe bonus eſt, adeoque illis validior; neque à fortunâ, quæ quoties cum virtute congreſſa eſt, nunquam par receſſit. Quod ſi fortunæ injurias moderatè fert ſapiens, quanto magis hominum potentium, quos ſcit fortunæ manus eſſe.

Alterum argumentum, quo contendit ſapientem effugere injurias omnes, eſt quia neſcit nec in ſpe, nec in metu vivere; imò nec in irâ quam excitat injuriæ ſpecies: quod ſi caret irâ, caret & injuriâ; etiam illâ quæ petitur à dicto factoúe inhonorifico.

Puſilli homines amant videri, digito monſtrari. & diciter hic eſt: amant primas cathedras, & primos in epulis accubitus: hinc illæ abjecti animi querelæ: Ille me hodie non admiſit, cùm alios admitteret; non in medio me loco, ſed imo collocavit. Et hæ ſunt voces nauſeantis animi, in quas ferè delicati & fœlices incidunt: non autem ſapiens; hic enim à nullo contemnitur, quia magnitudinem ſuam novit, nullique tantum de ſe licere renuntiat ſibi, & omnes has, quas, non miſerias animorum, ſed moleſtias dixerim, non vincit, ſed ne ſentit quidem.

Alia ſunt, quæ ſapientem feriunt, etiamſi non pervertunt; ut dolor corporis, amicorum, liberorumque amiſſio, & patriæ bello flagrantis calamitas. Hæc non nego ſentire ſapientem; nec enim lapidis illi duritiem ferriúe aſſerimus. Nulla virtus eſt, quæ non ſentias, perpeti. Qui ergo ab eâ injuriâ immunis ſapiens? Ideo certè, quia eos quidem ictus recipit, ſed receptos evincit, ſanat, & comprimit. Sed & aliæ ſunt cogitationes, à quibus ingens animi firmitas: habet enim ſapiens hunc affectum erga omnes, quem adverſus ægros ſuos medicus, quorum nec obſcœna, ſi remedio egent, contrectare; nec reliquias & effuſa intueri dedignatur, nec per furorem ſævientium excipere convitia.

Scit ſapiens omnes hos, qui togati, purpuratique incedunt, coloratos, maleque ſanos eſſe, quos non aliter videt, quàm ægros intemperantes: itaque ne ſuccenſet quidem ſi quid in morbo petulantius auſi ſint: quis enim aut phreneticis medicus iraſcitur? Quis febricitantis maledicta in malam partem accipit? Quod ſi illa ne unus quidem mortalium, certè neque hæc ſapiens.

Aliud, quod pro ſingulari remedio vult eſſe Seneca, eſt, injuriam illatam ne agnoſcere quidem: exemplo Catonis, cui cùm os percuſſum eſſet, non excanduit, non vindicavit injuriam, ne remiſit quidem; ſed factam negavit. Majore animo non agnovit, quàm ignoviſſet.

E vulgo unus aliquis & agnoviſſet, & quod erat virtutis, fortè etiam ignoviſſet: at nec agnoſcit, nec ignoſcit Cato: quia nimirum non it ſapiens quà populus; ſed ut ſidera contrarium mundo iter intendunt: ita hic adverſus opiniones omnium vadit.

Denique pro coronide, viro ſapienti inter injurias & contumelias id agendum docet Seneca quod militi: memor in prima acie altos ordines ſtare, contumelias & verba probroſa & ignominias & cætera dehoneſtamenta, velut clamorem hoſtium ferat; & longinqua tela, & ſaxa ſine vulnere circa galeas crepitantia. Injurias verò ut vulnera, alia armis, alia pectori infixa, non dejectus, ne motus quidem gradu ſuſtineat. Etiamſi premeris, & infeſtâ vi urgeris, cedere turpe eſt. Aſſignatum à naturâ locum tuere. Quæris quis hic ſit locus? Viri.

DE FORTITVDINE CHRISTIANA

LIBER TERTIUS.

PROOEMIUM.

De fortitudine, conſtantiáque Chriſtianâ in malis publicis.

MAla publica, quæ nobis obvenire ſolent, ad tres omnino claſſes revocari poſſunt: quædam enim dicuntur & ſunt fortunæ mala, quædam corporis, alia mentis.

Ad mala fortunæ pertinent agrorum vaſtationes, & incendia; Urbium, Provinciarum, Regnorum caſus ac ruinæ, & ex iis relicta paupertas & auguſta domi res.

Ad mala corporis ſpectant morbi, peſtilentiæ, ægritudines, eæ maximè quæ medicis *ſiderationes* appellantur; quia allatæ à maligno quodam ſidere, iratóque cœlo. Et hæ vel uni tantùm regioni particulares, vel etiam Univerſo communes.

Ad animi mala referuntur magna morum inclinatio, perverſitas generis humani, & maligna quædam ſcelerum illuvies, à qua vir etiam fortis concutitur atque ingemiſcit.

Adverſus hæc omnia ſuum erit à fortitudine præſidium; atque imprimis ab illis, quibus ipſa ſuos aſſeclas inſtruit commentationibus, quas ego brevi compendio complectar.

CAPUT PRIMUM.

FIeri quàm ſæpiſſimè ſolet, ut eadem omnino calamitas & pios ſimul & impios involvat: aliter tamen atque aliter: his enim, ut diſertè notat Curtius, *calamitas querula eſt, & ſuperba felicitas*: illis autem & adverſitas ſine querela, & proſperitas ſine tumore eſt. Illis *calamitas illuſtris ad gloriam*; his ad dedecus & ignominiam infamis. Tam hujus quàm illius rationem ſi voles, ea eſt: quod quiſquis eſt juſtus, is ad chriſtianæ fortitudinis aſylum confugiat; ab eo autem longiùs recedat injuſtus: Ut illum imiteris, amice Lector, pauca tibi ſub oculos ponam, vel monita, vel præcepta.

Lib. 5. — *Polidor.*

§. I.

In malis publicis remedium ac ſolatium peti debet à divinâ Providentia, quæ ea vel facit, vel patitur.

ERit fortè quiſpiam altioris animi, quàm ut privatis malis cedat: at publicis concedet ille, atque iis ſe concuti ac de conſtantiâ ſuâ dejici patietur. Nimirum viro bono gravior accidit communis omnium calamitas, quàm vel ſibi, vel uni cuipiam propria; quia ut commune bonum privato eſt anteponendum, ita & malum univerſale particulari fugiendum eſt magis, atque deteſtandum: nec illud inficiari velim; ſed id tantùm, ne quis in eo caſu abjectiore ſit animo, ſed erecto ſemper atque alato, memor illius quod pulchrè Seneca: *Calamitas, virtutis occaſio eſt.*

Libro Quare viris bonis.

Ejus maximè, quæ cœlum ſuſpicit, & ad divinam providentiam reſpectat; neque ad hæc inferiora ſeſe deturbari patitur, ut quaſi uno oculo cœlum, altero terram intueri velit: quod foret omnino vitioſum.

Pulchrè D. Anſelmus: Humano corpori duo ſunt oculi, ceu gemmæ, ceu ſoles illius Mycrocoſmi, & hi eodem omnium ſeſe flectunt, vertuntque; neque hic objectam ſibi rem aſpicit, quin & eandem videat ille, perinde ac ſi foret unicus: ita quippe à naturâ, hominiſque conformatione conſentiunt atque conſpirant oculorum orbes, ut non duos dixeris eſſe, ſed unicum: ſecus ſi fecerint, non naturæ, ſed vitio erit adſcribendum.

Similitudinum, c. 85.

Quod corpori, luteæque moli eſt oculus, hoc animo mens, & intelligentia quæ eodem vergere debet, non in diverſa rapi, non terras modò, & ea quæ apud nos geruntur mortalia, ſed cœlos tantùm, & ea quæ à Superis ſunt contemplari.

Ita nos quà verbo, quà etiam exemplo docuêre veteres illi Sophi; qui de fato, & inevitabili, ut ſiebant, neceſſitate ea protulerunt, quæ nos ſaniore conſilio, menteque, de divinâ providentiâ ſentiemus. De illo ita Seneca, doctè, ut ſolet, ac nervosè.

Scio omnia certâ & in æternum ductâ lege decurrere. Fata nos ducunt. Et quantumque reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit. Cauſa pendet ex causâ. privata & publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum eſt, quia non ut putamus incidunt cuncta, ſed veniunt. Olim conſtitutum eſt quid gaudeas, quid fleas: & quamvis magnâ videatur varietate ſingulorum vita diſtingui, ſumma in unum venit.

Ibidem.

Accepimus peritura perituri. Quid ita indignamur? quid querimur? ad hoc parati ſumus. Utatur ut vult ſuis natura corporibus. Nos læti ad omnia, & fortes cogitemus nihil perire de noſtro. Quid eſt boni viri? Præbere ſe fato. Grande ſolatium eſt cum univerſo rapi. Boni, inquit, viri eſt præbere ſe fato; chriſtianè dixerim præbere ſe Divinæ providentiæ, cujus curſus humana omnia vehit, etiam ea quæ in malis reponimus, cujuſmodi ſunt inſanæ mortalium cædes, agrorum incendia, Urbium, Provinciarum, Regnorum vaſtationes, ipſaque etiam ſi voles, ſtrages ac ruina Univerſi: quam ſi ſpectet è cælis Deus, atque etiam immittat; quidni eam excipiat puſillus in terris homuncio, cujus eſt fata, ſeu potius Deum ſequi, non ducere: neque curioſiùs cauſam, cur ea fiant, inveſtigare. Ut enim doctè Salvianus.

Quam ob cauſam mala in hoc mundo Deus fieri permittat, nolo à me requiras: homo ſum, non intelligo: ſecreta Dei inveſtigare non valeo, & ideo tentare formido: quia & hoc ipſum genus ſacrilega temeritatis eſt, ſi plus ſcire cupias quam ſinaris. Sufficit tibi quod Deus cuncta à ſe agi atque diſpenſari teſtatur. Et ſicut plus eſt Deus, quàm omnis humana ratio; ſic mihi plus videri debet, quod à Deo cuncta agi cognoſco. Et eâ quidem providentiâ, qua, ut piè D. Gregorius;

Contra Gentes.

Sic intendit ſingulis ac ſi vacet à cunctis, & ſic omnibus ſimul intendit ac ſi vacet à ſingulis. Ex illa porrò & amabili & mirabili erga res omnes curâ, fit ut omnia contingant ejus nutu: quo enim potiùs?

Eſt

Eſt Deus cuſtos rectorque Univerſi, & velut animus ac ſpiritus mundi, & hujus operis dominus & artifex: cui, ut ait Seneca ex ſuo ſenſu non omninò malè omne nomen convenit.

Vis illum, inquit, *vocare fatum? Non errabis: hic eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, ex quo ſunt omnes cauſæ cauſarum.*

2. Moral. c. 19. *Vis illum providentem dicere? Rectè dicis. Eſt enim cujus conſilio huic mundo providetur, ut concuſſus eneat, & actus ſuos explicet. Vis illum naturam vocare? Non peccabis. Eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? Non falleris; ipſe*

Lib. Nat. quæſt. *enim eſt totum quod vides, totus ſui partibus inditus, & ſe ſuſtinens, & ſua.* Hæc de Deo philoſophatus Seneca.

Quod ſi Deus totum eſt, quod vides, non quidem ut loquuntur Theologi *formaliter*, ſed *eminenter*; quia totum Univerſum in ſe ipſe ſtringit ac continet ſumma perfectione, nulláque commixtione imperfecti: quod ſi, inquam, & totum ſic eſt, & totus ſui partibus inditus, ſi & ſe ſuſtinet, & ſua; quid adeo animam volvis, fatigas, & torques animam, tricubitalis homo? Quid ingentibus curis & dies & noctes implicas? Quaſi in tuos humeros caputque decideret ea, quam animo meditaris, aut urbium, aut provinciarum ruina; quaſi cælos ſuſtineres ipſe velut alter Athlas, ruentemque mundum: maneat is apud ſuperos labor, ſit iſta cura penes Deum tuum, moderatorem Univerſi: Tu eâ vacuus eſto, & caſum, quem declinare non potes, immotus animo ſuſtine, altiorique providentiæ cede.

Epiſt. 71. *Magnus animus*, inquit Seneca, *Deo paret, & quidquid lex univerſi jubet, ſine cunctatione patitur:*

§. II.

In publicis calamitatibus ſolatio eſt meditatio viciſſitudinis, ſenectutis, & occaſus rerum omnium.

SEneca de Catone hæc magnificè prædicat. Eodem die, quo præturâ repulſus eſt, luſiſſe; eâdem nocte, qua periturus erat, legiſſe. Nimirum eodem loco habuit, & præturâ & vitâ excedere; quia omnia, quæ acciderent, ferenda eſſe perſuaſerat ſibi; nec privata tantùm mala, ſed & publica, quale fuit reipublicæ inclinatio, atque occaſus, quem ille forti & æquo animo eſt paſſus, vel hac unâ tantùm meditatione, quòd nihil mutationis periculo exemptum ſit. *Non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur. Non ſemper tenebit hunc ordinem; ſed illum ex hoc curſu aliquis dies dejiciet. Certis eunt cuncta temporibus; naſci debent, creſcere, extingui. Quæcumque vides ſuper nos currere, & hæc quibus innixi atque impoſiti ſumus, veluti ſolidiſſimis,*

Epiſt. 71. *carpentur ac deſinent. Nulli non ſenectus ſua eſt. Inæqualibus iſta ſpatiis eodem natura dimittit. Quidquid eſt, non erit; nec peribit, ſed reſolvetur. Nobis ſolvi, perire eſt. Proxima enim intuemur, ad ulteriora non proſpicit mens hebes. & quæ ſe corpori addixerit. Alioquin fortius ſui ſuorumque finem pateretur, ſi ſperaret omnia illa ſic in vitam mortemque per vices ire, & compoſita diſſolvi, & diſſoluta componi; in hoc opere æternam artem cuncta temperantis Dei verti.*

Hæc olim ad Lucilium Seneca, ut ei faceret animos omni fortunâ caſuque altiores, ut qui apud ſe reponeret illud, æternam artem omnipotentis Dei in eo verti, ut per vices & compoſita diſſolveret, & diſſoluta componeret, ſuumque unicuique finem ſtatueret: Quod ut fideli memoriique ſerves mente, velim, amice Lector, etiam ſingula expendas verba, & æquâ lance penſes.

In hoc opere, inquit, Seneca, quaſi illud unum ſupremi artificis ſit opus, univerſa, quæ ſub cælo ſoleque ſunt, mutare, & omnia pro ſua voluntate arbitrióque vertere, atque, cùm ita viſum fuerit, evertere; quod ipſum non hujus diei, imò nec ævi conſilium eſt, ſed æternitatis: hinc *æternam artem* appellat: quia jam inde ab ipsâ retro æternitate inventa, & ſcripta, non in ceris aut membranis, ſed in altiſſima divinaque primi authoris mente, & quidem non temerè, ſed ex arte.

Nos abjectæ in terras animæ, & cæleſtium inanes, quibus ad ſuperiora caligat oculus & animus, cùm eas rerum omnium mutationes aſpectamus caſu quodam fieri credimus, impetuque cæco cauſarum in ſe, ſuáque opera ruentium, et tamen ipſa, non eſt ita: fiunt enimverò, fiunt ex arte omnia, & æterna quidem, adeoque cœleſti, immutabili, divina: quæ & artis humanæ inſana molimina & ipſa naturæ opera ſuſque deque vertit. Ut enim ille ipſe Seneca, quo authore lubens utor.

Non tantùm manufacta labuntur, ſed & *ipſius natura opera vexantur.* Et ideo æquo animo ferre debemus urbium excidia, & quoſcumque in humanis caſus; quia *caſura omnia extant, omnibus exitus manet.* Epiſt. 91.
Eundum, velis nolis, per ipſas fatorum divinæque providentiæ vias, ſcriptaſque cælo leges: à quibus *omnia mortalium opera mortalitate damnata ſunt: nulláque res quantumvis magna non aliquod habuit ruinæ ſuæ ſpatium. In hac, ſæpè una nox interfuit inter urbem maximam & nullam.* Ibidem.
Proindeque ſapienti in plenum cogitanda fortuna eſt, & ante oculos ſortis humanæ conditio ponenda, & quod aliis evenit, nobis evenire poſſe præſumendum.

Quoties Aſiæ, quoties Achaiæ urbes uno tremore ceciderunt? Quot oppida in Syriâ, quot in Macedoniâ devorata ſunt? Cyprum quoties vaſtavit hæc clades? Quoties in ſe Paphus corruit? Frequenter nobis nuntiati ſunt totarum urbium interitus, imò provinciarum atque regnorum. Quod in illis annuente cælo viſum eſt, non inviti etiam in aliis, cùm à Deo ſtatutum fuerit, patiamur: ut enim animanti ſua eſt ætas, ſuaque ſenectus, ita & reipublicæ, & florenti quantumvis imperio, uti ſurrexit illud, ita & concidet. Sed magna, inquies, ſunt iſta. Ardere civitates opulentas, magnificas, nobiles, & ſic earum eradi veſtigia, ut nec quicquam extet, ex quo appareat illas ſaltem fuiſſe. Certè *magna iſta, quia parvi ſumus, credimus: multis rebus, non ex naturâ ſuâ; ſed ex humilitate noſtrâ magnitudo eſt:* Lib. 3. nat. 19.
Quod ipſum ut in aliis pleriſque; ita & in hoc de quo agimus, agnovit aliquando Hipponenſis Præſul, ævique ſui gloria, magnus Auguſtinus.

Venerat ille ad extremam ætatem, & annis, & verò etiam meritis gravem, cùm ecce ingens calamitas, & veluti quædam hoſtium illuvies ex Hiſpaniis in univerſam Africam ſeſe effudit: miſtæ erant Vandalorum, Gothorum & Alanorum acies, à quibus ita periit Africa, ut in eâ tres tantùm urbes ab eâ irruptione, cladéque liberæ forent. Videlicet Carthaginenſis, Hipponenſis, ac Cirtenſis: ubique locorum ſumma vaſtitas ac ſolitudo; deſerti agri, exciſa oppida, dirutæ urbes, expilatæ Eccleſiæ, profana, ſacráque omnia violata. Ipſa Hipponenſis urbs graviſſimâ obſidione preſſa, deditionem cogitabat: non fecit tamen vivo ac ſpirante Auguſtino: cadentem ille Rempublicam quantum modò potuit, retinuit; donec à morte vel abreptus, vel abſtractus ſe quodammodo comitem diu ſuſtentatæ ruinæ dedit: ſimulque extincta ſunt, quæ nefas erat dividi. Neque enim Auguſtinus poſt chriſtianam libertatem vixit, neque libertas chriſtiana poſt Auguſtinum. Ideoque eo ſublato ſtatim florentiſſimæ civitatis facta deditio eſt; quàm animo dum longè antè proſpiceret, ſimulque cariſſimæ provinciæ calamitates communeque excidium, hoc ſapientis pronuntiato ſe ipſe ſolabatur, mœroremque diluebat. *Non erit magnus magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides & moriuntur mortales.* Poſſidius in ejus vita. c. 28.

Quid

Quid aliud oppida ſunt & urbes quàm ligna & lapides, inter ſe arte quadam & induſtriâ compacti? Quid regiæ & inſana palatiorum molimina ac ſubſtructiones? Quid ingentes murorum minæ niſi lignorum ſtrues, & acervus lapidum inter ſe ingenioſè compoſita ad uſum generis humani? Hæc igitur ſua mole ruere, quid aliud eſt, quàm ligna & lapides cadere atque diſſolvi: & hoc magnum putabis? Non putabis, vel enimvero non eris magnus.

§. III.

Sapienti nec novas nec miras videri debere publicas calamitates.

IN hoc argumento, ut aliis multis veriſſimum illud ſapientis: *Nihil ſub ſole novum.* Etſi enim nobis rudatur dies die, novæque pergant interire Lunæ, nunquam tamen ex toto interit publica calamitas: ſed alia ex aliis enaſcitur, ut enata omnibus retrò actis jam ſæculis; adeóque nec nova, nec mira cuiquam videri debet.

Lib. 1. de Conſt. c. 16. Circulantur, inquit Lipſius, quotidie hæ clades, & orbe quodam eunt per hunc orbem, ut potius mirum videatur illud, ſi exlex quiſpiam ſit ab hac communi lege, nec onus ferat quod ferunt omnes. Solon amicum quemdam Athenis plus æquo lugentem in editam arcem deduxit, & ſubjectas omnes in magna urbe ædes oſtendit; addiditque illud ſapientis. Cogita quàm multi luctus ſub his tectis olim fuerint, nunc verſentur, poſtea futuri ſint: ac mitte mortalium incommoda tanquam propria, & nova deflere.

Quod illi factum dictumve, hoc cuique noſtrum & fieri & dici velim in magno iſto mundo. Sed quoniam re non poteſt, fiat cogitatione; ea quippe libera eſt, atque expedita. Statuat illa unum aliquem in altiſſimo cœli vertice, è quo velut è ſpeculâ deſpiciat ſubjectum quidquid eſt ſublunare, urbes, provincias, regna, imperia veluti ſepta quædam cladium humanarum, & amphitheatra, in quibus viſantur cruenti fortunæ ludi: & velut arenæ, in quibus non cum beſtiis luctandum eſt miſerabili ſanè ſpectaculo; ſed cum genere noſtro, & quaſi nobiſcum ipſis: quidni enim dixero nos cum nobis ipſis pugnare, ubi cum homine, ejuſdem nobiſcum naturæ conſorte pugnamus, & hanc terram veluti punctum ferro dividimus.

Ita diviſa pridem Germania bellis ac motibus inteſtinis: ita diviſa Gallia, Italia, & Belgium uno propè ſæculo, quo dici potuit belli Martiſque theatrum.

Et hæ quidem ſunt calamitates, quas noſtrâ vidit & ſenſit ætas; ſed nec miræ, nec novæ ſunt illæ: his ſimiles, imò majores tota quanta eſt, ſpectavit Antiquitas, & in iis cædes mortalium longè maximas.

Ordiamur à Judæâ, regione & gente ſacrâ: quid non eſt paſſa ſeu in Ægypto exule terrâ, & arente ſolo, ſeu civili externoque bello? Ut non exponam omnia per indicem ſingillatim; in una urbe Hieroſolymâ, per omne tempus obſidionis, mortui aut cæſi decies centena millia, capti verò nonaginta ſeptem millia.

Quid Græcos memorem, & cultiſſimam olim regionem, quæ adeo bellis attrita, ut Plutarchus tradiderit, eam univerſam non fuiſſe ſuo ævo conficiendis *tribus millibus militum*: ecce ut ferro attonſa atque exhauſta. Non poteſt univerſa regio quod in eâ prius oppidulum potuit. De def. orac.

Quid Italiam ac Romanos in theatrum evocem, quæ in iis & quàm effuſa maria malorum, quæ cædes ac ſtrages, quæ provinciarum vaſtationes? Bello Punico ſecundo in ſolis Italiâ, Hiſpaniâ, Siciliâ ſupra quindecies centena hominum millia non totis ſeptemdecim annis conſumpta. Bello civili Cæſaris & Pompei, ad millia trecenta. Sub uno Cæſare, undecies centena & nonaginta duo millia hominum adverſo ferro periêre. Scilicet has ille in externos ſtrages edidit, ut taceam eas, quas ſuis ipſe, civilibus bellis intulit. Omitto Q. Fabium, qui centum decem Gallorum millia: C. Marium, qui ducenta Cambrorum: Ætium, qui Catalaunico prælio centum ſexaginta duo millia proſtravit ac cecîdit. Diceres profectò hominum greges ſic ſterni ut ſegetes à falce. Habes, amice Lector, & his in bellis cenſes innumera prope hominum cadavera; vide & oppidorum.

Cato ille Cenſorius gloriatur plura ſe in Hiſpania oppida cepiſſe, quàm dies in ea egerit. Sempronius Gracchus trecenta in ea delevit.

Mitto cætera, quæ longum eſſet recenſere, atque ex his conficio, viro ſapienti, qui prima ſæcula cum poſtremis componet, nullam eſſe aut videri poſſe novam & miram calamitatem; ſed potius & antiquam & uſitatam, imò cum ipſo orbe natam, nec deſituram niſi cum illo. Quæ una cogitatio & ſolatio eſſe poterit cùm ſimilia in ætatem noſtram incurrent mala, & remedio, nè iis ſe dejici, aut etiam deprimi animus patiatur.

§. IV.

Publica mala à Deo immitti ad caſtigandam ſæpius in hac vitâ inſignem hominum malitiam, ne eam gravius puniat in æternitate: & hoc viro forti ac juſto ſolatium.

TErtullianus, ut ſolet ingenitâ magnæ mentis ſolertiâ, & concitatâ eloquentiæ vi ac facundiâ, deſcribit inſana hominum ſtudia inſolentem avaritiam, habendique libidinem, cui vix unus orbis ſufficit.

Omnia, inquit, *jam pervia, omnia negotioſa, ſolitudines famoſas retro fundi amœniſſimi obliteraverunt, ſylvas arva domuerunt, feras, pecora fugaverunt, arenæ ſeruntur, ſaxa panguntur, paludes eliquantur, tanta urbes, quanta non caſæ quondam. Jam nec inſulæ horrent, nec ſcopuli terrent, ubique domus, ubique populus, ubique reſpublica, ubique vita, ſummum teſtimonium frequentiæ humanæ*; adde & inſatiabilis avaritiæ ac cupidinis; quam ubi altiore ſtylo notavit Tertullianus, quaſi victus vagâ illâ mortalium libidine exclamat. Lib. de anima c. 30.

Oneroſi ſumus mundo; vix nobis elementa ſufficiunt, & neceſſitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum jam nos natura non ſuſtinet. Revera, lues & fames & bella, & voragines civitatum pro remedio deputanda, tanquam tonſura inſoleſcentis generis humani.

Hactenus elato cothurno Tertullianus, è quo ferè tot oracula, quot verba: ea calamo menteque legamus.

Oneroſi, inquit, *ſumus mundo*: nimirum grave & immenſum eſt onus peccati, quod nec ipſa terræ moles, ut ſolida ſit, ſuſtinet; nec ipſa patiuntur elementa.

Teſtes volo Ægyptios, qui ab illo onere deſcenderunt in profundum quaſi lapis, & demerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Exod. c. 15.

Teſtem & Petrum Apoſtolorum principem, qui peccato liber, levi & intacto pede ambulavit ſuper aquas, eo deinde gravis atque oppreſſus mergi cœpit. *Petrus*, inquit D. Hieronymus, *qui antè levis pendulo greſſu calcabat undas, poſtquam infidelitate aggravatus, vorabatur à fluctibus.*

Quamdiu ea noxâ vacuus fuit Petrus, ipſa aqua pondus non ſenſit: vel ſi ſenſit, æquiùs tulit: at ubi adjectum eſt pondus infidelitatis, tum illius velut impatiens elementum premi cœpit & fatiſcere.

Teſtiaerit & Judas infamis proditor, à quo nno concitantur Euri, intumeſcunt maria, totoque gravis tempeſtas regnat elemento.

Portabatur authore Evangeliſtâ, interprete Ambroſio; portabatur, inquam, unâ, eademque navi Petrus, portabantur & alii Apoſtoli, magnæ illæ & excitatæ mentes, portabatur & ipſe Chriſtus, ipſa bonitas ac ſanctitas; & ecce (mirum dictu viſuque!) ab unius Judæ ſceleratâ mente, velut immani pondere cymba ſubſidit: adeo portentoſum eſt onus peccati, ſub quo ipſa laborant maria, turbanturque elementa.

Luc. c. 5. *Non turbatur*, inquit Ambroſius, *navis quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Iudam habet: Etſi multa illic diſcipulorum merita navigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus; ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis.* Adeo etiam ex tunc verum fuiſſet illud Tertulliani. *Oneroſi ſumus mundo:* quod ſi oneroſi, quid adeo mirum eſt, ſi nos excutiat, eradátque è vivorum tabulis, ipsáque rerum naturâ, qui naturæ præeſt Deus? Et hinc primum viro forti juſtóque in malis ſolatium eſt, quòd ſceleratus quiſque, ceu onus huic mundo aſpectabili incumbens, à cœlo vindice decutiatur, ne terras gravet atque opprimat; quod ipſum pro remedio deputandum eſt, & ſecundo loco inter ſupremi Numinis beneficia reponendum.

Orbi laboranti eſt Deus quod ægro medicus quiſpiam: ubi hujus valetudo poſtulat, ſecat ille, reſecatque putida membra, ne reliquum corpus inficiant eâdem mali lue atque contagione.

Sic cum genere noſtro propitium Numen, juſtos ab injuſtis, quà peſte, quà fame, quà bello dividit ac reſecat; ne mortale genus, ceu nemus incæduum ſylveſcat magis, ſeſeque in noxias propagines exoneret: & hinc poſtremum benigniore cælo ſolatium, quòd eæ calamitates ex vero tonſura quædam ſint inſoleſcentis generis humani; quam proinde æquis oculis aſpiciet vir alti fortisque animi; nec tam vulnus attendet, inflictamque plagam, quàm Dei vindicis manum exoſculabitur.

Emoriens olim Jacob convertit ſe ad lectuli caput, & languidulam cervicem erexit, ut adoraret faſtigium virgæ Joſephi filii ſui, atque exoſcularetur eam.

Veniam dabis, amice Lector, ſi paululum abeam à litterâ, dicamque vero Iſraeli, Jacobo ac ſupplantatori hujus ſæculi, erigendum altius caput, ut etiam in ſummis miſeriis, ipsáque morte adoret atque oſculetur faſtigium virgæ Domini: hoc eſt Juſtitiam ejus, quæ mortales noxios ceu virga ferit. Et iſtud Divinæ Juſtitiæ dabit ſapiens; aliud hominum ſceleribus atque malitiæ concedet, de quâ movit quæſtionem Seneca, riſúne digna foret, an lacrymis? Virum fortem, inquit, occupat nonnunquam odium generis humani, & occurrit tot ſcelerum fælicium turba, cùm cogitaveris quàm ſit rara integritas, quàm ignota innocentia, & vix unquam, niſi cùm expedit, fides, & libidinis lucra damnaque pariter inviſa, & ambitio uſque eo jam ſe ſuis non continens terminis, ut per turpitudinem ſplendeat. Agitur animus in noctem, & velut everſis virtutibus, quas nec ſperare licet, nec habere prodeſt, tenebræ oboriuntur. In hoc itaque flectendi ſumus, ut omnia vulgi vitia, non inviſa nobis, ſed ridicula videantur. Et Democritum potius imitemur, quàm Heraclitum. Hic enim quoties in publicum proceſſerat, flebat; ille ridebat. Huic omnia quæ agimus, miſeriæ, illi ineptiæ videbantur.

Lib. de Tranquil. animi c. 15.

Ubi horum Philoſophorum ſenſum non tam ex verbis, quàm ex oculis (qui etiam animi lingua ſunt) ita collegit; tum illud conficit.

Elevanda ergo omnia, & facili animo ferenda. Humanius eſt deridere vitam, quàm deplorare. Adjice quod de humano quoque genere melius meretur qui ridet illud, quàm qui luget.

Poſt quam ea ex aliorum opinione protulit, tum è ſuâ addit quod ſapientius. Satius eſt, inquit, publicos mores & humana vitia placidè accipere, nec ita riſum, nec in lacrymas excidere. Nam alienis malis torqueri, æterna miſeria eſt; alienis delectari malis, voluptas inhumana.

Hoc igitur à chriſtianâ fortitudine probè inſtructus faciat: in malignâ illa ſcelerum eluvie, animum ita comprimet, ut etſi durum ſit eam videre ac pati, levius tamen fiat patientiâ. quia corrigere eſt nefas. Tum deinde adjiciet etiam illud, quod æternitatem ſpectanti ſummæ eſt voluptati. Eum eſſe Divinæ Juſtitiæ amorisque ludum, ut in tempore puniat, parcat autem in æternitate.

Cùm videris unum aliquem ſceleſtum in vitia pronum ac præcipitem ire, nec tamen cœlo vindice in pœnas vocari; time ne huic ævo, vitæque brevi periture tam illum indulgeat Deus, ut in æternitate quàm longiſſimâ immenſo ſuppliciorum pondere opprimat. Secus autem cùm adverteris quod antecedentem ſceleſtum non deſerat pœna pede claudo; ſed ſequatur illicò, premátque vehementiùs: tum verò te ipſe erige. & hæc tibi ad animum appellat cogitatio. Benè habet: datur huic tempori pœna, ne detur æternitati: quam dum attentâ mente longè ante proſpiceret Auguſtinus, etiam in morbo extremisque anguſtiis hæc in cælum Deumque jaciebat vota.

Hic ure, hic ſeca, hic nihil mihi parcas, ut in æternum parcas. Nihil, inquit, mihi parcas: non primæ ætatulæ nævos, non lubricas adoleſcentiæ vias, non quale quale ſenectæ vitium remitti volo; ſed omnia ad Juſtitiæ trutinam revocari, ut in pœnas eat hoc corpus, hic animus, qui olim in libidines ſuas longiùs exceſſit: Nihil in iis, ô Deus, nihil in iis, ô Deus, nihil omninò parcas, ut in æternum parcas.

Paria quondam fuêre Jobi patientis vota, quæ paucis ita expreſſit. *Quis det ut veniat petitio mea, & qui cœpit ipſe me conterat? ſolvat manum ſuam, & ſuccidat me? Et hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Iob c. 6. v. 8.

Invaſerat Jobum ingens calamitas, & tantum non oppreſſerat: diſſipati cæſique greges, diruta domus, & in ejus ruinâ ſepulti filii longè cariſſimi; corpus ipſum, quod ferè unum à plagâ illâ liberum, & immune, fœdum in modum afflictum erat, & tamen in illa longè maximâ afflictione, ab omnibus nudus & inops exclamat: *Quis det ut veniat petitio mea?* Quis mortalium, quis immortalium illud ex voto meo concedat, ut æquus cœli terræque Judex, qui vindicem manum aperuit laxavitque in pœnas meas, pergat ipſe, & me conterat, quaſi diſſolutus Juſtitiæ repagulis totus in me ruat, & qui paupertie, quà morbo, quà ferro ſuccidat. Et in illo malorum cumulo *hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Non parcat, inquam, in tempore, ut meliùs parcat in æternitate.

§. V.

Quomodo publicæ calamitates Dei electos terris eripiant, ut cælo reddant.

VErum illud quod cenſuit & dixit olim Dionyſius Halicarnaſſæus. *Omnes viri fortes humaniter & æquo animo calamitates ferunt.* Lib. 6.

At non ſic puſillæ & debiles animulæ; iniquiùs illæ patiuntur, cùm aliqua occurrit afflictio, bono publico ut videtur inimica. Utque in eo ſibi blandiantur, aliiſque fucum faciant; aiunt à tribulationibus illis multos fatiſcere ac perire, & æternùm quidem. Hinc illæ lacrymæ ac gemitus, & juſtæ, ut equidem exiſtimant, querelæ, quibus modum, finémque ponet ore aureo Chryſoſtomus.

Quid,

Hom. 36. *Quid*, inquit, *de his dices qui frequenter à tribulatione ſubverſi ſunt? Quod non tribulationis eſt ſubverſio, ſed illorum imbecillitatis*: quod ut evincat, opportunâ utitur ſimilitudine: *Nec enim ſi quis infirmum habens ſtomachum amaram non admittat medicinam curare valentem, ſed potius atteratur; medicinam non accuſabimus, ſed membri infirmitatem: ſicut & hic mentis facilitatem.*

Cujus vitio tribuendum omnino quidquid demum à calamitate conſecutum eſt mali: quod ipſum longè antè agnovit D. Auguſtinus, & pro eâ qua eſt in dicendo ſolertiâ explicuit; oſtendit enim in æſtu tribulationis quod bonos inter & malos ſit diſcrimen.

Lib. 1. de Civit. c. 8. *In eadem afflictione*, inquit, *mali Deum deteſtantur, atq; blaſphemant: boni autem precantur, & laudant. Tanti intereſt non qualia, ſed qualis quiſq; patiatur: nam pari modo exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & ſuaviter fragrat unguentum.*

Componit S. Doctor injuſtum cum cœno, juſtum autem cum unguento: quia ab hoc bonus emittitur virtutum odor; ab illo infamis vitiorum omnium graveolentia, maximè verò cùm quati contigerit atque agitari.

Alii malos comparant cum luto, quod à ſole concreſcit; bonos verò cum cerâ, quæ ab eodem tota ſolvitur: ſic enim afflictionis igne cor pravi hominis obduratur, & contra ſuperos quodammodo obfirmatur; animus autem recti æquique tenax eodem ardore, ceu amico ſole, colliqueſcit totus.

Et quia probè novit illud moderator rerum omnium Deus, hinc eos, quos ſibi ac cælo elegit, modò probat igne tribulationis, modò jactari patitur in hac vita, non ſecus atque navigia irato mari; eo certè fine, ut & citiùs & certiùs teneant portum beatæ æternitatis. Res ea exemplo evadet illuſtrior.

Armatus Occidens propè univerſus in Orientem profectus erat, ut Palæſtinam barbaricâ ſervitute liberaret. Ingentes omninò copias eduxerat Conradus Imperator, eduxerat & Francorum Rex Ludovicus. Verùm (quæ fortunæ inclementia fuit, vel potius quæ Dei connivencia) nulla re memorabili geſta poſt biennium domum rediêre cum exiguis magnorum exercituum reliquiis. Hoc autem eò gravius triſtiuſque accidit, quòd ad eam expeditionem & cælum invitaſſet, & cæli favor miris ſanè prodigiis à D. Bernardo Clarevallenſi perpetratis. Ex quibus ſibi terra nobiliſſimos triumphos poterat polliceri: ſed alia fuerunt ſuperûm conſilia.

In vita S. Bern. *Nec enim* (ut inquit Goſridus) *ex illa profectione Orientalis liberari, ſed cæleſtis meruit impleri Ieruſalem. Quod ſi placuit Deo tali occaſione plurimorum eripere ſi non Orientalium corpora à Paganis, occidentalium certè animas à peccatis, quis illi audeat dicere quid feciſti ſic? Aut quis rectè ſapiens illorum ſortem magis non doleat, qui ad priora, vel pejora fortè prioribus ſcelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgati variis tribulationibus Chriſto animas reddiderunt? Alioqui quantumlibet dicant Ægyptii, dicant filii tenebrarum, qui nec veritatem videre valent, nec praſerre. Callidè eduxit eos ut interficeret in deſerto. Patienter tolerat Salvator opprobrium, quod tantarum animarum ſalute compenſat.* Ex illius hiſtoriæ ſerie conficies, amice Lector, Deum Opt. Max. emiſiſſe ab Occidente in Orientem maximos exercitus, eo ferè conſilio, ut dum ii terris occiderent & huic vitæ mortali, cælis oriri poſſent & ævo nunquam perituro.

Vis luculentius eâ de re teſtimonium: Illud accipe à D. Chriſtinâ, quam admirabilem ſtupuit, & prædicavit orbis univerſus. Viſa olim illa inuſitato perfundi gaudio, quod quia animo contineri non poterat, oculis & vultu toto ſeſe prodebat. Stupentibus autem quibuſcum fortè agebat, & cauſam ſciſcitantibus adjecit. Patuiſſe immenſa Divorum atria, & in iis ſubjectas ſibi beatas in Cælo mentes unà cum ipſo Chriſto novâ quadam incedentes lætitiâ; vel ob id unum quòd mortalibus & facilis & lata ad ſalutem aperta jam eſſet porta ſalutis atque æternitatis. Cumque rurſum ex ea quæſitum eſſet, ecquænam eſſet illa porta? Reſpondit. Hodie Jeroſolymam expugnarunt Barbari. Quid deinde? An ea vitæ ſalutiſque porta? Exinde lætitia, plauſus ac feſtivæ gratulationes, ac non potius aditus mortis, & origo prima luctus, miſerique ejulatus? Auditur ille quidem terris, at ſilet in cælis, cujus alia profectò judicia: quæ ut evolveret beata illa Virgo, addidit quod ſanctæ civitatis recuperandæ gratiâ, hominum maxima multitudo ſacram amplexa militiam à ſolutiore vita ad arctiorem converteretur, ſuſoque plurimo ſanguine Servatoris morti vicem rependeret. Et hinc illa gaudia, illa exultatio in cœleſti Jeroſolymâ, dum interim terreſtris illa manet ſub Barbarorum jugo atque tyrannide, & totius iſtius multitudinis pars potior, quà peſte, quà fame, quà ferro malè perit; malè inquam ſi hunc mundum ſpectes vitamque mortalem: at quàm optimè ſi orbem alterum, ſi cælum, ſi beatitatem, ad quam ſuperi Deuſque ſua omnia conſilia dirigunt. Et verò etiam dirigere debet quiſquis & nomine & re etiam ipſa eſt chriſtianus.

§. VI.

E malis publicis bona publica Deus elicit, & è privatis privata: & hoc bonæ mentis ſolatio eſt.

SI forte audieris tonare cœlum, mugire tonitrua, labique irato Numine fulmina, è duobus alterum tibi certò perſuade; vel iis corripi atque caſtigari inſignem hominum malitiam; vel excitari pietatis antiquæ igniculos, qui malè latebant aut ſopiti aut etiam ſepulti ſub cinere doloſo: illud ſuperiore paragrapho explicui; hoc in præſentia paucis agitabo.

Poëtæ veteres, quibus ad docta commenta facilis animus, inter ſua emblemata hoc ſtatuêre: In menſâ probè ſtratâ poſuêre teſtitudinem, cytharam, aliaque muſicæ inſtrumenta, appenſo hoc lemmate.

Non pulſata ſilent.

Alii facem ardentem atque inverſam, adjectâ hac epigraphe.

Vires inclinata reſumit.

Nonnulli Bellonæ amantiores ſcutis ſuis inſculpſêre plantam *Croci*, addita hac inſcriptione.

Calcata viреſco.

Hæc fuêre emblemata quibus eximios tribulationis proventus expreſſêre veteres illi Sophi.

Ita nimirum ſe habent mortalium ingenia: iis ex voto dum fluunt omnia, diffluunt ipſi, nec ullum à virtute rebuſque benè geſtis concentum edunt; nec accenduntur aut ardent igniculis divinæ caritatis, niſi cum inverſâ fortunâ, & ipſi quoque invertuntur; neque ſeſe explicant in folia, floreſque bonorum operum, niſi cùm inimico pede calcantur. ut rectè dixerit Antiſthenes apud Plutarchum.

Ad ſalutem & incolumitatem tuendam opus eſſe aut amicis ingenuis, aut acribus inimicis: quia hi dum admonent peccantes, illi dum maledicunt, revocant à vitiis: & quoniam ad loquendum penè vocem amiſit amicitia, loquax autem eſt æmulatio, ſupereſt ut ab inimicis veram audiamus; itaque falſa, quibus capimur deponimus: ut proinde nobis plerumque melius ſit inimicis cingi, quàm ſtipari caterva amicorum: ab illis quippe minus animæ, quàm ab his periculum eſt.

Quod ipſum ſenſit olim Naſica teſte Plutarcho; cùm enim quidam exiſtimarent res Romanas jam in tuto eſſe, quòd nimirum Carthaginenſes extincti, Græci ſubacti eſſent. *Imò nunc*, inquit, *ſummo*

ſumus in periculo, poſteaquam nulli ſuperſunt quos vel timeamus, vel vereamur.

Eodem ſpectavit celebris illa quæſtio olim agitata apud Romanos in ampliſſimo illo orbis theatro; expediretne Romanæ juventuti Carthaginem Romæ æmulam dirui penitus atque everti. Itum in varias ſententias, & quidem à viris omnino magnis & ſapientibus. Cato deſtruendam cenſuit, ſoloque æquandam; Scipio è contra conſervandam, ut haberet Romana pubes quo exerceretur, quodve metueret. Placet audire de eo argumento magnificè ut ſolet, diſcurrentem D. Auguſtinum.

Scipio, inquit, *Pontifex Maximus, ille judicio totius Senatus vir optimus metuens urbis calamitatem nolebat æmulam tunc Romani imperii Carthaginem dirui, & decernenti ut diruerétur contradicebat Catonis timens infirmis animis hoſtem ſecuritatem, & tanquam pupillis civibus idoneum tutorem, neceſſarium eſſe videns terrorem.*

Ecce ut judice Scipione ſecuritas ipſa hoſtis fuit; & terror, tutor urbis imperiique Romani: illum ſi excluſiſſes, futura erat Roma, & pupilli cives ſine tutore, ſine pædagogo. Quod Romæ, hoc etiam cuique civitati, imò & homini, cui ſeu publica, ſeu privata calamitas melior eſt proſperitate, & hoſtis amico potior; quia, ut ait D. Auguſtinus, *ſecundis rebus ea mala oriuntur in moribus quæ ſævientibus pejora ſunt hoſtibus.* Enimverò pejora, quia hoſtes fortunæ exuvias, & bona corporis eripere dumtaxat poſſunt; at nimia ſecuritas, & longa pax meliores animæ divitias, virtutem ſcilicet, fidem, pietatem, aliaque bonarum mentium ornamenta ſuffurari poſſunt atque dilapidare: & quia hæc ferè tantum ſpectat amatque cælum, hinc ſuavi quadam miraque providentia per varias temporum ſæculorumque vices publicas immittit clades, patiturque ſub iis premi ac gemere chriſtianum orbem; ut in eo ſopitam quaſi fidem & religionem avitam euſuſcitet.

Producamus hujuſce rei petita ab Antiquitate vel teſtimonia, vel etiam exempla; major quippe factis habetur fides, quàm verbis.

Eccleſiæ Catholicæ ſenſim adoleſcenti, idem uſu venit quod Oceano: hic modò ventos habet adverſos, & tumultuantes toto patitur elemento; modò faventes auras ſentit, & mites Zephyros, ab iiſque pacatas & molliter ſubſidentes aquas: ſic etiam Eccleſia, quæ hoc mundo, ceu mari jactatur, modò graves habet & timendos perſecutionum æſtus, modò amicâ gratâque fruitur malaciâ ac tranquillitate, qualis olim fuit ſub duobus Philippis Imperatoribus chriſtianis, patre ſcilicet ac filio, ſub quorum imperio fidelibus conceſſa fuit alta pax, à quâ facta eſt mirabilis ac deploranda morum inclinatio.

Primùm enim deferbuit primævus ille pietatis ardor, qui in chriſtianis olim non ſine laude & ſtupore ſeſe extulerat, deinde prono ac præcipiti lapſu itum in alia atque alia vitia: pars quippe fidelium plus æquo indulſit gulæ, pars in vetitam excesſit venerem, pars ſuperbos atque inſolentes erexit animos: omninóque pauci fuere qui ſe continerent intra ſepta avitæ Fidei ac pietatis.

Ex vitæ morumque ſolutio à Superis vindictam excivit, & cœlo etiam patiente in orbem extulit Imperatores duos, Decium & Valerianum, qui excitata gravi perſecutione, horum vitia plecterent, illorum virtutes acuerent. Quod Deo revelante cognovit D. Cyprianus, cujus hoc eſt ſuper eâ re luculentum teſtimonium.

Lib. 4. ep. 4. *Hoc nobis per viſionem exprobratum ſciatis, quod dormitemus in precibus. Perſecutio iſta examinatio eſt, atque exploratio peccati noſtri.*

Quod ipſum argumentum fuſiùs explicat ſermone de lapſis. *Quia*, inquit, *traditam nobis divinitus diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & penè dixerim morientem, cenſura cæleſtis erexit.*

Oſtendit autem qui corrupta eſſet diſciplina, qui jaceret ac penè extingueretur fides.

Non erat, inquit, *in Sacerdotibus Religio devota; non in miniſteriis fides integra, non in moribus diſciplina. Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda fidelium callidæ fraudes, circumvenientibus fratribus ſubdola voluntates. Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, proſtituere gentibus membra Chriſti.*

Hæc erant illius ævi ſcelera, aliaque plurima iis affinia, quæ ibidem longâ ſerie commemorat vir ſanctus, non ſine lacrymis profundoque gemitu; tandemque ex iis unum illud conficit. Id eò loci ac temporis egiſſe mortales *per ſua peccata, ut ad correctionem delicti, & probationem Fidei*, Divina juſtitia *remediis ſeverioribus* uteretur.

Et hæc cogitatio bonæ menti debet eſſe ſolatio cùm certò ſibi perſuaſerit eum eſſe genium cæleſtis illius providentiæ atque æquitatis, ut è publicis illis calamitatibus, & publico bono ſtudeat, & cujuſque etiam ſaluti atque incolumitati conſulat.

Mitigat vim doloris conſiderata æquitas ferientis, inquit D. Gregorius, qui eam Divinæ Juſtitiæ æquitatem breviter, ſed nervosè commendat his verbis. 7. Moral.

Donis ſuis Deus flagella permiſcet, atque (ut ita dicam) delectabiliter mordet, ſuaviter cruciat, hilariter contriſtat. In Ezechiel.

Quidni enim dicatur & cum delectatione mordere, & cum ſuavitate cruciare, & cum amœno quodam voluptatis ſenſu contriſtare, dum ita mordet, ut mentem profundè ſopitam excitet; ita cruciat, ut medelam afferat; ita contriſtat, ut æternis deinde gaudiis cumulet.

Exemplo erit illud quod ſenſit, probavit, amavitque Belgium. Bruxellam olim invaſerat ſæva peſtis, eamque longè ac latè erat depopulatâ, & ita quidem ut in urbe aliàs populò frequentiſſima via ulla domus eſſet, quam non mœſto funere notaſſet. Hinc abjecti omnium animi, ubique timor, horror, luctus, comploratio, lamenta, miſerique ejulatus, quia ubique multa mortis imago; quam dum ſpectat vir Religioſus in paucis, cui nomen Theodorus è D. Franciſci familia, ut illis animos & morbo & ipſa morte majores faceret, primùm ægros paſſim adire, ſolari, morientium confeſſiones excipere, & ad extremum agonem communire; dein etiam ſtatis horis in S. Gudulâ de pulpito dicere, multaque piè in aures animosque jacere, quæ dolori immodico modum ponere poſſe viderentur. Atque inter cætera unum iſtud, immiſſam illi urbi eam cladem admirabili Dei providentiâ, quæ corpora dirâ tabe ſolo ſternebat, ut animos in cælum erigeret: & ſiere etiam ipſa perfectum eſſe: ſe enim Deo revelante cognoviſſe è triginta millibus, quos ea lues ſuſtulerat, duos dumtaxat malâ morte periiſſe, ſtygiiſque addictos rogis; reliquos omnes ea tempeſtate fœliciter jactatos ſalutis cælique portum tenuiſſe.

P. Balinghem in l. Solatium aſſlictorum. Arnold. Raiſſe in ejus vita.

Quod illi civitati à communi morbo beneficium datum eſt, hoc & aliis dabitur, ſi modò ſe, ſuoſque Divinæ voluntati pariter conſentientes exhibeant. Et verò quidni exhibeant?

Hæc olim jactavit Epictetus. *Appetitum meum obedientem præbui Deo: Vult ille me febricitare? Et ego volo. Aliquid aggredi? Volo. Aliqua re potiri? Volo. Non potiri? Nolo. Mori me vult? Mori igitur volo.* L. 4. diſſer. c. 20.

Si iſta Ethnicus homo cenſuit & dixit in profunda nocte gentilitatis; quid ſentire, & loqui debuit chriſtianos in alta luce Fidei orthodoxæ? Debebit certè quod ille, eòque amplius: ſed proh dolor! adhuc eo quò vivimus ævo verum eſt illud D. Hieronymi: *Si quid adverſi accidit, prona in Deum querela eſt.* Et iſtud Cypriani. *Hoc nitimur & reluctamur, & pervicacium more ſervorum ad conſpectum Domini cum triſtitia & mœrore* In Pſ 118. Serm 4 de mortalitate

merore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis.

Ita ſcilicet è corporibus exeunt ſerviles animi: qui nec ſe, nec ſua divinæ committunt voluntati: at non ſic liberæ mentes: Deum illæ ſequuntur, non quia neceſſe eſt, ſed quia etiam volupe.

Et hæc de publicis calamitatibus dicta ſint: ad quæ viſum eſt opportunum adjicere Orationem quam D. Auguſtinus uſurpavit in obſidione Hipponenſis civitatis, & qua etiam in omnibus propè malis uti poterit, & ſeipſe ſolari chriſtianus animus.

Oratio D. Auguſtini paulò ante obitum in obſidione Hipponenſi compoſita, ejus operibus non contenta, à Cardinale Sarpando, olim Generali Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Patribus Concilii Tridentini exhibita.

ANte oculos Domine culpas noſtras ferimus, & plagas quas accepimus, circumferimus. Minus eſt quod patimur, majus eſt quod meremur. Peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis infirmitas noſtra verſatur, iniquitas non mutatur. Mens ægra torquetur, & cervix dura non flectitur. Vita in dolore ſuſpirat, & in opere ſe non emendat. Si expectas, non corrigimur; ſi vindicas non duramus. Confitemur in correptione quod egimus: obliviſcimur poſt viſitationem quod flevimus. Si extenderis manum, facienda promittimus; ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas; ſi peperceris, iterum provocamus ut ferias. Habes Domine confitentes reos: novimus quod niſi peccata dimittas, rectè nos perimus. Præſta Pater omnipotens Deus ſine merito quod rogamus, qui feciſti ex nihilo qui te rogarent. Amen.

De actu Fortitudinis qui in aggreſſione conſiſtit.

IN duobus potiſſimum ſeſe exerit, atque explicat vis fortitudinis, quam ſententiâ brevi, & nervoſa complexus eſt, qui jactavit illud, *Agere & pati fortia Romanum eſſe*: de hoc egi parte prima: de illo etiam in ſecunda pauca.

CAPUT UNICUM.

De fortitudine militari.

FORTITUDO quæ belli pericula ſpectat, inſigne omnino decus continet, atque ejuſmodi ut Cicero cæteris omnibus præſtare ſcripſerit: nec immeritò; agitur enim in ea de ſumma rerum, hoc eſt, non de fortunæ bonis, aliquove homini extrinſeco: ſed de re pretioſiſſima, & chariſſima, id eſt vita, quam diſcrimini objicere pro honeſtate, pro libertate, pro patria glorioſum ducitur: & quia in militia, ceu palæſtra fortitudinis, ea vis exercetur atque elucet; de illa nonnulla ſubnectemus: primòm quidem, quæ eam vitia dedecorent; deinde quæ ſpectabilem reddant ornamenta virtutum.

§. I.

Quæ militari fortitudini ſint adverſa?

Livius l. 44. PAulus Æmilius militi tria dicebat eſſe curanda: Corpus ut quàm validiſſimum & perniciſſimum haberet: Arma apta: animum ad ſubita imperia paratum. Ad hunc ſpectant etiam illa tria, quæ in

Thucyd. l. 5. milite deſiderabat Braſidas. *Velle, vereri, Ducibus obedire*: adde & continentem eſſe, & æqui, juſtique tenaciſſimum. Hæc enim omnia ſi adſint, verè militem, id eſt fortem, faciunt; ſi abſint, ignavum relinquunt, nec militiam ſapiunt, ſed malitiam, qualis eſt plerumque in hac ſæculorum fæce, quæ diſciplinam militarem exuit atque abjecit. de ea ita Juſtus Lipſius.

Emunt duces militem, non legunt: pecuniola In Politic. proponitur, tympanum ſtrepit, & ecce coëunt aliquot ignoti inter ſe, ignorantesque, purgamenta urbium ſuarum, quibus ob egeſtatem & maxima flagitia peccandi neceſſitudo eſt: aſſueti latrociniis, bellorum inſolentes, quorum lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces, quæ honeſtè nominari non poſſunt inhoneſtiſſima; nullam diſciplinæ formam, nec extrema quidem ejus lineamenta ſervantes; laſcivientes certatim, inter quos omnia indiſpoſita, temulenta, pervigiliis veneris ac bacchanalibus, magis quàm diſciplinæ ac caſtris propria. At nec in procinctu, nec caſtris habentur; ſed per municipia deſides, hoſpitibus tantùm metuendi effundunt ſe in luxum, epulas & nocturnos cœtus. Ibi circumferri merum largiùs jubent, debellaturi ſuper menſa Alexandrum, ſuas vires extollere docti, hoſtium paucitatem contemnere; cæterum galeati lepores, & quibus ut ad populandos finitimorum agros, tectaque urenda & capienda pecora aliqua vis ſit: ita in acie & ſignis collatis nulla vis eſt: nec in victoria eis decus, nec in fuga flagitium. Ut omnia paucis, exercitus linguâ quàm manu promptior: prædator è ſociis, & ipſe hoſtium præda. Hactenus docto calamo Juſtus Lipſius qui aculeata oratione pungit ac damnat eam militiam, quæ nihil aliud eſſe videtur quàm impunitas quædam, & licentia quidlibet audendi per fas nefasque: addam ego & diripiendi per ſummam injuriam, atque immanitatem; quæ ne longiùs ſerpat, néve in milites, quos hic inſtruo, aliquando cadat: addam cœleſtis ultionis prodigium, quod ad D. Severi Epiſcopi Ravennatis, templum viſum olim non ſine ſtupore, & horrore.

Sub Henrico Imperatore Bonifacius Tuſciæ Marchio caſtra poſuerat non procul à D. *Severi* templo, Bollandus ac cœnobio, quod incolebant monachi Ciſtercien- in vita S. ſes; hos dum militari petulantiâ vexant milites, etiam Severi, in eorum prædia, ac hortos involant, & oleta, 1. Feb. c. 9. porrósque præſertim auferunt, quos dum ſub cineribus coctos avidiùs vorant, & cruor ora perfundere cœpit, atque ex ipſis cultris, quibus eos inciderant, effluere, manusque quibus ea tractaverant maculare.

Quid ab illud prodigii milites? quid prædones illi? Primò ſtupere, atque horrere; dein ſeipſos damnare; tum etiam divinam ultionem extimeſcere; denique ad S. Præſulis *Severi* ædem venire, illíque aris ſupplices advolvi, ac delicti veniam petere, oblato etiam pro culpa ſacro anathemate: ſic & pacatum eſt cœlum, & cruor ex ore, manibusque deterſus.

Hic oculum, animumque figant hujus ævi milites, quibus non eſt ſatis paucula, quæ fortè vel ad victum neceſſaria, vel etiam commoda tantum, à pauperculis ruſticis ſuffurari, niſi etiam & equos, & pecora, & greges, & armenta abigant, ac diripiant, imò quod reliquum eſt domeſticæ ſupellectilis abducant onuſtis inde, ac gementibus curribus: quod quàm alienum ſit à bona militia, nemo non videt.

§. II.

Virtutes annexæ militari fortitudini.

FOrtitudo militaris in eo potiſſimùm eminet, quòd hominem efferat ad ardua quævis pro honeſtate, pro focis & aris ſuſcipienda, ad pericula adeunda, & pulchram per vulnera mortem; de quâ piè, & magnificè D. Bernardus ſermone ad milites templi.

Quàm

Cap. 4. *Quàm glorioſi*, inquiebat, *revertuntur victores de prælio? Quàm beati moriuntur martyres in prælio*: quaſi diceret vir ſanctus, parum, aut nihil intereſſe, ſtentne, an cadant; vivant, an intereant; vincant, an vincantur: ſi enim vincunt, triumphatoris laureâ donantur; ſi vincuntur, martyris aureolâ: hanc certè Machabæis ex tacito quodam Eccleſiæ ſenſu tribuit Rupertus.

Præf. ad lib. de victoriâ verbi Dei *Eorum*, inquit, *bellicam defenſionem, non minus quàm indefeſſam martyrum patientiam in ſanctâ Eccleſiâ legendo & cantando celebramus.* Quod Machabæis conceſſit Rupertus, hoc propè chriſtianis militibus, qui adverſus infideles fortiter decertant, attribuit D. Bernardus, cujus melleâ capior eloquentiâ: & capieris ipſe non dubito, mi Lector. Illam ergo avidâ aure menteque excipe: ita ſeſe in militum laudes & præclara encomia diffundit.

Secum præliantur, nequaquam metuentes aut de hoſtium cæde peccatum, aut de ſuâ nece periculum. Miles Chriſti ſecurus interimit, ſecurior interit: ſibi præſtat, cùm interit; Chriſto, cùm interimit. Cùm occidit malefactorem, non homicida, ſed ut ita dixerim malicida reputatur. Cùm occiditur ipſe, non periiſſe, ſed perveniſſe cognoſcitur. Mors ergo quam irrogat, Chriſti eſt lucrum; quam excipit, ſuum. Mors, inquam lucrum, ſi modò vita etiam cum lucro ſuit, & virtutum ac meritorum incremento: de quo cum incidit quæſtio, in mentem atque oculos venit ille Scripturæ locus.

1. Reg. c. 15. v. 4. *Præcepit Saül populo, & recenſuit eos quaſi agnos, ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.*

Hujus loci intelligentia, ſi nuda ſpectes verba, in aperto eſt; ſi variam Interpretum mentem, in occulto: ſunt enim ex Hebræis, qui velint Saülem recenſuiſſe eos in agnis, quos ſinguli conferebant, eo ferè modo, quo alias ille ipſe Saul militem ſuum collegit atque numeravit *in Bezeth*, hoc eſt *in teſtulis*, quas ſinguli in unum acervum congerebant, ut earum numero ipſe quoque militum numerus legeretur.

Quod ſi fortè quis ſtudioſus indagator antiquitatis eum ſibi nodum ſolvi velit, cur eò loci ac temporis in agnis militem cenſeri oportuit? Audiet quis *2. Reg. c. 24.* in ſeipſis ſine flagitio recenſeri non poterant: deinde in computatione populi in ſingula capita ſtatuebatur pretium, & is agnus eſſe poterat. Denique tum fortè imminebat ſolemne Paſcha, quo ex Divinæ legis præſcripto agnus erat immolandus.

Atque hæ rationes petitæ ſunt ex ipsâ antiquitate, legiſque normâ ac placitis; non tamen, ut quidem exiſtimo, ex genuinâ illius loci interpretatione; è quâ nonnulla deducam ad militum mores probè efformandos.

Recenſuit olim Saul milites quaſi agnos, tum quia rex erat & militiæ dux, adeóque ex Scripturæ ſenſu atque uſitatâ appellatione etiam paſtor; tum quia quiſquis eſt miles, is agni genium debet æmulari.

Obedientia. Eſt agnus imprimis obediens ad vocem, nutumque paſtoris, ſeu in campum evocet & læta paſcua, ſeu reducat ad caulas, ſeu plana abjectaque vallium, ſeu ardua montium pedo monſtret aut projectâ glebâ. Et ea quoque debet eſſe militis in ducem obſervantia: de qua præclarè Thucydides.

In Lacon. *Hoc ad rem in bello præclarè gerendam præcipuè pertinere judicate, ut & pugnandi voluntas adſit, & modeſta quædam erga duces obedientia.* Cujus ſpecimen ac documentum inſigne habes in eo de quo Plutarchus. Is cùm in acie ſtrictum jam enſem in hoſtem eſſet infixurus, dato derepente ſigno receptui, ſubſtitit, manumque ſuſtinuit, nec telum adverſo pectori infigendum duxit. Roganti verò cuidam, cur hoſtem, cui ferro jam imminebat, non ſuſtuliſſet è medio, ſcitè reſpondit: Quoniam melius eſt parere imperatori, quàm hoſtem occidere.

Exemplum illuſtre militaris diſciplinæ, à quâ immanè receſſerunt plerique hujus ævi milites, quibus nequicquam obſiſtentibus ducum mandatis propè quidlibet audendi ſumma eſt licentia. Ea non erat cùm in oculis, in manibus eſſent Romanæ leges, & jura belli, ex quibus hoſtem ferire nefas niſi ſignum, dediſſet tuba; interimere crimen, ſi receptui ceciniſſet.

Ex hac porrò devoti pectoris ſubmiſſione natum illud axioma *Non licet in bello bis peccare*: *error* enim *in bello*, & inobedientia *mors eſt*: Atque utinam eſſet, non ea foret in acie morum corruptela, non rapinæ, non latrocinia, quibus plerumque viam aperit ipſa Imperatorum remiſſio, qui & aliis injuriam inferunt, & ſibi ſuoque nomini notam inurunt: longè abſimiles illi Galbæ adeo apud veteres nominato. Ille bellis in graviſſimis adeo ſevera diſciplina milites continuit, ut ſimul atque in caſtra veniſſet, illicò vulgaretur ille trochaicus. *Diſce miles militare, Galba eſt, non Getulicus.* *Juſtitia.*

Nimirum & animos ille ſuorum in obedientia retinebat, & manus continentiæ ac Juſtitiæ vinculis illigabat, ne in aliena bona, in rapinas ferrentur præcipites, vicinoſque agros ſuis latrociniis infeſtarent: quod alterum eſt boni ducis officium; cui ut militia, ita & juſtitia eſt in amoribus. & meritò. Quæſivit *De Civit. l. 4.* olim D. Auguſtinus, quid eſſent regna remotâ juſtitiâ; atque addidit, nihil eſſe niſi magna latrocinia: quod ſi regna quæ loca tenent, ſedes conſtituunt, civitates occupant, & ſuos municipes etiam muris ac vallis claudunt, poſitâ tamen ac profligatâ juſtitiâ latrocinia ſunt; quanto magis militia, quæ nec ſuos vallo continet, nec muro; ſed vagos ac palantes totis campis effundit: ſed eſt illic ingens malum, quod in civitatibus latrocinia in occulto ſunt, in militia verò in aperto, quod (ut inquit Auguſtinus) confert addita etiam impunitas, ob quam Alexandro non minus eleganter, quàm verè reſpondit olim Pyrata ab eodem comprehenſus. Ei quippe ſciſcitanti quid ſibi ut mare haberet infeſtum? Libera & expedita voce ſubjunxit. Quid tibi ut orbem terrarum? Sed ego quia exiguo navigio facio, latro vocor: quia tu magna claſſe, Imperator.

Appoſitè ſanè ad coercendam Alexandri avaritiam, & infanam dominationis libidinem, ſub qua vel ipſe gemebat orbis, nec par eſſe videbatur: & tamen ut ea eſſet, regnabat impunè, quia armis tuta, & ingenti imperio ſubnixa. Ne illa quoque in hujus ævi militiâ regnet; quiſquis bello præſidet, ſit ille æqui juſtique tenaciſſimus: ne miles, qui ſub ejus ſtipendiis meret, aut cornu feriat, aut dente mordeat, aut ungue rapiat, involetque in alienas facultates; quod certè non faciet, ſi ut olim à Saüle quaſi agnus, hoc eſt miles recenſeatur.

Sit deinde pacis amans ac concordiæ; hæc enim *Concordia.* commilitones inter ſe nectit tanquam membra unius magni corporis.

Exiſtimabat Aratus orbes (& eadem de militiâ eſt ratio) ſingulatim imbecilles mutuò ſervari, tanquam illigatas publico commodo: ac quemadmodum membra corporis viventia & conſpirantia, propterea quòd invicem innexa ſibi hærent, ſi quod eorum avellatur, & à cœteris ſeparetur, non alitur amplius, ſed tabeſcit: ita urbes cenſebat ab iis qui Rempublicam divellerent, perdi; augeri autem unam *Plutarch. in Arat.* ab aliâ, & omnes mutuo, cùm veluti magni alicujus corporis partes communem haberent procurationem.

Quod de urbe, hoc de militari Republicâ verius dixero, cui ſi pacem dederis, & concordes animos, cohærebit illa; ſin autem diſcordes feceris, illicò diſſipabitur.

Regnum, inquiebat Micipſa ad filios, vobis tra- *Saluſt. de bello Iugurt.* do firmum ſi boni, hoc eſt conſentientes eritis; ſin mali, hoc eſt ab invicem diſſentientes, imbecillum: nam concordiâ parvæ res creſcunt; diſcordiâ maximæ dilabuntur.

Teſtis

[illegible] l. c. 4. Teſtis erit Numantia prius invicta, poſt everſa, cui, ut ait Tireſius, concordia victoriam, diſcordia exitium præbuit.

Tyrhenus lapis quamvis grandis innatat, comminutus ſidit: ita concordiâ ſuſtinemur, diſcordiâ peſſum imus, inquiebat Plinius, & Ariſtoteles purioris Philoſophiæ perſpicax ocellus.

Plin. l. 2. c. 106. Ariſtot. de natura c. 12. Hanc porrò concordiam docuit ipſa Saülis militia, in qua quot capita, tot agni; quia ut hi gregatim paſcuntur, & quò præit unus, eò ſequuntur alii: ita Saulis milites concordibus animis ibant quò ducebantur.

Audacia. Sed & alia fortitudini militari cognata virtus: ea porrò eſt audacia, media temeritatem inter & ignaviam: nec enim ea cenſenda virtus eſt, quæ ſine ratione, ſine modo in hoſtem incurrit, periculum potius creatura, quàm prælium motura: neque etiam ea laudi danda eſt, quæ adeo timori connivet ac cedit, ut vel ipſum periculi nomen fugiat atque averſetur: viro militari audendum aliquid in hoſtes, in acies, in ferrum: in mortem ipſam eundum eſt, cùm ratio ſuadet publicumque bonum: recedendum tamen etiam quandoque, & obvio hoſti cedendum, cùm adverſum ferro caput Reipublicæ potiùs noxium videris, quàm profuturum.

Stob. ſerm. 52. Ita quondam Antigonus hoſtibus ingruentibus ceſſit, ac ne ignaviæ aut timoris argui poſſet, adjecit illud, ſe non fugere, ſed utilitatem retro ſitam perſequi: & verò tum ſtetiſſe immotum, fuiſſet temeritatis: cui ex oppoſito habes vitium aliud alterum, quod ignaviam dicimus: à quâ ut avocarentur Templarii milites, docerenturque in bellis contra

Sigeberti chronator. Saracenos, aut vincendum eſſe, aut moriendum; ſi fortè caperentur, ſolo cingulo & cultello redimebantur: exiguum ſanè hoſti lucellum, ne ſcilicet eo malè captivitatem donarent ignavis, & quaſi ultro ſe dedentibus.

Ab illâ porrò ignaviâ militem procul eſſe vult illud militare robur, quod à virtute, à fortitudine petitur, cujus exempla habet antiquitas, habent & noſtra ſæcula, quæ fortè primis illis non cedunt. E multis duo producam, ne ſtylum longiùs ducam in argumento ſatis obvio: unum terra ſenſit, alterum ſtupuit oceanus, ipſumque aquarum elementum.

Aulus Gellius in noctibus atticis refert Lucium Sicinium dentatum (qui Tribunus pleb. fuit Sp. Tarquinio, & A Thenio Conſulibus, prout ſcriptum eſt in libris Annalium) pluſquam credi debeat ſtrenuum bellatorem fuiſſe, nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem, appellatumque *Achillem Romanum*. Is pugnaſſe in hoſtem dicitur centum & viginti prælus, cicatricem averſam nullam, adverſas quinque & quadraginta tuliſſe. Coronis eſſe donatum aureis octo; obſidionali una; muralibus tribus; civicis quatuordecim; torquibus tribus & octoginta; armillis plus centum ſexaginta; haſtis duodeviginti; phaleria quoque donatus eſt quinquies viciesque. Populi militaria dona habuit multijuga, in his provocatoria pleraque. Triumphavit cum Imperatoribus ſuis triumphos novem; è quibus quantum præſtiterit militari virtute in aperto eſt. Et hunc in contionenti bellatorem amavit ſuſpexitque Roma, gentium domina, & Martis amantior. Alterum accipe quem ſtupida licèt ſenſêre tamen maria, & ſtudioſæ miratæ ſunt Athenæ. Is fuit Cynegyrus Athenienſis, qui cùm palantes Medos, Perſaſque ad naves compuliſſet, navem hoſtibus onuſtam dextrâ tenuit, deinde hac hoſtium ferro amputatâ, lævam navigio injecit, idque remoratus eſt; eâ rurſum imputatâ, arreptam mordicus navim defixit, tenuitque: raro ſane fortitudinis exemplo, quod mirari omnes, imitari pauci, & fortè ne unus omnium poſſit. Lib. 2. c. 11.

Quod ſi ea Heroibus illis inſita vis animi, vel ipsâ tantùm naturâ duce; quæ debebit eſſe chriſtiano militi, cui ad naturam ipſa quoque gratia acceſſerit, ab illaque ſenſerit ſe cælo pugnare; non terris, non gloriæ, trophæiſque brevi perituris militare, ſed Deo beatæque æternitati.

FINIS TOMI QUINTI.



LEODII,

EX OFFICINA TYPOGR. JOAN. MATHIÆ HOVII,

Sub ſigno Paradiſi Terreſtris.

M. DC. LXVIII.